COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON,

DIŒCESIS AMBIAN. PRESBYTER.

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

TOMUS SEPTIMUS

IN ECCLESIASTEN ET CANTICUM CANTICORUM

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—

M DCCC LXXV

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

PER FLANDRO-BELGIUM.

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandro-Belgium Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum R. P. Nostro Mutio Vitellesco Societatis ejusdem Præposito Generali, do facultatem Martino Nutio typographo Antuerpiensi typis mandandi Commentaria P. Cornelii a Lapide ejusdem Societatis Sacerdotis, in Ecclesiasten, Cantica Canticorum, et librum Sapientiæ. In quorum fidem has manu mea subscriptas, et sigillo officii mei munitas dedi Antuerpiæ, 27 aprilis, anno 1638.

JOANNES DE TOLLENARE.

APPROBATIO CENSORIS.

Commissos mihi infrascripto Commentarios in Ecclesiasten, Cantica Canticorum, et Sapientiam, quos in lucem mittit R. P. Cornelius a Lapide Societatis Jesu olim Lovanii, ac deinde in Urbe Sacræ Paginæ Professor, prælo dignissimos judico. Opera sane pulchra, sublimia, pura, et tanto sententiarum pondere ac Sanctorum placitis ornata, ut quisque ea legens in eis copiosam messem inventurus sit. Actum Antuerpiæ, 30 aprilis, anno 1638.

GASPAR ESTRIX,
S. Theol. Licent. Canonicus et Plebanus Antuerpiensis, ac librorum Censor.

Annotationes quibus *Commentaria P. Cornelii a Lapide in Ecclesiasten, Cantica Canticorum et Sapientiam* illustravit ac ditavit Aug. CRAMPON, presbyter diœcesis Ambianensis,

Nil obstat quin imprimantur.

Datum Ambiani, 25 maii, anno 1860.

† JACOBUS ANTONIUS,
Ambian. Episcopus.

ADMODUM REVERENDO PATRI

AC DOMINO

D. JOANNI CHRYSOSTOMO

CELEBERRIMI COENOBII S. MICHAELIS

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS

APUD ANTUERPIANOS

ABBATI MERITISSIMO,

ET

EJUSDEM ORDINIS PER BRABANTIAM, FRISIAM, ETC.

VICARIO GENERALI.

Jam dudum est, ADM. REVER. DOMINE, quod omnem qua possum, Tui ornandi capto occasionem, quam adhuc pro voto meo non inventam cum dolerem, istam qualem qualem nactus, avide arripui (usque dum melior sese dabit), tum ut aliquam Tibi interim grati in Te animi mei ob tanta in me meosque merita significationem facerem, tum ut publicum virtuti ac religioni, quæ usque adeo in Te ac Tuis omnibus eminet, testimonium per me apud posteros exstaret.

Triga itaque Salomonica subvectus, ad sacros DOMIN. TUÆ pedes hic me sisto. Hanc a R. P. Cornelio a Lapide, sacrarum Litterarum expositione orbi, qua patet, notissimo, velut harmatopego, egregiis lucubrationum compagmentis adaptatam, et assulis doctissimis scitissime convestitam, et jam recenter typis meis adornatam, dignam censui, quæ illustre nomen Tuum prima in fronte præferret. Opere tali dignus profecto patronus, et patrono vicissim opus. Ac quemadmodum in ludis Circensibus notæ illæ aurigarum factiones, albatorum, inquam, russatorum, prasinorum, suos singulæ fautores et patronos habebant, adeo ut etiam Imperatores iis favere, ac suum præsidium præstare turpe non ducerent, præsertim sub Imperatore Justiniano, uti Procopius[1], Marcellinus[2], Theophanes[3] et Zonaras testes mihi sunt: pari modo meam spero Trigam nonnisi publico bono concinnatam, et jam primum in mundi hujus circum emissam, sacrum præsidium et patrocinium apud Antistitem rerum sacrarum amantissimum juxta ac peritissimum, eximiumque omnigenæ doctrinæ, ac præsertim

Sueton. in *Vitellio*. c. XIV. Dio, lib. LIX in *Domitiano*.

[1] In *Anecdotis*
[2] *Justiniani*.
In *Chronico*.
[3] In *Justiniano*.

Ethicæ divinæ (de qua saluberrima simul et plurima hic præcepta traduntur) cultorem et laudatorem, inventuram.

Quod autem terni Trigæ huic juncti sint equi, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, non inscite mihi facturus videor, si viro, qui triplici votorum Religiosorum funiculo (qui *difficile rumpitur*, uti hic ipse Ecclesiastes docet) Deo unitrino unitus est, eam nuncupem. Et sane nulli aut Ecclesiastes, aut Canticum, aut Sapientia offerri mihi posse videtur convenientius, quam ei qui quidquid per Salomonem Spiritus Sanctus in iis tradit ac præscribit, in se vitæque suæ rationibus, et ipse jam pridem ad vivum expressit, et ut omnes, quos potestati suæ subditos habet, pariter in se exprimant, connititur. Etenim sicuti hic ipse Ecclesiastes dignam se mansionem indagaret, nullam, me judice, aut commodiorem, aut digniorem, ea quam ipsi designavi, tota sibi Europa posset deligere. Apud Præsulem scilicet, qui et ipse multos per annos domi et foris Ecclesiasten egit, et hujusmodi præest viris, qui cum domi privatos intra parietes, in vinariam sponsi cellam fuerunt introducti, ibique divinorum charismatum contemplatione inebriati, eadem de loco superiore in plebem Christianam, ac præsertim ruralem, dein effundere concionando solent. Accedit et alia ratio, quod, quæ toto Ecclesiastæ libro traduntur, inter reliquos Religiosæ vitæ professores a Præmonstratensibus exactissime sciam observari. Propositum namque illi est, continua velut inductione, edocere, quam vana et nugacia sint cuncta hominis, quæ in rebus terrenis suscipiuntur, studia, ut sic eum a sensibilibus, ad ea quæ sensum omnem transcendunt, a terrenis, inquam, ad spiritalia cœlestiaque traducat. Continet hic ergo Ethicam sacram, longe sane eminentiorem, quam sit Aristotelis, Plutarchi, Senecæ atque Epicteti,

> Et quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
> Rectius ac melius Crátippo aut Crantore dicit.

Eadem quoque opera finem hominis ultimum assignat, ac summum bonum, in quo hominis sita sit beatitudo. Quod enim variæ de eo fuerint priscorum philosophorum opiniones, ri is in rebus eam constituentium, Salomon diviniore inspiratus spiritu, omnes eos aberrasse commonstrans, veram hominis beatitatem ac bonum in rerum omnium mundanarum contemptu, inque veræ Sapientiæ et Dei cognitione et cultu sitam esse definivit. Ecquod autem aliud est veri Religiosi studium, labor et contentio, quam mentem, jam dudum a rerum terrenarum affectu avulsam, uni cœlestium meditationi applicare? Quod quantopere in universis Candidi Ordinis hominibus vigeat ac locum habeat, satius est me silenter præterire, quam nonnisi pauca et non ea quæ rei dignitas exigit afferendo, tempus terere.

Jam, ut ad alterum Trigæ equum veniam, ipsum quoque Canticum eadem a me ratione deposcere videtur, ut id triplici suo sensu a commentatore Cornelio jam illustratum, viro contemplationi addictissimo, et castissimos sponsæ amores

æmulanti, et ad jucundissimos sponsi cœlestis amplexus jugiter cum suis omnibus anhelanti, pari a me jure deferatur. Nihil enim ipsum est aliud, quam continuum Christi et Ecclesiæ epithalamium. Etenim Deus optimus maximus ut immensam suam in homines dilectionem declararet, quamque Filius ipsius homo factus ardenti sibi Ecclesiam amore copularit, 1013 ante annis hoc Christo nuptiale carmen a Salomone voluit accini. Hic ergo illius quasi typus et parens, ejus per incarnationem cum Ecclesia desponsationem hoc carmine describit, nec non illius prædicationem, passionem, Spiritus Sancti missionem, Apostolorum prædicationem, Gentium conversionem, Ecclesiæ denique ortum, propagationem, perfectionem graphice depingit. Atque hic quidem primarius ejusdem est sensus; in altero vero, etiam litterali, sed inadæquato et partiali, accipi potest de anima justi, præsertim perfecta; nec non in accommodatitio de Beatissima Virgine : tum quia ipsa reliquos inter Sanctos emicat; tum quia Verbi incarnatio, et proinde Ecclesiæ desponsatio, in ipsa peracta est. Canticum ergo, quantum quantum est, divinos spirat amores, ut amor ipse loqui hic, et partem agere totam videatur, Deus, inquam, et Spiritus Sanctus, qui ipsa est charitas, in Salomone. Unde lectorem et patronum requirit maturum, temperantem, animi tranquilli, cujus affectus inordinati jam deferbuere, cujus cogitatio, amor, affectio a rebus terrenis, mundique desideriis avulsa, uni cœlestium cupidini adhærescit. Quem quia in Rev. Tua Domin. invenisse se confidit, secure conquiescit, nec de alio conquirendo ulterius laborat. Abeat ergo ad amantem amor, abeat sanctorum doctor amorum, eumque amare doceat vehementius : ut, qui animo illius medullitus jam insitus est amor et ibi æstuat, etiam exæstuet, et foras in proximum flammas ejaculetur.

Tertius demum Trigæ meæ equus, Sapientia, fræni quodammodo impatiens, ultro, etiam retinente me, ad gremium Tuum convolare gestit, et apud Sapientiæ cultorem eximium sedem sibi stabilem deligere. Qui qualis sit, quod ipsius argumentum, tuo prodit nomine : Sapientia namque dicitur, quia de vera Sapientia, ejus origine, moribus, operibus, effectis ac præmiis disserit : non de Sapientia dico speculativa, sed practica; vera, inquam, veri Dei cognitione cum ejus timore, religione, cultuque conjuncta, quæ proinde ad æternam salutem hominem perducit, ac Justitiæ nomine passim in sacris Litteris vocitatur. In sapientiæ ergo officina, in virtutum heroicarum armario, in justitiæ gazophylacio, in religionis omnis apotheca, in divinæ doctrinæ scrinio, Sapientiæ liber conquiescat; et apud Præsulem veræ prudentiæ cultorem, Theologicæ scientiæ mysten, omnis sanctimoniæ sectatorem perpetim commorari gaudeat. Cum enim Tuas, Præsul ampliss., lucubrationes, omnigenam pietatem, religionem, doctrinam spirantes evolvo; cum Vitam D. Norberti lingua nostra vernacula tribus libris comprehensam, ejusdemque SS. Patris Vitam antiquam doctissimis amplissimisque Notis illustratam; cum Lilium inter spinas, id est, Vitam B. Joseph Presbyteri et Canonici Steinveldensis; cum Rosam in hieme, vitam,

inquam, Wilhelmi Rothensis; cum Echonem S. Norberti Triumphantis, cum Natales Sanctorum Præmonstr., nec non alia ad Ordinis ejusdem commendationem, elogium, illustrationem Tibi elaborata considero, quibus sapientiam æque ac doctrinam, quin et singularem Tuum erga ipsam affectum satis superque prodis; nefas putavi, alium, Te præter, ipsi Sapientiæmagistro patronum ac propugnatorem assignare.

Quamobrem, ADM. REVER. ANTISTES, Trigam hanc sacram, a doctissimo Cornelio jam hinc ad Superos ablato, non ita pridem compactam, nomini Tuo magno, et in eo omnibus Tuis, adeoque universis Ordinem Præmonstratensem professis, patieris, spero, a Martino Nutio Tuo, pro singulari ipsius in eum amore (utpote in quo duos sibi tum sanguine, tum affinitate proximos, alios remotiores paulo recenset), ceu evidens propensionis in hunc pignus, et certam erga TUAM DOMIN. affectus, benevolentiæ, amicitiæ tesseram, dedicari. Exile et leve, fateor, munus hoc est, quo maximis Tuis in me meosque collatis officiis ac beneficiis respondere propono; sed simul illud novi, parva juxta ac magna, dummodo ab amica profecta manu, pari apud Te jure gaudere, eumque qui farre litat ac mola salsa, æque esse Tibi gratum, ac qui thure et hecatomba. Quare a tanti nominis ac dignitatis Præsule tenue donarium, neque aliquo dignum nomine, permagni fieri, hoc demum illud est, quod quis jure miretur; ac simul non obscurum indicium, docta simul et pia, qualiacumque ea sint, aliquo in pretio apud Te esse. Quæ quoniam Commentarius hic Cornelianus ambo complectitur, hinc in spem venio, fore ut nullam apud Te repulsam ferat. Hunc ergo placidus admitte, et in eo mei donantis animum, qui quod a dono sperare meo vix ausim, hoc me ab humanitate Tua, benevolentia, et amica clientum omnium complexione consecuturum spero. Et quoniam accepta beneficia marmori, ad perennem eorum memoriam, inscribere nequeo, hinc, quod unum possum, Tuum in Commentarii hujus fronte nomen præfigi et apparere volui, atque in eo aliquatenus meo me officio satis existimabo fecisse. Vale. Antuerpiæ Kal. octobr. anno M. DC. XXXVIII.

Rev. Paternitatis Tuæ

cliens æternum devotus

MARTINUS NUTIUS.

PROŒMIUM

IN LIBRUM KOHELETH [1].

I.

LIBRI INSCRIPTIO.

Liber his verbis inscribitur : *Sermones Koheleth, filii Davidis, regis Hierosolymæ.* Verba hujus inscriptionis extrema, *regis Hierosolymæ*, esse appositionem non ad *Davidis*, sed ad *Koheleth* pertinentem, ex loco I, 12 apparet. Et quia Davidi præter Salomonem filiorum nemo in regno successit, nomine *Koheleth* Salomonem regem significari certum est. Tribuitur vero Salomoni illud nomen nullo alio V. T. loco, sed tantummodo in hoc libro, ut ejus auctori, et quidem, præter inscriptionem, sexies, I, 2, 12; VII, 27; XII, 8, 9, 10. Est igitur nomen Salomonis symbolicum, seu agnomen, quale ex aliquo facto seu eventu accedere solet. Nec obstat forma nominis *Koheleth* feminea, quum et alia virorum nomina terminatione feminea apud Hebræos exstent, ut *Alemeth*, Joaddæ filius (I *Chron.* VIII, 36), *Sophereth* (*Esr.* II, 54), *Phocereth* (*ibid.* 57). Talia nomina forma feminea, significatione masculina, habent et Arabes, v. g. notissimum illud : *Chalifa*, proprie *successor, vicarius.* Cæterum *Koheleth* semel tantum, VII, 28, cum verbo femineo construitur, formæ ratione habita, locis reliquis omnibus ut masculinum tractatur. Quare non necesse est ad *Koheleth* substantivum suppleri, velut חכמה, ita ut Koheleth sit : *Sapientia concionatrix.*

Ut vero cur Salomoni, ut hujus libri auctori, nomen *Koheleth* inditum fuerit, intelligamus, de illius significatu quærendum est. Atque verbum quidem קהל, unde illud nomen derivatur, in forma *niphal* (*kal* non exstat in V. T. libris) *se congregare*, ut *Num.* XVI, 3, 20, etc., et in *hiphil* *congregavit* populum, ut *Num.* I, 7; XX, 8, denotat : unde nomen קהל sæpe obvium *congregationem hominum, cœtum* significat. Hinc ex veteribus Hebræis erant, qui Salomonem, inde quod בהקהל *in concione* verba fecerit, nomen *Koheleth* adeptum esse putarent, quasi *concionatorem* diceres (2). Eadem jam Græci Alexandrini sententia fuit, qui nomen hebræum per Ἐκκλησιαστὴν reddidit, ἀπὸ τοῦ ἐκκλησιάζειν, *a convocando congregandoque* populo, id est *concionatorem*, cujus audiendi causa coeat populus. Hæc D. Hieronymus in Commentario ad *Eccle.* I, 1 : « Ἐκκλησιαστὴς græco sermone appellatur, qui cœtum, id est ecclesiam, congregat, quem nos nuncupare possumus *concionatorem*, eo quod loquatur ad populum, et sermo ejus non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigatur. »

Grotius maluit *Koheleth* συναθροιστὴν interpretari, *collectorem*, scil. sententiarum (3), « ut intelligamus, inquit, redactas in hunc librum varias hominum, qui sapientes apud suos quisque habebantur, opiniones περὶ τῆς εὐδαιμονίας, *de beatitudine*, plane sicut liber Jobi omnes ferme quæ

(1) Dissertatiunculam hanc ex variis Rosenmulleri, Maureri, Herbst, Wette, etc., in hunc librum Proœmiorum fragmentis nos conscripsisse, paucis additis, Lectorem monemus. A. C.

(2) Quorsum afferri potest illud I *Reg.* VII, 1 : « Tunc *congregavit* Solomo seniores Israel, » etc.; et vers. 2 : « Et *congregati sunt* ad Salomonem omnes viri Israel, » in qua congregatione rex bene precatus est *universo cœtui* (vers. 14) Israel. Huc referunt quoque quod II *Parat.* VII, 13, Salomo narratur in atrio templi erigi jussisse *suggestum æneum*, ex quo orans et ad populum loquens, ab omnibus audiri possit.

(3) Eadem videtur Arabici interpretis mens fuisse, qui hunc librum *Liber Collectaneorum* inscripsit, et prima illius verba, quæ græce ῥήματα ἐκκλησιαστοῦ sunt, *dicta collectoris* reddidit.

fuerunt aut esse possunt de divina rerum humanarum gubernatione, aut contra eam, sententias complectitur. » Sed Grotii sententiæ adversatur et illud, quod tam verbum *kahal*, quam nomen *kahâl*, non nisi de *hominibus*, nusquam de rebus dictisve congregatis usurpatum reperitur, et hoc, quod minime variæ de summo bono sententiæ, uti Grotius sibi persuasit, hoc libro continentur; sed auctor suam tantum de summo bono sententiam tradit, eamque pluribus argumentis illustrat confirmatque.

Dœderlein nomen *Koheleth* significatu a cognatis nominibus *kahal* et *kehillah* (Nehem. v, 7), *concionem* notantibus, haud diversum ratus, illo *consessum eruditorum, academiam*, qualem putavit a Salomone conditam fuisse et stabilitam, denotari censuit (1). Præterea hunc librum existimavit ex *actis Academiæ Salomoneæ* a propheta quodam in compendium redactum esse. Sed talem hujus libri originem et appellationis causam a Salomoneæ ætatis rationibus non possumus non prorsus alienam judicare.

Alii nomen *Koheleth* e cognatis Hebraicæ linguis explicare tentarunt. Atque ex Syriaco quidem *kouhlatho, exclamatio, vociferatio*, et *kahleno, locutuleius, verbosus*, Ludovicus de Dieu vocabula *dibre koheleth* interpretatur *verba vocis exclamantis*, eo sensu, addit, quo Joannes dicitur *vox clamantis in deserto*. Quæ sententia quum vix habeat, quo sese commendet, J. J. Schultens collato arabico *kahal, exaruit cutis*, peculiariter *ex multa spirituali exercitatione, hinc squaluit*, quum hisce notionibus cognata sit notio pœnitentiæ, hanc significationem vocabulo *Koheleth* tribuit, vertitque hujus libri inscriptionem, *Verba pœnitentiæ filii Davidis*. Verum cur a *pœnitentia* liber nomen sit nactum, causa apparet nulla, quum auctor sese tanquam eum, quem factorum suorum pœniteret, nusquam in illo prodat. Non est igitur ut nomini hebraico talem significationem assignemus, quæ a constanti radicis *kahal* vocumque ab ea derivatarum apud Hebræos usu tantopere abhorret. Qua ipsa de causa nec probare possumus, quod nomine *Koheleth* alii vel *rerum humanarum pertæsum*, vel *senem* (2) significari volunt. Nos quidem acquiescendum arbitramur in vetustissima illa, quam supra retulimus, sententia, *Koheleth* esse eum *qui coram concione ad se congregata* verba facit, oratorem, publicum sapientiæ doctorem. Quæ appellatio Salomoni regi, quatenus hujus libri auctor perhibetur, quam recte conveniat, argumenti, quod liber tractat, enarratio docebit.

II.

LIBRI ARGUMENTUM.

Ecclesiastæ liber *duabus* potissimum partibus absolvitur, quarum *prior* (cap. I-IV, 16) in demonstranda vanitate rerum mundanarum et humanæ imprimis vitæ versatur, atque pleraque quæ homines moliuntur studia inania et fluxa esse ostendit; *posterior* (cap. IV, 17—XII, 7), quidnam hominibus in hac vita imprimis spectandum studendumque sit docet, regulasque vitæ

(1) « Amant, inquit, in *Scholiis ad libros poeticos V. T.* pag. 170, Orientis viri eruditi conciliabula consessusque privatos, disputationibus, prælectionibus carminum, et poesi extemporaneæ de rebus ad se gentisque suæ facta et decus, ad religionem, ad rerum humanarum sapientiam pertinentibus dicatos; atque hodie adhuc conservant illa instituta, antiquis Arabibus *Macamat* dicta, referente Niebuhrio, *Descript. Arab.* pag. 107. Ex hoc fere genere celebrantur Haririi Consessus, quorum partem Schultensius edidit. » Sed *Consessuum*, qui dicuntur, illorum rationem plane aliam esse constat, quam qualem sibi cogitavit Dœderlein, qualemque sibi formarunt post ipsum viri docti. « *Makamat*, inquit Reiske ad *Abilfedæ Annal.* tom. III, pag. 728, sunt dissertationes, in quibus enarrantur quæ in publicis conventibus, concursibus plebis, dicta factaque fuerunt. Proprie *consistentiæ*, seu concursus populi, coronæ spectatorum et auditorum; ut Græci talium narrationes στοὰς, περιπάτους, συστάσεις, λεσχὰς appellant. *Mokimin* sunt οἱ περιστησάμενοι ὄχλον, plani, impostores, præstigiatores, thaumaturgi, qui populi multitudinem ad se alliciunt. Talis fuit ille Abu-Zeid, quem Haririus in unaquaque dissertatione introducit, alia atque alia et semper diversa ratione imposturæ crumenas auditorum emungentem..... Est ergo hic Haririi liber enarratio factorum, quæ aut revera subiit, aut saltem fingit subiisse suis in itineribus Haririus. »

(2) Ita J. Simonis, qui in *Lex. Hebr.* ex verbi arabici significatione *corrugandi cutem* derivat *senectutis* notionem; quare *Koheleth senem* vertit, addita hac ratione : « Scripsit enim Salomo Ecclesiasten in senectute, idque nominis sub terminatione feminina sibi tribuisse videtur, ad insinuandum animum suum effeminatum, quo senex ad idololatriam a feminis se pellici passus erat, » quod plane ineptum, et nulla refutatione dignum.

Prætermitto alias minus verisimiles sententias, quas recensuit Carpzovius in *Introduct. ad libros V. T.* P. II, pag. 200; recentius vero Umbreit in libro *Coheleth scepticus de summo bono*, pag. 78 et seqq.

recte instituendæ vitiorumque cavendorum ex vitæ humanæ observatione tradit. Additur Epilogus (cap. XII, 8-14), qui et hujus libri usum commendat, et omnis in illo traditæ doctrinæ summam brevi complectitur.

At ut ad singula deveniamus, in cap. I, post libri inscriptionem, proponit Scriptor partis illius prioris argumentum, quod in demonstranda rerum omnium mundanarum vanitate versatur (vers. 2). Primum generatim dicit de laboris et studii humani universi vanitate, quod ex eodem nullum prorsus commodum mortalibus sit constans et perpetuum (vers. 3). Omnino enim in tota hac rerum universitate nihil esse constans et stabile; omnia eumdem per orbem perpetuo circumagi; fugientibus his succedere alia ejusdem generis, ita ut in perpetua hac rerum vicissitudine tamen nihil prodeat quod non antea exstiterit (vers. 4-11). Quibus præfationis loco præmissis, ad tractationem ipsam accedens, auctor se variarum rerum periculum fecisse dicit, ut in quonam, tanquam in vero et constanti bono, animus acquiescere possit, experientia cognosceret. Itaque primum perscrutandis cognoscendisque rebus mundanis humanisque sese dedisse. Quo tamen tantum abfuit, ut animi tranquillitatem sibi conciliaret, ut molestiam potius et sollicitudinem augeret (vers. 12-18).

Cap. II, fatigatus et deceptus per sapientiæ studium, novam tentavit tranquillitatis et beatæ vitæ materiam, *sensuum voluptatem;* nec tamen ea beatum ipsum reddere potuit, quamvis cum sapientiæ studio illam conjunxisset (vers. 1-10). Utriusque enim vanitas consideranti conspicua, quum, quantumcumque præstet sapiens insipienti, mortem tamen nec ipse effugere possit, eumque valde affligere debeat dubitatio, num qui post eum fruituri sint rebus sapienter et magno labore ab ipso partis, easdem rationes secuturi ejusque merita recte æstimaturi sint, nec ne (vers. 12-23)? Accedit, quod ne acquisitio quidem nec usus tam mancorum tamque vanorum bonorum ab ipso homine ejusque studiis, sed a Deo pendeat, qui pro libero sed justo arbitrio suo ea distribuat (24-26).

Cap. III, redit ad ostendendam rerum humanarum vanitatem ex perpetua illarum vicissitudine (vers. 1-9). Quæ vero quum ex sapientissima Dei institutione pendeat, ejus observatio hominem debet eo adducere, ut suæ naturæ imbecillitatem agnoscat, sibique persuadeat, se ad vitam feliciter transigendam nil aliud facere posse, nisi ut gaudeat bonis, quæ possideat, et recte agat (vers. 10-12). Omnia enim habet Dei munere, qui ea pro suo arbitrio impertit, ut reverentiam sui, pietate atque virtute monstrandam excitet (vers. 13, 14). Æqualis autem illa rerum circumactio probat, Deum semper eamdem in regendo orbe immutabilem legem sequi (vers. 15). Tum transit ad aliud quod vanum deprehendit in rebus humanis, quod ubi jus et æquum vigere debuerant, regnet injustitia et iniquitas (vers. 16). Quum itaque in terris talia committi videret, et sæpe a Deo non puniri, subjungit, se animo cogitasse, omnia tandem in judicio suo expensurum Deum (vers. 17). Porro quum hominis tanta sit vanitas, ut ejus conditio a bruto non differat externa facie, suavius vitæ genus quod ineat homo aliud non videt, quam ut tantisper quod vivit, tranquille et hilari mente suis laboribus fruatur (vers. 18-22).

Cap. IV, transit ad alias rerum vanitates et vitæ incommoda exponenda, quæ impediant, quo minus quis sorte sua contentus vivere possit, v. g. tyrannorum injuriæ (vers. 1-3), invidiæ (vers. 4), ignaviæ non minus (vers. 5, 6) quam avaritiæ et solitariæ vitæ damna (vers. 7-12), atque ipsius regiæ majestatis conditio incerta et vanitas (vers. 13-16).

Alteram libri partem, qua docet auctor, quibus modis mederi possimus tot tantisque, quæ in prima parte exposuerat, vitæ incommodis, et tranquille beneque vivendi impedimentis, eo inchoat, ut studium religionis commendet, sed cum hac cautione, ne ei externorum rituum observatione satisfieri existimemus; imprimis dissuadet vota temeraria, quæ sæpe multorum malorum et peccatorum causæ esse possunt (cap. IV, 17—V, 6). Subjungit admonitionem, quæ item ad cultum Dei ejusque reverentiam spectat, ut de ejus providentia propterea non dubitemus, quia innocentes hic opprimi videmus, quasi aut nullum sit numen, aut si sit, mortalia non curet (vers. 7). Quum vero supra hominum varia studia vanitatis plena exposuisset, jam docet, inter omnia vitæ genera, quod homini potissimum deligendum fuerit, et quod non adjunctum habeat peccatum, esse agriculturam (vers. 8), cujus commoda ostendit comparatione instituta cum eorum aviditate, qui magnam nummorum copiam corrodere student, quod quam vanum stultumque sit,

et quot secum trahat incommoda, pluribus argumentis ostendit (vers. 9-14). Hinc repetit et confirmat quod supra II, 24, et III, 13, tanquam unicum malorum hujus vitæ remedium prædicavit, ut quis sorte sua contentus iis quæ labore suo pepererit tranquille fruatur, quod ipsum tamen beneficium divinitus concessum habendum esse dicit (vers. 17-19).

Cap. VI. Redit ad describendam infelicem sortem avari divitis, qui opum, quas Deus ipsi largitus est, usum sibi denegat (vers. 1-6). Omnes homines quum eum in finem laborent, ut vitæ sustentationem sibi acquirant, optime agunt, qui his quæ sibi acquisiverunt etiam utantur ad corpus alendum, quod non facit avarus (vers. 7-9). Vanum est, cum quis præsentibus neglectis alia semper appetit, quum cuique sors sua a summo numine sit decreta (vers. 10), et plura sint, quæ hominis sortem instabilem et fallacem reddant (vers. 11), atque omnino ignoret homo, quid sibi conducat in hac vita, quanto minus igitur novit, quid futurum sit, postquam ex hac vita discesserit (vers. 12).

Cap. VII. Pergit jam in tradendis præceptis, quibus inde a cap. IV, 17, docere incœperat, quibus modis tot tantisque hujus vitæ vanitatibus et incommodis mederi possimus, postquam illa inde a vers. 12 cap. V interruperat longius excurrendo in ostendenda avaritiæ stultitia, usque ad finem cap. VI. Jam igitur abruptam telam repetens, primum bonæ famæ studium suadet (vers. 1). Tum admonet hominem ut considerate et caute se gerat, rerum exitum cogitet, et veritatem magis reputet, quam speciem colat. Parvum tolerare malum ne recuset, si majorum commodorum sit causa, neu quod jucundum sibi videatur avide arripiat, si perniciei ansam det (vers. 2-7). Patiens sit et sua sorte contentus (vers. 8-10). Sapientiæ, tanquam bono cunctis opibus anteferendo, studeat (vers. 11, 12). Rebus secundis sapienter utatur, in adversis in gubernatione Dei acquiescat (vers. 13, 14). Ne in ullius rei studio sit nimius, sed vel in ipsa virtute exercenda prudenter agat, et justum teneat modum (vers. 15-19). Ne omnium rerum rigidus sit censor, propriorum vitiorum memor (vers. 20-24). Caveat ne mulierum illecebris irretiri se sinat, quum muliebris sexus parum ad conducendam sapientiam conducat, neque in illo, quod vel inter viros rarissime existat, sapientiæ atque virtutis perfectum exemplar, ingenium nobile et excellens inveniri possit (vers. 25-28). Quod tamen non Deo crimini dandum est, qui omnia recte disponit, sed ipsorum hominum perversitati atque arrogantiæ (vers. 29).

Cap. VIII. Præmissa denuo sapientiæ laude (vers. 1), nova aliquot prudentiæ præcepta tradit, quæ si quis observet, varia hujus vitæ incommoda et mala æquo animo ferre possit. Et primum quidem commendat obedientiam iis, quibus inter homines principatum Deus commisit, præstandam, et ne tum quidem recusandam, cum princeps potentia sua abusus fuerit. A seditione cives arcere debet vel ipsa prudentia, multo magis reverentia summi Numinis, qua persuasum sibi habeant, non sine Deo malos in meliores dominari, nec tempore ab ipso constituto justam elapsuros ultionem (vers. 2-15), hominem vero nimis hebetem esse, et inscium eorum quæ futura sint, quam ut Dei consilia perspicere possit (vers. 16, 17).

Cap. IX. Pergit ostendere, frustra laborare mortales in administrationis divinæ circa res humanas ratione perscrutanda (vers. 1, 2). Hoc unum certo sciunt, omnibus instare mortem, quæ cunctis studiis et laboribus terminum ponit (vers. 3-6). Id vero incitamentum homini esse debet, ut præsentis vitæ momento cum ad fruenda bona, quæ ipsi concessa sunt, tum ad strenue administranda negotia sua utatur (vers. 7-10). Quamvis vero optimo studio successus sæpius non respondeat, atque omnia fato subjecta esse videantur (vers. 11, 12), non tamen abjiciendum est sapientiæ studium, quum ea sæpissime eximia emolumenta præstet (vers. 13-18).

Cap. X. Pergit in exponendis tum stultitiæ damnis, tum sapientiæ emolumentis, ita ut hæc contraria sibi invicem opposita clarius elucescant (vers. 1-3). Quod maxime conspicuum fit et varia ratione agendi, quam sapiens stultusve observat erga principes, interdum loco sublimi indignos, in quo in subditorum perniciem collocati sunt, et vario utriusque successu. Omnem enim omnino violentiam detestans, qua factis, vel verbis, imo cogitationibus in tyrannos invehatur, summa moderatione sua animique tranquilla firmitate sapiens eorum iram sedat, eorumque favorem sibi conciliat, dum stultus inconsultis suis atque intemperantibus sermonibus seditiosisque machinationibus sibi interitum parat (vers. 4-20).

Cap. XI. 1-6. Prior capitis pars superioribus prudentiæ et circumspectionis præceptis addit quæ-

dari alia. Atque primum quidem hortatur, ut nobis tot homines beneficiis devinciamus, quot possumus (vers. 1-3); deinde ut strenua et provida, nec tamen de eventu nimis anxia sedulitate et industria contra futuras calamitates munimenta nobis paremus (vers. 4-6). Posterior capitis pars cohæret cum cap. ult.

Cap. XI, 7 — XII, 14. Fruendum hortatur hujus vitæ commodis, quandoquidem mors nos omnibus iis, quæ suavia et jucunda censentur, exuit, et hæc ipsa vitæ usura, quæ nobis data est, brevissimi temporis spatio est circumscripta (XI, 7-8). Præsertim invitat juvenes, ut vitam quam jucundissime transigant, quum illud ætatis tempus, quod fruendis vitæ voluptatibus unice accommodum sit, citissime præterlabatur. Ita tamen ut gaudio indulgeant illos monet, ut ne Dei creatoris et futuri judicis obliviscantur, sed senectutis ærumnosæ, cujus elegantissimam descriptionem inserit, et supremi diei memores, voluptates et opera sua timore summi Numinis moderentur (XI, 9 — XII, 8). Reliqua capitis XII pars (vers. 9-14) *epilogum* continet, in quo auctor sapientissimi regis Salomonis, quem loquentem in hoc libro fuisse inductum multi volunt, merita de instructione publica laudat, atque ut summam omnis doctrinæ proponit: Reverentiam Dei studiumque virtutis cum spe remunerationis futuræ.

Conf. H. Kilber, *Analysis Biblica*, tom. II, pag. 143 et seqq.

III.

LIBRI CONSILIUM.

Quo consilio quisquis libri auctor fuerit ad eum conscribendum animum appulerit, varie multumque est disputatum.

Quum quædam inter se pugnantia, prima quidem fronte, in hoc libro deprehendantur, veluti quod VII, 2, *præstare* dicitur ingredi *domum lugubrem quam epularem*, et vers. 3, *præstare tædium risui*, contra III, 12, 13 vero, *nihil melius esse quam lætari et sibi bene facere, quamdiu vivere detur*, et VIII, 15, *nihil homini bonum esse nisi edere, bibere et lætari*; porro quod III, 18 et seqq., auctor se cogitasse dixit, *nullum esse discrimen inter sortem brutorum atque hominum, ambobus pariter moriendum esse, ac minime certum esse, aliter post hanc vitam cum brutis comparatum fore, atque cum hominibus*, ex quo tandem colligit, *id tantum agendum esse, ut vita decurrat læte, festive et hilariter*, contra XI, 9 reputandum esse juveni genio indulgenti, quod factorum suorum omnium tandem Deo rationem sit redditurus: fuerunt, quibus auctor videretur per modum διαλογισμοῦ sermonem miscere cum impio stolidoque voluptatum sectatore, qui temere ferri omnia, unumque et eumdem esse omnium eventuum, stulti et sapientis, hominis et pecudis finem, persuasum sibi habuerit. Similiter Eichhornius, Herderum sequutus, Ecclesiastæ librum dicit ad modum dialogi comparatum esse, quo contineantur mutui sermones et juvenis ingenio fervidioris acriterque continuo invecti in vanitatem et perversitatem omnium rerum, quas observando atque explorando assequutus esset, et doctoris prudentis, longaque multarum rerum experientia subacti, qui animum juvenis mitigaret atque imbueret præceptis salutaribus; cujus doctoris responsionem primam inde a cap. IV, 17 — V, 11, secundam VII, 1-14, tertiam VII, 16-22, quartam VIII, 1-8, quintam IX, 7-10, sextam X, 1-4, septimam X, 8 — XII, 7 comprehendi, reliqua esse quærentis juvenis sive discipuli, præter epilogum XII, 8-14. Sed huic sententiæ vere opposuit Van der Palm, *Ecclesiastes philolog. et crit. illustrat.* pag. 145, responsiones magistri prorsus alienas esse a quæstionibus discipuli, et versari in argumento longissime diverso. Talis incohærentia quum passim cernatur per totum librum, tum evidens ejus exemplum est in prima, quam Eichhornius esse vult, responsione cap. IV, 17—V, 11. Postquam enim per quatuor priora capita discipulus summo affectuum ardore invectus esset contra vanitatem omnium rerum, ut nihil bonum, nihil utile, nihil hominibus in hac vita proficuum esse pronuntiasset, magister, discipulum corrigens scilicet, præcepta tradit *de votorum temeritate*. — Multo minus verisimile est Bergstii sententia (*der Prediger Salomo's*, Hamb. 1799), auctoris hujus libri consilium hoc fuisse, ut certamine instituto inter Hebræum, Sophistarum græcorum disserendi rationi addictum, illorumque more fallacibus conclusiunculis utentem, qui sub Salomonis per-

sona in scenam prodeat, et alium Hebræum de ratione vitæ instituendæ recte sentientem, et antiquo gentis suæ more per sententias docentem, appareat, quantum simplex hic docendi modus nova illa disciplina præstet.— Rhode quoque (*De veterum poetarum sapientia gnomica, Hebræor. imprimis et Græcor.* Havn. 1800) hoc libro fictum Salomonis cum quodam sui ævi vate colloquium contineri putat, in quo *Providentiæ divinæ causa* agatur contra objectiones, quibus humanarum rerum moderamen impetere soleant homines.— Kelle (*Die heilig. Schriften in ihr. Urgestalt*, P. I, pag. 279), qui *Koheleth vulgarem*, scil. sapientiam, interpretatur, id vero est, falsam, quæ summum hominis bonum in fruendis hujus vitæ voluptatibus poneret, ejus defensorem et patronum Salomonem hoc libro introduci existimat, qui a vetere sapientiæ studioso et doctore refutetur.—Enimvero quicumque præconceptis opinionibus vacuus ad legendum hunc librum accedit, hunc putaverim nulla in eo dialogismi, aut duorum in contrariam partem argumenta referentis vestigia reperturum esse. Continuus per totum librum sermo habetur, qui etsi abrumpitur sæpe, transitu facto ad aliam disserendi materiam, nunquam tamen ab alio intercipitur; neque tanta est conceptuum dissimilitudo, quæ aliena sit ab unius auctoris persona. Quæ vero inter se pugnare videntur, supra memorata, ea, si diligentius et propius inspiciantur, bene inter se convenire, suis locis videbimus.

Neque tamen qui agnoscunt, loqui in hoc libro unum eumdemque auctorem, suas duntaxat ipsius, non plurium sententias exponentem, consentiunt in definiendo auctoris consilio. Desvœux (*Philosophical and critical Essay on Ecclesiastes*, p. 79) *vitæ post mortem futuræ spem* hoc libro auctorem confirmare voluisse existimat rationibus ductis a natura rei et ab experientia. Atque hoc effici putat *tribus* propositionibus, quarum *prima* est : non sufficere hominum studia et labores ad eam felicitatem obtinendam, quæ animum contentum reddat, et in qua prorsus acquiescant; *tum :* bona hujus vitæ, quæ homines multo labore sibi comparaverint, eorum felicitatem adeo non absolvere, ut vel maxime eos prohibeant ab animi quiete et tranquillitate; *denique :* homines ignorare, quid ipsis vere prosit, quippe vel nesciunt, vel parum curant, quid sibi post mortem eventurum sit. Jam porro singulis hisce propositionibus Desvœux aliam subjungit, quæ ipsi videtur ad axiomata hujus ætatis pertinere, videlicet, res humanas regi ab Ente sapientissimo, quod quum summe potens sit et infinite perfectum, tum nihil agere possit, quod his perfectionibus repugnet. Hanc igitur propositionem, tanquam *minorem*, applicando ad singulas illas priores, triplicem inde conclusionem effici statuit, pro immortalitate mentis. Hanc tamen, quæ auctori nostri libri tribuitur, argumentationem, justo subtiliorem et artificiosiorem esse quisque sponte intelliget.—Alii sapientem bonorum hujus vitæ usum hoc libro commendari volunt (1). Quod etsi ad consilium auctoris pertinere negari non potest, tamen non pro unico illius aut palmari fine habendum est.— Idem valet in J. E. C. Schmidtii sententiam, doceri hoc libro, omnem animi, ingenii, virium, nimiam contentionem vitandam, sed modum in rebus tenendum esse (2). —Hebræi philosophi in hoc libro conscribendo studium in eo versatum esse, ut argumentis ab experientia deductis probaret, mortalem in hac vita nunquam obtinere posse summum bonum, statuit Umbreit (*Coheleth scepticus de summo bono*, p. 35 seqq.). Sane quæstionem de summo bono in hoc libro tractari, dubitari nequit; verum si auctor nil aliud demonstrare voluisset nisi hoc, non datum esse mortalibus, summum bonum in hac vita assequi, id vix dignum videtur, in quo tantum operæ consumeret. Sed plus esse, quod nos edocere vellet auctor, posterior libri pars arguit cujus argumentum supra indicavimus.—Novam plane de hujus libri consilio sententiam protulit Kaiser (*Koheleth, das Collectivum der Davidischen Könige in Jerusalem*, etc.), poema historico-

(1) Jahn, *Introduct. in libros sacros V. T.* pag. 428 : « Auctor vanitatem et molestiam rerum humanarum non magis ac hilarem vitæ usum spectavit; unde apparet, reprimere voluisse inquietam hominum contentionem, quæ in corradendas divitias, conquirendas voluptates et adipiscendos plausus, præcipites feruntur; monere tamen simul, ne innocua oblectamenta, etsi fluxa et fugacia, sibi prorsus denegent, et vitam sibi molestiorem reddant. » Similiter Zirkel (*Untersuchungen über den Prediger*, pag. 78 et seqq.) auctorem vitam hilariter transigendi et molestias, quantum fieri possit, evitandi artem docere voluisse censet, respectu habito ad Pharisæorum et Sadducæorum placita, ita ut mediam quamdam inter utriusque sectæ disciplinam tenendam ostenderet. Eam sententiam diligenter examinavit et refellit J. C. E. Schmidt in libro nota proxima laudando, pag. 306 et seqq.

(2) *Salomo's Prediger, oder Koheleth's Lehren*, pag. 23. Præterea hunc librum judicat non solum ex pluribus partibus diverso tempore scriptis constare, verum et opus esse non plane elaboratum, nec ab auctore ad finem perductum. Sed neutrum horum argumentis idoneis sumi ostendit Umbreit in libro statim laudando, pag. 50 et seqq.

didacticum illum esse ratus, quo regum Judæorum a Salomone ad Sedeciam mores et instituta recte designentur et perstringantur, eo fine, ut quænam causæ regno Judaico interitum attulerint, doceatur. Quam suam sententiam multo ille ingenii acumine atque eruditionis apparatu exposuit et illustravit. Verum ut illam nostram faciamus, illud potissimum nos prohibet, quod Ecclesiastis auctor ne levissimo quidem nutu lectores suos de tali suo consilio monuit; certe mentem suam modo antea inaudito, querelarum de rerum humanarum vanitate, et sententiarum moralium involucro occultasset, quod vix acutissimus eorum, quibus scripsit, perspicere potuisset. — Restat Ewaldi sententia (ad calcem Commentarii in Cantic. Canticorum), qui librum hunc illa ætate scriptum judicat, qua Palæstina provincia Persica facta, Judæisque violentorum præfectorum sævitia oppressis, eorum alii vitæ pertæsi nil eorum, quæ homines fere expetunt, quicquam æstimarent; alii sibi desperati in quascumque voluptates sese ingurgitarent; alii denique aperte in suos oppressores invecti, eorum animos magis adhuc adversus se exasperarent. Tali igitur tempore visum esse auctori hunc librum concinnare, quo suos populares moneret, ut præsentia mala æquo animo perferant, in loquendo cauti et circumspecti sint, ante omnia vero Deum revereantur, quem cogitent omnia in judicium adducturum, tandemque ex æquo compositurum esse; præterea hortari auctorem suos, ne suo mœrori succumbant, sed præsentibus quæ Deus concesserit bonis hilari grataque in Deum mente, dum liceret, utantur. Verum quod Ecclesiastes de injustis magistratibus innocuos opprimentibus passim queritur (ut cap. III, 16; IV, 1; V, 7), nequaquam est argumento, Palæstinenses Judæos illo quo liber scriptus est tempore ad eam miseriam redactos fuisse, qualem sibi fingit Ewaldus, quaque ad talem librum conscribendum compulsum auctorem opinatur. Argumentum libri est generale, nec ad certum aliquod tempus spectat.

Nostra (Rosenmulleri) sententia omnis illa, quæ priori libri parte (cap. I-IV, 16) continetur de rerum omnium mundanarum vanitate disputatio eum in finem est instituta, ut demonstraret auctor, summum hominis bonum nequaquam situm iis in rebus esse, quibus homines vulgo se beatos fieri opinantur, non in curiosa vanaque scientia, non in voluptatibus et luxu, non in honore, fama et dignitate, non in potentia et robore, non in corporis forma, congestisve in immensum thesauris. Tum vero docet, summum bonum homini in eo ponendum esse, cum ut vita præsente animo tranquillo suaque sorte contento fruatur, tum ut pietati et virtuti studeat, quo propitium sibi reddat summum numen. Hunc in finem ostendit, quid homini sectandum, quid fugiendum sit. Subjungit igitur singulas vitæ, ad normam duplicis istius præcepti recte instituendæ, regulas, quæ, ex ipso haustæ, ad varias vitæ conditiones applicantur (1). Hoc partium

(1) Bene Grotius ad cap. XII, 8 : « Redit scriptor ad id unde initium fecerat, evolutisque opinionibus omnibus, quæ homini in mentem venire possunt, ait cæteris quidem rebus uti nos posse cum modo; eum autem beati nomen, quatenus hæc vita capit, mereri, qui in omnibus id agit, ut Deo placeat : in eo enim esse summam tam sapientiæ quam tranquillitatis. Θεῷ ἕπου, *Deum sequere*, dicebant Pythagorici. » Cf. Rud. Henzii, theologi Dorpatensis immatura morte bonis litteris nuper erepti, Programma, quod inscribitur : *Libri Ecclesiastæ argumenti brevis adumbratio*, Dorpat. 1827. — Hæc Herbst et Welte in sua *Historisch-krit. Einleitung*, etc. quæ, quia quæ legantur haud indigna, gallice transtulimus :

Trois pensées principales remplissent et pénètrent le livre de l'Ecclésiaste. Voici la première : Sur la terre tout est livré à un perpétuel mouvement, tout est fugitif, périssable, et par là même *imparfait :* ce qui s'applique non-seulement aux choses qui dépassent le pouvoir de l'homme, comme les révolutions de la nature, mais encore à celles qui sont soumises à sa puissance, telles que la possession des biens immatériels et matériels, la science et la richesse, toutes deux imparfaites et périssables. La deuxième pensée principale est celle-ci : Au milieu de cette perpétuelle vicissitude de toutes choses, le mieux pour l'homme est de jouir en paix, aussi longtemps qu'il le peut, des biens de cette vie. La troisième : Les biens de cette vie viennent de Dieu; ainsi, il faut les considérer et en jouir comme de bienfaits divins : donc que l'homme craigne Dieu et observe sa loi.

On voit par ce simple exposé que la partie théorique du livre n'est pas ce que l'auteur a principalement envue; il ne se propose ni de développer une thèse sur la fragilité des choses terrestres, ni, comme Young dans ses *Nuits*, d'exhaler les plaintes d'une âme découragée à la vue de tout ce qui arrive ici-bas; son dessein est de nous apprendre ce que l'homme, au milieu de l'inconstance et de la fragilité qui l'entoure, doit saisir, ce à quoi il doit s'attacher pour atteindre le but de son existence. Nous avons donc dans le Koheleth la philosophie pratique d'un Hébreu, comme nous la trouvons dans les œuvres des plus grands poètes de l'Orient, d'un Hafis, par exemple, ou d'un Saadi, et dans le beau livre de Cicéron *De Senectute;* philosophie pratique qui se résume dans cette maxime : Puisque tout sous le soleil est fugitif, périssable et imparfait, jouis en paix du présent, avant que la mort n'arrive. Mais elle se distingue essentiellement de celle des auteurs que nous venons de citer, non-seulement par le sentiment moral plus pur et plus élevé qui la pénètre, mais encore en ce qu'elle ramène l'homme, dont rien ici-bas ne peut procurer le bonheur, à Dieu, source de toute consolation et de toute paix.

..... Ce livre renferme-t-il des assertions mal sonnantes et contraires à la morale, comme certains rationalistes l'ont avancé ? Nullement. L'auteur part de cette hypothèse : L'homme est mis au monde pour le bonheur; il peut

libri nexu et consilio constituto illius initium atque extrema, quibus totius operis summa paucis comprehenditur, aptissime sibi respondebunt.

IV.

LIBRI ÆTAS ET AUCTOR.

«De auctore libri litigantem habemus Grotium, qui putat sub Salomonis resipiscentis nomine, post Babylonicam migrationem esse confictum. Audax criticorum genus, spreta Hebræorum,

donc et il doit s'efforcer de l'atteindre. Mais où, comment, en quoi doit-il le chercher? Sur la terre, car ce qui est au-delà, il l'ignore. Or, sur la terre rien ne subsiste, tout s'enfuit et disparaît, comme l'attestent les plaintes d'un grand homme des siècles passés (Moyse, *Ps.* XC). Est-ce la science qui donnera le bonheur? Mais le labeur et les soucis l'accompagnent, et la gloire qu'elle procure est vaine, car le sage est oublié comme l'insensé. Il ne reste donc rien à quoi l'homme puisse s'attacher, si ce n'est les biens de la terre : qu'il en jouisse, puisque Dieu les lui offre et les destine à son usage. Où est le scandale de cette doctrine? Quoi donc? quand nous voyons les Prophètes dans leurs exhortations, depuis Moyse jusqu'à Malachie, promettre l'abondance des biens de la terre comme une récompense de l'observation de la loi divine, quand les chantres inspirés du peuple hébreu, dans leurs cantiques, ne cessent de demander à Dieu des bénédictions terrestres, nous serions étonnés d'entendre un écrivain sacré qui dit : Jouissez de ces biens; car Dieu les a mis devant vous. Ce conseil est parfaitement en harmonie avec l'idée du bonheur, telle qu'on la trouve dans la loi mosaïque; il a pu être donné à toutes les époques de l'Ancien-Testament, et il n'est pas nécessaire, comme quelques-uns l'ont fait, de recourir à une période de décadence, où la foi et le spiritualisme auraient dégénéré, pour s'expliquer les doctrines du livre de l'Ecclésiaste.

Deinde, de libri stylo et conformatione iidem ibid. *ita disserunt :*

Le genre de composition, simple et sans art, est tel que le comporte la nature du sujet, c'est-à-dire, une suite de réflexions sur la marche des choses du monde. Assurément l'unité règne dans ce livre; mas il ne faut pas attendre du Koheleth une marche régulière et méthodique dans l'exposition des idées, une logique irréprochable dans le développement de la thèse principale : ce sont des qualités étrangères, en général, aux écrivains de l'Orient. Ainsi on trouvera çà et là, dans l'Ecclésiaste, des réflexions qui n'ont aucun rapport, ou un rapport très-éloigné avec le sujet, des maximes qui ne semblent devoir qu'au hasard la place qu'elles occupent, des exhortations qu'au premier coup-d'œil on serait tenté d'attribuer à un adversaire du Koheleth. Quelques interprètes en ont même conclu que deux interlocuteurs prenaient tour-à-tour la parole dans ce livre. Mais cette assertion tombe devant un examen plus attentif : une seule bouche se fait entendre, sans interruption, d'un bout à l'autre de l'Ecclésiaste, et cette bouche c'est une seule et même pensée qui l'inspire. Seulement la voix, d'abord lugubre et indignée, s'adoucit peu à peu, passe, pour ainsi dire, à un mode plus joyeux. Il semble que le Sage se sente soulagé quand il a exhalé ses plaintes sur la vanité des choses de la terre, et trouvé enfin quelque chose qu'il puisse offrir aux hommes comme une consolation dans leur misère. Le courroux de la mer où il se voyait jeté paraît se calmer; les vagues qui menaçaient de l'engloutir perdent leur épouvante, dès qu'il a saisi une planche sur laquelle il pourra sans péril atteindre le rivage. Cet espoir dissipe le sombre nuage qui arrêtait son regard, et la sagesse lui apparaît de nouveau dans sa douce splendeur comme la consolatrice et la bienfaitrice de l'humanité; déchargé du poids de sa tristesse, il se sent capable de tracer de sages règles de vie dont l'observation ennoblit, sanctifie et assure la jouissance des biens présents, jouissance qu'il recommande. Mais ce bonheur lui-même est soumis à la loi commune de toutes les choses d'ici-bas : il passe et s'évanouit; de là de nouvelles plaintes sur le sort de l'humanité, jusqu'à ce qu'enfin il arrive à cette recommandation qui ferme et résume le livre : « Crains Dieu et observe ses commandements. »

Hæc quoque Haneberg de libri consilio.

L'Ecclésiaste veut montrer le vrai chemin du bonheur en dehors des voies erronées suivies par la foule. Tout le mécontentement des hommes vient de leurs efforts, soit pour posséder ce qu'ils ne peuvent acquérir, soit pour fuir ce qu'ils ne peuvent éviter. Un orgueilleux désir de scruter les causes des choses, une avidité insatiable pour les biens extérieurs qui sont incertains, telle est la source principale de leur agitation. Ajoutez-y une crainte immodérée de la mort. Dans toute cette agitation l'homme méconnaît ce qu'il est en face de Dieu et de la nature; il se demène trop, il prend trop de libertés dans ce monde. L'œuvre de Dieu dans la nature domine, écrase sa petitesse : telle est la puissance de cette œuvre gigantesque, que devant elle il oublie facilement son immortalité. En tout cas, quand son tour de mourir arrive, il n'a pas à regimber, car il voit que tout autour de lui est soumis à la même loi : naître et mourir. Il ne saisit pas l'ensemble des choses, bien moins encore il le domine : à quoi bon se tourmenter systématiquement? Vouloir thésauriser et conserver quoi que ce soit de durable, est une folie, puisque le destin de toutes choses est de paraître et disparaître. — Il n'y a de durable que ce qui se rapporte à Dieu, de sensé qu'une vie réglée par la crainte de Dieu. Jouir de la vie en craignant Dieu vaut mieux que les plus hautes spéculations, que les rêves les plus séduisants sur les mystères du monde. Que ta pensée déploie son essor, et tu pourras à peine obtenir un aperçu superficiel du monde, encore moins le posséder, et te reposer dans cette possession; au contraire, si tu jouis de la vie en craignant Dieu, tu goûteras les fruits, passagers il est vrai, mais réels de cette vie fugitive.

La condition indispensable du bonheur est la soumission aux desseins de Dieu : autant la jouissance des bien terrestres peut s'allier à cette soumission envers Dieu, autant l'homme retire de satisfaction du monde extérieur.

A ce point de vue, ce petit livre est plein d'enseignements précieux. Il humilie et relève l'homme à la fois : il l'humilie par les preuves de son impuissance en face du monde qui le domine; il le relève en lui rappelant ses rapports avec Dieu. C'est Dieu qui préside à ce mouvement perpétuel de la vie et de la mort : dès lors il n'est plus triste pour l'homme de payer par la mort son tribut à cette loi de corruption. Aussi la voix de l'Ecclésiaste devient-elle plus éloquente quand il peint la vieillesse comme l'entrée dans la mort, et de la mort dans l'immortalité : « Lorsque le cordon d'argent (le souffle de la vie) se rompt; lorsque la fiole d'or se brise, et que la roue éclate sur la citerne, — alors la poussière rentre dans la terre d'où elle est tirée, et l'esprit retourne vers Dieu qui l'avait donné, » chap. XII, vers. 6, 7. *Geschichte der biblischen Offenbarung*, edit. 2. P. V, cap. IV, § 32.

Christianorumque omnium traditione cum antiquissimis inscriptionibus, quæ veræ criticæ norma est; omnia ex palato suo æstimat, neque quidquam pensi habet, dummodo acutius sapere atque intelligere videatur. Placuit autem Grotio, eo quod in Ecclesiaste quædam chaldaica legantur vocabula, talem esse stylum, qualis in Daniele et Esdra, post migrationem, invenitur Chaldæo Hebræoque mixtus. At profecto nil tale deprehendunt, qui earum rerum gustum habent exquisitissimum; neque aliud in Ecclesiaste sapiunt, quam in puris putisque Hebræis, atque etiam in aliis Salomonicis. Sunt sane hic chaldaica, sed paucissima, quorum pars ab antiquis interpretibus memorata, et suo loco notanda; neque multa hujusmodi adduxit Grotius, quantumvis harum rerum curiosus indagator, neque prætermissurus quæ eruditionem commendarent; ac si plura essent, notum inter affines ejusdem fere ingenii linguas multa vocabula solere esse communia, vulgatumque elegantissimis auctoribus, præsertim in eruditis scriptis, quale istud est, ex peregrinis linguis aliquid inspergere. Neque necesse pluribus refellere eam, quam nemo secutus sit, sententiam. » Hæc Bossuetus noster in *Præfat. in Ecclesiasten.*

At hodierni interpretes, non modo e Rationalistarum grege, sed etiam inter Catholicos multi, Grotii sententiam sequuntur, Ecclesiastenque Salomoni abjudicant. Quam litem Lectori dijudicandum relinquemus, rationes tamen hinc inde allatas paucis producturi.

Negantium rationes. Prima est libri *argumentum*. Nam inveniuntur in libro res, quæ neque ad Salomonem, neque ad tempus, quo hic vixit, referri possunt. Primum a Salomone, qui per totum regni sui tempus summa felicitate fruebatur, hoc, quod is de rerum mundanarum studiorumque omnium suorum vanitate queritur, alienum est. Deinde ad Salomonem, quem judicem justum et severum fuisse constat, id referri nequit, quod in civitate jus violari et injuriæ fieri dicuntur (III, 17; IV, 1; V, 7), et quod homines stulti et indigni summis honoribus funguntur, digni vero negliguntur et contemnuntur (X, 5-7). Neque in Salomonem, ante quem *unus* tantum Hierosolymæ regnavit, id cadit, quod is se majorem sapientiam et plus opum, quam *omnes*, qui ante se Hierosolymæ regnaverint, comparasse dicit (I, 16; II, 7-9). Præterea loci IV, 17; VII, 26-28; X, 16, 20 et alii ad eum apte pertinere non possunt. Secunda est *sermonis indoles serior et aramaïca*. « Si quis, ait Rosenmüllerus, a perlecto Proverbiorum syntagmate, cujus certe magna pars Salomonicis temporibus scripta est, et Salomonis quoque ipsius sententias continet, ad Ecclesiasten legendum procedit, is tantum inter utrumque librum discriminis quoad sermonem, stylum, ingenium deprehendet, ut non tantum diversi auctoris, verum et diversæ ætatis utrumque opus non possit non agnoscere. Quum enim in Proverbiis stylus sit concisus et sententiosus, atque sermo pure hebraicus, in hoc libro dictio est plerumque plana, humilis, laxa et dissoluta, sermo vero magis ad Aramaicum vergit, quam in ullo alio V. T. libro. Neque enim unum tantum aut alterum vocabulum Chaldaicum, unam aut alteram formam Chaldaicam in illo deprehendimus, sed est totius libri color Aramaicus. Multæ reperiuntur voces Aramaico scriptæ more (1); multa leguntur vocabula serioribus tantummodo V. T. libris, qui Chaldaismis referti sunt, Chaldæisque interpretibus propria (2); syntaxis et verborum constructio sæpe est Aramaica (3). Talia quis credat esse Salomonis? cujus ætate lingua hebraica nondum eas contraxerat labes, quibus postea crebro Hebræorum cum Aramæis commercio adspersa est. Videntur quidem qui Ecclesiasten Salomoni vindicare student, probabilem sibi rationem reperisse Chaldaici illius coloris, quem in hoc

(1) Ita cap. IV, 14, בית הסורים pro בית האסורים *domus vinctorum*, aleph eliso; cap. VIII, 1, ישנא pro ישונה *immutabitur*; cap. X, 4, מרפא pro מרפה *lenitas*.

(2) Talia sunt רעות significatione *studii* cap. I, 14; II, 1, 7, 26; IV, 4, 6; et רעיון eodem significatu, cap. I, 17; IV, 16; כבר *jam, dudum* cap. I, 10; II, 12, 16; III, 15; IV, 2; VI, 10; IX, 6, 7; תכן *rectus fuit* cap. I, 15; VII, 13; XII, 9; כשרון *successus prosper, commodum* cap. II, 21; IV, 4; V, 10; כשר *rectus fuit* cap. XI, 6; תכשיר *fortunavit* cap. X, 10; ריעון *cogitatio, studium* cap. I, 17; II, 22; IV, 15; זמן *tempus statutum* cap. III, 1; חפץ significatione *negotii* cap. III, 17; V, 7, 8; VIII, 6; תקיף *robustus* cap. VI, 10; חשבון *ratio, intelligentia* cap. VII, 25, 27; IX, 10, השבון *machinatio* cap. VII, 29; בכן *sic* cap. VIII, 10; פשר *explicatio* cap. VIII, 1; מסכן *pauper* cap. IX, 15, 16; גומץ *fossa* cap. X, 8; בטל *cessavit, feriatus est* cap. XII, 3; אביונה *bacca capparis* cap. XII, 5. Huc referendus est et notæ relationis ש sequente dagesch forti vocibus præmissæ, ut Syrorum *daleth*, Chaldæorum ד', pro אשר, usus longe frequentior in hoc quam in ullo alio V. T. libro. Conf. Gesenii *Geschichte der hebr. Sprache und Schrift*, pag. 36.

(3) Eo pertinet usus participii pro tempore præsente, cap. I, 4-8; II, 14-19; III, 9, 20; VIII, 14; IX, 5; et frequens pronominis אני post primam personam verbi finiti redundantia, ut cap. II, 12, 13, 14, 15, 20; III, 15; IV, 2, 4, 7; V, 17; VIII, 25.

libro agnoscunt ipsi. Salomonem, dicunt, quum esset philosophiæ sua ætate omnium peritissimus, haud exiguam ejus partem procul dubio accepisse a Chaldæis, qui quidem in hac doctrina principes et essent et haberentur. In lingua igitur Chaldæorum exercitato, horumque doctrina imbuto adeo non improbabile esse plures voces chaldaicas observatas esse, quas ad usum hebraicum transferret. Sed hæc quis non videt ad tuendam infirmam causam parum probabiliter excogitata esse? Chaldæorum sapientiam plura demum post Salomonem sæcula inclaruisse, illamque non ad culturam meliclnamque animi, non ad officii et bene vivendi disciplinam, sed ad observationes siderum et inde deductas divinationes et arcanas artes pertinuisse, quis nescit? Sed multo adhuc minus quam Chaldaica Salomonem credibile est usurpasse vocabula Persica, qualia sunt פרדסים *horti* (II, 5) et פתגם *decretum* (VIII, 11) (1), in aliis indubie serioribus V. T. libris duntaxat obvia (2). Quæ quum ita sint, haud veremur longe aberrare a vero, si librum hunc illo temporis spatio, quod Nehemiam inter et Alexandrum Magnum intercessit, scriptum judicamus (3). — Quod auctor Salomonis personam induit, artis est et ingenii haud mediocris. Nam earum quæ de rerum mundanarum vanitate disserit, vis omnis nititur experientia illius, cui sermo tribuitur. Quisnam vero præter Salomonem certo affirmare potuit in potestate amplissima, insigni decore ac splendore, et conjuncta cum his omnibus rerum utilissimarum scientia plusquam humana, in his igitur tantis rebus sese veram animi tranquillitatem, summumque quod expeteret bonum frustra quæsivisse? Tantus igitur rex, quo sapientiorem Hebræi noverunt nullum, quæ docet ad vitam sapienter instituendam, ut quam maxime agatur tranquilla et beata, multo in animos lectorum validiora esse oportet, quam quæ alius quisque de iisdem rebus proferret (4). »

Affirmantium rationes. Reponunt, qui Salomoni Ecclesiasten vindicant, *primo*, traditionem, unanimem præsertim atque antiquissimam cum Judæorum tum Christianorum, non esse levi conjectura relinquendam. *Secundo*, epilogus (cap. XII, 9-14) bene intelligitur, quin, ut vult Pareau, ponatur, scriptorem voluisse se ab eo, Salomone scilicet, cujus personam induerat, distinguere; nam planior videtur interpretatio communis, juxta quam Koheleth de se in tertia persona loquitur, ut non semel alias, v. g. cap. I, vers. 2; VII, 27. *Tertio*, quod auctor loquitur de injustis magistratibus innocuos opprimentibus, de violentorum præfectorum sævitia, etc., nequaquam argumento est, Judæos eo tempore quo liber scriptus est, ad eam miseriam redactos fuisse; libri enim argumentum est generale, nec ad certum duntaxat aliquod tempus, ut ipsemet fatetur Rosenmullerus, spectat. Et si daretur hujusmodi facinoribus et miseriis ad talem librum conscribendum compulsum fuisse auctorem, quis nescit talia singulis ætatibus deprehendi posse? v. g. Semei Davidi maledicit, rebellat Absalom, contra Salomonem ipsum *levat manum suam* Jeroboam, idem mortuo Salomone decem tribus suas in partes trahit, etc., etc. Igitur, ut facile demus loca ab adversariis allata bene referri *posse* ad tempora post exsilium elapsa, unde non sequitur ea *revera* ad id temporis *necessario* referenda esse. *Quarto* denique, quod in sermone Ecclesiastis singulare est, puta multarum vocum Aramaicus color et forma Chaldæis interpreti-

(1) Van der Palm ut rationem reddat, qua Salomoni vocabula Persica innotescere potuerint, eo confugit, ut dicat, fieri potuisse, ut in mulierum peregrinarum, quas in gynæceo suo Salomo habuit, numero (I *Reg.* XI, 1), vel plures vel una saltem fuerit, quæ sive natione esse Persica, sive ex tali gente oriunda, cujus lingua conveniret cum Persarum idiomate, a quo proinde Salomo illa vocabula potuerit accipere atque in linguam Hebraicam transferre.

(2) Græcismos in hoc libro reperire sibi visus est Zirkel in *den Untersuchungen über den Prediger*, pag. 46 et seqq., et ex illis conficere studuit, Ecclesiasten Antiochi Epiphanis temporibus scriptum esse. Sed quæ Zirkel pro græcismis habet, e serioris Hebraismi indole illustravit Eichhorn in *der allgem. Bibliothek der bibl. Literatur.* part. IV, pag. 904 et seqq. Adde J. E. C. Schmidtii Excurs. III ad suam Ecclesiastis interpretationem, pag. 279 et seqq.

(3) Ante exsilium Babylonicum, dum Hebræi suæ gentis regibus parerent, librum compositum esse, concludit J. E. C. Schmidt in Excursu III ad suam Ecclesiastis interpretationem, pag. 254 et seqq., potissimum e locis cap. VIII, 2; X, 4-15. Sed argumenta admodum levia facili negotio diluit Berthold *Einleit.* P. V, p. 1218 et seqq.; imo Herbst, in sua *Einleit.* ad h. l., ea retorquet adversus Schmidtium, dicendo, tales monitiones, quales locis citatis habentur, tum potius aptas fuisse, quum Israelitæ extraneis regibus parerent.

(4) Vere judicat J. N. Pareau in *Institut. Interpret. V. T.* pag. 569 : « Erat autem istud artificium et ab omni fraudis consilio alienum, et vero maxime laudabile. Ipse enim scriptor, si quid videmus, se ab eo, cujus personam sumpserat, distinguere voluit in libri clausula cap. XII, 9-14. Celebratissima vero erat Salomonis sapientia, quem ergo si ille quasi vivis restitutum induceret loquentem, merito sperare poterat, fore ut tanti nominis claritas et auctoritas multo esset ad persuadendum efficacior, quam si ipse suo nomine loqueretur. » Haud absimili usus artificio Cicero in libro *De Senectute* loquentem Catonem inducit; S. Petrum vero Apostolum, Stephanus II Pontifex in sua ad Pipinum regem *S. Petri Epistola*.

bus propria, id fatemur in multis serioribus V. T. libris reperiri, non tamen in omnibus, v. g. in Aggæo et Malachia; et in antiquioribus certe, ut in Deboræ cantico, easdem, rarius licet, chaldaicas formas etiam deprehendi fateantur necesse est. Quod pertinet ad frequentiorem participii pro tempore præsente in Ecclesiaste usum, hujusmodi usus hæc haud inepta assignatur ratio, quod is libri argumento et tractationi bene convenit, in quo nempe de rebus agitur eodem ordine usque recurrentibus, variaque memorantur facta quæ hisce in terris sibi semper succedere experientia docet. Vocabula quædam Hebraicæ linguæ aliena, Persica videlicet, quæ in hoc libro reperiuntur, in Hebræorum usum non ante Nehemiam venisse, confidentius, ne dicam temere, asserunt, nam pauciora supersunt scripta monumenta, ut hujusmodi affirmatio omni dubio careat. Et vetus traditio exstat, quæ non uno S. Scripturæ loco comprobari posset, Salomonem inter et vicinos Palæstinæ reges, v. g. Hiram regem Tyriorum, fuisse commercium, non epistolarum, sed ænigmatum, quo quisque sapientiam suam commendaret; imo ab antiquo tradunt Syri, ut narrat Jacobus Edessenus (sæc. VIII scriptor), Ecclesiasten ideo a Salomone fuisse exaratum, ut Syriæ incolas ad Jehovæ cultum adsciscerent; Syros revera multos idola sua abjecisse, et Jehovam templo cultuque observasse: quæ traditiones, licet non prorsus indubiæ, adversariorum argumentum ex sermonis indole petitum saltem labefactant. Cæterum omnino antiquorum V. T. librorum nullum Chaldaismis carere, ita ut illi soli non valeant ad librum in quo occurrunt seriori ætati adjudicandum, plane ostendit Lud. Hirzel in Commentat. *De Chaldaismi biblici origine et auctoritate critica*, Lips. 1830. Quod abunde arguit mira interpretum in assignanda ex criteriis mere internis singulorum S. Scripturæ librorum ætate discrepantia : sic v. g. ex Cantici conformatione et sermone Rosenmullerus conficit, illius auctorem auctori libri Koheleth coævum fuisse (scil. vixisse Nehemiam inter et Alexandrum Magnum), quum tamen Ewaldus Canticum circiter annum 920 ante Christum natum scriptum opinatur.

Præter eos quos citat Cornelius noster, Ecclesiastæ illustrando recentius operam navarunt hi, caute tamen legendi, utpote ad Protestantium sectam scholamve Rationalistarum pertinentes :

Mart. Geier, *Commentarius in Salomonis, regis Israel, Ecclesiasten succinctus*, etc. Lips. 1647, 1668, 1711.

Sebast. Schmidt, *Commentarius in librum Salomonis, regis, Ebraice Koheleth*, etc. Argentorat. 1691, in-4°.

J. J. Rambach, *Notæ uberiores in Ecclesiasten Salomonis;* ex recensione J. H. Michaelis, in *Annotat. uberior. in Hagiographos V. T. libros,* ab eodem edit. vol. II. Hal. 1720, in-4°.

A. V. Desvœux, *Philosophical and critical Essay on Ecclesiastes,* Lond. 1760.

J. H. Van der Palm, *Ecclesiastes philologice et critice illustratus.* Lugd. Batav. 1784, in-4°.

J. Christoph. Dœderlein, *Salomons Prediger und Hohes Lied mit kurzen erläuternden Anmerkungen.* Jena 1784.

G. Zirkel, *Der Prediger Salomon, ein Lesebuch fur den jungen Weltburger*, etc. Würzb. 1792. Et ejusdem auctoris *Untersuchungen über den Prediger mit kritischen und philologischen Bemerkungen.* Wurzb. 1792.

Fr. Wilh. Carl. Umbreit, *Koheleths des weisen Königs Seelenkampf, oder philosophische Betrachtungen über das höchste Gut*, etc. Gotha 1818. Adde ejusdem auctoris *Koheleth scepticus de summo bono, Commentatio philosophico-critica.* Gotting. 1820.

Rosenmulleri *in librum Koheleth Scholia* (Lips. 1830) Ecclesiastis mentem et nexum egregie tradunt.

COMMENTARIA

IN ECCLESIASTEN.

ARGUMENTUM.

Tria hic de more paucis præmittenda sunt: *primum*, quæ et quanta sit libri auctoritas, ac quis auctor; *secundum*, quæ ejus materia, quæ methodus, quis finis et scopus; *tertium*, quæ ejus partitio, quot membra et partes.

Ecclesiastes protocanonicus.

Quæritur ergo, *primo*, quæ et quanta hujus libri sit auctoritas, quis et qualis ejus auctor? Respondeo: Auctoritas hujus libri est Canonica sacræ Scripturæ; semper enim hunc librum Hebræi, æque ac Græci et Latini habuere in Canone librorum sacræ Scripturæ, nec unquam hac de re dubitatum est; unde semper recensitus est inter libros protocanonicos, tanquam Canonicus primæ classis. Id patet ex Canon. Apost. *Can.* ult., ex Concilio Laodiceno et Carthaginiensi III, ac Florentino et Tridentino, *Sess.* IV; S. Athanasio, S. Augustino, S. Hieronymo in *Prologo Galeato*, Innocentio I, Gelasio et cæteris, qui catalogum librorum Canonicorum texuere. Excipio pauculos hæreticos, quos sine nomine recenset Philastrius *hæres.* 132, et Jacobus Christopol. Præfatione *in Cant.*, ac nonnullos Judæos, qui, teste S. Hieronymo in fine *Comment.*, opinati sunt hunc librum favere sectæ epicureorum, scriptumque a Salomone, cum Veneri et ventri indulgeret, quos secutus est Theodorus Mopsuestenus ex monacho apostata, et Nestorii magister, qui videns vanitatem mundi, ac præsertim luxuriam, quam monachus spreverat, et apostata factus repetierat, hoc libro damnari, dixit Salomonem composuisse Ecclesiasten, « cum Prophetiæ gratiam non accepisset, sed tantum illam prudentiæ gratiam, quæ altera est, » uti refertur in Synodo V Constantinopolitano, *Action.* 4. Hi ergo Ecclesiastæ objiciebant quatuor: *primum*, quod creaturas Dei bonas condemnare videatur ut vanas, cap. I; *secundo*, quod eodem capite videatur docere æternitatem mundi, cum ait: « Nihil sub sole novum; » et: « Terra in æternum stat; » *tertio*, quod cap. II dicat: « Nil esse melius quam comedere et bibere, » quod plane videtur esse pecuinum, epicureum et voluptuarium; atque huc impegisse Epicurum testatur Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*: « Hinc, inquit, Epicuri mentem subiit casus, cum hoc dictum non intellexisset: Vanitas vanitatum, » etc.; *quarto*, cap. III, 19, videtur suspectus de animæ mortalitate, cum dicit: « Unus interitus est hominis et jumenti. »

Quatuor objecta.

Verum ad illa singulis quibusque locis respondebo, ac longe aliam fuisse Salomonis mentem demonstrabo. Lymphaticus Martinus Lutherus, pariter excucullatus, qui malo suo genio actus, effutire, imo insanire ausus est in colloquiis convivialibus: « Auctorem Ecclesiastæ videri sibi ocreis et calcaribus destitutum equitare tantum in soccis, Ecclesiasten esse sicut Thalmud ex variis libris consarcinatum. Adhæc sententias Salomonis quas mensæ accumbens funderet, fuisse ex ore loquentis exceptas, et postea in libros digestas: » nimirum homo temulentus et assiduus calicum remex Salomonem ex suo metiebatur ingenio; ipse enim non nisi bene potus, et quasi ebrius dictare et scribere consueverat, ideoque ejus scripta insulsa, vomitu, asotia, sordibus, dicteriis, conviciis referta sunt, ut non in libris, sed in scyphis studuisse, eaque inter pocula exarasse, imo eructasse et evomuisse videatur. Unde recte de eo cecinit noster Andreas Frusius:

Lutheri de Ecclesiaste censura

> Biblia, quæ tua sunt, sunt pocula bacchica, Luther;
> Est apotheca tua bibliotheca tua.

Auctor libri Salomon.

Auctor ergo libri hujus Canonici primus et primarius est Spiritus Sanctus, qui hæc suggessit et inspiravit Salomoni; Salomon vero eadem prolocutus, deinde conscripsit, aut suo scribæ scribenda dictavit: perinde ut David pater ejus Psalmos et ore cecinit, et calamo conscripsit, ac posteritati consignavit; uterque enim tam viva voce quam scripto docuit populum. Ita censent passim Doctores et Interpretes. Idque patet, *primo*, ex ipso libri initio: « Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem, » quæ verba non sunt titulus libri, sed ipsum libri exordium, ac prima ejus pars; *secundo*, idipsum patet ex cap. XII, ubi de se Salomon loquens in tertia persona, diserte asserit: « Ecclesiastes, cum esset sapientissimus, docuit populum, et enarravit quæ fecerat: quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos; » quid clarius? *tertio*, quia passim Salomon hic de se loquitur in prima persona, dicens:

Prob. Primo.

Secunda

Tertio.

« Ego Ecclesiastes fui rex, vidi, consideravi, locutus sum, reputavi, verti, converti, consideravi, » etc. Hallucinatur ergo R. Moyses Kimchi tractatu *De Scriptura Sacrâ*, et nonnulli Hebræi, præsertim Thalmudici, quos citat et sequitur Eugubinus in cap. I *Genes.* ac citat eosdem Melchior Canus, lib. II *De Locis*, cap. XI, qui censent Salomonem ore duntaxat hæc sua scita et parabolas enuntiasse, quas deinde vulgi ore tritas et mente conservatas, post multa sæcula collegerit et conscripserit Isaias, ut scripto ea posteritati mandaret; errant, inquam, uti ostendi *Pfoverb.* cap. XV, 1. Cur Salomon hic se vocet Ecclesiasten, dicam cap. I, 1. Interim audi obiter S. Gregorium Nyssenum hic, *homil.* 1, tres hujus nominis causas recensentem: *prima* est, quia docet Ecclesiastica, quæ spectant ad salutem animæ; *secunda*, quia in unum cœtum cogit Ecclesiam, ut hanc ejus concionem audiat, qua illam in pietate instruat; *tertia*, quia repræsentat Christum, qui est verus Ecclesiastes, id est Ecclesiæ fundator, doctor, gubernator, concionator; *quartam* addit S. Gregorius Thaumaturgus, cap. I, 1, quod doceat totam Ecclesiam.

An scriptor Isaias?

Ecclesiastes dicitur quatuor de causis.

Porro Hebræi, teste S. Hieronymo, quos sequuntur moderni nonnulli, tradunt Salomonem hunc librum scripsisse pœnitentem, cum scilicet de luxuria et idololatria sua pœnituit, adeoque ex hoc libro probant eum pœnituisse. Hic enim liber videtur symbolum pœnitentiæ, dum in eo accusat vanitatem luxuriæ omniumque mundi voluptatum, præsertim dum trecentas habens concubinas et 700 uxores, id est universim mille, eas abdicare et damnare videtur, dicens cap. VII, 29: « Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni; » et vers. 27: « Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est. » Idololatriam vero suam damnare videtur, dum ait: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; » idola enim in Scriptura vocantur *vana* et *vanitas*, quia cum nil sint nisi statuæ et simulacra aurea vel argentea, nil habent veri numinis, nil spiritus, nil vitæ et virium. Addit noster Pineda Salomonem post pœnitentiam, ut eam testaretur, primo scripsisse Ecclesiasten, deinde Proverbia, ac ultimo loco Canticum Canticorum.

An scriptus a Salomone pœnitente? Asserunt aliqui.

Verum hæc traditio incerta est et dubia. Unde Bellarminus, lib I *De Verbo Dei*, cap. V, quem alii sequuntur, censent Salomonem ante lapsum tres hosce libros scripsisse: *primo*, quia ipse nullam in iis lapsus sui facit mentionem, imo diserte contrarium asserit, dum cap. II dicit usque ad eam ætatem secum perseverasse sapientiam: « Et supergressus sum opibus, inquit, omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum; » *secundo*, quia nullum prorsus idololatriæ aut pœnitentiæ suæ dat indicium: quod enim per « vanitas vanitatum » non intelligat idola et idololatriam, patet ex sequentibus totoque libro, ubi vanitatem hanc genericam per species explicans, ostendit eam sitam in opibus, deliciis, honoribus, cantibus, poculis, etc. Nec idoli aut idololatriæ uspiam meminit, quod tamen facere debuisset, si de ea vere pœnituisset, ut ejus scandalum et pravum exemplum, quod subditis dederat, aboleret. Ipse enim regum Israelis primus invexit idola in Judæam, quæ deinde in ea perdurarunt per trecentos annos usque ad Josiam regem, qui ea sustulit; atque hujus mali origo et choragus exstitit Salomon. An non ergo ea destruere, detestari, et omnibus invisa efficere debuisset, si vere pœnituisset? sic enim post natam in Israel idololatriam, ut ab ea omnes avocent, in idolorum vanitatem detonant Baruch, cap. VI; Isaias, cap. XLI et seq.; cæterique Prophetæ ad unum omnes. *Tertio*, quia si Salomon jam habebat mille concubinas, erat utique totus enervis, carnalis et effeminatus, ut Spiritus Sancti non esset capax, nec tam alta de mundi vanitate, de Dei timore, de æternitate posset meditari et eructare, uti hic facit. « Malum enim virum non est fas esse interpretem numinis, » ait Philo lib. *Quis rerum divinarum hæres.* Denique Ecclesiasticus cap. XLVII, narrans gesta Salomonis, prius ejus scripta, posterius ejus lapsum enarrat. Idem facit Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. II.

Negant Bellarminus et alii.

Primo.

Chaldæus vero Paraphrastes censet Ecclesiasten a Salomone conscriptum, cum ex Dei oraculo, III *Reg.* XI, 12 et 29, didicisset regnum suum tam dives, felix et gloriosum ruiturum, et discindendum per schisma Jeroboam, qui sub Roboam Salomonis filio decem tribus a duabus dispescuit, et ad se traduxit, regnumque Israel divisum a regno Juda, cui præfuit Roboam, constituit. Igitur censet Salomonem hic regni sui vanitatem per schisma declarandam deplorare. Audi eum ex interpretatione Complutensi (nam in Bibliis Regiis hæc desiderantur in Chaldæo) cap. I, 2: « Cum divinationis spiritu prævideret Salomon rex Israel, regnum Roboam filii sui cum Jeroboam filio Nabat divisum iri, et imminentem Hierosolymis et templo vastitatem, populumque Israel captivum ductum iri, ait: Vanitas vanitatum mundus iste. Vanitas vanitatum id omne, cui ego et pater operam dedimus, » etc.

Chaldæus censet hic prædici schisma Israelis a Juda.

Verum hoc oraculum de schismate regni Salomonis contigit post lapsum ejusdem. Fuit enim pœna ejus luxuriæ et idololatriæ a Deo juste decreta. Quare quæ priori sententiæ Hebræorum, opinantium hunc librum a Salomone conscriptum post lapsum, obstant, etiam huic opinioni Chaldæi officiunt. Adde nullam toto libro schismatis futuri mentionem fieri.

Refellitur.

Quæritur *secundo*, quæ hujus libri sit materia, quis stylus, quæ methodus? Respondeo: Argumentum Ecclesiastis est, ait S. Gregorius Thaumaturgus hic initio suæ Paraphrasis, ostendere « quam vana et inutilia sint omnia hominum negotia et studia, quæ in humanis rebus suscipiuntur, » ut homines traducat a sensibilibus ad ea

Secundo.

Argumentum Ecclesiastis

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

quæ sub sensum non cadunt, ait Nyssenus, puta ad cœlestia et spiritualia, ait S. Bernardus, serm. 1 *in Cantica*. « Ne quidquam, inquit S. Hieronymus, in mundi rebus putemus esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quæ cernimus. » Atque in hoc sensu apex virtutis consistit. Quocirca S. Chrysostomus, hom. 3 *ad Populum* : « Virtus, ait, est omnia humana despicere, et per omnes horas futura cogitare, nulli inhiare præsentium, sed scire quod omnia humana umbra sunt, et somnium, et si quid his vilius. Virtus hominem quasi mortuum ad hujus vitæ res efficit, et ad nocentia quidem animæ saluti tanquam mortuum operatione carere, ad spiritualia vero sola vivere et operari. »

Distinctio trium librorum Salomonis.

Porro veteres tres Salomonis libros ita materia et argumento distinxerunt, ut in Proverbiis autument tractari Ethicam, in Ecclesiaste Physicam, in Canticis Theologiam. Ita Origenes, Prologo *in Cantica;* S. Basilius, hom. 1 *in Proverbia;* S. Ambrosius, in *Psalm.* XXXVI; S. Hieronymus hic, et epistola *ad Paulinum* : « Salomon, inquit, pacificus et amabilis Domino mores corrigit (nempe in Proverbiis), naturam docet (in Ecclesiaste), Ecclesiam jungit et Christum (in Canticis). » Accedit Olympiodorus et alii Patres initio *Catenæ in Prov.*, qui dividunt Salomonis tres libros in tria rerum genera, nempe : in *Ethica*, *Physica* et *Hyperphysica*. Ratio eorum fuit, quod in Ecclesiaste Salomon describat cœli, solis, elementorum, aeris, maris, terræ, ventorum mutationes, circuitus et vicissitudines, quod est objectum Physicæ, scilicet corpus generabile et corruptibile. Verum paucis rem acu tangens Olympiodorus, initio *Catenæ Proverb.*, respondet « Ecclesiasten rerum naturalium ratione obiter delibata, præsentis vitæ vanitatem ob oculos ponere. » Quæ fere eadem verba sunt Didymi initio *Catenæ in Ecclesiasten* : « Ecclesiastes, inquit, in eo est, ut rerum naturalium inhærens contemplationi, vitæ præsentis detegat vanitatem. » Et *Catena Græcorum in Proverb.* initio asserit, « Ecclesiasten concionando blande provocare ad universitatis contemplationem, et ea tractare quæ ad animam aliquatenus in virtutum studio progressam faciunt. »

Fixum ergo maneat librum hunc ethicum esse; Physica enim tangit in ordine ad Ethicam, ut scilicet ex rerum naturalium motu, mutatione, interitu, doceat earum vanitatem; ac consequenter vanos pariter esse homines, qui illis inhiant, ac vana eorum studia, futilia et stulta eorum consilia, cassos et stultos eorum labores, quibus acervandis opibus, vel vinis, vel villis, vel deliciis, vel honoribus per omnem vitam desudant, sui finis ac veræ felicitatis obliti. Hæc enim consistit in Dei timore, obedientia et cultu. Unde Lyranus censet argumentum Ecclesiastis esse, assignare ultimum hominis finem summumque bonum, in quo sita est hominis felicitas. Cum enim hac de re fuerint diversissimæ, quas recenset M. Varro, lib. *De Finibus*, puta ducentæ philosophorum opiniones et sententiæ : Epicurus enim felicitatem sitam esse censebat in voluptate, alii in sanitate, alii in honore, alii in scientia, alii in divitiis, alii in amicis, etc. Salomon docet hos omnes a scopo et veritate aberrasse, ac veram felicitatem sitam esse in vanitatis mundique contemptu, et veritatis, id est veræ sapientiæ Deique cognitione et cultu, qui consistit in legis virtutisque studio, puta in pietate, temperantia, modestia, humilitate, patientia in adversis, eleemosyna, resignatione et spe in Dei providentiam, ejusque religione et observantia. Hæc sunt quæ toto hoc libro pertractat, inculcat et commendat Salomon.

Vera felicitas in quo sita.

Verum enim vero Deus præ cæteris Prophetis, unum Salomonem hujus vanitatis mundi præconem elegit et constituit, eo quod ipse omnes omnium bonorum et gaudiorum mundi voluptates expertus, meram in omnibus vanitatem reperit. Ne quis enim diceret, illique objiceret : Mira asseris de vanitate omnium creaturarum; nescio an ita, ut dicis, res sese habeat : multas enim mihi non contigit experiri, imo multas ne novi quidem; occurrit Salomon : Ego omnes expertus sum et quasi manibus tractavi, ac experientia didici in omnibus nullum verum esse gaudium, sed meram vanitatem, umbram et fucum. Quare ordinate singula recensens, subjungit singula esse vana. Unde Nyssenus ait : « In Ecclesiaste est ordinata quædam totius vitæ Salomonis confessio, et omnium operum enarratio. »

Ordo librorum Salomonis.

Hinc Georgius Ederus, *Œconom. Bibl.* lib. II, hunc librum vocat *Soliloquium Salomonis*, quod in eo solus Salomon loquatur de rebus sublimibus; qualia sunt *Soliloquia* S. Augustini, Thomæ a Kempis, S. Bonaventuræ et aliorum, in quibus anima sola secum vel cum Deo colloquitur.

Quoad ordinem et methodum, ordo librorum Salomonis hic est : In Proverbiis instituit puerum, eumque docet prima et communia ethices, morumque honestiorum rudimenta. In Ecclesiaste informat juvenem proficientem, eumque a terrena vanitate ad cœlestem veritatem traducit. In Canticis docet virum perfectum unire se Deo, ut illi totus per amorem et contemplationem inhæreat, in eoque conquiescat. Ita censent Origenes, Nyssenus, Theodoretus, S. Gregorius Præfatione *in Cantica*, et alii passim. Audi Auctorem *Catenæ Græc.*, initio *Prov.* : « Proverbia, inquit, spectant ad hominem spiritualis vitæ viam primum ingressum; Ecclesiastes ad animam aliquatenus in virtutum studio progressam; Cantica ad animæ in virtutibus jam consummatæ statum. » Audi et luculentius S. Bernardum, serm. 1 *in Cantica* : « Deinde cum duo, inquit, sint mala, quæ vel sola, vel maxime militant adversus animam, vanus scilicet amor mundi, et superfluus sui, pesti utrique duo illi libri Ecclesiastes et Proverbia obviare noscuntur : alter sarculo disciplinæ prava quæque in moribus et carnis superflua re-

secans, alter luce rationis in omni gloria mundi fucum vanitatis sagaciter deprehendens, veraciterque distringens a solido veritatis. Denique universis humanis studiis ac mundanis desideriis prætulit Deum timere, ejusque observare mandata.» Et post nonnulla : « Depulsis ergo duobus malis duorum lectione librorum, competenter acceditur ad hunc sacrum theoricumque sermonem (*Canticorum*), qui, cum sit amborum fructus, nonnisi sobriis mentibus et auribus omnino credendus est. Alioquin ante carnem disciplinæ studiis edomitam et mancipatam spiritui, ante spretam et abjectam sæculi pompam et sarcinam, indigne ab impuris lectio sancta præsumitur. » Igitur ex mente S. Bernardi in Ecclesiaste pellitur vanus amor mundi, in Proverbiis superfluus amor sui, in Canticis præscribitur castus amor Dei. Quocirca Salomon utitur hic stylo virili, acri, vehementi et vere regio, qualis et materiam et auctorem decebat.

Notant res abenuntiationis gradus.

Paphnutius Abbas apud Cassianum, *Collat.* III, cap. VI, tres Salomonis libros triplici abrenuntiationi gradatim ita accommodat : « *Prima* est, inquit, qua corporaliter universas divitias, mundique facultates contemnimus; *secunda*, qua mores et vitia, affectusque pristinos animi carnisque respuimus; *tertia*, qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea quæ sunt invisibilia concupiscimus : quæ tria ut simul perficiantur, etiam Abrahæ legimus Dominum præcepisse, cum dixit : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui. *Primum* dixit : Exi de terra tua, id est de facultatibus mundi hujus, opibusque terrenis; *secundo*, de cognatione tua, id est de conversatione et moribus vitiisque prioribus quæ nobis a nostra nativitate cohærentia, velut affinitate quadam et consanguinitate cognata sunt; *tertio*, de domo patris tui, id est de omni memoria mundi hujus, quæ oculorum occurrit obtutibus. » Et sub finem capitis : « His tribus abrenuntiationibus proprie tres libri Salomonis aptantur. Nam Proverbia primæ abrenuntiationi conveniunt, quibus concupiscentiæ carnalium rerum ac terrena vitia resecantur; secundæ abrenuntiationi Ecclesiastes, ubi universa quæ aguntur sub sole vanitas pronuntiantur; tertiæ, Canticum Canticorum, in quo mens visibilia cuncta transcendens, verbo jam Dei cœlestium rerum contemplatione conjungitur. » Simile habet S. Hieronymus ad Paulinum, cujus verba recitavi initio Proverbiorum.

Salomon typus Christi triplici-ter.

Allegorice, B. Petrus Damianus, serm. 1 *De Nativitate B. Virginis*, hæc tria Salomonis nomina, tresque ejus libros adaptat Christo, qui inquit : « Filius Regis et Rex, nec solum Filius Dei, sed etiam Deus, Salomon, id est pacificus est nobis in hoc exsilio; Ecclesiastes, id est concionator, erit in judicio; Idida, id est gloriosus, erit in regno; in exsilio amabilis, in judicio terribilis, in regno admirabilis : in exsilio pius, in judicio justus, in regno gloriosus. Vide autem si non ubique rex : in exsilio rector morum, in judicio discretor meritorum, in regno præmiorum distributor, simulque considera, quia non Ecclesiastes, non Idida, sed Salomon tam gloriosum opus facere prænotatur. »

An carmine scripta Ecclesiastes

Censet S. Gregorius Nazianzenus, *Poemate* 33, et Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XVIII, Ecclesiasten, æque ac Proverbia et Cantica, Hebræo carmine et metro esse conscripta. Audi Nazianzenum : « Quinque metris constant, Job, David, tres Salomonis, Concio (Ecclesiastes), et insignes Cantus, Proverbia sacra. » Verum, cum in Ecclesiaste Salomon agat concionatorem, melius alii censent non metro, sed oratione soluta eum scripsisse. Est enim hic perpetua concio, eaque incitata et acris de vanitate mundi, in qua omnes affectus concitat, ut eam lectori ad vivum repræsentet et persuadeat. Quocirca in ea utitur crebris et pungentibus interrogationibus, contentis exclamationibus, cæterisque figuris rhetoricis. Subinde tamen immiscet carmina, vel quasi carmina, quale est illud : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas : Tempus tacendi, tempus loquendi, etc. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. » Adde omnia posse dici carmina et metra generali acceptione, quia scilicet sententiosa sunt, acuta et arguta, æque ac brevia et concinna. Qua ratione S. Hieronymus, *Præfat. in Job*, asserit in sacra Scriptura, præsertim Hebræa, esse « rhythmum quemdam dulcem, et tinnulis numeris pedum solutum. » Sic omnis numerosa oratio dici potest metrum et carmen. Huc facit quod liber hic refertus sit elegantibus parabolis, similitudinibus, ænigmatibus, quæ quid vatidicum et divinum resonant, ac plus significant, quam prima fronte ostentant. Sic Lucilium suum a stylo simili commendans Seneca, *epist.* 59 : « Loqueris, ait, quantum vis, et plus significas quam loqueris. Hoc majoris rei indicium est : apparet quoque animum nihil habere supervacui, nihil tumidi. »

Denique Prophetæ vocantur *vates* et *poetæ*, ac proinde prophetia ipsorum vocari potest *metrum* et *carmen*. Salomon autem fuit Propheta, et veras proprieque dictas edidit prophetias, uti ostendi *Proverb.* XXX, 1. Quanquam in Ecclesiaste vix sit ullam talem invenire. Quod ergo ait S. Augustinus, lib. XVII *De Civitate*, cap. XX : « Salomonem in tribus suis libris prophetasse, » vel synecdochice accipe, quod scilicet in partibus quibusdam triplicis hujus sui voluminis proprie prophetarit, puta *Proverb.* XXX, 1 et 2, ac in Canticis, ubi perpetua est prophetia de Christo et Ecclesia; vel ample accipe τὸ *prophetasse* pro Dei eloquia reserasse, Dei voluntatem explicuisse, divinas sententias et Canonicos libros dictasse. Sic enim omnis Canonica Scriptura vocatur *prophetia*

a S. Petro, *epistola* II, cap. 1, vers. 20. Denique Chaldæus censet Salomonem hic vere prophetasse de futuro schismate Jeroboam; sic enim habet ex editione Complutensium : « Verba prophetiæ quæ prophetavit Ecclesiastes; ipse est Salomon, filius David, rex, » etc. Ex interpretatione vero Costi : « Verba præsagitionis, quam vaticinatus est concionator Salomon, filius David, rex Jerusalem. Cum divinationis spiritu prævideret Salomon rex Israel, regnum Roboam filii sui cum Jeroboam filio Nabat divisum iri, et imminentem Hierosolymis et templo vastitatem, populumque Israel captivum ductum iri, » etc. Igitur Ecclesiastes uti Proverbiis est altior, perfectior et sublimior, sic et iisdem obscurior est et difficilior. Quocirca Philastrius asserit « Ecclesiasten paucis quidem conscriptum sententiis, omnem tamen thesaurum cœlestis scientiæ quærentibus continere. » Et S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XIII, jubet huic libro inhærendum, ut qui bonus sit ad omnia magister.

Finis Ecclesiastis.

Finis et scopus hujus libri est, docere veram sapientiam, scilicet qua secernamus vanitatem a veritate : nimirum ut cognoscamus vana esse omnia quæ in terris se ostentant, alliciunt et abblandiuntur; vera vero et solida esse, quæ in cœlis sunt, ut ex hac dispari cognitione assurgamus ad mundi, utpote vani, contemptum, ac ad cœli Deique, utpote veri solidique, amorem et desiderium. Tanta enim est vanitatis in hoc mundo exterior species et forma, tanta illecebra, tantus fucus, ut mens hominum, nisi a Deo et Salomone edoceretur, in ea vanesceret, falsaque sumeret pro veris, vanisque concupiscentiis et peccatis absumeretur, et velut fumus in mortem secundam evanida contabesceret. Hunc ergo vanitatis rerum omnium fucum et larvam detegit hic Salomon, docetque terrena et vana spernere, ac cœlestia ut vera ambire, in quo consistit vera sapientia. Ita censet S. Augustinus, lib. XX *De Civitate*, cap. III : « In hac vanitate, inquit, cui quantum satis visum est intimandæ totum istum librum vir sapientissimus deputavit, non utique ob aliud, nisi ut eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo qui fecit hunc solem. In hac ergo vanitate, numquid nisi justo Dei rectoque judicio similis eidem vanitati factus vanesceret homo? In diebus tamen vanitatis suæ interest plurimum, utrum resistat, an obtemperet veritati, et utrum sit expers veræ pietatis, an particeps : non propter vitæ hujus vel bona acquirenda, vel mala vitanda vanescendo transeuntia, sed propter futurum judicium, per quod erunt et bonis bona, et malis mala sine fine mansura. » Deinde ita subjicit : « Denique iste sapiens hunc librum ista conclusit, ut diceret : Deum time, et mandata ejus observa, quia hoc est omnis homo; quia omne hoc opus Deus adducet in judicium in omni despecto, sive bonum, sive malum. Quid verius et salubrius dici potuit? Deum, inquit, time, et mandata ejus custodi, quia hoc est omnis homo. Quicumque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei : quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis. » Hucusque S. Augustinus. Unde S. Hieronymus commentarium *in Ecclesiasten* scripsit ad Blæsillam S. Paulæ filiam primogenitam, hoc fine, ut ei mundi contemptum persuaderet. Audi eum in præfatione *Comment.* : « Memini me ante hoc ferme quinquennium, cum adhuc Romæ essem, et Ecclesiasten sanctæ Blæsillæ legerem, ut eam ad contemptum mundi hujus provocarem, et omne quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo, rogatum ab ea ut in morem commentarioli obscura quæque dissererem, ut absque me posset intelligere quæ legebat. Itaque, quoniam in procinctu nostri operis subita morte subtracta est, et non meruimus, o Paula et Eustochium, talem vitæ nostræ habere consortem, tantoque vulnere tunc perculsus obmutui, nunc in Bethlehem positus, angustiori videlicet civitate, et illius memoriæ et vobis reddo quod debeo. »

S. Hieronymus vanitatis præco.

Porro crebra hujus vanitatis mundi prædicatione S. Hieronymus, S. Paulinum, Pammachium, S. Paulam, ac Romanam nobilitatem ad mundi contemptum, et ad secessum in Bethlehem pertraxit. Ergo Salomon hoc libro lectorem a vanitate, id est ab amore mundi avocat, traducitque ad amorem Dei : Deus enim est ipsa veritas, entitas, soliditas, stabilitas, æternitas. Unde S. Gregorius Nyssenus, lib. *De Vita Moysis*, agens de visione Dei in rubo ardenti Moysi exhibita, veritatem definit esse ipsum Deum. Sic enim ait : « Hæc enim est (ut ego sentio) veritatis definitio, firma Ejus qui est intellectio; falsitas enim est phantastica quædam circa id quod non est comprehensio, quasi subsistat quod non est; veritas autem est, ejus quod vere est firma intellectio. Longis autem spatiis temporum altiori per quietem animo meditari oportet, ut firmiter intelligere possis quid sit quod vere est, quod natura sua est; quid quod non est, quod solum esse videtur, cum per se atque natura sua minime subsistat. Illustrat idipsum visione Moysis. Mihi enim videtur magnus ille Moyses ea in visione didicisse, nihil earum rerum quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente perspiciuntur, præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, et a qua omnia dependent, vere subsistere. In nullo enim cæterorum impendentia (independentiam vocant Scholastici) perspici potest, ita quod absque participatione veri Entis possit esse. Solum id eodem modo semper se habet, nunquam augetur, nunquam minuitur, æqualiter ad omnem mutationem, tam ad pejus quam ad melius immutabile; pejus enim ibi aut malum non est, melius inveniri non potest. Quare solum nulla re alia indiget, et solius cuncta indigent; solum cuncta appetunt, solum cuncta participant, et quæ

Deus est veritas, creatura est vanitas.

participant, per participationem et sunt et bene sunt. Quod autem participatur, nunquam imminuitur. Id igitur profecto est quod vere est, et hujus veri Entis intellectio, ad quam tunc accesserit Moyses. »

Alcuinus qui et Albinus, vanitatis præco.

Denique Albinus, præceptor Caroli Magni, Præfatione *in Eccle.*, ait se commentarium in eumdem scribere, ut extractos e monasterio ad munia Ecclesiastica Oniam sacerdotem, id est Episcopum, Candidum presbyterum, et Nathanaelem diaconum a mundi vanitatibus præmuniret; atque de vana possessione divitiarum in hujus sæculi deliciis sapientissimum Salomonem totum composuisse hunc librum, quem hortatur ut semper pro magistro habeant in manibus.

Quæritur, *tertio*, quænam hujus libri sit partitio, quæ et quot partes? Hugo Victorinus, et post eum Richardus de S. Victore, lib. III *super Apocal.* part. II, cap. VII, censent tres libri esse partes, quibus triplex hominis vanitas describatur: *prima* mutabilitatis, *secunda* mortalitatis, *tertia* curiositatis; aut, ut S. Bonaventura, vanitas naturæ, culpæ et miseriæ.

Duæ libri partes.

Verum dico duas primarias Ecclesiastis esse partes. Prior est a cap. I usque ad cap. VII, qua ostendit omnes res mundi sublunaris, quas homines vani magnas æstimant, inanes esse et vanas, ac proinde vanam esse felicitatem quæ in iis collocatur. Posterior a cap. VII porrigitur usque ad finem, qua depulsa vanitate, demonstrat veritatem veramque felicitatem sitam esse in virtute, ac Dei timore et cultu. Igitur primo statim capite eos refellit, qui scientia summum bonum metiebantur; secundo item ac tertio capitibus eos redarguit, qui in voluptate finem bonorum ut Epicurei collocarunt; quarto capite, eos qui in honoribus; quinto et sexto eos confutat, qui in divitiis et opibus felicitatem posuere. Prior itaque hæc capitum sex portio in refellendis alienis occupatur; altera vero totidem capitum pars in confirmanda sua sententia versatur. Igitur cap. VII de tribus bonorum generibus disserit, *animi*, inquam, *corporis et fortunæ*, deque contrariis malis. Quis horum omnium sit usus, utque res omnes nostræ a divina pendeant providentia, luculenter ostendit. Hinc ad finem usque libri de vita pie ac juste transigenda, quo tandem Deo conjungamur, et felicitate perfruamur æterna, concionatur.

Axiomata vitæ prudentis.

Porro in hisce multa statuit axiomata vitæ, juxta veritatem veramque prudentiam instituendæ, qualia sunt: Humanam scientiam non efficere hominem felicem: vitam esse brevem et mille mutationibus obnoxiam: humanos errores moresque per sæcula succedentia, et circulantia quasi in orbem redire, atque eosdem fuisse omnibus sæculis communes: nihil sub sole esse novum: voluptatem efficere stultitiam et stultos: felicitatem non esse sitam in dominatu, in uxore et filiis egregiis, in longiore vita aut funeris pompa; adeoque illam non esse quærendam in præsenti vita, sed in futura et æterna: virtutem præstare opibus, robore aliisque corporis dotibus: cogitandum esse Dei judicium et providentiam: felicitatem parari obedientia divinæ legis, operibus misericordiæ, mortificatione cupiditatum, animi lenitate et pace: principem esse colendum: principem debere esse justum, sobrium, placidum, cupiditatum dominum, sapientes et probos honorantem, liberalem, et qui subditis de annona cæterisque vitæ commodis abunde prospiciat, quippe qui se mortalem sciat, et ejusdem cum subditis esse naturæ et sortis: cogitandum de ingruente senio et morte: denique sapientem et felicem esse, qui illud ubique præmeditatum habet et observat: « Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. »

Decem vanitates decem capitibus perstringuntur.

Rursum hunc librum cum Lyrano minutius sic dividas per singula capita, ut in illo totidem pene, puta decem vanitates recenseantur: nimirum in capite primo, immoderatum sciendi studium; in secundo, appetitio deliciarum; in tertio, vitæ longioris desiderium; in quarto et quinto, ambitio dominii dignitatisque; in parte quinti et in sexto toto, cupiditas divitiarum; in septimo, divinandi ars ac præscientia futurorum; in octavo, venatio laudis et famæ; in nono, fortunæ consectatio; in parte noni et in decimo toto, corporis robur; in undecimo et duodecimo, specimen ætatis floridæ.

Interpretes Ecclesiastis.

Interpretes qui in Ecclesiasten commentati sunt exstant permulti, tam veteres quam neoterici. Ad sexaginta numerat Fabianus Justinianus in calce indicis sui universalis, ubi catalogum Interpretum S. Scripturæ contexit. Illustriores hic recensebo, quorum opera usus et adjutus sum, sicut S. Hieronymus initio Commentariorum suorum recensere solet Origenem, Didymum, Apollinarium, etc., quos toto opere secuturus sit, ne identidem illos commemorare sit opus: nimirum humilitatis est agnoscere unde profeceris; æquitatis, cuique quod suum est reddere; gratitudinis, beneficium beneficio rependere, ac laudem doctrinæ et doctori refundere. Ea de causa cum sententias auctorum recito, ipsis sæpe eorum verbis utor, ut intuenti liqueat illa ipsorum esse, non mea. Præclare Plinius, Præfat. *ad Vespasianum*: « Obnoxii profecto, inquit, animi et infelicis ingenii est deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præsertim sors fiat ex usura. » Præclarius S. Basilius, epist. 1 *ad Greg. Nazianz.*: « Neque vero, inquit, ad discendum verecundum esse oportet, nec ad docendum malignum: quod ab alio tute didiceris, nequaquam clam habendum; cujusmodi facere mulieres improbæ solent, quæ ex aliis ipsæ quæsitos liberos, viris suis tollendos subjiciunt, patrem ementientes. Auctorem vero ipsum prodere grata commemoratione decet, verumque ipsius scientiæ parentem. »

Primus ergo post Septuaginta, Aquilam, Symmachum, Theodotionem et Syrum, interpres est

Chaldæus Paraphrastes, qui putatur fuisse Joseph cæcus. Sicut enim Onkelos Pentateuchum, et Jonathan Prophetas, sic Joseph cæcus libros Salomonis cæterosque Hagiographos, puta Job, Psalmos, Regum, Ruth ex Hebræo in Chaldæum convertit, satis genuine et consentanee ad Vulgatam Latinam, qua ratione utilis est; nam cum vocis Hebrææ sensum fideliter reddit, quia tamen Judæus post Christum exstitit, hinc judaizat, et pleraque ad Judaicam Synagogam et superstitionem detorquet, ac hinc inde miscet fabellas Rabbinicas : multa ex eis succidit, et expurgavit Arias Montanus in Chaldaica Paraphrasi, quam Bibliis Regiis attexit, at non omnia.

Secundus tempore, sed dignitate primus est S. Gregorius Episcopus Neocæsariensis, ob miraculorum gloriam cognomento Thaumaturgus, qui Ecclesiasten per metaphrasin « brevissimam et admirabilem, » ait Suidas, explicuit. Divina enim sua sapientia, facundia, acumine, novitate lectorem mire docet, mulcet, pungit et stimulat.

Tertius est R. Haccados, quem passim citat Galatinus, lib. *De Arcanis fidei;* sed hic allegoricus potius est quam litteralis, et allegorias habet somniis non absimiles.

Quartus est S. Gregorius Episcopus Nyssenus, frater S. Basilii, qui octo homilias disertas sane et doctas in Ecclesiasten elaboravit, quibus ipsemet Ecclesiasten agit, ac lectorem ad vanitatis mundi contemptum, velut orator christianus exstimulat.

Quintus est S. Hieronymus, qui more suo litteræ inhærens, genuinum primo ejus sensum dilucide reddit, deinde mysticum attexit : merito sui ævi phœnix, ac in S. Scriptura explicanda doctor maximus, Ecclesiæ totius elogio celebratur.

S. Hieronymus bis vertit libros Salomonis.

Nota : S. Hieronymus bis transtulit Ecclesiasten, Proverbia, et Cantica : *primo,* corrigendo veterem et antiquam Vulgatam editionem Latinam juxta versionem Septuaginta a qua manavit : quare Græcos Septuaginta in Latinum transtulit, itaque veterem editionem suæ puritati restituit; *secundo,* immediate illa ex Hebræo transferendo in Latinum. Hæc ita se habere docet ipse S. Hieronymus hic in Procemio; ac diserte, lib. II *Contra Rufin.,* ubi sic ait : « Salomonis etiam libris, quos olim juxta Septuaginta additis obelis et astericis in Latinum verteram, ex Hebræo transferens, et dedicans SS. Episcopis Chromatio et Heliodoro, hæc in præfatiunculæ meæ fine subscripsi : si cui sane Septuaginta Interpretum magis editio placet, habet jam a nobis emendatam. » Prior ergo versio S. Hieronymi facta est ex Græco, posterior ex Hebræo jussu Damasi Pontificis, quam proinde recepit Ecclesia, estque Vulgata nostra editio Latina. Utraque exstat in Commentario S. Hieronymi, in quo tamen non posteriorem suam interpretatur vel modestiæ ergo, vel quia nova erat; sed priorem Septuaginta utpote veterem et Vulgatam tunc editionem, quæ a posteriori, puta a Vulgata moderna satis discrepat, ac proinde Commentarius S. Hieronymi parum facit ad elucidationem Vulgatæ modernæ. Porro S. Hieronymus in posteriori accommodat se Septuaginta, ubi ab Hebræo nihil vel parum distant : alias sequitur Aquilam, Symmachum et Theodotionem, sed præ omnibus Hebraicam veritatem, cujus sensum verum et genuinum, ut clare repræsentat, subinde non verbum verbo, sed sententiam sententia quasi paraphrastice exprimit : hoc enim est munus fidelis et genuini interpretis, uti suis locis videbimus.

Sextus est Olympiodorus, partim paraphrastes, partim scholiastes, partim commentator, qui breviter, sed utiliter Ecclesiasten explicuit : ita enim explicat, ut lectorem ad virtutem et pietatem excitet.

Septimus est Salonius Eucherii filius, et Salviani discipulus, anno Domini 470, qui mystice et breviter Ecclesiasten explanat. Idem facit Albinus, sive Alcuinus, Bedæ discipulus, et Rabani magister. Salonii Commentarius in Proverbia et Ecclesiasten idem plane ad verbum exstat in Honorio Augustodunensi presbytero, qui, teste Trithemio et Bellarmino, floruit anno Domini 1220; nisi quod initium libri sit transpositum. Nam quæ de tribu. nominibus Salomonis initio Ecclesiastis, eadem Honorius ponit initio Proverbiorum. Rursum pau cula in fine Proverbiorum, quæ ponit Salonius, decurtat et omittit Honorius. Reliqua, ut dixi, sunt eadem ad verbum. Porro Salonius editus exstat tom. V *Biblioth. Patrum;* Honorius vero, tomo sive sæculo XII, juxta editionem Colonien sem.

Octavus est Hugo de S. Victore, qui ex S. Gregorio (hujus enim Commentarii manuscripti in Ecclesiasten exstant in monasterio Cavensi) homil. 19 *in Ecclesiasten* conscripsit, quibus floride et acute singulas quatuor primorum capitum sententias, imo singula verba discutit, exsugit, ac mel sacræ ethices ad morum conformationem elicit et conficit. Fuit Hugo vir apprime doctus, facundus et religiosus, monasterii S. Victoris (unde vocatus est de S. Victore) Parisiis Abbas, coævus et familiaris S. Bernardo, sui sæculi lumen, adeo S. Augustini doctrinam et phrasim æmulatus, ut « Augustini lingua » sit nuncupatus. Moriens cum, allata S. Eucharistia, ob stomachi nauseam eam sumere non posset, eam adorans : « Ascendat, inquit, filius ad Patrem, et servus ad Dominum suum. » Itaque factum.

Nonus est S. Bonaventura, qui scholastice Ecclesiasten pertractat.

Decimus est Hugo Carensis, primus e S. Dominici Ordine Cardinalis, qui obiter litteram perstringens, mystico sensui se mancipat, in eoque rimando acutus est, acer et copiosus.

Undecimus est Nicolaus Lyranus, qui hebraice non adamussim peritus, passim sequitur Rabbinos, præsertim R. Salomonem, uti ipsemet fate-

tur in fine lib. *Different. veteris ac novi Testamenti.* Hos secuti sunt Dionysius Carthusianus, Cardinalis Cajetanus, qui duobus suis Rabbinis in Testamento veteri, ac Erasmo in novo plus æquo confidens, novam eorum versionem edit et suopte ingenio nove explicat, a Vulgata et Patribus sæpe discedens. Item Franciscus Titelmannus, vir eruditus et religiosus, Joannes Ferus, Gerardus Moringus, Hieronymus Osorius, Joannes Campensis, Isidorus Clarius, Franciscus Vatabius, ac e Societate nostra Joannes Lorinus breviter, sed accurate; et Joannes Pineda, qui uti fusissime, ita plenissime Ecclesiasten explanavit. Ego ex omnibus hisce succum exprimam, mellilegium faciam, illudque methodice, paucis clare more meo lectori hauriendum propinabo; ac non pauca ex meipso addam, quæ æterna Patris sapientia mihi suggerere dignabitur.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proponit thema libri: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, *illudque probat primo, ex rerum omnium circulatione: omnia enim, etiam sol, spiritus, flumina in orbem eunt et abeunt; quare nihil sub sole novum. Secundo, vers.* 12, *ex scientiis, et studio sciendi, in quo magna elucet vanitas; quia qui addit scientiam, addit et laborem et dolorem.*

1. Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem. 2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes : vanitas vanitatum, et omnia vanitas. 3. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? 4. Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat. 5. Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur : ibique renascens, 6. gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem : lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. 7. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat : ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur ut iterum fluant. 8. Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. 9. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est : quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. 10. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est : jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. 11. Non est priorum memoria : sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo. 12. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem, 13. et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. 14. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus. 15. Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. 16. Locutus sum in corde meo, dicens : Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem : et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. 17. Dedique cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque et stultitiam : et agnovi quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus : 18. eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio : et qui addit scientiam, addit et laborem.

1. VERBA ECCLESIASTÆ, FILII DAVID, REGIS JERUSALEM.— « Ecclesiastæ, » id est Salomonis. Patet ex ipso verborum tenore et sententia, hunc non tam esse libri titulum, uti censuere S. Gregorius Nyssenus, *homil.* 1, Hugo Victorinus et Hugo Cardinalis, Dionysius et alii, quam ipsum libri exordium. Hic enim liber incipit, hicque ad marginem notatur primus primi capitis versus. Inde tamen desumptus est libri titulus et nomenclatura, ut vocetur Ecclesiastes, quod nomen stolide improbat Lutherus in *Colloq. Conviv.*, dicens hunc librum non esse Ecclesiasten, sed *Politica* vel *Œconomica* Salomonis nuncupandum : qua in re toti Ecclesiæ Patribusque omnibus, qui eum Ecclesiasten vocavere, contradicit, eosque inscitiæ arroganti supercilio coarguit.

Verbi etymon. VERBA. — *Verbum* dicitur a *verberatu*, quod verberato lingua intra palatum aere, omnis oratio proferatur, ait P. Consentius et S. Augustinus. Verbum quia verum. Varro vero verbum a veritate deducit, quasi *verum* : quod verum nos loqui oporteat. Talia sunt verba S. Scripturæ, sive verba Dei, puta oracula verissima, gravissima, saluberrima. Unde Aben-Ezra : « Verba Ecclesiastæ, » hoc est, inquit, non vulgaria, sed ex corde ad animum ascendentia, utpote quæ vanitatem a veritate secernant, viamque ad veram felicitatem digito ad fontem intento omnibus palam demonstrent.

ECCLESIASTÆ. — Hebraice קהלת *Coheleth*, id est congregatoris, collectoris, concionatoris. Radix enim קהל *cahal* significat congregare cœtum, et ad eum verba facere. Unde קהלה *kehilla* vocatur congregatio, cœtus, ecclesia, concio. Concio enim tam cœtum populi, quam orationem ad populum significat.

Salomon cur vocatur Ecclesiastes? Resp. Primo. Quæres *primo*, cur Salomon hic hebraice vocetur *Coheleth*, græce indeque latine Ecclesiastes? Respondet *primo*, Jacobus Christopol. Præfation. *in Cant.*, eum vocari *Coheleth*, id est collectorem, quod gnomas et scite dicta Davidis patris sui, cæterorumque Patriarcharum et Prophetarum hoc libro coacervarit, et in unum collegerit. Verum hoc parum est probabile. Salomon enim cum esset sapientissimus mortalium, non eguit aliunde corradere sapientiam, qua ipse a Deo donatus et repletus erat : suam ergo hic promit, et non alienam.

Secundo. *Secundo*, Cajetanus censet Salomonem dici *Coheleth*, id est collectorem, quod omnes vanitatis mundi modos et species hoc libro collegerit, easque ad vivum oculis subjecerit, atque, ut addit Arias Montanus, quod enumerans singulas res mundi, mox subjiciat ciphram 0, dicens iteransque : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Ciphra enim 0, si sola ponatur, esto multiplicetur, nil valet, nullumque indicat numerum, ideoque vanitatis et nihili est index et nota. Verum hoc arctius et frigidius est.

Tertio. *Tertio*, alii, eo quod, inquiunt, anima Salomonis (*Coheleth* enim est femininum) cunctas in se scientias congregasset, vel potius Deus congregatas, et in unum collectas in Salomonis sinum effudisset. Aut, ut Nyssenus, quod Ecclesiastes colligat omnia quæ ad probam Ecclesiæ pertinent administrationem, hoc est, per quæ quis probe et ex virtute vitam instituat. Aut, ut David de Pomis, quod universas philosophorum de summo bono, in quo sita est felicitas, sententias (quas Varro, lib. *De Finibus*, ducentas enumerat) summatim perstringat et confutet. Aut, ut alii, quod universas voluptates rerum omnium, quas expertus est, congreget, earumque vanitatem ostendat.

Quarto. *Quarto*, melius alii censent Salomonem dici Ecclesiasten, quod ex confuso hominum cœtu et tumultuante turba fecerit ecclesiam ordinatam, patam et piam concionando et persuadendo ei, ut relictis vanis spebus et rebus amet et colat Deum verum. Ita S. Gregorius, IV *Dialog.* cap. IV : « Hic liber, inquit, concionator dicitur. In concione vero sententia proponitur, per quam tumultuosæ turbæ sententia comprimatur. Sed concionator verax quasi extensa manu tumultus omnium sedat, eosque ad unam sententiam revocat, cum in ejusdem libri termino ait : Finem loquendi pariter omnes audiamus : Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. »

Quocirca Salomon hic repræsentat Christum, qui ceu verus Ecclesiastes Ecclesiam sanctam formavit, instituit, docuit tam verbo quam exemplo. Ita Nyssenus et Olympiodorus : « Ecclesiastes, inquit, vocatus est, tanquam cunctos mortales in Ecclesiæ cœtum vocans, et in concordiam nectens. »

Quinto genuine. *Quinto* et genuine, Salomon dicitur *Coheleth* et *Ecclesiastes*, id est congregator et concionator, quod populi cœtum convocans, ad illum concionatus sit de vanitate rerum mundanarum, deque veritate virtutis et timoris Dei. Ita S. Athanasius in *Synopsi*, Salonius, S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. IV, Bonaventura et alii; quodque eamdem concionem scriptis mandans, ad universam Ecclesiam sæculorum omnium transmiserit. Omnis enim ecclesia et respublica omni ævo et sæculo sua habuit comitia, suos populi cœtus, suas conciones, in quibus principes, senatores vel oratores perorabant de iis quæ ad rempublicam vel ad civium certorum causas litesque spectabant. Ita fecere Græci; Athenienses sub Solone, qui universa a se statuta permisit concionis arbitrio; Spartani sub Lycurgo; Romani sub Romulo, et magis sub Consulibus; Hebræi sub Mose, Josue, Davide, Salomone et cæteris.

Porro cathedra, ex qua Salomon concionabatur, erat solium regale, quod ipse ad hanc rem exstruxit, III *Reg.* VII, 7 : « Porticum quoque solii, inquit, in qua tribunal est, fecit Salomon, et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem. » Similis concio Salomonis ad populum in dedicatione templi ab eo ædificati recensetur III *Reg.* VIII, 14. Audi S. Athanasium : « Ecclesiastes, ait, vocatus est, quia ad populum ipse concionatus est, et quæ spiritus sunt, locutus; » et, ut ait Thaumaturgus, « quia his verbis universam Dei Ecclesiam affatur. »

Principes erant concionatores. Sic Moses legislator et dux Israelis crebro concionatus est ad populum, cum ei legem Dei promulgaret et inculcaret, ut patet *Exodi* cap. XX et seq. Imo Deuteronomium non est aliud quam ardens et contenta concio, qua Moses moriturus Israelem ad studium legis cultumque Dei adhortatur. Similem eadem de re concionem ad populum habuit successor Mosis Josue, jam moriturus, cap. ult.; et Job, cap. XXIX; Samuel, I *Reg.* XII, 7; Mathathias, I *Machab.* II, 49; ac David, *Psal.* XLVIII, 2 : « Audite, ait, hæc, omnes gentes : auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, etc. Os

meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam. » Similis concio Davidis est *Psalm.* LXXVII, 1. Sic fecit et Ezechias mittens præcones per totum Israelem, ut eum ad Dei cultum et Pascha solemne reducerent, II *Paral.* XXX; imo ipsemet rex ad ipsos sacerdotes et levitas concionatus est, exhortando eos ad purgationem templi et legis zelum, II *Paralip.* XXIX, 5. Ezechiam avum suo zelo et concione imitatus est Josias rex, IV *Reg.* XXIII, 1, et II *Paral.* XXXIV, 31 : « Stans, ait, in tribunali suo, percussit fœdus inter Israelem et Deum. Similem exhortationem ad Patres concilii Nicæni habuit Constantinus Magnus, uti refert Eusebius in ejus Vita; ac Theodosius per litteras ad Patres concilii Ephesini; Carolus Magnus ad Saxones, etc.; ac avorum memoria Jagello Poloniæ rex, qui Lithuanos ingenti zelo concionando, et præmiis invitando ab idolorum cultu ad Christi fidem convertit anno Domini 1387; ex quo deinceps prognati reges Poloniæ, ac nominatim modernus Sigismundus III, aviti regni æque ac pietatis hæres, Jagellonides cognominatur. Ita Cromerus, lib. XV.

Talis ergo Ecclesiastes fuit rex Salomon : sapientiæ enim ejus fama exciti, certatim ad eum docentem ex toto orbe confluebant nationes et principes, ac inter eos regina Saba, III *Reg.* IV. Igitur non ad solos Judæos, sed ad totam ecclesiam, id est, ad cœtum vel concionem ex cunctis mortalibus contractam hic concionatur, docetque in quo sita sit vera sapientia, scilicet in rerum vanarum contemptu, ac veritatis verique Dei cultus studio, ut ab amore caducorum eos abducat, et ad desiderium æternorum transferat. Quocirca, ut notat Titelmannus, Salomon hic veri concionatoris munia strenue obit, dum statim a principio thema proponit : « Vanitas vanitatum, » etc, idipsum subinde repetens et inculcans in sermonis progressu, et circa illud pertexens totum sermonem; et quamvis (quod peritus concionator facit) digrediatur nonnunquam ad alia, eodem tamen recurrit, diligenter ac particulatim demonstrans veritatem primæ propositionis, quam sic plene probat, ut conclusionem ad extremum et clausulam reponat. Præterea falsa, quæ obstant argumento proposito, refellit, veritatem confirmat, damnat vitia, virtutes laudat, prædicat, demum instat opportune, importune, arguit, obsecrat, increpat, prout Ephesinum Ecclesiasten Timotheum Paulus ut faciat obtestatur, II *Timoth.* IV, 2.

Cur vocatur Coheleth, id est concionatrix?

Quæres *secundo*, cur Salomon hebraice vocetur *Coheleth* feminine? Est enim *Coheleth* Benoni, id est participium activum femininum in conjugatione *Cal*, significans *congregatrix* vel *concionatrix*. Respondent aliqui Novantes, ut Avenarius et Forsterus in *Lexicis Hebr.*, *Coheleth* vocari non Salomonem, sed Ecclesiam vel Synagogam; illam enim hic a Salomone concionantem induci. Sed errant : *Coheleth* enim esse nomen non Ecclesiæ, sed Salomonis, patet ex eo quod sequitur : « Filii David, regis Jerusalem; » unde clare vertit Chaldæus, *verba Coheleth, ipse est Salomon.* Ita S. Gregorius Thaumaturgus, S. Hieronymus, Nyssenus, Olympiodorus et cæteri omnes.

Resp. primo.

Dico ergo *primo*, *Coheleth* esse nomen masculinum, non femininum. Patet *primo*, quia est nomen Salomonis, qui vir est, non femina; *secundo*, quia toto hoc libro *Coheleth* tribuuntur verba et epitheta masculina, non feminina, excepto uno loco cap. VII, 29 : quem locum nonnulli suspicantur corruptum. Hinc sequitur *Coheleth* non esse hoc loco *Benoni*, id est participium femininum in *Cal*, sed esse *Toar*, id est nomen verbale masculinum; perinde ac apud Latinos hæ voces : *doctus, eruditus, auditus, visus*, sæpe non participia sunt, sed nomina. Ita censent Marinus, Mercerus et alii in *Lexicis*, et confirmant ex eo quod Hebræum קהל *Cahal* non sit usitatum in *Cal*, sed in *Niphal* et *Piel*. *Coheleth* ergo nequit esse Benoni *Cal* : nomen ergo sit oportet. Imo nonnulli suspicati sunt *Coheleth* dici quasi קהל עת *Cohel et*, id est *collector* vel *mensor temporis*, eo quod Salomon tam suæ quam aliorum ætatis tempora, et temporaria bona voluptatesque hoc libro metiatur, numeret et æstimet, dicens omnia esse vana. Aut quasi קהל תלמוד *Cohel Talmud*, id est *collector doctrinæ*, et ultima littera *Tau* valeat *Talmud*, uti Hebræi in abbreviaturis per unam litteram initialem, totam dictionem significant.

Secundo.

Dico *secundo* : Nomen *Coheleth*, licet sit masculinum, habet tamen puncta, formam et terminationem femininam, puta *Benoni*, sive participii feminini in *Cal*. Ita censent omnes hebraice periti.

Causa prima.

Porro causa hujus rei varia a variis affertur. *Primo*, multi afferunt hanc, quod Hebræi sæpe permutent nomen femininum cum masculino, et vice versa masculinum cum terminatione feminina, quando rei præstantiam et pulchritudinem denotare volunt, qualis est hæc concio Salomonis, quæ proinde vocetur *Coheleth*, *q. d. concionatrix*, ob elegantiam sermonis. Solent enim Hebræi rebus eximie pulchris tribuere genus femininum, quia imago et assecla pulchritudinis, ejusque maxima illecebra est femina. Concionatrix ergo idem est quod pulcher et eximius concionator. Solent enim feminæ in dicendo esse disertæ, gratiosæ, elegantes, patheticæ, efficaces, ideoque viris persuadere quidquid volunt. Sic *Ps.* LXVII, 12 : « Dominus dabit verbum evangelizantibus, » hebr. est המבשרות *hammebasseroth*, id est evangelizatricibus feminine, quo significat excellentissimos a Deo prædicatores constituendos. Et *Aggæi* I, 13 : « Nuntius Domini de nuntiis Domini », hebr. est במלאכות *bemalachot*, id est *denuntiatricibus Domini*. Vide ibi dicta, ac Riberam ibidem. Sic *Exodi* XXII, 18 : « Maleficos (hebraice est *mecaphsepoth*, id est, *maleficas* feminine) non patieris vivere. » Similia sunt II *Reg.* XIII, 39, in Hebræo, et alibi.

Secunda.

Secundam dant alii, quod sapientia hic sit quasi

concionatrix, ac per os Salomonis concionatur, ut vis et energia concionis significetur, quasi ejus anima et forma sit ipsa sapientia. Hæc enim hic fuit quasi anima sapientissimi Salomonis. Simili modo Salomon, *Proverb.* cap. IX, 1, et cap. VIII, 1 et seq., et Ecclesiasticus, cap. XXIV, 1 et seq., ipsam sapientiam loquentem et concionantem inducit ad majus concionis pondus.

Tertia. *Tertiam* dant alii, quod Salomon fuerit *Coheleth*, id est vir, sed desinens in feminam, cum virile suum robur, quod hic ostendit, inflexit ad amorem feminarum, factusque est effeminatus et quasi femina. Hoc enim fore prævidebat Spiritus Sanctus, ideoque ei nomen *Coheleth* indidit. Sic Isaias principes mulierosos Israelis vocat *mulieres*, cap. III, 12 : « Mulieres, inquit, dominatæ sunt eis; » et *Nahum* cap. III, 13 ; « Ecce populus tuus, mulieres in medio tui. » Sic Homerus, *Iliad.* II : « O pepones, inquit, mala probra Achivæ, non amplius Achivi. » Homerum de more secutus Virgilius, IX *Æneid.* : « O vere Phrygiæ, ait, neque enim Phryges. »

Quarta. *Quartam* dant nonnulli, quod a matre Bethsabee hæc didicerit Salomon. Hæc enim eum puerum docebat fugere ventrem et Venerem velut vanitates, uti patet ex illo *Proverb.* XXXI, 1 : « Visio, qua erudivit eum mater sua, etc. Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos reges. Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, » etc.

FILII DAVID, REGIS JERUSALEM. — Græci habent, *regis Israel in Jerusalem*; sed perperam, ait S. Hieronymus. Notat S. Hieronymus tres Salomonis libros, scilicet Proverbia, Ecclesiasten et Cantica, gradatim hominem ad perfectionem provehere : *primum* enim esse incipientium; *secundum*, proficientium; *tertium*, perfectorum. « Primi libri titulus, ait S. Hieronymus, vocat Salomonem filium David, regem Israel; secundi, filium David, regem Jerusalem. In tertio non dicitur rex vel filius David, quia plurimi sunt rudes, pauciores metropolitæ, rari qui superna tantum desiderent; propter primos ac secundos paterna dignitas, regnique proprii auctoritas indicatur : perfectis, quia non timore eruditur discipulus, sed amore filius, proprium nomen sufficit, et æqualis magister est, et nescit se esse regem; qua etiam de causa observatum est, nullum toto Canticorum libro Dei nomen exprimi ex iis quæ possunt timorem incutere, sed nomina omnia amoris. »

S. Ambrosius, Præfat. *in Lucam*, et lib. *De Isaac* cap. IV, quem sequitur Hugo de S. Victore, triplicem hunc statum et gradum adaptat tribus patriarchis, Abraham, Isaac et Jacob. *Primus* obediens fuit; *secundus* puteos fodit; *tertius* scalam, cui Deus innitebatur, ac per eam ascendentes et descendentes angelos vidit, *Genes.* XXVIII, 12. Alii eidem accommodant tres prisci tabernaculi et templi partes, puta atrium, Sanctum, et Sanctum sanctorum. Incipientes enim sunt in atrio paradisi, proficientes in Sancto, id est in ingressu ejusdem, perfecti sunt quasi in ipso cœlo empyreo.

Censent Chaldæi et alii nonnulli Salomonem scripsisse Ecclesiasten post schisma decem tribuum quod fecit Jeroboam, earum se regem constituens, ideoque Salomonem se hic vocare regem Jerusalem, id est duarum tribuum, non Israel; sed errant. Hoc enim schisma contigit post mortem Salomonis, sub Roboam ejus filio.

Vocat ergo se regem Jerusalem, *primo*, quia illa erat metropolis duodecim tribuum, ac proinde regni totius caput. Sic Nabuchodonosor a Jeremia vocatur rex Babylonis, id est monarchiæ Chaldæorum, cujus caput erat Babylon Et Sardanapalus vocatur rex Ninives, id est Assyriorum, quorum metropolis erat Ninive. *Secundo*, quia in Jerusalem erat academia, vigebatque studium sapientiæ, quam hic docet Salomon. *Tertio*, quia in eadem erat aula regia, in qua regnare solet luxus, avaritia, invidia, fastus, omnisque vitiorum et cupiditatum vanitas, a qua cives et aulicos suos hic avocat Salomon.

De etymo et splendore Jerusalem dixi *Hebr.* VII, 1; *Genes.* XIV, 18, et alibi. Vide et Josephum et Adrichomium in descriptione Jerusalem.

Mystice, Ecclesiastes est Christus, qui electis suis persuadens contemptum vanitatis mundi, et amorem cœli, est rex Hierosolymitarum, id est videntium et contemplantium Deum, ideoque pace fruentium. Jerusalem enim hebraice idem est quod visio pacis.

2. VANITAS VANITATUM, DIXIT ECCLESIASTES : VANITAS VANITATUM, ET OMNIA VANITAS. S. Augustinus, lib. *De Quantit. animæ*, cap. XXXIII, et *De Vera religione*, cap. XXI et XXXIII, et alibi legit : *vanitas vanitantium*, id est vanitati servientium rebusque vanis inhiantium. Hi enim sunt vanitantes factique vani, sicut ea quæ dilexerunt; aut vanitantium, id est fallentium, et vana specie decipientium. « Vanitas, » ait S. Augustinus, est fallacia, et « vanitantes » sunt falsi vel fallentes. Idem tamen S. Augustinus, lib. I *Retract.* cap. VII, ait quod, licet ista expositio vera sit, mendosa tamen sit lectio, cum juxta Græcum legendum sit : *Vanitas vanitatum*. Chaldæus, *vanitas vanitatum sæculum hoc : vanitas vanitatum omne quod laboravi, omnino vanitas*. Aquila, Symmachus, Theodition cæterique interpretes, ait S. Hieronymus, vertunt : Ἀτμὸς ἀτμῶν, id est, *vapor vaporum, et omnia vapor;* Syrus, *inanitas inanitatum, et omnis res inanitas;* Arabicus, *vanitas vanitatum, universitas rerum vana*. Alii, *nihilum nihil, et omnia nihil*. Sic et Nyssenus. Gregorius Thaumaturgus metaphrastice vertit, *quam inania sunt nulliusque pretii cuncta hominum studia, simul ac negotia!* Anonymus, *cunctæ res otiosæ, viles, erroneæ, mendaces.* « Sublimis prorsus, ait S. Chrysostomus, serm. *Contra Concub.*, et cœlis digna vox, quam Salomon ad se reversus, et quasi Vers. 2.

ex umbrosa quadam abysso ad lumen veræ sapientiæ respicere valens, emisit tandem. » Idem, Parænetica *ad Eutropium* : « Hunc, inquit, versiculum, si saperent qui in potentia versantur, in parietibus omnibus, et in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in ingressibus; quoniam quidem multæ sunt rerum facies, multæ imagines falsæ, quæ decipiunt incautos, istud oportet quotidie salutare carmen, et in prandiis, et in cœnis, et in conventu unumquemque proximo suo canere, et a proximo suo libenter audire : Quia vanitas vanitatum est, et omnia vanitas (1). »

Vanitatis etymon.

Grammatice et etymologice vanitas est vacuitas, inanitas, levitas a qua res dicitur evanida, dum cito perit et evanescit. Audi Nonium Marcellum, lib. IV : « Vanum, inquit, leve, inane. Virgilius, *Georg.* lib. I : Sed illos exspectata seges vanis elusit aristis. Vanum est mendax. Virgilius, *Æneid.* I : Ni frustra augurium vani docuere parentes. Sallustius, *Jugurthæ Bello* : Mauri vanum genus. M. Tullius, *de Offic.* lib. I : Nihil enim proficiunt nisi admodum mentiantur, nec vero quidquam est turpius vanitate. Idem *Tuscul.* lib. III : Tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Vanum, insidiosum, subdolum. Virgilius, *Æneid.* lib. II : Nec si me miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. Vanum, obscurum. Virgilius, *Æneid.* IV : Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram. M. Tullius, *De Republ.* lib. IV : Ut nostra vero ætas cum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed jam evanescentem vetustate. »

Donatus vero et Aruntius ita distinguunt hæc tria, falsum, vanum et fictum : « Falsum, inquiunt, est quo tegitur id quod factum est; vanum, quod fieri non potest; fictum, quod non est factum et fieri potuit. Falsum est fictum mendacium simile veritati; vanum nec possibile, nec verisimile; fictum totum sine vero, sed verisimile. Falsum loqui mendacis est, fictum callidi, vanum stulti. Falsum loqui culpæ est, fictum virtutis, vanum vecordiæ. Falsis decipimur, fictis delectamur, vana contemnimus. »

Vanitas ergo opponitur rei velut umbra; res enim, puta corpus, est ipsa veritas, cujus vanitas est ejus umbra. Quare sicut umbra sequitur suum corpus, sic creatura sequatur suum Creatorem, ne evanescat, et in nihilum abeat. Omnis enim res creata in fieri, esse et conservari pendet a Deo, sicut radius a sole. Quare sicut sole se subducente radius evanescit, sic Deo manum, id est operationem et conservationem suam subducente, res creata redit in suum nihilum, ex quo a Deo per creationem educta est.

(1) Maurer explicat, *o summam vanitatem ! o summam vanitatem ! omnia vana sunt !* Juxta Rosenmullerum vero, *vanitas vanitatum* est prædicati loco, ita ut subjectum propositionis sit *omnia*, id est *hoc universum*, ut constructio sit talis, *universum hoc est vanum, imo vanissimum.*

« Vanus, ait Servius, dicitur quasi vacuus, et quasi vanno eventilatus. » Ovidius, III *Amor.* :

Ceres sterilem vanescit in herbam.

« Hinc vanus vocatur stultus, quasi mente vacuus, qui in rebus inanibus studium collocat. Vanus quoque dicitur mentiens et infidus, qui levia inaniaque pro gravibus et veris astute componit. »

Vanus ergo est vanidicus, vaniloquus, levis, mendax. Hinc vanitas vocatur levitas, mendacium, fallacia. Vanitati opponitur veritas, fidelitas, constantia. Unde Cicero, lib. II *De Natura Deorum* : « Nulla igitur, ait, in cœlo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest, contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia. » Et lib. II *De Legibus* : « Animi labes nec diuturnitate vanescere (id est evanescere, aboleri), nec manibus ullis elui potest. » Et *ad Herennium*, lib. II : « Vana est ratio, quæ ex falsa causa constat. »

Vanitatis sex significata.

Vanitas ergo multa significat : nam vanitas *primo*, est inanitas; *secundo*, brevitas; *tertio*, mutabilitas; *quarto*, interitus; *quinto*, mendacium; *sexto*, fraus et fallacia : quæ omnia huic loco congruunt. Unde pari modo vertas, *inanitas inanitatum, et omnia inanitas; brevitas brevitatum, et omnia brevitas; mutabilitas mutabilitatum, et omnia mutabilitas*, et sic de cæteris, *q. d.* Omnia quæ in mundo, præsertim sublunari existunt, sunt summe inania, brevia, mutabilia, corruptibilia, mendacia, falsa et fallacia. Ex adverso super lunam in cœlo apud Deum omnia sunt solida, longa, immutabilia, incorruptibilia, vera et fidelia. Vanitas enim terrestrium opponitur veritati cœlestium, quod in illis sit inanitas, in his soliditas; in illis brevitas, in his æternitas; in illis mutabilitas, in his immutabilitas; in illis interitus, in his constantia et constans existentia; in illis mendacium, in his veritas; in illis fallacia, in his fidelitas. O prima summaque veritas, veraque soliditas, solida charitas, chara æternitas ! Deus meus et omnia, da ut nulla nos moveat vanitas, nec vana inanitas, nec inanis carnalitas, nec carnalis fugacitas, sed totos nos ad se rapiat tua veritas veraque felicitas.

Porro Hebræi utuntur abstractis pro concretis ad significandam rei excellentiam. Sic « Sanctum sanctorum » ab eis vocatur « Sanctitas sanctitatum, » id est eximie et summe sanctum ac venerandum. Sic Deus ait Abrahæ, *Genes.* XII, 2 : « Erisque benedictus; » hebraice, *eris benedictio*, id est, affluens omni benedictione, ut non tam benedictus, quam ipsa benedictio nuncupari possis. *Psal.* CX, 3 : « Confessio et magnificentia opus ejus, » hoc est, opus Dei ita magnificum est, ut ipsa magnificentia dici queat; ideoque adeo laudabilis, ut ipsa confessio, id est laus vocari possit. Sic I *Corinth.* I, 30, de Christo dicitur : « Factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio, » hoc est, factus est summus et sapientissimus justificator, sanctificator, redemptor noster. Sic ergo dicitur creatura quæ-

libet « vanitas vanitatum, » id est vanissima, idque triplici de causa :

Creatura vanissima tribus de causis. Prima.

Prima est, quia respectu Dei creatoris, qui est pelagus entitatis omnisque perfectionis, creatura omnis est quasi non ens et nihilum, juxta illud : « Substantia mea tanquam nihilum ante te, » *Psalm.* XXXVIII, 6; et : « Omnes gentes quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei, » *Isaiæ,* XL, 17; et : « Luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, » *Job* XXV, 5.

Secunda.

Secunda, quia nulla res creata hominem potest beare, aut ejus desiderium, utpote immensum, exsatiare. Vera enim saties et felicitas sita est in solo Deo, utpote quaquaversum infinito. Si alibi eam quæris, vane et frustra quæris.

Tertia.

Tertia, quia homo sua stultitia rebus creatis abutitur ad vanitates, ut scilicet vanas suas concupiscentias illis expleat, quibus sibi interitum præsentem et æternum accersit. Id clare ostendit Sapiens ex idolis dicens, *Sap.* XIV, 11 : « Creaturæ Dei (quæ a Deo bono bonæ creatæ sunt) in odium factæ sunt (vitio hominum, iis quasi diis inhiantium), et in tentationem pedibus insipientium (offendentium in illarum abusu, nimio amore et cultu) : initium enim omnis fornicationis est exquisitio idolorum : et adinventio illorum corruptio vitæ est. Supervacuitas (vanitas) enim hominum hæc adinvenit. »

Habel Hebraice quid?

Hebraice, pro *vanitas vanitatum, et omnia vanitas,* est : הבל הבלים הכל הבל *habel habalim haccol habel.* Vanitas dicitur הבל *hebel,* vel *habel* a rad. הבל *habal,* id est vanus fuit, viluit, evanuit. Unde הבל *hebel,* ait Pagninus, est res quæ non est quippiam, aut quæ cito desinit, ut vapor, aut flatus qui exit ab ore. *Habal* cognationem habet cum אבל *abal,* id est luxit, a lugeo : lugemus enim res evanescentes, puta homines, cum moriuntur; et cum בהל *bahal,* id est exterritus est : mors enim vanitatem vitæ amantibus est omnium terribilium terribilissimum, ait Philosophus; et cum בלה *bala,* id est inveteravit, vetustate corruptus et consumptus est, juxta illud Ovidii XV *Metamorph.* :

> Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
> Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi,
> Paulatim lenta consumitis omnia morte :

Tempus enim cito senectam, vetustatem, mortem et interitum rebus omnibus adducit, et cum נבל *nabal,* id est cecidit; defloruit, emarcuit. Sicut enim rosa mane roseo colore et odore vernans, vespere marcescit; sic juventus ejusque decor in morte, vel senecta deperit, marcescit, evanescit. Hæc enim omnia tendunt ad vanitatem et nihilum. Ab hebræo *habel,* id est *vanitas,* nonnulli per aphæresin derivant latinum *bulla,* qua nihil est vanius, ut videre est, cum pueri ex smegmate et aqua per fistulam, eam halitu suo (quem significat *habel*) inflando educunt; hæc enim ascendens in aerem illico tenuem vanescit in auram. Unde illud : *Homo bulla.* Ab *habal* quoque derivant græcum φαυλίζω, id est vilipendo; et φαυλίζομαι, id est vileo, vilesco; et φαῦλος, id est vilis, vanus, contemptus, homo nihili. *Hebel* ergo et *habel* hebraice idem est quod vanitas, nihilum, flatus, res nihili et nullius momenti, ait Nyssenus. Unde quædam antiqua Hispaniensium Hebræorum versio, teste Pineda, sic legebat, *nada de nada, dix coheled; nada e nada, toto es nada.* Hinc *Abel* hebraice dicitur *Habel,* id est *vanitas,* quia occisus a Cain cito periit et evanuit, ideoque primum vivumque fuit speculum vanitatis et brevitatis vitæ humanæ; quia « in imagine (instar umbræ) pertransit homo. » Et : « Universa vanitas omnis homo vivens, » *Psalm.* XXXVIII, 6, quod sic explicat Hugo, *q. d.* In homine existit trina omnisque vanitas, scilicet « concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ : » quæ ipse late exaggerat.

ματαιότης; quid?

Græce Septuaginta vertunt : Ματαιότης ματαιοτήτων, τὰ πάντα ματαιότης, id est, *vanitas* vel *inanitas inanitatum, et omnia inanitas;* ματαιότης enim derivatur a μάτην, id est frustra, inaniter, in cassum, in vanum, abs re, sine fructu, futiliter, ideoque stulte; unde a μάτην derivant italicum *matto,* id est stultus. Sensus est, *q. d.* homines vani, quasi cerebro vacui et stulti sectantur vanas opes, honores, delicias frustra et sine fructu, quia illas sæpe non obtinent; et esto obtineant, diu iis gaudere, iisque se satiare nequeunt; imo illa hominem ad finem suum, ad quem a Deo creatus et ordinatus est, puta ad æternam felicitatem non conducunt, sed sæpe abducunt, et in gehennam deducunt. Stultus enim est, qui rebus futilibus se occupat, qui laborat frustra, ac labores suos prodigit, imo per labores seipsum perdit et damnat, cum iisdem facile se salvare et beare potuisset, si eos Deo impendisset : « Ματαιότης, sive *vanitas,* inquit Nyssenus, hic est vel verbum, quod non cadit sub cogitationem et intelligentiam; vel res inutiles; vel consilium, quod non potest consistere; vel studium, quod non pervenit ad finem; » vel, ut in summa dicam, id quod in quavis re utili non potest constare.

Vapor quid?

Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt, ἀτμὸς ἀτμῶν, τὰ πάντα ἀτμός, id est, *vapor vaporum, omnia vapor;* ἀτμὸς enim, ait S. Hieronymus significat vaporem fumi et auram tenuem, quæ cito resolvitur. Vapor est exhalatio calida et humida vi solis ab aqua, vel aqueo educta, ut docet Aristoteles, I *Meteor.* Rursum vapor est causa materialis omnium eorum quæ in alto vel imo generantur, ait Albertus Magnus *De Passione aeris;* hinc omnia, æque ut vapor, evaporant et evanescunt. Unde illud nostri Justi Lipsii funebre carmen, quod ipse vivens composuit, et moriens sepulcro suo velut sapientiæ et eloquentiæ suæ epitaphium inscribi jussit :

> Vis altiore voce me tecum loqui?
> Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
> Et scenæ imago, verbo ut absolvam, nihil.

De vaporis natura audi disserentem S. Gregorium Nyssenum in *Hexamero*, sive in historia sex dierum, longiuscule ante finem : « Quoniam igitur vaporis concretio atque conglobatio nubes est, vapor autem tenuium partium humoris exspiratio atque exhalatio est, omnino necesse est, cum ardore nubes exusta fuerit, tenue illud et individuum vaporis corpus, etiamsi humidam qualitatem non conservet, non tamen, quod ad ipsum attinet subjectum, ad interitum et abolitionem transire, ad nihilum redactum. Quatuor enim circa vaporem considerantur, humidum, frigidum, grave, quantitas. Ex his quæcumque igni contraria sunt, vi prævalentis conficiuntur et e medio tolluntur. Neque enim humidum, neque frigidum, si in igne versetur, tale permanet. »

Vita est vapor. Ad hanc Aquilæ, Symmachi et Theodotionis versionem respexit S. Jacobus in *Epist.* cap. IV, 15, dicens : « Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. » Vide ibi dicta. Hinc et *Psalm.* LXXVII, 33, ubi nos habemus : « Defecerunt in vanitate dies eorum, » Chaldæus vertit, *consumpti sunt dies vitæ vestræ tanquam vapor oris in hieme.* Igitur sicut fumus et vapor quo altius ascendit, eo fit tenuior, citiusque evanescit : sic homo quo ad altiores honores et plures vitæ annos provehitur, eo citius abit et emoritur.

Res vana similis ciphræ. Significat ergo hæc gnome nihil sub cœlo esse solidum, nihil stabile, nihil durabile; sed omnia esse inania, inconstantia, mutationi perpetuæ obnoxia, brevia, caduca, circulantia, in orbem euntia et abeuntia. Quare similia esse ciphræ 0, inquit Arias Montanus, quæ si a numero solido separetur, nihil efficit, nec numerus est, sed inanis exilisque circulus : sic enim omnia sub cœlo per se nude spectata, inania sunt, parvique, imo nullius valoris et pretii. Rursum quo magis ciphram solam multiplicas, eo inanius plura inania coacervas; quid enim efficiunt, aut significant 000000? Utique nihil. Sic pariter quo plures opes, honores, cæterasque res vanas coacervas, eo inanior et vanior, ac vano superbiæ vento fastusque turgidior efficeris. At sicut ciphra, addito numero solido, eum adauget, v. g. si ciphra 0 præfigas 2, efficis viginti; si 3, triginta; si 6, sexaginta; si 9, nonaginta : sic pariter si vanitas veritati adhæreat et copuletur, id est si homo Deo se jungat, et ad ejus honorem opes in se vanas coacervet et expendat, efficiet actus nobiles charitatis, eleemosynæ cæterarumque virtutum, quibus Deo honorem, proximis vitam, sibi salutem æternam conciliabit. Denique sicut ciphræ ordine collocatæ, quo loco situque uno remotiores sunt a numero solido, eo in decuplum immediate præcedentem adaugent; unde 0 additum 2 eum adauget in decuplum : nam 20 faciunt viginti, quæ sunt decuplum binarii; si deinde secundum 0 subnectas viginti, augebis in decuplum : nam 200 faciunt ducenta, quæ sunt decuplum vicenarii; si ulterius tertium 0 subjungas, ducenta augebis in decuplum : nam 2000 faciunt duo millia, quæ sunt decuplum ducentorum. Insuper si quartam ciphram 0 tribus præcedentibus annectas, augebis duo millia in decuplum : nam 20000 faciunt viginti millia, quæ sunt decuplum duorum millium; si quintam ciphram 0 ordine consequenti addas, facies ducenta millia, quæ sunt decuplum viginti millium, et ita consequenter. Sic pariter quo plura temperantiæ, patientiæ, fortitudinis, ac præsertim humilitatis et charitatis opera vitæ tuæ in se vanæ, attexis, eo majoribus gratiæ et gloriæ incrementis merita et coronam tuam adauges; ac præcipue quo a numero solido, id est a Deo per crebros magisque demissos actus humilitatis te elongas, et profundius in abyssum tuæ vilitatis descendis, eo tuum tuorumque operum et virtutum valorem et pretium majoribus, et quasi decuplatis lucris apud Deum intendis, ac in dies prioribus meritis longe augustiora accumulas. Unde Arias Montanus censet Ecclesiasten hebraice dici *coheleth*, id est collectorem, quod arithmetice vanitates rerum singularum, adjecta ciphra 0, puta hoc lemmate : *Vanitas vanitatum*, enumeret. « Ubi putatis, inquit Hugo Victorinus, mens erat hujus hominis, cum hæc diceret? Homo erat, sed super hominem erat in claritate insolita (lucis divinæ) etc. In hanc igitur iste supra omnia caduca et transitoria mente raptus, vidit universorum nihil esse quod maneat, et quasi stupore novæ hujus atque insolitæ visionis territus, exclamavit : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Universitatem enim intuebatur, et totam vanitati subjectam, ejusque vanitatem omnium vanitatum vanitatem, id est omnem vanitatem in se continentem, quasi genus omnium generum (eo quod omnia in se rerum genera contineat) appellavit. Omnia enim vanitas, et ex omnibus universitas, et universa vanitas. »

Advertite ergo, o filii Adæ, audite Salomonem, et Salomonis parentem Davidem regem intonantem : « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » *Psalm.* IV. Ut quid diligitis et ambitis opes, honores et delicias terrenas, quæ vanæ sunt et mendaces, imo ipsissima vanitas et mendacium? illico enim evanescunt, et sui amatores in æterna gehennæ incendia detrudunt. Ut quid non ambitis opes et honores cœlestes, quæ in æternum durant, et vos perpetua felicitate beabunt? ut quid servitis mundo vano et fallaci? quænam hæc amentia? ut quid non servitis Deo vero et fideli in promissis! Mundus enim est vanitas vanitatum, et omnia vanitas; Deus est veritas veritatum, et omnia veritas. Mundus est vanitas, Deus veritas.

Ratio a priori. Ratio a priori est, quod Deus solus sit ipsum esse per essentiam, id est essentiæ pelagus immensum, solidissimum, æternum, independens, immutabile, optimum, sapientissimum, perfectissimum quaquaversum per omnes entis gradus et species. Cæteræ vero res omnes a Deo creatæ,

ac præsertim sublunares, esse ab eo participant diminutum, dependens, instabile, temporale, caducum, umbraticum, mutabile, miserum, errans, imperfectum. In Deo ergo solo est veritas essendi, in creaturis vero umbra duntaxat et vanitas essendi. Unde Deus ait, *Exodi* III, 14 : « Ego sum qui sum, » sive « ego sum Jehova. » Vide quæ ibi hac de re fuse dixi; ubi ostendi quod sicut Dei nomen est *ens*, vel *qui est*, sic creaturæ nomen est *non ens*, *non sum*.

Quocirca S. Athanasius in *Synops. sacr. Script.* asserit, « hunc librum quosvis instruere ad pietatem, et universa transcendere, atque hortari ut æternorum memoriam servemus, ut sciamus futurum aliquando ut mundus hic præsens finiatur. » Additque hoc libro « confutari vanam et aberrantem Ægyptiorum philosophiam. Videtur ergo, inquit, in hoc libro de naturali philosophari theoria, etc. Dejicit etiam Ægyptiorum religionem circa divinationem ex hominis nativitate, dicens : Qui observat ventum, non seret. »

Objectio. Objiciebant hæretici initio Ecclesiastæ citati, quod videatur hic criminari et damnare vanitatis omnes creaturas, cum tamen ipsæ a Deo vero et bono veræ et bonæ creatæ sint. Unde occasionem sumpsere manichæi dicendi creaturas corporeas esse vanas et malas, ac a deo malo creatas. Resp. primo. Respondeo *primo*, plane et genuine, creaturas in se veras quidem et bonas esse; sed si cum Deo creatore comparentur, vanas esse et umbraticas. Infinitis enim partibus a Deo superantur; sicut umbram suam in immensum superat sol. Unde Nyssenus : « Huc, inquit, tendit vox Ecclesiastæ, non oportere ad hanc sensibilem intueri vitam, quæ si conferatur cum ea quæ vere est vita, non est, nec potest subsistere. » Et S. Hieronymus : « Aspiciens, inquit, elementa et rerum multiplicium varietatem, admiror quidem corporum multitudinem; sed recogitans omnia transire, et suo fine senescere, solumque Deum idem semper esse quod fuerit, cogor non semel, sed bis dicere : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Et S. Gregorius, lib. V *in* I *Regum* I, 12 : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. In comparatione etenim æternorum bonorum vana sunt omnia, etiam bona temporalia; quidquid enim in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto est, quia difficile habetur, et cito amittitur. Repente quidem alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta et prospera evanescunt. Nam cum stare in his floribus mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina et omnia deturbante, morte concluditur. Vana ergo sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blandiuntur, sed amatores suos cito transeundo decipiunt. Dicat ergo propheta Samuel : Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis; quasi dicat : Stulte appetuntur bona sæculi, quæ ab appetitoribus suis non poterunt diutius teneri. »

Secundo. Respondet *secundo*, S. Chrysostomus ad illud *Ephes.* IV : « In vanitate sensus, » *homil.* 12, non tam creaturas esse vanas, quam vana hominum studia, quæ in iis plus æquo desudant, nec eas ad debitum finem referunt : « Quæ, inquit, a Deo facta non sunt, sed nostri opificii. Cœlum non est vanum, neque terra, neque sol, neque ipsum corpus nostrum. Absit hoc, sed quid vanum est? Plantavi mihi vineas, constitui mihi cantores, coacervavi aurum et argentum, » etc. Eleganter vero addit : « Rerum tuetur naturas solidas, et in bono constantes; humanas vero depravatæ nostræ naturæ artes et inventiones suggillat, quæ non solum animos nostros, sed creaturas ipsas corrumpunt et depravant. »

Tertio. *Tertio*, respondet S. Athanasius in *Synopsi*, non hic damnari creaturas, sed concupiscentiæ circa eas vanitatem et inconstantiam, præsertim dum in iis ultimum suum finem, omneque bonum et felicitatem Deo posthabito collocant : « Non, inquit, ut creaturam criminaretur, sed ut æterna contemplatus, temporariorum desideriorum admoneret esse vanitatem. » Quocirca Olympiodorus non simpliciter « vanitatem, » sed « vanitatem vanitatum » dictam esse censet, « ut manifeste nos doceret voluptatem hominum, quæ circa mundana versatur, vanitatem esse. » Idemque in Præfatione : « Ut consilia, inquit, hominum reprehendat, qui in hoc mundo spem suam collocasse videntur. » Thaumaturgus vero in sua paraphrasi pathetice exclamat : « Quam vana et inutilia sunt ea omnium hominum negotia et studia, quæ in humanis rebus suscipiuntur. »

Hoc est quod ait S. Augustinus, lib. *De Vera relig.* cap. XXI : « Nisi sunt vanitates, non erunt alia vanitas; » idque explicat exemplo arundinis in aquam immersæ, quæ cum appareat fracta, nulla est arundinis perversitas, sed vel judicii, vel visus deceptio fractam opinantis : sic sane non est vanitas aut perversitas rei visibilis, quod ad speciem fulgeat, sed animi carnalis et pravi, qui illi totum se mancipat, illaque contra Dei legem voluntatemque utitur et abutitur.

Accedit Vatablus : « Una sententia, inquit, damnat omnes omnium opiniones, qui felicitatem alibi quam in Deo ponunt. » Et mox : « Non hic damnantur creaturæ Dei, sed pravus affectus et cupiditas hominum, qui non sumus contenti præsentibus istis creaturis Dei, et earum usu, sed semper anxii sollicitique accumulare divitias, honores, gloriam, famam, quasi perpetuo hic victuri, fastiditis interim illis quæ adsunt, et alia ex aliis semper affectantes. Hæc est enim summa vanitas et miseria, se usu bonorum præsentium fraudare, et frustra affligi de futuris. »

Hæc de gnome ista summatim dicta sint; nunc singula ejus verba ad bilancem revocemus, et penitius libremus et expendamus.

VANITAS VANITATUM. — Cajetanus vertit, *vanitas, vanitates* : « Salomon enim, inquit, subjungit in-

troducendo nunc aliquam vanitatem, nunc multas vanitates simul; nusquam vero introducit unam aliquam vanitatem excessivam, quam appellet vanitas vanitatum, » *q. d.* In omnibus rebus est vanitas, imo non una vanitas, sed multæ vanitates in ea confluunt. Verum longe melius Noster, Septuaginta, Chaldæus, Syrus, Arabicus, cæterique omnes vertunt per regimen genitivi, *vanitas vanitatum,* quod *primo,* Gratianus, *De Pœnitentia,* distinct. 2, cap. finali in calce, per vanitatem accipiens mutabilitatem, exponit, *q. d.* Vanitas mutabilitatis et mutationum continuarum est in rebus omnibus; omnes enim sunt in continuo motu, fluxu et permutatione, nunquam in statu et requie. Audi Gratianum : « Hinc etiam, ait, Ecclesiastes : Cuncta quæ sub sole fiunt, id est quæ temporum vicissitudinem recipiunt, non tantummodo vanitas, quæ omni creaturæ ratione mutabilitatis inest, sed etiam vanitas vanitatum varietate permutationis, quam recipiunt esse dicuntur. »

Vanitas vanitatum, quid? Prima expositio.

Hic sensus appositus est, sed arctior; nam præter mutabilitatem multæ aliæ sunt vanitates in rebus.

Secunda. *Secundo,* alii exponunt, *q. d.* Mundus hic est vanitas vanitatum, hoc est universitas et complexio omnium vanitatum; conflatur enim ex singulis singularum rerum vanitatibus. Ita Hugo Victorinus, quem audi : « Tantum elevatur Canticum Canticorum a Cantico, quantum canticum a verbo, et deinceps verbum a silentio; et tantum sæculorum sæculum a sæculo, quantum sæculum solum a momento, vel item momentum a nihilo : simili que progressione hic per contrarium facta, tanto vanitas vanitatum deterior est a simplici vanitate, quanto vanitas ab essentia solida et permanente. Sic per inculcationem legi potest sententia : Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum et omnia vanitas, ut in omnibus omnimoda vanitas exprimatur, et ex omnibus summa quædam confici intelligatur, quæ omnem contineat vanitatem; ut quasi singula quæque per se vanitas sint, et universitas ex omnibus collecta sit vanitas vanitatum. Sic in creatione rerum, cum opera sua compleret Deus, unumquodque opus per se bonum dicitur, et novissime universitas, perfectis omnibus, valde bona nominatur. »

Tertia et genuina. *Tertio* et genuine, cum dicit Salomon : « Vanitas vanitatum, » est hebraismus, significans vanitatis præeminentiam et summitatem. Hebræi enim cum quid præcellens et summum in aliquo genere significare volunt, illud congeminant per regimen genitivi, ut cum dicitur : Canticum Canticorum, hoc est carmen excellens, Deus deorum, Rex regum, Dominus dominantium, cœlum cœlorum, sabbatum Sabbatorum, Sanctum sanctorum, sæculum sæculorum, Virgo virginum, mysterium mysteriorum, seu Sacramentum sacramentorum, græce apud Dionysium, *Cœlestis Hier.* cap. III. τελετὴ τελετῶν, puta Eucharistia. Dicitur ergo : « Vanitas vanitatum, » id est summa, maxima, plenissima, vanissima vanitas, scilicet est mundus hic sublunaris, sive res omnes terrenæ. Audi Nyssenum hic, *homil.* 1 : « Dicitur, inquit, vanitas vanitatum, id est, exsuperans in vanitate; perinde ac si quis dicat : Mortuo magis mortuum, et inanimo magis inanimum : ita etiam vanitas vanitatum ostendit inseparabilem in vanitate exsuperationem. » Unde inferius homines vana sectantes comparat pueris facientibus domos in arena, quæ mox arena corruente corruunt : « Hoc est, inquit, humana vita : arena est ambitio, arena est potentia, arena divitiæ, arena est quidquid est ex iis, quibus magno studio per carnem fruimur, in quibus, ut quæ minime valeant subsistere, vane laborantes infantiles animæ, et in unoquoque eorum multos labores tolerantes, si solum arenæ locum reliquerint, quæ in carne, inquam, transigitur vitam, tunc agnoscent quam in hac re vanum posuerint studium. Nam cum vita materiali simul manet delectatio; secum autem nihil trahunt præter solam conscientiam. »

Audi S. Chrysostomum, homil. 55 *ad Popul. Antioch.* : « Vanitas vanitatum non simpliciter vanitas, sed per excellentiam. Salomoni, quæso, credamus, et res apprehendamus, in quibus non est vanitas, ubi veritas, ubi cuncta firma sunt atque stabilia, ubi sunt omnia supra petram ædificata, ubi senectus non est, nec transitus. » Idem Chrysostomus in *Psalm.* IV : « Quis est adeo excors, ut quærat nomina, quæ rebus destituuntur? et persequatur inania, quæ oportet fugere? Nonne omnia mentiuntur et decipiunt? Ideo dixit Ecclesiastes : Omnia vanitas. »

Salomon de se in tertia persona loquitur. Cur?

DIXIT ECCLESIASTES. — Loquitur Salomon de se quasi de tertia persona : *primo,* ut significet primarium auctorem libri esse Spiritum Sanctum; qua ratione Balaam de se ait : « Dixit auditor sermonum Dei, » *Num.* XXIV, 4; et S. Joannes, cap. XXI, 7, ait de se : « Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus. » *Secundo,* id facit modestiæ et humilitatis ergo, qua de causa S. Paulus de se quasi de alio ait : « Scio hominem in Christo raptum in Paradisum, » II *Cor.* XII, 2. *Tertio,* ut res adeo ingentes, salutiferas et admirabiles, obvias tamen, et quæ quotidie in oculos occurrunt, sed præ hominum stupore non advertuntur, quasi de longinquo ostendat. Ita Hugo Victorinus et Bonaventura.

Omnia vanitas quid?

ET OMNIA VANITAS. — In Hebræo non est τὸ *et,* sed subintelligitur a Nostro, Septuaginta et aliis. Hebræa ergo sic habent, *vanitas vanitatum, omnia vanitas,* vel *omne vanitas,* vel *omnis vanitas,* vel *totum vanitas.*

Prima explicatio.

Primo, genuine hanc gnomen de universo, sive mundo, præsertim sublunari, cum Chaldæo sic exponas collective, *q. d.* Universum hoc quod oculis circumlustro, cum tota rerum suarum congerie, est *vanitas vanitatum,* id est summa et extrema (ut vertit Vatablus) vanitas, *et omnia,*

quæ in eo existunt, sunt *vanitas*, id est mera, nuda, pura, integra vanitas. Sic enim non decrescit, sed potius accrescit vis et nervus sententiæ per τὸ *omnia vanitas*, tum quia τὸ *omnia* significat nullam plane rem in mundo esse expertem, sed plenam vanitatis : quis enim excipiat dicatque : Mundus quidem est vanitas vanitatum, id est refertus variis vanitatibus; at non singula, quæ in eo sunt, vana; occurrit illudque confutat, dicendo : imo singula et omnia quæ in eo sunt, vanitas; tum quia τὸ *vanitas* idem est quod mera, imo ipsissima vanitas, hoc est vanissima vanitas. Unde ex Chaldæo vertunt Regii, *omnino vanitas*.

Secundo, potest hæc gnome accipi distributive, et adaptari singulis rebus mundi, *q. d.* Non tantum totus mundus, sed et singulæ partes, imo singulæ res mundi sunt *vanitas vanitatum*, id est vanissimæ; *et omnia* quæ in eis sunt, id est omnia earum accidentia, dotes, formæ, species et qualitates, sunt mera *vanitas*.

Unde posset ex Hebræo sic verti, *vanitas vanitatum, omnis vanitas*; sicque exponi per metathesin, quasi dicat : *Omnis vanitas*, id est, omnis res mundi in se vana est *vanitas vanitatum*, id est, plenissima vanitatibus.

Igitur sicut Xerxes ex sublimi specula contemplans suum exercitum, qui continebat ad decies septies centena millia hominum, illacrymans dixit : « Post centum annos nemo ex his omnibus in vita superstes erit : » sic Salomon ex alto felicitatis suæ, aut potius sapientiæ solio aspiciens mundum hunc sublunarem, et omnia quæ in eo sunt, vidensque eorum vanitatem exclamat, et toti mundo, imo sæculis omnibus inclamat : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » O miseri vanique mortales! utquid vanis inhiatis et intabescitis? utquid vanis incubando cum vanitate evanescitis? Nonne vides, o homo! nonne sentis, nonne manu tangis res omnes esse vanas, fugaces, fallaces? Quænam ergo dementia illas tanto ardore prosequi, illis tanto affectu adhærere, illis inniti? cum nihil sit in eis solidum, nihil magnum, nihil durabile, quod hominem beare, aut immensam animi ejus capacitatem et desiderium exsatiare valeat. Esto enim res omnes bonæ, et consequenter veræ, a Deo bono et vero creatæ sint, tamen in se et ex se non bonæ nec veræ, sed malæ et vanæ sunt, quia ex se nihil sunt, ideoque in nihilum proclives : continua enim declinatione devergunt, ut in suum nihilum, ex quo a Deo per creationem eductæ sunt, revolvantur et relabantur. A Deo ergo habent quod bonæ, quod veræ sunt : quia omne suum esse, omnem essentiam et existentiam a Deo acceperunt. Hæc rursum multa vanitate permixta est : ideoque Salomon in hac gnome τὸ *vanitas* iterat, triplicat, imo quintuplicat : quinquies enim repetit nomen vanitatis, ut multiplicem et quasi innumeram creaturarum vanitatem demonstret : quia enim ipsæ a Deo hauserunt esse participatum, imminutum, limitatum, modicum et remotum, præsertim quæ sublunares et terrestres sunt, hinc illud habent assiduo motui, agitationi, alterationi, defectui, miseriæ, interitui obnoxium, ideoque vanum et quasi umbraticum, aut nullum præ Deo, qui est plena et omnimoda entitas, veritas, stabilitas, beatitudo et perfectio, ac præ Dei cultu, felicitate, et rebus æternis, quæ Dei veritatem et felicitatem participant. Hoc est quod ait Apostolus, *Rom.* VIII, 20 : « Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe : quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. » Quocirca hæc propositio : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; » cum sit generalis, vera est in rebus et objectis tam lætis quam malis et tristibus. Hæc enim, æque ut illa, sunt vana, id est, exilia et brevia præ Deo, præ æternis gaudiis et pœnis. Salomon tamen prius duntaxat in sequentibus prosequitur; proposito enim hoc quasi libri themate : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » illud deinde ex singularum rerum inductione demonstrat, scilicet ex vanitate et circulatione ventorum, solis, fluminum, et fusissime rerum humanarum; ac post singulas sæpe iterat suum thema, suamque conclusionem perurget : « Vanitas ergo vanitatum, et omnia vanitas. » Subinde tamen eam reticet, et lectori inferendam relinquit. Hinc

Vanitas vanitatum est homo. Cur?

Tertio, hæc gnome appropriari potest homini, propter quem totus hic mundus, et omnia hæc vana creata sunt, quique parvus quidam est mundus; imo ad hominem solum eam arctat Chaldæus, Cajetanus et alii, *q. d.* Homo est vanitas vanitatum, id est universitas vanitatis; et omnia quæ in homine existunt, sunt mera et inanissima vanitas. Quid ergo est homo? est microcosmus vanitatum, est epitome et compendium vanitatum omnium, quæ per res cæteras sparsæ et distributæ sunt. Hoc autem a patre Davide didicerat Salomon, qui *Psal.* XXXVIII, 6, quo hic alludit Salomon, ait : « Ecce mensurabiles posuisti dies meos : et substantia mea tanquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Verumtamen in imagine (instar umbræ et umbraticæ imaginis) pertransit homo. » Homo ergo est universa vanitas, si vivens « multo magis mortuus, » ait S. Hieronymus, quia sicut rerum omnium essentiam, sic et vanitatem in se comprehendit : nam subit injurias corruptibilitatis, ut res inanimatæ; necessitatem nutritionis, accretionis, mortis cum viventibus; sensibilium affectionum et patibilium alternationem qualitatum cum sentientibus; alternationem cogitationum, voluntatum, studiorum, consiliorum cum angelis; at insuper peccatorum, quæ nefanda et cum natura pugnantia sunt, atrocitatem : ut de morbis et ærumnis sileam, quibus supra animalia cuncta obnoxius est homo, ut docent medici, et naturalis historiæ scriptores, et qui deplorant lapsi homi-

nis calamitates. Ita noster Lorinus, et alii passim ex S. Gregorio, homil. 29 *in Evang.* « Omnis creaturæ, inquit S. Gregorius, aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homini prædicatur. » Hinc a Davide et Salomone idem didicere et docuere philosophi. Antistrophæ ergo Salomoni sunt hæ eorum sententiæ : Persii. « O curas hominum, o quantum est in rebus inane ! » Aristotelis, qui rogatus quid esset homo, sic eum definivisse fertur : « Homo est vanitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ ludus, inconstantiæ imago, invidiæ et calamitatis trutina, reliquum vero pituita et bilis ; » alius : « Homo est mancipium mortis, viator transiens. » Sophoclis in *Ajace* : « Video, ait, nos nihil aliud esse nisi simulacra, quotquot vivimus, aut tenuem umbram. » Theognis : « Delectare, ait, anime mi : mox alii erunt viri ; ego vero terra nigra ero. » Pindari : σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, id est, *umbræ somnium est homo*. Philosophus quidam, rogatus quid esset mundus, respondit : « Mundus est scrinium dolorum, schola vanitatis, forum impostorum. » Zeno Imperator, audita suorum clade, fugiens exclamavit : « Ludibrium Dei est homo. » Etenim ut ait Plautus : « Dii nos quasi pilas homines habent. » Plinius scribit Apellem pinxisse Alexandrum Magnum tenentem fulgur manu, quasi imperio penetrantem ab ortu ad occasum ; quia instar fulguris illico ubique victor in triumphis gloriosus apparuit, et mox veneno et morte victus, velut inglorius disparuit. Un de Juvenalis de ejus sepulcro, *Satyr.* 10 :

Gnomæ Philosophorum de vanitate. Græcorum.

Latinorum.

> Unus Pellæo juveni non sufficit orbis ;
> Sarcophago contentus erit : mors sola fatetur
> Quantula sint hominum corpuscula.

Trismegisti : « Exue vestem (corpus) corruptionis vinculum, vivam mortem, sensitivum cadaver, sepulcrum circumvertibile, velamen opacum. » Seneca, *Consolat. ad Martiam*, cap. XI : « Quid est homo ? imbecillimum corpus et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, et ad omnem fortunæ contumeliam projectum. » Idem in *Proverb.* : « Homo vitæ commodatus, non donatus est. » Idem, Præfat. in lib. I *Natural. quæst.* : « Hoc est punctum, inquit, quod inter tot gentes ferro et igni dividitur. O quam ridiculi sunt mortalium termini ! » Imo quam ridiculi sunt mortalium puncto inhiantium animi ! Et mox : « Cum te in illa vere magna sustuleris, quoties videbis exercitus sub rectis ire vexillis, et quasi magnum aliquid agatur, equitem modo altiora explorantem, modo a lateribus affusum, libebit dicere : It nigrum campis agmen, formicarum iste discursus est in angusto laborantium. Quid illis et nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi ? Punctum est illud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis, minima etiam, cum illis utrinque Oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur ; at ita, si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, et expeditus levisque ac contentus modico emicuit. » Et post nonnulla : « Illic incipit Deum nosse. Quid est Deus ? Mens universi. Quid est Deus ? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest. Si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet. » Hoc illi Platonice.

Arabum Proverbium est : « Homo est filius defectus, » id est deficiens et plenus defectibus ; Hebræorum : « Omnis homo mendax, » id est vanus, deficiens, fallax, errans, et ad mentiendum proclivis, *Psal.* CXV, 11.

Denique Democritus, quoties domo egrediens in publicum prodibat, semper ridebat ; Heraclitus vero semper flebat. Rogati cur, responderunt se ridere et flere vanitatem mundi, vanasque hominum occupationes, curas et studia. Alteri enim omnia quæ agimus miseria, alteri ineptiæ videbantur.

Democritus semper ridebat, Heraclitus semper flebat hominum vanitatem.

Magis pie et pathetice exclamat S. Hieronymus in epitaphio S. Paulæ : « O mortalium fragilis et caduca natura ! et nisi Christi fides nos extollat ad cœlum, et æternitas animæ promittatur, cum bestiis ac jumentis corporum una conditio est, idem occubitus justo et impio. » Et alibi : « Sine Christo vanum omne quod vivimus. »

Quæres, quæ et quot in mundo rebusque omnibus creatis sunt vanitates ? Respondetur esse multas et pene innumeras ; sed illustriores cæteris esse duodecim, contrarias totidem veritatibus, verisque bonis in Deo et cœlo existentibus, quæ inspectores movent ad sui contemptum et Dei amorem.

Vanitates mundi duodecim.

Prima est exiguitas : nimirum quod omnis creatura et creata voluptas sit modica ; omnis enim creatura modicum esse accipit a Deo, ac consequenter modicum bonum : bonum enim esse ipsum consequitur, estque proprie passio entis. Quantum ergo est ens, tantum est ejus bonum, non majus, non minus. Huic opponitur immensitas Dei, omniumque ejus bonorum, quæ profluit ex immensitate essentiæ divinæ. Sperne ergo honorem modicum, quem homines, qui sunt quasi formicæ terræ, tibi offerunt, et rependet tibi Deus honorem suum, qui est immensus. Sperne delicias gulæ modicas, quæ ad spatium gutturis duntaxat, quæ vix est unius digiti, se extendunt, et fruere Deo, qui est mare deliciarum. Sperne opes terræ modicas, et posside regnum cœlorum. Huc facit quod globus terræ et aquæ (et omnium quæ in eo sunt) ita sit exiguus, ut, comparatus cum toto mundo, cum illo eamdem proportionem habeat quam unitas habet ad myriadum undecim millia, et 623 myriades, uti docui *Baruch* III, 25.

Prima.

Secunda. *Secunda* est utilitas : scilicet quod omnis creata voluptas, præsertim humana et carnalis sit terrea, vilis et sordida; cum increata quæ est in Deo, sit cœlestis, sublimis, angelica, divina. Amas aurum et argentum? scis quid ames? amas terram rubram et albam, ait S. Bernardus. Amas purpuram, byssum et margaritas? scis quid ames? amas excrementa piscium, concharum et vermium. Amas lautas mensas? scis quid ames? amas cadavera porcorum, vitulorum, anserum, perdicum, etc. Amas puellam? putidum scortum, vel saccum stercorum amas.

Tertia. *Tertia* est insatiabilitas : quod omnis creata voluptas titillet animam, non satiet, sed irritet, ut alia sine fine concupiscat. Est ergo quasi hydrops, qui quo plus bibit, eo magis sitim acuit, juxta illud :

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Divina vero mentem satiat, omneque ejus desiderium explet; quia anima, creata ad Dei imaginem, Dei est capax : unde re quæ Deo minor est, qualis est omnis creatura, expleri nequit. Audi S. Augustinum in *Confess.* lib. I, cap. I : « Creasti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » Quocirca Athanasius in *Synopsi* : « Per id, inquit, quod ista vanitatem esse dicit, futurorum æternitatem significat, » ut ab illa ad hanc mentem animumque transferamus.

Quarta. *Quarta* est brevitas : quod omnis creata voluptas sit temporalis, caduca, momentanea, statimque evanescat; divina vero perpetua sit et æterna, duretque quamdiu durabit Deus, qui est ejus objectum, auctor et causa. Unde *Psalm.* LXXVII, vers. 33, dicitur : « Defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione; » Hebraice, *cum pavore;* Chaldæus, *cum stupefactione* tantæ festinationis et celeritatis. Lege cap. V *Sapientiæ*, ubi impii in inferno voluptatum suarum brevitatem sero agnoscentes, deplorant se illi inhiasse, quæ transiit, imo transvolavit ut avis, ut navis, ut nuntius percurrens, ut fumus, etc.

Quinta. *Quinta* est instabilitas : quod omnis creata voluptas sit fluxa, nec habeat consistentiam, sed consistat in continuo motu et fluxu. Nam « omnia prætereunt more fluentis aquæ. » Nullam ergo habent constantiam, nisi in perpetua sui agitatione et inconstantia : sunt ergo constans inconstantia : divina vero consistit in statu eodem semper et uniformi, quia Deus est constans, stabilis et immutabilis. Venaris opes, delicias, gloriam? venaris ventos, insequeris umbram, ædificas in arena. Audi Apostolum I *Corinth.* VII, 29 : « Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est : reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint : et qui flent, tanquam non flentes : et qui gaudent, tanquam non gaudentes : et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi. » In quæ verba Theophylactus : « Commonefacit, inquit, figuram appellans, omnes hujus mundi res oculos tantum attingere, oculorumque pabulum esse, atque superficiem fluxam, nihil stabile aut subsistens habentem. »

Sexta. *Sexta* est falsitas : quod nulla creata voluptas sit sincera, pura, mera et liquida, sed multis molestiis, doloribus et amaritudinibus permixta. Paras convivium? quot dies sollicitus es, ut epulas compares, appares, disponas? et quid tandem? Extrema gaudii luctus occupat. In Deo est purum merumque gaudium, mel sine felle, vinum sine aqua.

Quocirca terrena omnia plena sunt fuco, quia exterius insignem speciem et pompam præ se ferunt, interius vero vacua sunt et inania. Quare vani et vacui cerebro sunt qui iis inhiant; sentiunt enim et tacite dicunt illud quod est apud *Osee* cap. XII, vers. 8 : « Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi. » Divitiæ enim sunt divitis idolum, id est numen, sed inane et vanum. Audi Nyssenum : « Vanitas eorum dicitur, quorum nullus usus, quæ magno studio et contentione facta sunt, nullo scopo proposito, ut quæ in campo arenoso fiunt ædificia, quæ fit adversus stellas jaculatio, ventorum venatio, cursoris adversus suam umbram decertatio, quando contendit quispiam umbræ suæ verticem ascendere, et si quid ejusmodi invenimus in iis quæ facta sunt temere, quæ quidem omnia vanitatis verbo subjiciuntur. » Denique sic omnia paucis concludit : « Vanitas est res inutilis, vel consilium quod non potest consistere, vel studium quod non pervenit ad finem, » etc.

Septima. *Septima* est insensibilitas : quod omnis creata voluptas animam non pervadat, nec penetret, imo in se non attingat, sed tantum corpus sensusque afficiat, et per eos animam obiter perstringat : quare similis est pomis Sodomæ, quæ mox ut tanguntur, in favillam et cinerem abeunt; ac præstigiis magorum et sagarum, quibus dæmon epulum instruit in specie opiparum, sed revera falsum et inane; unde eo peracto, tam esuriunt quam ante.

Audi Solinum Polyhistorem capite XLIV *De Pomis Sodomæ* post cœleste ejus incendium : « Ad speciem fulgent, inquit, mandi tamen non possunt; nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalat, et fatiscit in vagum pulverem. » Talis est omnis vana terræ voluptas; divina vero voluptas ipsam animam occupat, pervadit et replet : Deus enim solus animæ, hoc est menti et voluntati illabi potest. Vide Hieronymum Platum, *De Bono status relig.* lib. III, cap. I. « Vanum est quod nec confert plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti, » ait Guilielmus Parisiensis, tract. *De Univers.* cap. LII.

Octava. *Octava* est infidelitas : quod omnis creatura

infidelis sit, sæpeque spem quam promittit non præstet : sic agri, vineæ, prata, sæpe non præstant fruges, quas in semente promittunt. Deus autem fidelissimus est, promissa sua præstat, imo superat plus dans quam sit pollicitus. « Beatus ergo vir, cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas, » *Ps.* XXXIX, 5; nam, ut dicitur *Psal.* CI, 4 : « Defecerunt sicut fumus dies mei. » Ubi eleganter Cassiodorus : « Fumum videmus de flamma quidem egredi, sed in auras liquidas tenuissime dissipari, nec substantia ejus manet, quamvis ex corporali incendio generatus esse videatur. Merito ergo dies peccatorum globis fumiferis exæquantur, quos involutis ac tetris actionibus decepti homines perdiderunt, quod maxime ad superbiam mundi respicit, quæ quanto plus extollitur, tanto amplius evanescit. » Et *Psal.* XXXVI, 2, ab impiorum felicitate avocans, eam ait instar fœni et olerum subito exarescere : « Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident; » et vers. 20, eamdem comparans fumo : « Inimici Domini, ait, mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient. » Quam fumi similitudinem exponit eleganter S. Augustinus : « Fumus, inquit, a loco ignis erumpens in altum extollitur, et ipsa elatione in globum erumpens intumescit. Sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior : ab illa enim magnitudine non fundata et solidata, sed pendente et inflata, et in auras, atque in ventos dilabitur, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Quanto enim plus erectus est, quanto extensus, quanto diffusus undique in majorem ambitum, tanto fit exilior et deficiens, et non apparens. » Sed Augustinus Nebiensis ex Hebræo vertit, *sicut pretiosiora arietum consumentur sicut fumus.* Clarius Chaldæus, *sicut gloria vervecum*, inquit, *qui cibo impinguantur, et finis eorum decollatio : sic impii confundentur, et in fumo gehennæ consumentur.*

Nona. *Nona* est incertitudo : quod omnis creaturæ voluptas sit incerta. Quam sunt divitiæ incertæ, quæ a fure rapi, ab incendio comburi, a mari hauriri possunt! Quam sunt honores incerti! tam incerti quam homines hominumque voluntates, a quibus pendent : cum enim res omnes creatæ incertæ sint, nullam certitudinem amanti præstare possunt. At divina voluptas tam certa est, quam certus est Deus, cui inhæret, et a quo in nos dimanat. Oremus ergo cum Psalte : « Averte oculos meos ne videant vanitatem, » *Psal.* CXVIII, 37, ubi Chaldæus vertit, *ne videant falsitatem*, vel mendacium. Quo loco eleganter S. Hilarius rogat : « Quos oculos, et a qua vanitate orat averti? Orat averti et animi et corporis oculos, eos scilicet qui in theatralibus ludis captivi incubant; eos qui vestium pretia mirantur; eos quos auri splendor et gemmarum varietas occupat. »

Decima. *Decima* est fallacia : nam omnis creatura separabilis est, sæpeque post unum annum, mensem vel diem, et semper in morte ab amante separatur, eumque deserit. At divina inseparabilis est : Beati enim in cœlo nunquam a summo bono suaque beatitudine avelli aut separari possunt; falsa ergo cum creaturis amicitia est, vera cum Deo, Angelis et Sanctis. Ama amicos, qui te nunquam amare bonisque omnibus cumulare desinent, si tu prior eorum amicitiam non repudies. Falsa illa similis est segeti pulchræ, sed aurugine percussæ, ideoque sterili et siccæ, de qua Virgilius, lib. I *Georg.* :

> Illos, *scitum agricolas,*
> Exspectata seges vanis elusit aristis.

Unde Seneca, *epist.* 80 : « Omnium istorum, inquit, personata felicitas est. Contemno illos, si despoliaveris. » Et nervosius, *epist.* 115 : « Miramur, ait, parietes tenui marmore inductos, cum sciamus quale sit quod absconditur, oculis nostris imponimus; et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? scimus enim sub auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur, omnium istorum, quos incedere alios vides, bracteata felicitas est. Inspice, et disces, sub ista tenui membrana dignitatis quantum mali lateat. »

Et S. Chrysostomus in illud *Psalm.* IV : *Filii hominum, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* « Hic, inquit, et idololatriam et flagitiosam vitam videtur exprimere. Vanum enim dicitur illud quod est inane, cum nomen quidem fuerit, res non fuerit. Sic apud gentiles multa quidem deorum nomina, res vero nequaquam. Nec minus in humanis rebus nomen est divitiarum, res nullo modo; nomen principatus, et remanet nudum et exile nomen. Quis enim adeo vecors est, ut nomina quærat quæ rebus destituuntur, et inania persequatur quæ fugere oporteat? » Hoc est illud *Psal.* LXI, 10 : « Vani filii hominum, mendaces in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. » Hebræa habent, *mendacium filii viri;* Chaldæus, *nihil hominum filii : mendacium viri filii*, id est viri principes, vel felicissimi hominum; neque unus tantum, sed *in idipsum* simul omnes, omnia humana adeo vana sunt, ut *de vanitate*, id est præ vanitate, *decipiant*, id est fallaciora et mendaciora se ostendant, *q. d.* si in una lance bilancis ponas omnes filios hominum, etiam magnates et principes, qui felicissimi videntur, in altera vero colloces vanitatem, hæc vanitatis lanx illi principum præponderabit, *q. d.* Omnes principes, omnis eorum felicitas et gloria ipsa vanitate est levior, vanior et inanior.

Undecima est infirmitas : quia omnis creata voluptas infirma est. Amas mulierem pulchram? morbo ecce corripitur, deflorescit, decoloratur, fit turpis, putida, fœda. Amas Deum? incorrup- Undecima.

libilis est, immortalis, sanissimus, qui suos sanctos sanissimos, perpetuo vegetos, juvenes et florentes efficit, juxta illud *Malach.* IV, 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. » Omnis ergo mundi gloria est velut puerorum pappus (puta carduorum flos et lanugo), qui cum suo ortu canescit, senescit (unde et senecio vocatur), vanescit : ad minimum enim auræ motum in tenues villos, floccosque volantes abit.

Duodecima. *Duodecima* est pernicies : creata enim voluptas noxia est et exitialis, ducitque ad dolores præsentes et æternos; at voluptas divina utilissima est et salutifera, ducitque ad gaudia sempiterna. Ergo creatas « sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. » Dicito cum Demosthene : « Ego tanti pœnitere non emo. » « Delectare in Domino, » quia « delectationes in dextera ejus usque in finem. » Vide dicta *Isaiæ* XXIV, 10, ad illa : « Attrita est civitas vanitatis. »

Plura vide apud Didacum Stellam et Innocentium III Pontificem, lib. *De Vanitate et Contemptu mundi,* Hugonem Victorinum, Hugonem Cardinalem, Bonaventuram, Dionysium Carthusianum, et Titelmannum in hanc Salomonis gnomen.

Vanitatis exempla. Vis hujus sententiæ et harum vanitatum exempla? Accipe apposita et pathetica. Primus in theatrum vanitatis mundi prodeat Gilimer Wandalorum rex, æque ac Salomon Hebræorum, qui a Belissario victus, captus et in triumphum ductus est, de quo audi Procopium, lib. II *De Bello Wandal.* : « Erat autem intra triumphi captivos Gilimer ipse, purpuream quamdam vestem humeros amictus, una cum omnibus consanguineis ac Wandalis, quod proceritate corporum et pulchritudine præstarent. Postquam vero Gilimer in hippodromo constitit, ac Imperatorem in alta sede constitutum, populumque circumstantem conspexit, ac demum seipsum in quod fatum pervenerit, considerasset, neque flevit, neque aliter conquestus est; tantum illud Hebræorum voluminum memoravit : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Nec mora, ipse pariter et Belissarius jussi ab his qui imperatoriam purpuram sustinebant, Justinianum supplices adoraverunt. » Sed et ipse Belissarius ejusdem vanitatis factus est speculum et præco, cum post tot tantasque victorias et triumphos, jussu Theodoræ Imperatricis violentas manus injiciens in S. Sylverium Pontificem, justa numinis vindicta eo miseriarum redactus est, ut excæcatus et bonis exutus stipem mendicare coactus sit, ac dicere : « Da obolum Belissario, quem extulit virtus, cæcavit invidia; » uti ex Volaterrano, Crinito, Pontano et aliis narrat Baronius, tom. VII, anno Christi 561.

Lotharius Imperator, Caroli Magni ex Ludovico patre nepos, qui Lotharingiæ nomen dedit, cum ipsa prius Austrasia diceretur, imperio quindecim annis juste et pie administrato, recordatus sermonis, quem Ludovicus ipsius pater moriens habuerat de mundi vanitate, quam scilicet ipse quoque experiendo cognorat, humana omnia deserere constituit, atque ex illis imperii fluctibus in portum religiosæ quietis se recipere. Quamobrem mirante toto orbe terrarum in Pruniacensi monasterio se conclusit, ubi reliquam vitam transegit in paupertate et obedientia, regno prius inter tres filios diviso. Contigit hoc anno Domini 855, atque eodem vitam religiosam cum pia morte commutavit. Laudatus invenitur a Rabano, lib. *De Anima,* et ab Angelomo, *Præfat. in Cant.* Ita ex Reginone Baronius, anno Domini 855, et Hieronymus Platus, lib. II *De Bono status religiosi,* cap. XXVI.

Fulgentius Romam veniens anno Domini 500, cum videret Theodorici regis aulam et Romanæ curiæ gloriam : « Quam speciosa, inquit, potest esse Jerusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor et gloria præstabitur sanctis contemplantibus veritatem? » Ita habet ejus Vita apud Surium, 1 januarii.

S. Benedicto mundi vanitas et exilitas, Dei vero veritas et majestas in raptu hoc schemate a Deo ostensa est, uti narrat S. Gregorius, lib. II *Dialogorum,* cap. XXXVI : « Noctu, ait, ad fenestram stans et omnipotentem Deum deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res in hac speculatione secuta est, quia, sicut post ipse narravit, omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus, ante oculos ejus adductus est. Qui venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab angelis in cœlum ferri. » Causamque et modum hujus visionis subjicit S. Gregorius dicens : « Quia animæ videnti Deum angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne quod creatum est; quia ipsa luce visionis intima mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo : fit vero ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cumque in Deo lumine rapitur super se, in interioribus ampliatur; et dum sub se conspicit, exaltata comprehendit, quam breve sit, quod comprehendere humiliata non poterat. »

Sic S. Franciscus in oratione raptus mente in Deum, et corpore in aere pendulus, aiebat : « Quis ego sum, Domine, quis tu? Ego abyssus vanitatis, ignorantiæ, malitiæ et nihili; tu abyssus veritatis, sapientiæ, bonitatis et rerum omnium. Deus ergo meus et omnia. » Igitur sicut se habet vanitas ad veritatem, radius ad solem, gutta ad mare, vapor ad terram, umbra ad corpus, punctum ad totum universum : sic se habet mundus ad Deum. Quid ergo tu, o homo, es ad Deum,

qui hujus mundi et universi non es millesima, nec multorum millionum millesies millesima pars et portio? ait S. Chrysostomus.

S. Salvius Episcopus, vita functus raptusque in cœlum, cum ibi Beatorum gaudia contemplatus esset, Dei jussu remissus ad corpus, quasi ex gravi somno experrectus, convocatis omnibus exclamavit: « Audite, o dilectissimi, et intelligite quia nihil est quod cernitis in hoc mundo, sed sunt juxta id quod Salomon propheta cecinit: Omnia vanitas. Felix est, qui ea agere potest in sæculo, ut gloriam Dei mereatur in cœlo. » Quocirca vitam deinceps in magna sanctitate instituit, in eaque cursum feliciter consummavit, uti fuse narrat oculatus et auritus testis Gregorius Turonensis, lib. VII *Histor.* cap. 1.

Gnomen hanc Salomonis crebro usurpabat S. Dominicus: quare ubique privatim et publice magna libertate et spiritu omnes, etiam magnates, ad sæculi contemptum, et ad Christi amorem excitabat. Ita habet ejus Vita. Eum imitentur omnes Religiosi.

Noster Thomas Theodidactos, lib. I *De Imitatione Christi*, cap. 1: « Vanitas vanitatum, inquit, et omnia vanitas, præter amare Deum et illi soli servire. Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cœlestia. Vanitas igitur est, divitias perituras quærere, et in illis sperare. Vanitas quoque est, honores ambire, et in altum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi, et illud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri. Vanitas est, longam vitam optare, et de bona vita parum curare. Vanitas est, præsentem vitam solum attendere, et quæ futura sunt non providere. Vanitas est, diligere quod cum omni celeritate transit, et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet. »

B. Jacoponus in sæculo vir nobilis, juris doctor, celebrisque causarum patronus, sed superbus, avarus, et vanitatum mundi mancipium, cum uxorem suam in festis ludisque publicis ruina theatri oppressam, aspero ad carnem cilicio indutam deprehendisset, tam subito ejus casu quam asperitate vitæ compunctus, sæculo valedicens, vexillum crucis in S. Francisci ordine secutus, mirus exstitit sui mundique vanitatum contemptor, imo irrisor, anno Domini 1300. Inter alia hunc de rerum vanitate rhythmum composuit, in quo inter cætera ita canit:

Quid mundus militat sub vana gloria,
Cujus prosperitas est transitoria?
Tam cito labitur ejus potentia,
Quam vasa figuli quæ sunt fragilia, etc.
Dic ubi Salomon olim tam nobilis?
Vel ubi Samson dux invincibilis?
Quo Cæsar abiit celsus imperio?
Vel dives epulo totus in prandio?
Dic ubi Tullius clarus eloquio,
Vel Aristoteles summus ingenio?
Tot clari proceres, tot rerum spatia,
Tot ora præsulum, tot regna vivida,
Tot mundi principes, tanta potentia,
In ictu oculi clauduntur omnia.
Superna cogita, cor sit in æthere.
Felix qui potuit mundum contemnere.

Ita noster Raderus in ejus Vita, et Annales Minorum.

Huic non absimilis fuit ille qui, mundi vanitate perspecta et despecta, ita cecinit in libro qui inscribitur: *Lavacrum conscientiæ*: Logicus.

Linquo coax ranis, cras corvis, vanaque vanis;
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Claudat tragœdiam vanitatis mundi Eutropius, cujus initia fuere gloriosa, ultima vero tragica et funesta. Fuerat ipse consul Constantinopoleos, atque Arcadii Imperatoris tutor et moderator, qui eum et per eum totum orbem regebat, ut cuncti in eum magis quam in Arcadium respicerent, cunctique ejus gratiam ambirent. Incidit suo luxu et fastu in odium militum et civium, ipsiusque Arcadii, quorum iras et strictos enses metuens, profugit ad ecclesiam quasi ad asylum, ac sub altari delituit. Instabant milites, eumque ad necem reposcebant, imo vi ab altari extrahere conabantur, eo quod ipse paulo ante jus asyli Ecclesia lege lata abrogare voluisset. Intervenit S. Joannes Chrysostomus, Ecclesiæ præsul, qui ut jus asyli tueretur, et Ecclesiasticam mansuetudinem in profugum ostenderet, hac oratione (quæ exstat sub finem tom. V et inscribitur *ad Eutropium*) furentes in eum animos delinivit: « Semper quidem, frater, sed nunc præcipue competenter dicetur: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Ubi nunc est refulgens consulatus ambitio? Ubi resplendentes ad invicem siderum toto orbe lampades? ubi equorum certamina? ubi diversorum munerum pompa? ubi corona et varius totius orbis ornatus? ubi tubæ et theatralis illa populi adulantis acclamatio? Repentini spiritus flatu tanquam folia cuncta decussa sunt, et arbor nuda derelicta est; et non solum nuda, sed et ab ipsis convulsa radicibus: tanta enim vi ventus incubuit, ut ipsius arboris absciderit nervos. » Pergit deinde cæteras vanitatis species enarrare: « Ubi nunc simulati illi amici? ubi variæ adulationum facies? ubi convivæ et prandiorum cœnarumque asseclæ? ubi paropsides? ubi electa vina et per totum diem tracta convivia? ubi coquorum exquisitæ artes? ubi denique omnis illa potentia, et clientum greges ad gratiam cuncta loquentium? Nox erant omnia illa et somnium, et die exorto nusquam comparuerunt: umbra erat, et pertransiit: fumus fuit, et dissolutus est: bullæ aquarum fuerunt, ac disruptæ fuerunt: araneæ telæ erant, et discissæ sunt. Proptereaque iterum spirituale istud carmen canimus dicentes: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Hunc enim versiculum si saperent, qui in potentia versantur, in parietibus omnibus et in vestibus suis scriberent,

in foro, in domo, in januis, in ingressibus, et ante omnia in conscientiis suis, ut semper eum oculis cernerent et corde sentirent. » Et nonnullis interjectis, ita ejus miseriam militibus furentibus repræsentat : « Intuemini, inquit, eum qui in tanto culmine erat, nunc usque ad ima dejectum ; et eum qui orbem terræ extenta manu quatiebat, nunc lepusculi alicujus aut ranæ timiditate attractum latitare, absque ullis vinculis ad basin columnæ hujus astrictum, formidantem ac trementem, » etc. Hac oratione S. Chrysostomus turbam furentem ad commiserationem commovit, et ad lacrymas inflexit, ut Eutropio parceret, et Arcadius juraret se ei vitam condonaturum. Jurejurando igitur accepto eductus ex ecclesia Eutropius, in exsilium mittitur. Sed rursus instante Gaina duce exercitus, ejus æmulo, ac recrudescentibus odiis, Eutropius non tantum consulari dignitate et patricio gradu dejicitur, sed et bonis vitaque privatur, ac Chalcedone securi percutitur ; statuæ plurimæ, etiam auræ illi erectæ evertuntur, omniaque ejus monumenta abolentur; nomen e fastis deletur, et perpetua notatus ignominia oblivione sepelitur. Ita miseri tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant, feriuntque summos fulmina montes.

Denique audi Ascanium Martinengum in *Gen.* part. II, pag. 1235, vanitatis mundi exempla pathetice coacervantem : « Vanitas vanitatum, » etc. Ubi Nemrod fastus ? ubi Nini inclytum nomen ? ubi Assueri supra viginti septem provincias dilatata sedes ? ubi Cyri tot laboribus comparata gloria ? ubi Crœsi immensum aurum ? ubi Darii partum vafre regnum ? Xerxis innumerabiles copiæ sexdecim militum myriades excedentes ? Alexandri vix Indico Oceano et Riphæis montibus terminatum imperium ? Pompeii amplissima potentia ? Cæsaris invicta fortuna ? Augusti amplissima monarchia ? Caligulæ fœdæ voluptates ? Neronis inexcogitatæ illecebræ ? « Vanitas vanitatum, » etc. Ubi Semiramidis mirifica potentia ? Helenæ species infausta ? Hecubæ numerosa proles ? Cleopatræ nimiæ deliciæ ? Liviæ augusta felicitas ? Agrippinæ nunquam satiatæ vanitates ? « Vanitas vanitatum, » etc. Quonam loco conspici nunc possunt Babylon illa superba, Memphis immensa, Carthago Romani imperii terror, Argos illustris, Athenæ disciplinarum nutrices, Corinthus pulchra, Sardis dives, Roma triumphans, Hierusalem sancta ? « Vanitas vanitatum, » etc. Quo abiere septem illa ædificia toto orbe decantatissima, quæ propter admirandam operis magnitudinem exstitere loco miraculi, ut nihil divinius ars humana posset confingere aut excogitare ? Scilicet Babylonis muri, Dianæ Ephesiæ templum, apud Rhodios solis colossus, Ægyptiæ pyramides, sepulcrum Mausoli, turris Pharia, simulacrum Jovis Olympici ? Quo Cyri Medorum regia, Romana amphitheatra, et cætera mirifica ædificia, quæ nunc prostrata atque collapsa, vix quanta Roma fuerit suismet ruinis edocent et prædicant ? « Vanitas vanitatum. » Sed utquid lubet exterarum rerum monumenta recensere, et nostrarum exempla non proferre ? Ubi est amplissimum illud sapientissimi Salomonis imperium, quod vix a Dan ad Bethsabee terminabatur, cujus regia reginam Saba ad stuporem perduxit ? Ubi immanes ejusdem divitiæ, qui in quotidianis sumptibus farinæ coros sexaginta (corus autem mille libras continebat), boves domesticos duodecim, campestres viginti, arietes centum, præter altilium ac ferarum quæ venatione capiebantur copiam immensam, absumebat ; qui equorum quadraginta millia alebat in stabulis, curruum et equitum duodecim millia ; qui præter omnia vectigalia sexcenta sexaginta sex talenta auri pro munere exigebat (talentum autem erat pondere librarum sexaginta quinque), qui septingentas reginas ac trecentas concubinas alebat; in cujus tandem regno tanta erat copia argenti, quanta et lapidum ; imo et pro nihilo argentum putabatur ? Nonne ipse in tanta humanarum terrenarumque rerum exundantia, verum hoc de rebus sæculi judicium tulit : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas ? »

Acervus exemplorum vanitatis.

Qui igitur hæc legis, et alta mente recondis, vanitati nuntium remitte, ne cum ea evanescas, veritatem amplectere, Deo jungere, æternitati semper consistenti cor mentemque affige, ut cum ea stabilis perdures, ac cum beata in omne ævum beeris. « Lux enim perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et ÆTERNITAS TEMPORUM. Alleluia. » Audi *Esdram*, lib. IV, II, 34 : « Exspectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis : quoniam in proximo est ille qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per ÆTERNITATEM TEMPORIS. Fugite umbram sæculi hujus ; accipite jucunditatem gloriæ vestræ. Ego testor palam Salvatorem meum. Commendatum donum accipite et jucundamini, gratias agentes ei qui vos ad cœlestia regna vocavit. »

Vers. 3. 3. QUID HABET AMPLIUS HOMO DE UNIVERSO LABORE SUO, QUO LABORAT SUB SOLE ? — Subaudi, quam vanitatem vanitatum !

Pro *laborat* hebraice est עָמַל *amal*, id est, laborat anxie et moleste; græce μοχθεῖ, id est affligitur, in ærumnis agit, vitam ærumnosam ducit. *Labor*, ergo hic laboriosam tam actionem quam passionem, omnemque dolorem, afflictionem, ærumnam sive corporis, sive animi significat. Sensus ergo est, *q. d.* Homo laborat assidue, et fatigat se, milleque curis et ærumnis affligit, sed in vanum et frustra : quia omni suo labore, cura et afflictione nihil acquirit nisi vanitatem, puta vanas opes, honores, delicias, quæ ocissime in fumum abeunt et evanescunt. Unde Hebraice est, *quid residuum*, vel *superstes homini in omni labore suo quo laborat sub sole?* Septuaginta Vaticani, *quid superest homini in omni labore suo?* Complutenses

vero et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 12 : « Quæ abundantia homini in omni labore suo ? » Syrus, *quæ utilitas filio hominis in omni labore suo ?* Arabicus, *quæ præstantia homini in omni labore suo?* Aquila et Symmachus, τί πλέον, id est, *quid plus est homini*, vel *quid magis est homini?* Pagninus, *quæ utilitas homini?* Alii, *quid reliquum post laborem? quid præmii? quid mercedis? quid magnum? quid amplum? quid excellens refert homo ex omni labore suo quo laborat*, et velut in pistrino assidue se defatigat ? Chaldæus Paraphrastes, *nam quid tandem reliquum est homini, postquam e vita discessit ex omnibus studiis suis, quæ eum sub sole in hac vita occupatum tenuerunt, præter studium legis, quo aliquando futuris sæculis diligentiæ suæ a Domino præmium ferat?* Hebr. enim יתרון *iitron* variæ amplæque significationis est : unde significat *amplius, reliquum, superstes, superabundans, exsuperans, excellens, præstans, mercedem, præmium*, etc. Tigurina, *quantum* (quantulum, quam modicum, vile et exiguum) *enim homini reliquum est post omnem laborem, quem perfert sub sole !*

Τὸ *enim* et *nam*, ut habet Chaldæa, non est in Hebræo, Septuaginta et Vulgata, sed intelligitur. Dat enim causam cur omnia sint vanitas vanitatum, id est mera vanitas, quia scilicet ex omni labore et studio, quo ea anxie et laboriose prosequitur homo, nihil fructus refert nisi vanitatem, fumum et nihilum. Hugo Victorinus vero censet hoc versu esse illationem ex præcedenti, *q. d.* « Si omnia vanitati subjecta sunt, opera hominum a vanitate aliena esse quomodo possunt? Si quod Deus creavit (vanitas est), quomodo non multo magis quod homo facit? » Hinc patet hæc verba non esse impiorum negantium animæ immortalitatem, resurrectionem, et futura bonorum præmia, ut quidam autumant; sed esse ipsius Salomonis, uti S. Hieronymus et cæteri omnes asseverant, ipsumque loqui de labore hominum, qui rebus terrenis vanisque inhiant : hic enim universus vanus est; non vero de labore Sanctorum, qui student pietati, virtuti et cultui Dei. Hic enim non vanus, sed verus utilisque est, quia parit æternam gloriam, juxta illud : « Non sunt condignæ passiones (quas tum patiendo, tum agendo et laborando subimus pro Deo) hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, » *Rom.* VIII, 18.

Expositio prima τοῦ amplius.

Igitur hebræum *iitron*, græcum περίσσεια, latinum *amplius* multa notant, et multipliciter accipi possunt. *Primo*, simpliciter et genuine, *q. d.* Quid post laborem continuum, gravem et molestum, homini amplius superest, nisi vanitas vanitatum, puta exiguum lucrum, quod cito consumitur et evanescit? Erras, o miser homuncio, erras qui labore te defatigas et discrucias, quasi magna lucra relaturus, cum non nisi vanitatem sis reportaturus. Ita Hugo et Dionysius.

Secunda.

Secundo, nervosius alii τὸ *amplius* referunt ad laborem, *q. d.* Quid ex labore suo amplius habet homo, subaudi, quam ipsum laborem; *q. d.* Ex labore nil acquirit homo nisi laborem, indeque defatigationem, dolores et cruciatus, qua in re homo miserior et stolidior est cæteris animantibus et creaturis, quæ minus laborant, et suavius vivunt, cum homo plus laboret, et ærumnosius vivat. Aves enim non serunt, neque metunt, sed grana ab agricolis seminata colligunt, indeque lætæ victitant, canunt, laudantque Deum; boves, oves, equi cibo illaborato, puta gramine quod sponte terra germinat, pascuntur. At homo noctu diuque laborat, seque eviscerat ac mille curis discruciat, ut se, uxorem et filios alat : et tamen post omnes hosce labores et sollicitudines, vix quidquam præter necessarium victum et vestitum acquirit. Adde opes et honores quos acquirit, sæpe tot curis et molestiis esse permixtos, ut magis labores sint et dolores quam honores et voluptates. Audi Senecam *De Brevit. vitæ*, cap. II : « Quam multis graves sunt divitiæ! quam multorum eloquentia quotidiana, ostentandi ingenii specie, sanguinem educit! quam multi continuis voluptatibus pallent! quam multis nihil liberi relinquit circumfusus clientum populus! » Idipsum repræsentat illa inter onus et honorem non tam allusio vocis, quam rei ipsius expressa veritas. Ut enim S. Isidorus dixit, lib. I, cap. XXVI : « Honor ex onere venit, aut potius de honore onus. »

Tertia.

Tertio, τὸ *amplius* accipias pro mercede, *q. d.* Ex omni labore quid mercedis refert homo? utique exiguum vel nihil, *q. d.* Salomon : Appello citoque vos, o mortales, ad rationes accepti et expensi supputandas. Expendistis tot annos maximis in laboribus ruralibus, fabrilibus, mercatoriis; quam ex omnibus mercedem tantis laboribus parem accepistis? utique nullam : labor enim superat omnem fructum quem percepistis. Huc facit illud *Proverb.* XI, 18 : « Impius facit opus instabile (Hebraice, *opus* vel *laborem mendacii*, id est vanum, mendacem et fallacem, quia sterilem et inutilem); seminanti autem justitiam merces fidelis. »

Quarta.

Quarto, τὸ *amplius* et hebræum *iitron* accipias pro *utilitate, commodo* et *emolumento*, *q. d. Quid amplius*, id est, quid utilitatis consecuti estis ex omni labore vestro? utique parum. Laborastis uti asini, et vix obolos aliquot comparastis. Unde Isidorus Clarius vertit, *quem stabilem fructum referet homo, etiamsi multis modis se torqueat in hoc, ut fructum aliquem inveniat?* Ita S. Gregorius Neocæsariensis, Hugo Victorinus et alii.

Quinta.

Quinto, potest τὸ *amplius* accipi non ut adverbium, sed ut nomen (tale enim est hebræum *iitron*) comparativum significans *præ cæteris amplum, excellens et præstans*, *q. d.* Quid amplum, magnum et præstans e tot tantisque laboribus retulistis? utique nihil, sed viles et exiles duntaxat nummos vel fructus. Unde Arabicus vertit, *quæ præstantia*, sive *quæ virtus*, aut *quod beneficium* vel

munus? S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, serm. 12, et S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* cap. III : « Quæ abundantia homini? »

Sic *amplius* pro *amplo* et *præstanti* sumitur *Matth.* cap. V, 47 : « Si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? » Hoc est, ut Vatablus : *Quid eximium facitis?* Et *Roman.* III, 1 : « Quid amplius Judæo? » id est, ut Tigurina, *in quo præcellat Judæus*? S. Chrysostomus et Theodoretus, *quid honorificentius Judæo?* Et I. *Thess.* V, 12 : « Ut noveritis eos, qui laborant inter vos, ut habeatis illos abundantius,» id est, ut Ambrosiaster, *ut illis habeatis summum honorem.* Tigurina, *summo in pretio;* Theodoretus, *plurimi eos facite.*

Nota τὸ *de universo labore suo, q. d.* « Homo nascitur ad laborem, *sicut* avis ad volatum, » ut ait *Job*, cap. V. Sed ipse sibi hunc laborem aggravat et multiplicat sine fine, ex avaritia et cupiditate. Eumdem augent filii, amici, inimici, multaque alia quæ fuse recenset *Eccli.* cap. XL, 1 et seq. : « Occupatio (molestia et labor molestissimus), inquit, magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. » Universus hic amplusque labor amplum exposcit præmium. Sed incassum, quia vile et exiguum ei redditur. Vide ibi dicta. Si quotidianæ occupationes quas Ecclesiastes ibidem recenset, irascendi, contendendi, tumultuandi, fluctuandi, timendi nullum hominem non male habent, neque non acriter pungunt; quantum putas excruciabunt vanissimorum hominum mentes pertinacissimæ aliæ, atque gravissimæ iræ, contentiones, tumultus, fluctuationes, timores et labores vere sui illorum proprii, vere sua vanitate et culpa, nulla vera honestave causa suscepti. Ita Pineda.

Sexta. *Sexto,* τὸ *amplius* et hebræum *iitron* significat residuum, sive id quod post laborem remanet et superest, *q. d.* Quantulum est quod post tantos labores remanet et superest? utique exiguum, et modicæ durationis parvique ævi et temporis, quia labor durat usque ad senectam, imo per totam hominis vitam : quid ergo post eum in vita remanet quietis, recreationis et gaudii? utique perparum vel nihil; imo omne illud rursum in laborem et dolorem desinit, sicque omne vitæ hujus mel in amarum fel vertitur.

Hæc sententia vera est in vita, verior in morte, verissima post mortem. In vita enim post labores parum vel nihil remanet, quia totam vitam occupant labores, mordaces curæ, et dolores, ut omnem pene ab ea quietem et gaudium excludant.

In morte verior est, quia in morte cum vita finitur omne vitæ gaudium. Unde illud : « Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, » *Psalm.* LXXIV, 6.

Post mortem verissima, quia vani impiique homines, qui in hac vita vanitati vanisque cupiditatibus servierunt, laborarunt, sudarunt, in inferno videbunt se omni suo labore et sudore non aliud sibi comparasse, quam ignes et tormenta gehennæ. Unde illa eorum lamentabilis et inconsolabilis vox : « Ergo erravimus a via veritatis, etc., et lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid intulit nobis? Transierunt omnia ista tanquam umbra, » etc. *Sapient.* V, 6. Hinc ille sarcasmus, sive hostilis irrisio impiorum apud Isaiam, cap. L, 11 : « Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis : de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. » Vide ibi dicta.

Sub sole quid? Resp. primo.

QUO LABORAT SUB SOLE. — *Primo, q. d.* Ego Salomon mentem elevans ad cœlum, ibique supra solem, vel in sole spiritu meipsum constituens, indeque in terram despectans, ac videns omnes homines, hominumque labores, occupationes et studia, video omnia esse vana, nulliusque utilitatis et fructus; quare eorum misereor, et miseratione cordis tactus, eis inclamo : O miseri mortales! video opera vestra, vestras fabricas, vestras urbes, provincias, regna, imo totam terram esse instar puncti et centri, si cum vasta cœlorum amplitudine conferatur; video vos velut formicas discurrere, laborare, satagere, ut granula pauca convehatis et in futuram ætatem recondatis. Video vos hac in re omnem vitam insumere. Omnibus ergo et singulis inclamo : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; » vanum est omne in quo laboratis, vani omnes labores vestri, in vanum consumitis vires vestras : quia ex omni labore vestro nil nisi alimoniam modicam consequemini, quam sine labore habent aves, oves et boves.

Secundo. *Secundo,* proprie τὸ *sub sole* significat solem esse laboris moderatorem, dum oriens excitat hominem ad laborem, occidens ad quietem, dum laborantibus lumen et quasi facem præfert, dum eos suo assiduo et velocissimo motu ad motum et laborem exstimulat. Sol enim singulis horis conficit unum millionem et centum quadraginta millia milliarium, uti ostendi *Gen.* I, 14; imo quotidie sol circuit totum cœli ambitum. Hinc illud *Psal.* CIII, 22 : « Ortus est sol, etc., exibit homo ad opus suum : et ad operationem suam usque ad vesperam. » Sol ergo laboris est index, symbolum, stimulus et exemplum. Hugo de S. Victore vero censet τὸ *sub sole* dici ad contemptum, et irrisionem vani et miseri laboris hominum, qui luce solis arctetur, et ea finiente sistere cogatur : « Consideravit Ecclesiastes, inquit, quam abjecta et misera sit mortalium conditio, qui in terræ superficie quasi vermes quidam vana curiositate reptantes, subito lumine desuper infuso quasi ad

illusionem excitantur captare quod vani appetunt, et eodem post modicum subtracto, subita rursum cæcitate obvolvuntur, et nequaquam ultra in effectum prodire possunt. »

Tertio. *Tertio*, τὸ *sub sole* notat nil amplius habere laborantes ab otiosis, quia sub sole omnes, relicta præsenti vita, communem mortem subimus. Unde Seneca, *epist.* 91 : « Impares, inquit, nascimur, pares morimur. »

Quarto. *Quarto*, Hugo : « Sub sole, » inquit, id est sub tempore ; sol enim suo motu describit dies, annos et tempora, *q. d.* Vanus est labor hominis, quo laborat tempori, cum natus sit ut laboret et vivat æternitati. Ita Hugo uterque, scilicet Carensis sive Cardinalis, et Victorinus. Addit Carensis : « Sub sole, inquit, quasi luce, non duce. »

Quinto et genuine. *Quinto*, et maxime, τὸ *sub sole* notat tum locum laboris hominum, qui est sub sole in terra; tum materiam laboris, quæ sunt res terrenæ, ideoque viles et vanæ; tum finem laboris hominum terrigenarum. Hi enim sub sole vane laborant ut subsolaria et sublunaria, id est, terrena et caduca bona conquirant. Quare τὸ *sub sole* innuit quærendos homini esse labores, qui supra solem durent, et beent laborantem in cœlo, inquit Olympiodorus. Mundanus ergo, vanus et impius homo laborat sub sole, sibique parat mortem et gehennam; pius vero laborat supra solem, quia virtutum opera et merita conquirit, quibus vivat Deo, ab eoque donetur cœlo et vita æterna. Unde S. Gregorius Thaumaturgus hunc versum sic paraphrastice vertit, *neque enim facile quis vel unam aliquam recensebit utilitatem concinnatam ex omnibus, quæ homines super terram reptantes tanto corporum animorum molimine parturiunt. Et licet in his temporalibus efficiant nihil, sed magis ab eis vincantur et fatigentur; ad contemplanda tamen super cœlestia generosiores mentis oculos attollere nolunt.*

Opera ergo alia fiunt supra solem, alia sub sole : quæ ex gratia fiunt, opera, inquam, spiritus, supra solem sunt, quia non læduntur a temporis edacitate, et in cœlum empyreum ævumque felix et perenne operantem deducunt; quæ vero a carne prodeunt, sub sole fiunt, cum a solis conversionibus atque annorum temporumque rubigine caro terrenæque res absumantur et consumantur. Omnia ergo sub sole sunt vanitas. Proinde supra solem, ait Paulinus, *epist.* 4, « est veritas. Ita et qui in veritate consistunt, etsi intra mundum vivant habitatione corporea, tamen supra mundum sunt conversatione cœlesti, et astrorum choros, vel cœlorum polos, evolantes spiritu scandunt et supervadunt, celsioresque elementis agunt, non subditi rebus ac usibus elementorum, sed affixa in Christo vita superiores mundo fiunt, manentes in eo qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. »

Huc accedit Aben-Ezra : « Corpus, inquit, et corporeus labor est sub sole, et animus sive spiritus ejusque labor est supra solem, quia a Deo originem habet, et ad eum redit. » Et Auctor *Catenæ Græc.* : « Si labor, inquit, is qui sub sole est, inutilis est, supra solem labores mittere oportebit; illo enim penetrant virtutum actiones. »

Denique noster Pineda : Τὸ *sub sole*, inquit, antithesim habet cum homine, qui solus *sub sole* videtur non esse, utpote quem Deus jusserit erectos ad sidera et super sidera vultus tollere: ac minime pronum, intentum nunquam esse sublunaribus subsolaribusve. Ergo indignum prorsus ut hominis labor, oculi, intentio ad ea quæ inferiora sunt, sese abjiciant; cum humanæ et liberæ hominis actiones neque a sole, neque ab hoc cœlo pendeant, sintque ipsis cœlestibus influxibus superiores ac nobiliores. Neque indignum tantum, sed miserum etiam; nam laboris in res sublunares impensi præmium sequi non potest animum hunc in regionem superam evolantem. Ergo videmur quasi de cœlo audire Ecclesiastæ vocem hanc : Miseri « mortui, qui *non* in Domino moriuntur, » quorum est inanis labor : « opera enim illorum *non* sequuntur illos, » *Apocal.* XIV.

Mystice S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, octon. 12: « Sancti, ait, spiritualibus semper intendunt, et vitæ æternæ profutura vel cognoscere gestiunt, vel docere. Unde Ecclesiastes ait: Quæ abundantia homini in omni labore suo, quo laborat sub sole, id est, quæ abundantia spirituali homini laboranti sub sole justitiæ? et subjecit : Generatio vadit, et generatio venit. Vadit generatio, quia divites eguerunt et esurierunt. Qui ante abundabant gratia (Judæi), propter perfidiam suam egere cœperunt; qui autem pauperes erant populi nationum, jam per fidem satiantur et abundant, sicut scriptum est : Edent pauperes, et saturabuntur, » *Psal.* XXI.

Vers. 4. 4. GENERATIO PRÆTERIT, ET GENERATIO ADVENIT : TERRA AUTEM IN ÆTERNUM STAT. — Hebræa, *sæculum vadens, et sæculum veniens; et terra in æternum stans;* Septuaginta, *generatio vadit vel proficiscitur, et generatio venit: et terra in sæculum stat;* Symmachus, αἰώνιος, id est *æterna;* Syrus, *generatio abit, et generatio venit: et terra in æternum stans;* Arabicus, *generatio discedit, et generatio venit : et terra in æternum est.*

Explicat et probat id quod dixit vers. præcedenti, *sub sole* nihil homini esse residui ex omni labore suo, ex eo quod generatio una præterit cum suo labore laborisque fructibus, et generatio nova advenit, quæ pari modo mox præteribit; terram autem eamdem semper manere, ut generationes hasce sibi assidue succedentes ipsa constanter in se recipiat. Terra enim est quasi centrum, quod continet et sustinet tam homines quam elementa, cœlos totumque universum; quare circa hoc centrum immobile moventur et gyrant assidue, tam hominum generationes et tempora, sæculaque sibi continuo succedentia, quam sol et cœli, etiam venti et flumina, ac res universæ, ut vers. sequenti explicat. Omnia enim hæc eo ten-

Sensus primus genuinus.

dunt, ut vanitatem rerum terrenarum hominumque in iis laborantium ostendant ex continua utrorumque mutatione, circulatione et successione, qua una prætereunte et occidente advenit oriturque altera in terra et circa terram, quam ubi res ortæ contigerint, mox volvuntur et abeunt, novæque oriuntur pari celeritate volvendæ, et mox abituræ. Quare in terra nil oritur novi, quod curiosi homines quærunt; sed idem est semper rerum hominumque sibi succedentium circuitus et circulus. Ita S. Hieronymus : « Quid est vanius, inquit, hac vanitate, ut aliis morientibus nascantur alii, et homo nunquam permaneat? cum tamen terra, quæ propter hominem facta est, in æternum stet. » Et Nyssenus : « Omne studium, inquit, quod versatur in iis quæ ad vitam pertinent, est plane puerorum ludus in arena (hæc est terra), in quo quæ ex iis, quæ fiunt, capitur oblectatio, simul desinit cum studio, quod ponitur in iis quæ facta sunt. Nam simul atque cœpit moveri arena, simul circumfluens nullum relinquit vestigium eorum quæ fuerunt elaborata. Hoc est humana vita. Arena est ambitio, arena est potentia, arena est divitiæ, arena est quidquid est, et in iis vane laborantes infantiles animæ, » etc. Cum vero *arenam* dicimus, intelligere quoque licet terram esse perpetuum quoddam theatrum, in quo peragitur fabula vanitatis, dicente Apostolo : « Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, » I *Corinth.* IV, 9.

Terra est quasi arena puerorum.

Pro *spectaculum* græce est θέατρον, id est, *theatrum facti sumus*, in theatro spectamur, in theatro hujus mundi comœdiam, imo tragœdiam vitæ nostræ, quasi personati histriones agimus. Histriones enim, sive personæ comicæ et tragicæ sunt imperatores, reges, principes, voluptuarii, epulones, divites, mercatores, egeni et mendici, viduæ, pupilli, orphani, domini, servi, milites, imbelles, pueri, senes, ulcerosus Lazarus, avarus epulo, sapientes, stulti, improbi et vanissimi mundanæ felicitatis sectatores. Hoc est quod ad mundi fugam adhortans Apostolus ait : « Præterit enim figura hujus mundi, » I *Corinth.* VII, 31, *q. d.* Mundus non habet rem, sed figuram et umbram. Vide ibi dicta.

Secundo, S. Gregorius Thaumaturgus hoc versu et sequenti censet notari brevitatem vitæ humanæ, ideoque hunc versum censet pendere a præcedenti; unde utrumque paraphrastice vertit : « Quid, inquit, est quod homines super terram reptantes, tanto corporum animorumque molimine parturiunt, atque ad cœlestia mentis oculos attollere nolunt? Atqui interim generatio præterit et generatio advenit, hoc est, transeunt anni tempora, transeunt et anni. » Abeunt et recedunt non modo privati homines, sed integræ generationes; et terra quidem velut hæres, superstes est universarum hominis facultatum, supellectilisque pretiosissimæ : nam abeunte homine, ipsa superstat humanæ vitæ spoliis onusta.

Secundus.

Ex adverso Franciscus Valesius, *Sacr. Philosoph.* cap. LXII, censet hic significari generationum perpetuitatem, per circulationem, qua in orbem eunt et redeunt. Hoc, inquit, quod Ecclesiastes observavit, nihil aliud est quam quod Aristoteles in duobus ultimis capitibus secundi *De Ortu et interitu* diserte tradidit, puta circularem esse rerum omnium mutationem, et hinc pendere mundi æternitatem : quia scilicet sola mutatio circularis potest esse perpetua; partes ergo mundi quæ per se sunt perpetuæ, ut solem et alia corpora cœlestia nullam mutationem substantiæ subire, sed circulo volvi, accedereque et recedere eadem numero semper redeuntia; quæ vero corruptibilia sunt, fieri semper ex seipsis, circulo nascentia et intereuntia, numero semper alia, sed specie eadem, ut ex aere fit aqua, et ex aqua aer. Hunc generationum abeuntium et redeuntium circulum, quo mundus servatur, innuit Ecclesiastes dicens : « Generatio præterit, et generatio advenit. » Ita Valesius. Verum error est contra fidem, dicere generationum successionem fore æternam.

Tertio, Lyranus, Titelmannus et alii hæc referunt ad difficultatem scientiarum, quæ nascitur ex difficultate rerum cognoscendarum, eo quod instabiles perpetuo gyrent, itaque fugiant stabilem oculi aciem mentisque contemplationem : talis enim est perpetua generationum, id est rerum generabilium et corruptibilium mutatio, alternatio et vicissitudo; talis quoque est solis circulatio, ventorumque flatus, fluminum cursus, quasi hæc omnia spectent ad illud vers. 8 : « Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone. » Ideo, inquit Lyranus, fit mentio generationis prætereuntis, id est brevissime labentis vitæ mortalium, ut cum vita brevis sit, ars vero longa, excludat hominem a perfecta acquisitione scientiarum. Ergo hæc sententia similis, aut fere eadem est cum illa *Sap.* IX, 16 : « Difficile æstimamus quæ in terra sunt : et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? »

Tertius.

Quarto, Olympiodorus censet terram hic induci, ut quasi testis, imo quasi magister homine stabilior et sapientior redarguat hominum vanitatem, inconstantiam et improbitatem. Sic enim explicat : « Quid, homines, laboratis circa terrena, quando ipsa terra, sensu carens elementum, in longinquum tempus perdurat; vos autem secundum generationem peritis? et terra quidem in æternum stat accusatrix vestri effecta, in qua nefaria opera perpetrastis. »

Quartus.

Sic et Salonius. Accedit et Hugo Victorinus : « Quid est quod terra stat? Perseverat in eo quod facta est : servat naturam suam : conditionem suam non deserit : quod accepit, hoc retinet incorruptum. Quare igitur et tu non stetisti in eo quod factus es super terram? » Et rursum : « Ausculta, homo, et erubesce. Terra stat, et tu stare non potes? »

Et Nyssenus : « Ne sis terra magis inanimis; ne sis iis quæ sensu carent insipientior. » S. Hieronymus quoque et Albinus : « Quid, inquiunt, hac vanius vanitate, quam terram manere, quæ hominum causa facta est, et ipsum hominem terræ dominum in pulverem repente dissolvi? » Igitur censent hi auctores terram hic induci, ut ex ea discamus recte vivendi modum, scilicet ut ex ejus firmitate discamus in agendo et patiendo firmitatem et constantiam. Item ex ejus vilitate humilitatem, scilicet quod Adam factus dictusque sit ab *adama*, id est homo ab humo, terrigena a terra, juxta illud Ecclesiæ in die Cinerum : « Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris; » quod petitum est ex *Genes.* III, 19. Rursum terra hic objicitur ut palæstra, in qua velut stadiodromi decurrimus ad metam, et velut athletæ certamus pro præmio. Sic ergo curramus, sic certemus ut comprehendamus.

Quintus. *Quinto*, alii censent vanitatis demonstrationem hic peti a similitudine terræ, solis, ventorum et fluminum, *q. d.* Sicut terra eumdem semper tenet locum, ac sol, venti et flumina eumdem semper tenent cursum : sic homines eumdem servant semper vanitatis tenorem et cursum. Sicut enim generatio præterita præteriit et evanuit : sic et præsens et futura præteribit et evanescet, ut ex hominibus qui fuerunt et transierunt, judicium facere possis de præsentibus et futuris, scilicet quod simili modo transibunt et morientur. Aut, ut Rupertus, *q. d.* Vani et dementes sunt labores, quos homines avari in comparanda terra impendunt, cum tot generationibus prætereuntibus et advenientibus, hic terra semper maneat, nec ab ullo tolli sibique appropriari possit.

Sextus. *Sexto*, nonnulli magis apposite censent terram, solem, ventos, flumina hic induci, ut probent id quod dicitur vers. 10, nihil novi fieri sub sole, sed omnia in orbem ire et redire, ad retundendam hominum novitati et novis inhiantium curiositatem, quæ una in hominibus vanitatis pars est non minima. Huc accedit noster Pineda, qui sic exponit, *q. d.* Nihil, o homo, ex tuo tibi labore perventurum amplius poteris ex rebus aliis natura constantibus intelligere. Numquid habet generatio adveniens, quod generatio præterita non habuerit? Quid juvenis putat se inventurum, quod senes non fuerint experti? Eadem terra, eadem vitæ semita calcatur omnibus; nam terra in æternum stat : sol ad occasum continenter currit anhelans; quid hodie invenit denuo, quod heri non habuerit? Idem hemisphærium occumbens deserit, idem invenit renascens. Vel hac ratione : Nihil magnum sub sole; quippe ex nulla re sub solari retulit beatitudinem generatio præterita, sicut neque referet generatio adveniens : non ex fluminum aqua, non ex terra; ergo cum nihil sub sole novum, nihilo plus erunt beati futuri homines, quam fuerunt præteriti. Nec dicas : Plus laborabo, et sic amplius quam illi fructus percipiam; quia eædem tibi, sive multum sive parum laboranti, vitæ leges sustinendæ sunt, eadem quæ aliis tui tibi laboris merces percipienda. Idem ortus et occasus tibi exspectandus est.

Anagogice, S. Gregorius in *Psalm.* V *Pœnit.*, ad illa : *In generatione et generationem anni tui* : « Generatio, inquit, vadit, et generatio venit; terra autem in æternum stat. Hæc est namque instabilis vitæ istius permutatio, ut decedentibus aliis alii succedant, quibus postmodum simili modo deficientibus, alii non æquali conditione oriantur. Ex quibus tamen omnibus, quæ in sæculo fuerunt, vel futuræ sunt, generationibus viva illa et divina generatio perficitur, quæ in æternum claritatis Dei consortio perfruetur. In hac itaque annos, id est æternitatem Dei permansuram dicit Propheta; tunc videlicet, cum generatio quæ præcedit et quæ sequitur una facta fuerit, novissima utpote morte destructa, quæ antequam in victoria absorbeatur, nihil stabile, nihil solidum, nihil dimittit illæsum. » Sic et R. Isaac, in *Midras Coheleth*, id est in expositione Ecclesiastis, ad hunc versum : « Generatio vadit, et generatio venit, terra autem in æternum stat : hoc est, inquit, regnum hoc ingreditur, et regnum hoc egreditur : Israel autem permanet. Et hoc est : Terra autem in æternum manet. » Qui enim sunt veri Israelitæ, id est sancti dominantes Deo, vocantur terra, ob stabilitatem et beatam æternitatem, qua in cœlo perfruentur. Ita Galatinus, lib. VIII *De Arcanis fidei*, cap. XXIII.

Allegorice, generatio Judæorum præteriit, generatio christianorum advenit; terra autem, id est Ecclesia, in æternum stat : quia eadem est Ecclesia vetus et nova, ob eamdem fidem eumdemque Dei cultum. Ita S. Hieronymus et Origenes in *Psal.* LXXXIX, 1. Generatio quoque tyrannorum et persecutorum præteriit; huic successit generatio arianorum et hæreticorum : sed contra omnes immota persistit terra, id est Ecclesia.

Tropologice, nonnulli hic referunt ad generationem et genera vitiorum, quorum personas et larvas successive induit homo. Nam, ut ait S. Hieronymus, epist. 18 *ad Marcellam* : « Nunc ira personam leonis nobis imponit, nunc cura superflua in annos plurimos duratura præcogitat : lætamur ad nummum, amisso obolo contristamur, etc. Cum enim ad imaginem Dei conditi simus, ex vitio nostro personas nobis plurimas superinducimus; et quomodo in theatralibus scenis unus atque idem histrio nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem : ita et nos tot habemus personarum similitudines quot peccata. »

Rursum generatio veteris hominis præterit, et generatio novi advenit per baptismum et pœnitentiam; itaque terra, id est anima in virtute fundata persistit, et permanet, adeoque beata æternitate donatur. Denique generatio laborum præterit, generatio præmiorum advenit in cœlo, quæ

est terra viventium, ideoque in æternum stat ejus felicitas et gloria. »

Ex omnibus hisce expositionibus, illa quam primo loco posui maxime genuina et litteralis videtur; proxime enim attingit scopum et finem Ecclesiastis, qui est ostendere omnia sub sole esse vana, ex eo quod omnia sint circulantia, eantque in orbem et abeant. Hoc enim significat τὸ *generatio præterit, et generatio advenit, q. d.* Generationes sæculorum omnium gyrant euntque in circulum, quia generatio generationi succedit continuo, sicut pars posterior circuli priori continua serie succedit. Sicut ergo posterior pars circuli, dum volvitur, extendit priorem : sic posterior generatio excludit quamlibet antecedentem. Causam subjicit dicens : « Terra autem in æternum stat, » *q. d.* Terra est quasi centrum hujus gyrationis et circuli; circa illam enim gyrant assidue omnes generationes, revolutiones et successiones sæculorum. Sicut ergo centrum in circulo immotum sit oportet : in centro enim figitur unus pes circini, et alter deinde pes in orbem circa centrum actus describit circulum : sic in rota axis, qui est quasi centrum, immotus consistat oportet, ut circa eum rota rotari possit. Pari modo terra, quæ hujus circuli et gyrationis generationum est centrum, immota stet oportet, ut in ea et circa eam gyrationes hæ assidue continuari et perpetuari queant : præsertim quia terra materiam et causam gyrationibus et generationibus hisce suppeditat. Omnia enim ex terra generantur. Ipsa rursum generationem plantarum, animalium, hominum prætereuntem in se recipit. Omnia enim corpora dum moriuntur, in terram ex qua orta sunt, velut in matrem suam redeunt, ut ex ea nova generatio novarum plantarum, animalium, hominum assidue germinare et procreari possit, dum ipsa pluvia irrigatur et solis radiis calefit, itaque fecunda et fertilis efficitur. Quare terra similis est arbori, quæ, ut ait Plinius, lib. XVI, cap. XX et XXI : « Cum semper retineat comam, eadem tamen folia non durant, sed subnascentibus aliis arescunt vetera. » Simili enim modo in terra subnascentibus aliis hominibus et animalibus, veteres arescunt et moriuntur. Et hoc innuit vox *generatio* : quidquid enim est generabile, idem est et corruptibile. Quæ enim generantur, oriuntur et crescunt, deinde decrescunt, senescunt et occidunt, juxta illud *Sap.* V, 13 : « Nos nati continuo desivimus esse. » Hinc collige vanos homines esse, qui vano et corruptibili mundo incubant, utpote qui universos eorum labores et fructus absumit et corrumpit : perinde ac stolida est columba, nec habet cor, ut ait Osee cap. VII, vers. 11, quæ cum videat ova et pullos ex nido suo semper auferri, quotidie tamen in novis ibidem ponendis laborat.

Terra similis arbori.

Ex hoc deinde velut principio colligit Ecclesiastes, vers. 10, nihil sub sole esse novum, sed omnia pari modo gyrare, et tempore sibi a Deo præstituto oriri et occidere, ireque in orbem et abire. Unde vers. 11 concludit : « Non est priorum memoria : sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo. » Nunc singula verba ad incudem revocemus, et penitius examinemus.

Hebr. *dor* quid?

Generatio hebraice est דור *dor*, a דור *dur*, id est duro, moror, vitam duco, item peregrinor, habito : quare *dor* idem est quod *duratio*, sæculum, peregrinatio, generatio, ætas, tempus vitæ, quo homo peregrinatur in mundo. Hinc *secundo*, per metonymiam *dor*, id est generatio et sæculum, significat homines illa ætate et sæculo viventes : item omnia quæ illo sæculo oriuntur, accidunt, et occidunt. Noster apte vertit generationem, ut notet rerum sublunarium tum corruptionem : quidquid enim generatur, idem corrumpitur, uti jam dixi; tum circulationem : generationes enim rerum quotannis cum sole innovantur, vaduntque in orbem. Denique unius generatio est alterius corruptio, ac vice versa unius corruptio est alterius generatio, ut ait Aristoteles. Hinc Forerius in cap. XXXVIII *Isaiæ* ad illa : « Generatio mea ablata est, » hebræum *dor*, id est *generatio*, derivat a nomine דור *dor*, id est sphæra, circulus, pila; unde *dor*, inquit, seriem vitæ significat; nam revolutionem quasi sphæricam notat : nostra autem vita tota in revolutionibus et in vicissitudinibus consistit in cap. LIII *Isaiæ*, vers. 8. *Dor*, inquit, Hebræis ætatem seu sæculum notat a volubilitate, quod ætas ætati et sæculum sæculo succedat, ut circulum videatur conficere. Nam, ut ait S. Augustinus in *Psal.* XXXVIII, ad illa : « Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, » non sunt, sed transeunt dies nostri, « et momentis transvolantibus cuncta rapiuntur. »

Præterit hebraice est הולך *holech*, id est vadit, ambulat; Septuaginta, πορεύεται, id est *proficiscitur*, *q. d.* In hoc mundo non sumus consistentes, sed ambulantes et viatores; assidue enim proficiscimur tendimusque ad mortem, ac per eam ad immortalitatem. Hinc Arabicus, *discedit*; Syrus, *abit*; alii, *transit, labitur, q. d.* Humana et terrena cuncta accelerant iter, proficiscuntur, et quasi quopiam avolare velint; inducta jam pedibus talaria nectunt, abeunt, discedunt. Noster apposite vertit, *præterit*, scilicet instar peregrini, qui terras perambulat, obit, relinquit et præterit. Omnes enim in hac vita peregrini sumus, et peregrinamur a Domino, atque, ut ait Apostolus : « Præterit figura hujus mundi, » uti paulo ante dixi; quia mundus non habet substantiam consistentem, sed figuram prætereuntem et umbram fugacem, juxta illud Poetæ Christiani : « Præterit una dies, nescitur origo secundi. »

Et Cicero, libro *De Senectute* : « Ætas præterita, ait, quamvis longa, cum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem; » quia, ut ait ibidem : « Tempus præteritum nunquam revertitur. »

Et Virgilius, VIII *Æneid.*:

O mihi præteritos referat si Jupiter annos.

« Terra autem in æternum stat. » Nonnulli per terram hic, æque ac *Genes.* XI, accipiunt materiam primam quæ eadem stat, id est substat rerum formis, et generationibus tam prætereuntibus quam advenientibus. Ita Alexander Alensis, Bonaventura et Albertus. Verum hoc symbolicum et mysticum est. Constat enim ad litteram per terram elementum terræ significari. Pro *æternum* hebraice est עולם *olam* (unde latinum *olim*), id est sæculum, æternum; ac subinde non æternum absolute, sed respective, adeoque longum duntaxat tempus significat. Unde nonnulli sic explicant: « Terra in æternum stat, » id est stabit tamdiu, quamdiu eam incolent homines, quamdiu vivent in ea mortales. Sic Horatius ait lib. I, *epist.* 10:

Serviet æternum, qui parvo nesciet uti.

« Sæculum autem, ait Varro, spatium centum annorum (unde ludi sæculares) ita dictum a sene, quod hoc sit spatium senescendorum hominum. » Æternum tamen hic absolute accipi potest. Terra enim in æternum stabit. Ita S. Thomas, I part., *Quæst.* X, art. 3: « Æternitas, inquit, vere et proprie in solo Deo est, quia æternitas immutabilitatem consequitur, ut ex dictis patet. Solus autem Deus est omnino immutabilis. Secundum tamen quod aliqua ab ipso immutabilitatem percipiunt, secundum hoc aliquam ejus æternitatem participant; quædam ergo quantum ad hoc immutabilitatem sortiuntur a Deo, quod nunquam esse desinunt, et secundum hoc dicitur *Eccle.* I, de terra, quod in æternum stat; et sic æternitas angelis attribui potest, secundum illud *Psal.*: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. »

Pro *stat* hebraice est עמד *amad*, id est stat, permanet, perseverat, firma et stabilis est, instar עמוד *ammud*, id est columnæ, quæ stat sub domo, illamque fulcit et sustentat. Sic enim terra velut columna, ac velut centrum sustinet omnes elementorum et cœlorum orbes, totumque universum.

Terra accusabit impios.

Rursum huic loco proprie congruit « terra stat, » inquit Hugo Victorinus: « Ut venientes mittat, pertranseuntes portet, discedentes recipiat. » Salonius vero: « Terra stat, inquit, accusatrix vestri effecta, in qua nefaria opera perpetrastis. » In die enim judicii terra quasi testis, muta voce accusabit impios coram Christo judice, ac vindictam de eis exposcet, quod se puram a Deo creatam suis sceleribus polluerint, maculaverint, violaverint. Unde illud *Psal.* XLIX, 4: « Advocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum. » Hinc Moses cœlum et terram in testes vocat sanctæ a Deo legis, et ab impiis violatæ: « Audite, cœli, inquit, quæ loquor; audiat terra verba oris mei, » *Deuter.* XXXII, 1. Vide ibi dicta. Hinc Chaldæus hoc mystice sic vertit, *dixit Salomon rex in spiritu prophetiæ: Generatio bona justorum abiit de hoc sæculo, propter peccata generationis pessima impiorum, quæ facturi sunt post eos; terra autem in sæculum sæculorum stat, ut sustineat ultionem eorum quæ ventura sunt in sæculo propter peccata filiorum hominum.*

Hinc patet perperam nonnullos Judæos censuisse τὸ *stat* significare terræ æternitatem, quod illa increata sit et steterit ab æterno; quos recenset et refutat R. Moses, lib. II *Doctoris dubiorum*, cap. XXIX; stare enim significat permanere, quod scilicet terra, postquam a Deo creata est, perstet in æternum.

Terra in æternum stat.

Igitur τὸ *terra in æternum stat* significat *primo*, terram a sui creatione semper durasse, durare, et duraturam in æternum, cum generationes hominum, animalium, rerumque omnium non durent, sed una prætereunte altera et altera continuo succedat. Hæc enim est antithesis inter generationes et terram, quod hæc perduret, illæ vero abeant et in terram redeant. Ideo enim terra durat, ut generationum harum sibi assidue succedentium sit mater, materia, locus, receptaculum, et causa efficiens; dum plantis, animalibus et hominibus veteribus emorientibus, nova germinat et producit. Omnia enim hæc sunt proles, fœtus et filii terræ, ideoque inter se congeneres et quasi fratres, utpote terrigenæ ex eadem matre, scilicet terra geniti, quæ magna hominis est vilitas et humiliatio. Hinc Empedocles dixit terram et aquam esse materiam generabilium corporum, ut farinam et aquam; aerem vero et ignem efficientia magis quam accipientia esse, et vires præstare magis quam corpora rebus generandis. Unde de iis subjicit Salomon: « Oritur sol et occidit, etc. Lustrans in circuitu pergit spiritus. » Solis enim assecla est calor et ignis.

Huc facit expositio *Catenæ Patrum Græc.*, quæ hic Romæ exstat in Bibliotheca Sfortiana, ubi eam vidi et legi, quæ sic habet: « Quæ a Deo facta sunt, eadem manent ut sunt; e terra nasci, in terram abire, eamdem stare terram, solem universam terram circumeuntem, rursus in eumdem terminum recurrere, etc.; at in humanis sermonibus nugarum multum, utilitatis nihil reperitur. »

Terra ergo est velut stadium moventium et currentium, ideoque hebraice dicitur ארץ *erets*, a רוץ *ruts*, id est currere (quod italice dicitur *ruzzolare*), eo quod ad ipsam fixam et stabilem currant et ferantur universa tanquam in centrum et quietam sedem, ipsaque sit velut stadium in quo decurrunt ab ortu ad occasum homines, æque ac animalia resque universæ. Terra igitur in æternum stat, id est durat et permanet, nec præterit, uti prætereunt generationes sæculorum, de quibus dixit: « Generatio præterit, generatio advenit. » Hisce enim terram, utpote permanentem opponit, dicens: « Terra autem in æternum stat, » id est permanet et consistit, nec circa cœli orbes

rotatur ut sol, de quo per antithesin subdit : « Oritur sol. » Unde Nazianzenus, *orat.* 4 : « Terra, inquit, est quasi hypostasis generationum sibi succedentium, » quia iis substat, easque fovet et sustentat. Et Origenes, hom. 14 *in Numer.*, ait angelos promovere animalium nativitates, virgultorum et plantarum incrementa, quasi communes terræ mundique aurigas.

Hinc *secundo*, τὸ *stat* significat terram non moveri, sed firmam et immotam consistere contra veteres quosdam philosophos, qui censuerunt cœlum quiescere et terram moveri, quæ, teste Cicerone, lib. II *Academ. Quæst.*, et Plutarchus, lib. II *De Placitis Philos.* cap. XIII et XV, fuit olim sententia Nicetæ Syracusii, Cleanthis Samii, Ecphanti Pythagorici, Heracliti Pontici, ac hoc sæculo Nicolai Copernici. Hinc plures philosophi censuere lunam esse solidam, in eaque habitare homines. Audi Macrobium, lib. I *in Somnium Scipionis* : « Denique illam (lunam) æthereum terram physici vocaverunt, et habitatores ejus lunares populos nuncupaverunt; quod ita esse plurimis argumentis docuerunt. » Et Plato in *Convivio*, lunam vocat cœlum terrestre, et terram cœlestem. Audi et Lactantium lib. III *De Falsa sapientia*, cap. XXII : « Xenophanes dixit intra concavum lunæ sitam esse aliam terram, et ibi aliud genus hominum simili modo vivere, quo nos in hac terra vivimus. Habent igitur illi lunatici homines alteram lunam, quæ illis nocturnum lumen exhibeat, sicut hæc exhibet nobis; et fortasse noster hic orbis alterius inferioris terræ luna sit. Fuisse Seneca inter stoicos ait, qui deliberaret, utrumne soli quoque suos populos daret, etc. Sed credo, calor deterrebat, ne tantam multitudinem periculo (combustionis a sole) committeret. » Hucusque Lactantius. Edidit nuper ad hanc sententiam propugnandam opus *De Magnete* Guilielmus Gilbertus Anglus, et medicus Londinensis, ubi lib. VI probare contendit terram esse velut ingentem magnetem, qui non tantum polos cœli respiciat, sed et proprios habeat polos, circa quos rotetur quotidie et circumagatur 24 horarum spatio, idque ad sui commodum, ut scilicet diversos cœli siderumque aspectus et influxus ad rerum generationes opportunos recipiat. Rationes ejus frivolæ sunt, scilicet *prima*, quod omnis generatio, inquit, non tam ex quiete quam ex motu fiat, sine quo universa rerum natura torpesceret; *secunda*, quod vires solis et lunæ generationes efficiant : moveri ergo et rotari debet terra, ut illis se opponat, itaque eorum influxus hauriat et suscipiat; *tertia* petitur ex terræ motibus, quos crebro experimur : illi enim videntur promanare ex interiore terræ motu, qui totius terrestris globi spiritus commovet et excitat; *quarta*, quod animalia ipsa non vivant sine motu cordis, arteriarumque motione et agitatione perenni : ergo et terra viventium genitrix, similes motus et agitationes habeat oportet.

Terram moveri multi censuerunt.

Eorum argumenta.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Verum hæc sententia repugnat non solum philosophiæ, sed et sacræ Scripturæ, quæ hoc loco aliisque asserit terram stare, firmamque et immotam consistere, ut *Psal.* XCII, 2 : « Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. » Josue, cap. X, 12, imperans soli ut sisteret, et a motu quiesceret : « Sol, ait, contra Gabaon ne movearis, et luna, contra vallem Aialon. Steteruntque sol et luna. » Sol ergo movetur, non terra. *Eccli.* cap. XLVIII, 26 : « In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi (Ezechiæ) vitam, » puta quindecim annos vitæ. *Baruch* III, 32 : « Qui (Deus) præparavit eam (terram) in æterno tempore, » hoc est, qui fundavit (hoc enim significat hebraice כּוּן *cun*, id est præparare) terram ut duret in æternum. *Psal.* XXIII, 2 : « Quia ipse super maria fundavit eam, » scilicet terram. *Psal.* LXXVII, 69 : « Et ædificavit sicut unicornis sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula. » *Psal.* CXVIII, 90 : « Fundasti terram, et permanet. » Similia sunt *Proverb.* III, 19; *Isaiæ* LI, 13 et 16; *Job* XXXVIII, 4, 6 et 38. Huc facit quod S. Dionysius Areopagita, *Epist. ad Polycarpum*, narrat in eclipsi, quæ contigit in Christi passione, lunam in plenilunio expositam soli, illico ad solem regressam se interposuisse inter solem et terram, itaque fecisse eclipsin. Denique congregatio Cardinalium sub Paulo V, anno Christi 1616, die quinta martii, præsente Cardinali Bellarmino, ex hoc Salomonis loco damnavit Copernici sententiam, quæ docet terram moveri.

Refelluntur.

Ad *primum* respondetur terram non torpere, quia assidue ab agricolis colitur, subigitur, aratur, sarritur, etc., ut fruges et fructus proferat. Omitto ventorum flatus ac alterationes caloris et frigoris, siccitatis et humoris, quos per quatuor anni tempora assidue suscipit terra : alteratio enim est species motus, qui terram torpere non sinit.

Ad primum.

Ad *secundum* respondetur solem et lunam moveri, ut terræ quiescenti influxus suos ad generationem necessarios imprimant. Causa enim efficiens accedere solet ad materiam, non materia ad causam efficientem. Agricola enim vadit ad agrum, non ager ad agricolam : faber vadit ad ferrum, non ferrum ad fabrum.

Ad secundum.

Ad *tertium* respondetur terræ motus non oriri ex motu naturali terræ, sed ex ventis et exhalationibus intra terræ viscera inclusis, qui, dum erumpere et sursum ascendere volunt, eam succutiunt ut exitum quærant.

Ad tertium.

Ad *quartum* respondetur animalia habere animam, ideoque egere cordis et arteriarum agitatione et pulsu; terram autem esse inanimem, ideoque iis non egere, imo ea habere non posse. Qui enim hæc terræ dat, animam quoque illi det oportet. Plura vide apud nostrum Christophorum Clavium in *Sphæra*. Vide et quæ de terra dixi *Genes.* I, 1. Denique, audi S. Gregorium Thaumaturgum, qui paraphrastice vertens, et hunc ver-

Ad quartum.

sum cum seq. de sole, ventis et fluminibus connectens, et ex iis causas cur terra stet ita paucis assignat, vers. 7 : « Res ipsæ, inquit, recte comparantur fluxui torrentium, qui in immensum maris profundum ingenti strepitu incidunt. Sunt tamen quæ eadem manent semper, qualia sunt nasci e tellure, verti in terram, eamdem perpetuo consistere terram; solem, cum totam terram circumeat, perfecto circulo ad eamdem recurrere exitus sui metam; item stare ventos totque ac tantos amnes se in pontum effundere, ventosque irruentes neque cogere illum suos egredi fines, neque ipsos suis aberrare legibus. Et ea quidem uti conducibilia nostræ huic vitæ sic fieri congruebat. »

Tertia. Rursum τὸ *terra in æternum stat* significat terram non super aquas stare et fluitare, uti censuere nonnulli philosophi et theologi, sed sub iis stare firmamque consistere. Nam Thales, qui post Davidem 500 fere annis floruit sub Cyro, « judicavit, ait Seneca, lib. VI *Natural. quæst.* cap. v, totam terram subjecto humore portari, innatare et sustineri velut aliquod grande navigium his aquis quas premit. » Et alii apud Plutarchum, lib. III *De Placit. Phil.* cap. xv, censent « terram aquis innatare instar platani foliorum, aut asserum, ideoque moveri. » Horum opinionem secuti sunt S. Athanasius, orat. *Contra idola;* S. Clemens, lib. VIII *Recognit.*; S. Chrysostomus in *Psalm.* CXXXV; S. Hilarius in *Psalm.* CXXXV; Eusebius in *Psalm.* XXIII; Procopius in *Genes.* cap. I. Porro Anaximenes, ait Plutarchus, censuit « terram vectari aere, » cui incumbit, idque verisimile esse innuunt S. Basilius, Ambrosius et Damascenus, qui idipsum colligunt ex illo *Job* XXVI, 7 : « Qui appendit terram super nihilum. »

Verum utrumque confutat hic Salomon : τὸ enim *stat* significat terram firmam consistere, et substare aquis, aeri cæterisque elementis et cœlis velut basin et centrum universi.

Immobilitatis terræ causa materialis. Ratio a priori est triplex, juxta tria genera causarum; materialis enim causa stationis et immobilitatis terræ est ipsa ejus opacitas, densitas et gravitas, quæ exigit infimum mundi locum, ut cœlis et elementis cæteris magis diaphanis et levibus subsit, et substet. Omnia enim gravia tendunt deorsum, sicut levia sursum. Quod ergo gravissimum est inter elementa, infimum poscit locum : gravissima autem est terra. Finalis est duplex : prior, ut terra sit quasi centrum elementorum, cœlorum et universi; centrum enim debet esse in medio et imo circuli, ut æque distet a singulis circuli partibus. Rursum centrum in circulo est immotum : sic terra in medio mundi est immota; si enim ipsa moveretur, suumque centrum mutaret, totus mundus pariter excentricaretur, extraque suum locum moveretur.

Finalis duplex.

Posterior est, ut terra substet hominibus, animalibus et plantis, eorumque generationibus prætereuntibus et advenientibus; hinc eadem firmaque consistat oportet. B. Alcuinus, sive Albinus Flaccus, præceptor Caroli Magni, *Disput. cum Pipino Caroli filio* : « Quid, inquit, est terra? mater crescentium, nutrix viventium, cellarium vitæ, devoratrix omnium. » Causa efficiens est ipse Deus, creator et conservator universi, qui, velut Atlas mundum in vacuo sive nihilo sustinet, atque in mundi medio terram velut pilam in aere pendulam, sine ulla basi aut fulcro stabilem firmamque sustentat. Hoc est quod ait Psaltes, *Psal.* CIII : « Qui fundasti terram super stabilitatem suam; » Aquila et Symmachus, *super sedem suam;* S. Hieronymus et Chaldæus, *super basin suam;* melius alii, *super locum suum stabilem*, ut scilicet in centro suo stabilis et firma consistat. Unde S. Justinus, Quæst. CXXX *ad Orthodoxos* : « Sustinent, inquit, cœlum æquæ, aquas terra, terram divinus nutus. » Sic et S. Basilius, homil. I *Hexam.*, et ex eo S. Ambrosius, lib. I *Hexam.* cap. VI, quem audi : « Voluntate Dei immobilis manet, et stat in sæculum terra secundum Ecclesiastæ sententiam; et voluntate Dei movetur et nutat. Non ergo fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseverat, sed Dominus statuit eam, et fundamento voluntatis suæ continet, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ. »

Efficiens.

Causa symbolica et theologica est quod terra sit sedes Dei, imo scabellum pedum Dei; decet ergo eam esse immotam, utpote quæ sit thronus gloriæ, et scabellum immobilis et firmissimæ divinitatis. Eadem de causa cœlum empyreum est immobile, quia ipsum est thronus gloriæ, in quo considet, et Beatis se ostendit Deus. Decet enim tam thronum quam scabellum throni divini esse immobile, ut Deum immobilem et judicem quietissimum repræsentet. Atque hac ratione mundus sive universum est mobile, ideoque æternum : quia partes ejus extremæ, puta summa et infima, sunt immobiles, esto inter has medii orbes cœlorum et elementorum rotentur ad tempus, propter usum hominum et animalium. Hoc est quod ait Deus, *Isaiæ* LXVI, 1 : « Hæc dicit Dominus : Cœlum sedes mea; terra autem scabellum pedum meorum : quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? » Isaiam secutus Orpheus apud Clementem Alexandrinum, lib. VI *Stromat.*, ita de Deo canit :

Theologica.

> Ipse autem in magno constans et firmus Olympo est :
> Aureus huic thronus est, pedibus subnixaque terra.

Ridiculum est quod de Philistione et Manete refert S. Epiphanius, *hæres.* 66, contra Manichæos : Philistion, inquit, Humeriferum (Deum) confingens docet eum humero gestare universam terram, et per triginta annos, lassato humero, in alterum humerum transferre, indeque terræ motus fieri. Addit simile de Manete parente Manichæorum : Luna, inquit Manes, augescit et decrescit ac deficit, dum impletur ab animis eorum, qui in cogitatione incredulitatis ipsius moriuntur. Deinde easdem animas a luna minore scapha de-

jehi dicit, et in solem assumi, atque in Beatorum sæculum deponi. Hæ Epiphanis fuere fabulæ, Manetis et Philistionis.

Porro huic stationi et quieti terræ non officit terræ motus, quem subinde experimur, imo ipse confirmat id quod dixit, scilicet terram immotam consistere ex Dei voluntate et sustentatione. Inde enim sequitur Deum ad nutum, ut suam potentiam, vel indignationem in terrigenas ostendat, eosque sui metu percellat, terram ad tempus aliquod concutere, adeoque subinde totam terram quassare, eamque e centro suo convellere, uti accidisse in terræ motu qui accidit in passione Christi, ad ostendendam indignationem necis Christi Filii Dei, censent Didymus in *Catena Græc.* in cap. IX *Job*, et alii, idque confirmant ex illo *Job* IX, 6 : « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur; » et ex *Eccli.* cap. XVI, 18, et *Psal.* XVII, 8, etc.

Motus librationis terræ unde?

Rursum, graves philosophi et theologi censent huic stationi, sive consistentiæ terræ non officere motum trepidationis, quo eruditi mathematici opinantur moveri sive librari terram propter inæqualitatem partium ejus magis minusque gravium, ob summum æquilibrium centri; quia hic motus tam lentus et exiguus est, ut ab hominibus sentiri nequeat. Sicut ergo libra censetur eodem loco consistere, etiamsi ejus lances librentur, et ex inæqualitate ponderis nunc ascendant, nunc descendant, quia eo non obstante libra situm locumque non mutat : sic multo magis terra stat et consistit eodem loco, etiamsi modice libretur. Imo ejus consistentia, inquiunt, in hac libratione consistit, sicut libræ consistentia in libratione lancium consistit. Hoc ut intelligas, scito triplex in terra esse centrum : *primum*, rotunditatis terræ, quod est punctum medium in rotundo terræ globo, sicut centrum est punctum medium in circulo; *secundum* centrum est gravitatis terræ, quod est punctum in medio terræ, a quo omnes circumjectæ partes terræ æqualiter quoad gravitatem distant, ita ut centrum non magis accedat ad partem unam, quæ levior sit quam altera, sed præcise in gravitatis partiumque æque gravium sit medio; *tertium* est centrum totius universi, quod est punctum in medio terræ æqualiter distans ab omnibus partibus perisphæriæ, sive circuli et circumferentiæ cœlorum. Hæc autem tria centra subinde reipsa sunt diversa, et loco situque a se invicem distant, esto centrum gravitatis terræ semper nitatur et tendat ad centrum totius universi, ut sit in imo sive infimo mundi loco; hunc enim velut sibi proprium appetit et exposcit. Ratio ergo jam dictæ librationis terræ (æque ac libræ) est inæqualitas ponderum, quæ nunc in una lance vel parte terræ, nunc in alia majora sunt, ideoque nunc hanc, nunc illam partem degravant, et impellunt ad centrum universi, sive ad punctum medium universi, quod ab omnibus perisphæriæ cœlorum partibus æqualiter distat. Ad hoc enim mundi centrum sua gravitate feruntur omnia gravia, totaque terra. Quare differt, ac subinde loco situque distat, uti jam dixi, centrum rotunditatis terræ a centro gravitatis terræ, a quo omnes partes terræ quoad gravitatem æqualiter distant : centrum enim gravitatis terræ est, vel esse appetit centrum mundi : centrum autem rotunditatis terræ est punctum medium terræ, quod nonnihil a centro gravitatis terræ, et consequenter a centro mundi distare videtur, quia terra in una parte gravior est quam in altera : habet enim plura onera et pondera, ut montes, rupes, mare, etc., in una parte, quam in altera : imo sæpe nova pondera accedunt uni parti, non alteri, ut cum mare in æstu unam partem terræ deserit et ad alteram fluit, eamque occupat et degravat, ideoque tunc mutatur aliquatenus centrum gravitatis terræ, ac consequenter movetur et libratur terra motu trepidationis, quo sese agitat et librat, donec hoc novum centrum gravitatis suæ movendo se coeat, et quiescat in centro totius universi. Hoc enim centrum universi præcise est punctum medium totius mundi, quod æqualiter ab omnibus orbium cœlestium circumferentiæ partibus, velut centrum in circulo æqualiter distat; unde ad illud omnia gravia tendunt, præsertim terra terræque partes omnes. Quocirca nonnulli insignes mathematici censent hanc terræ librationem esse veram causam æstus maris (non vero motum lunæ, utpote quæ noctu longissime abest, estque in alio hemisphærio, ita ut cum terra inter eam et mare interjecta sit, non videatur luna in mare posse agere, et causare æstum maris); dum enim libratur terra, mare ad partem terræ in libratione humiliorem, utpote centro viciniorem fluit et accurrit; et quia in libratione nunc una pars terræ est humilior, nunc altera, idcirco mare in æstu ad unam partem terræ fluit, in reciprocatione vero æstus ad aliam.

Triplex terræ centrum.

Verum huic sententiæ obstat, quod hæc terræ libratio pro varietate ponderum, accedentium huic parti vel illi, sit vaga et instabilis; æstus vero maris sit certus et stabilis. Addunt alii egregii mathematici, censentque hanc fuisse causam diluvii tempore Noe : nimirum quod Deus globum terræ tunc ita librarit, ut nunc ultra centrum universi eam depresserit, nunc eam super illud elevarit. Cum enim eam depressit, illico maria et aquæ omnes confluentes ad centrum universi, operuerunt totam superiorem superficiem terræ, utpote depressam et centro vicinam; cum vero eam elevavit, maria et aquæ omnes refluentes ad superficiem terræ inferiorem, utpote centro universi viciniorem, eam operuerunt; itaque non simul, sed successive texerunt totum globum terræ, ita ut in ea successive submersi sint omnes homines et animantia ubivis locorum. Nam sola pluvia 40 dierum, a Deo in terram immissa, non suffecit ad eam totam operiendam, ac præsertim ad hoc ut supra altissimos montes aqua emineret

quindecim cubitis, uti dicitur *Genes.* VII et VIII. Verum hoc de diluvio majori eget examine. Cæterum, sententiam hanc de motu trepidationis terræ ita inter alios clare et solide e principiis geometriæ probare conatur Gabriel Vasquez in I II, tom. I, disp. 81, cap. III, num. 20: Pro explanatione, inquit, duarum difficultatum, notanda est doctrina quædam Archimedis mathematicorum facile principis; primum quidem terram et omnia gravia, quæ ipsi terræ innituntur, ita efficere corpus unum quod attinet ad gravitatem, ut ponderibus suis librentur, sicut dixit Ovidius, lib. I *Metamorph.* in principio de ipsa terra: « Ponderibus librata suis. » Terram autem et cætera gravia, quæ terræ innituntur, ita gravitate sua tendere, et appetere conjungi centro individuo magnitudinis totius mundi, ut quamvis alteri corpori gravi innitantur, et ab eo detineantur, ne penetrent et conjungantur cum centro, sua tamen gravitate perpetuo ad hoc conentur, ac proinde imprimant corpori sibi subjecto impetum, quo nitantur deorsum tendere, ac corpus sibi subjectum impellere, ut sibi ipsis cedat loco, quousque deorsum adeo se deprimant, ut sint conjuncta centro magnitudinis mundi. Neque vero hoc solum efficit unum corpus in aliud, quo impeditur et detinetur; verum etiam partes ejusdem corporis invicem conantur, et se mutuo impellunt impetumque imprimunt versus centrum mundi. Id quod in ipsa aqua conspicimus, cum gutta aliqua in pulverem cadit: omnes enim ejus partes in modum orbis se contrahunt et comprimunt. Deinde ex eodem notandum est terram ita esse in centro universi, ut nullo corpore nitatur, sed ponderibus suis ita æque libretur, ut centrum suæ gravitatis, quod est indivisibile, penetret centrum magnitudinis totius universi, nec ultra tendere possit, sed ibi necesse sit quiescere. Nam, si hoc modo non quiesceret, ascenderet, et ex seipsa a centro moveretur, quod est impossibile. Centrum quidem magnitudinis universi est punctum indivisibile æque distans ab ultima superficie circuli, et orbis supremi ex omni parte; centrum autem gravitatis ipsius terræ est indivisibile illud, a quo si ducantur lineæ ad totam perisphæriam ipsius terræ per lineam rectam, est æquale pondus ex utraque parte. Et hoc centrum in omni corpore gravi necesse est reperiri. Cum igitur hoc punctum, quod est centrum gravitatis terræ; penetrat punctum magnitudinis totius mundi, terra quiescit. Cumque hoc centrum gravitatis latitudinem non habeat, sed reipsa indivisibile sit, sequitur, si ex una parte terræ gravitas magis ponderet, mutari centrum gravitatis, et ita terram in eo statu quo antea erat, non conquiescere. Nam impossibile est terram quiescere, nisi punctum centri suæ gravitatis penetret, et respondeat puncto totius orbis; alioquin sursum maneret. Sursum enim esse idem est, quod supra centrum magnitudinis universi quiescere; mutato igitur centro gravitatis, quantumvis parva mutatio sit, terra movebitur motu quodam trepidationis, ut aliud punctum gravitatis respondeat, et penetret punctum totius orbis, et ita rursus ponderibus suis æque ex omni parte librata quiescat. Porro gravitas terræ ex una parte potest magis ponderare, cum antea non magis ponderaret, quam ex alia, vel quia ipsa ex alia parte gravior reddatur nativa sua gravitate per physicam aliquam mutationem, vel quia ei adjungatur corpus aliquod; nam corpus illud innixum terræ gravitat supra ipsam, eique impetum imprimit, sicut et partes ipsius terræ sibi ipsis innituntur, et impetum imprimunt. Quare ex eo quod aliquod corpus ex una parte terræ conjungatur, mutabitur centrum gravitatis, et sequetur motus trepidationis in terra, ut diximus; et eo magis corpus illud ex illa parte ponderabit, quo majorem impetum imprimet terræ; atque idcirco pars illa terræ magis tunc gravitabit, ac consequenter pro eo tempore majori motu trepidationis terra movebitur, quia centrum suæ gravitatis longius distabit a centro mundi, ideoque ad illud omni nisu tendet, ut in illo quasi ultimo suo totiusque mundi centro conquiescat. Ita Vasquez geometrice et præcise.

Verum hæc inæqualitas ponderum, et consequenter inæqualitas gravitatis laterum terræ, tam modica est, si cum tam vasta terræ mole et globo comparetur, ut imperceptibilis et insensibilis sit. Deus enim ita aquam terræ opposuit, ut terra in omni sua parte æquale quasi sustineat habeatque pondus; quare motus hic librationis et trepidationis terræ, si quis est, adeo modicus est, ut insensibilis sit. Quocirca physice loquendo, idem est centrum rotunditatis terræ cum centro gravitatis terræ, ac consequenter utrumque coit et consistit in centro totius universi, ut proinde vere dicat hic Sapiens: « Terra autem in æternum stat, » uti erudite docet noster Christophorus Clavius in cap. I *Sphæræ.* Physice trinum terræ centrum est unum et idem.

Tropologice Nyssenus, *homil.* 1, sic exponit, *q. d.* « Stabiles estote et immobiles, » I *Corinth.* XV, 58. « In te inconcussa maneat temperantia, firma fides, immutabilis charitas, stabilis et immobilis in omni bono statio, sic ut quæ est in te terra stet in æternum. Si quis autem avarus pluribus divitiis inhiat, et quasi mare quoddam immensam expandens cupiditatem, lucris non potest satiari, is ad mare quod hic est aspiciens, morbum curet; » ut sicut mare omnes fluminum aquas recipiens non redundat, quia eas rursum foras per vapores, vel per fontes et flumina immittit: sic pariter dives opes et lucra, quibus abundat, in pauperes effundat.

Terra ergo docet hominum constantiam et perseverantiam in bono, contra omnes generationes persecutorum. Hæ enim prætereunt, esto una alteri succedat, ut hac ratione homo fidelis constanter teneat æternitatis ad quam aspirat (cujus Tropologice.

pariter symbolum est terra) imaginem, juxta illud S. Bernardi : « Si in prosperis non extollaris, neque in adversis deprimaris, sed eamdem animi constantiam tenoremque tenueris, eris quamdam æternitatis tenens imaginem. » Idem S. Bernardus, serm. 2 *De SS. Petro et Paulo* : « Moses, *Deut.* XXXII, de quibusdam ait : Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent ! In quibus utique verbis tria nobis video commendari, sapientiam, intelligentiam, providentiam. Arbitror sane tribus eas assignari posse temporibus, ut æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præsentia moderantibus per sapientiam, præterita per intelligentiam dijudicantibus, novissima providentibus ad cautelam. »

Allegorice. Allegorice ergo terra repræsentat Ecclesiam in persecutionibus ; tropologice, animam sanctam in tentationibus constantem ; anagogice, Ecclesiam triumphantem et constanti æternitate perfruentem, juxta illud Psaltis : « Credo videre bona Domini in terra viventium. » Terra enim morientium est palæstra certantium; terra viventium est regnum Sanctorum, ait S. Augustinus. « In terra morientium spes mea Deus, in terra viventium portio mea Deus, » ait idem in *Psalm.* CIII.

Rursum terra in æternum stans est B. Virgo Maria, quæ semper in gratia stetit, adeoque Christo usque ad crucem et mortem astitit, atque omnibus se invocantibus ope sua semper assistit. Ita S. Augustinus, lib. II *De Genesi contra Manichæos*, cap. IV : « Fons, inquit, ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ, id est dignitas terræ, mater Domini Virgo Maria rectissime accipitur, quam irrigavit Spiritus Sanctus, qui fontis et aquæ nomine in Evangelio significatur, ut qualis de limo terræ, talis homo ille fieret, qui constitutus est in paradiso, ut operaretur ibi, et custodiret, id est in voluntate Patris, ut eam impleret atque servaret. »

Vers. 5. 5. ORITUR SOL, ET OCCIDIT, ET AD LOCUM SUUM REVERTITUR : IBIQUE RENASCENS (Hebræa et Septuaginta, *oriens*) (1).

(1) Rerum mundanarum vanitas omnino in eo cernitur, quod earum varietas et vicissitudines in eumdem orbem redeunt, ita ut nunquam res nova fiat.

Eleganter Hieronymus : « Sol iste, qui in lucem mortalibus datus est, interitum mundi ortu suo quotidie indicat et occasu. Qui postquam ardentem rotam Oceano junxerit, per incognitas nobis vias ad locum unde exierat, regreditur, expletoque noctu circulo rursum de thalamo festinus erumpit. » Huc illud Catulli, *Carm.* V, 4 seqq. :

> Soles occidere et redire possunt;
> Nobis, cum semel occidit brevis lux,
> Nox est perpetua una dormienda.

Hebraice est, *et oritur sol et occidit sol* (proprie *intrat*, scilicet Oceanum, et *exit*), *et* iterum *ad locum suum anhelat, ubi oriatur* ; alii, ut velle videtur accentus, *et* quidem *ad locum suum ubi anhelans*, festinus *oritur*.

Vers. 6. *It ad meridiem et se vertit ad septentrionem* ventus ; *se vertens, se vertens it ventus* (gallice, *tournant, tournant va le vent*), et *super* (alii *secundum*, id est *in*) *circuitus suos redit ventus*. Sensus : Ventus perpetuo ex alia cœli plaga in aliam transit : tamen semper in vias priores redit.

Vers. 6. 6. GYRAT PER MERIDIEM, ET FLECTITUR AD AQUILONEM : LUSTRANS UNIVERSA IN CIRCUITU PERGIT SPIRITUS, ET IN CIRCULOS SUOS REVERTITUR. — Pro *ad locum suum revertitur*, hebraice est שׁוֹאֵף *scoeph*, id est anhelat, anhelus tendit, inhiat, ardenter cupit ; Septuaginta ἕλκει, id est *trahit* ; Arabicus, *trahitur* ; Aquila, *aspirat* ; Symmachus et Theodotion, *recurrit*. Sol enim tanta velocitate rapitur ab ortu ad occasum, ut anhelare, et fessus anhelo spiritu ad occasum, quasi ad quietem rapi videatur, juxta illud *Psalm.* XVIII, 6 : « Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat, » etc. ; quod ad litteram de sole, allegorice de Christo et Apostolis per orbem evangelizando velocissime discurrentibus, cunctosque Dei fide illuminantibus, ejusque amore inflammantibus dicitur. Sol ergo est quasi gigas veloci cursu currens et anhelans, ac quodam modo attrahens ventum, seu aerem præ desiderio redeundi. Certe, oriente sole, frigidior quam ante sentitur aura, ait noster Lorinus. Chaldæus vertit, *in nocte respicit, et vadit per viam abyssi, et oritur cras ab eodem loco, in quo heri ortus est* ; alius, *Abyssinorum* (id est ingentium et occultorum in adverso nobis hemisphærio locorum apud antipodes) *iter conficit*.

Sol in cursu anhelat.

Loquitur de motu et cursu solis, non tam annuo, ut vult Theophilus Alexandrinus, *epist.* 3 *Paschali*, quam quotidiano. S. Hieronymus tamen, Hugo Victorinus, Bonaventura, Lyranus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Cajetanus, Albinus, Thaumaturgus, Joannes Arboreus de utroque cursu interpretantur, tum diurno, tum annuo, etiam prima verba textus, ita ut oriri sol censeatur, quando per vernale æquinoctium ingrediens ad nostrum populum consurgit ; occidere, quando exiens per autumnale ad inferiora descendit ; gyrare per meridiem (quæ sunt verba sequentia), quando in hiemalibus signis commoratur ; flecti ad aquilonem, quando in æstivis, quæ polo boreali viciniora sunt, circumfertur.

Cur hic solis motus inducitur? Resp. Primo.

Quæres, quorsum hic solis ortus, occasus et gyratio inducitur ?

Primo, hæc accipias plane ut sonant, quasi significet hic Salomon, vanitatem quamdam non solum terræ et terrigenis, sed et soli cœlisque inesse, ut sit argumentum a minori ad majus, *q. d.* Soli ipsi et cœlis inest vanitas, id est instabilitas. Omnes enim assidue rotantur et gyrant, et velut circulantes in orbem eunt et abeunt ; quanto magis ergo homo et terrena omnia sunt vana et instabilia, atque transeunt et evanescunt ! Unde Didymus et Nyssenus in *Catena Græcor.* : « Hoc inquit, sibi vult : hujus universitatis naturam respiciens, sive quæ in sole, sive quæ in

mari, sive quæ in cœlo sunt consideres, tuam ipsius naturam intelliges; nam quemadmodum solis hujus, sic et naturæ nostræ suus est ortus et casus. » Et S. Hieronymus : « Hoc autem, ait, idcirco dicit, ut doceat mutationibus temporum et ortu occasuque siderum humanam ætatem labi, et interire dum nesciat. »

Secundo. *Secundo*, potest hic versus referri ad generationem prætereuntem et generationem venientem, vers. 4, ut significet rerum omnium circulationem, *q. d.* Omnia in mundo sunt circulantia atque in orbem eunt et redeunt : nihil ergo in eo est fixum et stabile, cui cor affigas. Antecedens probo, quia generationes gyrant et circulares sunt, dum assidue una præterit, altera advenit. Sic pariter sol gyrat, dum oritur et occidit assidue; sic et venti et flumina. Atque inde concludit vers. 10, nihil sub sole esse novum, sed omnia in orbem ire et redire. Porro, sicut in generationum circulatione, terra velut earum omnium subjectum jugiter stat : sic in solis circulatione idem permanet sol, solisque motus, itus et reditus. Idem est de ventis et fluminibus, qui omnes labuntur in mare, illudque omnia excipit, nec tamen redundat.

Tertio. *Tertio*, nervosius hic versus accipi potest, ut sicut vers. præced. dedit causam materialem generationum, scilicet terram : sic hic earumdem det causam efficientem, cur scilicet generationes in terra sibi assidue succedant. Causa enim est gyratio solis, qui nunc accedens suo lumine ver et calorem, quo herbæ germinant et animalia prolificant, adducit; nunc abscedens seque elongans hiemem affert et frigus, quo plantæ et animalia arescunt et emoriuntur. Cum enim sol motu anhelo et irrequieto jugiter moveatur, locum mutet, hemisphærium alternet, necesse est pariter jugiter moveri res sublunares, quæ ab eo pendent, eorumque ortus et occasus alternare. Quare inconstantiæ et fugacitatis rerum terrenarum causa est inconstantia et fugacitas solis. Ita S. Hieronymus, Alcuinus et Nyssenus, quem audi : « Mortalium vita conteritur die diei succedente, annique partibus et conversionibus, solisque cursibus certis et definitis, nunc antecedentibus, nunc sensim recedentibus. »

Hinc sol hebraice et chaldaice dicitur שמש *scemes*, id est *minister*, quod quasi minister subserviat Deo et naturæ in rerum generatione, quodque nobis operantibus minister, et quasi facem præferat.

Quarto. *Quarto*, noster Pineda hunc versum refert ad antecedentem ignorantiam humanam, quæ notatur vers. 8. Ex astronomiæ enim scientia, quæ præstantissima et jucundissima est, nil aliud certius de illa haberi potest, quam quod sol cum cæteris sideribus oriatur et occidat, ac eosdem semper cursus repetat.

Denique Olympiodorus : « Certum, inquit, solis cursum dispositumque ostendit, ut nos ad illius contemplationem attollat, qui fabricatus est solem. Movetur autem sæculari motu, ut nonnulli arguunt ex verbis Esdræ ita dicentis : Magna est terra, et excelsum est cœlum, et velox cursu est sol, et vertitur in circulo cœli, et in una die ad locum suum revertitur, quasi dicat : Hic etiam sol, licet magnus, ad solem justitiæ comparatus, vanitas est. Mystico autem sensu ita intellige. Oritur sol in cordibus fidelium, dirigens adhuc proficientes ad ea quæ agenda sunt; sed et in ipsis occidit, quando altitudines sententiarum inquirunt, atque ita majus desiderium cognitionis illis accendit. »

Nota τὸ *renascens*, id est rursum oriens : ortus enim solis videtur ejusdem nativitas, quia sol ex aurora velut proles e matre nasci conspicitur, et a rudibus existimatur. Unde ænigma : « Filia sum matris, eadem mox gignitur ex me; » quod sicut dicitur de nive, quæ ex aqua gignitur et rursum in aquam resolvitur, sic etiam de sole dici potest, qui ex aurora et die nasci videtur, ac vicissim oriens auroram et diem progignit. Imo nonnulli philosophi et poetæ censuere vere solem nasci ex ignitis vaporibus coeuntibus. Unde Lucretius, lib. V, auroram et solis ortum ita pingit :

> Ætheris auroram defert, et lumina pandit,
> Aut quia sol idem sub terras ille revertens
> Anticipat, cœlum radiis accendere tentans :
> Aut quia conveniunt ignes, et semina multa
> Quæ faciunt solis nova semper lumina gigni.

Sic et Epicurus censuit solem in occasu interire et in ortu renasci, teste Cleomede, lib. II.

Allegorice S. Chrysostomus, hom. *De Turture*, tom. V : « Ortus est, inquit, nobis sol justitiæ Christus, de S. Maria secundum carnem genitus. Oriens quippe nomen est illi, *Zachar.* III, 6. Occidit vero, quando post crucem ad inferna descendit, et ad locum suum revertitur ipso dicente : Cum exaltatus fuero, universos traham ad me, » *Joan.* XII. De hoc sole justitiæ et Malachias pronuntiat dicens cap. IV : « In diebus illis orietur sol justitiæ, et sanitas erit in pennis. » Ubi plura hac de re dixi. Christus ergo velut sol ortus est in nativitate, occidit in morte, rursus ortus, et velut renatus est in resurrectione, inquit Olympiodorus : sol enim sua luce, splendore, calore, efficacia, vivificatione, symbolum est Dei et Christi, uti per multas analogias ostendi *Isaiæ* XLV, 1. Rursum S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, octon. 12 : « Oritur, inquit, sol justis, occidit autem injustis; oritur tranquillitati piæ mentis, occidit iracundiæ; unde ait : Sol non occidat super iracundiam vestram; hic potest colligi, quia iisdem oritur et occidit, quorum et vitia sepeliat, et illuminet gratiam; mortuus est enim peccato, ut Deo viveret; hoc est, peccato sumus in illo mortui, ut Deo in perpetuum viveremus. Vide ipsum mysterium prænuntiatum : Et oritur, inquit, sol, et occidit, et in locum suum trahit, hoc est quod ait

Allegorice.

Dominus : Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum. Traxit enim ad se omnium studia, ut vel peccata nostra crucifigeret, vel bonum ingenium ad justitiam provocaret. Adverte quemadmodum trahat ad se : Pater, volo ut ubi sum, et isti sint mecum. Et ad latronem ait : Hodie mecum eris in paradiso. Adverte quomodo omnia trahat. Exaltatus est in cruce, et totus credidit mundus. »

Tropologice. Tropologice, licet sol splendidissimum sit mundi astrum, « cœli oculus, temporum rector, siderum dux, vitæ dator, animantium pater, » ut ait S. Nazianzenus, orat. 2 *De Theolog.*, et « expressa divinæ bonitatis imago, » ut ait S. Dionysius, cap. IV *De Divin. Nomin.*, tamen ille ipse vanitatis quoque est speculum et exemplum : *primo*, quia instabilis est semperque rotatur, oritur et occidit, idque quotidie et celerrime : nam quotidie totam terram circumit; quare ad vivum repræsentat brevitatem, ortum, occasum et interitum vitæ humanæ : sol enim continuo et velocissimo suo motu describit, definit et numerat horas, dies, menses et annos vitæ nostræ. Ita S. Hieronymus, Nyssenus, Olympiodorus et alii.

Sol vanitatis speculum.

Primo.

Secundo. *Secundo*, sol inconstantissimus est, dum singulis momentis locum et regionem mutat, ac vicissim singula zodiaci signa percurrit; quare inconstantiæ humanæ est symbolum, ac nominatim repræsentat inconstantiam et circumrotationem concupiscentiæ, ut habet textus Græcus, *Sap.* IV, 12. Ita R. Haccados apud Galatinum : « Quamvis sol, inquit, cœlestesque orbes irrequietis motionibus super suos axes volvantur, nihil novi, nihil perfectionis comparant : non aliter sane qui ad suas appetitiones habenas laxant, et iisdem veluti versatilibus suarum concupiscentiarum axibus circumrotantur, nihil commodi bonive nanciscuntur. Naturæ itaque appetitionibus et animi motionibus inservire, inutilis prorsus vanitas est. »

Tertio. *Tertio*, sol subinde altissime elevatur, ac in meridie coruscus refulget; sed illico descendit, lucemque et splendorem nobis minuit, eumque plane in occasu perdit : sic pariter homo subinde ad altos honorum gradus, celebritatem et gloriam attollitur; sed mox vertente rota fortunæ deprimitur, ac sæpe in vita, semper in morte omne ejus decus perit et occidit. Ita Nyssenus. Disce ergo a sole modestiam, ac « in die bonorum memor esto malorum, et memento paupertatis in tempore abundantiæ, » ut monet *Eccli.* cap. XVIII, 25; sol enim vespere tenebras patitur, imo abscedens eas inducit. Nam, ut ait Plinius, lib. II, cap. X, liquet, « non aliud esse noctem, quam terræ umbram. » Umbra autem et tenebræ obscuritatis et adversitatis sunt typus. Rursum sol interjectu lunæ patitur eclipsin, quæ defectus et felicitatis humanæ est typus. Denique Plinius, lib. II, cap. XII : « Quis, ait, cernens statos siderum labores, non suæ necessitati mortalis genitus ignoscat. »

Quarto, sol licet multis beneficus, aliis tamen est maleficus, quia nimio calore arefacit et exurit : quocirca sol, quo « exorto æstuaverunt, et aruerunt » bona Dei semina et virtutum germina, est diabolus ejusque tentationes, uti exponit Christus, *Marc.* IV, 6, 15 et 17, ac ibidem S. Chrysostomus et Nazianzenus, *orat.* 1. Quarto.

Quinto, in Hebræo repetitur *vau* conversivum, id est quod præterita vertit in futura. Unde sic ex Hebræo ad verbum cum Pagnino vertas, *et orietur sol, et ingredietur*, sive *occidet sol;* ubi τὸ *et* auxesim habet, et significat solem totum esse in eundo et redeundo, idque continue et constanter (futurum enim Hebræis significat continuationem et constantiam). Rursum pro *revertitur* hebraice est *anhelat*, quæ omnia symbolice significant hominem suis cupiditatibus abreptum, totum in eas ferri, præteritorum et futurorum oblitum; iis enim ardens incitatissimo in eas cursu rapitur velut æstuans et anhelus. Hinc vulgus putat solem a bobus trahi, qui vespere fessi et anheli, in occasu solem secum ad stabulum ducant, ut ibi simul quiescant, uti refert Plinius, lib. II, cap. XCVIII, et Seneca, lib. III *Natur. quæst.* cap. XXVI. Poetæ vero fabulantur solem vespere anhelum in mare se immergere, ut eo refocilletur et refrigeretur, teste Strabone, lib. I. Hinc illud Catulli, lib. II : Quinto.

Fabulæ de solis occasu.

> Solis anhelantes abluit amnis equos.

Et illud Virgilii, lib. XII *Æneid.* :

> Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
> Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.

Et illud Boetii, lib. III *De Consol.* :

> Cadit Hesperias Phœbus in undas,
> Sed secreto tramite rursus
> Currum solitos vertit ad ortus.

Verum enimvero idem sol homini magis veritatis veræque virtutis, quam vanitatis et vitii est schema et exemplum : *primo*, quia cœlestis docet hominem cœlestia cogitare et amare; *secundo*, quia sua luce docet eum opera lucis, id est virtutis, operari, *Ephes.* cap. V, 8; *tertio*, quia ingenti sua velocitate, eaque continua et ejusdem semper tenoris, docet hominem ad labores debere esse impigrum et infatigabilem, ut in iis eodem semper tenore perduret; *quarto*, quia suo calore, quo omnia vivificat, docet hominem charitatem et zelum, quo spiritu apostolico præditus omnes ad Dei amorem inflammet; *quinto*, ab occasu rediens ad locum suum, id est orientem, *scoeph*, id est anhelat, hoc est summa aviditate, concitatione rapidissima, et ardentissimo desiderio fertur et rapitur, anhelitu velut attracto, eorum more, qui aliquo celerrime contendunt, aut citum alicujus operis finem consequi volunt. Hic solis anhelitus docet hominem labore fessum, vires animumque meditatione et oratione, qua gratiam Dei attrahimus, innovare, ut per innovationem spiri-

Sol typus veritatis et virtutis. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

tus acuat desideria pia, novaque opera continue novo animo, novo fervore et ardore ordiatur. Ut mysticus ergo sol nunquam zodiacum, id est institutum tuum exeas, et per illum discurrens, omnes vitæ exemplo illuminare contendas. Jam te per orationis exercitationes, supra res corruptioni obnoxias effer. Jam per honestas actiones te proximis subjice; sed postquam per aliquod tempus laboraveris, ad locum tuum, id est ad quietem propriæ inspectionis et emendationis revertere. Dic animæ tuæ singulis mensibus : « Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi, » *Psalm.* CXIV, 7. Ubi nota Orientem vocari, « locum suum, » quia solis proprium : sive quia in Oriente a Deo creatus est sol, ut vult Severianus; sive quia in Oriente oritur et quasi nascitur. Locus enim nativitatis vocatur suus et proprius. Orientem ergo vocat quasi solis et diei incunabula: sive quia sol, ab Oriente declinans et occidens, semper Orientem repetit, ibique renascitur; sive quia in Oriente primo se videndum exhibet, nobisque apparet pulcherrimus, scilicet roseus, auricomus et flammeus. Huc facit illud *Psalm.* XVIII, quod paulo ante citavi : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam, » quod ad litteram de sole dicitur, allegorice de Christo et Apostolis. Unde S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* quæ est in laudem S. Basilii, eum soli comparans : « Laudatur, inquit, apud Davidem solis pulchritudo et magnitudo, et cursus et celeritas, et vis ac facultas; quippe qui sponsum splendore, gigantem magnitudine referat, ac longe lateque progrediendo tantam vim habeat, ut ab extremis extrema æque collustret, nec locorum intervallis ipsius fervor ullo modo minuatur. Basilio autem pulchritudo virtus fuit, magnitudo theologia, cursus perpetua virtutis agitatio, per quotidianos ascensus ad Deum ferens; potentia, doctrinæ semen ac distributio. Itaque ne hoc quidem mihi dicere verendum est, in omnem terram sonum illius exiisse, atque in fines orbis terræ vim illius verborum; quod de Apostolis Paulus dixit a Davide mutuatus. »

Denique sol videtur quasi quidam corporum deus, cum ipse omnibus corporibus summe emineat, et cumulum omnium bonorum impertiat; hinc jure optimo vocatur (quia revera est) fons omnis corporalis boni, quia nihil est in corporibus sibi subjectis, quod ab illo tanquam a fonte non effluat. An bonum est vita? sed sol omnia corpora vitæ capacia vivificat. An bonum est salus? sed suo motu mortalibus salutem affert. An bonum est diuturnitas? sed omnia conservat. An bonum est augmentum? sed omnia disponit atque gubernat. An bonum est pulchritudo? sed omnia suo splendore condecorat. An bonum est voluptas? sed sua venustate oculos mirifice recreat. Dulce enim lumen, ut est apud Ecclesiasticum; et delectabile est oculis videre solem. Ipse est qui terram fertilem reddit plantis, metallis, animalibus. Ipse aquam fecundat piscibus. Ipse aerem suo splendore quasi veste condecorat. Ipse lunam, stellas et omnes orbes cœlestes illuminat. Denique a supremo cœlorum usque ad infima terrarum viscera, omnia suo influxu replet, fovet atque tuetur. O pulcherrima imago Christi mei! o formosissimum vestigium ducis mei! laudo eum qui in te posuit tabernaculum suum; glorifico eum qui te tam decorum, tam agilem, tam fortem, tam admirabilem creavit, ut in te atque in tuis effectis suam mihi eximiam charitatem ostenderet.

Christianus sit sol mundi.

Esto et tu, o christiane, instar Christi, perinde ac si ab eo relictus, imo factus esses sol mundi. Futurus es sol in cœlo; nam « justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum, » *Matth.* XIII. Esto ergo et sol in terra, sol in contemplatione, sol in actione, sol in foro, sol in schola, sol in templo, sol in mensa, sol in cubiculo, ut omnes illumines, accendas, vivifices. Hæc et plura noster Alvarez de Paz, lib. III *De Natura perfect.* part. III, cap. XXVIII. Sic sol oriens fuit S. Franciscus Xaverius. « Gyrat per Meridiem, et flectitur ad Aquilonem. » Hebræa, *vadens ad Meridiem, et circuiens ad Aquilonem;* Septuaginta, *vadit ad Austrum, et gyrat ad Aquilonem;* Syrus, *abit ad Meridiem, et circuit ad Aquilonem;* Symmachus, *vadit ad Meridiem, et circumit ad Boream;* alii, *declinat, circumdat, deflectit, convertitur ad Septentrionem;* Chaldæus, *vadit per omnem plagam australem, in æquinoctio aprilis, et in solstitio junii; circuiens per gyrum pergit spiritus ad plagam septentrionalem in æquinoctio septembris, et in solstitio decembris egreditur ab exitu Orientico mane, et ingreditur ad ingressum Occidentico in vespere.* Censet ergo Chaldæus hoc versu notari quatuor solis annique tempora, puta duplex æquinoctium, et duplex solstitium, scilicet æstivum et hibernum.

Nonnulli censent id dictum juxta sententiam quorumdam veterum, qui, teste Aristotele, lib. II *Meteor.* cap. I, putabant totum mundum secundum septentrionalem partem in sublime assurgere, secundum meridionalem vero demissum esse non solum in cœlesti, sed etiam in terrestri globo. Quare solem terram non circumcirca circuire, sed per diem Meridiem duntaxat obire, noctu vero deflectere ad Septentrionem, ut sub ejus gibbo lateat et occultetur. Confirmant ex illo *Isaiæ* XIV : « In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis, » quasi scilicet Aquilo excelsior cœli pars sit. Verum hæc omnia repugnant astrologiæ, theologiæ et S. Scripturæ, quæ docet orbem esse rotundum, ac proinde Septentrionem non esse altiorem australi parte, adeoque solem et cœlum plane in orbem rotari, ac totum terræ globum quaquaversum circuire et circumambulare.

Rursum alii dicunt solem quotidie moveri per Meridiem, cum movetur ad meridianum : cum

enim ad eum pervenit, est meridies; cum vero eum transit ab eoque recedit, declinare videtur ad Aquilonem. Sed errant, quia aliud est meridianus, qui efficit meridiem; aliud Auster, sive plaga mundi meridionalis. Zodiacus enim oblique et lateraliter secat meridianum inter Austrum et Aquilonem; quo fit ut sol decurrens zodiacum et transiens meridianum, nunc vergat et pergat ad Meridiem, nunc ad Aquilonem, juxta signa meridionalia vel australia, quæ obit et percurrit, uti ad oculum videre est in sphæra.

Sol gyrat per Meridiem et Aquilonem.

Explosa ergo utraque hac sententia, potest hic locus accipi dupliciter, scilicet *primo*, de motu solis quotidiano; de illo enim dixit: « Oritur sol, et occidit, » *q. d.* Sol dum ab ortu movetur in occasum, gyrat ad Austrum et flectitur ad Aquilonem; *secundo*, de annuo, de diurno et quotidiano accipiunt S. Gregorius Thaumaturgus, Nyssenus, Hugo, Lyranus, Valesius et Titelmannus, *De Annuo*; S. Hieronymus, Olympiodorus, Theophilus, *epist.* 3 *Paschali;* Cajetanus, Pineda et alii. *Primo* ergo de quotidiano sic exponit Lyranus et S. Thomas scribens in cap. XXXVII *Job* : Per Aquilonem, inquiunt, intelligit nostrum hemisphærium, quod respicit polum arcticum sive septentrionalem; per Austrum vero intelligit hemisphærium oppositum, in quo sunt antipodes, quod respicit polum antarcticum sive australem, *q. d.* Sol oriens in nostro hemisphærio arctico per illud movetur ad Austrum, id est, tendit ad hemisphærium antarcticum, puta ad antipodes; quo cum pervenit, rursum flectit ad Aquilonem, id est tendit, reditque ad nos, nostrumque hemisphærium quod est sub polo arctico. Verum sol gyrat proprie per Meridiem in nostro hemisphærio, dum nobis exhibet horas meridianas. Meridies ergo est in nostro horizonte, et pars nostri hemisphærii; quare per Meridiem non intelligit polum antarcticum et antipodes.

Primo, quotidie.

Illis qui habitant sub tropico cancri.

Quocirca magis præcise et apposite respondet Franciscus Valesius, *De Sacra phil.* cap. LXII, hunc solis gyrum ab Austro in Aquilonem verum esse, vereque apparere iis qui habitant sub tropico cancri (non vero iis qui habitant sub æquinoctiali in sphæra recta), uti habitant Itali, Hispani, Syri et Palæstini, apud quos hæc scripsit Salomon. Illi enim cum habeant sphæram obliquam, hinc oblique eis movetur sol gyrando ad Austrum, indeque flectendo ad Aquilonem. « Obliqua enim et fracta linea per Austrum pergit ad Boream, et ita ad Orientem revertitur, » ait S. Hieronymus. Idque Valesius hac ratione Mathematici demonstrat : Nam quacumque die convertit homo faciem ad eam partem qua oritur sol, et inde ducens per suum zenith lineam, describat circulum magnum, et imaginatione secet mundum in duas partes æquales, eam mundi medietatem ad quam spectabit sua dextra vocabit Meridiem, ad quam sinistra Septentrionem aut Aquilonem, quia habebit polum a sinistris, et a dextris meridianum motum solis : quotidie autem sol postquam gyravit per Meridiem, intersecans illum magnum circulum (qui est linea longitudinis) flectetur ad oppositam cœli medietatem; quare flectetur ad Aquilonem. Intersecare autem eam lineam quotidie constat, quia sol cum fertur per æquinoctialem, describit magnum circulum; duo autem circuli magni non possunt non intersecare sese per medium; cum vero recedere ab æquinoctiali non possit sol, nisi per triginta gradus, et obliquitas sphæræ dictis in locis major sit (quod elevatio poli ab horizonte indicat), fit ut nunquam percurrat sol circulum, qui non intersecet circulum illum magnum, etsi non per medium et in partes æquales. Si autem intersecat, certe flectitur antequam perficiat diurnum motum ad oppositam medietatem, et quæ spectat ad Aquilonem. Verissime ergo sol ex quo nascitur gyrat per Meridiem, et deflectens ad Aquilonem redit in locum suum.

Causa ergo cur habitantibus sub tropico cancri, sol, dum est in signis borealibus, videatur declinare ad Austrum, indeque reflecti ad Aquilonem, est obliquitas situs, æque ac zodiaci. Cum enim habitent in obliqua sphæra, hinc magis obliquum habent zodiacum, in quo perpetuo movetur sol, qui proinde circulando eis videtur obliquare cursum, nec directo motu, sed obliquo gyrare ad Austrum, inde regyrare ad Aquilonem, dum tendit ad occasum. Hanc obliquitatem innuit vox *gyrat*, et hebraice שׁוֹאֵב *soeb*, id est circuit. In obliquitate enim sunt gyri, flexus et circuitus, quibus sol oberrat. Cum enim zodiacus oblique secat æquinoctialem, æque ac meridianum, qui meridiem nobis efficit, ita ut pars ejus superior, ubi nobis oritur sol, tangat tropicum cancri, vicinaque sit circulo arctico, qui polum arcticum sive Septentrionem respicit; inferior vero ejus pars tangat tropicum capricorni, vicinaque sit circulo antarctico, qui polum antarcticum sive australem respicit. Hinc fit ut sol oriens nobis in tropico cancri, dum est in signis borealibus, videatur mane ferri a septentrionali oriente ad meridianum, id est ad Meridiem, ac deinde declinare ad Aquilonem, ut tendat ad occasum: videatur, inquam, illi, qui sub verticali circulo, quem meridianus in meridie secat, consistit facie versa ad solis ortum; idque facit tum obliquitas situs et sphæræ, tum curvatura circuli zodiaci et circulationis in motu solis. Hic enim post meridiem curvatur, flectiturque a meridiano et meridie, ac magis accedit vergitque ad Aquilonem, ut pergat ad occasum; zodiacus enim in quo per suam lineam eclipticam semper movetur sol, a tropico cancri qui respicit Septentrionem, oblique tendit ad æquatorem, et ad meridianum, eumque oblique secat; quo facto oblique regyratur et reflectitur per Aquilonem in occasum, ubi sol occidit, dum, ut dixi, obit signa borealia.

Valesio accedit noster Christophorus Clavius in

Sphæram de Sacrobosco, cap. II, pag. 145, ubi docet partem australem et borealem, sive Meridiem et Septentrionem tripliciter posse accipi respectu trium circulorum, scilicet zodiaci, æquatoris et circuli verticalis, qui scilicet utrumque polum ac zenith, id est verticem capitis nostri transit, secatque hemisphærium nostrum in duas partes, australem, quæ est ad Austrum, et borealem, quæ ad Aquilonem vergit; atque tertia hæc acceptio borealis et australis valde servit horologiis. Audi Clavium : « A tribus circulis, scilicet zodiaco, æquatore et verticali proprie dicto, tripliciter sphæra ab astronomis dividitur in hemisphærium boreale et australe, etc. Ex hac acceptione verticalis efficitur, ut sol in signis borealibus decurrens, juxta ejus ortum et occasum dicatur Septentrionalis; reliquo vero diei tempore ante et post meridiem, Meridionalis vocatur. » Hunc sensum de motu solis diurno et quotidiano exigere videtur versio Vulgata, quæ habet, *gyrat per meridiem*, esto Hebræa et Septuaginta habeant, *vadit ad Meridiem*. Unde

Secundo, in motu annuo.

Secundo, potest hic locus accipi de motu solis annuo, sive de accessu et recessu solis inter tropicos cancri et capricorni, ut sicut per τὸ *sol oritur, et sol occidit*; expressit motum solis diurnum, quo quotidie juxta motum primi mobilis per duodecim horas diei ab ortu fertur in occasum : ita per τὸ *gyrat per Meridiem*, vel, ut hebraice est, *ad Meridiem, et flectitur ad Aquilonem*, exprimat motum solis annuum, *q. d.* Sol a tropico cancri gyrat ad Austrum et Meridiem, id est ad tropicum capricorni, qui australis est, quia respicit polum antarcticum sive meridionalem; quo cum pervenit, rursus flectitur reditque ad Aquilonem, id est ad tropicum cancri, qui respicit polum arcticum, sive borealem et aquilonarem. Sol enim inter hos duos tropicos semper movetur, cumque utrumque circumivit, annuum suum cursum circulumque explevit. Nunquam enim sol hos duos tropicos excedit, eo quod hi duo tropici contineant terminentque zodiacum, in quo semper movetur sol. Quare sol, dum est in tropico cancri, obit sex signa æstivalia (quæ tamen mathematici vocant Borealia, eo quod polum arcticum sive borealem respiciant, ait Clavius in cap. II *Sphæræ*, pag. 112), quæ sunt : Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo; Arietem ingreditur in martio; unde 21 martii facit æquinoctium ubique fere terrarum. Hisce sex decursis ingreditur tropicum capricorni, eoque obit sex signa hiemalia (quæ tamen mathematici vocant Australia, eo quod polum antarcticum, qui australis est, respiciant), quæ sunt : Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces; quibus decursis, cursu annoque expleto redit ad tropicum cancri, ejusque sex signa æstiva jam dicta, itaque novum orditur cursum et annum. Libram ingreditur sol in septembri; unde 21 septembris facit æquinoctium autumnale.

SOL IGITUR GYRAT PER MERIDIEM (Hebræa, *ad Meridiem*; Septuaginta, *ad Notum*, id est ad Austrum), ET FLECTITUR AD AQUILONEM, — dum a tropico cancri qui Aquilonem respicit, obit semicirculum zodiaci illi tropico objectum, sexque ejus signa æstivalia, ac per ea decurrit tenditque ad tropicum capricorni; hic enim spectat ad Austrum, id est ad polum Antarcticum sive Australem, quo cum pervenit, rursus flectitur et regyrat ad Aquilonem, id est ad tropicum cancri, qui respicit polum Arcticum sive Aquilonarem. Rursum noster Pineda τὸ *per Meridiem*, quod habet Vulgata, exponit, *q. d.* A Meridie vel trans Meridiem, vel ultra Meridiem. Forte planius sic exponi posset : « Sol gyrat per Meridiem, » id est per signa æstivalia, quæ magnum Meridiem et æstum afferunt, ita ut sex signa tropici cancri jam recensita ab Ecclesiaste vocentur Meridionalia, quia æstivalia (esto a mathematicis contrarie vocentur Borealia, qui respiciunt polum Arcticum sive Borealem; uti paulo ante dixi), ac vice versa sex adversa signa capricorni vocentur ab Ecclesiaste Aquilonaria, quia hiemalia et frigida (esto a mathematicis vocentur Australia, eo quod polum Antarcticum sive Australem respiciant). Hebræum enim דרום *darom*, æque ac latinum *meridies*, sæpe notat plagam æstivam et calidam : talis enim est in Meridie; Aquilo vero hiemalem et frigidam, talis enim est Aquilo.

Denique multi et graves auctores, qui censent mundum a Deo creatum in septembri; tum enim tempus est fructuum, quos initio mundi creatos fuisse patet ex pomo vetito, quod comedit Adam (esto alii non minus probabiliter censeant mundum creatum in vere, cum omnia florent et amœna sunt, puta 25 die martii, quo die incarnatus et post 34 annos mortuus est Christus, ut hoc eodem die mundus a Deo creatus, a Christo recreatus et redemptus sit, uti dixi *Genes.* I, et in *Chronotaxi*, quam Actis Apostolorum præfixi ad annum Christi 34) : hi, inquam, qui mundum in septembri conditum volunt, sic exponunt, *q. d.* Sol cursum suum orditur in septembri, ac « gyrat per Meridiem, » id est, decurrit per sex signa australia mathematicorum jam recensita, quæ sunt in tropico capricorni : quibus decursis, « flectitur ad Aquilonem, » id est, decurrit per sex signa borealia, quæ sunt in tropico cancri. Illi ergo censent initium anni vulgaris primitus fuisse septembrem, licet postea tempore Mosis, Deus sanxerit ut primus mensis sit Nisan, id est martius, vel aprilis, eo quod ille sit Paschalis; unde ab eo jussit Hebræos annum suum ordiri, *Exodi* XII, vers. 1 et seq., quos postea Romani secuti sunt, donec Julius Cæsar statuit ut annus inchoetur a januario; quod in honorem nativitatis et circumcisionis Christi secuti sunt christiani.

Igitur hac phrasi, « gyrat per Meridiem, » id est versus Meridiem sive Austrum, « et flectitur ad Aquilonem, » significatur cursus solis annuus

inter duos tropicos, cancri scilicet et capricorni. Semper enim sol movetur a cancro in capricornum, et a capricorno in cancrum : ab Aquilone in Austrum, et vicissim ab Austro in Aquilonem.

Summa, Ecclesiastes notat hic duplicem motum solis, scilicet *primo*, communem et diurnum, quo motu *primi mobilis* quotidie movetur ab ortu ad occasum, et inde redit ad ortum; *secundo*, proprium et annuum, quo spatio unius anni successive percurrit zodiacum in sua linea ecliptica, cujus una medietas declinat ab æquatore ad Austrum, altera ad Boream sive Aquilonem. Sic ergo sol una parte anni movetur a Borea ad Austrum, tuncque dicitur Borealis; altera ab Austro ad Boream, tuncque dicitur Australis. Movetur a Borea versus Austrum, cum percurrit semicirculum zodiaci ab ariete per cancrum usque ad libram, hoc est a martio usque ad septembrem, quo tempore percurrit sex signa borealia jam dicta. Movetur vero ab Austro in Boream, dum percurrit alterum zodiaci semicirculum a libra per capricornum usque ad arietem, quo tempore obit sex signa australia, quod facit in septembri usque ad martium. Breviter vult dicere Ecclesiastes solem proprio annuoque cursu nunc moveri ad Austrum, nunc ad Aquilonem, sicut motu diurno movetur ab Oriente in Occidentem, itaque successive obire, lustrare, fecundare omnes mundi plagas. Nominat Austrum prius, quia australis pars mundi dignior est, suavior, calidior et fecundior boreali : vult tamen duntaxat dicere solem successive nunc moveri ad Austrum, nunc ad Aquilonem, imo nunc per Austrum, nunc per Aquilonem, nec curat an prius ad Austrum, num prius ad Aquilonem moveatur. Hæc videtur genuina et solida, juxta sensum et phrasim mathematicorum, hujus loci expositio. Porro Ecclesiastes id dicit hoc fine et scopo, ait Pineda, *q. d.* Non contentus sol motu unius hemisphærii diurno, alias etiam cœli oppositas plagas tentat et percurrit, sed non ideo quidquam majoris quietis, aut felicitatis adeptus ex annuo labore quam ex quotidiano, nihil in Meridie aut Aquilone amplius inveniens quam in Oriente aut Occidente. In quo repræsentatam vides cordis humani inconstantiam, et illam veluti innatam loca mutandi, ac novas semper stationes expetendi cupiditatem, ut melius habere possit, ac lucri aliquid feliciorisve conditionis adipisci; sed frustra, locus enim cupiditatem non minuit, nec internas passiones animo exuit, sed potius exulcerat, et molestias adauget, juxta illud : « Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt. » Vide S. Basilium, epist. 1 *ad Gregor. Theol.*, et Senecam, *epist.* 28, qui egregie idipsum probat ex Socrate, Virgilio, Flacco; ac eumdem Senecam, lib. *De Tranquillitate vitæ*, ubi inter alia, lib. I, cap. XII, citat laudatque illud Democriti : « Qui tranquille volet vivere, nec privatim agat multa, nec publice ad supervacua se ferat. » Quare qui in cella sua sedens cum Deo et angelis versatur, hic in Deo suo conquiescit, illoque gaudet et fruitur, ideoque cella ipsi est præludium cœli, imo cœlum terrenum, uti S. Bernardo cella fuit instar cœli.

Scopus Ecclesiastis.

Igitur significat hic Ecclesiastes, solem moveri ab ortu in occasum, et gyrare per Austrum et Aquilonem, itaque quatuor mundi climata obire, perque totum mundi ambitum gyrare et circuire, ut scilicet lustret, illuminet, calefaciat, vivificet omnes homines, omniaque animalia et plantas, quæ in quavis orbis plaga, etiam alterius hemisphærii nostro oppositi, degunt et vivunt : illud enim gyrando obit lustratque sol. Acutum solis ænigma affert noster Pontanus, volum. III *Progym.* part. I, cap. XLI : Ænigma solis.

> Quale animal dic esse putes, quod mobile totum
> Est oculus, neque pars præterita ulla manet.
> Quotidie gignit natum, sine matre creatum;
> Qui tamen una ipsa hac interit ille die.
> Cujus item soror absente est genitore creata,
> Partita imperium fratris, et interitum.

Sol enim totus est oculus, et sua luce gignit diem, sua absentia noctem, quæ est quasi soror diei; dies autem et nox alternis orbi imperant, ac sese invicem successive interimunt.

Apologus solis, id est, velocis beneficentiæ.

Symbolice rursum, velocissimus hic solis motus et gyrus, notat velocem debere esse hominis in omnes beneficentiam. Habet hac de re festivum solis et caliginis apologum Cyrillus, lib. III *Apolog. moral.* cap. XXIV : « Dum ortus sol, inquit, in primo principio Orientis copiosissima luce fusa, tenebras undique ab inhabitato hemisphærio mox fugasset, caligo deorsum ita eidem conquesta est dicens : Ut quid tanto largitionis impetu, tam repentino emissionis influxu, radiorum tuorum fulgores super terram fudisti? Numquid non satis erat debita moderatione paulatim influere, et ita me curialius modesta contrarietate fugare? At ille respondit : Tenebra es, et ideo ignorantiæ cæcitate referta, sicut tenebra es locuta. Nimirum nescivisti modum liberalis donationis : nam cum magna voluntas in dando est, et facultas adsit, non minor est in effundendo velocitas. Sic qui effundere potuit et distulit, concupivit quod tenuit, nec voluntate plena dedit. Clarum est speculum liberæ voluntatis, effusæ celeritas donationis. Ea siquidem lucide panditur, quod virtus, non quod datur ametur! virtus autem in libera voluntate consistit. Audivistine quod in Proverbio fertur : Qui cito dat, bis dat; nempe bis, quia voluntatem et placidam rem. Aut certe bis dat, quia voluntate et re : unde voluntate non dedit, qui totum de foris ipsummet opere donare tardavit. Nam ubi ad dandum facultas affuit, et interfuit tarditas, ibi voluntas non fuit. Revera si dare diligitur, non tardatur. » Deinde ipsum exemplo fontium et cœlorum commonstrat : « Attende, quæso, quanto impetu a natura dati fontes scaturiunt, venti funduntur, cœlum ut det beneficium volvitur, et sub- Exempla.

stantialis forma se totam materiæ et puncto temporis elargitur. Beneficium ergo quanto datur velocius, tanto datur lubentius; et quanto liberalius, tanto charius sumitur et jucundius possidetur. Quibus dictis, caligo disparuit. »

Vox *gyrat* significat cœlum esse rotundum et sphæricum, ut in orbem a sole gyrari et circuiri possit. Hinc patet esse antipodes, id est aversipedes, qui scilicet nobis oppositos et adversos figant pedes, sive, ut ait Cicero in *Somnio Sapient.*: « Adversa nobis urgent vestigia. » Multi olim negarunt esse antipodes, ut Lactantius, S. Augustinus, Plinius, Aristoteles, Lucretius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, sed aliis et aliis persuasi rationibus. Lactantii enim, lib. III *Instit.* XXIV, et lib. VII, cap. XXIII, ratio erat, quod ridicule metueret ne nobis adversi, quasi sursum penduli, caderent in cœlum. Quare censuit ipse cœlum non esse sphæricum, nec ambire totam terram, sed tantum nostrum hoc hemisphærium, in ejusque limitibus finiri. Sic et S. Chrysostomus, homil. 14 et 17 *in Epist. ad Hebr.*, Theodoretus et Theophylactus in cap. VIII *ad Hebr.*, ac dubitat S. Augustinus, lib. II *De Genes ad litter.* cap. IX. Ratio vero S. Augustini erat, quod putaret partem terræ oppositam operiri aquis, ideoque esse inhabitabilem; aut si pars aliqua aquis operta non sit, eo non posse penetrari ob immensa marium spatia, quæ inter nos et illam interjacent. Quare non videri modum, quomodo homines ex Adam prognati eo pervenire potuerint. Ex Scriptura enim liquet nullos alios esse homines, quam qui ex Adam descendunt. Ita ipse, lib. XVI *De Civit.* cap. IX : « Nimis absurdum, inquit, est ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum. » Eadem fuit sententia et ratio S. Gregorii Nazianzeni, epist. 71 *ad Posthumanum.* Aristotelis denique ratio fuit, quod ex quinque terræ zonis duas tantum laterales censuerit esse habitabiles, puta illas quæ duobus tropicis cancri et capricorni subjacent. Nam mediam ob æstum, duas ultimas ob frigus censuit esse inhabitabiles : quare per illas in alium orbem non fuisse nec esse transitum; nemo enim tunc ultra Gades et columnas Herculis navigarat. Unde Carolus V eas superans suo insigni inscripsit : *Plus ultra.* Ita Aristoteles, lib. II *Meteor.* cap. V, et Plinius, lib. II, cap. LXVIII.

Antipodes olim multis incogniti.

Lactantio cur?

S. Augustino cur?

Aristotelis cur?

Verum has omnes rationes elidit hic Ecclesiastes, qui asserit solem gyrare circa terram per omnes mundi plagas, ut lustret antipodes. Idem clarius docet experientia : nam a centum et triginta annis Christophorus Columbus, cæterique illius asseclæ, navarchi Hispani et Lusitani, detexerunt novum orbem et antipodes, puta Peru, Mexico, Brasiliam, etc. Vide nostrum Josephum Acostam, lib. I *De Novo orbe*, cap. I et sequent. Et nostros Conimbricenses in lib. II *De Cœlo*, cap. XIV, Quæst. II, art. 2, et Christophorum Clavium in cap. I *Sphæræ Sacrobosci*, pag. 106 et 107, ubi docet terram in medio mundi sitam esse ibique immobiliter quiescere, ut gravitatis centrum sit antipodibus æque ac nobis.

Antipodes esse probatur.

Hinc rursum patet cœlum esse sphæricum sive rotundum, ac circa illud solem in orbem gyrari. Demonstrant id physici et mathematici. Lege Conimbricenses, lib. II *De Cœlo*, cap. IV, Quæst. I, et Clavium in *Sphæram*; quamvis id negare videantur nonnulli Patres, ut Justinus, *Quæst.* CXXX *ad Orthod.* (licet illud opus non videatur esse S. Justini, sed alterius, qui eo, imo Origene sit posterior); S. Ambrosius, lib. I *Hexamer.*; S. Chrysostomus, hom. 14 et 17 *in Epist. ad Hebr.*, Theodoretus in cap. VIII *ad Hebr.* (qui tamen mutavit sententiam, *Quæst.* XX *in Genes.*); Lactantius, lib. III *Instit.* cap. XXIII; Procopius in cap. I *Genes.*, et Theophylactus in cap. VIII *ad Hebr.*

Cœlum esse sphæricum

Allegorice, Christus sol justitiæ gyravit per Austrum, dum evangelizando obivit Judæam quæ australis est regio; deinde flexit ad Aquilonem, cum ad gentes infidelitate et torpore frigidas rigidasque misit Apostolos, qui eas splendore fidei illustrarunt, et calore charitatis inflammarunt. Ita S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, octon. 12 : « Ipse (Christus) oriens vadit ad Austrum, et gyrat ad Aquilonem. Ille utique oriens, qui ait : Oriens nomen est mihi; qui semper oritur piis, nunquam occidit. Ipse oriens populo Hebræorum, ad Austrum ivit, ad molliorem populum, luxuria magis ferventis corporis lubricum, quam impietatis immanitate prædurum : aut certe ad nobiliorem plebem, quæ erat genus electum, vindicans sibi Patriarcharum prosapiam; sed quia perseverabat in vitiis, nec emendabat errorem, ideo sol justitiæ gyravit ad gentes, quæ ante eloquiis cœlestibus defraudatæ immanes et ignobiles habebantur. Aquilo enim gravis ventus, ut populi nationum, sed qui erant graves ante perfidiam, nunc super aquilas leviores facti sunt fide atque pietate, postquam venit qui diceret : Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Adduc, et Africo : Ne prohibeas. Et in Evangelio : Venient ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Austro, et recumbent in regno Dei : et ecce sunt novissimi, qui erant primi, et sunt primi, qui erant novissimi. Denique et ipse Psalmista ait : Mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni; hoc est, qui erant Aquilonis latus, populus factus est Regis æterni, qui solus est magnus Dominus. » Et inferius post nonnulla : « Vide ergo venientem solem nostrum ad Austrum, postea gyrantem ad Aquilonem, etc., ut fieret Deus omnia et in omnibus. Ideo sanctus cœlum dicitur, quia vicinior eum semper claritas solis illustrat. Habet splendorem suum domesticum, ut tenebras noctis non sentiat. Ideo Ecclesia et cœlum dicitur, et mundus,

Allegorice de gyro Evangelii

quod habeat sanctos et angelis et archangelis comparandos, habeat etiam plerosque terrenos. Dicitur et orbis terrarum, qui est fundatus super maria, et super flumina præparatus. »

Rursum sol justitiæ, fidei et Ecclesiæ ortus est in Oriente, puta Judæa : inde translatus est in Occidentem, cum S. Petrus ex Syria migravit in Italiam, ac sedem Pontificiam Antiochia transtulit Romam. Idem gyravit ad Meridiem, cum sub idem tempus illustravit Ægyptum per S. Marcum, Æthiopiam per S. Matthæum, Africam per alios Apostolos; inde inflexit ad Aquilonem, sed tardius, cum S. Bonifacius cum sociis et asseclis sub annum Domini 700, convertit Germaniam, Frisiam, Saxoniam, Daniam, Poloniam, Russiam, aliasque aquilonares regiones. Apostoli ergo virique Apostolici sunt Samsones et soles justitiæ. Sicut enim sol hebraice et chaldaice dicitur שמש *scemes*, id est minister, a שמש *scamas*, quod chaldaice et syriace significat *ministrare*, eo quod quasi minister calorem et vitam impertiat creaturis omnibus, ac sui præstantia Dei domini sui præstantiam iis repræsentet : sic pariter idem hominibus et gentibus omnibus specialiter præstiterunt Apostoli; ideoque sunt Samsones. Hebræum enim שמשון *samson* idem est quod parvus sol, qui scilicet Hebræis in tenebris captivitatis optatus illuxit, eosque a Philistæis suo robore liberavit.

Tropologice. Tropologice Olympiodorus per quatuor mundi climata, quæ sol percurrit, accipit quatuor virtutes cardinales, quas sol justitiæ Christus fidelibus aspirat, scilicet per Austrum, qui a calida mundi regione spirat, prudentiam, quæ omnibus actionibus calorem et vitam rationalem aspirat; per Aquilonem, fortitudinem : est enim hic ventus acer, expeditus et rigidus; per Eurum vel subsolanum, qui ab Oriente flat, et sole oriente Subnascitur, ut ait Plinius, lib. II, cap. XLVII, justitiam, quæ per omnes commeat extenditurque virtutes; per Zephyrum sive Lyben, qui flat ab Occidente, temperantiam, quæ refrigerat voluptates corporis et exsiccat. Omnes igitur animæ regiones illustrans interno splendore radiat sol justitiæ. Hæc Olympiodorus.

Rursum locus solis est animus, sol vero est intelligentia spiritualis. Hæc oritur, quando a Deo cordi inspiratur, et occidit, quando radius lucis in pœnam imperfectionum nostrarum, vel ex Dei dispositione subtrahitur. Ad locum suum revertitur, cum ad propriæ infirmitatis considerationem animus redit; postmodum vero renascimur, cum iterum ex seipso ad cognoscenda superiora conscendit. Gyrat per Meridiem, cum beatitudinem cœlestium spirituum recogitat; flectitur ad Aquilonem, cum damnatorum dolorem considerat.

Denique solis annique continua gyratio ad vivum repræsentat rerum omnium, præsertim humanarum gyrum et circulationem, scilicet omnia quasi circulantia ire in orbem, abire, novaque redire. Unde Nyssenus : « Ad solis, inquit, similitudinem nostræ quoque naturæ est ortus et occasus : una est omnibus via, unus ingressus vitæ circulus; » et B. Antiochus, *hom.* 30 : « Quid aliud, ait, est hominis vita, quam rota quæ perpeti rotatu versatur? » Idque significat etymon anni. Annus enim hebraice dicitur שנה *scana* ab iteratione et revolutione : שנה *scana* enim significat iterare, mutare, revolvere; græce vero annus dicitur ἐνιαυτὸς, ἀπό τοῦ ἐν ἑαυτῷ εἶναι, quod in seipsum eat, instar rotæ, juxta illud Senecæ in *Hercule furente* : « Rota præcipitis volvitur anni. » Latine autem dicitur *annus*, inquit Servius, quasi *annus*, id est annulus, quod in se redeat. Unde Poeta : Anni etymon.

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Nam, ut ait Varro : « Ut parvuli circuli annuli, sic magni dicebantur anni. » Vel ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι, id est ab innovatione. Atteius Capito vero annum ait significare temporis circuitum, ab *am*, id est circum. *Am*, inquit Priscianus, lib. XIV, priscis significat *circum*. Unde Cato dixit *am terminum*, id est circum terminum; hinc ambio, id est circumeo; ambesus, id est circumesus; ambustus, id est circumustus. Idem docet Varro et Festus; noster vero Goropius Becanus annum a prisca voce Cimbrica *anna*, id est circulus derivat. *Anna* enim est vox circularis. Unde si eam invertas, et retrogrado ordine legas, sonabit pariter *anna*. Hinc Romanis *Anna* dea perenna nuncupata est, juxta illud :

Idibus est Annæ festum genitale perennæ.

Hanc enim deam invocabant quasi præsidem annorum, ut ejus ope ad novum annum possent redire. Eleganter S. Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 158 : « Tempus, inquit, rotæ speciem imitatur, utpote quod in se torqueatur et convolvatur. » Nam ut ait Seneca *De Brevit. vitæ* : « Præsens tempus brevissimum est, adeo ut quibusdam nullum videatur : in cursu enim semper est, fluit et præcipitatur; ante desinit esse, quam venit. » Porro hæc vitæ rota homini est laborum et dolorum rota, in qua assidue rotatur et torquetur instar Ixionis, quem poetæ narrant ob stuprum a Jove rotæ alligatum, in ea perpetuo rotari et cruciari. Unde Seneca, lib. *De Vita beat.* cap. XXVIII : « Quid porro, inquit, nonne nunc quoque, etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat, et involvit fugientes petentesque eadem, et nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit? » Vita est rota laborum et dolorum.

Et S. Gregorius Nazianzenus in *Carm.* : « Munde amice, ait, non tamen omnino amice, quid me in contrarium proficisci contendentem trochi cujuspiam instar versas? » Idem, epist. *ad Sophronium* : « Vides, ait, quæ sit conditio rerum nostrarum, utque rota quædam negotiorum humanorum cursu circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus ac marcentibus, dum neque adver- Gnomæ.

sitas, neque prosperitas nobis constat, sed quam ocissime in diversum mutatur et transilit, ut aquis ac litteris aquæ inscriptis fidere liceat citius quam humanæ felicitati.» Hæc est vertigo rerum humanarum : o stolidi qui illi se credunt, ac velut perennaturæ cor affigunt, veræ æternitatis obliti. Idem, orat. *De Pauperum amore* : « Natura, ait, nihil est in rebus humanis firmum, et æquabile ac durabile, atque eodem statu constanter manens; verum res nostræ velut orbe quodam volvuntur, alias sæpe uno eodemque die, atque etiam interdum hora, mutationes advehente. » S. Ambrosius, lib. *De Abraham* : « Bona, ait, hujus sæculi instabilia sunt, et rotarum in morem cum ipso sæculo volvuntur. » S. Nilus in *Parænesi* : « Umbræ et rotæ tam tristia quam læta hujus vitæ compara; nam sicut umbra non manent, et ut rota vertuntur; » ac subinde homines suosque heros in vertiginem fastus vel desperationis adigunt, pervertunt et evertunt, uti deplorat S. Petrus Damianus, *epist.* 15 : « Ecclesiarum plane quoque rectores, inquit, quibus potissimum hujus rei cura debuisset incumbere, tanto mundanæ vertiginis quotidie rotantur impulsu, ut eos a sæcularibus barbirasio quidem dividat, sed actio non discernat. » Et S. Augustinus in *Psalm.* XIX, 8 : « Hi in curribus, et hi in equis, » id est, ait, « hi volubili successione temporalium bonorum trahuntur, et hi superbis efferuntur honoribus, atque in his exultant. » Sapientius Villegisus primus Vangionum Archiepiscopus, plaustralis fabri filius, ut se humilitate natalium contineret, ubique per cubicula rotas depingi curavit, crebroque sibi dicebat : « Villegise, memento quis fueris, quis sis, quid eris. » Ita Bruschius *De Episcopis;* ac nuper Leo XI, cum 27 Pontificatus sui die gradu et vita decederet, Confessario magno animi sensu dixit : « Quam satius modo mihi foret, si monasterii potius quam cœli claves tenuissem ! »

Ut sis stabilis fige cor in Deo.

Qui ergo stabilitatem optat, ut non cum mundo temporeque rotetur, sed stabilis semper, idemque sui similis inter omnes sæculi turbines perseveret, hic pedem mentis figat in Deo stabilique ejus æternitate, qui, ut ait Boetius :

Tempus ab ævo
Ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.

Deus enim est basis mundi, centrum solis siderumque, axis temporum. Circa Deum enim ejusque æternitatem, velut axem immotum assidue rotantur sol, cœli sidera, elementa, omniaque orbis tempora et sæcula, atque ab eo continentur et sustentantur. Vis ergo in orbe esse stabilis, in ipso cor tuum defige, super cœlos mente conscende, terram pedibus calca. Vive Deo, vive æternitati. « Quid suavius homini ? ait S. Bernardus, tract. *De Charit.* cap. XVIII, quid jucundius quam mundum contemnere, et se reputare sæculo celsiorem, atque in bonæ conscientiæ vertice consistere, et mundum habere sub pedibus, nihil in eo videre quod appetat ? » Et S. Nilus in *Parænesi* : « Beatus qui voluptates calcat; metuunt enim dæmones cum eo certamen suscipere. »

LUSTRANS UNIVERSA IN CIRCUITU PERGIT SPIRITUS.— Hebræa, *circuiens circuiens* (id est assidue circuiens) *vadit spiritus, et in circuitus vel gyros suos revertitur spiritus;* Septuaginta, *gyrat gyrans, vadit spiritus, et in circulos suos revertitur spiritus.* Sic et Syrus, nisi quod pro *vadit,* vertit, *abit* ; et pro *in circulos* vertit, *ad circulos suos;* Arabica vero vertit, *circumdat ambiens,* scilicet *sol* qui præcessit. Deinde subdit de spiritu, id est vento : *Discedunt venti, et ad circulos suos revertuntur venti;* Symmachus, *perambulans vadit ventus, et per quæ circumierat revertitur ventus* ; Tigurina, *adversis mundi plagis venti surgentes meant, et in circulos suos venti revertuntur;* alius, *conversione sua circumiens properat aer, et secundum circuitus suos revertitur aer.* Chaldaicam versionem recitavi superius.

Spiritus hic quis? Resp. primo.

Quæres, quisnam hic spiritus ? *Primo,* multi per spiritum accipiunt solem, quod sol dicatur spiritus, tum ob velocitatem, tum ob radiorum et luminis subtilitatem, tum ob agendi vim et efficaciam; sol enim omnia lustrat, et sua luce collustrat, ac in circulos suos revertitur. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Albinus, Hugo, Dionysius, Titelmannus et nostri Conimbricenses, lib. II *De Cœlo,* cap. I, Quæst. II, art. 4.

Audi S. Hieronymum : « Sol dicitur spiritus, quod animet, et spiret, et vigeat, et annuos orbis cursus expleat, ut ait Poeta : Interea magnum sol circumvolvitur annum. Et alibi : Atque in se sua per vestigia volvitur annus. Sive quod lunæ lucentem globum, et astra Titania

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.»

S. Dionysius, cap. IV *De Div. Nom.* : « Ad generationem, inquit, visibilium corporum confert (sol), et ad vitam ipsam movet, et nutrit, et auget, et perficit, et mundat, et renovat, » instar spiritus.

An sol sit animatus?

Hinc nonnulli censent solem esse animatum; idque S. Hieronymo tribuit S. Thomas, I part. *Quæst.* LXX, art. 3. Ab hoc tamen errore seipsum liberat S. Hieronymus, epist. 59 *ad Avitum,* et in cap. XLV *Isaiæ,* ubi Origenem perstringit, quod cœlis animas tribueret rationales. Audi clare id docentem Isidorum, *De Natura rerum* cap. XXVII, ubi censet solem esse animatum ex S. Augustino : « Salomon, inquit, cum diceret de sole : Gyrans gyrando vadit spiritus, et in circulos suos revertitur, ostendit solem ipsum spiritum esse, et quod animal sit, et spiret, et vegetet, et annuos orbes suos cursu expleat, sicut et Poeta ait : Interea magnum sol circumvolvitur annum. Et alibi : Lunæ lucentem globum, Titaniaque astra spiritus intus alit. »

Verum jam dogma est Ecclesiæ, hoc est Patrum

in quinta Synodo Œcumenica, theologorum et philosophorum omnium, nec solem, nec cœlos esse animatos. Verisimilius S. Thomas, *Opusc.* X, censet solem dici *spiritum*, quod spiritus sive intelligentiam habeat non informantem, sed assistentem, moventem et dirigentem : ubi S. Thomas per spiritum videtur accipere angelum, qui soli assistit, eumque volvit.

Secundo. *Secundo*, Valesius, *Sacr. Philosoph.* cap. LXII, Aben-Ezra et alii per spiritum accipiunt ignem. Hic enim ob puritatem, subtilitatem et igniendi vim videtur esse spiritualis; hic rursum calore suo efficit rerum generationes et transmutationes. Unde est elementum nobilissimum et maxime necessarium, sicque Salomon hic ignem inter tria cætera elementa velut principem assignat. Verum hæc aliena et coacta videntur.

Tertio genuine. *Tertio*, proprie et genuine per *spiritum* accipias aerem et ventum, quem causat sol, de quo proxime sermo præcessit. Nam, ut ait Seneca, lib. V *Natur. Quæst.* cap. VI : « Aliquando per se ipse sol causa venti est, fundens rigentem aerem, et ex denso coactoque explicans. » Plinius, lib. II, cap. XLVII et seq., ventos a sole non solum impelli, sed et generari docet : « Sol, inquit, et auget et comprimit flatus. Auget exoriens occidensque, comprimit meridianis æstivis temporibus, itaque medio diei aut noctis plerumque sopiuntur, quia aut nimio frigore aut æstu solvuntur; et imbribus venti sopiuntur. »

Hinc Symmachus pro *spiritu* vertit, *ventum*. Sic et Tigurina, Vatablus et alii. Hæc est sententia S. Gregorii Thaumaturgi, Hugonis Victorini, Cajetani, Joannis Feri, Pinedæ et aliorum. Sensus est ergo, *q. d.* Spiritus, id est aer impulsus, sive ventus per omnia omnesque mundi plagas flando discurrit et circuit, ac revertitur in circulos, id est ad sui principium, a quo rursum in orbem circumeat, et quasi circulum suum percurrat. Ventus, inquam, idem non numero, sed specie aut genere; *q. d.* Omnia in cœlo, æque ac in terra sunt circularia, non stabilia; imo ipse sol, qui est quasi rex cœlorum, ipse ventus qui in terra ut rex dominatur; ipsum mare et flumina, æque ac omnes generationes terrenæ, suam habent vanitatem, puta circulationem, mutationem, irrequietum statum, fugam, occasum, interitum. Alii per antithesim explicant, *q. d.* In sole, ventis, fluminibus stabilis est motus et naturæ cursus : at hominum gyri, casus, cupiditates, phantasiæ sunt instabiles et incertæ, semperque fluctuant.

Venti commoda. Meminit aeris et venti, quia hic rerum generationi et humanæ vitæ subservit et perutilis est, tum ad eventilandum aerem, quiete torpentem et putrescentem; tum ad vapores noxios difflandos; tum ad hominis respirationem et refrigerationem, ejusque spiritus, ne pigrescant, acuendos et roborandos. Unde Aristoteles, lib. VI *Histor. Anim.* cap. XXIX, et lib. IV *De Generatione anim.* cap. II, docet Aquilone forti et acri flante gigni masculos, Austro vero leni et tepido flante gigni feminas. Denique « ventus est aeris flumen, » ait Apuleius. Apte ergo rerum humanarum tenuitatem, inconstantiam et fluxum repræsentat.

Ventus symbolum vanitatis. Spiritum ergo, sive ventum hic in scenam producit Salomon, tum quia is est una inter causas generationis rerum, earumque varietatis; tum quia ipse sua invisibili tenuitate, summa celeritate, impulsu et instabilitate, clarum est symbolum humanæ instabilitatis, inconstantiæ et infelicitatis. Sicut enim flanti Euro ab Oriente illico opponit se Zephyrus flans ab Occidente, hunc vero infringit Auster flans a Meridie, cui mox adversatur Aquilo flans a Septentrione : sic pariter prosperitati illico opponit se adversitas, virtuti invidia, opibus inopia, gloriæ calumnia, honori dedecus. Rursum, sicut subinde pestilentes sunt venti, morbosque hominibus afflant, sic pariter res terrenæ homini pestem et necem non raro afferunt, præsertim si immodice iis utatur.

Venti lustrant omnia, qua ratione? Porro dicitur hic spiritus, id est aer et ventus, lustrare omnia, et in circulos suos reverti, tum quia aer subtilitate sua omnia in terra et circum terram pervadit et penetrat, ac quasi lustrat; tum quia aer cœlo vicinus motu cœlorum in orbem rapitur, et in circulos suos æque ac cœli revertitur; tum quia venti subinde sunt circulares, resque agitant in circulos, quales sunt turbines et typhones; tum denique quia venti suum habent ordinem, qui in orbem et circulum it et redit : jam enim flat Eurus ab Oriente, mox succedit illi Auster a Meridie, hunc excipit Zephyrus ab Occidente, hunc Aquilo a Septentrione, aliique plures inter hos medii et collaterales. Unde nautæ orbem ventorum conficiunt ex 32 ventis collateralibus : describunt enim circulum, in quo ad quatuor mundi plagas quatuor ventos primarios inde flantes collocant, ac cuique adjungunt alios octo collaterales, ut universim sint 36.

Secundo. Tertio.

Tropologice, quod multi putant esse litterale, per spiritum accipias spiritum hominis irrequietum, vagum et inconstantem : talis enim est phantasia, et quæ eam sequitur cupiditas hominis, ut nunc hoc cogitet et velit, nunc aliud et aliud, ac rursum ad prima quæ cogitavit et voluit, redeat, itaque gyret assidue, et in circulos suos volvatur. Ita Nyssenus. Graphice hanc cordis et spiritus instabilitatem depingit S. Bernardus in *Medit.* cap. IX : « Nihil, ait, est in me corde meo fugacius, etc. Et dum per diversa requiem quærit, non invenit; sed in labore miserum a requie vacuum manet, sibi non concordat, a se dissonat, a se resilit; voluntates alterat, consilia mutat, ædificat nova, destruit vetera, destructa reædificat, eadem iterum atque alio et alio modo mutat et ordinat, quia vult et non vult, et nunquam in eodem statu permanet. Sicut enim molendinum velociter volvitur et nihil respuit, sed quidquid imponitur molit; si autem nihil apponitur, seipsum consumit : sic cor meum semper est in motu et nunquam re-

Cor est quasi molendinum.

quiescit, sed sive dormiam, sive vigilem, somniat et cogitat quidquid ei occurrit. Et sicut molendinum arena si imponatur, exterminat, pix inquinat, palea occupat : sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat et fatigat. » Et inferius post nonnulla : « Cumque elabitur ab illis et involvitur in istis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia, sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis, quoniam unum Deum (qui ei sufficere poterat) dimisit. Per multa dispergitur, et huc illucque quærit ubi requiescere possit, et nihil invenit quod ei sufficiat, donec ad ipsum redeat. »

B. Petrus Damianus, *opusc.* 12, cap. XIII, hanc spiritus vertiginem, rotationem et circulationem simili themate describit : « Mola, ait, in gyro ducitur, et farina profertur; unaquæque autem mundi hujus actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit, atque ex se quasi farinas projicit : quia seducto cordi semper minutissimas cogitationes gignit, » præsertim dum spiritu ventoque vanitatis et fastus rotatur et agitatur : hic enim est turbo mentium.

Alii per ventos alternantes et sæpe contrarios accipiunt contrarios rerum casus et mutabiles, imo adversos fortunæ flatus, contra quos hunc clypeum suggerit Boetius, lib. II *De Consol.* prosa 1 : « Postremo æquo animo toleres oportet quidquid intra fortunæ aream geritur, cum semel jugo ejus colla submiseris; quod si manendi abeundique scribere legem velis ei, quam tu dominam sponte elegisti, nonne injurius fueris, et impatientia tua sortem exacerbabis, quam permutare non possis? Si ventis vela committeres, non quo voluntas peteret, sed quo flatus impelleret, promovereris : si arvis semina crederes, feraces inter se annos sterilesque pensares. Fortunæ regendum dedisti : dominæ moribus oportet obtemperes. Tu vero volventis rotæ impetum retinere conaris. At omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, sors esse desistit. »

Vers. 7. 7. OMNIA FLUMINA INTRANT IN MARE, ET MARE NON REDUNDAT. — Hebræa, *omnes torrentes vadunt in mare, et mare non impletur*; Septuaginta, *non est impletum*; Syrus, *omnes torrentes præcipitantur in mare, et non impletur*; Arabicus, *et mare non congregatur plenum*; Chaldæus, *omnes torrentes et fontes aquarum vadunt et currunt ad mare Oceanum quod circuit mundum*; vel, *cujus ambitus tanquam annulo mundum continetur*, ut vertit Costus noster. Pro *torrentes* aptius vertit *flumina*, quia ex torrentibus concurrentibus nascuntur flumina, quæ in mare decurrunt, cum torrentes terra bibula sorbeantur, vel siccentur antequam ad mare perveniant. Ecclesiasten secutus Ecclesiasticus. XL, 11 : « Omnia, inquit, quæ de terra sunt, in terram convertentur, et omnes aquæ in mare revertentur. » Sicut dixit de sole et vento, quod gyrent semper et in suos orbes recurrant : sic hic ait de torrentibus, et inde nascentibus fluminibus, quod omnia decurrant in mare, indeque recurrant ad fluminum origines, ut hisce exemplis vanitatem, decursum et circulationem vitæ humanæ omniumque rerum terrestrium repræsentet. Unde S. Hieronymus : « Hebræi, ait, sub torrentium et maris nomine, per metaphoram de hominibus significari arbitrantur, quod in terram de qua sumpti sunt redeant, et torrentes vocentur non flumina, eo quod cito intereant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum. » Hinc S. Gregorius Thaumaturgus paraphrastice vertit, *res autem ipsæ recte comparantur fluxui torrentium, qui in immensum maris profundum ingente strepitu incidunt*. Eadem similitudine usa Thecuitis, II *Reg.* XIV, 14 : « Omnes, ait, morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. » B. Alcuinus Flaccus, disputans cum Pipino Caroli Magni filio : « Quid, ait, est mare? Audaciæ via, limes terræ, divisor regionum, hospitium fluviorum, fons imbrium, refugium in periculis, gratia in voluptatibus. Quid sunt flumina? Cursus indeficiens, refectio solis, irrigatio terræ. » Maris epitheta.

Porro mare ex tot fluminibus influentibus non impletur, non crescit, non redundat, ut super littora sese effundat terramve superstagnet, sed velut gurges insatiabilis omnia sorbet, et ad semper sorbendum hiat : hinc Pontum dici putant παρὰ τὸ πέπεσθαι, quod aquas semper potet. Causam dat Aristoteles, II *Meteor.* cap. II, quod aquæ ex mari vi solis educantur, et vel siccentur, vel in vapores et nubes vertantur; quodque mare sit vastissimum, ut flumina ejus respectu sint instar paucarum guttarum. Causam aliam dabit Ecclesiastes vers. seq. Hinc Proverbia : Aquam in mare deferre, Ligna in sylvam, Ululas Athenas, In Ægyptum frumentum, Crocum in Ciliciam : quæ dicuntur in eos qui operantur inutilia et superflua.

Tropologice, mare insatiabile notat insatiabilem cupiditatem hominis, quæ semper voluptates bibit, et tamen semper sitit, juxta illud quod subdit Salomon, vers. 8 : « Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. » Ita Nyssenus. Unde S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XIII, docet mare insatiabile esse cor avari : « Omnes, inquit, torrentes vadunt in mare, et mare non adimpletur. Mare istud fœnerator est omnium, patrimonia tanquam fluctus absorbet, et ipse nescit expleri. Mari tamen plerique utuntur ad quæstum, fœneratore nemo utitur nisi ad dispendium. Illud multorum commodum est, hic universorum naufragium. » Mare primo, est cupiditas insatiabilis.

Simili modo gula, luxuria, ambitio est mare quod omnia sorbet : gulosus enim et luxuriosus, æque ac superbus, est helluo patrimoniorum, et gurges opum rerumque omnium. Secundo, mors et infernus.

Symbolice Rabbini in *Midras Coheleth*, id est *Expositio Ecclesiastæ*, sic exponunt, *q. d.* « Flumina intrant in mare, et mare non redundat, »

id est, omnes mortui tendunt in infernum, et infernus nunquam impletur, nec redundat, juxta illud *Prov.* XXX, 15: « Tria sunt insaturabilia, etc., infernus, et os vulvæ, et terra qua non satiatur aqua. » Ita Galatinus, lib. VI *De Arcanis fidei*, cap. VII. Simili modo mare typus est mortis et sepulcri : ad utrumque enim homines omnes ceu flumina decurrunt, imo velut torrentes celerrime rapiuntur. Vide I *Reg.* XIV, 14. Audi S. Augustinum in *Psal.* CIX, ad illud : *De torrente in via bibet* : « Sicut torrens, inquit, pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit et currendo decurrit, id est cursum finit : sic est omnis iste cursus mortalitatis : nascuntur homines, moriuntur, et aliis morientibus alii nascuntur, succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hic tenetur? quid non decurrit? quid non quasi de pluvia collectum it in abyssum? Quomodo enim fluvius repente collectus de pluvia, de guttis imbrium, it in mare; nec apparet, quia nec apparebat, antequam de pluvia colligeretur : sic hoc genus humanum de occultis colligitur, et profluit in mortem. Rursum in occultum vergit, medium hoc sonat et transit. De hoc torrente bibit Christus, hoc est natus est, moriturus. »

Tertio, amaritudo voluptatis.

Rursum Richardus Victorinus, tract. 1 *De Statu inter. hominis*, cap. X : « Omnia flumina, ait, in mare feruntur, et omnis aqua dulcis in amaram mutatur; quia oblectamentum in fastidium vertitur, et omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur, » juxta illud : « Extrema gaudii luctus occupat. »

Denique audi M. Antoninum Imperatorem cognomento Philosophum, lib. IV *De Vita sua* : « Ævum, ait, fluctus quidam est rapidus earum quæ fiunt rerum; simul enim unumquodque et apparet et præterit, et aliud subsequitur, mox item aliud succedet. Omne quod nobis accidit ita consuetum est et notum, ut rosa vere, fructus æstate. Eadem est ratio morbi, mortis, calumniæ, insidiarum omniumque eorum quæ stultis vel gaudium, vel tristitiam afferunt. » Et post nonnulla : « Dictum Heracliti semper est memoria tenendum : Terræ mortem scilicet esse aquam, aquæ aerem, aeris ignem, idque vicissim. » Et pluribus interjectis : « Collige etiam quos tu ipse nosti unum post alium, cujus funus ipse curasses, mortuos; et quod heri fuit piscis, cras erit salsamentum, aut cinis. Momentaneum itaque tempus a natura esse constitutum considerandum est, æquoque animo e vita abeundum : perinde ac si oliva maturitatem consecuta decidat, arborem quæ ipsam tulit ac genuit, collaudet et gratias agat. Similis esse debes promontorii, ad quod assidue fluctus alliduntur; ipsum autem persistit, utcumque undæ æstuantes circumferantur. » Unde concludit : « Proinde quoties inciderit quidquam, quod ad dolorem te provocet, recordare hujus præcepti : Non illud infortunium esse appellandum, sed felicitati tribuendum, quod id fortiter feras. » Idem, lib. IX : « Jam nos omnes terra occultabit : post ipsa quoque mutabitur, et res deinde aliæ item in infinitum mutabuntur. Enimvero qui fluctus mutationum et motuum considerabit, earumque celeritatem is omnia mortalia contemnet. Torrentis instar causa universi rapit omnia. Ad locum unde exeunt flumina reverturtur, ut iterum fluant. »

Duplex versio.

Pro *unde exeunt* hebraice est שהולכים *sceholechim*, id est, *quo vadunt* : *quo*, id est *ad quem locum*, vel ex quo loco. Unde duplex hic est versio et duplex sensus : prior, ut significetur terminus ad quem tendunt flumina; posterior, ut significetur terminus a quo ipsa exeunt et prodeunt.

Prima.

Priorem secuti Septuaginta vertunt, *ad locum quo torrentes eunt, illuc ipsi revertuntur ad eumdem*; vel, ut habet versio Veneta, *ad locum*, inquam, *maris pergunt flumina, ut iterum redeant et fluant.* Et Syrus, *ad locum quo abeunt torrentes, ibi revertuntur ad abeundum.* Et Arabicus, *ad locum ad quem vadunt torrentes, ad ipsum revertitur spiritus eorum : vadunt enim.* Sic et Pagninus, Tigurina et alii.

Posteriorem secutus est Noster vertens, *ad locum unde exeunt flumina.* S. Hieronymus in *Comment.* ex Symmacho, *ad locum de quo torrentes exeunt, illuc ipsi revertuntur ut introeant*; Chaldæus, *quasi ad locum enim ad quem torrentes vadunt et decurrunt, inde revertuntur et defluunt per cataractas abyssi.* Vel, ut vertit Costus, *cumque per cuniculos et abyssi commata, quo ex loco defluxerunt fluvii, eodem ferantur, Oceanus ipse nullo completur modo.*

Prioris versionis hic est sensus, *q. d.* Flumina continuo cursu ad mare feruntur, in illudque sese effundunt, quo fit ut iterum iterumque semper fluant : continuo enim novæ affluunt aquæ, quæ in mare defluunt : sicubi enim inhiberetur eorum fluxus in mare, sisterent, et alias affluere prohiberent, utpote suum locum et alveum occupantes et implentes. Unde ex Hebræo sic vertunt nonnulli, *ad locum quo torrentes vadunt, illuc ipsi convertuntur ad eumdem. q. d.* Flumina defluendo continenter sequuntur suos alveos et lectos, atque illum, per quem semel cursum inchoarunt, constanter retinent, nec mutant unquam, quod sane mirum est.

Posterioris hunc sensum assignat Titelmannus et alii nonnulli, ut cum priori coincidat, *q. d.* « Ad locum unde exeunt flumina, » id est ad suas scaturigines et exordia, « revertuntur, » id est, rursus affluunt novæ fluminum aquæ, ut iterum fluant; quasi assignet causam perennitatis fluminum, hanc scilicet, quod defluentibus eorum aquis novæ ex montibus affluant, quæ per scaturigines rursus emanent, et decurrant in mare.

Verum hic sensus frigidior videtur et coarctior : hoc enim proprie non est reverti flumina ad locum unde exeunt. Adde videri tautologiam : idem enim est dicere, perenniter fluunt fontes et flumina, quod, defluentibus fluminum aquis aliæ continuo affluunt; perennis enim fluxus non est

aliud, quam priorum aquarum effluxus et novarum affluxus. Insuper juxta hunc sensum non exponitur, nec datur ratio, cur mare ex tot fluminum influxu non redundet, quod sane difficile est et stupendum.

Genuinus secundus sensus.

Aptius ergo magisque connexe, profunde et nervose sic exponas, ut hic det causam non solum perennitatis fontium et fluminum, sed et cur mare ex tot tantisque in se influentibus non redundet : hoc enim magis admirabile est, quam perennitas fluminum. Causa hæc est, quod flumina in mare decurrentia rursum ex eo revertantur, et recurrant ad sua principia unde exierunt, ut iterum fluant; revertantur, inquam, per æqualitatem, scilicet non in se eadem numero, sed in sui simili, sive eadem specie: aqua enim fluminis quæ ingreditur mare, non egreditur eadem numero, sed alia illi similis, puta aqua maris, quæ vicina est terræ et abysso. Sic enim per aliam partem exoneratur mare, ac rursum implentur fluminum fontes, ut jugiter emanent aquas ac perennent. Hunc esse sensum liquet *primo,* ex τῶ *revertuntur*; *secundo,* quia hæc est adæquata causa, cur mare ex tam numerosis amplisque fluminibus, quæ mare, imo plura maria efficerent, in se ingredientibus non redundet, quia scilicet tantum ex mare deorsum affluit, quantum sursum influit; *tertio,* quia Ecclesiastes hic ostendit vanitatem rerum humanarum ex earum circulatione et gyro, quod semper gyrent et in orbem eant. Hanc autem circulationem probat ex sole, cœlis, elementis, scilicet quod sol et cœli in orbem gyrentur; quod aer et ventus in suos circulos revertantur; quod generationes hominum, animalium et plantarum ex terra nascantur et in terram redeant, ut ex ea rursum prodeant et germinent. Ergo cum ad eamdem circulationem probandam proferat flumina, eaque dicat reverti ad sua principia, necessum est ut id proprie intelligat, scilicet id fieri per circulationem, qua aquæ ex mari ad fluminum fontes remittantur. Sic enim sol, cœli et venti ad sua principia suosque ortus redeunt. Denique ita hanc reversionem explicat S. Hieronymus hujus nostræ versionis auctor, S. Basilius, Theodoretus et alii plurimi mox citandi.

Prob. primo. Secundo.

Tertio.

Breviter, sed nervose S. Augustinus, lib. III *De Trin.* cap. VI : « Continuo, ait, quasi fluvio latentium rerum ex occulto in promptum, ex prompto in occultum fit ubique circulatio. » Eleganter Ovidius, lib. XV *Metamorph.*:

> Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
> Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu.
> Non secus ac flumen; neque enim consistere flumen
> Nec levis hora potest, sed ut unda impellitur unda,
> Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem.

Eadem similitudine utitur, lib. III *De Arte.* Egregie Basilius, *De Fame et siccit.*: « Fluunt, inquit, tempora nec moratorem exspectant; festinat dies ignavum et cessatorem prætereuntes; et quemadmodum fieri non potest ut decursum fluvii sistas, ac aqua ejus ad necessaria uti possis, nisi in primo occursu, et ubi sese objicit haurias : ita neque tempus necessariis circuitibus impulsum cohibere queas, aut jam elapsum ad caput revocare, aut usum illius habere, nisi quis cum se offert arripiat. » Hæc Basilius.

Homo fluvius.

Tropologice, homo est quasi fluvius assidue defluens in mortem, ut per eam refluat ad Deum immortalem, qui solus habet esse stabile, constans et æternum. Audi Eusebium, lib. XI *Præpar.* cap. VII : « Cum enim omnia sensibilia in fluxu sint, continue fiunt atque corrumpuntur, nec eadem unquam permanere possunt. Fluvium autem eumdem bis intrare, secundum Heraclitum, impossibile est. Quare nec mortalem substantiam si iterato consideres, eamdem habitu esse dices, sed mirabili commutationis velocitate modo dissipatur, modo contrahitur. » Ex quo infert : « Ridiculosi ergo sumus homines unam timentes mortem, qui multoties jam mortui sumus, et sæpe morimur, etc. Corrumpitur enim juvenis in virum, vir in senem, puer in juvenem, infans in puerum; et qui heri fuit, in eum qui est hodie; quique hodie est, in crastinum : manet autem nullus idem. Nullus est idem; sed in uno momento circa phantasmata, circa unam et communem materiam influentem ac refluentem omni momento commutantur. Quomodo enim si sumus iidem, aliis quam antea gaudemus? Alia modo amamus atque odimus, alia laudamus atque vituperamus, aliis verbis utimur, aliis passionibus movemur, non eamdem figuram, non eamdem de rebus sententiam habentes? Non enim possibile est, sine commutatione aliis nunc, quam antea commoveri; nec qui alias atque alias mutatur, idem profecto est. Quod si idem non est, nec est, sed fluit continua mutatione; sensus autem ignorantia ipsius entis fallitur, et esse putat quod non est; quis igitur vere est? quod æternum est, quod ortum non habet, quod incorruptibile, quod nullo tempore mutatur. » Et cap. VI, Platonis ænigma proponit : « Plato quoque dicit : Quid est quod semper est, et ortum non habet? et quid quod semper fit, est autem nunquam? » Ac respondet prius esse Deum, qui semper est, et nunquam est ortus; posterius esse creaturam et corpus, quod semper fit, et nunquam est in statu suo consistens et stabile, sed continuo mutatur, fluit et defluit. Idipsum, apposito ceti marini et piscatoris apologo, choro parabolarum stipato, illustrat Cyrillus, lib. I *Apol. moral.* cap. VIII, cujus titulus : *Tuæ spei anchoram in bonis perpetuis tantum fige* : « Super maris undam, inquit, cetus grandissimus in insulam elevatus, cum terræ aridæ speciem mentiretur; piscator raticula fluctuans, terræ cupidus in portum sophisticum hunc pervenit, moxque ibi descendens parum levata pellicula manu, ex petra et ferro genito rogo,

sibi pius; cœpit fovere corpusculum algore rigidum, labore fessum et esurie desiccatum. Verum cum ignis acuta caliditas insensibili piscis transacta pinguedine, tandem in carnem sensibilem ardoris sensus descendisset, statim pisce commoto, terræ motum existimans nauta stupidus, relictis omnibus cucurrit ad ratem. Sic inde veritate comperta tutus de navicula, lamentabiliter ceto dixit: Ut quid ostensa ingenti mole, et stabilitate lethaliter simulata, et cute picta mentiebaris te portum? Ni certe natabile lignum statim profugo subvenisset, in te confidentem, raptum subito non minus quam naufragium submersisses. Cui piscis respondit: Tu autem, quare ad quiescendum super rem mutabilem descendisti? At ille: Certe quia tellus esse, non animal videbaris. Tunc alter: Numquid omne quod videtur existit? an ignoras quod plura in sola sui apparentia, et non in veritate fundantur? Nam sophista videtur philosophus, et hypocrita sanctus.» Ex quibus hoc epimythium, apologi finem et fructum declarans, colligit: «Propter hoc, charissime, tu qui maris incola periculosis versaris in fluctibus, et perniciei castris undique obsessus, in ligno perfragili circumdaris, quo in necessitate confugias, cui te credas, ac ubi stabilius confidas prius ruminante diligentia videas, et clara prudentiæ circumspectione attendas. Nam si ex toto semel eraveris, præventus morte, correctionis tibi postmodum nullus locus erit. Sic ergo tutum stabilitate perpetua portum quærens, hunc meliorem, et bonis melioribus optimum prudenter eligas, ubi confidentia secura quiescas. Nonne sapiens architectus in terra stabili fodiendo quærit fundamentum stabilius? Et navis pervigil gubernator, antequam suam anchoram accommodet, scrutator abyssi, plumbata cordula quærit tutissimum fundamentum? stultus enim est, qui super rem instabilem fabricat; et omnino amens, qui rebus mollibus se ab iisdem stabiliendum commendat. Vade igitur, et hinc disce nequaquam in perituris confidere, sed in æternis de cætero tuæ spei anchoram tantum fige. Quibus edoctus nauta consolatus discessit.»

Qua ratione flumina releant ad suas origines? Resp. primo.

Quæres *primo*, qua ratione flumina ex mari revertuntur ad suas origines?

Respondeo *primo*, quod ex mari quotidie plurimi vapores vi solis educuntur, qui in aerem elati ibique vi frigoris in nubes densati et in aquas resoluti, decurrunt in flumina, eaque implent, ut iterum fluant. Ita Olympiodorus, Procopius, Rupertus, Isidorus, Cajetanus, Vatablus et alii; unde pro *flumina* hebraice est *torrentes*: hi enim proprie fiunt ex pluviis vel nivibus in aquam resolutis, et sic mare non redundat, quia magna pars maris evaporatur; tantum enim, inquiunt, ex mari abit in vapores, quantum fluminum in illud intrat. Verum hoc remotum est et minus proprium.

Secundo, proprie et proxime, quia flumina in mare influentia ex illo per subterraneos meatus et venas sensim redeunt ad sui origines. Modum quo id fit, mox explicabo. Hunc esse sensum liquet clare ex S. Hieronymo in *Comment.*, qui Vulgatam suam versionem ita interpretatur, uti ex S. Basilio, homil. 4 *Hexam.*, Theodoreto, serm. 2 *De Providentia*, imo et Platone in *Phædone*, ac Seneca, lib. III *Natur. Quæst.* cap. XV.

Audi singulos: S. Hieronymum: «Putant quidam, inquit, aquas dulces, quæ in mare fluunt, vel ardente desuper sole consumi, vel salsugini maris esse pabula. Ecclesiastes autem noster, et ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi, et matrice abysso in sua semper ebullire principia.» S. Basilius asserit Dei nutu aquas ex mari ad montium apices conscendere: «Aquæ, inquit, infra delabendi propensione defluunt remoraturæ, donec in suam amplitudinem effunderentur, ubi tanquam compedibus adstrictæ non amplius diffuse, nec decurrenti alluvie exundantes, sed subter mare fluitantes, per angustas fistulas in sublime subvectæ, ab agitante spiritu in altum impulsæ, superficie terræ vi disrupta erumpunt et emicant, deponuntque per transcolationem salsorem et amarorem, et potulentæ evadunt.» Theodoretus: «Aquæ naturam ne arbitreris sua sponte in altum scandere, sed Dei verbo obedientem summos montium vertices occupare. Creatori autem facillimum est factu, aquarum naturam non modo in montium vertices, sed in medium quoque aerem subvehere, et amaram dulcedine condere, etc., eamque cujus naturalis motus deorsum fertur, sursum currentem ostendere.» Plato in suo *Phædone* Mosis, sive sacræ paginæ oraculi sententiam sequitur, ut in plurimis, inquiens: «Fontes ex ingenti illo barathro, quod intra terram est, partim per patentes quosdam poros, partim per terræ soliditatem excolati sic iterum redundant, ut quantum una pars confluat, tantum altera fluat.» Seneca ab eodem idem recenset: «Quidam judicant terram quidquid aquarum emiserit, rursus accipere, et ob hoc maria non crescere, quia quod influxit, non in suam vertunt, sed protinus reddunt. Occulto enim itinere subit terras, secreto revertitur, colaturque transitu mare, quod per multiplices anfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit, et pravitatem saporis in tanta soli varietate exuit, et in sinceram aquam transit.» Adde Rupertum et Hugonem Victorinum. Rupertus: «Terræ fundator, inquit, abyssum dispulit, et competens aquarum subsidium per intimas ejus venas large diffudit; et terra trahens aquas in omnes venas, copiosam fugit abyssi mammam.» Hugo Victorinus super id *Genes.* II: *Fons ascendebat e terra*, etc.: «Fons iste, ait, potest intelligi abyssus, scilicet matrix omnium aquarum, ex qua omnes fontes aquarum et fluminum egrediuntur.» Plures mox citabo.

Quæres *secundo*, quæ sit origo et causa fontium et fluminum, ac perennitatis eorum; cur

Quæ causa perennitatis

ultatis fontium?

scilicet jugiter emanent aquas? Respondeo varias a variis dari origines et causas.

Prima sententia Aristotelis, esse juges vapores.

Primo, Aristoteles, I *Meteor.* cap. XIII, cum suis asseclis censet fontes et flumina oriri ex aere et vapore, vi frigoris in aquam resolutis. Hinc in Alpibus aliisque montibus oriuntur pleraque flumina, quia circa montes et rupes multi coeunt vapores, qui vi frigoris densantur, et in aquam resoluti defluunt in valles, ibique coeuntes torrentes et flumina efficiunt, uti oculis meis conspexi, dum Alpes pertransirem.

Romæ insignis quidam Mathematicus e Societate nostra mihi asseveravit se perscrutatum esse Alpes ac Salinas Alpium, atque in earum summitate vidisse cavernas ingentes in rupibus, easque rimis plurimis intersectas, ut per eas aer copiosus ingredi posset, in quibus vapor et aer calefactus, rupium et saxorum deinde frigore condensatus, et resolutus in aquam defluebat, et rivum perennem efficiebat, quo liquabatur sal, quod inferne ex eadem rupe effodiebatur. Continuo enim aer aeri ad impediendum vacuum succedebat, isque illico in aquam resolvebatur; sicut videmus in hieme columnas, marmora et parietes in templis continuo sudare, et guttas stillare, utique ex aere in aquam resoluto. Accedit quod circa cacumina montium perpetui sint vapores, qui ad illa se colligunt et quasi colligant, hique rorulenti a rupe illico in aquam resolvuntur, qui ex variis locis in unum confluentes rivum, ac tandem torrentem, mox plurium influxu adaucti fluvium efficiunt.

Secunda, esse statas nives et pluvias.

Secunda fluminum causa, sunt pluviæ et nives: pluviæ enim in hieme crebræ et copiosæ magnam aquarum vim depluunt, quæ in cavernis montium amplis et multis collecta, per angustos meatus et angusta fontium orificia sensim effluit, itaque continuationem fluminibus affert. Nives vero in Alpibus perpetuo solis calore per diem liquatæ, magnam aquarum vim fluminibus afferunt, adeo ut viri sapientes, inter quos fuit noster P. Leon. Lessius, censeant præcipuam fluminum causam esse hanc nivium continuam et ordinatam liquationem. Ingens enim et immanis vis nivium est in Alpibus, qui in longum latumque per plura centena milliaria extenduntur (sane ego cum sociis equitando per Alpes juxta Tridentum, vix per decem dies eas per latum secare et transgredi potui, cum quotidie conficerem 30 circiter milliaria); quare nives per noctem decidentes in Alpes, per diem vi solis liquatæ, continuos torrentes, et hi confluentes continua flumina efficiunt. Argumento est quod, dum sub hiemem ingentes sunt pluviæ, flumina excrescunt in duplum vel triplum, imo exundant, et late circumcirca restagnant, uti Romæ experimur in exundatione Tiberis. Idem fit, dum liquantur nives Alpium in martio; tunc enim Mosa, Rhenus, Onus, Mænus, Athesis cæterique fluvii, qui in Alpibus nascuntur, mirifice intumescunt et sæpe exundant; quare in hieme crescunt in duplum, in æstate decrescunt in duplum. Alpibus consimiles sunt Apennini, Taurus, Olympus, Ardenna aliique montes plurimi et vastissimi.

Verum hæc non videntur sufficere ad perennitatem tot tantorumque fluminum, quorum aliqui vastissimi sunt, et in latum ad viginti et plura milliaria extenduntur (qualis est fluvius quem Argenteum vocant in India), ut videantur non tam esse flumina, quam maria. Nulli enim vapores, nullæ nives et pluviæ ad perennem eorum cursum, tam amplum et vastum sufficere videntur: præsertim quia pluviæ per æstatem raræ sunt et modicæ. Adde plures fontes et flumina oriri in cacumine montium altissimorum, quibus nulli adjacent montes altiores, ubi tantæ cavitates et receptacula nivium et pluviarum esse nequeunt; alios vero oriri in imo vallium, ubi nulli sunt montes vicini, nullæ nives, nullæ cavernæ aquarum pluvialium, idque tanta aquarum copia, ut statim sint navigabiles. Hinc et putei multi sunt profundissimi, in quorum fundo ex imis terræ venis scaturiunt aquæ vivæ, quæ perennem puteis suggerunt aquam. Denique Scriptura hoc loco, et *Genes.* I, 9, et alibi, aliam magis universalem, magisque adæquatam fontium et fluminum causam assignare videtur.

Tertia, esse mare.

Tertia causa ergo plena et adæquata est hæc: matrix fontium, fluminum aliarumque aquarum est mare. Quod ut intelligatur, notandum est *primo*, Deum prima die creationis aquæ et mundi, aut potius die tertia, qua secrevit aquas a terra, produxisse sub terra ingentes quasdam voragines sive receptacula aquarum, quæ Scriptura « abyssum, » Philosophi *barathrum* vocant, noster Interpres *Deuter.* XXXIII, 13, vocat *abyssum subjacentem*, ubi Hebraice est, *abyssus cubans inferior.*

Aqua terræ immixta quatuor de causis.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Fecit autem id Deus hoc usu et fine, *primo*, ut immensam vim aquarum quæ initio mundi terram operiebat, partim in illa reconderet, partim in ipsis maris alveis collocaret, quos tunc temporis etiam fecit, et e terra excavavit, sed non tantos nec tam profundos, ut soli illi omnem istam aquarum vim et molem caperent; alveum enim maris multis in locis valde modicum, parumque profundum experiuntur nautæ. *Secundo*, id fecit, ait Philosophus, lib. *De Opificio mundi*, ut terram, ne siccitate fatisceret, humore aquæ rigaret, contineret et coagularet. *Tertio*, ut ex terra aqueo humore perfusa, metalla et lapides coalescerent. *Quarto*, ad plantarum, herbarum et stirpium, item fluminum, fontium, omnisque aquæ tam fontanæ quam putealis productionem. Lege S. Basilium, homil. 4 *Hexam.*, S. Ambrosium, lib. II et III, Theodoretum, serm. 8 *De Providentia*, ac Senecam, lib. IV *De Beneficiis*, cap. V et 6.

Aqua est quasi

Notandum *secundo*: Sicut terra est mater viventium et mixtorum terrestrium, sic mare est mater aquatilium, puta tot generis piscium, ostreorum, concharum, etc. Igitur sicut in matris

Sanguis terræ. et cujuslibet hominis corpore magna sanguinis copia est in hepate et corde, atque inde per plurimas venas in singula membra totumque corpus dispergitur : simili plane modo, ait Seneca, lib. III *Natur. Quæst.* cap. XV, ingentes illæ cavitates, sive voragines sub terra aquis refertæ, sunt terræ quasi hepar, ex quibus aquæ per occultos meatus et cuniculos quasi per venas, per omnes terræ partes, totumque orbem disperguntur, ac certis locis in fontes et flumina, vel in genesi mundi vel posterioribus sæculis facta via erumpunt. Hoc enim est opus providentiæ Dei, qui ad terræ usus jam dictos, ubique gentium certis locis fontes et flumina immiscuit et inspersit, perinde ac iisdem ventos statis locis et temporibus impertiit et distribuit. Hinc illæ phrases : « Terra suas habet venas : vena aquarum viventium : vena sulphuris, argenti vivi, auri, aurichalci, » etc. Terra enim est quasi animal quoddam quatuor humoribus apte distributis constans, sicut vicissim homo est instar terræ, adeoque microcosmus. Ita Seneca, lib. III *Natur. Quæst.* cap. XV, et Plutarchus in *Vita Pauli Æmilii.*

Origo fluminum est abyssus. Igitur assero matricem aquarum esse abyssum, id est, mare tum patens et publicum, tum latens et reconditum in cavernis, specubus venisque terræ. Hæc enim est abyssus initio mundi a Deo condita, quam primitus aqua primogenia, ideoque dulci, implevit Deus, qua effluente per varias cavernas et venas versus origines fluminum, ejus loco aqua e mari subintravit, et continuo subintrat : atque hac ratione semper ex abysso hac, sive barathro fluminibus et fontibus aqua subministratur. Hinc omnia maria, adeoque mare Caspium, quod terra interjacens a reliquo mari dispescuit, per subterraneos meatus Oceano jungi, illique ceu matrici cohærere Geographi, ut Plinius, Strabo, Dionysius Mela, non dubiis indiciis deprehenderunt ; præsertim ex eo quod plura ingentia flumina in illud influant, ipsum tamen cum sit modicum non redundet, quia scilicet eadem per subterraneos meatus ex illo in Oceanum defluunt. Oceanus ergo est matrix omnium fluminum et fontium, id est omnium aquarum vivarum et fluentium.

Prob. primo. Id ita esse probatur *primo,* quia hic est planus et obvius sensus hujus loci, uti passim Interpretes docent. Idem innuitur *Eccli.* cap. XXIV, 39 : « A mari, inquit, abundavit cogitatio ejus, et consilium illius ab abysso magna. Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio. Ego quasi fluvii Dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. » Et cap. XL, 11 : « Omnia quæ de terra sunt in terram convertentur, et omnes aquæ in mare revertentur. » Et *Genes.* I, 9 : « Dixit Deus : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida : Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. » Unus enim locus sunt mare cum sua abysso, sive cavitate subterranea. Et *Psalm.* XXXII, 7 : « Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. »

Secundo. *Secundo,* quia id necessario dicendum est de fluvio paradisi, qui in quatuor ingentia flumina dividebatur : necdum enim pluerat Deus super terram, ut ex pluvia vel vapore progigni posset, *Genes.* II, 10, ut recte ibi observavit Rupertus. Ex mari ergo illa eduxit Deus. Idem a pari vel simili dicendum videtur de reliquis terræ fontibus et fluminibus, saltem præcipuis et majoribus. Sicut enim Deus tertio mundi die terram ornavit montibus, arboribus, plantis, herbis cæterisque seminibus : sic et eamdem, æque ac mare, ornavit fontibus et fluminibus ex abysso marina prodeuntibus, ad irrigandum et fovendum arbores, plantas, herbas et germina a se producta, ut flores et fructus germinarent, idque plane significat Scriptura, *Genes.* II, 4, 5 et 6 : « Istæ, inquit, sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt in die quo fecit Dominus cœlum et terram ; et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra ; omnemque terram regionis, priusquam germinaret : non enim pluerat Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram ; sed fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ. » Et Ecclesiasticus, cap. XXIV, 39, verbis paulo ante citatis. Rursum, *Genes.* VI, 11, dicuntur « rupti omnes fontes abyssi magnæ, » id est barathri jam dicti, ad inducendum terræ universale diluvium ; ad hoc enim non suffecit sola pluvia quadraginta dierum.

Tertio. *Tertio,* quia alia ratio adæquata, cur mare ex tot fluminibus non redundet, dari nequit, nisi illa quam dat hic Sapiens, scilicet quod quantum aquarum ex fluminibus in mare influit, tantumdem effluit in abyssum ; nam causa quam dat Aristoteles, scilicet mare esse vastissimum, ideoque flumina illi parum addere, ac statim evaporari, non satisfacit. Plurima enim et maxima flumina assidue in mare gurgites suos effundunt : quare uno anno, uno mense, imo una hebdomada, continuo suo fluxu in tam vasto aquarum gurgite, quem in mare jugiter effundunt, multa maria efficerent, cum videamus vapores in aere et mari sæpe esse exiguos vel nullos ; nec terram quæ magis quam aqua evaporat, quidquam ex sua quantitate deperdere. Certe tot tantorumque fluminum per tot annos, imo per tot sæcula et annorum millia assiduus in mare illapsus, abyssum efficerent, ipsumque mare superarent. Cur ergo mare non intumescit supra omnes colles et montes ? Sane Pontus augescit amnium accessu, eaque de causa se exonerat in Propontidem, teste Plinio, lib. II, cap. LXXIX. Causa ergo cur mare ex tot fluminibus non redundet, est, quia una ejus pars abit in vapores et nubes, quæ in pluvias et nives resolutæ ad capita fontium et fluminum confluunt, et rivos efficiunt ; alia vero ejus pars partim abit in lacus et flumina quæ ex mari orium-

tur, ipsoque sunt demissiora; partim effluit in cavitates subterraneas, ex quibus per venas plurimas, et per omnes terræ partes dispersas, et diffusas vel immediate, vel mediate ad capita fontium et fluminum confluit, ibique aquis pluvialibus, nivalibus ac vaporalibus, id est iis quæ ex nive, vel aere et vapore in aquas convertuntur, commixta, rivos efficit: hæ enim ejus venæ jam dictæ magnæ sunt et plurimæ; quare magnam aquarum vim convehunt, quæ, dum in unum alveum confluit, rivos et torrentes, atque ex eorum confluxu flumina ingentia efficit, perinde ac in homine sanguis in hepate copiosus, per venas plurimas toti corpori inspersas, in omnes corporis partes dispergitur; ac si venam unam incidas, eo undequaque confluit, et magna copia effluit, ut totus in pelvim defluens, illam impleat. Porro flumina plura mari esse demissiora, ex illoque oriri liquet ex Geographia et Geographis. Imo Plinius, lib. cap. CIII: « Subeunt terræ, inquit, rursusque redduntur Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia; et quæ in Æsculapii fonte Athenis immersa sunt, in Phalerico redduntur; et in Atinate Campo fluvius mersus, post viginti millia passuum exit, et in Aquiliensi Timavus. » Addit quid miri de Alphæo fluvio, qui in Elide sub mari labitur, et intactus emergit in Arethusa Siciliæ flumine.

Quarto. *Quarto*, alia quoque causa perennitatis tot fontium et fluminum dari nequit, quæ menti satisfaciat. Rursus, cur omnibus pene locis si fodias, inventurus sis aquam, eamque subinde loco profundissimo, quo nec pluvia nec vapor hic noster pertingunt, alia causa dari nequit, quam quod Deus mundi provisor et aquilex, aquas per venas in omnes mundi partes distribuerit: ubique ergo sunt venæ aquarum in terra, sicut in corpore ubique sunt venæ sanguinis. Et sicut hæ venæ connectuntur in hepate, indeque sugunt sanguinem: sic venæ aquarum prodeunt a mari, indeque sugunt aquas quæ e montibus erumpentes faciunt fontes, qui in valles confluentes, ibique coeuntes, faciunt rivos et flumina. Hanc quoque causam innuit hic Sapiens. Huc faciunt cavernæ, quas in montibus plurimas et maximas esse constat experientia, scilicet ad excipiendum hasce aquas, quæ in scaturigines defluant, ibique fontes et flumina efficiant.

Quinto. *Quinto*, id ipsum liquet ex sympathia multorum fluminum, quæ minus a mari distant, vel minus terra percolantur: quædam enim salsa sunt ut mare; quædam æstum maris æmulantur, ut unum in Gadibus, alterum Burdegalæ, tertium Antuerpiæ.

Texto. *Sexto*, favet experientia: nam tempore belli Mithridatici apud Apameam Phrygiæ urbem, quæ tamen longe distat a mari, novos lacus et fontes emersisse scribit Nicolaus Damascenus, et ex iis fluvium unum salsum, qui magnam ostrearum et marinorum piscium copiam effudit. Prodibat ergo ex mari per cavitates subterraneas. Rursum Asclepiadorus narrat legatos missos a Philippo Macedone, ad scrutandum thesauros et venas auri, per subterraneam specum multis diebus deambulasse, vidisseque ingentes fluvios, et immania aquarum inertium receptacula. Alias ex hoc barathro aquarum inundationes Valentiæ et alibi factas narrant nostri Conimbricenses in *Meteora*, tract. 9, cap. IV.

Septimo. Denique hæc est expressa sententia S. Hieronymi, S. Basilii, Theodoreti, Platonis, Senecæ, Ruperti, Hugonis Victorini, quorum verba paulo ante recitavi; item Tertulliani, *Contra Hermogen.*, Salonii et Albini in hunc locum, Procopii, S. Augustini, Bedæ in *Gen.* II, 5, S. Gregorii, lib. XXX *Moral.* II; Damasceni, lib. II *De Fide*, cap. IX; Isidori, III *Orig.* XX; Plinii, lib. II, cap. LXV; Philonis, lib. *De Mundi opificio;* Magistri Sent. in II, dist. 14, in fin.; S. Thomæ, in II, dist. 17, *Quæst.* III, art. 2, ad 4, et I part. *Quæst.* LXIX, art. 1, ad 2, 3 et 4; S. Bernardi, serm. 13 *in Cant.*, initio; Alberti in II *Meteor.* tract. 2, cap. XI; Dionysii in cap. VIII *Proverb.*; Valesii, *S. Philos.* cap. LXIII; Conimbricensium, loc. citat.; Pinedæ et Lorini hic; Francisci Suarez, lib. II *De Opere sex dierum*, cap. VI, in fine; imo Aristoteles, I *Meteor.* XIII, ait hanc esse communem sententiam veterum Philosophorum. Hinc Homerus, *Iliad.* XIV et XXI, Oceanum vocat « fluviorum et rerum omnium principium, imo Deorum parentem. » Strabo, lib. I, eumdem vocat « terræ coronam; » alii, « zonam et cingulum orbis; » alii, « mammam viventium. » Audi Philonem, lib. *De Mundi opif.*: « Liquet necessario humidam essentiam partem esse terræ omnia parientis, sicut mulieres opus habent menstruis; cuilibet etiam matri tanquam partem summe necessariam, natura scaturientes mammas addidit, præparans alimenta nascituris infantibus. Mater autem etiam terra esse videtur; quapropter et priscis illis placuit, ut vocaretur δημήτηρ, composito ex matre et terra nomine: non enim terra mulierem, ut dixit Plato, sed mulier terram imitatur. Merito igitur terræ antiquissimæ matrum ac fecundissimæ natura tanquam mammas dedit amnium fluenta fontiumque ut stirpes rigentur, et omnia animalia potum copiosum habeant. »

Objectio. Objicit Aristoteles contra hoc Platonis barathrum: Altior est origo fluminum, quam sit ipsum mare, quia flumina in mare velut inferius defluunt et descendunt: ergo fieri nequit ut ex mari rursum aquæ sursum ascendant ad originem fontium et fluminum. Hoc est enim contra naturam juxta illud: « Sursum flumina. » Unde causa cur per artem non possint fieri fontes perpetui est, quod aqua altius sua origine ascendere nequeat.

Respondetur: Eadem difficultas est in Aristotelis et aliorum omnium sententiis. Nam quidam fontes oriuntur in summis altissimorum montium

cacuminibus, quovis mari et terra altioribus, ut necesse sit aquam eo ascendere ex sua origine vel matrice, quæcumque illa assignetur; quædam tamen flumina quæ proxime et publice ex mari oriuntur, ipso mari sunt humiliora.

Resp. primo. Igitur Julius Scaliger, *exercit.* 46, respondet aquam esse extra locum suum naturalem, eo quod aeris locum occupet : aqua ergo superior, inquit, premit inferiorem, cupiens redire ad locum sibi debitum, ac premendo illam exprimit, facitque ut pressa exsiliat in montibus per fontes et flumina. Cum enim ex prima Dei creatione aqua deberet terram totam operire, deinde ob habitationem animalium pars terræ liberata sit aqua, hinc illa aqua accumulari debet alteri aquæ, et attolli occupareque locum aeris, ita ut ibi sit aqua extra naturalem locum : quare suo pondere incubat aquæ illi quæ est in cavernis, ut locum suum naturalem recipiat; aqua autem in cavernis compressa, per canales quasi tubos a Deo factos, in montibus erumpit altius quam sit mare premens, quia pondus maris majus est, quia cogit aquam erumpere per canales arctos, cum alius erumpendi non sit locus. Sic enim videmus in aquæductibus magnis, si canales arctentur, ut totam aquam simul effundere nequeant, impetu aquarum affluentium aquam protrusam, e canalibus solito altius exsilire. Huc accedunt Doctores nonnulli, qui opinantur aquam esse altiorem terra, atque aliud a terra habere centrum, ideoque altius in terra exsurgere.

Huc quoque pertinent nonnulli Patrum, qui censent aquam terra sublimiorem, ideoque illam vi divina quasi freno per miraculum perpetuum contineri, ne terram obruat; ac ne id faciat, arenam velut compedes illi injici et objici a Deo. Ita opinantur S. Basilius, hom. 4 *Hexam.*, S. Chrysostomus in *Catena Job*, Theodoretus in *Psal.* CIII, S. Ambrosius, lib. III *Hexam.* cap. II et III, S. Thomas, loc. jam citat. Eadem fuit sententia Lucretii et Ciceronis, lib. II *De Nat. Deor.* Verum idipsum confutant Mathematici, Philosophi et Theologi, qui docent aquam non esse altiorem terra, sed cum ea unum efficere globum, ideoque unum cum ea habere centrum. Ita Clavius in cap. I *Sphæræ*, Pererius, lib. I *in Genes.*, Molina et Valentia in *Opere* 3 *diei*, Conimbricenses, lib. III *De Cœlo*, Quæst. IV, et alii passim.

Causa cur aqua sursum ascendat. Vera ergo responsio et causa, cur aqua e mari sursum ad origines fontium surrepat et ascendat, est Dei voluntas, ordinatio et provida distributio, qui, ut dixi, aquam per omnia loca supera et infera ita distribuit, et dispertit ad usus terræ hominumque et animalium necessarios vel commodos (sicut aquileges et aquarum mensores aquas per canales et fontes distribuunt in urbes, agros et hortos), perinde ac sanguinem distribuit in corpore humano. Sicut enim hepar sanguinem natura sua gravem et deorsum vergentem, naturaliter vi animæ distribuit non tantum deorsum in femora, tibias et pedes, sed etiam sursum in pectus, collum et caput : sic pariter mare naturaliter virtute a Deo sibi indita, aquas per venas et meatus dispertit in omnes partes terræ, superas æque ac inferas. Locus enim naturalis cuique est is quem illi assignat Deus, ait D. Thomas. Et quid mirum aquam ascendere supra montes, cum primitus ascenderit supra cœlos, ibique adhuc consistat? firmamentum enim dividit aquas superas ab inferis, *Gen.* I, 6. Accedit quod montes sint e terra terrei, ac proinde maris locus naturaliter exigat iis esse superior, ut eos sibi subjiciat. Terra enim imum poscit locum, aqua secundum, aer tertium : hinc aquæ initio mundi operuerunt totam terram; quare hic aquæ ascensus non est violentus, sed naturalis, tum quia fit a Deo auctore naturæ; tum quia aqua poscit esse supra terram, cujus pars sunt montes; tum quia hic aquæ ascensus fit ob bonum universi, ad quod omnes ejus partes inclinant, consequenter et aqua quæ una est universi pars; tum denique quia aqua e mari per venas toti terræ singulisque ejus partibus superis et inferis, eo modo se impertit et inspergit, sicut sanguis ex hepate per venas in omnia membra supera et infera sese infundit et communicat per mutuam membrorum unionem et sympathiam.

Modus quo aqua ascendit. Primo. At qua arte et modo Deus facit aquas ascendere ad origines fontium? Varii varios modos assignant: *primo*, nonnulli probabiliter censent aquam ascendere terræ exsuctu, et venarum spongiosarum attractione, sicut videmus aridam spongiam humorem ex vase suo suctu ad partes superiores attrahere, ac pannum in dolium immissum sensim illud evacuare. Si enim ex alto linea vel lanea fascia pendeat in vas aquæ, aliove humore plenum, ima fasciæ pars ex vase suget aquam, et ex ima suget altera illa proxima pars, et ex hac altera illi vicina, et ita deinceps; eoque modo sensim aqua sursum proserpit et ascendit, donec ad summum fasciæ conscendat, ubi illam reflexam et deorsum vergentem sequens distillet in terram, itaque omnem ex vase aquam educat, et in terram stillando demittat. Addit Lyranus aquas maris terra percolatas fieri leviores, et altius posse ascendere, quam sit maris altitudo. Adjungit Albertus aquam in terræ venis calefactam evaporare, itaque per vapores sursum ascendere ad capita fontium, ibique vapores vi frigoris in aquam resolvi, ac fontes efficere. Sic venæ suo suctu trahunt sanguinem ex hepate sursum ad pectus et caput. Hac de causa Deus fecit varias in terra cavitates spongiosas, ideoque aquarum attractivas, quæ gradatim usque ad summos montes aquam e mari sugant quasi per siphones, ait Plinius; dico quasi, quia in siphonibus nasus, et, ut ita dicam, proboscis, hoc est, fistula exterior prominens ex qua aqua in terram defluit, debet esse longior et demissior fistula interiore, quæ ex vase aquam sugit; si enim exterior non

sit longior, interior non suget aquam. In montibus autem orificium fontium non est demissius, sed altius mari, ex quo aquam sugit. Quare in hoc a siphonibus fontes discrepant. Causa est, quod in siphonibus, in fistulam exteriorem, per quam suctu attrahitur aqua ex vase, nisi sit longior, aer subintret, itaque impediat vacuum in fistula; ad quod impediendum si longior sit, ascendit aqua, cum aer illam ingredi, ejusque vacuum impedire nequeat. Secus est in venis aquarum tam latis et vastis in terra et montibus. Sic ergo aquæ e cavernis terræ sursum transmittuntur, et non tantum usque ad maris libramenta, sed etiam usque in altissimos montes distributim penetrant et assurgunt. Igitur sicut Deus indidit magneti vim attrahendi ferrum : sic in terræ venis est vis attractoria aquarum, et quasi magnetica.

Discrimen siphonum et fontium.

Secundo. *Secundo,* alii censent aquam ex barathro sursum ascendere ad caput fontium vi flatuum subterraneorum, ventorum et spirituum in terra inclusorum. Sic enim mare ventis agitatum subinde altissime intumescit, et fluctus ad sidera tollit. Quid ergo mirum, si ad capita fontium eodem suo æstu agitatum aquas per canales elevet? Ita S. Basilius, S.. Hieronymus, Plato, Plinius, Valesius et Pineda. Audi Plinium, lib, II, cap. LXV, qui ex Græcis geometrica subtilitate sic colligit : « Ergo totas, omnique ex parte aquas vergere in centrum, ideoque non decidere, quoniam in interiora nitantur, quod ita formasse artifex naturæ debet; ut cum terra arida et sicca constare per se ac sine humore non posset, nec rursus stare aqua, nisi sustinente terra mutuo implexu jungerentur, hac sinus pandente, illa vero permeante totam intra, extra, supra, venis ut vinculis discurrentibus, atque etiam in summis jugis erumpente, quo spiritu acta, et terræ pondere expressa siphonum modo emicat, tantumque a periculo decidendi abest, ut summa quæque et altissima exsiliat. » Qua ratione manifestum est quare tot fluminum quotidiano accessu maria non crescant.

Tertio. *Tertio,* alii hunc ascensum tribuunt cœlo et sideribus; sic enim luna causat æstum maris. Ita D. Thomas.

Quarto. Insuper alii plures sunt modi elevandi aquam, ut patet in antliis, et in machina Tisibica, per quam in vasis conclusis aere plenis, si aliunde aqua per foramen infundatur, videmus aerem aquas in alio vase sibi superpositas sursum ejaculari, ut sibi locum quærat, et in aquarum locum subintret.

Denique hic aquarum ascensus, et per totam terram æqua distributio, sicut et ventorum, pluviarum, fulminum, grandinis, nivis, etc., stata generatio, et per singulas provincias divisio, est opus peculiare divinæ providentiæ, ait Theodoretus, serm. 2 *De Providentia,* toti universo de aqua, salubritate et fecunditate providentis, admiratione magis, contemplatione et gratiarum actione venerandum, quam nimis exacta et curiosa disquisitione scrutandum, ut subjungit *Eccle.* cap. V, 8, et VII, 24; Dei enim sapientia et providentia est, quæ *Prov.* VIII, 28, ait se ab initio libasse fontes aquarum, vel, ut Hebraice est, *fontes abyssi,* ita scilicet aquas elevans ac suspendens, tum in nubibus, tum maxime in matrice fontium abysso, uti ipsa loquitur, ut nunquam fontium et fluminum cursus sistatur, quibus velut uberibus terra quasi mater animantia omnia potet, iisque alimenta præbeat, ait Philo lib. *De Mundi opif.* Huc facit illud *Psal.* CIII, 6 : « Super montes stabunt aquæ; » Chaldæus, *erumpent super montes stagna aquarum.*

Objicies *secundo* : Aqua fontium et fluminum ab aqua marina plurimum differt, tum dulcedine, tum colore, tum levitate, tum aliis qualitatibus; ergo non videtur esse eadem, nec ab illa prodire. Objectio secunda.

Respondeo *primo* : In genesi et creatione mundi, una ab alia non differebat; omnium enim eadem erat aqua, eaque dulcis; alioquin enim sua salsedine terram, quam operiebat, fecisset siccam, sterilem et adustam; die ergo tertia mundi, qua secreta est aqua a terra, et deducta in suos alveos et cavitates, factaque est mare, ac maris nomen accepit, effecta est salsa, idque ob hosce fines, scilicet *primo,* ne semper stando nec fluendo (uti stat mare) putresceret; *secundo,* ad connaturalem piscium qui ex mari nascuntur, generationem et nutritionem; *tertio,* ad faciliorem navigationem : aqua enim marina, quia salsa, gravior est aqua dulci, ideoque facilius fert et sustentat naves, earumque onera ingentia. Ita Conimbricenses, tract. 10 *in Meteora,* cap. IX. Mansit tamen aqua dulcis, quæ primitus fuerat in fontibus, fluminibus et sinibus subterraneis, eaque per suas venas in varias terræ regiones diffluente, marina salsa illi succedit, quæ pari modo per varios terræ meatus et anfractus percolata, fit dulcis, ut docet Aristoteles, levis, ac alterius a mari coloris et qualitatis, maxime cum per mineralia sulphuris, ferri, æris, auri, vitrioli, etc., labitur, quorum virtutes imbibit et contrahit, ideoque medicinalis efficitur, ut patet in fontibus Spadanis, thermis Aquensibus, cæterisque similibus, qui proinde tam inter se, quam a mari multis qualitatibus differunt et discrepant. Resp. primo.

Symbolice rursum, perennis hic fluminum in mare decursus significat perennem debere esse hominis beneficentiam. Habet hac de re appositum Danubii et maris apologum, multis rerum parabolis fecundum, Cyrillus, lib. III *Apolog. Moral.* cap. XXIII, cui titulus : *Quomodo beneficium liberalis debeat esse perpetuum* : « Semper inundanti Danubio, ait, sic locutum est æquor : Quando tuæ manationis impetus cessabit? quando terminabitur influxus? quousque latices dabis? At ille paululum indignatus respondit : Profecto loqueris sicut mare; quia omnia flumina insatiabiliter Apologus pro fusa liberalitatis.

recipis, nec tamen juste crevisti. Nimirum tunc liberalitatis meæ cessabit influxus, cum insatiabilitatis tuæ terminabitur appetitus. Non enim minor est valetudo virtutis, quam defectio vitiositatis; et propter hoc, sicut cupiditati nihil satis est, ita liberalitatis nullus est finis. Responde mihi quomodo, ex quo, propter quod, et quid tribuat liberalis. Nonne ex inclinatione virtutis hoc præstat, ratione delectationis se totum communicat? Quoniam virtus, quemadmodum natura illam inclinat, semper peragit, nec unquam existit otiosa. Unde semper humilis inclinatus, justus est, innocens, rectus, misericors, prudens, pius, liberalis, beneficus et profusus. Similiter verus amor sine fine est. Charitas enim nunquam excidit, et qui amicus est perpetuo diligit, nunquam a dilectione retrahitur, nisi dilectio finiatur. Operatur enim amor magna, si est; sin autem desinit operari, amor non est. » Deinde modum docet, quo quisque etiam pauper possit semper esse liberalis : « Attamen nunquam deficit beneficium liberali ad dandum, cum sit virtute et amore ditissimus. Nempe si pecunia deficit, adest lingua : si deest census, adest manus. Si est cellarium vacuum, non est consilium diminutum. Nunquam siquidem desunt virtuti divitiæ. Non ergo deficiat virtuosa voluntas, quia non deerit fructuosa facultas. » Denique exemplo naturæ, cœli et solis idipsum confirmat : « Attende, quæso, quam sint perpetuæ emanationes beneficiorum liberalis naturæ. Nonne cœlum vitales virtutes semper inferioribus influit? Sol perpetuo lumen effundit, et semper gratissima tellus pascua gignit; et donec vixerit cor, membra singula calefacit, hepar nutrit, cerebrum animat? Igitur liberalis beneficii perpetuus est influxus. Quibus dictis, magis Danubius redundavit. »

Ejus modus.

Exempla.

Mystice, mare plenissimum et immensum sapientiæ, virtutum et gratiarum omnium est Deus et Christus. Unde ipse ait, *Joan.* VII, 38 : « Qui credit in me, etc., flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Item B. Virgo Maria. Unde S. Bonaventura, *De Laud. Virginis,* cap. VII : « Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat, » sic mystice exponit : « Sicut in mari aquarum, ita in Maria sunt congregationes gratiarum. » Insuper mare est sapientia, uti ipsa ait *Eccli.* XXIV, 39. Vide ibi dicta.

Mystice mare est Christus et B. Virgo.

Porro fontes et flumina sunt prædicatores et doctores, imo quilibet justi et sancti, quin et peccatores, qui per orationem, gratiarum actionem aut pœnitentiam ad Deum omnis boni fontem in omnibus recurrunt, ut novum lumen et gratiam impetrent. Unde S. Thomas, in cap. 1 *ad Rom.* lect. 5 : Redeunt, inquit, flumina, id est beneficia per gratitudinem ad suum principium unde exierunt, puta ad datorem Deum; itaque iterum fluunt, quia gratitudo de datis provocat liberalitatem Dei ad nova danda. Nam, ut ait S. Chrysostomus, homil. 26 *in Matth.* : « Optima beneficiorum custos est memoria beneficiorum, et perpetua gratiarum confessio. » Et iterum idem, homil. 2 *ad Populum Antiochenum,* « gratiarum actionem » vocat, « magnum thesaurum, inconsumptum bonum, » quasi diceret, « perennia fluenta. » Secus namque flumini non revertenti exaresceret mare : ingratis etiam exarescit Deus. Quippe, ut S. Bernardus ait : « Ingratitudo est ventus urens, siccans fontem pietatis, roremque misericordiæ, fluenta gratiæ. » Et iterum : « Vias (et occultos) gratiæ canales obstruit; » quod ex Augustino in *Soliloq.* cap. XVIII transcripsit.

Gratiæ recurrunt ad datorem Deum.

Sane flumina plus reddunt mari, quam nos reddamus Deo; illi enim rem ipsam reddunt, nos tantum verba et verbalem gratiarum actionem. Imitemur ergo flumina in velocissimo ad mare cursu, ut incitatissimo cordis affectu, si non operum affectu, ad Deum per amorem, confessionem et laudem recurramus. Audi S. Bernardum, serm. 13 *in Cant.* initio : « Origo fontium et fluminum omnium mare est, virtutum et scientiarum Jesus Christus Dominus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est rex gloriæ? Sed et juxta Annæ canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ, inde sapientiæ sermo. Thesauri siquidem sapientiæ et scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Quid? casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt? Quod si copiæ aquarum secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad visus ususque nostros jugi et insatiabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, et sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur. Qualiter inquis? qualiter dicit Apostolus : In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, et Dei sapientiæ deputa Christo. »

Rursum S. Gregorius, III *Moral.* cap. II, vel juxta aliam editionem IV, per mare accipit vitam contemplativam, ad quam flumina, id est prædicatores cæterique sancti, qui vitam activam agunt, sæpe recurrant oportet, ut ex ea vim agendi sugant et hauriant; flumina, inquit, sunt fulgura; de quibus Job ait, cap. XXVIII : « Numquid mittes fulgura, et ibunt; et revertentia dicent tibi : Adsumus; quia post opera exteriora quæ sancti peragunt, semper ad sinum contemplationis recurrunt, ut illic ardoris sui flammam reficiant, et quasi ex tactu supernæ claritatis ignoscant, etc. Ad locum ergo de quo exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant; ipsi quippe illic flumina; qui hic fulgura sunt vocati : quia enim corda au-

dientium rigant, dicuntur flumina; quia vero accendunt, fulgura vocantur. De quibus alias scriptum est : Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina voces suas. Et rursum : Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. Ad locum ergo de quo exeunt flumina revertuntur, quia sancti viri, etsi a conspectu Creatoris sui, cujus claritatem mente conspicere conantur, foras propter nos ad activæ vitæ ministerium veniunt, incessanter tamen ad sanctum contemplationis studium recurrunt; et si in prædicatione sua exterius nostris auribus per corporalia verba se fundant, mente tamen tacita ad considerandum semper ipsum fontem luminis revertuntur. »

Eleganter et nervose S. Bernardus *ad Fratres de monte Dei* : « Otiosum non est, inquit, vacare Deo, imo omnium negotiorum negotium, quoniam ex hoc vires perveniunt ad negotium; » et qui scit prudenter ad tempus quiescere, sciet postea strenue et utiliter laborare.

Vers. 8. 8. CUNCTÆ RES DIFFICILES : NON POTEST HOMO EAS EXPLICARE SERMONE. NON SATURATUR OCULUS VISU, NEC AURIS IMPLETUR AUDITU. — Septuaginta, *omnes sermones graves; non poterit vir loqui : et non satiatur oculus videndo, et non impletur auris ex auditu*; Syrus, *omnes responsiones sunt laboriosæ; non satiabitur vir ad loquendum, neque saturabitur oculus ad videndum, neque impletur auris ad audiendum*; Arabicus, *sermones omnes sunt divisi, non potest nisi loqui; et oculus non satiatur visu, et auris non impletur auditu;* alii, *non satiatur oculus videndo, nec auris impletur audiendo* (1).

Pro *cunctæ res difficiles* hebraice est, *omnes sermones* יגעים *iegeim*; Septuaginta ἔγκοποι, id est laboriosi, graves, difficiles; Interpres Nysseni, *laborantes*. Minus recte Complutenses et Regii legunt ἔγκωποι, per ω, vertuntque, *implicati* : nam ἔγκωπος, per ω, Græcis inusitatum et Lexicographis incognitum est; Symmachus κοπώδεις, id est operosi, molesti; Aquila, κοπιῶσιν, id est *laborem afferunt;* alii, *pleni laboris, lassitudine deficientes, vexati, fatigati.*

Expositio prima. *Primo*, multi hanc gnomen exponunt de scientiis, *q. d.* Omnes scientiæ tam philosophicæ et naturales, quam theologicæ et supernaturales, quæ sermone doctoris docentur et discipulis explicantur, sunt difficiles et laboriosæ. Laborat enim doctor ut eas apposite ad captum discipulorum eloquatur; laborat et discipulus, ut eas hauriat et capiat, utque conceptum suum conceptui doctoris conformet et adæquet. Hunc laborem experiuntur nostrarum scholarum magistri, æque ac discipuli. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Salonius, Lyranus, Hugo, Cajetanus et alii.

Ex adverso S. Gregorius Thaumaturgus censet hic hominum dicta et facta opponi gyrationi fluminum, ventorum et solis : quod hæc sit stabilis et hominum vitæ perutilis, illa vero instabilia sint et inutilia. Unde sic vertit : « Sol, venti, flumina suos non egrediuntur fines, nec a suis aberrant legibus; at vero quæ ab hominibus elucubrata, sive verba, sive opera, mensuram modumque nesciunt. Quam frequens enim sermonum stultæque nugacitati farrago? citra omnem tamen commoditatem. Verumtamen ita se habet hominum genus, audiendo narrandoque fabulas, et rerum elabentium, quamvis in certis, aspectibus expleri nequit. »

Rursum, Chaldæus hanc gnomen limitat ad prophetias et prænotiones futurorum; hæ enim sunt obscuræ et difficiles. Unde sic vertit, *in omnibus verbis, quæ parata sunt ut fiant in sæculo, defatigati sunt Prophetæ antiqui, et non potuerunt invenire fines eorum : verum utique non est facultas viro, ut loquatur quod venturum est post se; et non potest oculus videre omne id quod futurum est, ut accidat in mundo; et non potest auris impleri audiendo verba omnium incolarum terræ.*

Secunda. *Secundo*, sermones accipi possunt pro rebus quæ sermone explicantur, per usitatam Hebræis metonymiam, uti accepit Noster; unde vertas, *cunctæ res sunt laboriosæ*, id est laborant, defatigant se, suspirant et quasi gemunt; יגע *iaga* enim significat laborare cum anhelitu, defatigari, suspirare, gemere, ut sensus sit, *q. d.* Sicut sol, flumina, venti jam recensiti, sic et cæteræ res omnes assidue moventur, agitantur, laborant ac præ labore videntur delassari, suspirare et gemere, adeo ut hunc eorum laborem et gemitum homo non possit condigne et plene verbis explicare. Considera enim laborem quem subeunt boves, equi, asini, cameli, cæteraque animalia et jumenta in arando, onera portando, currum trahendo, currendo, certando, pugnando, etc., atque videbis omnia sub onere sæpe suspirare ac gemere, ac subinde considere et exanimari. Hoc est quod ait Apostolus, *Rom.* VIII, 20 : « Vanitati creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei; scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. » Ita noster Pineda.

Tertia et genuina. *Tertio* et genuine, labor hic rerum non proprius et passivus, sed improprius et activus accipitur, *q. d.* Cunctæ res sunt laboriosæ, id est, molestæ homini, quia eum defatigant, tum in earum acquisitione, possessione, usu et fruitione; tum in earum cognitione, quæ ex possessione et usu consequitur. Omnes enim res delassant hominem, ut

(1) Sed *omnia verba* quæ modo dixi, et quæ præterea afferre possim, ut res mundanas semper in eumdem orbem redire ostendam, *fessa*, languida sunt, parum valent; *nemo* enim *potest* ea *eloqui*, enarrare cunctas mundi res, quæ per omnes suas vicissitudines in orbem continuum redeunt; *non satiatur*, etc., id est, illarum rerum tanta est multitudo, ut in iis videndis et audiendis nunquam eo perveniamus, ut nobis nihil amplius videndum audiendumque restet. Alii : *Non satiatur oculus videndo*, etc., id est, novi quid videndum semper homo appetit, at non nisi vetera repetitaque conspicit.

eas capiat, possideat, utatur et gustet, itaque eas per experientiam cognoscat et intelligat; præsertim quia post magnum laborem, quo eas homo nanciscitur, illico abeunt vel pereunt, itaque modicum sui usum et gustum homini præbent, nec satiant ejus oculos intuitu, vel aures auditu. Sunt enim instar fulminis, quod in momento se ostendit et illico transit ac disparet. Unde Fonteius vertit :

> Res nostris pereunt oculis ac auribus omnes:
> Tamque cito fugiunt, ut nullas mente tenere
> Atque videre diu, vel in illis dicere quicquam
> Apposite certove queas, nec si sapis ausis.

Hinc Noster vertit, *cunctæ res difficiles*, scilicet tum ad possidendum et fruendum, tum ad cognoscendum; τὸ enim *difficiles* idem est quod laboriosæ, molestæ, avaræ, morosæ, ut ægre et modice sui copiam præbeant, ac vix visæ et gustatæ aufugiant. Tales enim sunt omnes res terrenæ. Sic Cicero senes difficiles vocat morosos et molestos. Et Comicus meretrices difficiles vocat avaras, quæ sui copiam non faciunt nisi magnis precibus et pretiis. Hanc enim artem emungendi pecunias callent, si se difficiles præbeant; quibus proinde persimiles sunt omnes cæteræ mundi illecebræ.

Sensus ergo est, *q. d.* Sol, venti, flumina in orbem eunt et abeunt, suisque gyris se implicant et involvunt : quare eos sistere et statis frui est impossibile; eosdem vero explicare et evolvere est perdifficile; perinde ac glomum filorum implicatum et intricatum explicare et extricare est difficile, etiam nendi peritis : sic difficile est explicare gyros fluminum, ventorum et solis per zodiacum, eorumque dare rationes et causas, cur scilicet in orbem eant et quotannis recurrant; cur fluminibus in mare intrantibus, illud tamen non redundet; cur venti in orbem eant, et nunc flent ab Oriente, nunc ab Occidente, nunc ab Aquilone, nunc a Meridie : sic cæteræ res omnes et captu et cognitu sunt difficiles. Unde *sermones*, ut est in Hebræo, vel *res*, ut vertit Noster, Olympiodorus transfert *rationes* : « Omnes, inquit, rationes difficiles. » Quis enim rationes et causas omnium rerum et mutationum assignet?

Ad scientiam enim et rerum cognitionem hæc proprie pertinere, patet ex τῷ *sermones laboriosi*, uti habent Hebræa, Septuaginta, Chaldæus, Syrus, Arabicus, et ex eo quod addit : « Non potest homo eas explicare sermone. » Et : « Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu. »

Præter vanitatem rerum ergo consistentem in earum perpetua agitatione, inconstantia et circulatione, aliam hic assignat in homine, quæ ex priori consequitur, scilicet, quod homo partim ex innata sibi cæcitate et ignorantia, partim ex rerum ipsarum instabilitate, non possit in eis figere mentis oculum, easque plene perspicere et intelligere. Ipsæ ergo sunt « difficiles, » id est asperæ, avaræ, sui copiam negantes, ut fugiant et prætervolent quamlibet avide contuentem oculis, et auribus auscultantem; quare in iis mentem figere et conquiescere nequit homo, utpote vanis et illico evanescentibus; sed bonum, verum, stabile et æternum, puta Deum, in quo plane conquiescat, quærat oportet. Homo enim quia animal est rationale, naturaliter appetit scire, ait Aristoteles, quare hominis, ut homo est, bonum et perfectio consistit in cognitione et scientia. Unde Herillus summum bonum constituebat in scientia, teste Lactantio, lib. III, cap. III. Verum quia hominis anima corpori misero immersa est, ideoque infima est in genere creaturarum spiritualium, ac per peccatum originale perdidit justitiam originalem, quæ non tantum gratiam conferebat, sed et naturam intellectumque perficiebat; hinc magna ei inest cæcitas, ignorantia et difficultas cognoscendi res tum naturales, tum multo magis supernaturales et divinas; quæ ingens ejus est vanitas et ærumna. Unde Socrates, teste Laertio in ejus Vita, dicebat « se hoc tantum scire quod nil sciret, et nostram cognitionem magis vocandam esse doctam ignorantiam quam perfectam scientiam; » quem secutus Nicolaus Cusanus Cardinalis tres libros scripsit de *docta Ignorantia*; quin et philosophi dicti Academici, sive Sceptici, negabant hominem de rebus posse habere certam scientiam, cum tantum habeant dubiam opinionem. Unde ille (Empedocles, si recte memini) dicebat nivem revera non esse albam, sed tantum homini videri albam.

Mystice, idque varie explicat Olympiodorus : Mystice, prima.
« Omnes rationes, inquit, tam quæ ad sæcularem, quam quæ ad divinam sapientiam pertinent, non sine labore tradi possunt; sæculares tamen ac mundanæ scientiæ plerumque discentibus detrimentum adducunt. Scientia vero Dei, ac divinus sermo semper est utilis; quem tamen non poterit homo pro dignitate explicare, licet alioquin prudens sit, nisi qui accepit donum doctrinæ, sapientiæque sermonem. Aliter : Semper fere divini Secunda.
verbi doctores laborant, atque in angustia sunt, ac plerumque ab ipsa doctrina retrahuntur, cum frustra se videant operam insumere, ac laborem solum lucrari ob auditorum inobedientiam aut desidiam. Prædicationis itaque officium deterret eos qui cum negligentia audiuntur. Aliter : Opor- Tertia.
tet prius facere, ac deinde alios docere. Labor est itaque non vulgaris atque exiguus, sed valde periculosus, quemquam alios ea docere, quæ prius ipse non fecerit. Quapropter homo perfectus ac prudens cum rei magnitudinem contemplatur, ab ipsa prædicatione resilit et retrahitur. » Et S. Hieronymus : « Notandum, ait, quod omnia verba sint gravia, et magno labore discantur, contra eos qui putant otiosis sibi et vota facientibus venire notitiam Scripturarum. » Hinc S. Basilius, *epist.* 68, confutat Eunomium dicentem se veritatem, imo Deum comprehendisse, proponens ei minutas quæstiones de natura formicæ,

indeque concludit : « Si vero scientia minutissimæ formicæ naturam necdum es assecutus, quomodo incomprehensibilem Dei patientiam imaginatione tua comprehensam esse gloriaris? »

Causæ cur scientia hominis sit difficilis. Prima.

Porro causæ cur res omnes homini sint difficiles ad intelligendum, et consequenter ad eloquendum et explicandum, sunt variæ : *Prima* est, quod intellectus hominis sit corpori, et phantasiæ ac sensibus alligatus. Unde nihil intelligit nisi cujus habet phantasma in imaginatione : nullius autem rei phantasma imaginatur, nisi quam oculis vidit, vel aure audivit, vel alio sensu percepit. Sensus autem solum percipiunt accidentia rerum, ut visus colorem, auditus sonum, gustus saporem, odoratus odorem, tactus calorem, etc. Sensus ergo non penetrant intima rerum, puta earum essentias, proprietates et differentias essentiales, quas penetrant Angeli. Hinc fit ut homo paucissimas rerum naturas cognoscat, sed tantum earum accidentia, ex quibus quasi per vestigia, et quasi per umbram discurrendo conjicit de ipsis naturis et substantiis quibus inhærent. Rursum sensus, nisi eminus, non pertingunt ad res subtiles et remotas, quales sunt Angeli, animæ, aer, venti, cœli, sol, luna, sidera, quæ tamen cognoscere et plane intelligere summe desiderat æque ac eloqui; sed non valet, quia elocutio respondet conceptui et intellectui, ac proinde rem non adæquat. Verbum enim oris respondet verbo mentis, imo sæpe illud non adæquat. Plura enim concipimus quæ eloqui non valemus. Conceptus autem noster non adæquat rem ipsam, præsertim quoad essentiam et substantiam; hanc enim non nisi per velamen accidentium conspicit et concipit.

Secunda.

Secunda est ipsa rerum agitatio, instabilitas, celer ortus et occasus. Hæc enim non faciunt diu sui copiam ad ea oculis perlustrandum, cæterisque sensibus pervestigandum. Unde Hippocrates initio *Aphorismorum* : « Ars longa, inquit, vita brevis, tempus præceps, experimentum periculosum, judicium difficile. » Hinc Isidorus et Campensis paraphrastice vertunt, *non enim subsistunt, donec oculis, quantumvis diligenter contemplantis, vel auribus avidissime auscultantis, fiat satis.* Exemplum est in hyacintho gemma, qui, ut ait Plinius, lib. XXXVII, cap. IX : « Primo quoque aspectu gratus, evanescit antequam satiet, adeoque non implet oculos, ut pene non attingat, marcescens celerius nominis sui flore. »

Tertia.

Tertia causa est animæ humanæ, præsertim post peccatum, depressio, hebetudo, ignorantia et cæcitas, de qua jam dixi. Unde Seneca, *epist.* 89 : « Si Protagoræ credo, inquit, nihil in rerum natura est nisi dubium; si Nausiphani, hoc unum certum est, nihil esse certi; si Parmenidi, nihil est præter unum; si Zenoni, ne unum quidem. »

NON SATURATUR OCULUS VISU, NEC AURIS IMPLETUR AUDITU. — Hebraice, *non satiatur oculus videndo, nec auris ab audiendo.* Educit hanc gnomen ex præcedenti, *q. d.* Quia res omnes sunt difficiles ad intelligendum et eloquendum, hinc earum intuitu non satiantur oculi, nec auditu aures, et multo minus satiatur curiositas, sive cupiditas videndi et audiendi, quæ in homine est immensa. Ratio est, quod homo habeat mentem rationalem, quæ infinitarum rerum est capax, eo quod creata sit ad imaginem Dei, ac proinde nulla re nisi solo Deo satiari et expleri possit. Hæc ergo oculorum et aurium insatiabilitas in homine non provenit ex ipsis potentiis sensitivis, uti notant Philosophi, quia hæ secundum se limitatæ sunt. Unde in brutis visus et auditus, imo aviditas videndi et audiendi, limitati sunt, et facile satiantur, dum per eos nanciscuntur pabula, cæteraque naturæ suæ convenientia. Provenit ergo ex conjunctione cum intellectu et voluntate, quæ in homine insatiabilis est. Sensus ergo est, *q. d.* Adeo cœlorum, ventorum, solis fluminumque gyrationes, cæteræque res omnes variæ et difficiles sunt, ut oculos et aures sui admiratione semper detineant, nec eorum cupiditatem, et sentiendi sciendique sitim expleant. Hinc S. Augustinus in *Soliloquiis*, cap. XXX : « Cum anima, inquit, creaturam desiderat, continuam famem habet; quia licet quod de creaturis desiderat adipiscatur, vacua tamen remanet, quia nihil est quod eam impleat, nisi tu, Domine, ad cujus imaginem est creata. »

Apposite ad scopum suum Ecclesiastes nominat oculos et aures præ cæteris sensibus, quia hi duo nobilissimi sunt, et ad cognoscendum aptissimi. Unde visus et auditus sunt duo sensus disciplinæ, quia præ cæteris celerrimi sunt, certissimi et efficacissimi. Sentiunt enim ad magnam distantiam, et cum parva sui immutatione, et cum majore in phantasiam impressione. Unde et nomen acceperunt. « Aurium, ait S. Isidorus, lib. XI *Orig.* cap. I, inde dictum nomen a vocibus hauriendis. Unde et Virgilius : Vocemque his auribus hausi. Aut quia Græci vocemque ipsam αὐδὴν vocant, ab auditu. Per immutationem enim litteræ aures, quasi audes nuncupatæ sunt. Vox enim repercussa per anfractus earum facit sonum, quo sensum excipiant audiendi. » Et paulo superius : « Oculi inter omnes sensus viciniores animæ existunt. In oculis enim omne mentis judicium est : unde et animi perturbatio vel hilaritas in oculis apparet. » « Oculi, ait Cicero, lib. II *De Natur. Deor.*, tanquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes funguntur suo munere. »

Aurium etymon.

Audi Olympiodorum : « Audiendi sensus ac videndi principales regiique sunt, ac cæterorum sensuum maxime rationales : proprias namque operationes humanæ vitæ perutiles ac necessarias sine ulla satietate efficiunt. Gustus autem, odoratus ac tactus citius fatigantur ac tædio afficiuntur. »

Causa est quod visus et auditus sint magis spiritales, reliqui vero sensus magis corporales et crassiores.

Porro causa cur oculi et aures hominum sint insatiabiles, cum in brutis facile satientur, est, ut dixi, mentis infinita amplitudo, et cupiditas, quæ cum infinita scire cupiat, ut immensam suam capacitatem expleat, nec possit ea scire nisi prius eorum species hauriat, adeoque sentiat per aures et oculos, hinc infinita oculis videre et auribus audire concupiscit. Hæc ergo eorum in hac vita est vanitas, quam in futura explebit immensa Dei visi veritas. Accedit rerum quæ videntur et audiuntur exilitas et fugacitas, quæ visum et auditum non satiant, sed irritant potius et cruciant. Unde S. Augustinus, serm. 23 *De Verb. Apost.*: « Temporalia bona, inquit, non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia; concupita marcescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt. »

Exemplum insigne dat Seneca, *epist.* 73 : « Solebat Attalus, inquit, hac imagine uti : Vidisti aliquando canem missa a Domino frusta panis, aut carnis aperto ore captantem? Quidquid excepit protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis : quidquid exspectantibus fortuna projicit, id sine ulla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius recti et attoniti (alii legunt, *attenti*). Hoc sapienti non evenit : plenus est; etiamsi quid obvenit, secure excipit ac reponit, lætitia fruitur maxima, continua, sua. »

Huc facit illud *Proverb.* XXVII, 20 : « Infernus et perditio nunquam implentur; similiter oculi hominum insatiabiles. » Et Ecclesiasticus, cap. XIV, 9 : « Insatiabilis oculus cupidi; non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam. » Vide utrobique dicta. Præclare Hugo Victorinus : « Cor hominis, inquit, non sufficit toti orbi; quia cunctæ res difficiles, non valet homo eas comprehendere : et vicissim totus orbis non sufficit cordi hominis, quia oculus non saturatur visu, nec auris impletur auditu. » Et S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. VII : « In vanum accipit animam suam (ut jam de hujus vitæ dicamus molestiis), qui sæcularia struit, ædificat corporalia. Quotidie ad edendum et bibendum surgimus, et nullus expletur, ut non post momentum esuriat ac sitiat. Quotidie lucrum quærimus, et nullus cupiditati modus ponitur. Non satiabitur, inquit, oculus visu, nec auris auditu. Qui diligit argentum, non satiatur argento. Nullus finis laboris, et nullus est fructus abundantiæ. Cupimus quotidie scire nova, et quid est ipsa scientia, nisi quotidiani doloris adjectio? »

Audi totum hunc Ecclesiastæ locum graphice explicantem nostrum Martinum de Roa, lib. II *Singular.* cap. I : « Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone; non satiatur oculus visu, nec auris auditu adimpletur, » hoc est, cunctæ res duræ, morosæ, avaræ nunquam se dant, nunquam sui copiam faciunt, neque sui fruendi locum potestatemve relinquunt; atque ita « non potest eas homo explicare sermone, » hoc est, cum eas vix gustarit, vix oculis, vix auribus acceperit, quid in illis boni vel mali insit, aut cujusmodi tandem sint explicare non potest. Quantumvis enim attentissime contemplantis aut celerrime intuentis aspectum fugiunt, et aures avidissime auscultantis prætervolant. « Non satiatur oculus visu. » Cum neque oculis, neque mente comprehendantur, nec sit qui eas explicare sermone possit. « Nec auris auditu adimpletur. » Contra vero quæ a Deo sunt bona, vera sunt, et quæ cor satiant. « Satiabor, inquit David, cum apparuerit gloria tua. » Audi Esdram Prophetam, lib. IV, cap. X, quem Deus jubet in templum suum ingredi, et oculos pariter atque aures illius splendore, magnitudine, atque etiam pulchritudine pro arbitrio pascere : « Tu ergo, inquit, noli timere, neque expavescat cor tuum; sed ingredere, et vide splendorem et magnitudinem ædificii, quantum capax est tibi visus oculorum videre; et post hæc audies quantum cupit auditus aurium tuarum audire. »

Vers. 9. 9. QUID EST QUOD FUIT? IPSUM QUOD FUTURUM EST : QUID EST QUOD FACTUM EST? IPSUM QUOD FACIENDUM EST : NIHIL SUB SOLE NOVUM. — Aliqui ex Hebræo assertive vertunt, sed eodem sensu, *id quod fuit, illud futurum est; et id quod factum est, illud fiet;* Syrus, *quod est ipsum, est quod factum est, et ipsum fiet;* Arabicus obscure, *quæ res formans, format animam suam faciendo idem;* Chaldæus, *quod jam ab antiquo fuit, id certe post eventurum est; et quod primis illis temporibus factum est, id etiam sub sæculorum exitum fiet, neque hic sub sole neotericum quidquam reperies.*

Distinguit solerter Eusebius, lib. XI *Præpar. Evang.* cap. VI : « Id quod fuit » ab eo « quod factum est, » sive esse a factum esse, ac per id *quod est,* vel *fuit*, intelligit res incorruptibiles, quales sunt sol, cœli, elementa, Angeli : hæ enim habent esse stabile; unde Dei stabilissimi nomen est : « Ego sum qui sum; » per id vero, « quod factum est, » accipit res corruptibiles, quas facit natura vel ars.

Probat nihil sub sole esse novum argumento a simili *q. d.* Sicut res incorruptibilis eadem numero est quæ fuit, et quæ futura est, v. g. idem est sol præsens et futurus : sic res corruptibilis eadem specie est quæ facta est, et quæ facienda est : nam generationi hominum et animalium transeunti succedit alia et alia continuo similis, et ejusdem speciei; unde concludit : Ergo nihil novum est sub sole.

Hebræi apud R. Moysen, lib. II *Ductoris perplex.* cap. XXIX, et Hugo censent hic a Salomone astrui æternitatem mundi, non ex sua, sed ex gentilium, et præsertim uxorum suarum alienigenarum, quas offendere non audebat, sententia. Hos secutus Cajetanus, seductus a suo Hebræo Interprete, censet Salomonem « argumentari ex æternitate temporis, res omnes in motu circulari consistere, tam secundum esse, quam secundum

Cajetani opinio.

fieri; Salomonem autem concionando loqui, et uti opinione, quamvis falsa, probabili tamen secundum id quod probabilius est ex sensibilibus. Rationes enim naturales suadent æternitatem mundi. »

Refellitur. Primo. Secundo. Tertio. Verum errat tripliciter : *primo*, quod asserit probabilem esse opinionem de mundi æternitate; *secundo*, dum ait eam astrui ex rebus sensibilibus, cum potius ex iis mundi origo et creatio colligatur; *tertio*, quod censet Salomonem, imo Spiritum Sanctum, qui per os Salomonis hæc dictavit, uti ratione falsa, esto in speciem probabili, æternitatis mundi, ad probandam rerum omnium circulationem : hoc enim Spiritu Sancto indignum est.

Huc pertinet error Origenis scribentis in hunc locum, teste Methodio, lib. *De Resurrectione*, et lib. III *Periarchon*, qui censet hic statui magnum Platonis annum, quo ipse putabat post duodecim (teste Cicerone, lib. II *De Natura Deorum*) annorum millia omnia præterita fore revocanda, ut fiant præsentia, scilicet ut post aliquot sæcula iidem qui nunc vivimus redeamus, idemque quod nunc facimus, tunc quoque repetamus et faciamus; imo damnatos in inferno tunc fore salvandos. Censebat enim ante hunc mundum præcessisse alios, et post eum alios secuturos, citans ad hoc illud *Isaiæ* LXV : « Ecce ego creo cœlos novos et terram novam. » Putant aliqui hunc errorem a falsariis affectum Origeni, ejusque libris insertum, eo quod ipse lib. IV *Contra Celsum*, eum damnare videatur. Ut ut est, Origenistarum fuit error, quos refellit S. Hieronymus, epistola *ad Avitum*, et S. Augustinus, lib. XII *De Civitate*, cap. XIII.

Annus Platonicus.

Sic Epicurus, ait S. Hieronymus, asserit per innumerabiles periodos, eadem et eisdem in locis, et per eosdem fieri; et Pythagoras censuit animas in alia et alia corpora migrare et remigrare. Omissis manifestis hisce erroribus,

Expositio prima. *Primo*, R. Moses, loco citato, censet hoc dici ad significandam æternitatem mundi a parte posteriori, scilicet mundum deinceps duraturum in æternum. Sed quid hoc ad scopum Ecclesiastæ, scilicet ad probandam mundi vanitatem, id est instabilitatem? huic enim directe opponitur mundi stabilitas et æternitas.

Secunda. *Secundo*, melius ex adverso Eusebius, lib. XI *Præp. Evang.* cap. V, VI et VII, censet hæc dici, ut notet mundi fluxum, fugam et corruptionem, scilicet res mundi cum tempore continuo fluere et præterire, aliasque succedere, et in futuro successuras quæ pari modo fluent et præteribunt, ideoque nihil sub sole novum, sed omnia veterascunt, senescunt, occidunt.

Tertia. *Tertio*, Lyranus censet hic post solis, ventorum et fluminum circulationem, tria alia argumenta ad probandam mundi vanitatem proponi : primum esse, quod omnes res mundi sint ad fruendum et cognoscendum obscuræ, cum ait : « Cunctæ res difficiles, » etc.; secundum, quod non satient oculos et cor hominis, cum ait : « Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu; » tertium, quod nihil in eis sit novum, sed omnia antiqua et vetera, cum ait : « Nihil sub sole novum. »

Quarta. *Quarto*, alii referunt hæc ad scientias et opiniones, *q. d.* Nullæ sunt novæ opiniones et scientiæ, sed quæ nunc videntur nasci, eædem olim exstiterunt, esto tempore sint abolitæ, juxta illud Comici in *Eunucho* : « Nihil est dictum quod non sit dictum prius. » « Unde præceptor meus Donatus, inquit S. Hieronymus, cum ipsum versiculum exponeret : Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt. » Huc facit illud Platonis, lib. III *De Republica* : « Nihil inauditum. » Et Aristoteles, lib. I *De Cœlo*, text. 22, et lib. I *Meteor.* cap. III : « Necessum est, inquit, ut infinities eædem recurrant opiniones mundi æternitate supposita, » quam ipse supponit et constanter adstruit.

Verum hic sensus arctior est et minus appositus; non enim de rerum cognitione vel opinione, sed de rebus ipsis loquitur Ecclesiastes cum ait : « Nihil sub sole novum, » esto ad scientias et opiniones, utpote cum ipsæ sint res et reales qualitates, hæc gnome extendi possit.

Quinta genuina. *Quinto* et genuine, Ecclesiastes hic redit ad thema initio propositum, scilicet ut probet omnia in mundo esse vana, ex eo quod omnia eant in orbem et abeant. Probavit id ex gyratione continua solis, ventorum et fluminum; nunc idipsum probat ex gyratione cæterarum rerum, quod scilicet omnia cum tempore eant et prætereant; ideoque post præterita succedant præsentia et futura, quæ pariter ibunt in præterita. Esto ergo futura iis, qui præterita non viderunt, videantur nova, sunt tamen antiqua visa, et trita iis qui olim vixerunt : res enim præteritæ in futuris sui similibus, quæ succedunt, videntur novæ, sed non sunt, quia resurgunt duntaxat et renascuntur; unde Thuanus vertit :

Nempe omnia, quæ nunc
Miramur, priscis ea visa auditaque sæclis.

Et Horatius in *Arte Poetica* :

Mortalia facta peribunt;
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore.

Ita exponunt S. Hieronymus, Olympiodorus, Albinus et S. Augustinus, lib. XII *De Civit.* cap. XIII (1).

(1) Conf. quoque Senecam, *epist.* 24 : « In orbem nexa sunt omnia; fugiunt ac sequuntur.... Omnia transeunt, ut revertantur; nihil novi facio, nihil novi video. »
Et Manilium in *Astronom.* lib. I :

Omnia mortali mutantur lege creata;
At manet incolumis mundus suaque omnia servat;
Quæ nec longa dies auget, minuitve senectus,
Nec motus puncto currit, cursusque fatigat.
Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aspicient. Deus est, qui non mutatur in ævo.

Dicit hoc Ecclesiastes, ut retundat hominum vanitatem, vanamque curiositatem, qua vetera fastidientes semper novis inhiant; ideoque circumvagantur ut nova congerant, sed frustra, cum nihil sit sub sole novum, quia omnia in orbem eunt et redeunt. Hoc enim est thema, quod ab initio hucusque probare contendit; esto versu præcedenti obiter quasi per parenthesin injecerit aliud vanitatis argumentum, scilicet rerum ad fruendum et cognoscendum difficultatem, quodque auris non impleatur auditis, nec oculus visis; quo tamen etiam hi versus referri possunt, ut scilicet ostendant aures et oculos, quia curiosos et novorum avidos, non satiari, eo quod nihil sit sub sole novum, *q. d.* Frustra laboras, o homo; incassum te crucias et torques, dum per omnia vagaris, ut aurium, oculorum et cordis tui curiositatem novorum avidam expleas, cum nil novi sis reperturus, esto gyres ab Oriente ad Occidentem, sed omnia prisca et vetera. Hæc enim est mundi senescentis conditio, hæc temporis natura et ratio æque ac omnium temporalium, ut scilicet consistant in continuo fluxu et gyratione, utque præterita abeant, succedant præsentia, sequantur futura, quæ, dum abierint in præterita, alia succedent præsentia, aliaque similia sequentur futura. Hic est perennis temporis et temporalium circulus, hic gyrus et rotatio.

Igitur Ecclesiastes postquam descripsit circularem motum partium universi, puta cœlorum et solis, aeris et ventorum, fluminum et fontium, nunc describit eumdem ex parte temporis, cui res omnes subjacent, cum eoque volvuntur et prætereunt, *q. d.* Nihil stabile, nihil constans sub sole; sed omnia æque ac tempus, cui subsunt, circularia sunt et præterfluunt. Vis ergo scire, o homo curiose, quid omni tuo curioso et molesto labore consecuturus sis, inspice præteritos et præterita; quod enim illi consecuti sunt, tu consequeris, non aliud; frustra nova quæris quæ non sunt, nec fuerunt, nec erunt. Unde Nyssenus : « Ad rogatum, inquit, brevis est responsio : Cogita quid sit quod est futurum, et cognosces id quod fuit, » *q. d.* Semper homines sollicitat futurorum appetitus; præsentia enim fastidiunt, velut possessis saturi : anhelant ad futura, velut ad nova curiosi. « Novis, inquit Seneca, lib. III *De Benef.* cap. III, cupiditatibus occupati non quid habeamus, sed quid petamus inspicimus; non in quod est, sed in quod appetimus intenti. » Hæc eorum vanitas fallit eos, quia nihil novi fit sub sole : nihil eximium habuerunt præteriti, nihil habebimus nos melius futuri; ex præteritis ergo colliges et metieris, quale quantumque bonum tibi tempus vitaque dabunt; colligent similiter ex nobis futuri. Notant Nyssenus et uterque Hugo, Cardinalis scilicet et Victorinus nullam præsentis temporis hic fieri mentionem, sed tantum præteriti et futuri, eo quod ex præsenti nil habeamus nisi unicum nunc indivisibile : quare præsens illico transit in præteritum; pertinet ergo ad præteritum, vel ad futurum, quasi nexus et copula utriusque, quia præsens nectit præteritum futuro.

Symbolice, Rabbini quidam (qui putant hunc sensum esse genuinum et litteralem; sed errant) apud Galatinum, lib. X, cap. II et IV, hæc accipiunt de lege nova adumbrata in lege veteri, *q. d.* Id quod per tot figuras adumbratum est in lege Mosaica, hoc reipsa explendum est per Christum in lege Evangelica. Ita R. Barachias ibidem : « Quid est, ait, quod fuit? ipsum quod erit; sicut fuit redemptor primus, id est Moses, ita erit redemptor ultimus, » puta Messias sive Christus.

Et Procopius in cap. XLVIII *Isai.* : « Quærunt nonnulli, ait, quomodo se nova fecisse asserat, cum docente Ecclesiaste, nihil novum sub cœlo sit; Christi ergo mysterium longe ea quæ cernitur creatura majus, quod a Paulo etiam absconditum nominatur, intellexit. » Accedit Chaldæus, qui vers. 11 sic vertit, *præteritarum nationum memoria non extat, neque earum quæ post futuræ sunt recordatio erit iis qui temporibus regis Messiæ victuri sunt.*

Anagogice, Olympiodorus hæc accommodat ad merita præsentis vitæ et præmia futuræ; quod enim quantumcumque præcessit meritum in terra, hoc tantum nos sequatur præmium in cœlo. Secunda.

Rursum S. Hieronymus, S. Augustinus, XII *De Civitate,* XIII, et Hugo censent Ecclesiasten loqui (in sensu mystico et anagogico) de præsentia et prædestinatione qua jam ea facta sunt quæ futura sunt. « Qui enim, ait S. Hieronymus, electi sunt in Christo ante constitutionem mundi, in prioribus sæculis jam fuerunt, » scilicet in Dei mente et prædestinatione.

Denique Nyssenus notat τὸ *quod fuit* mystice de anima dici, quia creata est; τὸ *quod factum est,* de corpore, quod formatum est de terra; animam ergo dici futuram quod erat per sanctificationem : per hanc enim redditur ei gratia perdita per peccatum Adæ; corpus vero dici fore id quod factum est per resurrectionem, qua resurgent olim facti et nati, sed mortui; quod ut feliciter fiat, redeundum esse animæ et corpori ad statum quem prius habuerunt, scilicet ad puritatem et sanctitatem, in qua creati sunt a Deo in protoplasto Adamo.

10. NIHIL SUB SOLE NOVUM; NEC VALET QUISQUAM DICERE : ECCE HOC RECENS EST : JAM ENIM PRÆCESSIT IN SÆCULIS QUÆ FUERUNT ANTE NOS. — Septuaginta, *non est omne* (id est *nullum est*) *recens sub sole; quis loquetur ac dicet : Vide hoc, novum est? Jam fuit in sæculis, quæ fuerunt ante nos;* Syrus, *quæ fuerunt ab æterno,* id est a priscis primisque mundi temporibus; Chaldæus, *detur enim res de qua facile quisquam prædicit : Vide, novum inventum est; verumtamen veterum memoria id aliquando contigit;* Arabicus, *et omne renovatum sub sole non potest loqui et dicere : Considera hanc rem, quia nova est, quæ jam facta est in præterito in sæculis ante nos* (1). Vers. 10.

(1) Esto, *sit aliquid, de quo dicat* aliquis : *Vide istud,*

Nil novum sub sole, quo sensu?

Quæres, quomodo nihil sub sole sit novum, cum multa nova fiant per novas artes nove inventas, cum nova fiant prodigia, cum novus Christus novam legem, novaque in ea dederit præcepta, Sacramenta et præmia; nova etiam sunt miracula, de quibus dicitur *Eccli.* XXXVI : « Innova signa, et immuta mirabilia? » Respondet

Resp. primo.

primo, S. Thomas, I part. *Quæst.* LXXIII, art. 1, ad 3, hæc omnia præcessisse, et olim facta esse vel in se, vel in suis causis, vel in suis similibus : « Præcesserunt, inquit, secundum similitudinem, sicut animæ quæ nunc creantur. Et similiter Incarnationis opus, quia, ut dicitur *Philipp.* II : Filius Dei est in similitudinem hominum factus. Gloria etiam spiritalis secundum similitudinem præcessit in Angelis; corporalis vero in cœlo præcipue empyreo. »

Secundo.

Secundo, S. Hieronymus hæc arctat ad hominem, *q. d.* Homini nihil accidit novi; solus enim homo, inquit, loqui et dicere potest, ut habent Hebræa : *Vide hoc novum.*

Accedit Pineda, qui hæc ad hominum mores refert, quasi significetur mortalium studia et conatus ad felicitatem non esse novos, neque novas ad animi tranquillitatem vias iniri ab hominibus hujus nostri sæculi. Tentata jam omnia a veteribus sub sole pro felicitate laborantibus, sed labore irrito. Favet Thaumaturgi interpretatio : « Quid in posterum fieri queat, quod non jam confectum fuerit, aut geratur ab hominibus? quid novum, quod nondum experimento compertum fuerit, dummodo insigne sit et memorabile. »

Tertio genuine.

Tertio, plane et genuine hæc referas ad naturam et artem, sive ad opera ordinaria quæ fiunt a natura vel arte, *q. d.* Nihil novum sub sole, id est, nihil novi accidit in naturali rerum cursu, scilicet cœlorum, elementorum, siderum, ventorum, maris, hominum, animalium; item in artibus vitæ humanæ necessariis, quibus scilicet natura indiget, quales sunt fabrilis, agricultura, mercatura, vestiaria, pistoria, etc. Nil ergo obstat quin non tantum prodigia et miracula nova fiant, sed et artes miræ nove inveniantur, ut bombardaria, typographica, etc., quanquam utramque harum apud Sinas multis sæculis, antequam in Europa invenirentur, exstitisse, licet Europæis inferiorem, tradant historiæ Sinensium, præsertim illa quæ a nostro Nicolao Trigautio conscripta est. Lege Polyodorum Virgilium *de Rerum inventione*, qui singularum artium inventores assignat, scilicet nobis nostroque ævo cognitos. Addit S. Augustinus, lib. XII *De Civit.* XIII, prodigia et monstra quæ jam fiunt olim facta, si non eadem, certe illis similia vel affinia.

Occurrit curiositati hominum otiosorum, quibus sua sors præsensque status displicet, placet alienus et remotus : quare optant videre aliud sæculum, dicuntque : Utinam vixissem sæculo Noe, Abrahæ, Mosis, Christi, Constantini! vel utinam viverem sæculo sequenti! multa utique nova et meliora experirer. Alii optant aiuntque : Utinam vidissem Noe, Abraham, Mosen, Christum! vel utinam viderem reges, pontifices, heroes post hoc sæculum secuturos! utinam viderem nova quæ sub iis facta sunt, vel fiunt! Mira enim per otium imaginantur quæ nunquam exstiterunt nec exstabunt. Hos retundit hic Salomon, dicens : Quid vane desideras cernere præterita vel futura, esto præsentibus contentus, quia hæc similia, imo eadem sunt cum præteritis et futuris; nihil enim sub sole novum. Optas videre Noe, Abraham, Mosen, etc. : at homines fuere similes nostris. Vides viros doctos, sanctos, Apostolicos; cogita te in illis videre Noe, Abraham, Mosen. Eumdem vides solem, idem cœlum, eamdem terram quam ipsi viderunt. Vides similes arbores, plantas, frumenta, fructus, domos, artes et artifices, qualia ipsi viderunt, et qualia posteri videbunt. Quid ergo novi quæris, cum in orbe nil sit novum? Ars enim et natura eadem produxit et producet semper quæ nunc producit.

Porro constat supernaturaliter in lege nova multa per Christum facta esse, et a Christianis fieri nova, ac in cœlo omnia futura nova, juxta illud *Apocal.* cap. XXI : « Ecce nova facio omnia. Mysteria enim incarnationis Verbi, mortis, crucis, Eucharistiæ, etsi multis veterum typis fuerint tenuiter præfigurata, tamen reipsa plane fuerunt nova, stupenda, inaudita, cum in Christo exstiterunt; Christus ergo novus homo, nova lege et gratia fecit hominem novum. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 39 *De Tempore* : « Ille qui venit per crucis irrisionem, carnis perimere corruptionem, et vetustatem vinculi mortis nostræ sua mortis novitate dissolvere, mandato novo fecit hominem novum. Res enim vetus erat ut homo moreretur, quod ne semper valeret in homine, res nova facta est ut Deus moreretur. » Hoc est quod prædixit Jeremias cap. XXXI : « Novum faciet Dominus super terram : mulier circumdabit virum. » Ita Olympiodorus : « Nihil, ait, novum est in hominum, animalium plantarumque successionibus. » Et S. Thomas in IV, dist. 48, *Quæst.* II, art. 1, ad 1, ait Ecclesiasten loqui de cursu naturali rerum, et de his quæ a sole fiunt, et a solis virtute pendent. Sic et S. Augustinus, lib. XII *De Civit.* cap. XIII.

Novæ orbis priscis cognitus.

Hinc novum orbem, sive Indias veteribus fuisse cognitas ex Platone, Seneca et aliis ostendit noster Josephus a Costa, lib. I *De novo Orbe*, et Pineda, lib. IV *De Rebus Salomonis*, cap. XV; idque patet ex classibus Salomonis euntibus in Ophir; sed oblitterata deinde fuit itineris hujus semita et memoria.

Quare nonnulli censent priscis pariter cognitam fuisse acum nauticam, sive calamitam et virtutem magneticam; per hanc enim, utpote semper

novum est. Sed audi responsum : *Jam fuit* ea res *in sæculis quæ fuerunt ante nos.* Verbum *hacah* in singulari positum est distributive capiendum. Alii, *jam fuit temporibus priscis* ea res, *quæ facta est ante nos*, coram nobis.

vergentem ad polum, cognoscunt nautæ polum polique Aquilonaris elevationem, ac consequenter cæteras tres mundi plagas; unde sciunt in qua orbis parte plagaque versentur, et quo tendere debeant, ut ad locum sibi destinatum pergant. Plures auctores tamen negant acum nauticam iis fuisse cognitam; id enim volunt recens et nuperum esse inventum : sed alia ipsis navigandi, cursumque per mare dirigendi instrumenta, artes et modos concedunt, ac præsertim Chaldæorum et Ægyptiorum astronomiam, per quam exacte lunæ, stellarum, siderumque situm, motumque contemplantes, juxta ea iter suum dirigebant. Vide Pinedam, lib. IV *De Rebus Salomonis*, cap. XV, vers. 4 et seq. Certe astrolabium fuisse cognitum priscis, ac nominatim Ptolemæo, ab eoque vocari planisphærium, docet noster Clavius initio libri *De Astrolabio*.

Vers. 11. 11. NON EST PRIORUM MEMORIA, SED NEC EORUM QUIDEM QUÆ POSTEA FUTURA SUNT, ERIT RECORDATIO APUD EOS QUI FUTURI SUNT IN NOVISSIMO, — id est posteriori tempore. Hebræum enim אחרון *acharon*, quod Noster vertere solet, *novissimum*, idem est quod *posterius, sequens;* Septuaginta, *non est memoria primis, et quidem novissimis, cum facta fuerint, non erit memoria eorum cum eis qui futuri sunt in novissimo;* Chaldæus, *non est memoria generationum* (Costus vertit, *nationum*) *priorum, neque etiam posteriorum quæ futura sunt, erit recordatio cum generationibus quæ erunt in diebus Regis Messiæ;* Arabicus, *non reperitur recordatio sæculorum præteritorum, neque faciendorum novissime;* Vatablus, *non durat memoria rerum priorum, neque apud posteros memoria rerum quæ posthac erunt, durabit* (1).

Hæc gnome tum de rebus omnibus prioribus et posterioribus accipi potest. Harum enim omnium est oblivio apud sequentes et posteros. Unde Noster vertit in genere neutro, *sed nec eorum quæ futura sunt erit recordatio;* tum proprie de hominibus hominumque dictis et factis, qui pariter statim oblivioni traduntur : unde S. Hieronymus et Septuaginta vertit masculine, *sed nec eorum qui futuri sunt erit memoria.* Dicit hoc Ecclesiastes, *primo*, ut occurrat tacitæ objectioni. Dicet enim quis multa sub sole fieri nova, eo quod similia non legerimus, vel audierimus olim esse facta. Respondet Ecclesiastes illa esse facta, sed oblivioni tradita, eo quod rerum memoria cum rebus ipsis dilabatur et evanescat, præsertim post plures annos et sæcula. Unde Thuanus vertit :

> Temporis exacti veniens oblivia tempus
> Inducit; rerum quæ porro et cumque gerentur,
> Vix minima ad seros manabit fama nepotes.

Secundo, ut eludat vanam in homine cupiditatem formæ, memoriæ et gloriæ apud posteros. Cum enim sciat homo sibi moriendum esse, nec posse se perenniter vivere, hinc optat vivere saltem in memoria et fama posterorum; sed frustra, quia et hoc cito effluit et perit. Hæc ergo est nova vanitas rerum humanarum, quæ earum contemptum inducit, quod scilicet homo cito moriens et evanescens, ne sui quidem memoriam diu apud posteros relinquat, sed illa cum tempore roretur et abeat. Hinc sæculum hebraice dicitur עולם *olam*, quasi occultum, vel quasi עולם *olem*, id est occultans et abscondens, a radice עלם *alam*, id est abscondit, eo quod gesta prioris sæculi occulantur et abscondantur a sequenti sæculo. Vide *Sapient.* V, vers. 10 et seqq. Loquitur Ecclesiastes de memoria rerum naturalium et vanarum, quam vani homines consectantur, non de memoria virtutum operumque gratiæ, præsertim heroicorum; hæc enim perennat in multa sæcula, uti videre est in Martyrologio et festis Ecclesiæ, quæ quotannis celebrat memoriam Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Virginum, tum ut eos honoret, tum ut eorum virtutes fidelibus imitandas proponat. De his ergo dixit Christus : « Gaudete, quod nomina vestra scripta sint in cœlis, » *Lucæ* X, 20; et Psaltes : « In memoria æterna erit justus, » *Psal.* CXI, 6; et Ecclesiasticus, cap. XLIV, 14 : « Nomen eorum vivit in generationem et generationem. »

Justi ergo in cœlo scribuntur, quia perennis erit eorum memoria et gloria. Vani vero et impii in terra et aqua scribuntur, quia illico conculcatur, deletur et diffluit eorum nomen et fama, juxta illud *Jeremiæ* XVII, 13 : « Recedentes a te in terra scribentur; » et *Psal.* IX, 8 : « Periit memoria eorum cum sonitu; » et *Proverb.* X, 7 : « Nomen impiorum putrescet. » Licet enim Alexander, Julius Cæsar, Pompeius, Nabuchodonosor memoriam habeant apud posteros et famam, tamen hæc putida est et infamis, scilicet quod fuerint tyranni, raptores, impii et scelerati.

Loquitur Ecclesiastes a toto genere, sive de eo quod plerumque et plurimis accidit, esto in paucis sit exceptio, *q. d.* Omnia rerum, dictorum, factorum, animalium, hominum genera quæ priori sæculo exstiterunt, sequenti sæculo oblivioni traduntur, esto singulares aliqui viri ob eximiam sapientiam, eloquentiam, aliamve dotem habeant famam posthumam per plura sæcula, ut Socrates, Plato, Aristoteles, etc. Sed hi perpauci sunt, et memoria eorum tenuis et rara apud paucos litteratos exstat, eaque plurium errorum et vitiorum nævo, ut libidinibus et falsorum deorum cultu maculata. Unde Apostolus, *Rom.* I, in eos detonat, dicens : « Qui, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, etc. Dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt, etc. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora » sua, per pæderastiam aliasque infames libidines, quas ibidem recenset.

(1) Datur ratio, cur quædam falso nova arbitremur : scilicet ignorantia et oblivio præteritorum.

Hujus oblivionis priorum sæculorum vivum exemplar et speculum est Roma. Cum ante octodecim annos eam ingrederer, quæsivi a viris in ejus antiquitate versatis, in quanam Urbis parte exstitissent olim domus et palatia Julii Cæsaris, Augusti, Pompeii, Scipionis, Vespasiani, Trajani, etc., ac responsum accepi de multis plane ignorari, de paucis conjecturam esse tali loco fuisse, sed obscuram et incertam. Vestigavi priscas heroum statuas, mausolæa, titulos, pyramides, templa, basilicas, ac ex omnibus vix quidquam integrum reperi nisi Pantheon M. Agrippæ, sed ruinarum veterum ruderibus in terram depressum, et magna ex parte sepultum. Ubi ergo trophæa et monumenta Romuli, Numæ, Servii, Tullii, Tarquinii, Collatini, Bruti, Metelli, Corvini, Publicolæ, Torquati, Camilli? evanuerunt ac si nunquam fuissent; imo plurimorum nomina ignorantur, paucorum tenuis duntaxat est memoria. Antiquissimæ et nobilissimæ familiæ Romanæ, ut Corneliorum, Lentulorum, Fabiorum, Pisonum, Ciceronum, Serviorum, Scipionum, cæteræque ad unum omnes ita exstinctæ sunt, ut nulla prorsus supersit, imo plerarumque nomen ignoretur. Nimirum nova Roma sepelivit veterem, Christiana gentilem, sancta profanam, et « Romæ Roma sepulta jacet. » Ite nunc, vani mortales, æternate cum Romanis nomina vestra, incidite illa in marmoribus, erigite in statuis, statuite in colossis; brevi hæc omnia delebit succedentis ævi oblivio. « Papæ, quam cito apud homines mortui gratia diffluit, et deserta apparet, » ait Euripides in *Ajace*, et Naso, lib. XV *Metamorph.* :

> Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
> Omnia destruitis.

Et Horatius, lib. II, *epist.* 2 :

> Quæ priscis memorata Catonibus atque Cethegis,
> Nunc situs informis premit, et deserta vetustas.

Nam et marmora vetustate videmus exesa. « Mors etiam saxis nominibusque venit. Ut in littore maris cumuli alii super alios appulsi, priores occultant : ita in vita quoque priora a sequentibus celeriter absconduntur, » ait M. Antonius Imperator, lib. VI *De Vita sua*; et lib. XII : « Quam ridiculus et peregrinus, qui miratur ea quæ in vita fiunt. »

Anagogice, Olympiodorus : Beati, ait, in cœlis, divinæ visionis gaudiis absorpti, vix recordantur tum laborum et dolorum quos in vita subierunt; sed neque multum considerant damnatorum pœnas, sive eorum qui punientur in novissimis per omnem æternitatem, esto utraque sciant, nec ulla eos capiat oblivio, nec ignorantia.

Tropologice S. Hieronymus ex Septuaginta sic vertit, sicque explicat : « Non est memoria primis, et quidem novissimis qui futuri sunt, non erit eis memoria cum his qui futuri sunt in novissimo : ille de Evangelio sensus est, quod qui in isto sæculo primi sunt, sint omnium novissimi. Et quia Deus ut benignus et clemens, et minimorum quoque omnium recordatur, his qui propter vitium suum novissimi esse meruerunt, non tantam dabit gloriam, quantam his qui se humiliantes novissimi in mundo esse voluerunt. Dicitur itaque in consequentibus : Non est memoria sapientis cum stulto in æternum. » Alludit ad parabolam operariorum primorum et novissimorum, *Matthæi* XX.

Ex adverso alii hæc referunt ad decreta priorum et majorum, quæ posteriores nepotes revellunt et oblitterant. Agis rex, cum senex quidam videns leges antiquas elanguescere, pravasque alias surrepere diceret, Spartæ res sursum versum inverti, dixit per jocum : Hoc si fit, rationi convenienter fit; nam puer ipse audivi a patre meo sursum versum res sua ætate inversas esse, idemque is se puerum ex suo patre audivisse aiebat. Non ergo mirandum est, si posteriora prioribus deteriora eveniunt; sed si quando meliora aut similia obtingerent. Ita Plutarchus in *Lacon.*

12 et 13. EGO ECCLESIASTES FUI REX ISRAEL IN JERUSALEM, ET PROPOSUI IN ANIMO MEO QUÆRERE ET INVESTIGARE SAPIENTER DE OMNIBUS QUÆ FIUNT SUB SOLE. — Septuaginta, *ad inquirendum et considerandum in sapientia de omnibus quæ fiunt sub sole.* Sic et Syrus. At Arabicus, *ego congregans* (alii, *ego concionator*) *factus sum rex super Israel in Jerusalem, et immutavi cor meum ut quæreret, et perspiceret cum sapientia de omnibus creatis sub sole.* Chaldæus multa ex suo admiscet, quæ mox recensebo. Vers. 12 et 13.

Fabulantur Rabbini Salomonem hæc dixisse, cum post lapsum, abdicato regno, factus pauper et quasi mendicus, dedidit se obsequio et doctrinæ dæmonis Asmodæi, qui præerat thesauris. Unde Elias Levita in Tisbi in voce *Asmodai*, ex Thargum sic legit : *Ego Coheleth, Asmodai, rex dæmonum*, quasi Salomon hic ex ore dæmonis, sive dæmon per os Salomonis loquatur. Franciscus Georgius more suo secutus Hebræos, *Problem.* 82, ait hæc dicta a Salomone : « Quando erat in deserto in cavea, et negotiabatur cum Asmodai. » Sed audi fuse Rabbinorum nugantium sensa sequentem et exprimentem Chaldæum : « Cum Salomon rex sedisset in throno imperii sui, rebus secundis, plus æquo elatus, edictum Dei transiliit, comparavitque equitia, lecticas et equites multos; magnam præterea auri et argenti vim congregavit, et affinitate cum exteris nationibus conjunctus est: quare vehementer commotus Dominus in eum Asmodæum dæmonum regem immisit, qui illum regno privaret, et annulum de manu ejus extraheret; perfectumque est ut ille vagus et profugus orbem peragraret, hominesque increparet, rediensque ad provincias et loca terræ Israel, neque continens lacrymas sic vociferabatur : Ego Ecclesiastes, olim Salomon, appellatus fui rex

Jerusalem, animumque adjeci ut postularem prudentiam a Domino, illo ipso die quo in Gihon apparuit mihi, ut probaret me, et sciscitaretur quidnam esset, quod eum rogandum existimarem. Neque vero ab eo aliud quidquam contendi, quam sapientiam, uti possem inter honestum et turpe in his omnibus rebus, quæ sub sole usu venire consueverunt, judicium et scientiam adhibere, animadvertique facinorosa illa hominum opera, malum quiddam hominibus a Deo datum, ut in eo seipsos conficerent,» etc. Ita habet versio Chaldæi facta a Petro Costo et a Complutensibus, licet in Bibliis Regiis multa ex his, quia fabulosa, e Chaldæo sublata sint : omissis hisce nugis et fabulis.

Primo, Rabbini et nonnulli catholici apud Hugonem Victorinum, *homil.* 5, censent hæc verba esse Salomonis, de lapsu suo pœnitentis : « Idcirco, inquiunt, noluit dicere : Rex sum in Jerusalem, quia deposita regni purpura de solio suo jam descenderat, contemptaque quam male tenuerat potestate, in habitu pœnitentiæ reatum suum plangebat, ideoque ait : Rex fui. Addit Beda in fine tom. VII, cap. *De Salomone judicium* : « Aiunt, inquit, libri Hebræorum Salomonem quinquies tractum fuisse per plateas Jerusalem, causa pœnitentiæ. Item eum aiunt venisse in templum, quod ipse ædificaverat, cum quinque virgis, de quibus quatuor legisperitis dederit, ut verberaretur ab illis, qui communi consilio dixerunt, quod in christum Domini manum non mitterent; unde frustratus ab illis, a se depositus est a regno. » Verum hæc Hebræorum narratio videtur fabella ab eis more suo conficta, ad astruendam Salomonis pœnitentiam et famam. Videturque adversari S. Scripturæ quæ narrat Salomonem regem perdurasse usque ad mortem, ac tum ei successisse Roboam filium. Probabilius alii censent Salomonem, retento regno et sceptro, pœnituisse, et pœnitentem hæc dixisse. Unde Hugo ponderat τὸ *fui*; hoc enim verbum videtur omnino sonare regni mundique contemptum, quasi quod antea tanti fecerat, nunc nihili faciat, imo nihil esse testetur : « Fui, inquit, jam non sum, quia etsi sum idipsum, jam nihil esse agnosco quod sum. »

Secundo, plane et genuine, hæc verba sunt Salomonis in regno regnique opibus mundi vanitatem experti; ideoque ait : « Fui, » ut præteritis regni annis plenam vanitatis hujus experientiam se accepisse demonstret. Igitur Salomon hic a thesi descendit ad hypothesin, id est, a generali mundi vanitate ad particulares, atque ut eas confirmet, asserit se omnes expertum, et in omnibus vanitatem deprehendisse. Ita S. Hieronymus, S. Gregorius Thaumaturgus et alii.

Ait ergo : Ego Ecclesiastes, id est concionator, qui Israeli totique mundo hic de vanitate mundi concionor, ut ab ejus amore ad Dei cultum omnes traducam, jam per plures annos fui rex Israel, id est rex populi Judaici, sive duodecim tribuum residens in eorum métropoli, puta in Jerusalem : ibi enim in regali solio post Davidem patrem meum consedi; quare omnibus hisce annis regni multa vidi, multa audivi, ac per sapientiam mihi a Deo inditam cuncta lustravi, cuncta examinavi, et in omnibus meram vanitatem agnovi. « Proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. »

Primo, nonnulli censent Salomonem hic confiteri suam curiositatem, qua res omnes, etiam minimas, nimis curiose voluit scrutari et intelligere, ideoque subjungere : « Hanc (curiositatis) occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. » Curiosi enim scrutantur inutilia et sæpe noxia, qualia sunt artes magicæ, quas Salomonem didicisse, cum coluit idola, id est dæmones, nonnulli autumant non improbabiliter; nam, ut docet S. Hieronymus, Præfat. in *Epist. ad Ephes.* : Curiositas magicarum artium solet idololatriæ jungi, ejusque esse quasi appendix. Hinc de Manasse ad idola declinante dicitur IV *Reg.* XXI, 6 : « Exstruxit altaria, etc., ariolatus est, observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit. » Sic et Julianus factus apostata, colensque deos gentium, per magos et dæmones de suis rebus, ac nominatim de successu belli Persici, quo ipse periit, consuluit, uti ex Procopio et aliis docet Baronius. Rursum impudicitiæ solet jungi veneficium. Unde Quintilianus, *Declamat.* IV : « Veneficium, inquit, tota vita meretricis est; » et Auctor lib. IV *ad Herennium* : « Majores nostri, inquit, quam impudicam judicarunt, eam veneficii quoque damnatam existimabant. » Nam, ut Apuleius ait lib. IX : « Hæ sunt familiares mulierum artes; » Salomon autem summe fuit mulierosus et impudicus. Ita censet Pineda, lib. VII *De Rebus Salom.* cap. XII.

Huc spectat expositio S. Hieronymi, quem sequuntur Albinus, Hugo Cardinalis, Dionysius et Arboreus, scilicet Salomonem hic accusare suam curiositatem investigandi, non tam res naturales, quam fortuitas Dei providentiæ subjectas : cur scilicet hic sit dives, honoratus, felix; ille pauper, vilis, infelix; cur hic sit princeps, prælatus, rex; ille privatus, civis, rusticus; cur impii evehantur, pii deprimantur et affligantur. Audi S. Hieronymum : « Dedit Ecclesiastes primo omnium mentem suam ad sapientiam requirendam, et ultra licitum se extendens voluit causas rationesque cognoscere, quare parvuli corriperentur a dæmone; cur naufragia et justos et impios pariter absorberent; utrum hæc et his similia casu evenirent, an judicio Dei? et si casu, ubi providentia Dei? si judicio, ubi justitia Dei? Hæc, inquit, nosse desiderans, intellexi superfluam curam et sollicitudinem per diversa cruciantem a Deo hominibus datam, ut scire cupiant quod scire licitum non est. »

Secundo, melius alii censent hic agi de vera

sapientia, licitoque ejus usu, sive per studium a Salomone acquisita, ut volunt Lyranus et Cajetanus; sive potius a Deo postulanti infusa : hac enim sapienter vestigabat res omnes, tam naturales, quam divinas, quæ sub sole fiunt. Ita Olympiodorus. Accedit Chaldæus qui vertit, *neque aliud a Deo postulavi quam sapientiam, ut possem inter honestum et turpe in his omnibus rebus, quæ sub sole usu venire consueverunt, judicium et sensum adhibere.*

Tertio, et optime planeque genuine, hæc accipias de sapienti consideratione actionum et occupationum hominum, quibus se varii varie occupant sub sole in hac vita, *q. d.* Ego Salomon per sapientiam mihi inditam sapienter scrutatus sum singulas hominum sub sole occupationes, negotia, curas et studia, ut viderem an in iis aliquid solidi, boni, gaudii et felicitatis reperire possem; nihil tale reperi, sed potius in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus. Hunc esse sensum liquet ex sequentibus, in quibus fuse singulas hominum occupationes, voluptates et studia ordine enumerat, ac sese per experientiam in singulis non nisi vanitatem et afflictionem invenisse commemorat. Dicit : « De omnibus quæ fiunt sub sole, » ut omnia se lustrasse ostendat, nullo prorsus excepto. Rursum ut exacte et clare, quasi in solari lumine, se ea perspexisse insinuet, *q. d.* Sicut sol cuncta clare lustrat et illustrat, sic et ego eadem sole illustrante perspicue conspexi; imo perinde ac si edito solis orbe consistens, omnia terrena longe sub me posita, velut exilia aspexi et despexi. Præclare S. Chrysostomus, epist. 5 *ad Theodorum lapsum* : « Omnia, inquit, umbra, somnia, cursus. Cursor est vita. Ut si quispiam rupis excelsæ verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multosque inde navigantium crebris fluctibus freti unda submergi, alios in prærupti montis saxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, aliquos tabulæ unius auxilio ex fragmentis navis inventæ a morte defendi, aliquando pro gubernaculo atque remigiis manibus tantummodo suis uti, alios autem videat turbidos fluctus multiformi atque multiplici genere cadavera ferre. Ita est qui militat Deo, cum se a tempestatibus atque turbinibus vitæ istius separarit, consistit in arduo semper ac tuto securus loco. Quid enim celsius potest esse, quid tutius, quam unam tantum nos sollicitudinem gerere, quomodo Deo placere possimus? Vidisti naufragia hujusmodi, pelagus undasque declina, et excelsum illum hujuscemodi pelago quære navigantem, et excelsum locum occupa, a periculo captivitatis immunem. »

Vers. 13. 13. HANC OCCUPATIONEM PESSIMAM DEDIT DEUS FILIIS HOMINUM, UT OCCUPARENTUR IN EA. — Septuaginta, *quoniam distentionem malam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea*; Syrus, *conversationem malam dedit Dominus filiis hominum, ut sollicitentur in ea*; Arabicus, *Deus enim dedit filiis hominum confusionem, ut occupentur in illa*; alii, *ut affligerentur in ea*; alii, *ut mitescerent in ea*; alii utrumque complexi, *ut illi* (Deo) *cum labore, sollicitudine, mansuetudine respondeant*, et satisfaciant. Unde R. Haccados vertit, *ut humilient se*, scilicet coram Deo creatore suo. Hebræum enim ענה *ana* significat affligi, prosterni, opprimi, humiliari, mansuescere, mansuete respondere. Unde ab *ana* derivatur ענין *inian*, id est afflictio, sollicitudo, cura, humiliatio. Noster vertit, *occupatio pessima*, id est laboriosissima et molestissima, quæ hominem assidue affligit, torquet, cruciat velut in equuleo vel pistrino. Alii vertunt, *negotiatio misera*. « Septuaginta, ait S. Hieronymus, Aquila et Theodotion, περισπασμὸν transtulerunt, quod in distentionem Latinus interpres expressit, eo quod in varias sollicitudines mens hominis distenta lanietur. » Interpres Nysseni vertit, *distractionem*, qua mens in varias quasi partes distrahitur et dissecatur : περισπασμὸς enim est distractio, divulsio, distentio, qua quis distrahitur, distinetur circa multa, distenditur, satagit. Hoc enim significat περισπάσται. Ad hæc περισπασμὸς verti potest *circumflexio*, ut persistat in metaphora circulationis et gyrationis sæculorum, temporum, hominum rerumque omnium, *q. d.* In hac terrenæ occupationis, laborum et dolorum rota assidue circumflectuntur, rotantur et gyrantur homines, instar Ixionis, uti pluribus dixi vers. 9.

Occupatio pessima, quæ? Resp. primo.

Rursum Septuaginta, cap. v, 2, hebræum *inian* vertunt πειρασμός, id est *tentatio*. Quæres, quænam hæc « occupatio pessima » homini a Deo data? *Primo*, S. Hieronymus, quem sequuntur Albinus, Hugo Cardinalis, Dionysius, Arboreus, respondet esse curiositatem cognoscendi parum utilia, imo vetita : « Ut scire cupiant, inquit, quod scire non est licitum, » ut scilicet velint nimia et difficili, longa et superba curiositate scrutari omnia plane, tam mala quam bona, quæ fiunt sub sole, ibique sistant, nec ad Creatoris cognitionem tendant vel assurgant. Hanc autem hominibus dedit Deus tum positive, quia scilicet indidit homini ingens scientiæ studium, moderandum tamen frenis rationis discretæ, sed homo eo abutitur ad nimiam curiositatem; tum objective, quia scilicet objecit oculis mentique hominum omnes res mundi, et, ut dicitur cap. III, 11 : « Mundum tradidit disputationi eorum, » quasi illum ceu ænigma hominibus natura sua curiosis scrutandum proponens.

Secundo

Secundo, melius alii per occupationem hanc intelligunt studium, sive speculationem rerum ad eas cognoscendas, et hauriendam earum scientiam. Hoc enim sciendi desiderium Deus homini indidit, ut eum a rebus carnalibus avocaret, et ad contemplanda sublimia, præsertim cœlestia et divina traduceret. Eadem est pessima et molestissima, quia laboriosissima, adeoque sæpe spiritus et vires exhaurit, stomachum cerebrumque debilitat, vitamque minuit vel adimit. Ita Lyranus et S. Cyrillus, lib. VII *Contra Julianum*, et noster Lorinus. Probant, quia sermo præcessit

de sapientia, et sapienti rerum investigatione, *q. d.* Ego Salomon dedi me sapienti speculationi rerum, quia hanc occupationem Deus homini indidit, cum ei indidit mentem rationalem res omnes scrutandi et cognoscendi avidam. Favet Symmachus, qui vertit ἀσχολίαν, id est otium litterarium, ita dictum, quia summum est negotium, ut ait Seneca lib. *De Brevitate vitæ,* cap. XIII et XIV, externa negotia cætera respuens, et laxamento quoque indigens; unde σχολὴ est schola, de cujus etymo ita canit Ausonius, *edyllio* 32 :

> Et cessare licet : Graio schola nomine dicta est,
> Justa laboriferis tribuantur ut otia musis.

Hinc rursus Hugo Victorinus dicit occupationem hanc a Septuaginta vocari *distentionem*, quia occupatio scientiæ distendit homines ut exterius intumescant, interius inanes evadant, ut foris majores appareant, intus soliditatem amittant, scipsos considerare non valendo. Nam « scientia inflat (uti ventus inflat utrem et follem), charitas ædificat, » I *Corinth.* VIII, 1. Verum minus congrue Salomonis sapientia illi a Deo indita, optimaque, qua sapienter, utiliter et jucunde contemplabatur omnia quæ sub sole fiunt, vocatur occupatio pessima.

Tertio genuine. *Tertio* ergo, genuine et aptissime, occupatio hæc est circa ea quæ sub sole fiunt, uti proxime antecessit, puta varia hominum negotia, studia, curæ, sollicitudines circa res terrenas, quibus alius in mercatura, alius in agricultura, alius in fabrili, alius in studiis, alius in aula, alius in alia re se occupat, ut vitæ alimenta, vel delicias, opes, honores et dignitates consequatur, *q. d.* Ego Salomon contemplatus sum omnia hominum sub sole studia, et curas quibus sese occupant, magnis continuisque laboribus et angoribus, circa res terrenas; hanc enim circa terrena occupationem Adæ, id est terreno homini, ejusque posteris indidit Deus, Hebraice *Elohim*, id est summus gubernator, judex et vindex, ut occuparentur et distenderentur in ea, tum ad fugam otii, tum in pœnam peccati, juxta illud Dei ad Adam : « Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ : spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » *Genes.* III, 17. Unde apposite hanc occupationem pessimam explicans, subdit Ecclesiastes : « Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus. »

Dicit ergo Ecclesiastes occupationem sub sole, qua scilicet homines se occupant circa res terrenas soli subjectas, ac quærunt bona subsolaria et sublunaria, puta terræ opes, voluptates, honores, esse pessimam, id est molestissimam, laboriosissimam, summe cruciantem, tum ut bona hæc acquirant; tum ut conservent et augeant tum dum ea amittunt, vel in morte relinquere coguntur.

Qua phrasi tacite per argumentum a contrario colligendum relinquit, occupationem supra solem, qua scilicet homo quærit bona cœlestia, ac versatur cum Deo et angelis, esse optimam, id est honestissimam æque ac jucundissimam. Hæc enim occupatio est prælibatio paradisi, ac prægustus vitæ beatorum et felicitatis æternæ. « Septem sunt, ait Beda in *Collectaneis,* quæ non inveniuntur in hoc mundo : vita sine morte, juventus sine senectute, lux sine tenebris, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine injuria, regnum sine commutatione : septem vero hæc inveniuntur in regno cœlorum.

Hunc esse sensum liquet ex Hebræo הוּא *hu*, quod est exegeticum; exponit enim τὸ *omne quod fit sub sole* ab hominibus per τὸ *occupatio pessima*, ut sit epexegesis vel appositio. Unde ex Hebræo sic præcise vertas cum Vatablo, *ut investigarem omne factum sub sole, id quod est occupatio misera, quam tradidit Deus hominibus ut occuparentur in ea,* ut sit quasi parenthesis. Latine sic verti posset, *nam ea est occupatio misera, qua voluit Deus homines occupare.* Vel, ut Tigurina, *quam occupationem laboriosam Deus hominibus injunxit, ut ea humiles redderet.* Hinc et Chaldæus vertit, *et vidi quod omnia opera filiorum hominum sunt occupatio pessima, quam Deus dedit filiis hominum peccatorum, ut affligerentur in ea.* S. Gregorius Thaumaturgus : « Sane, inquit, diligenti indagine animadverti maxime variam esse rerum quæ in terris aguntur conditionem, didicique cum primis hominem ad laborem natum, plurimisque frustra occupari. » Dein vers. sequentem ita nectit et reddit : « Animum enim inferiora hæc omnia gravi, amarulento et abominato spiritu distendunt. » Clare quoque Olympiodorus : « Laboriosam occupationem dedit Deus filiis hominum ad magnam illorum utilitatem; quod in comparandis divitiis, et in acquirenda inani gloria, ac etiam in iis quæ ventri ac gulæ gratificantur, summopere laborandum. Si enim labores et angustias tantas subimus, ut possideamus quæ vana sunt, quonam flagitii progrederemur, si hæc ipsa otiosis nobis ultro advenirent? Suum igitur quisque est in pistrinum detrusus. »

Hæc enim occupatio pessima est quasi equuleus, in quo distenduntur, ut vertunt Septuaginta, et quasi pistrinum, in quo molam vertere coguntur assidue mortales. Unde Thuanus ita paraphrastice vertit :

> Quippe hoc regnator Olympi
> Pistrinum, in pœnas, vita mortalibus omni
> Versandum sine fine dedit, sine fine movendum.

Et S. Paulinus, epist. 4 *ad Severum* : « Considera, ait, hujusmodi mortalium vitam, et tota tibi species jumenti molentis occurret, ut ille pannis oculos corporis, sic iste sordibus vitæ suæ oculos mentis consutus per errores suorum sensuum,

quasi circa ambages molarum, laboriosa miser statione versaturus.» Solebant olim capti in bello, puta mancipia, damnari (uti Samson a Philistæis damnatus est, *Judic.* XVI, 21), ad pistrinum ut molam rotarent, idque suo ævo factitatum scribit S. Augustinus, *epist.* 50; atque idipsum etiamnum factitant Saraceni. Tale prorsus pistrinum est vita hæc ærumnosa, ad quam omnes ob peccatum damnati sumus instar Ixionis. Et tamen sunt nonnulli, « qui molam negotiorum volvere suavem deputant voluptatem, » ait B. Petrus Damianus, Opusc. XIII *De Perfectione monachorum.*

Occupationem hanc ærumnosam, Salomonem secutus Siracides graphice depingit, cap. XL, 1 : « Occupatio, inquit, magna creata est omnibus hominibus; et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. » Et deinde partes sive species enumerat : « Tumultum, fluctuationem, iracundiam, furorem, zelum, timorem, contentionem, mortem, rhomphæam, oppressionem, famem, » etc.

Cur homini data?

Vox *occupatio* significat *primo*, eam non esse unius horæ vel diei, sed continuam, assiduam et perpetuam per omnem vitam; *secundo*, eam totum hominem distinere et occupare, ut aliis vacare nec libeat, nec liceat; *tertio*, hominem tot laboribus et doloribus hujus vitæ occupatum, et quasi obrutum, nullum in ea invenire solatium; ac proinde oculos mentis debere attollere ad Deum, ejusque opem et consolationem humiliter implorare. Ideo enim ipsa illi a Deo in pœnam peccati immissa est, ut coram Deo se humiliet, supplexque veniam opemque postulet. Alias causas et fines ob quos Deum illam homini immisit, suggerit Olympiodorus, scilicet ut homo ex ipsa sua occupatione, tam dura et molesta, sic secum ratiocinetur : Si quoquo te vertas, et circa bonum, et circa malum laborare oporteat, eligendus est labor et occupatio circa bonum, quem consequitur voluptas ineffabilis. Prudens enim est Sapientis dictum : « Ne labores citra præmium; » multo magis : « Ne laborem facias laboris præmium, » uti faciunt qui laborant in vitio et scelere : per hoc enim non nisi labores et dolores sibi accersunt.

Rursus ex duobus malis minus est eligendum; elige ergo occupationem et laborem circa virtutem, quia is minor, quam labor impensus vitio, tum ob honestatem virtutis, tum ob gaudium et præmium, quod ex virtute consequitur. Dicat ergo sibi ipsi Sapiens : Omnis hæc mortalium vita dolore et mœrore est gravida, est equuleus, est pistrinum; ut quid ergo illa me occupem? vita futura omni gaudio et jubilo est opulenta; ut quid ergo eam non ambiam? cur omne studium ei non impendam? Quicumque te cœlo natum et destinatum agnoscis, terram despice, terrena despice, vive Deo, vive cœlo, vive æternitati.

Vis nosse quid sint omnes mundi opes, voluptates, honores? Audi respondentem S. Gregorium Nazianzenum in Carm. *De Vitæ itineribus*, dum illi hæc epitheta tribuit :

Langor, spectrum, ros, et levis umbra vaporque,
Flumineus fluxus, fluxus et æquoreus,
Somnia, fluctivagæ navis vestigia, ventus,
Penna celer volitans, pulvis et aura levis.
Circulus æquali qui motu cuncta volutat,
Constans atque rotans, fixus et interiens.

Unde concludit :

Nil autem hic firmum providit Christus ut esset,
Quo tua firmorum pectora tangat amor.

Et S. Athanasius in *Synopsi S. Script.*, in *Ecclesiaste* : « Universa vanitas, inquit, et afflictio spiritus, et nihil amplius quam vanitas consilii, et inanis voluntatis conatus, futurorum bonorum æternitatem significat; quapropter universa transcendens, hortatur ut æternorum memoriam servemus. »

14. VIDI CUNCTA (opera, ut habent Hebræa) QUÆ FIUNT SUB SOLE, ET ECCE UNIVERSA VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS. — Hæc verba pendent a vers. 12 : « Ego Ecclesiastes, » etc. Nam vers. 13 quasi per parenthesim insertus est, uti ibidem dixi; minus congrue alii illa referunt arctantque ad vers. sequentem, uti ibidem explicabo. Arabicus vertit : *Et cognovi omnes artes quæ fiunt sub sole, ecce omnes sunt vacuæ, et angustia spiritus.* Pro *vanitas* Aquila vertit ἀτμίς, id est vapor. Vide dicta initio capitis, vers. 2. Vers. 14.

Pro *afflictio spiritus* Hebraice est רעות רוח *reut ruach*, ubi *reut* secundum diversas radices diverse a diversis exponitur. *Primo* enim, si *reut* derives a רוע *roa*, id est malum esse, conteri, affligi, idem erit quod malitia (id est miseria), contritio, afflictio, ut vertit Noster. Hinc Syrus vertit, *sollicitudo spiritus;* Arabicus, *angustia spiritus;* Chaldæus, *contritio spiritus;* vel, ut Costus vertit, *animi molestia;* alii, *irritamentum spiritus;* alii, *defatigatio spiritus;* Vatablus, *fractio spiritus, q. d.* Ego Salomon contemplans omnia hominum studia, omnes occupationes et labores, invenio omnia non tantum vana, hoc est suscipi conatu irrito, casso labore, exitu vano ac nullo; sed etiam spiritum, id est mentem hominis affligere, cruciare et conterere : singula enim tot curas, angores, ærumnas, molestias, labores homini afferunt, ut videantur nata ad affligendum illius animum. Ita S. Hieronymus : « Nihil aliud, inquit, deprehendi quam vanitatem et malitias, id est miserias spiritus, quibus anima diversis cogitationibus afflictatur. » Hebr. *reut* primo est afflictio.

Rursum, alii *malitiam spiritus* sic explicant, *q. d.* Omnia quæ in mundo sunt, malefico et quasi venenato spiritu sunt plena, quia hominem affligunt, cruciant, necant. Unde Thaumaturgus vertit, uti transfert Brigitanus, *animum inferiora hæc omnia gravi, amarulento et abominato spiritu dis-*

tendunt. Alii vero transferunt, *spiritu prodigioso et exsecrando omnia hæc inferiora plena sunt, adeo ut ea colligere nemo queat, imo ne quidem cogitare, quanta res humanas absurditas invaserit, q. d.* Malus spiritus, puta diabolus, qui post peccatum homini et aeri huic dominatur, omnibus mundi illecebris se immiscet, facitque ut speciosiores et delectabiliores multo appareant, quam revera sint, itaque homines illicit, ut illis se oppleant et peccent, ac deinde virus suum per eas tum in corpus, tum in animum hominis instillat, ut corpus morbis, animum dolore et remorsu, cæterisque peccatorum pœnis affligat et cruciet. Hinc et S. Hieronymus ad versum sequentem : « Cuncta, ait, quæ sub sole facta sunt, diaboli arbitrio et spiritu malignitatis eversa sunt; dum ad ejus instinctum peccata peccatis cumulantur. »

Secundo. *Secundo,* Aquila, Symmachus et Theodotion *reut* derivantes a רעה *raa,* id est pascere, vertunt νομή, vel βόσκησις, id est, *pastio* vel *pastura spiritus,* id est *venti.* Jam pastio tripliciter accipi potest : *primo,* objective, *q. d.* Omnes mundi honores et illecebræ non sunt nisi perflantes venti, qui animum distendunt, ac pascere et satiare nequeunt, juxta illud *Jerem.* XIV, 6 : « Onagri steterunt in rupibus (ubi magis perflant venti), traxerunt ventum quasi dracones; » quare tales sunt sicut chamæleon, qui, ut ait Plinius lib. VIII, cap. XXXIII, hianti semper ore, solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento. » *Secundo,* active, *q. q.* Qui sequitur vanas mundi opes et honores, similis est pastori, qui pascit non oves, sed ventos, id est illi qui tentant rem inutilem et impossibilem. Quis enim ventos pascere et regere queat? juxta illud *Prov.* X, 4 : « Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes. » *Tertio,* pastio sumi potest pro depastio, *q. d.* Omnes res mundi non sunt aliud quam depastio, perditio, destructio et consumptio spiritus. Sicut enim bos depascitur gramen, sic illæ depascuntur et consumunt omnes animæ vires, omnes spiritus, omne gaudium.

Tertio. *Tertio,* רעה *raa* Syrochaldaice significat *cogitare* : unde רעות *reut* a Pagnino vertitur *cogitatio,* a Septuaginta προαίρεσις, id est libera electio et voluntas.

Est allusio ad hebræum רעה *raa,* id est pascere, eo quod cogitatio sit pabulum mentis, vel quod mens pascat regatque suas cogitationes, sicut pastor oves; sensus ergo est, *q. d.* Omnes mundi illecebræ, quæ cupidis videntur eximiæ, non sunt nisi eorum cogitatio, et imaginatio, quam parit cupiditas; ex illa enim imaginantur sibi eis inesse ingentia gaudia, satiem et felicitatem, quæ revera non insunt : quare illecebræ non pascunt nisi eorum imaginationem, imo revera non sunt aliud quam imaginationes, et imaginaria gaudia et somnia; sicut enim somnians videtur sibi epulari, potare, saltare, ac revera non epulatur, non potat, non saltat : unde dum expergiscitur, jejunum, sitibundum et cubantem se reperit magis quam ante : sic pariter mundi deliciæ videntur mentem exhilarare et satiare, at revera non exhilarant et satiant, nec solida menti dant gaudia. Unde Plato : « Spes mortalium, ait, sunt somnia vigilantium. » Et Platonem de more secutus Philo, lib. *De Joseph* : « Vigilantium imaginationes, ait, somniis sunt simillimæ; veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, et priusquam comprehendantur avolant. » Rursum, προαίρεσις est libera voluntas, electio, propositum, delectus, animi sententia, secta. Significat ergo, ait S. Hieronymus, « quod agat unusquisque quod velit, et sibi rectum esse videatur, atque in diversa libero homines ferantur arbitrio : et vana sunt universa sub sole, dum invicem nobis in bonorum et malorum finibus displicemus. » Quisque igitur in mundo pro libito agit, et voluntatis corruptissimæ ductum sequitur : ex quo fit ut mundus iste sit velut carcer quidam insanientium, et singulorum quidem suis singulis erroribus, ac falsis opinionibus furentium. Et quod mirabile est, cum insaniant omnes, quisque solum se sapere, cæteros insanire existimat; sicut *Proverb.* XVIII, 2, scriptum : « Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus. » Ita Pineda. Spes hominum somnia vigilantium.

Accedit Olympiodorus, qui vanitatem summam in eo ponit, quod voluptuarii non ex necessitate, sed libera electione capessant voluptates illicitas, quibus sibi accersunt æterna gehennæ tormenta. Ad hæc προαίρεσις verti potest *præsumptio spiritus,* id est audacia ac superbia, qua elati multa magnaque, etiam vetita et supra vires audent et præsumunt. Ita S. Augustinus, homil. 1 *De Sermone Domini in monte* : « Vulgo, inquit, magnos spiritus superbi habere dicuntur, et recte, quandoquidem spiritus ventus vocatur. » Nazianzenus vero, *orat.* 10 : « Præsumptio, inquit, spiritus est inconsideratus quidam animi impetus, et distractio hominis ob veterem fortasse lapsum hac pœna mulctati. » Ubi Elias Cretensis Nazianzenum exponit « de anima temere, atque inconsiderate impulsa ad mundi vanitatem, atque hujus vitæ labori et ærumnis ob violatum Dei mandatum addicta. »

Quarto, alii apud Pagninum in *Lexico, reut* vertunt, *societas* vel *amicitia* : רע *rea* enim est socius vel amicus, *q. d.* Dum quæris amicitiam hominum, vel societatem creaturarum, non aliud quæris quam amicitiam et societatem cum spiritu, id est cum vento, quem videre et tenere nequis ut eo fruaris, cum ille dicto ocius perflet, et diffluat et transeat. Ex hac rerum vanitate et afflictione colligit S. Cyprianus, lib. III *Testimon. ad Quirinum,* cap. XI, fidelem cœlestia tantum et spiritalia cogitare debere, nec attendere ad sæculum : utpote qui jam illi in Baptismo renuntiavit, id- Quarto.

que multis Scripturis testimoniis confirmat (1).

Vere S. Chrysostomus, epist. 5 *ad Theodorum lapsum* : « Sicut, inquit, in utero puellus, sic in mundo vivimus multis interclusi angustiis, venturique sæculi nec fulgorem, nec claritatem valentes contueri. » Quin et Pindarus *Pyth.* ode 8: « Brevi, inquit, mortalium oblectatio crescit; itidem vero et cadit in terram, infausto consilio concussa; diei unius sunt homines. Quid est aliquis? quid vero nullus? umbræ somnium homines. Sed cum lux a Jove data accesserit, splendidum est lumen hominum et suavis vita. »

Vers. 15. 15. PERVERSI DIFFICILE CORRIGUNTUR, ET STULTORUM INFINITUS EST NUMERUS. — Hebræa ad verbum habent, *quod depravatum, vel perversum est non poterit quis reconcinnare; et diminutio, vel defectus non poterit numerari.* Ita Vatablus. Alii, *curvitas non potest dirigi, et defectus non potest numerari;* alii, *quod curvatum est non poterit rectificari, et quod defectum habet non potest numerari,* vel *in numerum venire;* Septuaginta, *perversum non poterit adornari, et imminutio non poterit numerari;* alii; *perversum non potest componi, restitui, aptari, præparari, emendari, convenienter disponi, æquari.* Hæc omnia enim significat hebræum תקן *takan,* scilicet id quod distortum, incurvatum, obliquum vel depravatum est corrigere, erigere et aptare, componere, inæqualitatem ad æqualitatem, curvitatem ad rectitudinem, difformitatem ad conformitatem et convenientiam redigere, ut partes inter se congruant et consentiant. Unde Hebræa vertunt, *regulare,* vel *rectificare;* Arabicus, *perversum non potest dirigi, neque diminutum potest aggregari.* Noster solerter et clare neutrum vertit in masculinum, puta perversum in perversos, ac per imminutionem vel defectum accipit defectum sapientiæ, puta stultitiam quæ est in stultis. Unde vertit, *stultorum.* Hi enim sunt minuti, non capite, sed cerebro, hoc est sensu et sapientia. Unde et Syrus vertit, *perturbatus non potest confirmari; et stultus non potest numerari.* Accedit Chaldæus, cujus versionem inferius recitabo. Pro *stultus* hebraice est חסרון *chesron,* id est defectuosum, mancum, indigens; item defectus, penuria, egestas. Est metonymia frequens Hebræis, qua ponitur abstractum pro concreto, scilicet defectus pro deficientibus sensu. Rursum est auxesis: stulto enim deest sapientia, ac consequenter bona omnia, adeo ut ipse possit vocari *chesron,* id est ipsa egestas; sicuti Ebion hæresiarcha dictus est quasi אביון *ebion,* id est pauper a summa pauperie, quam ipse velut perfectionis studiosus præ se ferebat, aut potius quod pauperrime de Christo sentiret, negans ejus divinitatem, ut ait S. Ignatius, epist. *ad Philad.* : « Si quis, ait, confitetur Jesum Christum nudum esse hominem, etc., inops est sensus, cognomento Ebion. »

Pro *chesron* Septuaginta vertunt ὑςέρημα, id est *defectus.* Sic et Symmachus : « Defectus, inquit, non potest explere numerum. » Quare minus recte Complutenses et Regii ὑςέρημα vertunt, *posteritas:* Posteritas, inquiunt, *non potest numerari;* Hebræum enim *chesron,* et græcum ὑςέρημα significat defectum, inopiam, penuriam, et partes posteriores ejus qui deficit vinciturque, non autem progeniem vel posteritatem (2).

Perversum non potest reconcinnari. Primo.

Jam si cum Hebræo aliisque in neutro legas, *perversum non potest reconcinnari, nec defectus numerari: primo,* aliqui censent hoc dici contra illos qui putabant mundum factum casu, ideoque imperfectum esse; tunc autem sententiam cum interrogatione legi oportere, hoc modo : Quidnam deprehenditur in hoc mundo, quod imperfectum sit atque perversum, vel ita ut emendari oporteat illud? Quid vero etiam deficit in universo mundo, ut addendum annumerandumque sit? S. Hieronymus hæreticos illos hinc arguit, qui quasdam naturas introducerent quæ non reciperent sanitatem : Recta enim, inquit, ornatum recipiunt, et curva correctionem, nec perversus dicitur, nisi qui depravatus a recto est.

Secundo.

Secundo, alii ex adverso censent hæc pertinere ad vanitatem rerum sublunarium, de qua vers. præcedenti, eamque explicare et confirmare ex eo quod hæ res omnes, præsertim post peccatum Adæ, in ejus pœnam depravatæ sint ac imperfectæ, diminutæ, deficientes, evanidæ, quas nemo possit redintegrare, ut partibus omnibus suisque numeris sint plenæ et absolutæ; nemo perficere, aut adipisci, ut iis beate fruatur: quia quod in iis depravatum est, non potest corrigi; quod in iis deest (uti plurima desunt), non venit in numerum : quod enim non est, sed deest, non potest æstimari et numerari. Præclare S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Cura pauperum* : « Nihil est in rebus humanis natura stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in eodem statu permanens; sed omnia quadam veluti rota circumvolvuntur, diversas sæpe diebus singulis, etiam horis vicissitudines afferente, ut instabilibus ventis, et navigii mare secantis vestigiis, et fallacibus noctis insomniis, quorum brevis est gratia, et his quæ per ludum in arena fingunt pueri, magis fidendum sit, quam præsenti hominum prosperitati. Quare prudenter faciunt, qui propterea quod non fidunt rebus præsentibus, rationibus suis consulunt in futurum; et propter instabilem humanæ felicitatis conditionem, benignitatem et misericordiam, quæ nunquam deficit, complectuntur. »

Hinc rursum defectus rerum sublunarium nu-

(1) Hodierni fere omnes vertunt, *studium inane;* referunt scilicet *reouth* ad rad. רעה, quod verbum chaldaice idem est quod Hebraicum רצה, *voluit, cupivit, sectatus est.* Versio tamen Vulgata bene defendi potest.

(2) Jungendus est hic versus cum præcedente, ita: Observavi, quod *perversum non potest rectum fieri; et defectus non potest numerari,* id est, innumerabilia sunt quæ defectu laborant; alii ob parallelismum, *quæ defectu laborant, non possunt sarciri* seu *suppleri.*

merari non possunt, quia sunt plurimi et innumerabiles, et tamen cum tot defectibus et egestatibus scateant, præ se ferunt et promittunt rerum abundantiam et copiam, quæ hominis cupiditatem satient et expleant, perinde ac *Proverb.* IX, 13, meretrix illa « stulta et clamosa plenaque illecebris, et nihil omnino sciens; » vel, ut legunt Septuaginta, *mulier insipiens et audax, et indiga buccellæ*, tamen ambitiose et mendaciter invitat ad *panem suavem*. Non aliter mundus panis egens, fame enectus, siti confectus mentitur convivium splendidum et opiparum, omnium deliciarum locuples atque refertum. Hæc ergo est earum vanitas. Ita Pineda.

Huc accedunt illi qui priorem partem versus referunt ad indomabilem perversitatis et malignitatis rerum contumaciam, posteriorem vero ad stultorum illis obstinate inhiantium multitudinem, *q. d.* Omnia in mundo vana, id est molesta, absurda, perversa sunt; quibus accedit vanitas et stultitia hominum, illis stulte inhiantium, et tam se quam ipsa magis depravantium. Unde Thaumaturgus vertit : « Atque adeo ad tantam rerum deordinationem perventum est, ut nec vel ad integrum boni statum mundus reparari, nec quantis absurditatibus humana negotia involvantur possit cogitari. » Et S. Hieronymus qui varios hic sensus conglomerat : « Tanta malitia, inquit, in mundi hujus capacitate versatur, ut ad integrum boni statum mundus redire vix valeat : nec possit facile recipere ordinem et perfectionem suam, in quibus primum conditus est. Aliter : Omnibus per pœnitentiam ad integrum restitutis, solus diabolus in suo permanebit errore. Cuncta enim quæ sub sole facta sunt, illius arbitrio et spiritu malignitatis eversa sunt, dum ad ejus instinctum peccata peccatis cumulantur. Denique tantus numerus est seductorum, et eorum qui de grege Domini ab eo rapti sunt, ut supputatione non queat comprehendi. »

Porro res omnes per peccatum depravatæ sunt, tum a Deo, ut esset homini in pœnam et flagellum, ut patet *Gen.* cap. III, 18; tum a diabolo, quia illarum speciem magis illecebrosam, quam revera sit, homini ostentat, ut eum ad peccatum illiciat, uti dixi vers. præcedenti; tum a concupiscentia hominis, quæ illis abutitur, illasque depravat et corrumpit, ut sese iis magis oblectet et expleat. Gula enim adinvenit novas ferculorum illecebras, novas mixtiones, nova condimenta eaque innumera, quibus simplex escarum natura corrumpitur et pervertitur. Luxuria adinvenit novas et portentosas libidines. Superbia adinvenit novos titulos, novas pompas, novos fastus. Curiositas adinvenit novas vestium formas, novos equorum rhedarumque apparatus, denique rerum omnium novitatem. Hinc

Tertio, aliqui referunt hanc gnomen ad humanæ naturæ per peccatum depravationem, *q. d.* Deus hominem, puta Adamum, creavit integrum et rectum, tum in natura, tum in sanctitate et gratia. Justitia enim originalis non tantum sanctificabat Adamum, sed etiam humanam in eo naturam in se imperfectam, et ut ita dicam mutilam, utpote in qua appetitus sensitivus sæpe adversatur rationi et menti, ex eo quod anima hominis partim sit animalis, habensque appetitus carnales eosdem, quos habent animalia; partim sit rationalis et spiritalis, habensque appetitus spiritales eosdem, quos habent angeli; hanc, inquam, adversam, et quasi mutilam hominis naturam, inter se confligentem et compugnantem, justitia originalis sanabat, corrigebat, perficiebat, subdens appetitus omnes rationi et menti. Verum sublata per peccatum hac justitia, relapsus est homo in naturalem naturæ suæ imperfectionem, ut sensus rebellet rationi, concupiscentia voluntati, appetitus legi. Dicit ergo Salomon hanc naturæ depravationem esse tantam, ut a nullo hominum vel angelorum possit corrigi et redintegrari, quodque ejus defectus, propensiones in omnia vitia, miseriæ et ærumnæ sint tot et tantæ, ut a nullo queant enumerari; ideo ad omnes eos restaurandos opus esse gratia Christi : hæc enim omnes inchoate sanat in hac vita, ac perfecte sanabit in futura gloria. Viderunt hanc naturæ depravationem philosophi : sed ejus causam, scilicet peccatum originale ignorarunt. Unde alii impie accusarunt Deum, qui hominem tam miserum creasset; alii naturam, quasi hominum esset noverca, non mater, ut Cicero, lib. III *De Republ.*, quem citat S. Augustinus, lib. IV *contra Julian.* cap. XII. Sanctitas et sanitas Adæ

Hinc Nyssenus sic explicat, *q. d.* Vanitas jam dicta accidit non a natura, non a Deo, sed ab hominis electione, ut vertunt Septuaginta. Quia spiritus noster, a suo ornamento et integritate libere discedens, factus est perversus, mancus, distortus; et « quod perversum est non poterit exornari, » id est, hæc hominis per peccatum corruptio et depravatio non est conveniens, nec congruit naturæ primitus a Deo institutæ et justitia originali exornatæ, ac velut adamussim rationis et legis Dei directæ.

Quarto, perperam ex hoc loco argumentantur donatistæ perversum esse baptismum qui male credenti confertur, aut a male credente, puta ab hæretico, impenditur, ac proinde non posse eum redintegrari, sed debere iterari ac de novo conferri. Audi Parmenianum objicientem S. Augustino, lib. II *Contra Parmen.* cap. XVI : « Qui male credidit non potest consequi baptismi sacramentum; quia scriptum est : Perversum non potes adornare. » Cui respondet S. Augustinus : « Perversum non potes adornare; quia non ei adornatum valeret Sacramentum quod acceperat, si in fide perversa persisteret, sed potius ad supplicium : cum tamen ipsum sacramentum per se etiam in perverso, quem non ornabat, sed judicabat, integrum permaneret, et ideo nullo modo esset illius sacramenti violanda sanctitas, etiam Quarto.

cum esset illius hominis corrigenda perversitas.» Baptismus ergo hæreticorum et impiorum est perversus, non in substantia, quia si debitam materiam et formam servent, verum et validum est sacramentum, ideoque sine sacrilegio iterari nequit, ut eo quis rebaptizetur; sed in usu, quia graviter peccat tam impie conferens, quam impie suscipiens : quare non confert gratiam, sed imprimit characterem, per quem conferet quoque gratiam, cum per pœnitentiam sublatus fuerit peccati obex.

Quinto. *Quinto,* Pagninus in *Lexico* vertit explicatque in sensu formali, *perversitas nunquam poterit esse rectitudo,* hoc est, vitium nunquam potest esse virtus; sive, ut Græci in *Catena :* « Perversus et in malitiam lapsus, dum in malitia est, virtutem recipere non potest, » scilicet in sensu composito quamdiu in malitia persistit. Cajetanus vero, *tortum non potest aptari;* quod ipse non tantum de moribus, sed etiam de rebus physicis accipit, v. g. « quod agnus rapitur a lupo, quod segetes destruantur ab imbribus vel caumatibus; » nemo enim agnum a lupo laniatum redintegrare, vel segetes imbre disjectas, aut æstu exustas restaurare potest.

Verum hic sensus parergus est, futilis et impertinens. Quare sensus secundo loco recensitus in primis est genuinus, deinde tertius.

Sed juxta Vulgatam, quæ habet, *perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.* Varius hujus sententiæ occurrit nexus et sensus.

Perversi difficile corriguntur, quo sensu? Resp. primo. *Primo,* censent aliqui esse occupationem, qua Salomon occurrat tacitæ objectioni. Dicet enim quis : Si omnia in mundo sint vana, hominemque sibi indulgentem affligunt, utquid ergo homines rationales vanitatem hanc videntes et audientes, iis tamen obstinate inhiant? Respondet causam esse hominum illecebris mundi inescatorum et dementatorum perversitatem et stultitiam, qua velut effrenes furentesque equi in sua damna et præcipitia ruunt; hæc enim ipsi, utpote cupiditati cæci, non vident, concupiscentia sua occupati non præsentiunt, sed postea pœnam sentiunt et sero pœnitent. Hic colligit Salomon : Non ergo illis, utpote insipientibus, sed mihi sapienti, qui sedato rectoque judicio omnia examinavi et judicavi omnia esse vana, fidem adhibete.

Secundo. *Secundo,* uterque Hugo Cardinalis et Victorinus ac Lyranus censent hanc gnomen nectendam præcedenti : illam enim explere, quasi vanitas illa de qua versu præcedenti, hic ea duntaxat intelligatur, quam viri sapientes, præsertim rectores et reges, qualis erat Salomon, experiuntur in gubernando, scilicet difficultates corrigendi subditorum cupiditates et vitia, quod perversi difficile corrigantur. Verum hic sensus nimis arctat gnomen præcedentem de vanitate rerum, cum illa in se sit indefinita, ampla et generalis. Huc accedunt illi qui hanc gnomen nectunt vers. 13, ibique per occupationem pessimam accipiunt studium scien-

di, mentisque speculationem, *q. d.* Non tantum cognitioni et speculationi sua inest vanitas et afflictio spiritus, sed et praxi : frustra enim hominum perversorum mores corrigere velit sapiens, ideoque affligitur.

Tertio. *Tertio,* alii censent hic probari vanitatem rerum ex vanitate et perversitate hominum, qui stultis suis concupiscentiis depravati, a fine suo et felicitate declinant, seque conjiciunt in æterna tormenta. Quid enim vanius, quam aberrare a suo fine? Quid stultius, quid miserius, quam sibi accersere ignes perpetuos? Alii ex adverso censent vanitatis rerum causam hic tribui, non Deo creatori, sed electioni, ut habent Septuaginta, et perversitati hominum, qui res bonas a Deo creatas suo abusu distorquent in malum, ac depravant, itaque « harmoniacum mundi concentum vitiant, et dissonum efficiunt, » aiunt Patres in *Catena Græcorum.*

Quarto. *Quarto,* Chaldæus hæc refert ad morientes in peccato; hi enim post mortem pœnitere et corrigi nequeunt : « Vir, inquit, cujus perversæ viæ sunt in sæculo, et moritur in eis, et convertitur ad pœnitentiam, non habet potestatem corrigendi. Et vir deficiens in lege et præceptis in vita sua, post mortem suam non habet potestatem, ut commoretur cum justis in paradiso voluptatis. » Verum hic sensus mysticus est potius quam litteralis. Huc accedit illa inter alias S. Hieronymi expositio paulo ante recensita, nimirum de improbis, quorum dux et auctor sit diabolus, qui pœnitentiæ incapax in suo permanet errore. Et illa *Catenæ Græc.* : « Perversus et in malitiam lapsus, dum in malitia est, virtutem recipere non potest; et qui gratia Dei est destitutus, haudquaquam piis Dei cultoribus potest annumerari. »

Quinto et genuine. *Quinto* et genuine, assignat hic Ecclesiastes per modum exempli, unam inter alias insignem vanitatem et afflictionem spiritus, quæ Ecclesiasten, id est, virum sapientem et concionatorem, præsertim rectorem et regem, cui reipublicæ et subditorum salutis cura incumbit, mire affligit et cruciat, nimirum quod ex officio simul et zelo summe cupiat reformare rempublicam, et subditos ab amore perverso vanitatis, rerumque vanarum traducere ad amorem castum veri boni, puta Dei, virtutis et felicitatis, id tamen omni suo labore et conatu assequi nequeat nisi in paucis, eo quod plurimi sint perversi, qui difficile se corrigi sinunt, et stultorum, vanis stultisque cupiditatibus servientium infinitus sit numerus, juxta illud *Jerem.* XIII, 23 : « Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. » Perversi enim sunt, qui habitum malitiæ peccando induerunt, in eoque occalluerunt.

Sensus ergo est, *q. d.* Ego Ecclesiastes, rex Israel, consideravi omnia quæ fiunt sub sole, omnes hominum mores, omnia studia, ac vidi in omnibus esse vanitatem et afflictionem spiritus,

atque inter alias vidi unam insignem, quæ me meique similes reges et rectores maxime affligit et pungit, scilicet quod omni mea concione, omni lege et jussu, omni meo labore et conatu, parum et apud paucos proficiam; quia multo major hominum pars fucata et fallaci vanitatis, vanarumque opum, deliciarum et honorum specie inescata, perverse et obstinate iis inhiat, ideoque corrigi non vult; quare stultorum vanis stultisque mundi illecebris incumbentium, iisque se inebriantium et dementantium numerus est innumerabilis.

Stulti ethice qui?

Stultos vocat non physice, sed ethice, qui in veritate non speculativa; sed practica errant et delirant, puta impios suis cupidinibus mancipatos, qui prave de rebus agendis æstimant, dum vana bona veris, brevia æternis, terrena cœlestibus anteponunt; hæc enim ingens est stultitia. Rursum *stultos* vocat eos qui in agendo sunt præcipites, temerarii, audaces, furiosi; quales non raro sunt potentes et divites, qui vanis mundi opibus incubant et abundant. Conatur Eugubinus, lib. VII *De Perenni Philos.* cap. IX, Cottæ apud Ciceronem argumentum contra providentiam dissolvere, quod, cum tantus sit numerus stultorum, non videatur a Deo mundus factus propter illos, ac proinde casu exstitisse, non ab illo. Contendit enim ostendere magnam proborum omni ætate multitudinem fuisse, maximam peccantium multitudinem pœnitere, paucos prodigiose malos esse: longe paucissimos esse, qui, si depravatissime vivant, non denique Deum quoquo tempore agnoscant et fateantur. Felicius alia succedit Eugubino respondendi via, donando plures improbos esse, pluris autem Deo censeri unum probum mille improbis. Ita Lorinus. Denique Deus mundum fecit primario propter se, ut in eo suam potentiam, sapientiam et bonitatem ostenderet; secundario propter angelos et homines, præsertim probos, sed et propter improbos, ut scilicet hi ex mundo agnoscentes bonitatem Creatoris erga se eum redament, itaque ejus gratiam et gloriam consequantur: quod si nolint, sentiant justitiam ejusdem et vindictam, in qua æque ac in misericordia probis exhibita, Deus glorificatur.

Mundus creatus etiam propter impios.

Porro quam exiguus sit sapientum, id est proborum et salvandorum numerus, quam magnus vero stultorum, id est impiorum et reproborum, patet ex illo Christi: «Multi sunt vocati, pauci vero electi,» *Matth.* XX, 16; et ex illo: « Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam! » *Matth.* VII, 13.

Unde S. Chrysostomus, hom. 40 *ad Populum*: « Quot, inquit, esse putatis in civitate nostra (Antiochiæ, in qua erant plus quam centum hominum millia), qui salvi fiant? Infestum quidem est quod dicam; dicam tamen. Non possunt in tot millibus centum inveniri qui salventur, quin et de his dubito. » Rationem subdit: « Quanta enim in juvenibus, quæso, malitia? quantus in senibus torpor? filii curam gerit nemo, nemo zelum habet, » etc. Vide dicta *Jacobi* cap. II, 13.

Quis Prælatus id advertens non lugeat, non se affligat? Quam affligebat Paulum Judæorum Evangelio salutique suæ obsistentium stulta obcæcatio. Audi eum luctum suum pathetice expectorantem, *Rom.* IX, 1: « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi præbente conscientia mea in Spiritu Sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, » etc.

Anagogice, filii Israel, id est fideles et sancti soli Deo numerantur, et libro vitæ inscribuntur: at filii Esau, id est infideles et improbi non computantur, nec veniunt in numerum Dei, sed scribuntur in libro mortis et diaboli. Audi Patres in *Catena Græc.*: « Dei numerus quo sanctos numerat, spiritualem quamdam et definitam ordinationem significat: Numerans enim, inquit, multitudinem astrorum. Hoc eodem numero etiam Mosi jubet Dominus, ut numeret filios Israel. David vero de hominibus quid ait? Illic reptilia quorum non est numerus. Et in *Proverbiis* Salomon: Multos enim confossos vulneribus prostravit, et innumerabiles sunt quos occidit. Quid igitur nunc dicitur ὑσίημα, id est defectio, et qui occisi, et qui reptilia dicuntur, ejusdem sunt conditionis, illius nempe, quæ spirituali numero minime congruit. »

Similia habet S. Hieronymus, dum ait masculos, id est fortes et generosos, a Deo numerari; feminas vero, id est molles et effeminatos, non venire in numerum.

Vis consuetudinis.

Moraliter, hic disce quanta sit vis consuetudinis, sive in bonum, sive in malum: sicut enim bene agere assueti difficile pervertuntur, ita perversi male agere assueti difficilius convertuntur. «Diu, ait Seneca, *epist.* 59, in vitiis jacuimus, elui difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti, ne ab alia imagine in aliam transeamus: ita nos stultitia tam pertinaciter tenet. » S. Hieronymus vero, vel potius Rabanus (hic enim est *Comment.* Auctor), explicans illud *Jerem.* XIII, 23: « Si mutare potest Æthiops pellem suam, » etc., nervose ait: « Quidquid enim discitur, non naturæ est, sed studii, et propriæ voluntatis, quæ nimia consuetudine et amore peccandi quodam modo in naturam convertitur. » Et S. Chrysostomus, II *Cor.* IV: « Magna est consuetudinis tyrannis, adeoque magna, ut perinde cogat ac natura. » Consuetudo enim ligat hominem, et quasi vinculis constringit ad id cui consuevit, iterandum et prosequendum, adeoque videtur verti in naturam. Unde Isaias cap. V, 18: « Væ, ait, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi

vinculum plaustri peccatum. » Et S. Augustinus id ipsum expertus, lib. VIII *Confess.* cap. v : « Ligatus eram, inquit, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me : quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. » Vide S. Bernardum, serm. *De Septem Spiritus Sancti donis.*

Idem S. Augustinus in *Enchirid.* cap. LXXX : « Peccata, inquit, quamvis magna et horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur, usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur. »

Et S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. XVIII : « Quot vicibus pravæ frequentationis homo astringitur, tot quasi vinculis ad mentem ligatur. »

Peccatum est summa stultitia. Cur?

ET STULTORUM INFINITUS EST NUMERUS. — Τὸ *et* Hebræis sæpe est causale, idemque valet quod *nam, quia.* Dat ergo causam cur perversi difficile corrigantur, quia scilicet stulti sunt : idque *primo,* quia peccant; peccatum enim est summa stultitia, quia sensum rationi, cupiditatem virtuti, præponit creaturam Creatori, id est obolum millioni, granum segeti, guttam mari, globulum terræ toti cœlo. Quid stultius? *Secundo,* quia peccata iterando, eorum habitum ac quasi necessitatem sibi inducunt. *Tertio,* quia in iis obstinate perseverant, eaque sensim laudant, nec peccata æstimant; sed virtutes. *Quarto,* quia corrigi se non sinunt, sed recta docentes et monentes spernunt et rident. Hinc a Salomone stultitia hæc moralis vocatur « egestas cordis, » et stulti vocantur « indigentes corde, » id est privati mente, hoc est, recto rationis mentisque usu, puta destituti vera prudentia sanoque mentis judicio, ut patet *Proverb.* cap. X, 13 et 21. Sic Roboam ab Ecclesiastico cap. XLVII, 28, vocatur « gentis stultitia, et imminutus a prudentia. »

Aliter R. Haccados apud Galatinum qui vertens ex Hebræo, *egestas hominum non potest numerari,* sic explicat : Plurimi hominum sunt pauperes, qui non sunt experti opum deliciarumque vanitatem; unde putant illas ingens esse bonum, æstimantque se felices, si eas adipisci queant; sed errant, quia perverse judicant de rebus sibi incognitis, quarum non habent experientiam, perinde ac cæci de coloribus. Quare illis non est fides adhibenda, sed mihi Salomoni, qui sum ditissimus, omnemque rerum humanarum abundantiam habui, ac omnia expertus et scrutatus in iis nullam felicitatem, sed meram vanitatem deprehendi. Verum hic sensus languet et friget.

Moraliter hic disce, *primo,* prudentiam et virtutem hominem efficere sapientem, imprudentiam vero et cupiditatem eum efficere insipientem et stultum, uti passim hic et in *Proverbiis* utrumque vocat Salomon, et hisce nominibus discriminat : causas ibidem recensui. Idem per umbram videre, imo a Salomone didicere philosophi, ut patet ex Socrate et Platone passim in *Dialogis* atque ex Aristotele, lib. III et IX *Ethic.* Vere Dionysius, *orat.* 20, ita definit : « Stultus est, qui non est animi sui dominus; circumvolvitur enim, trahiturque facile a levi quacumque occasione et colloquio. » Et Seneca, *epist.* 9, docet : « Sapientem seipso contentum nulla re indigere, et tamen multis illi rebus opus esse; contra stulto nulla re opus est : nulla enim re scit uti, sed omnibus eget. » Idem, *epist.* 15 : « Quam vitam, inquit, dici existimas stultam? nostram : quos cæca cupiditas in nocitura, certe nunquam satiatura præcipitat : quibus si quid satis esse posset, fuisset; qui non cogitamus quam jucundum sit, nihil poscere; quam magnificum, plenum esse, nec ex fortuna pendere. Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur. »

Concupiscentia sunt stultitia.

Secundo, hinc disce concupiscentiam esse meram magnamque stultitiam; vitiosos enim sui asseclas facit stultos. Id patet in ira, quæ hominem ratione privat, facitque furere instar insani; in libidine, quæ sapientes dementat, uti dementavit Salomonem, Samsonem, Davidem : amor enim est cæcus et amens, ideoque amantes facit amentes, uti cernimus meretrices et puellas amore juvenis alicujus captas, rationem cum judicio perdere, ac velut mentis impotes, et amore amentes; in superbia, quæ superbos inflat, ut putent se omnibus esse sapientiores, ditiores, potentiores, etiamsi sint insipientissimi, pauperrimi et vilissimi. Nonne stulta est vox illa regis Babylonis, velut novi Luciferi : « In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo? » *Isaiæ* XIV, 13. Et illa Pharaonis : « Meus est fluvius (Nilus fecundans Ægyptum), et ego feci memetipsum, » *Ezech.* II. Sic in avaritia, acedia, gula, invidia cæterisque vitiis, atque in ipsis avaris, gulosis, acedis, invidis, etc., multa dictamina, æque ac opera stulta stolidaque reperies, ut si sincere judices, dicere debeas, illos videri mente captos, fatuos, deliros.

Tertio, hinc collige non esse sequendam multitudinem, hæc enim est stultorum; sed paucitatem, hæc enim est sapientum : « Stultorum, inquit, infinitus est numerus : » infinitus, id est maximus et quasi innumerabilis, ut habent Hebræa. Rursum « infinitus » syncategorematice, quia assidue singulis annis, imo diebus oriuntur et succedunt novi stulti, talesque succedent semper, quamdiu durabit hæc in mundo hominum vita.

Hæc est quod veteri adagio dicitur : « Loquendum ut multi, sapiendum ut pauci. » Vulgus enim sæpe de rebus, præsertim agendis sinistre judicat, erronea habet dictamina, animos depressos, et in terrena demersos; vitiis et scandalis abun-

dat, sapientiæ et veræ virtutis expers est, uti multis Patrum gnomis et exemplis ostendi *Numer.* cap. XI, 4; et cap. XX, 3. Hac de causa viri sapientes, quales fuere olim Essæi, Ascetæ et Anachoretæ, turbas urbesque fugerunt, et in solitudine cum paucis sanctis, imo cum Deo et angelis conversati sunt. Hinc S. Antonius dictitabat « aquam piscibus alimento esse, solitudinem autem monachis afferre ornamentum; atque pisces quidem, cum terram attingunt, vitam amittere; monachos autem, cum urbes adeunt, gravitatem monasticam deperdere. » Ita refert Sozomenus, lib. I *Histor.* cap. XIII. Viderunt id per umbram philosophi, e quibus Seneca, lib. *De Vita beata*, cap. II : « Cum de beata vita agitur, inquit, non est quod mihi illud discessionum more respondeas. Hæc pars major esse videtur; ideo enim pejor est. Non tam bene cum rebus humanis geritur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi, turba est. Quæramus quid optime factum sit, non quid usitatissimum, et quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit. »

Sapienti turba vitanda.

Gnomæ.

Idem, *epist.* 7 : « Quid, inquit, tibi vitandum præcipue existimem quæris? turbam. Nondum illi te tuto commiseris : ego certe confiteor imbecillitatem meam; nunquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex his quæ fugavi rediit. Quod ægris evenit, quos longa imbecillitas usque adeo affecit, ut nunquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis quorum animi ex longo morbo inficiuntur. Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Utique quo major est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est. » Et pluribus interjectis : « Subducendus populo est tener animus, et parum tenax recti. Facile transitur ad plures. Socrati, Catoni et Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset, adeo nemo nostrum qui, quum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Unum exemplum luxuriæ aut avaritiæ multum mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat et emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat, malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem affricuit. Quid tu accidere his moribus credis, in quos publice factus est impetus. Necesse est aut imiteris, aut oderis. Utrum autem devitandum est, ne vel similis malis fias, quia multi sunt; neve inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in teipsum quantum potes; cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. Illos admitte, quos tu potes facere meliores. » Exemplis idipsum denique confirmat : « Democritus, ait, unus mihi pro populo est, et populus pro uno. Bene et ille, quisquis fuit (ambigitur enim de auctore), cum quæreretur ab illo quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventuræ : Satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est unus, satis est nullus. Egregie hoc tertium. Epicurus, cum uni ex consortibus studiorum suorum scriberet : Hæc, inquit, ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Ista, mi Lucili, condenda in animum sunt, ut contemnas voluptatem ex plurium assensione venientem. Multi te laudant. Ecquid habes, cum placeas tibi? Si is es quem multi intelligunt, introrsus bona tua spectent. » Ac rursum, *epist.* 8, seipsum in exemplum statuens : « Secessi, inquit, non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus, et primum a rebus meis. Posterorum negotium ago. Illis aliqua quæ possint prodesse conscribo. Salutares admonitiones velut medicamentorum utilium compositiones litteris mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus. »

16. LOCUTUS SUM IN CORDE MEO (Aquila et Symmachus, *cum mente mea;* Chaldæus, *in cogitatione cordis mei dicens*) : ECCE MAGNUS EFFECTUS SUM, ET PRÆCESSI OMNES SAPIENTIA, QUI FUERUNT ANTE ME IN JERUSAREM, ET MENS MEA CONTEMPLATA EST MULTA SAPIENTER. — Hebræa, *et cor meum vidit multam sapientiam et scientiam.* Sic et Septuaginta, Chaldæus, Syrus, Arabica et cæteri. Tigurina, *subduxi autem rationem ejusmodi apud animum meum : Ecce ego res magnas perfeci, et auxi sapientiam præ omnibus, etc* (1). Vers. 16.

Hucusque Ecclesiastes probavit suum thema, nimirum omnes res mundi esse vanitates, per rationes genericas et universales; nunc idem probat per rationes specificas et particulares : quare a toto rerum genere descendit ad singulas rerum species, in iisque vanitatem demonstrat. Est ergo hic inductio, qua singularum rerum vanitatem probat, indeque inducit et colligit omnia sub sole esse vana, nec quidquam ex eis posse animum hominis satiare et beare. Incipit autem a sapientia, tum quia illa cæteris rebus dignitate eminet, ac plus veritatis minusque vanitatis videtur habere; tum quia philosophi totum studium, omneque suum decus posuere in sapientia. Unde Seneca, *De Brevitate vitæ* : « Sine sapientiæ studio, ait, nulla potest esse vera et solida animi beatitudo; » tum denique et potissime, quia Salomon sapientiæ fuit studiosissimus, eamque a Deo præ rebus omnibus postulavit et impetravit, atque per eam omnium hominum occupationes, studia et curas studiose contemplatus est,

(1) Koheleth quidem majorem sapientiam sibi comparavit, quam omnes qui ante eum Hierosolymæ regnaverunt; sed suum sapientiæ quærendæ studium vanum fuisse intellexit. *Locutus sum cum corde meo dicendo*, in animo hæc cogitavi : *Magnam feci et addidi*, auxi *sapientiam super omnem*, magis quam omnis *qui fuit ante me super Hierosolyma, et cor meum vidit*, acquisivit *multum sapientiæ et scientiæ.*

Vers. 17. *Dedi*, inquam, *cor meum ad cognoscendam sapientiam, et ad cognoscendum insaniam et stultitiam (holeloth, res splendentes, gloriationes, illusiones, insanias); cognovi etiam hoc esse studium inane.*

ut ipse ait vers. 13, in eaque contemplatione animum suum pascebat et oblectabat : quare in ea videbatur sibi esse magnus sapiens et beatus. Verum super illam ipsam hic se suamque considerationem reflectens, invenit in illa quoque inesse vanitatem magnamque afflictionem spiritus. Ait ergo :

LOCUTUS SUM IN CORDE MEO. — *Primo*, sensus est, *q. d.* Perversorum et stultorum turbam, de qua vers. præcedenti, devitans secessi in cordis arcanum, ibique cum sapientia ipsa conversatus, per eam omnia sapienter lustravi, consideravi, et expendi. « Loqui aliquis dicitur in corde suo, ait Olympiodorus, cum mentem ad cogitandum applicat, secum disputat et ratiocinatur. » *Secundo*, loqui in corde notat magnam cordis, id est mentis attentionem ad id quod homo sibi loquitur et cogitat, qualem habent cogitabundi, tristes et melancholici. *Tertio*, notat affectum et pathos, nimirum ingentem vel lætitiam et plausum, vel mœstitiam et molestiam. Utraque hic notatur in Salomone, *q. d.* Locutus sum in corde, mihi secreto gaudens et applaudens de sapientia tanta mihi cœlitus infusa; sed dum per eam vana et molesta hominum studia inspicio, mihi molestiam mentisque afflictionem inflixi, uti mox plenius ostendam. Sic Anna amaro corde et flens largiter, et attente orans loquebatur in corde suo : « Quia ex multitudine doloris et mœroris mei locuta sum, » ait ipsa ad Heli, I *Reg.* I, 13 et 16.

ECCE MAGNUS EFFECTUS SUM. — Magnus opulentia, magnus potentia, magnus animo, magnus imperio, magnus operibus et fabrica templi, magnus sapientia, magnus in mensis et ferculis, magnus comitatu et pompa equorum, curruum, famulorum et militum, magnus fama et gloria : fuit enim Salomon regum omnium sapientissimus, opulentissimus, potentissimus, deliciosissimus, magnificentissimus, famosissimus, gloriosissimus, ut patet III *Reg.* X et XI. Unde vocatus fuit « rex magnus et rex regum, » teste Eusebio, lib. IX *De Præpar.* cap. ult. Hugo uterque Cardinalis et Victorinus putant hæc dici a Salomone in jactantia et vana sui complacentia. Melius alii censent hæc ab eo dici ex animi candore, et gratitudine erga Deum. Unde non ait : Ego magnum me feci, sed « magnus effectus sum, » scilicet a Deo. Legit Interpres cum Septuaginta הוגדלתי *hogdalti* in *hophal* passive, id est magnificatus sum : jam legunt הגדלתי *higdalti* in *hiphil* active, id est *magnificavi*, scilicet meipsum, vel potius sapientiam meam, ut sequitur. Unde Chaldæus vertit, *ego auxi et addidi sapientiam super omnes sapientes, qui ante me fuerunt* (alii, *præfuerunt*) *in Jerusalem*; alii, *ego magnificavi et auxi sapientiam, etc.*; alii, *processi prudentia, et omnibus sapientibus præcellui*; Vatablus, *ego res magnas perfeci.*

AC PRÆCESSI OMNES SAPIENTIA QUI ANTE ME FUERUNT IN JERUSALEM. — Hebraice *super Jerusalem*, id est, qui præfuerunt Hierosolymæ et Judææ vel ut reges, sicut David et Saul; vel ut judices et principes, ut Othoniel, Gedeon, Samson, Jephte, Heli, etc.; vel ut doctores et legisperiti, vel ut sacerdotes et pontifices : quare dum eos sapientia antecellui, cæteros omnes mundi reges et philosophos eadem superavi; quia Judæi, præsertim legisperiti et pontifices, philosophis omnibus fuere sapientiores. Unde III *Reg.* III, 12, Salomon audit a Deo : « Dedi tibi cor sapiens, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit; » fuit ergo Salomon a toto genere sapientior Adamo, Abrahamo, Moyse, Josepho, Davide cæterisque Patriarchis et Prophetis, etsi id hoc loco neget S. Hieronymus. Esto in certo genere, v. g. in prophetia, superatus sit a Prophetis, in psalmodia et sanctitate a Davide. Et mox cætera addens Deus : « Dedi tibi, inquit, divitias et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus. » Pro *præcessi sapientia*, Hebraice est, *addidi sapientiam, q. d.* Sapientiam mihi cœlitus inditam valde adauxi per experientiam, et quotidianam rerum speculationem. Ita Olympiodorus. Unde Symmachus vertit, *superexcedebam sapientia.* Quam ampla fuerit sapientia Salomonis, ipsemet fuse explicat *Sapient.* cap. VII, 17 et seq. Vide Sixtum Senensem verbo *Salomon*, et Pinedam, lib. III *De Rebus Salomonis.*

ET MENS MEA CONTEMPLATA EST MULTA SAPIENTER, ET DIDICI. — « Contemplata est, » per speculationem et meditationem; « didici, » per experientiam. Hinc Origenes *Proœm. in Cant.* docet sapientes Græcorum suam philosophiam hausisse a Salomone : illo enim fuere posteriores, teste Clemente, lib. V *Stromat.* Scientia enim naturali, puta rerum physicarum, ethicarum, œconomicarum et politicarum Salomon omnes homines superavit : in supernaturali et divina superatus fuit a Mose, Prophetis et Apostolis.

17. DEDIQUE COR MEUM UT SCIREM PRUDENTIAM, ATQUE DOCTRINAM, ERRORESQUE ET STULTITIAM : ET AGNOVI QUOD IN HIS QUOQUE ESSET LABOR ET AFFLICTIO SPIRITUS. — Syrus, *perturbatio spiritus*; Septuaginta, *electio vel præsumptio spiritus*; alii, *irritamentum spiritus*; Aquila, *pastio venti.* Vide dicta vers. 14. Alienum est illud Cajetani : « Traditur hic, ait, fructus scientiæ, quod ipsum studium sciendi est fractio spiritus, vel ratio præcipua frangendi spiritum. Ignorantes enim suos prosequuntur spiritus, suis aguntur impulsibus. » Hoc enim est veritas non vanitas, utilitas non noxa et vilitas, sancta stabilitas non rixosa levitas; cum ex adverso vanitatem et noxam sciendi hic astruat Salomon. Vers. 17.

Pro *errores* hebraice est הוללות *holelot*, quod Septuaginta vertunt *parabolas*; Syrus et Arabicus, *proverbia*; Noster et Aquila, *errores*; Theodotion, *prolapsiones*; Cajetanus, *tricas*, sive intricationes operum et negotiorum, quibus multi se intricant, adeo ut se extricare nequeant; alii, *insanias*; Arias, *nugas*; Fonteius, *furores*; Vivianus, *arro-*

gantiam; Thuanus, *insanos pectoris æstus*; Chaldæus, *et dedi cor meum ut scirem sapientiam et stultitiam regni, et scientiam et intellectum probavi, et cognovi quod etiam hoc est contritio spiritus viro, qui diligenter laborat ut inveniat ea.*

Pro *stultitiam* hebraice est שכלות *sichlut*, quod si per *samech* scribas, significat stultitiam; sin per *sin* (quod idem valet quod *samech*), significat prudentiam et intellectum, ut vertunt Septuaginta et Chaldæus, nimirum vani rerum mundi amatores, dum in iis conquirendis se putant sapientes, coram Deo stulti fiunt et delirant. Nam, ut ait S. Paulus : « Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum, » I *Corinth.* III, 19.

Vers. 18. 18. EO QUOD IN MULTA SAPIENTIA, MULTA SIT INDIGNATIO : ET QUI ADDIT SCIENTIAM, ADDIT ET LABOREM. — Ita legunt Codices Romæ emendati. Alii ex Hebræo legunt, *et dolorem;* utrumque verum, et eodem res redit : quia omnis labor est dolor, et omnis dolor est labor. Aquila vertit, *et tormentum.* Septuaginta Hebræum מכאוב *macob* vertunt *flagella, Psalm.* XXXI, 10. Tigurina vertit, *qui auget scientiam, simul auget quod eum cruciet.*

Pro *indignatio* hebraice est כעס *caas*, id est ira, indignatio; Syrus, *furor*; Septuaginta, *cognitio*; Arabicus, *nam in multitudine sapientiæ multiplicatur doctrina, et quod augetur doctrina augetur dolore.* Chaldæus accipit hæc de ira Dei : « Quoniam vir, inquit, qui multiplicat scientiam cum peccaverit, si non convertitur ad pœnitentiam, multiplicat iram ad faciem Domini; et qui addit scientiam et moritur in juventute sua, addit dolorem proximis suis. » Costus vero sic ultima ex Chaldæo vertit, *conflat in se invidiam et iram Domini, a quo ille scientia auctus fuerat : quod si ineunte ætate moriatur, secum ipse intestinam animi molestiam adauget.* Auctor *Catenæ Græcæ* : « Qui profundiorum, ait, causas inquirit, nec invenit, hic addit laborem. Hoc minime illis evenit, qui perfunctorie student. »

Repetendo exaggerat Ecclesiastes, et inculcat suum studium in vestiganda sapientia et scientia, ut ostendat se utramque penitus inspexisse, et in utraque deprehendisse vanitatem et afflictionem. Pro *prudentiam et doctrinam*, hebraice est *sapientiam et scientiam.* Sapientia, ait S. Augustinus et theologi, est cognitio rerum altissimarum, puta divinarum et cœlestium : scientia vero, naturalium et humanarum, præsertim circa mores et res agendas. Sapientiæ opponit errores, id est falsas antiquorum sive philosophorum, sive hæreticorum opiniones, ait R. Haccados, quales sunt hæreses de Deo Deique providentia, omnipotentia, omniscientia, etc. Scientiæ opponit stultitiam, qua stulte quis judicat de rebus agendis, et stulte operatur, dum vitium præ virtute, imo pro virtute sectatur. Rursum sapientia accipi potest practica, pro prudentia supernaturali, ad rite cognoscendum, colendum, amandum Deum per virtutes theologicas : scientia vero, pro prudentia naturali ad honeste vivendum, per virtutes morales, quibus quis fit fortis, temperans, castus, justus, etc. Vice versa per errores accipias superstitiones, idololatriam falsosque numinum cultus, vero Dei cultui oppositos : per stultitiam vero, imprudentiam, et incontinentiam vivendi : per gulam, luxuriam, fraudem, furtum, etc. Salomon enim passim in *Proverbiis*, *Ecclesiaste* et *Sapientia* per sapientiam et scientiam non tam speculativam quam practicam intelligit, puta ethicam, quæ mores ad Deum rite colendum, et ad se æque ac proximum legitime amandum, juxta normam rectæ rationis et legis divinæ conformat : atque hanc maxime spectavit et sectatus est Salomon, ut eamdem alios doceret, uti hisce libris facit. Sensus ergo est, *q. d.* Summo studio incubui, ut pervestigarem sapientiam et scientiam, tum speculativam, tum potius practicam, eamque secernerem ab erroribus et stultitia, hoc est, ut virtutes tum Deum, tum hominem et proximum spectantes, a vitiis illi adversis secernerem et distinguerem; ut hac ratione viam ad veram animi felicitatem vestigarem, sciremque quid in hac vita hominem beare et felicem efficere posset. Verum post longum studium et examen, inveni in his quoque suam inesse vanitatem et afflictionem spiritus, quia « in multa sapientia multa inest indignatio; et qui addit scientiam, addit dolorem : » scientiæ enim et studio assecla est labor et dolor : quare qui addit scientiam, addit et dolorem, tum quia quamdiu durat scientia, durat et labor; tum quia crescente studio crescit pariter capitis corporisque totius, deficientibus spiritibus vitalibus, defatigatio, labor et dolor.

In scientia est indignatio.

Quæres, quomodo in multa sapientia sit multa indignatio, atque in scientia dolor? nam, ut docet D. Thomas, I II, *Quæst.* XXXVIII, art. 4 : « In contemplatione veritatis, maxima delectatio consistit. Omnis autem delectatio dolorem mitigat, et ideo contemplatio veritatis mitigat tristitiam vel dolorem, et tanto magis, quanto perfectius aliquis est amator sapientiæ : et ideo homines ex contemplatione divina, et futuræ beatitudinis in tribulationibus gaudent, secundum illud *Jacobi* I, 2 : Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, » etc. Hæc S. Thomas.

Respondet Chaldæus per indignationem accipiendam esse iram et vindictam Dei, *q. d.* Deus indignatur sapientibus, qui cum sciant quid agere debeant, id tamen non agunt; sed perverse vivunt, nec agunt pœnitentiam. Sic et R. Salomon, ac ex parte S. Hieronymus, Olympiodorus, Albinus, licet magis in aliam sententiam devergant. Rursum alii accipiunt indignationem, id est iram et invidiam æmulorum, qui sapientibus sapientiam, famam et honorem invident, *q. d.* Cum quis studendo evadit sapiens et eruditus, concitat sibi aliorum invidiam, qui ægre ferunt illum sibi in doctrina et fama anteponi; quare illius sapientiæ et famæ detrahunt, eamque deprimunt. Hinc

illud cap. VII, vers. 8: « Calumnia conturbat sapientem. »

Verum melius alii accipiunt indignationem ipsius sapientis, et dolorem scientis.

Primo. *Primo* ergo : « In multa sapientia est multa indignatio et dolor, ait D. Thomas loco citato ad 1, vel propter difficultatem et defectum inveniendæ veritatis, vel propter hoc quod per scientiam homo cognoscit multa quæ voluntati contrariantur, et sic ex parte rerum cognitarum scientia dolorem causat; ex parte autem contemplationis veritatis, delectationem. » Studium enim sapientiæ avocat mentem ab omnibus sensuum voluptatibus, totamque ad contemplationem colligit et cogit. Hinc studiosi et speculativi speculando consumunt optimos spiritus, et calorem naturalem a stomacho in cerebrum ad speculandum evocant : quo fit ut stomachus calore destitutus cibos concoquere nequeat, sed indigestos cibos, crudosque eorum succos ad hepar et membra transmittat, ex quibus gignuntur catharri, flatus, febres, cacochymia, hemicrania, aliique plures morbi, ac subinde hectica et phthisis, aut hydrops ex abundantia pituitæ, atque hæc est causa, cur litterati plerique laborent stomacho, uti laboravit S. Gregorius, S. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Bernardus, etc. « Labores sunt scientiæ comites, » ait Nyssenus, additque Salomonem non prius voluptatibus se dedisse, « quam gustata austeriori et severiori vita, cum se præstitisset, et a risu alienum, gravemque et constantem, per quæ a studiosis maxime comparatur disciplina sapientiæ; » sed hujus severitatis pertæsum, laxasse frena voluptati et concupiscentiæ. Accedunt nocturnæ studiosorum vigiliæ et lucubrationes, abstinentia et jejunia, lectio varia et multiplex, quæ cerebrum desiccant, accendunt et extenuant, ut illico in bilem concitetur.

Secundo. *Secundo*, quia valde studiosi et sapientes vel nascuntur, vel per studium et speculationem assiduam fiunt melancholici, morosi, tetrici, uti tradit Aristoteles, sect. XXX *Problem.* cap. I, ubi docet summos sapientes et philosophos fuisse melancholicos, adeoque nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ exstitisse (melancholia enim est quædam amentia). Rursum ingeniosi propter spirituum multitudinem, fervorem, celeritatem, ait Pineda, accedente etiam sapientia, quæ ad deliberandum de rebus non longo spatio indiget, concitati sunt et indignabundi, quod dicebat Aristoteles inveniri in iis quibus « atra bilis permulta et calida, » et oppido flatulenta inest, qui fiunt « perciti et ingeniosi amasii, propensi ad omnem excandescentiam et cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. » Qua de re sapienter disserit Plato, lib. II *De Republ.*, et in *Theæteto* : « Admodum, inquit, difficile est reperire hominem ingeniosum simul et præ cæteris mansuetum : nam acuti sagacesque, memoriosi ac dociles, ut plurimum in iracundiam impetusque præcipites sunt : proruunt enim atque captantur quemadmodum sine retinaculis naves, et furiosi potius quam fortes existunt. »

Tertio. *Tertio*, quia in scientiis innumeræ sunt tricæ, obscuritates, antilogiæ, difficultates, quæ hominem studiosum faciunt tetricum, morosum, iracundum, præsertim dum videt se frustra laborare, nec veritatem assequi, dum videt tot sententias et opiniones inter se pugnantes, nec in eis cernit quid verum sit et certum, sed omnia dubia et implexa. Rursum dum quo plura cognoscit, eo plures novas quæstiones et difficultates sibi incognitas exoriri advertit, adeoque quo plura scit, eo plura se ignorare perspicit : quæ res illi molestiam et bilem concitat. Insuper dum suæ sententiæ ab aliis contradici, eamque confutari videt, affligitur. Ita S. Hieronymus, Thaumaturgus, Albinus, Olympiodorus, Vatablus. Audi S. Hieronymum : « Sapiens dolet tam in abdito quam in profundo latere sapientiam, nec ita se præbere mentibus ut lumen visui, sed per tormenta quædam et intolerandum laborem, jugi meditatione et studio provenire. » Videas ergo sapientes inter ipsas vigilias et lucubrationes veluti excandescere atque indignari, adversus eas ipsarum rerum cognoscendarum difficultates, quas vel consequi, vel superare non possint, et quod in longiori conflictatione et lucta evenire solet, jam desperent de victoria, jam iterum aggrediantur et pugnent, nunc fessi et lassi subsistant desideantque parumper, nunc iterum assurgant et cum rerum difficillimarum cognitione luctam instaurent. Ita Pineda. Doctorum ergo magna licet rerum cognitio, tamen non tam est plena scientia, quam docta ignorantia. Doctores enim quo magis procedendo investigant rerum notitiam, eo magis se deprehendunt docte ignorantes, vel ignoranter doctos, quia vix ullas rerum naturas clare perspicere possunt, sed tantum earum accidentia, quæ sensibus patent.

Hominum scientia est docta ignorantia.

Quarto. *Quarto*, quia scientia inflat facitque hominem tumidum et superbum : superbi autem proni sunt ad iracundiam, præsertim dum vident sibi vel a rationibus vel ab hominibus obsisti et contradici, aut obices suæ prætensioni opponi, ut non possint sententiarum suarum firmam assertionem aut præmia, quæ per eam præsumpserant, consequi. Rursum sapiens videtur mereri honorem et eminentiam : quare dum a minus sapientibus vel æmulis despicitur, ridetur, arguitur, censet sibi gravem fieri injuriam, ideoque dolet, fit impatiens et irascitur. Vide Platonem in *Theæteto*. Ita uterque Hugo Cardinalis et Victorinus, Lyranus, Cajetanus et alii. Sic videmus viros valde doctos proclives esse ad iram, impatientiam et anxietatem, levique verbo ad eam concitari.

Quinto. *Quinto*, indignatur sapiens sibi, dum videt suam cæcitatem et infirmitatem ad perscrutandum tot tantasque rerum abditarum veritates, etiam ethicas et practicas, dumque longe majorem diffi-

cultatem sentit ad eas opere explendum. Unde S. Hieronymus et Olympiodorus : « Quanto magis, inquiunt, qui sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignatur, quod subjaceat vitiis, et procul sit a virtutibus, quas requirit; ac proinde dolet super delictis suis, cum sciat cui plus traditur plus exigi ab eo, et potentes potenter tormenta passuros. » Addit Hugo ex scientiæ acquisitione notitiam nobilitatis animæ suæ; unde indignetur in inferioribus occupari, quæ sunt ea minus digna. Ad hæc fastidium vitiosum nonnullorum super nobilissimo studio sacrarum Litterarum, sicut olim nauseabant Hebræi super divino cibo. Rursum honestam nauseam atque abominationem ad fœdas voluptates, ob gustatum suavem spiritualium rerum saporem. Postremo, iram cum indignatione in seipsum, in dæmonem, in vitia, in ea omnia quæ nos provocant ad peccandum, si multa adsit sapientia, hoc est rerum divinarum cognitio, beneque vivendi peritia multa. Idem judicium de indignatione et justo dolore, quem sentimus adversus aliena peccata. « Si ego contristo vos, dixit Apostolus, et quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? » II *Corinth.* cap. II, 2. Ita Lorinus.

Rursum sapiens irascitur discipulis et alils, quos videt sapientiæ et prudentiæ expertes, ac sæpe incapaces disciplinæ et incorrigibiles. Videt enim majorem hominum partem vitiosam, concupiscentiæ et vitiis suis indulgentem, aspernari sana sapientiæ monita et virtutum præcepta, quæ res sapientem præsertim rectorem et doctorem, qualis erat Salomon, valde cruciat et affligit.

Sexto. *Sexto,* S. Hieronymus, *epist.* 30, de Fabiola loquens, dolorem ponit in cupidine sciendi : « Jesu bone, ait, quo illa fervore, quo studio intenta erat divinis voluminibus? etc. Nec vero satiabatur audiendi cupidine, sed addens scientiam addebat dolorem, et quasi oleum flammæ adjiciens, majoris ardoris fomenta cupiebat. » Accedit S. Gregorius Nazianzenus, qui in *Apologetico* sic explicat, quasi dicat : Quantum voluptatis quis studendo haurit, ex eo quod invenit, tantum mœroris refert, ex eo quod assequi non potest : perinde ac sitiens qui ab aquis delibatis avellitur : hic enim aquam, quam putat se habere, manibus tenere non potest; aut perinde ac qui fulguris splendore illustratus, illico ab eo disparente deseritur.

Denique maxime et potissime intendit hic Ecclesiastes significare studium sapientiæ et scientiæ, tum speculativæ, tum practicæ esse vanum, laboriosum et afflictivum, dum in sola speculatione et cognitione rerum naturalium et ethicarum, puta virtutum et vitiorum consistit, nec ad ipsam virtutum operationem et exercitationem transit, ut fiat practice practicum. Virtus enim et vera sapientia ac scientia, quæ animæ dat quietem et satiem, non in arida speculatione, sed in honesta actione et operatione sita est; qua si careat, vana est, et mera capitis fatigatio, quia suo fine et fructu, qui est actio vitaque honesta quæ ducit ad felicitatem, destituitur. Hoc est quod proprie spectat hic Salomon, scilicet nudam sapientiam, et scientiam ethicam, non satiare, nec honestare; nec beare hominem, sed solum timorem et amorem Dei studiumque virtutum; cætera omnia esse vana. Unde, cap. XII, 13, concludens ait : « Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. » Addit Olympiodorus, homines non nasci sapientes, sed fieri studio et labore. Rursum adepta jam sapientia hominem stimulat et cruciat, ut id quod per sapientiam faciendum novit, hoc opere exsequatur, scilicet ut concupiscentiis suis resistat, ut arduos virtutis labores capessat, qua in re magnam sentit difficultatem et spiritus afflictionem, instar Ezechielis, qui, cap. III, vers. 3 et 14, jussu Dei comedit volumen, in quo erant lamentationes, carmen et væ, eratque in ore ipsius ut mel dulce, sed abiit postea amarus in indignatione spiritus sui; et instar S. Joannis, qui, *Apocal.* cap. X, 9, librum sumpsit in ore dulcem ut mel, sed qui fecit amaricari ventrem ipsius. Talis est scientia, quæ initio delectat, sed postea dolorem laboremque generat. Jam audi Olympiodorum : « Sapientiam et cognitionem non jam vanitatem esse dicit, sed spiritus electionem, monens nos nequaquam fati beneficio nasci aut fieri homines sapientes, sed sapientiæ desiderio ac labore, petitamque a Domino Deo sapientiam consequentes. Quod si quis adhuc scientiæ plus habere desiderat, addat, inquit, et studiosos labores. Aut etiam sic intellige : Qui adeptus scientiam cognitionemque delinquit, longe amplius puniendus est; ideo qui addit cognitionem, addit et dolorem. »

Tropologice, hæc accipias de cognitione sui : homo enim seipsum suasque infirmitates ad contemplandum, et multo magis ad recte operandum, considerans (quæ est vera sapientia et scientia), tot et tantas videt, ut ingentem tristitiam et iram contra seipsum concipiat, uti fuse explicat Auctor lib. *De Anima et Spiritu,* apud S. Augustinum, tom. III, cap. XLIX. « Qui apponit scientiam, apponit et dolorem : quia, inquit, quanto magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat et gemit : meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem; » quæ deinde multis prosequitur. Et S. Gregorius, XXVIII *Moral.* cap. XXIV : « Qui apponit scientiam, apponit et dolorem; quia quanto plus homo cœperit scire quid perdidit, tanto plus lugere incipit corruptionis suæ sententiam, quam invenit. Considerat namque unde, quo lapsus est : quod a paradisi gaudiis ad ærumnas vitæ præsentis, ab angelorum societatibus venit ad curas necessitatum. Pensat in quot jam periculis jacet, qui prius sine periculo stare contempsit; luget exsilium quod

damnatus patitur, et suspirat ad cœlestis gloriæ statum, quo perfrui securus posset, si peccare noluisset. »

Tu ergo, o studiose, o religiose, o magister, o doctor, qui in arida speculatione annos perplures impendisti, vitam consumpsisti, vires exhausisti; expende, quæso, quam sis a vera sapientia alienus, si notitiæ rerum humanarum et divinarum minime virtutem jungis, et rationem disputandi sciens, viam humilitatis et perfectæ charitatis ignoras. Nam si vera sapientia (uti dixit Lactantius) non potest cuiquam sine scientia et virtute contingere, quomodo te sapientem appellabo, quem scientia inflans dementatum tenet, et charitas ædificans in sui contubernium non retinet. Si sapientia (ut ait Nazianzenus) ad Dei amorem non subvehit, et ex servis jam amicos ac filios efficit, quanam ratione te sapientem existimabo, quem verus Dei amor servum non novit, et Christus nec amicum nec filium agnoscit.

Alia igitur via ad veram sapientiam quæ te beet, incedendum est, nimirum via humilitatis, charitatis, contemptus mundi, etc., uti fecit resi-
Lanfranci conversio. piscens doctor Lanfrancus, Berengarii heresiarchæ antagonista et debellator, qui in Alpibus a prædonibus captus et indigne exagitatus, cum hanc injuriam impatientius tulisset, in se reversus suamque insipientiam accusans et puniens, tradidit se vitæ monasticæ in cœnobio Beccensi, ut veram sapientiam, puta patientiam disceret, ubi plures annos incognitus delituit; agnitus tandem creatus est Prior, mox Abbas, tandem Archiepiscopus Cantuariensis, ac successorem reliquit suum discipulum S. Anselmum sub annum Domini 1060. Ita Trithemius, tract. *De Viris illustr. ordinis S. Benedicti*, cap. XCIX.

Anagogice S. Augustinus, lib. IV *De Trinitate*, cap. 1, docet scientiam infirmitatis suæ addere dolorem peregrinationis suæ, idque ex desiderio patriæ cœlestis et conditoris sui : « Præposuit, ait, scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem suam magis quam scire mundi mœnia, fundamenta terrarum et fastigia cœlorum : et hanc apponendo scientiam apposuit dolorem, dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ, et conditoris ejus beati Dei sui. In hoc genere hominum in familia Christi tui, Domine Deus meus, si inter pauperes tuos gemo, da mihi de pane tuo respondere hominibus, qui non esuriunt et sitiunt justitiam, sed satiati sunt et abundant : satiavit autem illos phantasma eorum, non veritas tua, quam repellendo resiliunt et in suam vanitatem cadunt. Ego certe sentio quam multa figmenta pariat cor humanum. Et quid est cor meum, nisi cor humanum? »

Et S. Gregorius in *Ezech.* libro I, homil. 10 : « Mentem, ait, quam Spiritus Sanctus replet, in amaritudinem temporalium et delectationem æternorum commovet, etc. Rixatur secum de his quæ male egisse se recolit, et sibimetipsi displicet, cum ei ille placere jam cœperit, qui omnia creavit. Supernis inhiat, terrena jam omnia per mentis despectum calcat. » Et paulo post : « Dedignatur itaque subjacere temporibus, et ardenter suspirat æternis. Unde recte quoque per Salomonem dicitur : Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, et qui apponit scientiam apponit dolorem. Cœlestia etenim cognoscentes, terrenis animum subdere dedignamur. Et dum plus sapere incipimus de his quæ male egimus, nobis ipsis irascimur, et fit in multa sapientia multa indignatio : quia quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de perverso opere. Atque cum scientia dolor crescit, quia quanto magis æterna cognoscimus, tanto magis esse nos in hujus exsilii miseria dolemus, vel sicut in translatione alia dicitur : Et qui addit scientiam, addit dolorem. Quo enim scire incipimus quæ sint cœlestia gaudia, eo magis, ut errorum nostrorum laqueos possimus evadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio, quia si æterna jam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si æterna jam sapimus, nosmetipsos despicimus egisse hoc, quod nos potuit ab æternitatis amore separare. Reprehendit semetipsum conscientia, accusat quod egit, damnat per pœnitentiam quod accusat, fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo. » Igitur qui apponit scientiam, scilicet supernorum, apponit dolorem, scilicet imorum et terrenorum; nam, ut ait S. Isidorus, lib. III *Sentent.* cap. XX : « Quantum quisque potuerit superna scire quæ appetat, tantum de infimis quibus inhæret, acrius dolere debet. »

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ecclesiastes fugiens laborem, quem senserat in studio sapientiæ, dat sese deliciis et voluptatibus; at in his quoque videns vanitatem, rursum, vers. 12, applicat se sapientiæ, iterumque in ea vanitatem experitur. Denique, vers. 18, perstringit vanitatem eorum, qui opes accumulant futuro hæredi, quem qualis sit futurus ignorant.

1. Dixi ego in corde meo : Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. 2. Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis? 3. Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum : quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. 4. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas, 5. feci hortos, et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus, 6. et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium, 7. possedi servos et ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem : 8. coacervavi mihi argentum, et aurum, et substantias regum, ac provinciarum ; feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda : 9. et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem : sapientia quoque perseveravit mecum. 10. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ præparaveram : et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. 11. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. 12. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque et stultitiam (quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum?) 13. et vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. 14. Sapientis oculi in capite ejus : stultus in tenebris ambulat : et didici quod unus utriusque esset interitus. 15. Et dixi in corde meo : Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas. 16. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient : moritur doctus similiter ut indoctus. 17. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus. 18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, 19. quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui : et est quidquam tam vanum? 20. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole. 21. Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit : et hoc ergo vanitas, et magnum malum. 22. Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? 23. Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit : et hoc nonne vanitas est? 24. Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est. 25. Quis ita devorabit, et deliciis affluet ut ego? 26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam : peccatori autem dedit afflictionem,

et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo : sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.

Vers. 1. 1. DIXI EGO IN CORDE MEO (ex Hebræo vertas *cordi meo*. Ita Syrus) : VADAM, ET AFFLUAM DELICIIS, ET FRUAR BONIS : ET VIDI QUOD HOC QUOQUE ESSET VANITAS (1). — Pro *affluam deliciis* hebr. est אנסכה בשמחה *anassecha besimcha*, quod dupliciter verti potest : *primo*, tentabo te in gaudio, ut *anassecha* derivetur ex נסה *nasa*, id est tentavit, cui annectitur pronomen affixum כה *cha*, id est te : ita Septuaginta. *Secundo*, miscebo gaudium, vel miscebo in gaudio, scilicet vina; vel potius, effundam in gaudio, scilicet cor meum, ut *anassecha* derivetur a נסך *nasach*, id est miscuit, fudit, effudit, libavit, cui de more annectatur in futuro *He* paragogicum. Hoc secutus Noster vertit, *affluam deliciis*, puta vina, symposia et convivia frequentabo, quæ homines animales summa æstimant gaudia. Unde Tigurina vertit, *lætus indulgebo poculis*. Sed eodem redit uterque sensus. Salomon enim alloquitur seipsum, cordique suo dicit : « Tentabo te in gaudio, » id est, o anime mi, qui in vestigatione sapientiæ afflictionem invenisti, probabo te epulis festivis et lætis, et videbo an in iis satiem, quietem et felicitatem, quam vestigas, invenies; genio ergo indulgebo, opipare vivam. Complutenses, *assuefaciam te deliciis*.

Rursum pro *fruar bonis* hebraice est *vide in bono*, id est vide bonum, id est gusta bonum, fruere bonis : visus enim quia omnium sensuum nobilissimus, hinc pro gustu et quovis sensu capitur, ut *Psalm.* XXXIII, 9 : « Gustate, et videte (id est sapite) quoniam suavis est Dominus; » Tigurina, *experiar quantum in eo bonum sit;* alii, *videbis, o anime mi, universam bonorum cohortem, et eliges tibi optimum;* Septuaginta hanc gnomen ita reddunt : « Dixi ego in corde meo : Veni nunc (Olympiodorus, *age jam*), tentabo te in lætitia, et vide in bono; et etiam hoc vanitas; » Pagninus et Tigurina, *etiam hoc inanitas est;* Syrus, *dixi cordi meo : Veni et investigem te in lætitia, et vide bonum; et ecce etiam hoc vanitas;* Arabicus, *ego dixi in corde meo : Veni ut narrem tibi in lætitiis, et videam te in sorte bona, et ecce hoc vanum est;* Chaldæus Costi, *mecum vero tacitus dixi : Eia probabo me deliciis, et vivens voluptatibus fruar;* Chaldæus Complutensium, *videbo bona sæculi hujus, et quando pervenit ad me tribulatio et tristitia, dixi in verbo meo : Ecce etiam hoc est vanitas;* Aquila, *vapor et fumus est;* Auctor *Catenæ, omnino decrevi meipsum vitiis tradere, et voluptates experiri; et intellexi hæc omnia esse vana;* Nyssenus in Septuaginta videtur legisse ἐν ἀφροσύνῃ; unde vertit, *tentabo te in insipientia*. Sed legendum cum Complutensibus Vaticanis et Regiis ἐν εὐφροσύνῃ, vertendumque, *tentabo te in lætitia* : sic enim habet Hebræa, Chaldæus, Syrus, Arabicus et Vulgata. Jam

Primo, Albinus, Hugo Cardinalis, Dionysius, Vatablus, quin et Gregorius, IV *Dialog.* cap. IV, censent Salomonem velut concionatorem hic non tam ex suo quam ex vulgi hominumque carnalium sensu et opinione loqui. Verum id refellunt verba ipsius : « Dixi ego in corde meo, » quasi intima cordis ejus hæc fuerit cogitatio et electio. Primo.

Secundo, ex adverso Hugo Victorinus et Auctor *Catenæ Græc.* censent Salomonem desperantem de felicitate per studium sapientiæ, utpote laboriosum et molestum acquirenda, totum hic sese dedere voluptatibus, ut iis felicitatem meraque gaudia inveniat. « Ecce, inquit, qualiter desperata mens totam se in voluptatem projicit, et carnis blandimenta jam solum bona vocat, quia in eis laborem et afflictionem non invenit, quasi malam reputans inquisitionem veritatis, in qua prius plus justo per curiositatem se distendens laboravit. » Secundo.

Tertio, S. Hieronymus censet hic sermonem esse de spiritali quoque lætitia, quæ vanitas dicatur, quod per speculum eam videamus et in ænigmate, non facie ad faciem, uti faciunt beati in cœlo, I *Corinth.* XIII. Accedit Cajetanus, qui vertit, *miscebo gaudium* : ubi, inquit, τὸ *miscebo* significat Salomonem voluisse se totum abjicere velut suem in voluptates, sed eas voluisse miscere cum studio sapientiæ, ut hujus tædium illarum gaudio temperaret et condiret : sicut studiosi suas habent recreationes honestas, quibus corpus animumque reficiunt, ut studiorum laborem sufferre queant, juxta illud Catonis : Tertio.

> Interpone tuis interdum gaudia curis,
> Ut possis animo quemvis perferre laborem.

Quarto et genuine, Salomon vestigans mentis quietem, satiem et felicitatem per res omnes totius mundi, cum eam non invenisset in studio sapientiæ, ut dixi in fine cap. præcedentis, utpote difficili et tetrico, adjecit animum eam vestigare in adversa parte, puta deliciis, commodis et voluptatibus : iis ergo se dedit non ex desperatione, nec ex in temperantia, sed experientiæ causa, ut scilicet experiretur quid in eis esset veri gaudii et felicitatis. Ita Nyssenus, qui docet Salomonem « certo consilio facta sua prosequi, atque volentem se ad voluptates demisisse. » Vult enim Salomonem adhuc sibi mente constitisse, et « remisisse se ad ea, quæ sensui censentur esse jucunda et delectabilia, non animi ad hæc attractum perturbatione, sed ut consideraret an ad veri boni cognitionem aliquid conferat sensus, qui in eis fuerit immoratus. » Quarto.

(1) Hebr. est, *dixi ego in corde meo : I, quæso,* agedum, *explorabo te per gaudium, et vide bonum,* deliciis fruere; *et ecce! etiam hoc erat vanitas.*

Ait ergo Salomon cordi suo adhuc sapientiæ studioso, timido, verecundo, et a voluptatibus carnis alieno, sed ex sapientiæ studio molestiore, mœrenti et dolenti, quasi blandiendo, ut ad eas illud inflectat, iisque mœrorem leniat et abstergat : Eia age, cor meum, obsecro, solve nonnihil rigorem tui studii, et laboris severitatem adeo molestam tantisper dispone; experire suavioris vitæ institutum, voluptatibus te recrea, gusta quod tibi propono deliciarum poculum; vide an non jucundius sit austero sapientiæ vino; experientia disces, quod adeo scire aves, an in deliciis sita sit hujus vitæ jucunditas et felicitas. Id vult Nyssenus dum ait : « Gustata severiori vita delapsus est ad jucundorum participationem, et cum se præstitisset a risu alienum, gravemque et constantem, per quæ a studiosis maxime comparantur disciplinæ sapientiæ; tunc se remittit ad ea quæ sensui censentur esse jucunda, non animo. »

Jam singula verba expendamus : « Dixi in corde meo, » id est cogitavi, deliberavi, decrevi tacitus apud me et secrete in corde meo, quod publice dicere non fuissem ausus : puduisset enim me profiteri vitam voluptuariam, eamque præferre sapientiæ, ne viderer epicureus. « Vadam. » Hæc vox significat studium vagandi, et oberrandi per omnia voluptatum genera. Cum enim voluptatis illa sit natura, ut animum non satiet, sed in fine sui, cum expleta est, voluptuarium amaricet, et stimulo doloris configat, hinc facit ejus animum ab ea resilire, aliaque quærere, et alia sine fine; quia ubique invenit voluptatem desinere in mœrorem, quem fugiens aliam et aliam semper vestigat jucunditatem.

AFFLUAM DELICIIS. — Hebraice *anassecha*, id est *effundam in gaudium*, scilicet cor meum; vel, *potabo in gaudium* cor meum; vel, *libabo gaudio*, id est, totum me dabo gaudio, ut eo circumfluam : sicut vinum vel liquor, qui libatur Deo, totus Deo libatur, et ad pedem altaris in Dei honorem effunditur. Per *gaudium* metonymice intelligit non solas gustus delicias, sed et quaslibet similes gaudium sensibus afferentes : scilicet risum, vinum, domos magnificas, hortos, pomaria, familiam splendidam, opes, auri argentique thesauros, cæteraque oculos oblectantia, quæ enumerat a vers. 1 usque ad 10. Sic *Matth.* XXV, 21, dicitur : « Intra in gaudium domini tui, » id est, intra in epulum nuptiale bonis omnibus, quæ gaudium cient, affluens, ut si in illud intres, in merum gaudium intrare videaris. Hinc aliqui hic vertunt, *cooperiam me gaudio*. Hebraice enim נסך *nasach*, id est *effundere*, alludit uti litteris ita significato ad סכך *sachach*, id est tegere, abscondere, operire.

ET FRUAR BONIS. — Hebraice, *et vide bonum, q. d.* O corculum meum, vide, id est gusta, et experire quanta bona sint reposita in deliciis et gaudiis, iisque te oblecta et fruere. Theologi distinguunt *uti* a *frui*, quod utamur mediis, fruamur fine et summo bono. Præposterum ergo est utendis frui, hisque inferioribus bonis amore adhærescere, quod est, ait Hugo Cardinalis, amplexari arcam pro pretio, munusculum pro amico, gaudiola pro sponsa, vestigia pro cervo, phantasma pro re, umbram pro corpore, viam pro fine, intuitus vanissimos pro summa veritate, stillas tenuissimas pro suavitatis abysso, creaturam pro creatore Deo.

ET VIDI QUOD HOC QUOQUE ESSET VANITAS, — quia deliciæ sunt illecebrosæ, ac hominem animalem vel nominatæ duntaxat illico irritant, et ad sui concupiscentiam accendunt; idcirco antequam eas sigillatim recenseat, ne quis earum memoria capiatur, statim earum antidotum subjungit, scilicet quod sint vanæ, imo mera vanitas, idque

Primo, quia tenues sunt, breves et exiles, atque palatum sensumque tantum titillant et irritant : perpetuo enim fluunt fugiuntque antequam capiantur, uti docet S. Augustinus, serm. 25 *De Verbis Domini*. Quare animam non explent nec satiant, ideoque mox in tædium et nauseam vertuntur, uti docet S. Gregorius, hom. 36 *in Evang.* Hinc non tam bona censenda sunt quam minora mala. Comedis enim quia esuris, scilicet comestio minus te affligit quam esuries : pelle comedendo esuriem, et comestio tibi pœna erit. Ita S. Bernardus, serm. *De primordiis, mediis et novissimis* : « Comedere appetis, inquit, quia fames te cruciat. Utrumque labor est, sed quia fames gravior magis, comedere nescis esse laborem. Denique postquam fames depulsa fuerit, vide si non gravius ducis comedere quam esurire. Sic se habent universa sub sole, ut nihil sit in eis vere jucundum, sed ab uno semper transire velit homo ad aliud, solaque vicissitudine relevetur utrumque, ac si prosiliat ab aqua in ignem, et inde rursus in aquam resiliat, utpote qui neutrum ferre possit. Omnis siquidem laboris remedium, alterius laboris initium est. Nemo in hoc sæculo nequam quod vult habere potest, quando quidem nec justus justitia satiatur, nec voluptuosus voluptate; nec curiositate curiosus, nec ambitiosus inani gloria. » Rursum cui has epulas tam studiose apparat? utique corpori. Et quid est corpus? Respondeat Solon unus e septem Græciæ sapientibus : « Corpus, inquit, cum oritur, putredo est : cum vivit, bellua : cum moritur, vermium esca. » Ita nunc et sagina carnem tuam, ut delicatum vermibus post mortem epulum appares.

Deliciæ vanæ. Primo.

Comedere est labor. Prob.

Denique S. Basilius in *Psal.* XXXIII : « In corporis voluptatibus, ait, plus molestiæ quam voluptatis inest. In nuptiis sterilitas, viduitas, zelotypia; in agricultura infecunditas; in mercatura naufragia; in divitiis insidiæ. Ipsæ vero deliciæ et saturitas, et assiduus voluptatum usus multos et varios secum trahunt morbos, multiplices affectiones. » Huc facit proverbium Arabum, *Cent.* 1, num. 67 : « Non est in durante, id est non est durans in æternum voluptas : sic miseriæ non sunt reli-

quiæ, » *q. d.* Nemini unquam tam bene et volupe est, ut sit durabile; ac vicissim nullum est malum, quod finem non habeat, sive nulla voluptas aut miseria perpetua vel diuturna est. Nota Arabismum : « Non est in durante, id est non est durans. » Sic dicunt : Deus est in potente, id est potens est; ego sum in credente, id est credens. Ergo nihil voluptate brevius aut vanius. Ubi enim ab ea labia separata sunt, nullum ejus superest vestigium.

Secundo. *Secundo,* quia magno labore, curis et sumptu parantur, quorum molestia gravior et diuturnior est modica et brevi voluptate, quæ ex iis percipitur. Quot sunt qui, ut convivium splendidum instruant, plures dies, septimanas et menses sollicite curant vina delicata, phasianos, cycnos, artocreas, bellaria omnis generis, et ad ea conquirenda apparandaque turbam famulorum, cocorum, totamque familiam occupant; atque plures centenos nummos, quibus plures pauperes ad aliquot menses ali potuissent, in unum prandium expendunt, ut paucos convivas opipare excipiant, ad duas vel tres horas duntaxat? Ego certe tam modicam brevemque voluptatem tantis curis, tantaque opum, temporis et famulorum jactura non emerem, diceremque : «Nocet empta dolore,» et tanto dolore, « voluptas, » præsertim, quæ mox in mœrorem, ex quo nata est, rursum convertitur. Aspice e convivio domum redeuntes, et videbissino gravatos, tetricos, mœstos, anxios, quod in mensa aliquid vel dixerint, vel audierint, vel fecerint, vel passi sint incongruum, molestum, noxium. Vere Sapiens : « Extrema gaudii luctus occupat. » Hinc Chaldæus vertit, *cum primum advenit super me angustia, et afflictio, dixi : Etiam hoc vanitas.*

Tertio. *Tertio,* quia stomachum onerant, somnum impediunt, membra cætera affligunt et cruciant, ac statim in sordes et stercora vertuntur. Nam, ut ait Nazianzenus, *orat.* 38 : « Deliciæ non sunt aliud quam pretiosum stercus. » Pretiosum, quia in pretio guloso, ab eoque magno pretio comparatum. Nazianzenum magistrum secutus S. Hieronymus, epist. 13 *ad Paulinum* : « Qui Christum, inquit, desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magnopere de quam pretiosis cibis stercus conficiat: quidquid post gulam non sentitur, idem sit tibi quod panis et legumina. » Et Nicetas in *orat.* 38 Nazianzeni, sub finem : « Omnis, ait, voluptas quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est. » Id ipsi didicerunt ex S. Paulo, qui, *Philip.* III, 8, ait : « Propter quem (Christum) omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. »

Vere Climachus, *Gradu* 26 : « Quod si undique, inquit, corrupto vino fœtet, epulis satur est, cogita infelicem animam in tali corpore tanquam in sepulcro defossam. » Vivacius S. Chrysostomus, homil. 29 *in Matth.* : « Certe, inquit, si posses animam hominis deliciis dediti cernere, non dubitares multo melius esse in sepulcro jacere, quam his irretitum teneri, et gravi insensibilitatis operculo tanquam saxo premi. » Et postquam ebrios et gulosos cum mortuo quatuor jam dies sepulto comparavit, subdit : « Age igitur, videamus caput ipsorum vinctum : etenim cum crebro ebrii sint, perinde ut mortui multis velaminibus et institis ligantur. Ita istis omnia sensuum organa concluduntur et vinciuntur. » Ac post nonnulla subjungit : « Vidistis mortuum, nunc et pollinctorem videte. Quis igitur pollinctor est? nempe nullus alius nisi diabolus, qui eos diligenter ita stringit et polit, ut non homines, sed ligna esse videantur. »

Quarto. *Quarto,* quia mentem obruunt, hebetant, ineptam faciunt ac stupidam, ut orare, studere, operari, ratiocinari nequeant; denique faciunt ut homo non videatur esse homo rationalis, sed porcus et brutum irrationale. Quocirca recte S. Eucherius, epist. *ad Valerianum* : « Anne aliquis, inquit, ex illa Aristippi schola veritatem videbit, qui ingenio suo a suibus aut pecore nihil differt, cum beatitudinem in corporis voluptate constituat, cui Deus venter est et gloria in pudendis ejus? » Hinc et illud Horatii : « Epicuri de grege porcus. » Et Seneca : « Voluptas, ait, non hominis, sed pecoris bonum est. » Et Clemens Alexandrinus, *Exhortat. ad Gentes* : «Illi, ait, instar vermium in cœno et voraginibus, nempe voluptatis fluentis volutati, inutilibus et stultis pascuntur deliciis, suilli quidem homines. Sues enim cœno magis delectantur, quam aqua munda, et in congestæ paleæ versari cumulo est quædam eis insana delectatio, ut ait Democritus. Ne ergo porcis efficiamur similes, sed ut germani filii lucis intueamur lucem, et sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehendat Dominus, sicut sol aquilas. » Et S. Chrysostomus, homil. 58 *in Matth.* : « Quid, ait, deliciarum fœditas mali non inducit? sues ex hominibus facit, imo vero etiam multo pejores. Sus enim in luto volvitur et stercore nutritur : hic vero abominabilem magis sibi mensam construit, iniquas commixtiones excogitans. Hic nullo certe a dæmoniaco discrimine separatur : imprudens enim et furiosus pariter est. Et dæmoniacum quidem miseramur, hunc vero aversamur et odimus, quia sponte sibi furorem attrahit, et os, oculos, aures et cætera simpliciter sensuum instrumenta amarissimas voluptatis conficit cloacas. » Et post nonnulla : « Quanto melior asinus ebrioso, quanto canis præstantior? Omnes certe animantes, quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, ultra quam satis est, etiamsi mille homines cogerent, nunquam elabuntur : pejores igitur estis canibus et asinis, qui inebriamini. »

Denique Plato, lib. IX *De Republ.*, voluptuarios vocat pecora, voluptates vero umbras et simulacra veræ voluptatis : sicut Stesichorus poeta ait, Trojanos veram ignorantes Helenam, de ipsius tantum imagine contendisse. Similes ergo sunt

pomis Sodomæ, quæ exterius speciosa videntur; at ubi ea aperueris, in favillas et cineres resolvuntur, uti dixi *Genes.* XIX, ex Josepho et aliis.

Quinto. *Quinto,* quia febres, morbos et mortem creant. Nam, ut ait Sapiens : « Plures occidit crapula, quam gladius. » « Propter crapulam, ait *Eccli.* cap. XXXVII, 34, multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam. » Vide ibi dicta. Præclare S. Chrysostomus, homil. 45 *in Matth.* : « Quemadmodum, ait, acuti vepres utcumque capiuntur atque constringuntur, manus cruentant, eodem modo deliciæ pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris efficiunt : steriles etiam sunt, nullum quemadmodum vepres fructum producentes, ac multo magis quam cætera pene omnia hominem conficiunt. Deliciis enim senectus citius surrepit, deliciis sensus obtunduntur, deliciis cogitatio retardatur, citius mens tenebris obducitur, corpus dissolvitur, major stercoris copia reconditur, atque reponitur : ita ex ingenti afflictorum acervo, navigio nimium oneribus oppresso, crebra contingunt naufragia. Quid enim, responde, quæso, ita corpus pingue efficere studes? An ut te ad immolandum deducamus, an ut mensæ immolatum apponamus? aves certe pingues ad saniorem dietam inutiles sunt. » Et inferius : « Quare amentiam atque stoliditatem ipsorum inde maxime quispiam admirabitur, quia nec ita sibi parcere volunt, sicut utribus cæteri. Nam qui vina huc illucque traducunt, nolunt nimium utres implere, ne distenti rumpantur : isti vero ærumnosum ventrem nec utris quidem dignitate condonant, sed distentant et replent usque ad fauces duplices. »

Sexto. *Sexto,* quia deliciæ pertrahunt hominem in gulam, ebrietatem, crapulam et gehennam; adeoque signum reprobationis certum est, si quis in hac vita divitiis et deliciis abundet : prædestinationis vero e contrario, si quis utrisque careat, uti patet in divite epulone et Lazaro, *Luc.* XVI, 25, ubi Abraham ait ad epulonem, suam et Lazari opem implorantem : « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. » Causam dat S. Hieronymus, epist. *ad Furiam, de Viduit. servand.* : « Non Ætnei ignes, inquit, non vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ et dapibus inflammatæ. »

Deliciarum ergo vanitas et noxa ex eo liquet, quod gulosus carnem suam saginet ad fomenta gehennæ : sicut herus saginat porcum ut mactet, juxta illud Martialis, lib. XIV :

> Ille tibi faciat bona Saturnalia porcus,
> Inter spumantes ilice pastus apros.

Hinc porcus dictus est, quod porrecto rictu pascatur, et terram, dum herbarum radices rimatur, latius porrigat. Gulosus ergo est Epicuri de grege porcus, quem impinguat dæmon ad saginam gehennæ. Exstat hac de re elegans apologus vulpis et porci apud Cyrillum, lib. IV *Apolog. moral.* cap. II : « Laute, inquit, porcus a suo domino enutritus, cum impinguatus recumberet, ad eum vulpes veniens salutavit et dixit : Quomodo est tibi, frater? At ille respondit : Quid petis? Nonne cernis ut lætus, satiatus, incrassatus, nunquam fatigatus, sed semper delectatus quiesco. » Sine cura ergo, « procurante hero, semper vivo in croceis. Ut quid ergo tu tota die vaga et famelica circuis; et cum tali amico ad habitandum non venis? » Quibus auditis vulpes insensatum deridens, subjunxit : « Certe verum est, quod crassities obtundit sensum, tollit motum, et continuatæ deliciæ subvertunt intellectum. Propter hoc parum vidisti, nec unquam recte judicasti. Nimirum iste homo piscator factus est super terram, cibi dulcedine adornat hamum, et ad mortem suaviter trahit incautum. Ille magnes effectus est hominis attractivus, qui cum risu occidit, et cibis allectum deducit ad suspendium, et veluti venator callidus dulci fistula vocat ad laqueum. Replet enim ventrem tuum, ut te decoctum sapidius comedat. Dat furfures, ut pinguiorem te faciat; accommodat brodium, ut carnem sumat. O si intrasses domum ejus et diligentius circumspexisses, profecto ex aliis infumatis porcis ibi pendentibus, quos ita nutriverat, ab eo tibi præparatum incendium cognovisses. Bonis ergo et dulcibus cibis te ducit ad mortem, et hasce delicias convertet tibi in tristitias sempiternas. » Unde hoc epimythium abstinentiæ colligit : « Absit a me talis amicus, qui subornat amore odium, et æternæ mortis sub mundi deliciis condit hamum. Abominor cibum ejus, et manum blandientem repudio, ac ex nunc ejus solatium sperno. Nolo sane ut risu me conducat ad luctum, et suis falsis deliciis a me pellis separet vitale consortium. Calicem Pharaonis eligo, non ferculorum canistrum; sperno paleam, non flagellum; sagittam Jonathæ diligo, et Joabi basium refugio. Quibus dictis, mox fugit. »

Apologus gulosi.

2. RISUM REPUTAVI ERROREM, ET GAUDIO DIXI : QUID FRUSTRA DECIPERIS? — Deliciis subnectit apte risum, quia deliciæ et gaudia hominem solvunt in risum, *q. d.* Solent homines deliciis diffluere, indeque solvi in risus, cachinnos et inepta gaudia, quasi jam adepti summum suum votum, summum bonum et felicitatem rerum : ego deprehendi illos toto cœlo aberrare, nec mentis quietem, multo minus felicitatem esse consecutos; sed potius ex iis gravatos, inquietos, anxios, et mœstos discedere : quare eorum risum dixi non esse risum, sed errorem; ac gaudium non esse gaudium, sed deceptionem (1). Vers. 2.

Per *risum* ergo et *gaudium* accipe nimiam et effusam lætitiam, tum internam, tum externam, quæ risu, jocis et cachinno proditur. Item deli-

(1) *Risui dixi : Insanus* (particip. speciei *pohal*) *es; et gaudio : Quid hoc facit,* proficit, scilicet ad felicitatem?

cias, divitias, rerumque splendorem et copiam, quæ lætitiam hanc risumque cient : per metonymiam, ut risus ponatur pro objecto, vel causa risus, puta pro illecebris, quæ risum cient. Minus apte ergo Arboreus hunc risum arctat ad irrisores et subsannatores, quasi in illos hic invehatur Salomon. Est apostrophe ad emphasin et pathos. Alloquitur enim risum et gaudium quasi personam stultas et fallaces, easque objurgat, ac stultitiam et fallaciam exprobrat.

Pro *errorem* hebraice est מהולל *meholal*, quod R. Salomon vertit *mixtum*, a radice מהל *mahal*, id est *miscere*, juxta illud *Isaiæ* I, 22 : « Vinum tuum mixtum est aqua. » Alii vero censent passim litteram primam *mem* in *meholal* esse servilem, non radicalem ; radicem enim esse הלל *halal*, id est ovavit, jubilavit, laudavit. Unde aliqui vertunt, *risui dixi* : *Laudabilis esto* ; quo respexisse videtur Syrus, dum vertit, *risui dixi* : *Utilis sit*. Verum cæteri omnes contrarie vertunt. Unde *meholal* Noster *primo*, vertit *errorem* ; *secundo*, Chaldæus, *derisionem* ; *tertio*, Symmachus, *tumultum* ; *quarto*, Septuaginta, περιφοράν, id est *circumlationem*, *circulationem* ; *quinto*, Nyssenus, Olympiodorus et alii vertunt ; *amentiam*.

Risus est error : cur ?

Primo ergo Noster vertit *errorem*, *q. d.* Risus est error, et ridiculi errant : quare longe absunt a vera sapientia et prudentia, quia temere, sine judicio et debita mensura ob res et voluptates mundanas tam exiles et viles adeo gaudent sibique applaudunt, ut in effusum risum et cachinnos prorumpant, cum, ut paulo ante dixi, deliciæ mœrorem pariant, fletumque potius ciere debeant quam risum. Nam, ut ait S. Augustinus loco mox citando : « Qui plorant de rebus vanis, inaniter plorant, et qui rident de rebus vanis, de malo suo rident. » Errant ergo, quia gaudent ubi dolere, rident ubi flere deberent : sicut infantes ludunt et rident, etiam dum parentes ipsorum moriuntur. Unde physici docent risum oriri ex admiratione, admirationem ex ignorantia : hæc autem error est, vel errori conjuncta. Error ergo notat immodicam animi exsultationem, supra quam oporteat aut deceat, supra modum, supra mensuram, supra quam rerum merita et ordo patiantur. Errat enim qui de re et delectatione modica non modice, sed summe gaudendum judicat, ideoque summe gaudet, ridet et cachinnatur. Rursum per *dixi errorem* intellige, *compescendum esse* : error enim corrigendus est, et quod nimium est in risu vel alia re, hoc refrenandum et compescendum est, ut sit metalepsis. Unde Thaumaturgus vertit, *risum solutum compescui, et voluptatem ad temperantiam coercui, acerbeque ei succensui*. Risus enim immoderatus, error est, tum passive, quia revera errat uti jam dixi ; tum active, quia ridentes errare facit, seducit et decipit, ut in delicias se effundant, ob quas mox summe dolebunt et lugebunt : quare utraque de causa frenandus et compescendus est.

Idem est ridiculus.

Secundo, Chaldæus vertit, *risum dixi derisionem in tempore tribulationis meæ*, vel, ut Costus vertit, *de lætitia ipso calamitatis tempore dixi* : *Ridicula est*, quia ridiculum est ridere ob rem levem et nullius momenti. Risus enim hic dignus est qui irrideatur. Unde sapientes rident ridentes temere, sine ratione : quin et mundus suis ludicris provocans nos ad risum, irridet nos. Unde S. Augustinus, serm. in cap. *Jejunii* : « Iste mundus, ait, aut ridet nos, aut irridetur a nobis ; aut despicimur, aut contemnimus. »

Et tumultus.

Tertio, Symmachus vertit ; *risum dixi tumultum, idque sine causa* ; et Arabicus, *risui dixi* : *Quæ est causa elationis tuæ?* Qui enim effuse rident, plaudunt et cachinnantur, magnos excitant strepitus, clamores et tumultus, jactantque inconcinne caput, brachia, totumque corpus, utpote agitati et concussi ab effrenata lætitia.

Moraliter, disce hic mundi illecebras plenas esse stulto clamore et strepitu. Itaque mundi risus, ait Pineda, tumultus est, vociferatio est ; et cum animi tranquillitatem atque quietem illæ ejus deliciæ polliceantur, nihil minus quam quietem efficiunt : quippe nihil aliud sunt quam animi commotio, perturbatio, fremitus, clamor, tonitru, et si quid aliud est, quod animi quieti et tranquillitati adversetur. Dicas mundanam vanitatem instar gallinarum vili ovo parto glacitare, atque perstrepere cantando. Quanquam is tumultus sive cantus non tam lætitiæ et risus, quam interni doloris, singultus et conceptæ vanitatis argumentum est. Sic de ea ipsa ave testatur Columella : « Parituras se gallinæ testantur crebris singultibus. » At doloris quæ causa alia, quam quod parto ovo venter vacuus vanissimum aerem susceperit? Ita Columella, lib. VIII, cap. v. Adde gallinas subinde parere ova subventanea, imo inania et vento turgida : talia prorsus sunt vana mundi gaudia. Nota τὸ *elationis tuæ*, ut vertit Arabicus. Risus enim effusior et jactantior signum est elevationis et fastus, qualem præ se ferre solent gloriosi et arrogantes, qui sua ostentant et jactant, spernentes alios et subinde Deum ipsum. Unde Hebræum *meholal* significat superbiam, stultitiam et impietatem arrogantium, ut patet *Psal.* cap. LXXIV, 4 : « Dixi iniquis : Nolite inique agere (hebraice est, *laholelim al tahollu*), nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem. »

Et vertigo.

Quarto, Septuaginta vertunt : Risum dixi περιφοράν, id est circumlationem, circuitum, circumvagationem, vertiginem, item errorem, hallucinationem.

Primo.

Unde *primo*, Thaumaturgus per circumvagationem accipit risum solutum, temereque vagantem in ineptos jocos, cachinnos, gesticulationes, jactationes capitis, manuum cæterorumque membrorum, uti faciunt stulti. Secundo.

Secundo, Olympiodorus vertit, *risui dixi* : *Circumvagare longius a me, et abscede* ; sed hoc alienius videtur. Tertio.

Tertio, melius

alii censent risum vocari circumvagationem, quod hominem extra modestiæ ac rationis fines educat, et in inconditos effusæ lætitiæ gestus prorumpere, errare et vagari faciat. *Quarto*, quod hominem intemperantem per omnia voluptatum genera, ut sese exsatiet, oberrare compellat, velut miserum mendicum et vagabundum, instar ejus qui laborat capitis vertigine, ut in orbem ire et circulare semper optet. Unde S. Basilius in *Psalm.* I, in *Catena Græc.*, citans hunc locum, risum vocat vertiginem: « Omnis anima, ait, quasi vertigine correpta ratiocinando vacillat, cum et cœlestia in eligenda virtute animo versat, et cum præsentia intuens voluptatem præfert. » *Quinto*, quod homini gravem errorem et hallucinationem inducat, uti dixi explicatione prima : περιφορὰ enim hic potius errorem, uti habent Hebræa et Vulgata, quam circulationem significat. *Sexto*, περιφορὰν vertas *circumlationem*, id est delirium et amentiam. Unde *Quinto*, Nyssenus vertit, *risum dixi mentis emotionem*; Olympiodorus, *dixi risui amentiam, q. d.* Insanus es et emotæ mentis, quia effuse ridendo indecore te geris formamque pervertis, ut ob gestus ridiculos morio videaris, amens et stultus. Additque *risum*, id est voluptates terrenas, vocari περιφοράν, id est circumlationem, « vel quod, inquit, ad omnem ventum circumferantur bona ista terrena, quæ materiam suggerunt lætitiæ ac voluptati; vel muta ι mutato in α, non περιφορὰν legimus, sed πάραφορὰν, hoc est insanam extasin mentisque excessum : insanire enim videntur, ac esse sui obliti, qui in loco miseriæ et lacrymarum, lætandum sibi esse falso existimant. » Et hujusmodi sunt, qui, ut dixit Seneca, cap. XII *De Vita beata* : « Hilari insania insaniunt, ac per risum furunt. » Hinc vertunt nonnulli, *risum dixi insaniam;* alii, *risum assuetum vocavi amentem;* alii, *risui et jucunditati dixi* : *Insanis, vel insanire facis.* Hebræum enim הלל *halal* significat in altum attollere vocem laudando et jubilando; unde *Halleluia* est canticum lætitiæ, jubili et laudis. Hinc per catachresin *halal* significat stultescere, insanire. Solent enim stulti gloriabundi et jactabundi cum effuso clamore, risu et cachinno res suas supra fidem et veritatem celebrare et deprædicare, quod certum est amentiæ signum. Qui ergo de re exili et voluptate vili adeo gaudet, ut in risum et cachinnum effundatur, est emotæ mentis, jactabundus et insanus; præsertim quia voluptatem expertam fastidiens, aliam et aliam inutilem et noxiam circumvagando quærit instar famelici, miseri et dementis, juxta illud *Sapient.* IV, 12 : « Inconstantia (græce ῥεμβασμὸς, id est *turbo*) concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. » Rationem dat Nyssenus risum ita describens : « Oris indecora dilatatio, tremorque spiritus et totius corporis concussio, et genarum diductio, dentiumque et linguarum et palati apertio, collique et vocis præter rationem fractio, quæ simul cum fractione spiritus intersecatur, quid hoc aliud fuerit quam dementia? » Unde Græci hunc immoderatum et impotentem risum vocant συγχρούσιον, quod totum hominem quatiat; et Nazianzenus in *Carm. Cychæis* : « Risus, ait, est genarum impulsus et subsultatio cordis. »

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Et mentis emotio vel insania.

Causa a priori physica est, quod risus oriatur ex petulantia quadam lienis, quando a sanguine fæcem maxime haurit : tunc enim extendit solvitque nervos et arterias, atque spiritus dispergit. Unde subinde his extenuatum corpus suopte nutu decidit. Hinc risu nonnullos legimus mortuos et animam exhalasse, uti Zeuxi et Verrio pictoribus eximiis contigisse docet Rhodiginus, libr. I, cap. XLVIII.

Causa et ratio a priori.

Rursum Aristoteles, lib. III *De Part. anim.* cap. X, causam risus assignat titillationem. « Rident enim celeriter, inquit, qui titillantur, quia motus celeriter ad eum locum perveniat, qui quanquam leviter calefaciat, tamen aperit, et mentem movet præter voluntatem. Causæ autem cur homo animalium unus titilletur, et cutis tenuitas est, et quod solus animalium omnium rideat. Est enim titillatio risus per ejusmodi motum partis, quæ alam complet. Ictum etiam, trajectis præcordiis, in præliis risum attulisse, proditum est, scilicet ex calore, quem moveat vulnus. »

Titillatio causat risum.

Qui ergo immodice rident, immodicam habent titillationem, vel corporis, vel animi, ideoque in effusum risum solvuntur, quod animi sui impotis et amentis est signum : mox enim titillatio hæc in dolorem, et risus in mœrorem convertitur; sicut candela exstincta flamma vertitur in fumum, et lux in caliginem. Hinc videmus melancholicos effuse lætari et ridere, mox cessante lætitia et risu magis fieri tristes vel iracundos quam fuerint ante; unde Beda in *Proverbiis* : « Præceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram. » Plenius et clarius Conimbricenses, lib. III *De Anima*, cap. XIII, Quæst. I, art. 6, physicas causas risus ita assignant : Offerente se nobis re jucunda, et quæ risum excitare queat, perfunditur animus gaudio et lætitia, qua infectum cor moræ impatiens se dilatat, magnaque sanguinis effervescentis et vitalium spirituum fit diffusio, ad quam musculorum thoracis, ac præsertim diaphragmatis motus sequitur (est vero diaphragma membranula quædam, partim cornea, partim nervosa, præcordia a visceribus disjungens, quam Aristoteles, lib. III *De Partib. anim.* cap. I, succincturam vocat, ejusque munus esse putat impedire ne vapores, qui e ventriculo attolluntur, cor lædant) : ad diaphragmatis autem agitationem et porrectionem extenduntur simul musculi, qui a lateribus buccæ sunt, gestusque ille oris fit qui risus vocatur, quo animi gaudium et lætitia exprimitur. Erit igitur causa efficiens risus, principalis quidem anima, instrumentaria appetitus et virtus motum exsequens, simulque effusio sanguinis et spirituum, qui sunt quasi anteambulones risus; finis, gaudii seu lætitiæ explicatio; forma, ipsa oris ac faciei

Modus quo causatur risus.

Quatuor causæ risus.

diductio. Ita vero hunc in modum risus diffiniri potest : « Risus est concitatio quædam animi ex re jucunda motus, ad conceptum intus gaudium explicandum, quo thoracis et oris musculi impetu quodam moventur. » Sunt autem quidam ad risum proclives, alii severi. Nam cum objectum risus sit res nova, ii quibus quodlibet novum videtur, ut pueri et plebs, ex causa hac facile rident; non ita senes et philosophi. Item quia objectum risus est res jucunda et læta, ducuntur assidue in risum ii qui suopte ingenio hilares sunt, quales fere esse solent, qui plurimum habent sanguinem, et eum dulcem, non biliosum aut melancholicum.

Agelasti qui? Sic agelasti, id est, qui nunquam in vita risere, fuerunt Anaxagoras, Heraclitus, Phocion, Aristoxenus, Socrates, Cato, Crassus, ut Cicero, Plinius, Ælianus, Laertius et alii testantur.

Nota hæc de intempestivo nimioque risu dici; nam modicus et tempestivus hominem decet, ejusque naturæ congruit, ac serenum lætumque efficit. Unde Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. v, docet risum homini esse naturalem et congruum, si ei modus adhibeatur : « Concinna, inquit, et decora vultus per risum remissio, instar instrumenti musici est μειδίαμα, id est subrisio; inconcinna vero est dissolutio et cachinnatio. » Et Philo, lib. *De Præmiis et pœnis,* ridendi affectum inter alios honestissimum dicit, ut qui repleat tranquillitate ac securitate totam animam. Risus ergo animam hilarem efficit. Unde Martialis, lib. VII, *epigr.* 24 :

Nec grata est facies, cui gelasinus abest.

Gelasinus, id est diductio oris, et lineæ quæ ridendo efficiuntur; γέλως enim Græcis est risus. Hinc sicuti Vitulinæ et Lubentiæ, lætitiæ præsidibus, Romani divinos honores decreverunt, sic Risum in deos retulerunt Græci, diemque festum instituerunt, et annuos ludos cum solemnibus sacris ei deo fecerunt, præcipue Thessali et ex iis Hypatenses, qui veneratione cultuque γέλωτος Θεοῦ valde celebres et insignes exstiterunt. Lycurgus quoque, severissimæ ac rigidissimæ auctor disciplinæ, Risus marmoreum simulacrum Spartæ in delubro posuit; sanxitque, ut cives sui militiæ laboribus perfuncti, ei deo religiose supplicarent, ait Giraldus, *syntagm.* 1, ubi elegans carmen Cœlii Calcagnini in Risum recitatur. Ita noster Pontanus in *Atticis bellariis,* num. 113.

Risus deus.

Ineptus ergo, immodicus, scurrilis et inhonestus, qui ex objecto turpi oritur, hic risus intelligitur, qui homines omnes, sed præsertim fideles, prædicatores et religiosos dedecet. Unde S. Augustinus, S. Basilius, S. Bernardus et alii notant legi sæpius de Christo, quod fleverit, nunquam quod riserit. Hinc et ejus voces sunt : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, » *Matth.* v. « Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis, » *Lucæ* VI, 25. Hinc et notat S. Chrysostomus, homil. 6 *in Matth.,* in Scripturis non legi de Paulo, vel quolibet alio sancto, quod riserit. Excidit S. Chrysostomo Abraham, qui sanctus fuit et risit, accepto oraculo de Isaac sibi nascituro, *Genes.* cap. XVII, 17. Quocirca S. Basilius, *regul.* 31 ex Brevioribus, et S. Ephrem, tom. I, tract. *Non esse ridendum,* pag. 110, in edit. Vossii Romana, videntur omnem omnino in fidelibus, præsertim monachis, qui luctum profitentur, damnare risum. Quærit enim S. Basilius : « An in universum ridere non liceat? » ac respondet : « Cum Dominus eos damnet, qui in hac vita rident, admodum perspicuum est nullum omnino locum dari fideli, in quo ridere debeat, et maxime in tam magno numero eorum qui per transgressionem legis Deum inhonorant, et in peccatis morti se dant, quorum vicem mœrere et gemere convenit. » Verum hoc intellige de multo, crebro, et effuso risu; item de necessario, unde caute ait : « In quo ridere debeat, » non *liceat;* modicum ergo et sanctum, qui ob conversionem peccatorum, de qua teste Christo gaudent angeli, similive pia de causa nascitur, non vetat, uti patet ex ejus *Admonit. ad filium spiritualem.* Nam, ut ait *Eccli.* cap. XXI, 23 : « Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite ridebit. » Vide ibi dicta. Refert S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. XIV, 5, Isaac magnis virtutibus clarum, tanta tamen lætitia perfusum, ut per eam suas virtutes celare, imo nonnullis obscurare videretur. Salomonem secuti sunt philosophi. Celebris inter eos est Heraclitus, qui quoties domo egrediebatur, flebat, sicut Democritus vice versa ridebat : quod illi, omnia quæ agimus, miseriæ; huic ineptiæ viderentur. Plato, lib. III *De Republ.,* in risum nimis profusos damnat : « Nam effusum risum, inquit, vehemens mutatio sequitur. » Epictetus in *Enchiridio :* « Risus, ait, neque multus, neque ob multa, neque solutus. » Dionysius Philosophus apud Stobæum, *serm.* 72 : « Risus continuus et intentus, ait, deterior est iracundia. Idcirco maxime viget in scortis et pueris stolidioribus. Mihi sane facies magis ornari videtur lacrymis quam risu : lacrymis enim ut plurimum bona aliqua doctrina conjungitur, risui vero lascivia ; et flendo quidem nemo sibi concitavit auctorem contumeliæ, ridendo autem spem dedecoris auxit. » Sed errant stolidi Anabaptistæ cognomento Ejulantes, qui perpetuo flent et ejulant, dictitantes nihil æque gratum esse Deo ac jugiter lacrymari et ejulare, uti refert Staphylus, et ex eo Gabriel Prateolus in *Catalog. Hæresum,* verbo *Ejulantes.*

S. Basilius vetat omnem risum : quo sensu?

Gnomæ de risu.

ET GAUDIO DIXI : QUID FRUSTRA DECIPERIS? — Explicat risus errorem, scilicet, quod risus et gaudium hujus mundi non sit aliud, nisi mera fraus et deceptio : promittit enim animo quietem, lætitiam, felicitatem, et non præstat; sed potius contraria affert, scilicet inquietudinem, mœrorem, miseriam. Hoc enim posterius hemistichium more Hebræo explicat prius, uti crebro fit in

Psalmis. Risus ergo idem est quod gaudium, error idem quod deceptio.

Hebræa et Septuaginta habent, *et gaudio dixi : Quid hoc facis?* Symmachus, *quid ipsa facis?* Syrus, *quid fecisti?* Arabicus, *cur fecisti hoc?* Pagninus, *quid boni facis?* Tigurina, *lætitiam nescio, quid parere;* Vatablus, *quidnam est id quod affers?* Chaldæus, *de gaudio sic sensi : Quæ utilitas est viro, quod eo mirifice incensus fuerit?* alii clare, *q. d.* Quorsum te effundis in risum, jocos et effusam lætitiam? Pineda vertit, *quid hoc coquis? q. d.* Putas te coquere delicias, at nescis te coquere res amarissimas; putas te coquere epulum, at coquis morborum mortisque pabulum. Paras mel, at invenies fel. Sic facere pro coquere sumitur *Gen.* XVIII, 7, ubi de puero Abrahami coquente hædum dicitur : « Festinavit et coxit (hebraice, *et fecit*) illum; » facere enim coci est coquere. Gaudium ergo decipit perditque hominem, et simul ipsum cum homine decipitur, quia veram solidamque et permanentem lætitiam, quam promittit, non affert, sed illico desinit et in mœrorem convertitur. Per *gaudium* accipe delicias, et quasvis voluptates parientes gaudium, sed fallax, fucatum, et in vana opinione duntaxat hominum iis inhiantium situm, cum reipsa potius pariant mœrorem et luctum. Unde pro *gaudio* Thaumaturgus vertit, *voluptati;* alii, *jucunditati :* quare voluptates, quæ videntur esse, revera non sunt, nec mentis inopiam et aviditatem explent, uti fatentur et sero dolent damnati in inferno, *Sapient.* v, 4. Audi Nyssenum : « Tanquam feræ alicui ad meos sensus adrepenti, voluptati statim resistebam et adversabar, dicens : Quid facis? quid naturæ virtutem effeminas? cur animi robur emollis? cur animæ vires enervas? cur affers interitum rationi? cur impurarum cogitationum serenitatis puritati caligine tua immittis tenebras? »

Salomonem secutus M. Aurelius Imperator, ita de vanitate mundi ad suos perorasse dicitur : « Quæ sum expertus libere proferam, licet cum mei nominis nota, sed olim forsitan futuro sæculo profutura. Per omnia me vitia exercui, periculumque feci, possetne seipsam exsaturare humana malitia. Deprehendi quo plus cibi sumo, famem acriorem; quo bibo magis, ardentiorem sitim; quo sum in somno indulgentior, majorem somni cupiditatem; quo plura mihi sunt adhuc, his plura concupiscere; quo quæro diligentius, minus invenire : nihil demum unquam obtinuisse, quod appetitum sedaret, ac non aliud habendi potius libidinem provocaret. »

Vers. 3. 3. COGITAVI IN CORDE MEO ABSTRAHERE A VINO CARNEM MEAM, UT ANIMUM MEUM TRANSFERREM AD SAPIENTIAM, DEVITAREMQUE STULTITIAM, DONEC VIDEREM QUID ESSET UTILE FILIIS HOMINUM : QUO FACTO OPUS EST SUB SOLE NUMERO DIERUM VITÆ SUÆ. — Hebræa et Chaldæa, *donec probarem et viderem, quid ex eis esset bonum filiis hominum, ut facerent, cum ipsi subsistunt in hoc sæculo sub sole numero dierum vitæ suæ. Reputavi quale non bonum esset in hominibus, et quidnam operari possent dum in hoc mundo sunt, ex quo perpetuam in hac vita lætitiam voluptatemque consequantur;* Syrus, *cogitavi in corde meo lætificare vino carnem meam : et cor meum cogitavit sapientiam, et tenuit stultitiam;* Arabicus, *et speravit cor si posset trahere humanitatem meam, tanquam abstractionem vini : misit enim me cor meum ad sapientiam, et ad amplectendum gaudium per eam,* etc. (1).

Nota, pro *ut abstraherem a vino carnem meam,* hebraice est, *ad trahendum in vino* (vel *in vinum*) *carnem meam.*

Quod *primo,* nonnulli sic explicant de mixtura sapientiæ cum voluptate, *q. d.* Ego Salomon expertus in solo sapientiæ studio magnum inesse laborem et dolorem, in solis vero voluptatibus magnam inesse vanitatem et vilitatem, statui utrumque conjungere, alterumque altero miscere et temperare, sicque experiri an in hac mixtura animus conquiesceret, et quæsitam diu tranquillitatem felicitatemque reperiret : decrevi ergo trahere in vinum carnem meam, id est indulgere carni potum vini ad excitandam lætitiam, et ad sufficiendos spiritus animales, qui necessarii sunt ad contemplationem et studium sapientiæ : cor vero et mentem statui dare sapientiæ, ut sic et caro suas vini delicias, ac cor sive mens suum sapientiæ pabulum epulumque nancisceretur. Ita ex R. Abraham Vatablus : « Cum vidi, inquit, quod sapientia sola generat dolorem, et quod risus solus non prodest, scrutatus sum viam ut concordarem utrumque, et traxi carnem meam in vinum, et intellectum meum in sapientiam. »

Verum incongrua videtur hæc expositio, tum quia nemo ex professo potest simul vacare sapientiæ et gulæ, præsertim vinolentiæ, juxta illud S. Hieronymi : *Non potes simul implere ventrem et mentem;* venter enim mero æstuans, offuscat hebetatque caput, ne possit contemplari, meditari et studere sapientiæ, idque optime sciebat Salomon; tum quia suum de hujus mixturæ experimento judicium utique more suo subjecisset Salomon, dixissetque : « Et inveni quod hoc quoque esset vanitas; » hoc autem non fecit.

Secundo, Chaldæus vertit, *exploravi in corde meo attrahere in domum vini carnem meam;* vel, ut vertit

(1) Ewaldus, *investigavi in corde meo trahere ad vinum carnem meam,* id est, apud animum statui, efficere ut corpus meum vino teneretur, seu corporis mei cupiditates vino constanter indulgerent *(et cor meum sapientiæ tædebat,* dum me sapientiæ tæderet), *et* apud animum statui *apprehendere stultitiam,* me dedere stultitiæ, scilicet vitæ voluptatibus, *donec viderem quidnam esset bonum filiis hominum, quod facerent sub cœlo numero dierum,* per totum tempus *vitæ suæ.* Alii, quæ per parenthesin sunt interjecta, vertunt, *et cor meum ducens* eram *cum sapientia,* id est, hoc sapienter explorare volo, mediisque in voluptatibus frenabo animum, ne modum excedat : quod præplacet. Τὸ *numero dierum meorum* alii interpretantur, non *per totum vitæ tempus,* sed *per dies numeratos,* id est *paucos,* vitæ.

Gestus, *ut inter epulas et pocula corpus meum producerem.* Sic et Syrus. Et Vatablus, *indagavi ergo corde meo corpus meum diutina voluptate oblectare,* quasi trahere sit idem quod distendere, ac protrahere moram. Et Cajetanus : « Trahere carnem in vino, ait, est esse bibacem, et nunquam esse sobrium. Hujusmodi enim homines trahunt carnem suam in vino : et quoniam privantur actibus veræ vitæ rationalis, utpote nunquam plene sobrii, idcirco non tam vitam quam carnem suam trahunt, non ducunt, usque ad mortem. » Accedit S. Hieronymus, qui in *Comment.* vertit, *consideravi in corde meo, ut traherem in vino carnem meam;* sicque explicat : « Volui vitam meam traducere deliciis, et carnem meam ab omnibus curis liberare, et quasi vino, sic voluptate sopire. Deinde quod sequitur : « At cor meum deduxit me in sapientia, » ita cum posteriori nectit, ut significet luctum carnis et spiritus, sive vinolentiæ et sapientiæ in Salomone. Unde hebraice est, *cor meum deduxit in sapientia,* id est, ait S. Hieronymus : « Cogitatio mea et ratio naturalis retraxerunt me, et deduxerunt ad sapientiam requirendam stultitiamque calcandam, ut viderem quidnam boni illud esset, quod homines in vitæ suæ possent agere curriculo. Eleganter autem voluptatem ebrietati comparavit. Siquidem ebrietas evertit animi vigorem, quem qui potuerit sapientia commutare, et (ut in quibusdam codicibus habetur) obtinere, is poterit ad scientiam rei istius pervenire, quid in hac vita appetendum sit, quid devitandum. »

Tertio, Septuaginta pro בּיין *beiain,* id est *in vino,* legentes כיין *keiain,* id est *sicut vinum,* vertunt, *consideravi si cor meum trahet ut vinum carnem meam, et cor meum deduxit me in sapientia, et ut obtinerem lætitiam.* Ubi nota, pro *trahet* græce est ἑλκύσει, pro quo Thaumaturgus et alii nonnulli legunt ἐκλύσει, id est dissolvet; sed prior lectio conformis est Hebræo, Vulgatæ, Chaldæo, Syro, Arabico et cæteris. Sensus est, *q. d.* Cogitavi facere de vino, quod feci de risu, dicens : « Risum reputavi errorem. » Cogitavi ergo experiri, an sicut vinum attrahit carnem et palatum suo gustu et dulcedine, ita sapientia suo decore et specie attraheret ad se cor et mentem, ut ipsa sapientiæ se dedens traheret ad se carnem, dominaretur voluptati, compesceretque omnes gulæ et vinolentiæ appetitus. Ita Moringus : « Cogitavi mecum, inquit, an animus et ratio sit efficax ad trahendam carnem meam sicut est vinum, » id est, quam est vinum efficax ad trahendam carnem et gulam. Olim enim dubitatum fuit an vinum fortius sit quam rex, quam mulier, quam veritas, ut patet III *Esdræ* III. Accedit S. Gregorius Thaumaturgus : « Cum eam, inquit, vim esse animæ cogitassem, ut temulentam corporis naturam atque instar vini diffluentem sistere possit, rursusque continentiæ cupiditatem domare, perspiciendum mihi esse constitui, quidnam tandem hominibus propositum sit serium, vereque bonum et honestum. » Eam vero cum vino comparationem urget adhuc Olympiodorus : « Poculum, ait, quod bibentes haurimus, a conspectu nostro tollitur, et evanescit. Consideravi itaque num in prosperitatibus mundanis voluptatibusque humana mens esse possit ita virilis, ut absumere ac delere valeat, quasi vinum epotum, concupiscentias carnis. » Igitur Salomon erubescens se victum a vino, cogitat sic vincere vinum. Cogitat ergo experiri an non potentior sit mens ad vincendum vinum, domandamque gulam, quam vinum fuerit ad vincendam, et de statu rationis dejiciendam mentem. Ita Nyssenus : « Si quando, inquit, sentiebam voluptatem sensim irrepere, ac blandiri, et sensus delinire, continuo resistebam increpans, quod me emollire ac effeminare vellet : ad hunc modum considerabam, quemadmodum motus corporis ratio vinceret, in ipsa secum natura pugnaret ac dissideret, cum alio mens, alio traheret caro, quin potius ratio carnis prudentiam absorberet. Sicuti cum sitientes exhauriunt poculum; neque enim remanet vinum in eo, sed mutatur in eum, qui bibit illud : quo facto expedita et certa exstitit mihi via, omni remoto errore, ad scientiam rerum. »

Quarto et genuine, S. Hieronymus, qui in *Comment.* verterat, *ut traherem in vino carnem meam,* postea jussu Damasi Vulgatam cudens versionem, re melius considerata vertit, *ut abstraherem a vino carnem meam;* illamque versionem recepit et probavit Ecclesia. Hebræum enim משך *masach* significat trahere cum omnibus compositis (compositis enim carent Hebræi, ideoque pro iis utuntur verbo simplici, sive ipsa radice et themate), scilicet attrahere, protrahere, detrahere, abstrahere. Rursum בּיין *beiain,* id est *in vino,* non raro sumitur pro מיין *meiain,* id est *a vino;* ב enim subinde capitur pro מן *min,* id est *a, abs, de;* itaque hic accipiendum esse patet ex nexu et filo totius orationis. Præcessit enim : « Risum reputavi errorem; et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ? » Hinc enim apte subjungitur : « Cogitavi abstrahere a vino carnem meam. » Per vinum enim æque ac per risum, symposia, convivia et quaslibet voluptates carnales accipit per synecdochen. Ex vino enim sequitur luxuria, risus, tripudia omnisque lascivia. Proprie tamen vinolentiam intelligit; hæc enim contraria est studio sapientiæ, quia fumus vini caput hebetat, offuscat, ac subinde ratione et judicio privat, ut sapientiæ vacare nequeat. Per vinum ergo, immodicum vini usum accipe. Nam vinum modice sumptum acuit ingenium.

Sensus ergo est, *q. d.* Cum deprehendissem risum, omniaque mundi gaudia esse meras vanitates, errores et deceptiones, cogitavi abstrahere carnem meam a vino, cæterisque voluptatibus, ut vacarem sapientiæ, donec per eam viderem quid hominibus esset utile ad consequendam so-

lidam lætitiam et felicitatem, « quo facto opus, » id est, quidque eos facere oporteat sub sole omnibus diebus vitæ suæ, ut in ea dicta lætitia et felicitate persistant constanter per totam vitam. Hunc esse sensum liquet ex Hebræo, Chaldæo, Olympiodoro et Patribus in *Catena Græc.*, qui sic explicant : « Cogitavi qua ratione rerum intelligibilium studium superius carnis sensum intelligibili animæ parti obedire cogat, quasi tracto et cedente deteriore præstantiori ; » alius ibidem : « Suspicans, inquit, voluptatis accessionem, non secus ac furis cujusdam accessum, qui sese in thesauris animæ latenter insinuat. »

Jam singula verba expendamus : Pro *cogitavi* hebraice est תרתי *tarti*, id est pervestigavi, exploravi, circumlustravi. Radix enim תור *tur* significat indagare, per gyrum lustrare singula in orbem, circumspicere omnia circumcirca per ordinem. Unde תור *tor* est *turtur*, quod caput assidue gyret, ut omnia circumspiciat, quodque meditabunda quasi secum consultet et deliberet ; licet alii a sono vocis quem gemendo edit, turturem dici autument. Significat ergo Salomon se non temere ex tempore hæc pronuntiare ; sed magno examine prius omnia scrutatum, hæc maturo judicio dictare. Ex vestigatione enim et examine per metalepsin intelligendum relinquit judicium et decretum, quod post examen sequi solet. Τὸ *abstrahere a vino* notat magnam naturæ corruptæ ad vinum et voluptates inclinationem, ut ingenti vi et dolore ab iis abstrahi et avelli debeat, perinde ac si cutis illi abraderetur ; sicut cani os, quod rodit, non nisi magna vi eripi potest. Pro *ut animum meum transferrem ad sapientiam*, hebraice est, *cor meum conducens me in sapientiam*, per quam devitavi stultitiam, ut sequitur, et per quam, ut Nyssenus legit, *dominatum obtinui in lætitiam* (voluptatem). Unde R. Haccados : *Cor meum*, inquit, *duxit me per sapientiam, ne invalesceret super me calcaneus, qui me pessumdaret.* Hebræum enim נוהג *noheg* significat proprie abducere, sive alio et in contrarium ducere, uti puer a pædagogo a lusu abducitur ad scholam. Ait ergo Salomon : Statui carnem meam abstrahere a vino, ut mentem a deliciis corporalibus abducerem ad spirituales, puta a gula ad sapientiam ; quo significat hæc duo esse contraria, et sibi invicem ex diametro adversari ; quare eum qui vult vacare sapientiæ, debere renuntiare voluptati, cui quo magis renuntiat, eo arctius sapientiæ jungitur, ejusque fit capacior. Hinc Cajetanus et Pagninus vertunt, *ut cor assuefacerem sapientiæ.* Nam, ut aiunt Græci in *Catena* : « Qui sapientiæ ductum sequitur, voluptatibus imperat cum lætitia. »

DEVITAREMQUE STULTITIAM. — Chaldæus, *ut stultitiam juvenum ediscerem ;* Septuaginta videntur vertisse ἀφροσύνην, id est *stultitiam*, ut habet Noster, Hebræa, Syrus et alii. Jam tamen in Septuaginta legitur εὐφροσύνην, id est *lætitiam.* Unde vertunt, *ut obtinerem lætitiam ;* Olympiodorus, *cor meum pollens* (abundans) *in lætitia ;* Arabicus, *misit me cor ad sapientiam, et ad amplectendum gaudium per eam.* Sed eodem redit sensus : per lætitiam enim, ineptam et effusam in voluptates carnales intelligunt, quæ non aliud est quam stultitia. Hinc emblema :

Ne hilarem insaniam insanias,
Ne rapiat mentem nimium damnosa voluptas ;
Et tua jucundo membra furore premat.
Non nisi ridenti vecors insania vultu
Allicit, in flavo toxica melle gerit.

Rursum per *obtinerem* non intelligunt *haberem, possiderem, fruerer ;* sed *ut obtinerem*, id est ut dominarer lætitiæ, sicut dux belli obtinet hostem, dum eum vincit et capit : hoc enim significat Græcum τοῦ κρατῆσαι ἐπ' εὐφροσύνην, id est, ut regerem imperio, ac dominarer in exsultantem lætitiam, ac immodice gestientem voluptatem compescerem. Unde Thaumaturgus : « Continentia, ait, in servitutem redigit cupiditatem ; » et Nyssenus : « Ut dominatum obtinerem in lætitiam ; » et Cajetanus : « Ut retinerem stultitiam, ne baccharetur cor meum per eam. » Posset ex Hebræo verti, *ut obtinerem*, id est ut possiderem sapientiam ; hanc enim significat שכלות *sichlut* per ש, licet per ס significet stultitiam, uti dixi cap. I, vers. 17. Unde S. Hieronymus in *Comment.* vertit, *ut obtinerem stultitiam*, hoc est ut apprehenderem, caperem, subjicerem (hoc enim significat hebræum לאחוז *leechoz*) stultitiam, quod idem est cum eo quod idem in Vulgata vertit, *devitaremque stultitiam.* Hostis enim vincitur et capitur, ut caveatur et vitetur ne lædere possit ; gula vero et libido vincitur non tam resistendo, quam occasiones et illecebras fugiendo, quod ut Noster significaret, solerter vertit, *devitarem.* Minus recte ergo Olympiodorus censet Salomonem hic significare, se sapientia sibi a Deo indita abusum ad indagandum voluptates carnales, ut eas obtineret, iisque se pasceret et immergeret.

DONEC VIDEREM QUID ESSET UTILE FILIIS HOMINUM. — Hebræa, *quid esset bonum ;* Chaldæus, *quale esset bonum illud filiorum hominum*, quod scilicet eos tranquillet, lætificet et beet.

QUO FACTO OPUS EST SUB SOLE. — Hebræa, *quod faciant sub sole*, id est quod facere debeant homines universi, si sapiunt et felices esse volunt ; in quo occupare se debeant, quamdiu hic vivunt ; quare hoc unum faciant oportet, huic uni totos sese impendant, hoc unum omnibus viribus prosequantur, juxta illud Christi ad Martham : « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium, » nimirum « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, » *Lucæ* X.

NUMERO DIERUM VITÆ SUÆ. — Significat Salomon se vestigasse hoc bonum, ait Nyssenus : « Quod non uni tantum ætati conveniret, sed per-

petuum sit et non temporarium, et in vitam universam extendatur; et bonum sit omni ætati, primæ, et mediæ, et ultimæ, et omni numero dierum : nam propter nullum eorum quæ fiunt in corpore, licet perpetuo voluptate affici; sed bibendi voluptas simul desinit cum satietate, et in comedendis similiter saturatio exstinguit appetitum. »

Rursum, τὸ *numero* significat paucos esse hominis dies, et facile numerabiles. Sic enim «dies» vel «homines numeri» hebraice vocantur pauci, qui statim numerari queunt, uti *Genes.* XXXIV, 30, et *Num.* IX, 2. Hoc est quod ait Job, cap. XIV, 5 : « Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est. » Hinc vetus adagium : « Tota vita dies unus : Diarii omnes : Hemerobia voluptas et vana gloria. »

Moraliter hic nota, *primo*, studioso sapientiæ abstrahendam esse carnem a vino cæterisque carnis voluptatibus, uti fecit Daniel cum sociis, qui per hoc assecuti sunt magnam rerum scientiam, et Daniel donum prophetiæ, *Daniel.* I, 8 et seq., ubi multa hac de re dixi. Idem fecere S. Hieronymus, S. Basilius, S. Gregorius, S. Chrysostomus cæterique Doctores; quin et philosophi, uti Crates, Zeno, Socrates; maxime vero Ascetæ et Anachoretæ, inter quos primas duplici titulo obtinent Esseni, de quorum continentia mira narrant Eusebius, Philo et Josephus. *Secundo*, sapientis opus esse in omnibus suis actibus respicere finem, ut scilicet eos dirigat ad salutem et felicitatem; hic enim est finis ob quem creatus est, hoc summum ejus bonum. Jugiter ergo cogitet illud : « Oculus in metam, Oculus in occipitio, » ut non tantum ea quæ a fronte, sed etiam ea quæ a tergo sunt, puta finem et futura respiciat. Et illud Aristotelis : « Voluptates specta non venientes, sed abeuntes. » Venientes enim sua specie et fuco illiciunt, abeuntes mœroris aculeum menti infigunt. Et illud Sapientis : « Quod commodavit fortuna, tollet; quod mutavit natura, repetet : quod paraverit virtus, retinebit. »

Vers. 4. 4. MAGNIFICAVI OPERA MEA, ÆDIFICAVI MIHI DOMOS, ET PLANTAVI VINEAS. — Redit ad vers. 1 : « Dixi : Vadam, et affluam deliciis. » Suas ergo delicias quas experiri voluit, ut scrutaretur quid in eis esset veri gaudii et felicitatis, hic sigillatim enumerat, ac tandem, recensitis omnibus; vers. 11 subjungit, repetitque se in omnibus invenisse vanitatem et afflictionem spiritus. « Quæsivit in salsugine margaritam, » ait Nyssenus, at non invenit, ideoque idipsum confitetur, et toti mundo proclamat, ut omnes ab ejus vanitate ad veritatem, verumque Dei timorem et cultum abducat : eoque efficacius persuadeat, quo expertus loquitur, et se clara longaque experientia idipsum comperisse asseverat; licet enim vers. 3 proxime præcedenti dixerit : « Cogitavi a vino abstrahere carnem meam, » tamen per vinum non accipit omnia oculorum oblectamenta, quibus hic se pascit, sed gulam duntaxat, vinolentiam et ebrietatem a qua se abstraxit, ut posset serena liberaque mente vacare sapientiæ, ut per eam scrutaretur quid utile esset filiis hominum, et quo facto iis esset opus, hoc est quid facere debeant ad assequendam veram lætitiam et veram felicitatem per omnem vitam. Scrutatur ergo idipsum hic in fabricis, vineis, hortis, etc., quæ longe absunt a vinolentia, et amœnam habent mentis occupationem et recreationem. Unde S. Gregorius Thaumaturgus et Olympiodorus hunc versum recte connectunt cum præcedenti. Sic enim ait Thaumaturgus : « Mirum me incessit desiderium, ut viderem in quo digne per hanc vitam occuparentur mortales. Quocirca nihil omnium quæ admiratione digna censentur, omisi quod non tractarim. Exstructa sunt in excelsum palatia, vineæ consitæ sunt, » etc.

MAGNIFICAVI OPERA MEA, — multa, magna et magnifica opera exstruxi, puta magnificas domos, vineas, hortos, etc. Sub magnitudine enim intelligitur multitudo, adeoque *magnus* hebraice idem sæpe est quod multus, et magnitudo idem quod multitudo, uti alibi ostendi. Est enallage quantitatis, qua continua ponitur pro discreta, et vice versa. Unde Syrus vertit, *multiplicavi opera mea*; et Chaldæus, *in exstruendis sane Hierosolymæ magnificis operibus multus fui*; alii, *multa numero, et magnitudine ingentia opera construxi.* Per opera intellige, non tam publica in bonum Hierosolymæ vel regni erecta, qualia fuere templum, mœnia, fossæ, arces, turres, urbes, propugnacula, III *Reg.* IX, quam privata, quæ Salomon ad suam, non necessitatem, sed oblectationem et luxum splendide exstruxit. Ait enim : « Opera mea : et ædificavi mihi domos, et plantavi vineas. » Rursum per opera intelligit affabre facta artificiosa, elaborata, expolita per ingens studium, artem et industriam. Unde Arabicus vertit, *magnificavi artes meas.* Quidquid etiam in natura excellens est, quidquid in arte reconditum, hoc sibi ex Tyro et circumquaque accivit Salomon.

ÆDIFICAVI MIHI DOMOS, — qualis fuit illa, quam Salomon præ sua opulentia et magnificentia ædificavit tredecim annis, adeo splendida et admirabilis, ut ad ejus intuitum obstupuerit regina Saba, III *Reg.* cap. VII, et cap. X, vers. 27. Similis fuit domus saltus Libani, et altera quam ædificavit filiæ Pharaonis, quam in sponsam acceperat. Vide Josephum, lib. VIII *Antiquit.* cap. V, vel juxta aliam editionem, cap. II, et Abulensis, III *Reg.* VII, Quæst. I et seq. Plures alias ædificasse Salomonem, ut suo fabricandi desiderio satisfaceret, liquet ex hoc loco, et ex Chaldæo, qui vertit, *ædificavi mihi domos plurimas;* et ex illo III *Reg.* cap. IX, vers. 10 : « Ædificavit quodcumque ei placuit, ut ædificaret in Jerusalem, et in Libano, et in terra potestatis suæ; » Hebraice est, *ædificavit desiderium, quod desideravit Salomon ædificare :* quæ phrasis notat ardens in Salomone

ædificandi studium, ne dicam libidinem. Addit Chaldæus, *feci thronum ex dentibus elephantis et sellam regni.*

Tropologice, vide Nyssenum qua ratione domus animæ spiritalis virtutibus exstrui et ornari debeat, ideoque caveri ornatus nimius domus corporalis, ne in illum mens suas curas, opes et tempus insumat et exhauriat, ut parum ei supersit, quod in animæ fabricam impendat, uti fecit Nero, qui nulla in re damnosior fuit quam in ædificando, ait Suetonius, cap. XXXI Vitæ ejus. Ædificavit enim Romæ palatium a colle Palatino usque ad Esquilinum tam immane, ut esset instar urbis. Unde, ut idem Suetonius, scilicet cap. XXXIX, hoc in illam scriptum fuit distichon :

> Roma domus fiet : Veios migrate, Quirites,
> Si non et Veios occupet ista domus.

Et Martialis, *epigram.* 2 :

> Unaque jam nota stabat in urbe domus.

Exstant etiamnum ejus ruinæ et rudera, quæ miram ejus magnitudinem indicant. Sapienter Seneca, *epist.* 90 : « A natura, inquit, luxuria descivit, quæ quotidie seipsam incitat, et tot sæculis crescit, et ingenio adjuvat vitia; omnes istæ artes, quibus aut excitatur civitas, aut strepit, corporis negotium gerunt, cui omnia olim tanquam servo præstabantur, nunc tanquam domino parantur. »

PLANTAVI VINEAS. — Vinearum Salomonis in libris Regum nulla fit mentio; sed *Cantic.* cap. VIII, 11, ubi ait sponsa : « Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos; » Hebraice, *Salomoni in Baal hamon,* quod Aben-Ezra ait esse nomen proprium loci prope Jerusalem, ubi major pars populi vineas habebat præstantissimas. Alii, quibus favet Chaldæus, censent esse cognomen ipsius Jerusalem, quæ ob habitantium frequentiam sic vocata sit. Nam *Baal hamon* idem est quod *dominus* vel *domina multitudinis,* id est plurimi populi. Porro hæc vinea tam fuit fertilis, tantique proventus, ut ille quotannis æstimaretur mille argenteis. Subdit enim : « Tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu ejus mille argenteos. » Rursum, nonnulli huc referunt vineas Engaddi laudatissimas, quod uvæ referrent saporem et odorem cyprinum : cyprus enim est arbor aromatica, idque putant significari *Cantic.* cap. I, 13 : « Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. » Verum an hæc comparatio dilecti cum cypro et vineis Engaddi petatur a propriis Salomonis vineis an ab alienis, non satis liquet, præsertim quia Engaddi procul aberat a Jerusalem, utpote vicinum Jericho. Sed quid vetat Salomonem in remotis Judææ locis suas habuisse delicias, villas et vineas, uti olim habuere Romani Capuæ, et in tota Campania? Sane olim in sola Judæa, adeoque in solo Engaddi erat vinea balsami præstantissima; balsamum enim frutex est, qui, si acuto vitro, lapide, vel osse incidatur, stillat succum pretiosissimum, eximiæ suavitatis et virtutis ad sanandos morbos, quem opobalsamum vocant, præferturque omnibus odoribus. Vide Adrichomium in *Engaddi.* Sic in monte Libano erant horti amœnissimi, quos irrigabat fons hortorum, de quo *Cantic.* cap. IV. Hic fons sensim excrescens efficiebat fluvium, qui Sabbaticus vocabatur, eo quod mira Dei providentia sabbato duntaxat flueret, reliquis sex diebus siccaretur, teste Josepho, lib. VII *Belli,* cap. XXIV. Vide Adrichomium.

Porro vinearum plantatio et cultura est honestissima, suavissima et utilissima, uti docet Columella, lib. III, cap. III : proferunt enim vina præstantia in magna copia. Sane eximia fuisse et delicatissima (qualia sunt Falerna Italorum) hæc Salomonis dubitare nequit, qui hæc ejus verba et sequentia penitius introspicit, simulque ejus indolem, ingenium, et studium scrutandi omnia quæ in mundo sunt delicata, pretiosa, eximia, considerat.

Jam vero vites et botros in Palæstina esse ingentes et eximios liquet ex botro, quem duo exploratores missi a Josue ad eam explorandam, inde illum extulerunt, et in vecte ad eumdem detulerunt, *Num.* XIII, 25, et ex vite Sorec præstantissima, de qua *Isaiæ* V, 2, cujus uvæ non habebant acinum, uti testantur Hebræi, dabantque vinum rubens delicatissimum, adeoque vinum *Cos,* id est optimi coloris, odoris et saporis, ait Adrichomius in descriptione Terræ Sanctæ in *Dan.* Item ex eo quod Israel dicatur quiete habitasse sub vite sua et sub ficu sua, III *Reg.* cap. IV, 25. Vites ergo altæ sint oportet instar arborum et ficuum. Unde et *Genes.* cap. XLIX, 11, Jacob benedicens Judæ, ait : « Ligans ad vineam pullum suum, » ut scilicet ex ea oneret asinum.

Rursum, Salomon quidquid in orbe, adeoque in India erat rarum et pretiosum, per naves in Judæam accersebat : quare non dubium, vites quoque pretiosas ex regionibus, ubi illæ eximiæ sunt, evocasse. Certe Plinius, libro XIV, capite I, scribit in Africa interiore tantas gigni uvas, « ut magnitudinem infantium puerorum exsuperent, » et uvæ etiam « tumeant mammarum modo bumasti. » Dicitur enim græce uva *bumasti,* quod bovis mammas tumore et magnitudine referat; unde a Varrone, libro II *De Re rustica,* cap. IV, *Bumamma* vocatur, et a Macrobio, lib. III *Saturnalium,* capite ultimo, *Bumammia.* Strabo quoque, lib. II, cap. XI et XV, meminit botrorum bipedali magnitudine, atque bipedales in nonnullis Italiæ locis produci cernimus. Denique in Palæstina potentia gigni vina, omniaque rubra, nulla alba, Romæ ab iis qui illam lustravere, cognovi.

Uva bumasti quæ?

Sub vineis et vinetis nonnulli intelligunt oliveta et ficeta : hæc enim jungi solent, adeoque in eodem sæpe campo feraci videre est oleas et ficus vitibus insertas et immixtas, uti in Lombardia est cernere.

Mystice, plantanda, putanda, colenda est cuique vinea animæ, tam suæ quam alienæ. Audi S. Ambrosium, lib. II, *epist.* 7 : « Rescindatur, ait, luxuries, deliciæ resecentur, et si quis fuit luxuriosus, valedicat superioribus. Rescissa enim vinea fructum affert, semiputata frondescit, neglecta luxuriat, ideoque scriptum : Tanquam agricultura homo imprudens, et tanquam vinea homo egens sensu; si reliqueris eum, desertus erit. Colamus ergo corpus hoc nostrum, castigemus illud, redigamus ad servitutem, non illud despiciamus : sunt enim membra nostra arma justitiæ, sunt et arma peccati. »

Vers. 5. 5. FECI (alii, *plantavi*, ac singulari arte et industria concinnavi) HORTOS, ET POMARIA, ET CONSEVI EA CUNCTI GENERIS ARBORIBUS. — Hebraice, *feci hortos, et paradisos.* Hortus communium est olerum; unde *hortus* dicitur quasi *ortus,* quod in eo olera oriantur. Paradisus vero hortus est exquisitarum arborum, fruticum, florum, fontium, statuarum, avium, piscium et vivariorum, caprearum, cervorum, ferarum, omnisque generis amœnitatum et deliciarum, quales fuere veterum Romanorum Luculli, Pompeii, Ciceronis, etc., in agro Tusculano et Tiburtino, quibus modo ibidem vel pares vel suppares sunt Estensium, Aldobrandinorum et similium, qui amœnitate et pretio certant cum hortis Alcinoi, si non superant, ubi hydraulicos non tantum organorum, sed et avium cantus meis auribus audivi. De voce *Paradisi* vide dicta *Genes.* II, 8 (1).

Noster vertit *pomaria,* quia in paradisis eminent arbores fructiferæ omnis generis, puta pomiferæ: pomum enim quemlibet fructum, qui molliori est cortice, significat, et a nuce distinguitur, quæ amygdala, avellanas et omnes fructus duri corticis continet. Subinde quoque pomum omnes fructus tam duri quam mollis corticis, nucesque omnis generis complectitur. Ita hic accipitur. « Cuncti generis arboribus; » Hebraice est et Græce, *cuncti fructus arboribus,* non quod omnes essent fructiferæ, solasque fructiferas plantarit Salomon, cum et infructiferæ, ut cedrus, platanus et cypressus foliorum copia, celsitudine, odore, aliisque dotibus miram afferant amœnitatem; sed quod præter has etiam plantarit fructiferas diversorum fructuum atque pomorum fertiles, ait S. Hieronymus.

Verisimile est Salomonem frutices et arbores pretiosas ex Arabia, Ægypto, India totoque orbe conquisitas, in suos Hierosolymitanos paradisos transtulisse; unde Josephus, lib. VIII *Antiquitatum,* cap. II, tradit plantam balsami dono allatam a regina Saba, feliciter a Salomone suo satam in solo, ubertim in Palæstina deinceps provenisse, atque adeo in tanta copia, ut postea scripserit Plinius, lib. XII, cap. XXV, « balsamum uni terræ Judææ concessum. » Balsamum enim olim proprium fuisse Sabæ et Arabiæ Felici, ac felicissime provenisse apud Mecham et Medinam præcipuas Arabiæ Felicis civitates, docet Prosper Alpinus, *Dialogo de Balsamo,* cap. II; Strabo, lib. XVI; Diodorus Siculus, lib. I; Pausanias, libro IX, et alii. Inde a regina Saba translatum in Judæam ad Salomonem, eo plantante, felicissime provenit in Jericho. Inde translatum in Ægyptum irrigatum fonte, qui B. Virgini et puero JESU scaturiit, cum fugiens Herodem eo secessit, copiose germinare docent Baronius, Burchardus, Adrichomius et alii. Rursum, verisimile est omnes frutices et arbores, præsertim aromaticas, quæ nominantur a Salomone in Canticis, ab eo plantatas in suis paradisis, ut cedros, cypressos, calamum, myrrham, thus, cinnamomum, aloen, favum cum melle, *Cantic.* cap. V, vers. 1, id est cannam mellitam, sive sacchariam, ex qua eruitur saccharum, uti nonnulli transferunt.

Prisci hortis dediti.

Tὸ *consevi* innuit Salomonem, non tantum alienis, sed et suis manibus plantasse paradisos, uti fecit Cyrus minor in Sardiano paradiso, teste Cicerone *De Senectute,* de quo mox plura, et Diocletianus Imperator abdicato sponte imperio, Salonam in rus suum secessit, ibique plantationi et hortensi operi vacavit. Laertem Ulyssis patrem describit Homerus, *Odyss.* lib. ult., repertum a filio agros colentem. Imo Noe vineam plantavit, primusque ex ea vinum expressit. Adam vero cæterique ante diluvium, ac post illud Abraham, Isaac, Jacob, cæterique Patriarchæ fuere agricolæ. Romæ celebres fuere Hortensii, ita dicti a cultu studioque hortorum. Similes Hortensios habet hæc ætas, inter quos Lovanii olim vidimus Justum Lipsium vacuum a studiis, tempus floribus in horto conserendis studiose impendere. Vide ipsummet, lib. II *De Constantia,* cap. II et III, ac Virgilium, I *Georg.,* ubi mira elegantia hortorum culturam et amœnitatem celebrat. Jam vero horti magnam utilitatem æque ac delectationem afferunt. Romæ videmus hortulanos plurimos, eosque opulentos, quia Itali magis herbis quam carnibus vescuntur et pascuntur. Inter eas « brassica sunt decus hortorum, » ait Columella. Sub τῷ *consevi,* intellige quoque *insevi.* Nam, ut ait Cicero *De Senectute* : « Non modo consitiones delectant, sed etiam insitiones; » et harum peritissimus erat Salomon, utpote qui omnium arborum, herbarum, fructicum vires et dotes calleret, sciretque quæ, cui, qua ratione debe-

(1) Hebr. est, *feci mihi hortos et arboreta, et plantavi in iis arbores omnis fructus,* omnis generis fructuum. De horto, qui olim Salomonis fuisse dicitur, *concluso (Cant.* IV, 12), prope Bethlehemum intra montes asperrimos in valle amœnissima sito, fertilissimo solo ac maxime decoris arboribus gaudente, vid. Cotovici *Itinerar. Hierosol.* pag. 243. Haud procul piscinæ, quæ feruntur Salomonis, cum aquæductibus etiamnum ostenduntur.

Vers. 6. *Silva germinans arbores,* id est, vel *arboreta,* de quibus vers. 5; vel quod Galli dicunt *parcs,* Germani *thiergarten.*

rent inseri et inoculari. Unde Fonteius vertit :

Posui ordine vites,
Inseruique pyros, ficus, cydonia, pruna,
Innumeras posui species, genus omne ferarum.

Porro paradisos Salomonis fuisse eximios, ac superasse pensiles hortos Nitocris, quos ei velut uxori erexit Nabuchodonosor, mira arte et majore sumptu, ut orbis miraculum habiti sint, de quibus Plinius, lib. XV, cap. IV, facile persuadet Salomonis cupiditas, opulentia et magnificentia. Illi autem partim erant in urbe Jerusalem, puta in palatio regali Sionis, partim extra urbem ubi speciosiores sunt campi. Sicut Romani in suburbano excitabant hortos; quales fuere Cæsaris et Antonii prope Tiberim, de quibus Dionysius, lib. XLVII. Hinc noster Vilalpandus, tom. III, part. I, lib. II, ex Josepho, lib. VI *De Bello*, cap. VI, docet portam Jerusalem dictam *Genath*, sive *portam gregis*, fuisse pariter portam hortorum (גן *gan* enim hebraice hortum significat), per quam erat egressus et descensus in vallem Hennon amœnissimam, et torrentem Cedron hortis nobilem, atque ad vallem Josaphat. Ibi ergo erant horti amœnissimi, qui rigabantur torrente Cedron. Unde illud sponsæ, *Cantic.* VI, 10 : « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium; » Septuaginta vertunt, *poma torrentis*. Unde ibidem ab Adrichomio in descriptione Jerusalem depingitur hortus regius, qui in Canticis dicitur *hortus conclusus*, in quo erat fons Rogel et omnis amœnitas.

Tropologice Nyssenus hic invectivam habet in inutilem hortorum cultum, ostenditque qua ratione et quanta vanitate deliciæ quærantur in terra per ædificia, in aere per plantas, in aqua per piscinas et fontes; moderata tamen hortorum cultura et agricolatio amœna, laudabilis utilisque est, et a Deo Adamo in paradiso commendata, *Genes.* II, 15. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. VIII *De Genes. ad litter.* cap. IX : « Quid hoc opere innocentius vacantibus, et quid plenius magna consideratione prudentibus? » Hortus, ait S. Isidorus, lib. XVII *Origin.* cap. X, nominatur, quod ibi semper aliquid oriatur. Nam cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Olus ab *alendo* dictum, eo quod primi homines ab oleribus alerentur, antequam fruges et carnes ederent. Tantum enim pomis arborum et oleribus alebantur, sicut animalia herbis. Igitur sicut Adam excoluisset paradisum, si innocens in eo perstitisset, non tantum ad esum fructuum, sed etiam ad perspiciendas per experientiam herbarum, fructuum, fruticum naturas, dotes et proprietates, atque ex iis assurrexisset ad clariorem Dei creatoris cognitionem, amorem, laudem et gratiarum actionem : eodem prorsus modo suos paradisos excoluit Salomon. Unde dicitur « disputasse super lignis a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete, » III *Reg.* IV, 33 : quare ea manibus tractare, serere, excolere Salomoni volupe fuit, æque ac utile : sicut et fuit Herculi manu sua quercus conserere, ut scribit Plinius, lib. XVI, cap. IV; atque Agamemnoni plantare platanos, ut idem Plinius refert, lib. XVI, cap. XLIV; et Cyro gloriari solito agrum se habere suis manibus consitum, et directos in quincuncem ordines, multasque arbores manu sua satas, teste Cicerone *De Senectute*. « Antiquitas, ait Plinius, lib. XIX, cap. IV, nihil prius mirata est quam Hesperidum hortos, ac regum Adonis et Alcinoi, itemque pensiles, sive illos Semiramis, sive Assyriæ rex Cyrus fecit. Romani quidem reges ipsi coluere. Quippe etiam Superbus Tarquinius nuntium illum sævum atque sanguinarium filio remisit ex horto. »

Porro Chaldæus ex versione Conimbricensium et Costi multa hic paraphrastice addit. Sic enim habet : « Institui in Jabne circumcirca vineas, ut ego et silentiarii mei aliquando epularemur, et vinum novum et vetus ad altare libaremus. Plantavi hortos irriguos et amœnitatis plenissima viridaria, ubi omnis generis olera seminavi, quæ ad victum et convivia, aut ad sanitatem usui forent; herbas quoque olfactu nobiles adjeci; item et arbores steriles et aromata ferentes, quas ad me dæmones et nocentes angeli ex India detulerant; omnes item arbores fructiferas. Horti autem termini erant a muro Jerusalem usque ad littus aquarum Siluach. »

Silentiarii erant officiales intimi regis, qui quietem et silentium in aula procurabant, ac tumultus famulorum rerumque omnium compescebant, ne regis aures obtunderent, de quibus Justinianus, cap. *De Silentiariis*, et Procopius, lib. II *Belli Persici* : « Romani, ait, ad ea quæ quietis sunt in palatio, ministrum silentiarium vocant, sive domesticum arcanorum principis conscium. »

Verum hæc merito ex Chaldæo in Bibliis Regiis resecta et excisa sunt. Continent enim quædam dubia et apocrypha, quædam fabulosa et indigna, ut quod aiunt Salomonem arte magica usum, et per dæmones accepisse plantas peregrinas ex remotis terræ regionibus.

Denique in hortis et paradisis suis testatur Salomon, vers. 11, se invenisse vanitatem et afflictionem spiritus. Præter communem enim omnibus rebus terrenis vanitatem, paradisorum illa propria est, quod perpetuam exigant curam, et culturæ ac jugem areolarum, pergularum, sepium, fontium, apothecarum, labyrinthorum, vivariorum, etc., instaurationem, in quam ingentes quotannis expendendi sunt sumptus. Rursum quod a multis, etiam prælatis et principibus visitentur, quos excipere oportet laute et splendide : quare paradisi non tam serviunt hero, quam hospitibus, cum quibus hero tempus perdendum est, et opes profundendæ. Insuper in paradisis vacatur comessationi, symposiis, lasciviæ, luxuriæ aliisque sceleribus. Denique paradisi, sæpe totam heri cogitationem, cupiditatem et sollicitudinem ad se

rapiunt, ut de aliis quæ illis incumbunt, cogitare nec liceat, nec libeat. Quocirca S. Carolus Borromæus dictabat Episcopis et Prælatis non alium debere esse paradisum, quam Biblia et S. Scriptura.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 9 : « Quousque, ait, vanitatem quæritis et mendacium, hanc scilicet vitam et delicias, et exiguam gloriolam et humilem potentiam, falsam prosperitatem, magnum aliquid et amplum esse existimantes; quæ quidem hanc rationem habent, ut non magis eorum sint a quibus obtinentur, quam eorum qui habituros se speraverunt; neque horum rursus magis, quam illorum apud quos ne in exspectatione quidem unquam fuerunt; verum ut pulvis a turbine, sic ea ab aliis ad alios subinde ventilentur ac jactentur, et sicut fumus dilabantur, et tanquam in somnium homines deludant, umbræque instar manibus teneri nequeant, ac denique ita comparatæ sint, ut nec cum absint de iis consequendis desperent qui non habent, nec cum adsunt, fida sint et certa. »

Notum est illud S. Augustini : « Homo (Job) vicit in stercore, victus est (Adam et Salomon) in paradiso. »

Vers. 6. 6. ET EXSTRUXI MIHI PISCINAS AQUARUM, UT IRRIGAREM SYLVAM LIGNORUM GERMINANTIUM. — Hebræa et Græca, *sylvam producentem ligna;* Chaldæus, *sylvam quæ alit ligna ad incendendum,* id est sylvam cæduam. S. Ambrosius, lib. *De Isaac,* cap. IV : « Saltum germinantium, » scilicet ad inumbrandum, ad exhilarandum, ad fabriles usus, ad ignem, etc. Aliqui sylvam hanc referunt ad domum, quam Salomon ædificavit et indigitavit Saltum Libani, eo quod cedris libano allatis, inquiunt, ibique plantatis cincta foret.

Pro *piscinas* Aquila vertit λιμνὰς, id est paludes, stagna; Symmachus, δεξαμένας, id est cisternas, canales, aquarum conceptacula.

Piscinæ quid? Resp. primo. Piscinæ hic proprie capi possunt pro vivariis, in quibus servantur et aluntur pisces. Pisces enim priscis erant in deliciis, imo nonnulli piscibus duntaxat vescebantur, non carnibus. Pisces enim sunt humidiores, frigidiores et faciliores ad digerendum; atque longe major varietas est piscium, quam sit carnium. Tales fuere piscinæ Neronis, in quibus ipse piscabatur reti aureo, purpura coccoque funibus nexis, ait Suetonius, cap. XXX et XXXI Vitæ ejusdem. Mira sunt quæ de piscium in piscinis mansuetudine et oblectatione scribit Plinius, lib. LII, cap. II, ubi inter cætera ait : « E manu vescuntur pisces in pluribus Cæsaris villis, etc.; in Labradii Jovis fonte anguillæ inaures additas gerunt. In fonte Apollinis, quem Curium vocant, ter fistula evocati veniunt ad augurium. Hierapoli Syriæ in lacu Veneris ædituorum vocibus parent vocati, exornati auro veniunt, adulantes scalpuntur, ora hiantia manibus inserendis præbent. » Idem, lib. XX, cap. XI, hoc pharmacum piscibus ægris assignat : « Pisces si ægrotent in piscinis, apio viridi recreantur.

Secundo, per piscinas generatim accipi possunt cisternæ, lacus, rivi et quævis aquarum receptacula. Hæc enim *primo,* serviunt ad amœnitatem; aquæ enim pellucidæ et crystallinæ mire oblectant aspectum, præsertim dum in eis per cymbas navigatur. *Secundo,* ad refrigerium; in piscina enim lavabant se, imo natabant. Unde et κολυμβήθρα, id est lavacrum sive natatoria vocabatur, qualis fuit natatoria Siloe, ad quam missus a Christo cæcus, in ea se lavans illuminatus est, *Joan.* IX. Unde Plinius Junior, lib. V, epist. 6 *ad Apollin.* : « Si natare, inquit, latius aut tepidius velis, in area piscina est. » Idem, lib. II, *epist.* 17 : « Cohæret piscina calida mirifice, ex qua natantes mare aspiciunt. » Secundo.

Tertio, per piscinas accipi possunt thermæ et balnea, in quibus aquis calidis corpora abluebant, fovebant, et a frigidis morbis curabant, quales sunt thermæ Caroli Magni, quæ Aquisgrani calidissimæ e terra scaturiunt, ita ut balneantes earum æstum aqua frigida temperare debeant. Sic Romanorum magnificentia fuit in thermis, illæque erant opus imperiale et regium, quales fuere thermæ Diocletiani, Constantini, Antonini, quarum reliquias, pristinæ magnificentiæ indices, etiamnum intuemur. Tertio.

Quarto, in piscinis sive stagnis fiebant naumachiæ, sive ludi et prælia navalia ad spectantium oblectationem. Sic Nero, Tiberi in hortos Romæ declives inducto, piscinam sive stagnum effecit, in quo naumachia exercebatur, ad ejus populique recreationem. Quarto.

Quinto et maxime, hæ piscinæ et stagna serviebant ad irrigationem hortorum et arborum. Unde subdit Salomon : « Ut irrigarem sylvam lignorum germinantium. » Cum enim Judæa sit sicca et siticulosa, ut fiat humida et fecunda, aquarum irrigatione indiget : hæcque in Scriptura vocatur ejus benedictio. Unde et piscina hebraice vocatur ברכה *berecha,* id est benedictio. Hinc Axa petiit illam a patre suo Caleb dicendo : « Da mihi benedictionem, » id est irrigationem aquarum. « Terram australem et arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et irriguum inferius, *Josue* XV, 19. Quinto.

Ita Thaumaturgus : « Piscinæ, ait, erant ingentes ad aquarum exceptionem confecti, ad uberem et copiosam arborum irrigationem distributi. » Hinc ex piscinis fiebant aquæductus, quibus aqua per omnes hortorum areolas, perque officinas et cubicula magna arte, æque ac commoditate et jucunditate derivabatur. Sane Romanorum veterum magnificentia fuit in aquæductibus, quorum reliquias etiamnum spectamus. Hinc Chaldæus sic habet, *adjeci præterea ad domum convivii aquarii fistulas, ad arborum et herbarum irrigationem apprime commodas, fecique ex eis castella et aquæductus ad sylvam, variis arboribus consitam, irrigandam.* Pleræque enim arbores irrigationem aquarum amant; excipe pauculas : nam « aquas oderunt

cupressi, juglandes, castaneæ laburnum, » ait Plinius, lib. XVIII.

Porro quæ, quot et quales fuerint piscinæ Salomonis incertum est, quia nec Scriptura nec Josephus eas exprimunt : tantum Josephus, lib. VI *Belli*, cap. VI, nominat *Stagnum Salomonis*.

Piscinam probaticam, id est ovinam sive pecuariam, in qua lavabantur oves immolandæ, opus fuisse Salomonis censet Vilalpandus, Adrichomius et alii in descriptione templi : sed illa huc non pertinet, quia non Salomonis deliciis, sed usibus templi deserviebat. Piscinam sive natatoriam Siloe, in qua curatus est cæcus *Joan.* IX, opus fuisse Salomonis opinantur nonnulli. Oritur hæc piscina ex fonte Siloe vicino, qui e radice montis Sion scaturit : aqua ejus clara, dulcis et uberrima cum silentio placideque fluit in torrentem Cedron, *Isaiæ* VIII, 22 ; de quo ita scribit Saligniacus, lib. X, cap. I : « Fontis hujus aqua hodie adhuc ipsis etiam Saracenis in pretio est. Nam cum corpore naturaliter instar hircorum fœteant, in hoc fonte se et pueros suos lavant, eaque lotione fœtorem suum mitigant. Quin et eam Turcæ magni faciunt, quod ejus usum oculorum visui conferre experiantur. »

Salomoni quoque aliqui tribuunt piscinas in Hesebon, eo quod earum pulchritudini comparet oculos sponsæ Christi ob claram Dei cognitionem, *Cant.* VII.

Denique sub piscinis accipe fontes, qui e loco altiore per canales deducti, in hortis et atriis exsiliunt magna intuentium voluptate; hi enim piscinam sive stagnum efficiunt. Celebris in Jerusalem erat fons Gion, isque duplex, scilicet superior et inferior : oritur ex monte Gion, ubi Salomon in regem a Nathan propheta et Sadoc pontifice unctus fuit, III *Reg.* I.

Mystice, piscinæ sunt merita Christi et S. Sacramenta, quæ merita Christi continent, quæ Christus Dominus quasi verus Salomon instituit, ut irrigent sylvam, id est Ecclesiam, in qua germinant omnes generis arbores, id est omnes eminentes sancti, tam patriarchæ et prophetæ quam apostoli, virgines et martyres. Piscina superior est baptismus, inferior est pœnitentia.

Vers. 7. 7. POSSEDI SERVOS ET ANCILLAS, MULTAMQUE FAMILIAM HABUI, ARMENTA QUOQUE ET MAGNOS OVIUM GREGES, ULTRA OMNES QUI FUERUNT ANTE ME IN JERUSALEM. — Septuaginta, *mercatus sum*, vel *emi servos et ancillas*, etc. Hebræum enim קנה *kana* significat emere, comparare, possidere. Multa ergo mancipia emit Salomon, sicut jam emuntur Æthiopica; et præter Chananæa, Ægyptia, aliarumque gentium, Æthiopica quoque emisse Salomonem docet Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. II.

Per *servos*, tum mercenarios accipe, tum mancipia ; hæc enim proprie possidentur, sicut jumenta agri et census. Unde a Platone vocantur *animata possessio*; a Plutarcho, *animata instrumenta*. Hinc Nyssenus vertit, *possedi servos et ancillas tanquam caprarum et porcorum greges, utpote quod in pari ordine potestatis et hæc et illa subjecta essent*. Per *familiam* accipe uxores, filios, vernas, id est filios ex servis dominatos. Unde Hebraice est, *filios domus* ; Septuaginta, *et vernaculi fuerunt mihi* ; Arabica, *et facti sunt filii gentis domus meæ* ; Campensis, *et ex eis nati sunt mihi vernæ*. Horum copia facit tum ad heri splendorem et magnificentiam, tum ad imperium et operas, ut per eos tum domi, tum foris efficiat quidquid libet sive ad utilitatem, sive ad oblectationem. Servi enim ad nutum hero obediunt, omniaque ejus negotia obeunt sive domestica, sive ruralia, sive forensia. Tales sunt agricolæ, coci, equisones, camelarii, rhedarii, pocillatores, pistores, fabri, textores, phrygiones, asseclæ, satellites, armigeri, cubicularii, silentiarii et tabellarii, etc.

Habuit Salomon innumeram servorum et ancillarum turbam. Noster Vilalpandus tom. II, lib. V, disp. 3, cap. LI, numerat ad 48 hominum millia et sexcentos. Verum si præfectos, officiales et aulicos hic annumeres, longe major fuit copia, ut colligitur ex annona quotidiana aulæ Salomonis, III *Regum*, IV, 22 : « Erat, inquit, cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ, decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum atque bubalorum et avium altilium. »

Armenta dicta quasi *armamenta* ab *armis* quos habent validos ad onera ferenda, et ut armentur ad prælium. Unde Virgilius, IV *Æneid.* :

Bello armantur equi, bello hæc armenta parantur.

Vel *armenta* quasi *aramenta*, puta jumenta quibus aratur ; talia sunt equi, asini, cameli, vaccæ, boves, bubali. Porro equi Salomonis erant plurimi, ut patet ex eorum stabulis : « Habebat enim quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium, » III *Reg.* IV, 26, hoc est, habebat quadraginta millia equorum currilium in præsepiis, et duodecim millia equestrium. Est hypallage. Hunc esse sensum liquet II *Paral.* IX, 25, ubi dicitur : « Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis. » Cuique enim equo in stabulo communi suum erat præsepium, id est locus præseptus, in quo ei dabatur pabulum. Habuit ergo Salomon universim quinquaginta duo millia equorum in stabulis.

Porro possedit Salomon, æque ac Saul, David cæterique prisci reges, magnos armentorum et ovium greges, tum ad cibum et vestitum, tum ad mercaturam, tum ad sacrificium, ut cum ipse mille hostias una vice immolavit, III *Reg.* III, 4, adeo ut annuarum victimarum ejus numerum admirata sit regina Saba, III *Reg.* VI, 25. Sic Agag erat princeps Pastorum Saulis, I *Reg.* XV, 9 ; sic « Messa rex Moab nutriebat pecora multa, et solvebat regi Israel centum millia agnorum et cen-

tum millia arietum cum velleribus suis, IV *Reg.* III, 4. Priscorum ergo opes erant non auri, argenti, sed pecorum et pecudum; unde pecunia, quæ postea signata est effigie pecorum, quibus successit, nomen accepit. Ita Varro, lib. IV *De Lingua latina*, et Plinius, lib. VIII, cap. III; nimirum vivo adhuc mundo vivæ placebant divitiæ, et florentes crescentesque. Jam vero senescenti ac prope mortuo placent mortuæ, sepultæque æris, auri et argenti: qua in re, ait Nyssenus, limites a Deo præscriptos transgressus est homo, exenterans et eruderans terram, eruens quæ Deus voluit abscondi.

Servorum vanitas.

Porro, vanitas propria servorum et ancillarum est, quod hero serviant, non ex amore, sed ex metu, vel spe mercedis et lucri. Rursum, quod servili sint ingenio, magnaque egeant heri cura et assidua gubernatione, juxta illud *Eccli.* XXXIII, 25 : « Cibaria, et virga, et onus asino; panis, et disciplina, et opus servo. Operatur in disciplina, et quærit requiescere; laxa manus illi, et quærit libertatem. Jugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ. Servo malevolo tortura et compedes; mitte illum in operationem, ne vacet. » Insuper quod ad oculum duntaxat serviant, ac sæpe sint infidi ac furaces. Huc facit insignis gnome R. Hillel in *Pirke Avoth*, id est *Sententiis Patrum*, cap. II : « Qui multiplicat carnem, multiplicat vermes; qui multiplicat divitias, multiplicat cum eis dolores; qui mulieres multiplicat, multiplicat fascinationes; qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem; qui multiplicat servos, multiplicat fures; qui multiplicat legem, multiplicat vitam; qui studium multiplicat, pariter sapientiam multiplicat; qui multiplicat consilium, multiplicat prudentiam; qui multiplicat justitiam, multiplicat pacem; qui verbum legis acquirit, vitam in altero sæculo fœneratur æternam. »

Allegorice S. Hieronymus : Christus, inquit, qui verus est Salomon in aula, id est in Ecclesia sua, habet « servos qui habent spiritum timoris in servitute, et spiritalia magis desiderant, quam teneant. Ancillas vero eas animas appellat, quæ adhuc corpori terræque sunt deditæ; vernas, qui servos et ancillas antecedunt, necdum tamen libertate donati sunt, nec nobilitati a Domino. Sunt autem alii ad instar boum et ovium, propter opera et simplicitatem, qui absque ratione et scientia Scripturæ laborant quidem in Ecclesia, sed necdum ad id pervenere, ut homines esse mereantur, et redeant ad imaginem conditoris; de quibus dicitur : Homines et jumenta salvabis, Domine, » *Psalm.* XXXV, 8.

Vers. 8.

8. COACERVAVI MIHI ARGENTUM ET AURUM, ET SUBSTANTIAS REGUM AC PROVINCIARUM. — Septuaginta, ἤθροισα, id est collegi, coegi, congessi ubertim; Arabicus, *aggregavi*; Chaldæus, *auri et argenti thesauros congregavi, conflavique ex auro postulato stateras et pondera æqui et boni. Census* (vel *peculia*, ut vertunt Complutenses) *quoque regum et provinciarum mihi in tributum illati sunt.* Aurum postulatum est sæpius igne excoctum, ideoque purgatissimum et optimum; hoc enim crebra ignis actione tubercula et postulas contrahit, uti docent Sabellicus ad cap. XLIV Suetonii in *Nerone*, et Cujacius, lib. VII *Observ.* cap. XXXIX : de quo dicitur *Psalm.* XI, 7 : « Argentum igne examinatum, purgatum septuplum, » id est multipliciter, quale est aurum obryzum.

Quantæ opes Salomonis? Resp. primo.

Quæres, quæ et quantæ fuerint opes Salomonis? Respondeo id colligi posse *primo*, ex eo quod illæ ex singulari Dei promisso et dono ei obtigerint : dona autem Dei sunt eximia, superantque humana omnia. Audi Deum ad Salomonem loquentem : « Divitias autem et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui, II *Paral.* I, 12; quæ verba licet aliqui limitent ad reges Israel, alii aliis modis, tamen ipsa per se illimitata et absoluta sunt. Unde noster Vilalpandus multis ostendit Salomonem omnibus omnino regibus et monarchis fuisse opulentiorem : de quo mox plura.

Secundo.

Secundo, ex eo quod David pater ejus pro fabrica templi reliquerit ei « mille millia talentorum argenti : » mille millia, id est decies centena millia; et « auri centum millia talenta. » Talentum Hebræorum, ut ostendi in fine Pentateuchi, duplo majus erat talento Attico; nam continebat « tria millia siclorum, » hoc est 125 libras auri, quæ faciunt « duodecim millia coronatorum Francicorum. » Addit noster Salianus in *Annal.* « et quingentos. » Unde hæc Davidis talentorum auri et argenti millia censet confecisse 2672 milliones, ac insuper 125 millia nummorum aureorum. Quibus si addideris 72 milliones ac 926 millia et 666 aureos, qui a populo liberaliter dati sunt I *Paral.* XXIX, 4, hæ duæ summæ ascendent ad bis mille septingentos et 45 milliones, 51 millia et 666 aureos. Unde Budæus, lib. IV *De Asse*, censet has Davidis opes, Salomoni relictas, fuisse decies majores quam Darii ultimi regis Persarum, quas eo victo occupavit Alexander. Darius enim tantum habuit 87 millia talentorum; quas autem Salomoni congregavit, in infinitum ire. Sane hæc Davidis opum et millionum summa videtur pene incredibilis; continet enim tantum auri, quantum vix est in tota Europa; ac Justum Lipsium meditantem opus *De Amplitudine imperii Hebræorum*, quasi antistrophon alteri quod ediderat de magnitudine imperii Romani, ab eo deterruerit, cum non caperet tantam opum magnitudinem; quocirca aliqui opinantur talenta jam recensita fuisse minora, quibus favet Eusebius, lib. IX *De Præpar.*, sub finem : « Talentum autem dico, inquit, quod siclum appellant. » Siclus habet pondus quatuor drachmarum; quare si argenteus erat, valebat quatuor Julios sive regales Hispanicos; sin aureus, valebat quatuor coronatos Francicos, hi enim pondus habent quatuor

drachmarum. Verum sic summa hæc Davidis exilis fuisset, nisi dicas siclos hos non fuisse simplices, sed duplos, imo decuplos, quomodo regalis Hispanicus, si decupletur facit Philippicum, dalerum vel aureum. Hæc David Salomoni reliquit pro templo ; pro aula vero et propriis usibus ex amplissimis et continuis hostium, cum quibus per omnem vitam pugnavit, semperque victor exstitit, spoliis; item ex reditibus cæterisque erogationibus plurima addidit, adeo ut Josephus, lib. VII *Antiq.* cap. XII, scribat : « Tantas divitias hæredi reliquit rex David, quantas nullus alius rex vel Hebræorum, vel aliarum gentium. » Subdit Hyrcanum pontificem ex sepulcro Davidis accepisse tria talentorum millia; Herodem deinde magnam auri vim, etc., adeo ut nonnulli censeant cum Davide sepultos fuisse mille milliones.

Tertio. *Tertio,* ex auro et opibus, quas ei deferebant naves ex Tharsis et Ophir, de quibus dicitur III *Reg.* IX, 26; II *Paralip.* VIII, 17, et III *Reg.* X, 14 : « Erat pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcenta sexaginta sex talenta auri, excepto quod negotiatores afferebant, » ut videantur illa sexcenta sexaginta sex talenta auri ex ipsis fodinis per Salomonis servos quotannis erui solita ; alia vero, quorum nullus numerus, negotiatione et commercio earum gentium, quarum littora legebant Salomonis naves, Hierosolymam advecta. Ita Pineda.

Quarto. *Quarto,* ex tributis et vectigalibus, quæ pendebant ei quotannis tum singulæ tribus Israel, quod aliqui ex III *Reg.* IX, 15, conjectant fuisse tantumdem, quantum Hiram rex Tyri dedit Salomoni, scilicet 120 talenta auri, non quod tantum penderent singulæ tribus (hoc enim immane fuisset et impossibile), sed simul universæ; tum reges omnes circumcirca illi vectigales et subditi, II *Paralip.* VIII, 8, et III *Reg.* IV, 21 et 24.

Quinto. *Quinto,* ex donis et muneribus; nam Hiram dedit ei centum et viginti talenta, non quotannis, ut aliqui putant, sed semel. Regina Saba dedit ei totidem. III *Regum* X, 10, et II *Paralipom.* cap. IX, 23, dicitur : « Omnes reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, etc., et deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, et vestes et arma et aromata, equos et mulos per singulos annos. »

Sexto. *Sexto,* ex sapientia Salomoni indita, qua census annuos agrorum, pecorum, redituum, negotiationum, etc., mira industria augebat præter communem aliorum morem; item ex summa pace, quæ in regno fuit perpetua per annos quadraginta. Hoc est quod de Sapientia dicitur, *Sapient.* cap. VIII, 18 : « In operibus manuum illius honestas (id est divitiæ) sine defectione. » Et *Proverb.* VIII, 18, ait ipsa Sapientia : « Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia. »

Septimo. *Septimo,* ex fabricis quas exstruxit. Certe aliqui opinantur eum in templum insumpsisse tria millia millionum auri. Fuit enim hoc templum mundi miraculum, ac quantum homini facere licet, Deo digna domus, et inter mortales gloriæ thronus. Hinc David, vovens pro fabrica templi, reliquit Salomoni « tria millia talenta auri de auro Ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi, » I *Paralipom.* cap. XXIX, vers. 4. Quid ergo pro ipsa tantæ fabricæ machinæ eidem reliquisse credemus? Item ex sumptibus magnificis aulæ et familiæ pene innumerabilis, versu præcedenti recensitis, atque operariorum. Aluit enim, per omnes fabricæ templi et domorum suarum annos, triginta millia Israelitarum cædentium ligna in Libano, « et septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte, absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum. » Erant hi Tyrii, quos ei submiserat Hiram rex Tyri, cui proinde Salomon præbebat « coros tritici viginti millia in cibum domui ejus, et viginti coros purissimi olei per singulos annos, III *Regum* V, 11 et sequentibus. Insuper alebat equorum 52 millia cum suis equisonibus, rhedis et curribus, uti dixi vers. præcedenti.

Salomon ditior omnibus monarchis.

Denique noster Vilalpandus, tom. II, lib. V, cap. XLIV, usque ad LII, singula obventionum Salomonis capita prudenter supputans, Salomonis opes regum et monarcharum Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum etiam reditibus et opulentiæ confert et præfert, adeo ut æstimet Salomonis censum quadragies superasse censum regum Persarum. Salomon enim, inquit ipse, quotannis colligebat ex tributis 2226 talenta ex Ophir, præterea 450 talenta, quæ simul juncta, faciunt plus quam quadraginta quinque milliones aureorum. His junge vectigalia portoriorum, pastionum, negotiatorum, insuper spolia plurima et maxima, quæ David per omnem vitam pugnans retulit ex hostibus. Addunt aliqui annuum censum capitationis, quo quisque quotannis dimidium sicli ex lege dabat templo : hunc enim Judæi singuli pendebant, tum qui in Judæa erant, tum qui in toto orbe erant innumeri. Verum hic census cedebat pontifici et templo, non regi et aulæ.

Noster Lorinus, singulos Salomonis proventus præcise recensens, supputans et definiens, tandem concludit aitque : « Horum omnium quæ in omni vita sua Salomon habuit, quorum Scriptura certum numerum designavit, summa est ter mille nongenti tres milliones, et septingenta sexaginta quinque millia, et nongenta viginti quatuor scutorum monetæ Romanæ argenti : quibus si addamus mille quadringenta quadraginta auri talenta per triginta sex annos multiplicata, erunt quater mille sexcenti octoginta sex milliones, ducenta triginta tria millia, centum viginti quatuor. Præter hæc vero, ut colligitur ex dictis, magnam valde aliam summam habebat ex aliis multis rebus collectam, quarum iniri summa non potest,

ut ex vectigalibus, negotiationibus, muneribus, qualem et quantam nullus unquam monarcha vel respublica habuit. »

Verum præcisa hæc opum Salomonis supputatio difficulter ex Scriptura probari potest, ac nonnulla incerta, imo minus probabilia pro veris et certis supponit, ut quod Hiram quotannis dederit Salomoni 120 talenta, cum verius sit semel tantum dedisse : quod singulæ tribus totidem talenta quotannis solverint Salomoni, cum verius sit universas simul non amplius persolvisse, etc.

Sufficit ergo dicere in genere opes Salomonis fuisse maximas et innumeras, utpote quæ repræsentarint opes spirituales Christi, qui verus est Salomon. Hæ enim maximæ sunt, puta gratiæ, dona, virtutes, ac coronæ cœlestis gloriæ innumeræ, quas Christus tum in se habet, tum in innumeros Sanctos, Prophetas, Apostolos, Martyres et Virgines partitur et distribuit. Hinc Salomon dicitur fecisse, ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta esset lapidum, III *Regum* x, 27, ac collegisse ut aurichalcum aurum, et ut plumbum complevisse argentum, *Eccli.* XLVII, 20; et rursum II *Paralipom.* cap. IX, 20 : « Argentum, inquit, in diebus illis pro nihilo reputabatur, » quæ licet per hyperbolem dicantur, tamen immanes Salomonis fuisse opes significant. Quo evasit tanta opum copia ? Abiit, evanuit instar fumi, imo ex omnibus illis Salomon moriens ne obolum quidem secum detulit. Ite nunc, cupidi, aurum auro cumulate, argento cistas opplete, ac scitote hæc omnia vobis in morte relinquenda, nec quidquam nisi virtutem et beneficentiam vos comitaturum ad tribunal Christi.

ET SUBSTANTIAS. — In Hebræo est סגולה *segula*, id est thesauros et res pretiosas, uti sunt gemmæ, cymelia, monilia. Hæc Septuaginta vertunt, *opes regum*; Syrus, *possessionem regum;* Arabicus, *mundos regum et regionum;* Vatablus, *mundum pretiosum;* Tigurina, *peculium regum;* alii, *thesaurum desiderabilem;* Campensis, *quæ proprie pertinent ad reges et provinciarum dominos;* Arias, *peculium regum, regalium œrariorum gaza, et reconditoria aliorum principum.* Ergo Salomon a regibus et provinciis accipiebat non vulgaria, sed eximia et optima quæque, puta aurum præstantissimum, argentum nitidissimum, gemmas pretiosissimas, ac quidquid apud ipsos rarum, eximium et pretiosum erat. Hinc de Israel ait Deus : « Eritis mihi in peculium (Hebræa, *in segula*) de cunctis populis, » *Exodi* cap. XIX, vers. 5. Vide ibi dicta, et I *Petr.* cap. II, vers. 9, ad illa : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. »

Porro Salomon coacervavit has opes : *primo*, junior, ex dono Dei, unde τὸ *coacervavi* significat ingentes opum acervos et cumulos ab eo collectos; deinde senescens ex avaritia, ait Nyssenus, tuncque ex *neches*, id est substantia a Deo data, stimulante cupiditate fecit *kenes*, id est coacervationem et corrasionem opum, opprimens subditos per nimia tributa, quæ deinde in suos adulatores et parasitos, ac in mille uxores et concubinas, cæterumque mensæ et voluptatum suarum luxum profundebat : qua in re peccavit contra legem Dei de rege ita sancientis, *Deuter.* cap. XVII, 17 : « Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus; neque argenti et auri immensa pondera. » Atque hac de causa decem tribus ob nimias ejus exactiones rebellarunt, ac rejecto ejus filio Roboam, sibi Jeroboam regem constituerunt, III *Reg.* cap. XII, vers. 4 et sequentibus : « Pater tuus, inquiunt, durissimum jugum nobis imposuit, » etc.

Vanitas opum. Prima.

Denique vanitas propria divitiis est *prima*, quod aurum et argentum nil sint nisi terra rubra et alba, ut ait S. Bernardus, cui sola hominum æstimatio dat pretium, quæ tamen coacervatur, id est in acervos redigitur, ut ex ea conflati nummi in arcis recondantur, nec ulli sint usui vel commodo, sed in tenebrosis quasi ergastulis compactæ retrusæque delitescant. Unde D. Chrysostomus, *orat. 4*, disputans cum Alexandro, ait genium avarum opes « non congregare, sed dispendia facturum; aut divitiis congregatis usurum, sed vinctas et infrugiferas custodire opes, revera clausas in quibusdam occultis et tenebrosis carceribus. » Et Nyssenus, *homilia 4*, urgens τὸ *coacervavi* : « Libenter, inquit, scirem quid emolumenti redibit ad eum qui hanc congregat materiam, et illud cernit in universo, quod nunc cernit in exiguo, neque animæ ullum affert lucrum. Numeravit, reposuit, sigillo obsignavit; cum ab eo peteretur, negavit, et cum ei fides haberetur, etiam pejeravit. Hæc est beatitudo, hic est finis ejus, quod in ea ponitur studii. »

Secunda.

Secunda, quod mille curis, timoribus, angoribus divitem cruciet, ne quis eas surripiat; ne naufragio, incendio, rapina pereant. Unde S. Gregorius : « Nolite, ait, amare quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant. » Et S. Basilius apud Antonium in *Melissa*, part. I, cap. XXXIV : « Quidquid vides (o avare, inquit), quidquid imaginaris, aurum est. Hoc tibi dormienti somnium, et vigilanti cogitatio est. Nam ut qui per insaniam delirant non ipsas res vident, sed quæ eis afflictio suggerit, imaginantur : sic animus tibi avaritia detentus nihil quam aurum et argentum videt, et suavius quidem aurum quam sol conspectui tuo se offert. » Audi et Senecam in *Hercule Œteo*, Act. 2 :

> O si pateant pectora ditum,
> Quantos intus sublimis agit
> Fortuna metus! Brutia, Coro
> Pulsante fretum, mitior unda est.
> Pectora pauper secura gerit.

Tertia.

Tertia, quod cupiditatem augeant in immensum; qui enim lucratus est centum aureos, mox cupit lucrari ducentos, illico trecentos, quadrin-

gentos, mille, ac deinde millionem non unum, sed plures, juxta illud :

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Quarta. *Quarta*, quod opes gulæ, luxuriæ, superbiæ, rapinæ omniumque scelerum sint occasio et stimulus, uti Salomoni fuerunt : nam ab opibus itur in luxum, a luxu in luxuriam, ab hac in hæresim, idololatriam et atheismum. Audi S. Chrysostomum, opum vanitatem, imo perversitatem graphice depingentem : « Divitias dico luxus omnis ac nequitiæ parentes, intemperantiæ omnis ac libidinis patronas, vitii omnis inventrices, exitiosarum omnium voluptatum adjutrices, continentiæ hostes, pudicitiæ inimicas, clandestinas virtutis omnis fures. » Sic recitans Chrysostomus verba D. Damasceni in *Parallelis*, lib. II, cap. XVII, ex Basilio sic adscribit : « Quousque tandem studio aurum erit animarum laqueus, mortis hamus, peccati illecebra? Quousque divitiæ bellorum parentes, ob quas arma cuduntur, enses acuuntur? Ob eas causas cognati naturam non agnoscunt, fratres infesto ac sanguineo oculo sese intuentur. Propter opes solitudo prædones alit, mare piratas, urbes sycophantas? Quis mendacii pater est? quis falsæ conscriptionis artifex? quis perjurii procreator? Nonne opes? Quis vobis ea, quæ vestra sunt, ad perniciem vestram convertit? Ad subsidium vitæ, an ad vitiorum materiam et adjumentum opes concessæ sunt? » etc. Et iterum ex eodem : « Vide ne cum opes innumeris laboribus tibi cumulaveris, peccatorum materiam tibi atque aliis compares, sicque duplicem pœnam tibi accersivisse comperiaris, nempe tum ob eos quibus abs te injuria illata est, tum etiam ob eos quibus vitiorum ansam et viaticum subministrasti. »

Vide et S. Basilium, homilia *in Divites avaros*, et Isidorum Pelusiotam, lib. II, *epist.* 146, ubi citat illud Isocratis : « Divitiæ vitii potius quam virtutis sunt ministræ, ut quæ licentiam quidem inertiæ afferant, juvenes autem ad voluptates cohortentur. » Et mox : « Apud veteres hoc in more positum erat, ut post convivium lyram caperent, illudque canerent : O divitiæ, utinam nec in terra videamini, nec in mari! » Idque confirmat exemplo Aristidis, Platonis, Epaminondæ, ac Crateris qui opes suas senatui cedens dixit : « Crates Craterem libertate donat. »

Quinta. *Quinta*, quod hominem periculo mortis præsentis et æternæ exponant : multi enim divites occiduntur ob pecunias, ut illas occidens surripiat; multi pariter ob easdem damnantur, unde Christus ait : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum, » *Matth.* cap. XIX, 24. Quid ergo profuit Salomoni omnis hæc opulentia? imo quantum obfuit, cum in periculum salutis æternæ eum deduxit, imo reum gehennæ effecit? Quanto satius Salomon fuisset pauperior Iro, quam ditior Cyro! Quam mallet nunc mendicasse cum Lazaro, quam ingurgitasse se cum Epulone! Fuit enim ipse opum gurges, et patrimoniorum tot regum et populorum helluo. Meminerint principes qui, ut se ditent, nimiis tributis populum gravant, se et pauperum sanguinem sugere, ac in tribunali Christi velut homicidii reos accusandos fore, et ad mortem æternam damnandos. Nam, ut ait *Eccli.* cap. XXXIV, vers. 25 : « Panis egentium, vita pauperum; qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum; qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. »

FECI MIHI CANTORES ET CANTATRICES. — Hebraice, שרים ושרות *sarim vesaroth;* quod si per *sin* scribitur, significat *principes et principissas*. Verum hic scribitur per *schin;* unde significat *inspectores et inspectrices*, item *cantores et cantatrices*, qui jugiter notas musicas et rem canendam inspiciunt. Addunt aliqui significare *instrumenta musica*, his enim canunt cantores. Unde Pagninus vertit, *feci mihi diversa instrumenta musica*. Et noster Pineda per *cantores et cantatrices*, ut proprie vertit Noster, accipit omne genus instrumentorum musicorum : quippe idem nomen substantivum, variatum per diversa genera, notat ejus rei, quam nomen significat, omnem diversitatem et universitatem. Cum enim Hebræi non habeant nisi duo illa genera, masculinum et femininum, qui utrumque genus alicujus rei dicit, rem illam universam comprehendit, *Isaiæ* cap. III, 1 : « Auferam a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ. » Quem locum sic legit Cyprianus, lib. I *Testim. ad Quirinum* : « Auferam valentem et validam, valentiam panis et valentiam aquæ. » Berzellai ait, II *Reg.* cap. XVII, vers. 3 : « Numquid audire possum ultra vocem cantorum et cantatricum? » ubi Chaldæus Complutensium, *audiam multam vocem citharorum et hymnorum?* ubi cernis cantatores et cantatrices accipi pro instrumentis musicis.

Porro David ad cultum Dei in templo, et Salomon ad suas delicias in mensa et aula, hæc fecere musices instrumenta, psalterium, organum, citharam, tibiam, tympanum, decachordum, tintinnabulum et cymbalum, chordas, tubam, fistulam, sambucam, quam nonnulli vocant *harpam*, alii *buccinam*, alii *tubam*, ut *sambuca* dicta sit quasi שמש *scemes*, id est solis, *bucca*, id est *tuba*, quod bucca inflata instar tubæ clangeret. Melius alii sambucam dictam volunt, quod ex sambuco arbore, vel potius arbusto fistuloso conficeretur, uti indicat S. Hieronymus ad Dardanum. Optime alii sambucam censent esse vocem Hebræam. Nam *Danielis* cap. V, vers. 5, *sabbecha* quasi *sambuca* (littera enim *m* in dages absorbetur, et euphoniæ causa in *b* vicinam labialem commutatur et liquescit); radix enim סבך *sabach* significat implectere, implicare, perplectere, una

Sambucæ etymon.

alteri inseritur, et jam adducitur, jam a sambucino laxatur.

Verum plane et genuine, *cantores et cantatrices* accipe pro viris et feminis, sive juvenibus et puellis, canore canentibus tum voce, tum instrumento musico : simul enim dum ore canunt, manu pulsant organum, citharam, psalterium, aliudve instrumentum; itaque duplex plenaque fit harmonia ab uno eodemque cantore : quod si plures idem faciant concinne et harmonice, fit symphonia admirabilis et cœlestis, quæ audientes rapit et mira oblectatione demulcet. Porro principes solent habere musicos in aula ad manum, ut quoties lubet jubeant eos canere, atque hac illorum modulatione curas suas et mœrores dispellant; præsertim vero iis utuntur ad mensam vel a mensa, hicque vetus fuit mos, præsertim Syrorum et Ægyptiorum, ut pueros comptulos comptosque canentes mensæ adhiberent, qui sua tum forma et habitu decoro, tum voce modulante convivarum aures æque ac oculos pascerent. Unde Ecclesiasticus, cap. XXXII : « Gemmula carbunculi, inquit, in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in jucundo et moderato vino. » Vide ibi dicta.

Sensus ergo est, *q. d.* « Feci, » id est comparavi, constitui, disposui, ordinavi, per choros distribui mihi cantores et cantatrices, qui statis horis et locis canendo me oblectarent. *Facere* enim generale est verbum significans quamlibet actionem, dispositionem, ordinationem. Rursum « feci » proprie, id est jussi fieri, et dato pretio confici curavi omnis generis instrumenta musica, pretiosa et affabre elaborata, quibus psaltores et psaltriæ, æque ac voce canerent, meque recrearent. Unde Chaldæus vertit, *feci in domo Sanctuarii* (melius dixisset, *in aula*) *instrumenta musices, ut canerent in illis cantores et cantatrices.*

ET CANTATRICES. — Has plane pleneque deliciosi et effeminati adhibebant ad cantus delicias : feminarum enim vox mollior est, dulcior et delicatior; quare virorum aures mentemque evirare et effeminare solet. Ita Antoninus Verus Imperator, ait Capitolinus cap. VIII *Vitæ* ejus : « Adduxerunt secum (e Syria) fidicines, et tibicines, et histriones, scurrasque mimarios, et præstigiatores, et omnia mancipiorum genera, quorum Syria et Alexandria pascitur voluptate. » Sic et apud Hebræos cantores erant servi et servæ. Audi Esdram, lib. II, cap. VII, vers. 67 : « Absque servis et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem, et inter eos cantores et cantatrices 245. » Similes fuere apud Romanos. Unde Plautus in *Sticho* : « Fidicinas, tibicinas, sambucinas (quæ sambuca canerent) advexit secum forma eximia. » Et Livius, lib. IX *Bell. Macedon.* : « Tunc psaltriæ sambucinæque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulo. » Similes cantatrices et psaltrias tum voce, tum instrumento musico, in deliciis habuisse reges Persarum docet Xenophon, lib. IV *Pædiæ*, Curtius lib. V, Athenæus lib. III, et Brissonius, lib. IV *De Regno Persar.*, adduntque eas cum cantu junxisse brachiorum gestus, saltus, et numerosos corporis motus, qui sane parum casti erant, imo libidinis illices. Unde Ovidius, *De Remedio amoris* :

> Enervant animos citharæ, cantusque lyræque,
> Et vox, et numeris brachia mota suis.

Cantorum vanitas. Prima.

Porro vanitas propria cantorum *prima* est, quod cantus non sit aliud quam vox et sonus aerem verberans et transiens : ubi enim sonuit, abiit et evanuit.

Secunda.

Secunda, quod cantores suavitate et varietate modulationis vincantur ab avibus, præsertim a merula et philomela, quæ, cum sit avis vilis et pusilla, tamen cantu omnes aves et homines superat, ideoque non aliud nisi vox et cantus esse videtur.

Tertia.

Tertia, quod vox puerorum delicata et gracilis post paucos annos mutetur et crassescat, perdatque suam in canendo delicatam gratiam et venustatem.

Quarta.

Quarta, quod voces puerorum et præsertim feminarum animum effeminent, ac sensim ad impudicos amores invitent. Sicut enim Sirenes, sic et meretrices cantu amasios alliciunt, dementant et perdunt. Unde *Proverb.* V, 3, dicitur : « Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus; novissima illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. » Quocirca S. Hieronymus ad Furiam mandat, « ut fidicinas et psaltrias et istius modi chorum diaboli, quasi mortifera Syrenarum carmina proturbet ex ædibus suis. » Et Nyssenus hic : « O improbum, inquit, et importunum artificium! quam densum acervatim immittit voluptatum fluentum, quod veluti quibusdam duplicibus torrentibus per auditum et visum inundat animas, ut videatur et audiatur malum! Cantus evertit auditum, cantus superat et prosternit oculum. Hinc muliebris sonus per factam cantuum harmoniam, secum sumit cor, et deducit ad vitium. Illinc visus tanquam aliqua machina bellica in oculos eo quod in aures cantibus incurrerat jam fracto, incurrens avertit animam. Hujus autem aciei dux est vinum, quod veluti quidam improbus sagittarius duplicibus telis hominem confodit, ad aures et oculos dirigens aculeos. » Huic cantus vanitati opponitur ejusdem veritas, qua olim christiani in Agape sive convivio Eucharistico, Deo laudes et hymnos canebant, teste Tertulliano, *Apolog.* cap. XXXIX, adinstar Christi, qui peracta ultima cœna ὑμνήσαντός, id est *hymno dicto*, cum Apostolis exivit in montem Olivarum, *Matth.* cap. XXVI, vers. 30. Unde Apostolus, *Ephes.* III, vers. 18 : « Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, et Hymnis, et Canticis spiritualibus, cantan-

tes et psallentes in cordibus vestris Domino. » Vide ibi dicta.

ET DELICIAS FILIORUM HOMINUM. — Aliqui delicias has interpretantur « cantores et cantatrices » jam recensitos, ut sit epexegesis, qua exponantur finis et usus eorum, *q. d.* Cantores et cantatrices alteri rei non serviunt, nisi ad delicias ut oblectent deliciosos hominum filios. Unde Syrus vertit, *feci mihi cantores et cantatrices, et suavitatem in filiis hominum;* Arabicus, *feci mihi cantantes et cantatrices cum voluptate cum filiis hominum.*

Planius alii quaslibet mensarum, epularum, vinorum, pincernarum, vasorum, lancium, lavacrorum, thermarum, ut ait Chaldæus, coronarum, tricliniorum sive lectulorum, in quibus veteres discumbebant, juvenum comptulorum conviviis ministrantium, etc., delicias et lautitias accipiunt, quas graphice depingit Philo, lib. *De Vita contempl.* Unde pro *delicias* Aquila vertit τρυφὰς, id est mollities, voluptates, luxus; Symmachus, σπαταλὰς, id est cibos delicatos, cupedias, lautitias. Lyranus per delicias accipit speciosas uxores et concubinas Salomonis, easque plurimas, scilicet mille.

Deliciarum fallacia.

Tropologice, deliciæ sunt vanæ et fallaces, quia vita carnis in deliciis sæpe est mors animæ, rationis et spiritus. Non ego id assero, sed S. Paulus loquens de vidua, I *Timoth.* V, 6 : « Quæ in deliciis est, inquit, vivens mortua est. » Qui enim delectatur in carne, nequit delectari in Omnipotente, *Job* cap. XXVII, 10. Causam dat ibidem S. Gregorius, XVIII *Moral.* cap. VIII : « Utrique se amores, ait, in uno corde non capiunt, nec in eo seges supernæ charitatis pullulat, in quo illam spinæ infimæ delectationis necant. » Similem causam dat S. Chrysostomus, homil. 13 *in Epist.* I *ad Timoth.* : « Mortuus est, inquit, quisquis vivens cum deliciis degit. Quonam modo? Ventri solummodo vivit, sensibus cæteris mortuus. Neque enim aspicit quæ aspicienda sunt, neque audit quæ necessario audire convenit, neque ea loquitur quæ decet loqui, nihilque in se vivere præter solam ventris ingluviem indicat : cæterum quemadmodum mortuus quispiam in lectulo jacens, complosis palpebris clausisque luminaribus, nullum omnino sensum habet, ita et hic, imo longe hic deterius quam ille effectus est. Ille enim bona æque ac mala eadem ratione non sentit; hic autem malorum tantum admittit sensum, sed nihil boni penitus sentit. Nihil illum ex his quæ in futura vita servantur, movet, sed ad omnia perstat immobilis; atque ita mortuus est, quemadmodum in cuniculum quemdam obscurum et tenebrosum antrum præcipitatus, atque immunditia omni plenus, intimis et opacis vitiorum sinibus conditus, semperque in tenebris instar mortui degit. » Et inferius in *Morali* : « Majori nos in dies fœtore implemus, cum deliciis magis instamus, corpore nostro instar utris defluente; et dum quispiam hujusmodi satietate distentus, crebris ructibus etiam cerebrum violat, vapores undique ex corpore tetri exhalant, veluti ex fornace quadam calore intrinsecus fervescente, ut est sapientum sententia. Quod si et hi qui forinsecus sunt, ita indignantur et graviter ferunt, quid pati existimas cerebrum intrinsecus, dum jugiter ejus modi vaporibus quatitur nec evaporare valet? Quid lacunas illas, jecur ac lienem? quid ipsa receptacula stercoris? et quod deterius est, latrinas caute curamus, uti obstruantur ne stercus ad superiora exhalet : ventris autem nostri latrinas non emundare curamus; verum obstruimus atque oppilamus, et fumo ipso ad superna ascendente, ubi rex ipse sedem habet, cerebrum scilicet, desidemus, nullaque movemur cura. Cur id quæso? Nempe, quia ipsum non ut regem honestum ducimus, sed veluti immundum quempiam canem. » Et post nonnulla : « Merito igitur, ait, quæ in deliciis est vivens, mortua est; nihil enim vel loqui, vel audire convenienter potest deliciis obsessa anima : efficitur namque mollis, ignava, imbecilla, illiberalis, timida; interdum vero audaciæ, assentationis, imperitiæ plena; indignationis, iracundiæ malorumque omnium receptaculum, bonis virtutibusque omnibus destituta. Quæ in deliciis, inquit, est vivens, mortua est. »

« Non decent stultum deliciæ, » *Proverb.* cap. XIX, vers. 10, veræ scilicet, cœlestes et divinæ, quas Deus habet in dextera sua, *Psalm.* I, V, X, et quas promittit sanguine Christi redemptis, *Isaiæ* LI, 3, puta delicias S. Scripturæ, Eucharistiæ, devotionis, amoris, futuræ beatitudinis, quibus affluebat sponsa, *Cantic.* VIII, 5; nam in illa, ut ait Psaltes *Psalm.* XXXV, vers. 9 : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, Domine, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Inebriabuntur vere, quia, ut ait S. Augustinus : « Absorbebitur et perdetur mens humana, et fiet divina; quia torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Mundus hic nos potat calice, imo gutta voluptatis, quæ tamen sæpe plus aloes quam mellis habet; sed in futuro potabit torrente dolorum. Tu, Domine, nos hic potas gutta doloris, sed in futuro potabis torrente, imo pelago voluptatum, « quoniam apud te est fons vitæ, » scilicet ipse « Deus erit ipsorum Deus; » ipse Deus replens in bonis desiderium animæ, erit rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Verbo dicam : Deus erit omnia in omnibus, Deus omnes gloriæ, omnes opum, omnes scientiæ, omnes gaudii, omnes deliciarum suarum thesauros in electos amicos suos, imo se totum transfundet, itaque animam gloria et gaudio inebriabit, ut nec illa nec se capere posset anima et cor nostrum, sed lætitia dirumperetur et dissiliret, ni Deus supra naturam ea fulciret. Cur ergo, infelix homo, per multa creata vagaris, delicias quæris, et non invenis? ama unum in quo sunt omnia. Si delectat honor, si divitiæ : « Gloria et divitiæ in domo ejus; » si pulchritudo. « Fulgebunt justi sicut sol; » si scientia, si libertas, si fortitudo : « Similes erunt angelis Dei; » si

Veræ deliciæ in solo Deo et cœlo.

satietas, si ebrietas : « Satiabimur cum apparuerit gloria tua; » si melodia, ibi cum angelis Sanctus, Sanctus, Sanctus, et perpetuum alleluia canemus; si societas, si amicitia, ibi Sanctorum mira societas et omnium temporum æterna est longitudo. Et hæc omnia in omnes æternitates, quamdiu mundus, quamdiu infernus, quamdiu angeli, quamdiu Deus erit Deus. O cara æternitas, æterna veritas, vera charitas, cara felicitas, Deus meus, amor meus, Deus meus et omnia ! « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? » O cor humanum, cor indignum, cor ærumnas expertum, ærumnis obrutum, quomodo non totum te in hoc uno tuo bono, tua requie, tuo centro defigis, hoc unum omnibus votis et studiis prosequeris?

SCYPHOS ET URCEOS IN MINISTERIO AD VINA FUNDENDA. — Hebraice est שדה ושדות *scidda vesciddot*, quod a variis varie vertitur : Primo. *primo*, Septuaginta, quos olim secutus fuit S. Hieronymus, vertunt, *ministrum vini et ministras;* Olympiodorus, *propinatores et propinatrices:* « Ut ex vario, inquit, propinantium aspectu, ac alternata mutatione appetitum sibi ad pocula provocaret; vel tanquam valde mollis existens, ac mulierosi hominis ingenium exprimens; » addit Nyssenus : « Juventus exornata ad pulchritudinem, aut pueri per ornatum effeminati, aut etiam ipse sexus femininus versans in convivio, benignis invitationibus flammam excitat indecoram; » Neocæsarius : « Pocillatores ex utroque sexu delectos et eximios, nec numero quidem complecti possim; » Secundo. *secundo*, Syrus, *feci mihi potatores et potatrices.* Sic et Arabicus.

Tertio. *Tertio*, Chaldæus accipit thermas et balnea : *Feci*, inquit, *siphones qui effunderent aquas tepidas, et siphones qui effunderent aquas calidas.* Prisci enim Hebræi, Ægyptii, Syri, Persæ, Græci, Romani, ad nitorem et delicias crebro se lavabant in thermis et balneis, ut patet *Judith* X, 3 ; *Gen.* XIX, 2; *Exodi* II, 5 ; *Daniel.* XIII, 15; II *Reg.* XI, 2, et ex Brissonio, lib. II *De Regno Persar.*

Quarto. *Quarto*, R. Salomon vertit, *quadrigam et quadrigas*, vel *plaustrum, et plaustra.*

Quinto. *Quinto*, Reuchlinus in *Lexico* : *honorem et magnificentias*, id est res splendidissimas et magnificentissimas.

Sexto. *Sexto*, Marinus et Novatores passim : *symphoniam et concentum musicum.*

Septimo. *Septimo*, Aben-Ezra, Campensis, Vatablus, Pagninus, *mulieres selectissimas et pulcherrimas bello captas.* Huc spectat Hutteri novatoris versio in *Lexico*, qui transfert, *conjugem et liberos.*

Octavo. *Octavo*, optime Noster vertit, *scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda*, id est, quibus pincernæ, cæterique ministri mensæ, dum convivis ministrant, vina fundunt, temperant, et ad bibendum porrigunt. Nam et Septuaginta vertunt, *feci mihi ministros vini et ministras;* et Aquila, *feci vasculorum diversas species;* et Symmachus, *feci mensurarum diversas species et appositiones.* Unde S. Hieronymus in *Comm.* : « Sive urceos, sive scyphos, sive crateres, qui in ministeriis ordinantur, auro gemmisque distinctos, Salomonem habuisse credendum est, et quod ex uno cratere aliis minoribus vasculis hauriretur, et per ministrorum manus potandum vinum turba susciperet. » Nimirum a שד *scad*, id est mamma, dicitur שדה *scidda*, id est scyphus et urceus, quod mammæ tumentis speciem referat, atque vinum, uti mamma lac, propinet. Vinum enim est lac senum. Porro aurei erant, et plurimi Salomonis scyphi et urcei, iique variæ formæ et figuræ, qui a pincernis et juvenibus nobilissimis tanto ordine, decore et elegantia ministrabantur, ut eos cernens regina Saba obstupuerit, III *Reg.* X, 5. Unde S. Hieronymus, in *Tradit. Hebr.*, *Genes.* XL : « Nec vile, ait, putetur officium (pincernæ), cum apud reges barbaros usque hodie maximæ dignitatis sit, regi poculum porrexisse. Poetæ quoque de Catamito et Jove scriptitant, quod amasium suum huic officio manciparit, » puta Ganymedem. Sic Athenæus, lib. X, docet Menelai filium fuisse pocillatorem. Plura similium exempla refert lib. I; quin et Esdras fuit pincerna Assueri regis, II *Esdræ* I, 11. Sic Romæ Cardinalium pocillatores cernimus viros nobiles et honoratos, atque a primariis hoc munus ambiri. Audi de vario poculorum genere S. Ambrosium, lib. *De Elia et Jejun.* cap. XIII : « Cernens, ait, poculorum diversorum ordines, aciem ordinatam putes, vasa exposita aurea et argentea (variarunt sæpe in materia cornea, lignea, figulina, vitrea, crystallina, murrhina, lapidea, cerea, etc.), pompam arbitreris, cornu in medio vino plenum, non epularis, sed præliaris instrumentum buccinæ, quod discumbentes in certamen accendat. Primo minoribus poculis, velut velitari pugna præluditur; ubi res calere cœperit, poscunt majoribus poculis; tunc deseruntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum, etc., cedunt pincernarum manus vina fundentium (1).

Porro *scyphus* est vas potorium notum et celebre in conviviis; in scyphis enim æque ac pateris bibuntur vina : σκύφος, ait Athenæus, lib. XI, dicitur quasi σκύθος, a Scythis, quod Scythæ eo uterentur præ cæteris, seseque inebriarent. *Urceus*, et diminutive urceolus, proprie est vas aquarium, quo vinum in scypho infusa aqua diluebant. Unde Martialis, lib. IV :

> Illic tibi donatur panda ruber urceus ansa :
> Stoicus hoc gelidam fonte petebat aquam.

Inde dictus græce κρατήρ, et latine *crate*, a κεράννυμι,

(1) Rosenmullerus, *delicias hominum*, scilicet *mammam et mammas*, sive *mammosam et mammosas* (a שד *mamma*), id est formosissimas quasque mulieres. Sed huic explicationi vocis *shiddah* obstare videtur *dagesch* forte. Hinc Maurer, *delicias hominnm*, scilicet *dominam*, justam uxorem, *et dominas*, alias uxores, pellices.

id est misceo, tempero, diluo, cujus præteritum est, κέκρακα; unde κρατήρ, et κεραννὸς, id est pocillator, pincerna, qui vinum aqua scite temperat, miscet et diluit.

Mystice S. Hieronymus ex Aquila vertens κύλικα καὶ κυλίκια, id est calices magnos et parvos, sive crateres et scyphos, ut scilicet ex majoribus in minores vinum effusum conviviis præberetur, hæc Christo adaptat, qui velut « Sapientia Patris in cratere misto, *Proverb.* III, prætereuntes ad se convocat : Corpus dominicum, inquit, craterem magnum debemus accipere, in quo non mera divinitas, ut in cœlestibus fuit; sed propter nos humanitate media temperata est, et per Apostolos in minora κυλίκια, id est scyphos parvulos in toto orbe credentibus effusa sapientia est. »

Vers. 9. 9. ET SUPERGRESSUS SUM OPIBUS OMNES, QUI ANTE ME FUERUNT IN JERUSALEM : SAPIENTIA QUOQUE PERSEVERAVIT MECUM. — « Omnes, » tum reges, tum mercatores, tum quoslibet alios licet opulentissimos.

Τὸ *opibus* non est in Hebræo, Septuaginta et Syro, sed intelligitur; sed pro opibus delicias et bonorum omnium copiam accipe. Nam Ops *opis* (unde opes) gentilibus erat filia Cœli ex Vesta, et soror uxorque Saturni, puta Tellus; quam, ut scribit Servius, Græci Rheam vocant ἀπὸ τοῦ ῥέειν, id est fluere, quod terra rebus omnibus affluat. Hinc Festus : « Ops, inquit, antiqui dicebant, quem nunc opulentum, ut testimonio est ei contrarium inops. » Et Cicero, *De Senectute* : « Quibus, ait, nihil est opis in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnis gravis est ætas. » Sicut ergo opes sunt auri et argenti, sic sunt et deliciarum, vinorum, scyphorum, urceorum, etc., puta eorum copia et affluentia.

Hebræa ergo ad verbum habent, *magnus evasi et auxi*, vel *cumulavi*. Quid? Varii varia supplent. Arabicus supplet, *famam et statum : Magnificata est*, inquit, *fama mea, et auctus est status meus maxime omnium, qui me præcesserunt in Jerusalem;* Symmachus supplet, *magnitudinem : Magnitudine*, ait, *superavi omnes*, ut in Hebræo sit hendiadys : *Magnus evasi et auxi* vel *superavi*, id est *magnitudine superavi*; S. Hieronymus in veteri editione, quam habet in Commentario, supplet *sapientiam : Et magnificatus sum*, inquit, *et adjeci sapientiam*; Tigurina, *cumulavi res suaves*; Vatablus, *auxi me ipsum, id est meam dignitatem et magnificentiam*; R. Haccados, *major fui aliorum regum consuetudine, sicut scriptum est : Feci mihi thronum eburneum, quod nusquam in aliis regibus factum est.*

Verum Noster optime supplet *opes* cum Chaldæo qui vertit, *multiplicavi bona et addidi divitias*; vel, ut vertit Costus, *deliciisque diffluens opes congessi cumulatiores, quam ante id tempus in Jerusalem habuerit nemo.* De deliciis enim et opibus fuit omnis sermo præcedens, atque opes magnitudinem, famam, statum, res suaves, dignitatem et magnificentiam gignunt, ideoque tacite complectuntur. Repetit et inculcat id quod dixit versu præcedenti. Alludit ad illud II *Paral.* IX, 22 : « Magnificatus est Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et sapientia. » Nimirum voluit Deus eum ita magnificare, ut in hac magnitudine melius rerum omnium vanitatem experiretur, eamque efficacius aliis repræsentaret et persuaderet, ait Nyssenus. Unde omnes reges superavit, juxta illud III *Regum* III, 13 : « Ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus. » Et II *Paral.* I, 12 : « Ut nullus in regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui. » Breviter sed nervose S. Laurentius Justinianus, *De Ligno vitæ*, cap. III : « Fallax suavitas, ait, in temporalibus bonis, infructuosus labor, bona spes, perpetuus timor et periculosa inest jucunditas, cui initium sine prudentia, progressus absque rubore, et finis cum pœna. »

SAPIENTIA QUOQUE PERSEVERAVIT MECUM. — Hebræa, *sapientia quoque stetit* vel *astitit mihi*; alii, *permansit mecum*; Syrus, *sapientia mea surrexit sibi*; Arabicus, *attamen permansit sapientia mea apud me;* Interpres Olympiodorus, *stabilis mihi fuit.*

Sapientia hic quæ? Qui putant Salomonem hunc librum scripsisse post lapsum et pœnitentem, hic laborant, ut sapientiam cum illo in lapsu perseverantem assignent. Igitur *primo*, aliqui per *sapientiam* accipiunt humanam et animalem, puta solertiam in excogitandis novis voluptatum generibus, et augendis opibus, deliciis, luxu, pompa et gloria, quæ est sapientia mundanorum et peccatorum. Ita Nyssenus : « Inveni, inquit, quidquid ad fruendum potest excogitari, et eruditus omni sapientia accessi ad faciendum earum rerum periculum. Itaque et visus opem tulit cupiditati, et liberum arbitrium repletum fuit iis quæ erant delectabilia. » Et Hugo de S. Victore : « Quæ est ista sapientia, ait, quæ discursus amat et secretum fastidit? Vide ne forte similitudo fallat te, et non sit sapientia quod sapientia esse videtur, » Et Olympiodorus : « Adeo exaltatus sum, ut in nullo unquam consilio rationeque aberraverim, » *q. d.* Nullus jactus aut piscatus in voluptate scrutanda irritus mihi cecidit. Favet huic sententiæ Chaldæus qui vertit, *sapientia quoque stetit in me, et ipsa auxiliata est mihi*; vel, ut vertit Costus, *opes congessi, etc. idque acceptum fero sapientiæ meæ, quæ mihi auxilium præstabat.*

Resp. primo.

Secundo. *Secundo*, Bonaventura, Titelmannus et Dionysius respondent *sapientiam* hic accipi non practicam, sed speculativam, quam Dionysius informem vocat, id est gratia, charitate et bonis operibus destitutam et vacuam : sicut et nunc, inquit, multi theologi et juristæ non mediocriter docti, et prompti in allegando Scripturas et documenta Patrum et jura, sunt detestabilis vitæ. Eodem pertinet quod ait Moringus, indicatque Glossa interlinearis, perseverasse sapientiam contemplatione et judicio speculativo, non praxi et usu

morali. Abutens enim Salomon sapientia, reddidit eam animalem, sæcularem, diabolicam, terrenam. Hinc exaggeratur Salomonis peccatum, et in ejus confessione pœnitentia magis declaratur, quod sciens ac prudens peccaverit, et adeo insignem sapientiam ad ejus auctoris offensam converterit, idque cognoscat et præ se ferat.

Tertio. *Tertio*, Thaumaturgus et Alcuinus pro *perseveravit*, ex Hebræo vertunt, *stetit mecum*, illudque contrarie explicant : *stetit*, id est cessavit et imminuta est, *q. d.* Invalescente in me concupiscentia, sapientia in me crescens stetit, sensimque imminuta est et decrevit; quod enim ulterius non proficit, sed deficit, stare asserimus. Sic IV *Reg.* IV, 6, dicitur : « Stetit oleum, » id est cessavit, subsidit, defecit. Hinc Patres docent luxuriam Salomonis punitam fuisse privatione sapientiæ. Nam et naturaliter voluptates hebetant rationem, mentem et sapientiam. Ita S. Augustinus, lib. III *De Doctr. Christ.* cap. XXI; S. Ambrosius, *Apol.* 2 *David.* cap. VI et VII; S. Gregorius, III part. *Pastor.* admon. 27, et alii.

Quarto. *Quarto*, alii per *sapientiam* accipiunt scientiam rerum naturalium, quam Deus Salomoni æque ac Adæ infudit, quæ in utroque post peccatum remansit, ut eamdem posteros docerent.

Quinto. *Quinto*, Pineda *sapientiam* accipit pro experimento et verissima rerum cognitione, *q. d.* In fruendis voluptatibus assistebat et auxiliabatur mihi sapientia, ut de rebus quarum capiebam experimentum recte censerem, verumque judicium proferrem.

Sexto genuine. *Sexto* et genuine, *sapientia* hic, uti in *Proverbiis* cæterisque libris Sapientis, non speculativa, sed practica, accipitur pro prudentia, et sincero de rebus agendis judicio practico, quod proinde cum recta voluntatis electione, ac virtute conjunctum est, imo illam imperat et producit. Unde Lyranus ait perseverasse sapientiam cum Salomone etiam deliciis vacante, donec immoderate iis usus, a mulieribus fuit deceptus, et ad idola abductus. Igitur videtur Salomon hic de se loqui in eo statu, quo voluptatibus quidem indulgebat, sed moderate et honesto fine, scilicet ut indagaret et experiretur quid in singulis esset boni, et num aliqua re animus hominis satiari, conquiescere et beari posset. Nam dum paulo post iis immoderate usus Deum dereliquit, veram sapientiam et sanctitatem perdidit, ac infatuatus est et depravatus, ut ait Scriptura, III *Reg.* XI (1).

Hinc Hebræi pro *perseveravit*, habent *astitit*, *q. d.* In tot deliciis sapientia mihi astitit velut directrix et pædagoga, tum ne iis seducerer meque totum immergerem; tum ut sincere de earum vanitate, alibique quærenda vera felicitate judicium proferrem. Unde Chaldæus vertit, *sapientia auxiliata est mihi.*

Idipsum confirmatur ex præcedentibus, ubi plane significat se, integra adhuc et incorrupta mente, scrutatum omnia studio veræ sapientiæ et felicitatis, ut in quo illa sita esset, inveniret. Unde cap. I, vers. 12, ait : « Proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. » Et vers. 16 : « Mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. Dedique cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque et stultitiam. » Et cap. II, vers. 3 : « Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum. » Quod ergo ibi dixit, idem hic asserit dicendo : « Sapientia quoque perseveravit mecum; » quæ omnia significant Salomonem adhuc purum et illibatum hæc fecisse studio non cupiditatis, sed experientiæ et disciplinæ : quanquam experientia hæc illi occasio fuit excessus, intemperantiæ et luxuriæ, qua per mulieres depravatum est cor ejus : quam ad rem juvit præsumptio sapientiæ, quod videlicet videret sapientiam secum perseverare, illique nimis præfidens lapsum non timeret, nec a sapientia et sanctitate se posse excidere crederet. Unde Hugo Victorinus : « Grandis fiducia, ait, ideo secure peccasti, ideo confidenter effudisti cor tuum in delicias voluptatis, quia sapientia perseverabat tecum. Quare enim intus positum quæreres, si ipsa foris vagum non reliquit? » Denique quis credat Salomonem jam luxuria et idololatria depravatum, suum hic judicium de rerum vanitate proferre et conscribere? Quis credat Spiritum Sanctum instrumento tam scelerato usum, hæc adeo sancta dictasse? Dicamus ergo Salomonem adhuc rectum, sapientem et sanctum hæc expertum esse, sensisse, sapuisse, judicasse.

Allegorice S. Hieronymus hæc exponens de Christo, cujus typus fuit Salomon, ait, non in Salomone, sed in Christo stetisse sapientiam, quasi plenam et omnibus suis partibus cumulatam, ut augeri non posset : « Qui profectum habet in sapientia, inquit, non ei stat sapientia; qui autem non recipit profectum, nec per momenta succrescit, sed semper in plenitudine est, iste dicere potest : Astat mihi sapientia.»

10. ET OMNIA, QUÆ DESIDERAVERUNT OCULI MEI, NON NEGAVI EIS : NEC PROHIBUI COR MEUM QUIN OMNI VOLUPTATE FRUERETUR. — Pro *non negavi* hebraice est לא אצלתי *lo atsalti*, id est, *non separavi, non servavi apud me*; Septuaginta, *non abstuli*; Arabicus, *non abscondi*; alii, *non segregavi, non eripui, non removi e conspectu.* Vers. 10

Pro *nec prohibui*, alii vertunt, *non compescui, non coercui, non refrenavi, non avocavi.* Notat spontaneam et incitatam oculorum cordisque ad voluptates inclinationem, impetum et cursum, quem ipse non refrenarit, sed ei plenas laxarit habenas,

(1) Sensus est : Constanter sapientiam in mediis oblectamentis retinui, ut omnia caute et sapienter inspicere possem. Cf. vers. 3.

intra limites tamen licitos honestatis et legis, ne quid illicitum vetitumve committeret. Jam

Primo. *Primo*, Chaldæus per oculos accipit senatores et judices, quorum quæstionibus omnibus respondebat Salomon : sic enim habet in versione Complutensium, *omnia quæ quæsierunt a me principes et judices ordinarii ad mundandum et ad contaminandum, non prohibui ab eis interpretationem verborum; neque prohibui cor meum ab omni gaudio legis, quando tempus mihi vacabat; quoniam cor meum exultabat in sapientia, quæ data est mihi facie Domini, et ab omnibus filiis hominum; et lætatus sum in ea magis quam in omnibus laboribus meis : et hæc est pars mea bona, quæ parata est mihi, ut pro ea recipiam retributionem perfectam in sæculo venturo ab omnibus laboribus meis.*

Verum hi oculi symbolici sunt. Unde tota Chaldæi versio symbolica est et mystica, non litteralis et genuina.

Secundo. *Secundo*, R. Haccados apud Galatinum accipit oculos non corporis, sed mentis et spiritus : Intelligentiæ, ait, animi mei, oculis frena laxavi, totumque me dedi vestigationi et contemplationi rerum spiritualium et cœlestium, ac in ea miram cordis voluptatem hausi, magisque lætatus sum quam in rerum corporearum sensu et gustu. Verum hic sensus pariter spiritualis est et mysticus.

Tertio. *Tertio*, ergo genuine ad litteram oculos corporis accipe; *q. d.* Quidquid oculis meis placuit, quidquid eis pulchrum et gratum videbatur, id eis indulsi, nil eis eripui, nil asservavi, sed permisi ut in res jucundas ad libitum plena potestate se effunderent, seque cupita rerum specie aspiciendo pleno ore et orbe exsatiarent, tamen intra limites honestatis : necdum enim eos transilierat Salomon, uti tandem iis nimis indulgendo fecit.

Ait autem *desideraverunt*, hebraice שאלו *scaalu*, id est *postularunt*; Symmachus, ἐπεθύμησαν, id est *concupierunt*, quia oculi sunt concupiscentiæ indices et illices. Unde a S. Joanne, *epist.* I, cap. II, vers. 16, vocatur concupiscentia oculorum : quare oculos hic non nudos et solos, sed cum appetitu sensitivo et concupiscentia rerum, quæ oculis insidet vel assidet, accipe. Unde explicans subdit : « Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur. » Per oculos ergo cor quoque, id est appetitum et voluntatem accipe; quia ubi oculus, ibi est cor et amor. Unde illud : « Oculos habentes plenos adulterii, » II *Petri*, II, 14. Oculi enim sunt in amore duces, quia nullus sensus est cordi mentique vicinior et conjunctior, quam visus et oculus. Unde in ea propria est sedes animi, ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVII. Hinc in oculo omnes animi affectus patent et cernuntur, nec ullus sensus eo celerius ac spiritalius operatur, ait Philo, lib. *De Special. legibus*. Denique summa est sympathia cordis et oculorum. Unde illud vulgo tritum : « Oculi et cor proxenetæ (id est conciliatores et mediatores) peccati. » Et illud

Oculi affectus indices.

cap. XI, vers. 9 : « Ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum. » Ratio a priori est, quod oculus a Deo et natura cordi datus sit, quasi lux et dux suarum appetitionum et actionum. Sine oculo enim quasi cæcum est cor, nec quidquam visum velle vel appetere potest. Ignoti enim nulla cupido. Sicut ergo homo in tenebris sequitur lucernam præeuntem, quocumque illa ducit, sic cor sequitur oculum et visum. Hinc oculus quia celer, subtilis et versatilis est, quocumque se vertit et versat, eodem trahit et cor. Vice versa cor per oculum suos affectus pandit et enuntiat, atque per oculum velut nuntium alios ad se allicit et invitat. Oculus ergo movet imaginationem, imaginatio movet appetitum sensitivum, hic voluntatem : perinde ac avicula movet puerum, puer movet matrem, mater movet patrem ut aviculam prosequatur et capiat, pueroque tradat. Oculus enim similis est aviculæ, imaginatio puero, appetitus matri, voluntas patri. Audi hanc vagam et versatilem oculorum concupiscentiam graphice depingentem Hugonem Victorinum hic *homil.* 1 : « Fallaces, inquit, rerum fucos et lubricos captat aspectus : oblita sui foras funditur, ac tota se curiositati dedens circuit omnia, lustrat universa, si qua forte nova, si qua mira occurrant : ad omnes rerum motus semper altera, semper præceps, procax, petulans, impatiens et lubrica, uritur more impatientis, exspectans videre quod futurum est, et ad omnem rerum vicissitudinem, sive tristes, sive lætæ fuerint, inconstanti mentis fluctuatione variatur. »

Ratio a priori.

Moraliter hic disce *primo*, quam noxii sint oculi, si eis habenæ laxentur; ex adverso quam necessaria sit continentia oculorum, ut mentis integritas servetur. Oculi enim sunt portæ et fenestræ, per quas objecta bona vel prava in animam ingrediuntur. Hinc per oculos David lapsus est in adulterium cum Bethsabea, et Salomon in amorem 700 concubinarum. Plura hac de re dixi alibi, præsertim *Thren.* cap. III, vers. 51, ad illa : « Oculus meus deprædatus est animam meam. » Et *Eccli.* cap. XXV, 28, ad illa : « Ne respicias in mulieris speciem. » Et *Jerem.* cap. IX, 21, ad illa : « Ascendit mors per fenestras. » Quocirca Job, cap. XXXI, 1 : « Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, » id est, ut S. Chrysostomus legit, homil. 34 *in Matth.* : « Legem posui oculis meis » (fœdus enim hic legem et decretum significat), « ut ne cogitarem quidem de virgine. » Cogitationis enim origo est oculus et intuitus. Unde *Eccli.* cap. IX : « Virginem, ait, ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. » Quocirca Seneca, *De Remediis fortuitorum*, in cæcitate constituit castitatem et innocentiam : « Oculos perdidi, inquit, quam multis cupiditatibus via incisa est? quam multis rebus carebis, quas ne videres vel eruendi erant? Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concu-

Moraliter, de custodia oculi.

piscat, huic urbem et mala omnia. » Certe irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum. Hinc sancti gavisi sunt cæcitate, ac nonnulli eam a Deo postularunt et impetrarunt, ut S. Audomarus, S. Aquilinus, Marius Chalcedonensis.

Secundo, quam noxium sit indulgere suis desideriis et affectibus, ex adverso quam salutaris sit eorum mortificatio. Salomon enim indulgens suis desideriis præcipitavit se in luxuriam et idololatriam.

Rursum quam periculosum sit velle experiri quidquid est licitum, nec terminos voluptatis sibi statuere, nisi in eo quod illicitum est. Facile enim terminos hosce et confinium liciti et illiciti, utpote exiguum et indivisibile, curiosus transgreditur, itaque in peccatum prolabitur, uti fecit Salomon. Sic qui nil vult cavere, nisi quod est peccatum mortale, venialia multa committit, per quæ vicinus fit mortalibus, ac tandem in ea corruit, juxta illud : « Qui spernit modica, paulatim decidet. » *Eccli.* XIX, 1. Vide ibi dicta. « Vis ergo cavere ab illicitis, tempera a licitis, » ait quidam Sanctorum.

ET OBLECTARET SE IN HIS QUÆ PRÆPARAVERAM. — Hebræa, *quia cor meum lætatum est in omni labore suo*; Symmachus, *ex omni studio laborum meorum.* Nimirum magis oblectant quæ labore sunt parta, quam quæ ex hæreditate vel donatione ultro quasi dormienti obveniunt, tum quia magis propria sunt, tum quia care steterunt, juxta illud *Psal.* CXXV, 6 : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. » Et illud *Psal.* CXXVII, 2 : « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. » Hinc Benjamin carissimus fuit patri Jacob, quia ei fuerat *benoni*, id est filius doloris, moriente in ejus nixu matre, *Genes.* XXXV, 18. Quin et Aristoteles, lib. IX *Ethic.* cap. VII : « Omnibus, ait, sua cariora sunt omnia, quæ summo labore confecta sunt. » Et Livius, *Decade* I, lib. IV : « Labor, ait, et voluptas dissimillima natura societate quadam conjuncta sunt. » Et alius : « Sicut optimum cibi condimentum est fames, sic optimum virtutis veræque voluptatis obsonium est labor. » Regia est Alphonsi Aragonum regis apud Panormitanum, lib. I *De Gestis* ejus, vox : « Regum cibus est honos, quem dii immortales non otio aut luxu, sed improbis laboribus multisque sudoribus hominibus vendunt. »

Laboriosa pretiosa : cur?

ET HANC RATUS SUM PARTEM MEAM, SI UTERER LABORE MEO. — Hebræa et Septuaginta, *et hæc fuit portio* (1) *mea ex omni labore meo*; Campensis, *in omni molesto conatu meo*; alii, *in corporis et animi mei defatigatione, assidua sollicitudine, et cura Eccles.* II, vers. 10 et 11 *voluptatis.* Hæc omnia eleganti canis et vulpis apologo, nervosis argumentis prægnanti, graphice repræsentat Cyrillus, lib. IV *Apolog. Moral.* cap. III, cujus titulus : *De Malo deliciarum.* «Sub meridiano æstu, inquit, ad canem aperto ore et inquieto pectore sui cordis refrigerium attrahentem, juvenis lupus dixit : O insensate, miser et sponte calamitati subjectus, si tantum tibi placent angustiæ! utquid cum Empedocle Siculo te non projicis in fornacem? Nimirum si delectant tantum contra naturam pœnalitates, exspecta parum, quia in morte cuncta pœnalia invenies. Utquid ergo in tantilla vita spretis refrigeriis, ex nunc ardes? Nam tu in nocte ovibus quiescentibus somnum nescis; illis tota die pabulantibus, panem tantum et aquam sumis : nocturno gelu et æstu diurno illis spisso vellere coopertis ac mutuo se foventibus, tu nuda pelle in aeris tempestate solus degis; illis sine timore jacentibus, tu suspensa palpebra hinc dentem inde ungulam in aperto vigilans pertimescis. Quænam sunt interdum deliciæ tuæ, nisi acetosum lac, intestinum fetidum, lectus lapideus, et suavis odor stercoris ovium? Quid plura? Infelicior es cunctis, et tu tibi mundum jam fecisti infernum. Surge, miser, et relictis pœnis quære delicias, ut saltem antequam vitam finias, stillicidio gustatæ consolationis delibato experientia quid bonum sit agnoscas. » Hisce rationibus lupus persuasit cani vitam otiosam et voluptuariam; unde subdit : « Canis autem hujus valida exhortatione devictus, pro manumissione ad oviculas venit et dixit : Dudum servivi vobis, et obsessus undique miseriis steti vobiscum. Vadam ergo, ut juxta lupi monita in deliciis aliquantulum requiescam. Quo audito, illæ gementes dixerunt : Quanquam simpliciores te sumus, tamen sapientia cum simplicibus conversatur (*Proverb.* VIII, 32); propter hoc rogamus te, ut antiquas amicas audias, et inimico tuo in æternum non credas; noscis utique quod callidus lupus : quem dente non dejicit, arte ferit : unde quia te rigida vita dudum hostem acerrimum habuit, nunc per hortamenta deliciarum invadit, ut deliciis emollitum inveniat, ac delicatæ carni inimicum dentem callidius infigat. » Deinde gravia deliciarum damna recensentes : « An nescis, inquiunt, quod deliciis caro non solum emollitur, sed rigor etiam animæ frangitur, vitiorum ardor acuitur, virtutumque jugum curvatur, rumor passionum cor ipsum ingreditur, et rationis splendor obfuscatur? Nimirum deliciæ (*Judic.* XVI) fregerunt Samsonem virum fortissimum, ac (II *Reg.* XI, 2) subverterunt Davidem virum sanctissimum, et (III *Reg.* XI) deceperunt Salomonem virum sapientissimum. Quidnam mali corporales deliciæ non faciunt? foris mollificant cunctos vestimentis, balneis et unguentis; intus vero replent eduliis, condimentis et vinis. Idcirco pes timorositate gravatur, calor humiditate obtunditur, et emollita cutis hinc inde levissime penetratur. » Ex quibus recte concludunt : « Igitur, frater mi, si delicias quæris, perniciem diligis, et in dulci flumine lethaliter vis submergi. Venenum in saccharo ap-

Apologus deliciarum.

Deliciarum damna.

(1) Scilicet gaudium celeriter evanescens.

petis, et in æternas angustias risu et canticis vis deduci. Crede nobis, crede, et in hujus vitæ deliciis omne malum latitare agnosce. Rigor enim carnis est valetudo virtutis. Quo audito, canis placatus cum ovibus quievit. »

Pars, quinque significat. Primo. *Pars* quinque significat. *Primo,* pars est portio totius, totum enim dividitur in suas partes. Unde חלק *chelec,* id est pars, dicitur a חלק *chalac,* id est partior, divido, quod totum in suas partes partiendo dividatur. Alii *pars* a *pari* derivant, quod partes simul junctæ æquales sint toti. Alii a *parum,* quod pars parum quiddam sit respectu totius.

Secundo. *Secundo,* pars est sors cuique obveniens. Ex toto enim sortium, conditionum et rerum genere, toti hominum generi a Deo attributo, cuique ab eodem sua assignatur pars et sors.

Tertio. *Tertio,* pars et hæreditas sive portio hæreditaria; tota enim hæreditas paterna in fratres hæredes dividitur, quorum cuique sua cedit pars, juxta illud *Psal.* XV, 5 : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei. »

Quarto. *Quarto,* pars est fructus, ut vertit Campensis, merces, lucrum cuique ex opere vel labore proveniens. Unde aliqui pars derivant a *pario* sive *partu,* quod pars a labore deducta et quasi parta sit.

Quinto. *Quinto,* pars cujusque est id quod illi est charissimum, puta bonum, quod ille præ cæteris adamat, sibi seligit et ambit. Sic Christus minatur Petro : « Si non lavero te, non habebis partem mecum » in regno cœlorum, *Joan.* XIII, 8; et Psaltes : « Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, » *Psal.* LXXII, 26.

Hic omnibus hisce modis accipi potest, sed magis secundo et quarto, et maxime quinto : Salomon enim suam sortem et sui laboris fructum assignat, hunc scilicet, quod frueretur labore suo partis, tanquam parte, id est fructu laborum suorum, summe a se adamato. Sensus ergo est, *q. d.* Hanc partem, id est sortem fortunatam, hunc fructum, hoc summum meum in hac vita bonum, hanc felicitatem meam esse censui, si uterer labore meo, id est opibus et deliciis, quas labore meo acquisieram. Ubi nota vanitatem hujus partis, tum quod pars esset gaudii, non totum gaudium, ac proinde eum non satiaret, ideoque ex unius rei voluptate in aliam et aliam sine fine dilaberetur, satiem quærens et non inveniens, eo quod illam non sit reperire nisi in Deo et cœlo, juxta illud : « Satiabor cum apparuerit gloria tua, » *Psal.* XVI, 15; tum quod pars hæc parum ei lætitiæ dederit, quæ scilicet laborem non excederet, sed ei commensa esset : quantum enim laboravit, tantum labore suo deliciatus est sine ullo lucri auctario, imo cum damno, cum ex adverso Deus pro uncia laboris rependat talenta gaudiorum, juxta illud : « Qui reliquerit patrem, etc., et secutus fuerit me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit, » *Matth.* XIX.

Mystice, Chaldæus hæc accipit de felicitate æterna : « Et hæc ipsa, inquit, fuit pars mea bona, quæ statuta ad accipiendum super eam præmium perfectum in sæculo venturo ex omni labore meo. » S. Hieronymus : « Oculi animæ, ait, et mentis intuitus contemplationem desiderant spiritalem, quam peccator ignorans prohibet a vera jucunditate cor suum. Huic se ergo Ecclesiastes totum dedit, et leves tribulationes in sæculo æterna gloria compensavit. Hæc enim portio nostra est, præmiumque perpetuum, si hic pro virtutibus laboremus. »

11. CUMQUE ME CONVERTISSEM AD UNIVERSA OPERA, QUÆ FECERANT MANUS MEÆ, ET AD LABORES, IN QUIBUS FRUSTRA SUDAVERAM, VIDI IN OMNIBUS VANITATEM ET AFFLICTIONEM ANIMI, ET NIHIL PERMANERE SUB SOLE. — Vers. 11 Sensus clarus est, *q. d.* Cum reflexissem animum ad considerandum fructum operum et laborum meorum, puta hortorum, palatiorum, piscinarum, servorum, rhedarum, thesaurorum, auri, argenti, etc., vidi me labores meos frustra impendisse, eo quod in omnibus illis animi quietem, et felicitatem quam quærebam, non invenerim, sed vanitatem et afflictionem spiritus : nihil enim diu permanet sub sole, sed omnia sensim intereunt et evanescunt, itaque herum inanem relinquunt, imo afflictum, eo quod suis, quæ tanto labore paravit, privetur. Vide dicta vers. 1, et cap. I, vers. 2. Vere Seneca, *De Vita beata,* cap. XIV : « Ut feras, inquit, cum labore et periculo venamur, et captarum quoque illarum sollicita possessio est; sæpe enim laniant dominum : ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasere. » Vide eumdem toto libro *De Brevitate vitæ.* Ita Auctor *Catenæ Græc.* : « Nam ejusmodi omnium, inquit, unus finis est, vanitas, cujus quod supersit nihil in posterum reperitur. Nam simul atque operatio cessat, voluptas abraditur, nec aliquid in crastinum recondit, transactaque voluptatis operatione, ne vestigium quidem lætitiæ, aut voluptatis reliquiæ iis supersunt, qui voluptati vacabant. » Nazianzenus in laudem Cæsarii : « Vidi quod hoc quoque esset vanitas. Omnia vidi, ait Ecclesiastes, humana omnia cogitatione peragravi, opes, delicias, potentiam, instabilem gloriam, sapientiam quæ magis suffugit quam teneatur, delicias iterum, sapientiam iterum, eadem sæpius revolvens, ventris voluptates, hortos, famulorum greges, possessionum copiam, pincernas utriusque sexus, cantores et cantatrices, arma, satellites, gentes ad genua procumbentes, collecta tributa, regni supercilium, omnia denique tam ad vitæ usum necessaria quam superflua. Et quid post hæc omnia? Omnia vanitas, vanitas vanitatum et præsumptio spiritus, hoc est consideratus quidam animi impetus et distractio hominis, ob veterem fortasse lapsum hac pœna mulctati. »

ET NIHIL PERMANERE SUB SOLE. — Hebraice, *et non est* יתרון *iitron,* id est residuum, reliquum,

remanens. S. Hieronymus in *Comment.* vertit, *et non est abundantia sub sole;* idque mystice sic explicat : « Christus in sole posuit tabernaculum suum, itaque qui necdum ad solis claritatem, ordinem constantiamque pervenit, in hoc Christus nec habitare poterit, nec abundare. » De Hebræo *iitron* plura dixi cap. I, vers. 3. Præclare S. Augustinus, lib. XX *De Civit. Dei,* cap. III : « In hac vanitate, ait, cui quantum satis visum est intimandæ, totum istum librum vir sapientissimus deputavit, non utique ob aliud, nisi ut eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo qui fecit hunc solem. »

Vers. 12. 12. TRANSIVI AD CONTEMPLANDAM SAPIENTIAM, ERRORESQUE ET STULTITIAM : QUID EST, INQUAM, HOMO UT SEQUI POSSIT REGEM FACTOREM SUUM? — Est parenthesis : τὸ enim *transivi ad contemplandam sapientiam* pendet ab iis quæ post parenthesin sequuntur, ibique ejus nexus et sententia expletur. Ita re melius considerata vertit S. Hieronymus; nam primo verterat, *quia quis est hominum, qui possit ire post regem ante factorem suum?* Dicit ergo se contemplatum sapientiam, ut eam sequeretur; et stultitiam, ut eam caveret; ac deprehendisse quod tantum sapientia præcellat stultitiæ, quantum lux tenebris : si tamen eadem cum Dei sapientia comparetur, exiguam et inanem esse (1).

Pro *transivi* hebraice est פָּנִיתִי *paniti*, id est faciem converti, respexi. Hæc vox notat tædium voluptatum, et animum Salomonis fluctuantem ac veritatis avidum, *q. d.* Post expertam opum, deliciarum, rerumque corporalium vanitatem, ex desiderio et studio inveniendæ quietis et felicitatis, iterum converti animum ad intermissam sapientiæ velitationem, iterum tentaturus, an in ea quietem et felicitatem adeo optatam reperirem : ipsa enim mihi videbatur melior, dignior, cœlestior, rebus omnibus corporeis; sed illico in ea quoque exilitatem et vanitatem deprehendens, per abruptum et patheticum epiphonema exclamo : « Quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem factorem suum? » *q. d.* Quid est non tantum in opibus, deliciis omnique magnificentia, sed et in sapientia humana Deo æquandum, aut præ Deo non vanum, exile, mancum et defectuosum? Qua ratione enim homo miser, ignorans et cæcus possit sequi, nedum assequi Deum creatorem suum, sua sapientia omnia quæ sunt vel esse possunt, lustrantem et comprehendentem? Et, ut ait Glossa interlinearis : Quomodo homo imitari queat Deum in comprehensione sapientiæ? Ita S. Hieronymus : « Dicit, inquit, se post delicias voluptatesque damnatas revertisse ad sapientiam perquirendam, in qua plus erroris stultitiæque repererit quam veræ certæque prudentiæ; non enim puto posse hominem tam liquido et pure scire sapientiam creatoris et regis sui, quam scit ille, qui conditor est. Itaque illa quæ novimus, opinari nos potius quam tenere, et æstimare magis quam scire quod verum est. » Sic et Hugo Victorinus, Olympiodorus, S. Bonaventura, Cajetanus, Lyranus, Arboreus et alii. Rursum hanc parenthesin referas apposite et genuine ad errores et stultitiam, *q. d.* Errores et stultitiam adjunxi sapientiæ : quia quis hominum est ita sapiens et circumspectus, ut instar Dei fixus maneat jugiter in sapientia, nec aliquando declinet in aliquem errorem et stultitiam, ut aliquid imprudenter, ignoranter et insipienter cogitet, dicat et agat? Sane nemo.

Porro cum triplex sit sapientia Dei, *prima* speculativa; *secunda* practica sive artificialis, qua res omnes creat, format, servat, gubernat, perficit; *tertia* activa, sive moralis et ethica, qua omnes suas actiones, tum internas, tum externas prudenter, juste et sancte juxta dictamen rectæ rationis et legis æternæ exercet; in nulla harum homo Deum imitari et proxime sequi prævalet, sed ab illo in infinitum transcenditur et distat. *Primo* enim sapientia Dei speculativa in infinitum omnem hominis scientiam et sapientiam superat et transcendit, quia Deo immenso est commensa. *Secundo*, idem facit sapientia Dei practica, quis enim creet, formet et faciat ea quæ facit Deus? imo quis ea, quæ creat et facit Deus, modumque ea creandi et faciendi, scrutari et penetrare valeat? Quid habent horti, domus, piscinæ a Salomone fabricata, ad cœlum, solem, stellas, terram, mare, etc., a Deo creata? præsertim quia Christus lilium unum ultro nascens, comparans cum aureis et gemmeis Salomonis vestibus, dicit : « Quoniam nec Salomon in omni gloria sua opertus est sicut unum ex istis, » *Matth.* VI, 29. Quis pervestiget arcana Dei consilia et decreta, cur hic sit dives, ille pauper, hic rex, ille plebeius, hic sapiens, ille insipiens; ac præsertim cur hic sit fidelis, ille infidelis, hic sanctus, ille impius, hic prædestinatus, ille reprobus? Omnes utique cum Apostolo exclamare debemus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » *Rom.* XI. *Tertio*, sapientiam Dei ethicam quis imitetur? quis enim sequatur, imo mente intelligat et comprehendat, quanta sit Dei bonitas, justitia, patientia, magnificentia, sanctitas? Quis comprehendat charitatem Dei, quam exhibuit nobis per Christum in ejus incarnatione, prædicatione, passione, Eucharistia, totaque ejus œconomia? Quantula est nostra, qui terræ vermi-

(1) Loci hujus non satis est perspicuus sensus et nexus. Rosenmullerus, *ego converti me iterum ad videndum*, ad penitius considerandum atque inter se conferendum *sapientiam, insanias*, scilicet vitæ voluptates, de quibus supra, *et stultitiam*, ut, his collatis, intelligerem quodnam eorum plus afferat emolumenti. Sequitur parenthesis : *Quid* enim est *homo*, privatus scilicet, *qui*, id est *ut, veniat post regem*, post me res inquirere, qui plura quam ego experiri queat, et probare tandem quod bonum sit? *Id quod jam fecerunt*, scilicet faciet, id est, nihil novi poterit efficere, quod alii non fecerint, ac proinde quod ego non tentarim. Pro *asouhou* Vulgatus legit *osehou*.

culi sumus, humilitas, si comparetur cum humilitate Christi? « Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, » *Philipp.* II. Quantula est nostra obedientia, si conferatur cum obedientia Christi, qui cum esset Rex gloriæ, Patri suo « factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? » Quantula nostra patientia, si supputetur cum patientia Christi, qui atrocissimos dolores, summa opprobria, extremam paupertatem, denique omnis generis tormenta in cruce passus est divina patientia, mansuetudine et constantia? Idem cogita de cæteris omnibus Sanctorum virtutibus, quæ Christi virtutibus collatæ, non aliud sunt, quam quod umbra ad corpus, quod vanitas ad veritatem, quod gutta ad mare, quod punctum ad cœlum, quod granum arenæ ad totum universum. Hic genuinus est sensus Vulgatæ versionis, cujus auctor S. Hieronymus in Hebræo legit עשהו *osehu,* id est factorem suum, vel עשהו *asahu,* id est fecit illum. Pro quo jam aliis punctis legunt, עשוהו *asuhu,* id est fecerunt illum vel illud. Igitur S. Hieronymus sic ad verbum ex Hebræo transferendum censuit : « Quid est homo ut sequi possit regem, quem jam fecit illum ; quem (scilicet hominem) fecit rex, » hoc est, cujus factor est Deus. Unde *secundo,* in Vulgata clarius vertit *factorem suum;* τὸ enim *illum* ex pleonasmo Hebræi, redundat : Hebræi enim pronomini relativo adjungunt demonstrativum, ad expressiorem rei sive subjecti demonstrationem, ut « cujus semen ejus in ipso, » pro quo Latini dicunt, « cujus semen in semetipso, » *Genes.* I, 11.

Huc facit explicatio R. Haccados, quæ talis est : Quis est tam perfectus tamque numeris omnibus absolutus, qui pari cum divina lege per omnia Dei præcepta passu contendere valeat? Et aliorum, qui sic explicant, *q. d.* Quis hominum est, qui cum Deo conditore suo pari de felicitate gressu certare, ejusque tranquillæ vitæ beatitudinem sibi arrogare audeat, cum ne quidem opera illius imitari queat, nec creaturas illius etiam abjectiores elegantia, efficacitate cæterisque dotibus assequi et adæquare? Unde Campensis paraphrastice sic vertit : « Iterum me converti ad ea, ut saltem viderem quanta sapientia usus essem in omnibus illis, et deprehendi in vino insaniam multam, et in reliquis manifestam stultitiam. Quid enim est homo, ut imitatione regis Dei aliquid magnum conetur, cum nullam quantumvis parvam ex omnibus rebus, quas ille innumeras fecit, æquare possit? »

Ex dictis liquet perperam Lyranum et Dionysium censere, Salomonem hæc dicere ex sententia Epicureorum et Simonidis, qui teste Aristotele, *Ethic.* lib. X, docuit hominem corpore constantem corporalia tantum debere sectari, nec ad spiritualia assurgere. Insolens enim hoc loco, et dura est personarum mutatio : antecedentia enim et sequentia indicant, omnia hæc ex una et eadem Salomonis persona menteque dici.

Melius Titelmannus hanc parenthesin refert ad magnifica opera Salomonis, de quibus sermo præcessit, *q. d.* Ideo a meis hisce operibus transeo ad contemplandam sapientiam, qui in illis nulla ratione possum æmulari Dei magnificentiam, possum autem imitari Dei sapientiam. Quid enim, inquit, erant illa, licet tam magnifica Salomonis ædificia, domus saltus Libani, et regia ejus habitatio, si ad cœli structuram conferantur? Quid idem templum illud tam celebre, tam admirabile omnibus, si ad templum Dei non manufactum conferas? Quid horti illi manu consiti et plantati, si cum universa terra verbo Domini pulchre germinante, quasi latissimo et amœnissimo viridario uno comparentur? ita et in cæteris omnibus. Profecto nihil erat Salomon, quamvis tantus in omni gloria sua, ut regem factorem suum sequi posset. Atque juxta hanc enarrationem redarguit hic Salomon, et irridet semetipsum, quemadmodum solemus interdum nos ipsos irridere, pro inseniis præteriti temporis, quod ea olim maximi fecerimus, quæ nunc æstimamus minimi.

Huc accedit Isidorus Clarius qui vertit; *quid est homo, ut sequi possit regem in iis quæ fecit?* id est qui imitatione regis aliquid magni conetur, cum nullam quantumvis parvam ex omnibus rebus, quas ille innumeras et maximas fecit, æquare possit. Primo.

Hæc de versione Vulgata. Alii enim distinguunt regem a factore, sive Deo, aliterque vertunt : Unde

Secundo, Syrus sic reddit, *et prospexi ego ad videndam sapientiam, transgressionem et stultitiam. Nam quis est ille vir, qui ingredietur post regem in judicium? dein cum illo qui fecit ipsum?* Ubi per regem accipit Salomonem, per factorem vero Deum, *q. d.* Perspexi exilem esse hominum sapientiam. Quis enim eorum est, qui in sapientia mecum, qui rex sapientissimus a Deo constitutus sum, certare aut judicio contendere valeat? Qua ratione ergo contendat cum Deo ipso? Alii hæc referunt ad pœnitentiam Salomonis, quasi suo exemplo ad eamdem hortetur subditos, quos suo scandalo induxerat ad idololatriam, quasi dicat : Perspexi sapientiam sitam esse in Dei fide et cultu, perspexi et insipientiam sitam in perfidia et idololatria. Qui ergo secuti estis me desipientem et idola colentem, sequimini nunc resipiscentem et Deo adhærentem. At quis hoc faciet? Pauci utique, quia omnes proniores sunt ad malum quam ad bonum, pronius sequuntur prava quam sancta regum exempla. Ita Thaumaturgus, Olympiodorus, S. Hieronymus et Albinus. Audi Thaumaturgum : « Tandem expergefactus atque oculis restitutus, ea quæ in manibus habebam, flagitiosa simul acerbitatisque plena esse perspexi, spiritusque non boni opificia. Proinde collectis et sapientiæ bonis et stultitiæ malis, magna hunc Secundo.

virum admiratione prosecutus fuerim, qui cum præceps ferretur, temereque vagaretur, postea mente recepta ad virtutem officiumque rediit. »

Sic et S. Hieronymus, atque ex eo Albinus : « Tandem, ait, in me reversus, et opera mea plena vanitate, plena sordibus, plena spiritu erroris intuitus sum ; nihil enim quod in mundo putatur bonum, bonum potui reperire. Reputans igitur quæ essent sapientiæ bona, et quæ stultitiæ mala, consequenter in laudem illius hominis erupi, qui post vitia se refrenans, virtutum possit esse sectator. »

Tertio. *Tertio,* Septuaginta pro *regem* vertunt *consilium,* quia Hebræum מלך *melech,* id est rex, significat quoque consultorem et consilium, eo quod regum sit consulere reipublicæ, uti multis ostendi *Daniel.* cap. IV, 24; vertunt ergo, *quis est homo qui ingrediatur post consilium, simul quæcumque fecerunt illud.* Ita Complutenses ; licet Vaticani deleant τὸ *simul.* Alii vertunt, *simul quæcumque fecerint cum illo;* Aquila, *quid autem homo ut sequatur consilium?* Arabicus, *quis enim trahitur post consilium?*

Sensus est, *q. d.* Quis est homo, qui ita sapienter et consulto omnia sua agat, ut nunquam a sapientia et consilio declinet in errorem et stultitiam, per quam aliqua insipienter et inconsulto admittat? Qui sensus idem est cum eo quem ingerit Vulgata, uti initio dixi, ac Thaumaturgus et S. Hieronymus jam citati : consilium enim prudens est relictis vitiis sectari virtutes. Aliter Olympiodorus, qui tripliciter explicat, ac proinde censet hic doceri, quantum differat sapientia a stultitia, id est virtus a voluptate : per consilium accipit consultationem de modo implendi sua desideria et vota : « Quæramus, ait, an possit homo, qui elegerit sibi secundum hanc stultitiam vivere, complere sua desideria; hoc enim significat sequi post consultationem, » *q. d.* Ego Salomon meorum consiliorum et votorum, cui tantum suppetebat facultatum, compos non fui : ergo non est, quod quis alius se suorum compotem fore confidat. Quis ergo homo est, qui ibit post, vel qui sequi possit consilium sive consultationem suam, *q. d.* Nullus aut rarus; neque enim quicumque ditescere appetit, penitus hoc consequitur; nec qui gloriæ cupidus est, voti prorsus efficitur compos; et eadem ratione in cæteris sese res habet : qui vero sapientiam adamarit, Deo duce feliciter ductus, sequitur penitus consultationem, hoc est, invenit quod affectat. Alter sensus Olympiodori est, ut Salomon attonitus erumpat in interrogationem : Quisnam est homo qui se possit recipere, atque converti a desideriis suis, et inspicere motus electionis suæ, propositumque finem, ut dijudicet, utrum sapienter vivat, an stulte? *Tertio,* Olympiodorus exponit sic, *q. d.* Salomon elevatus extra corpus, et per sapientiam videns quod post exitum hujus vitæ nemo potest redire ad vitam, et iterum frui iisdem rebus, quas dum viveret certo consilio exercebat, præposuit sapientiam stultitiæ.

Quarto. *Quarto,* Chaldæus vertit, *animo etiam lustravi sapientiam in regni administratione et intelligentiam; quid enim confert homini uti deprecatione, lata jam a rege sententia, cum jam ut repetatur ab eo supplicium decretum est? q. d.* Nemo decretum a Deo in stultos, id est voluptuarios, supplicium effugere aut evertere potest : ergo sapientia præferenda est stultitiæ.

FACTOREM SUUM. — Legit interpres *osehu,* ut dixi : jam legunt עשוהו *asuhu,* id est fecerunt illum vel illud. Unde varii varia supplentes varios dant sensus. *Primo,* Vatablus et Pagninus vertunt, *quid est homo, ut veniat post regem, quod jam fecerunt?* sicque explicat, *q. d.* « Quid est homo ut veniat post regem, scilicet ut cognoscat, quod jam fecerunt facientes? hoc est quod gestum est ab hominibus et stulte et sapienter, » *q. d.* « Quis est ille homo privatus, qui exactius perspicere et cognoscere possit, quæ gesta sunt, quam ego cognosco, qui sum rex? »

Secundo, alii juxta Septuaginta sic explicant, *q. d.* Quotusquisque est, qui sequatur consilium sanctæ et sapientis vitæ, et impleat omnia ea quæ illud fecerunt, id est omnia annexa et prævia consilio, quæ illud quasi pariunt et gignunt? Sane pauci sunt, ac forte præter me Salomonem vix ullus. Tam multa enim agenda consilium hoc circumstant, ut difficile sit omnia circumspicere, nedum servare et implere. Verti quoque potest, *qui fecerunt illud, q. d.* Quis sequetur heroes illos eximios, qui consilium hoc sapientis et perfectæ vitæ capessiverunt, et reipsa moribus impleverunt; quales fuere Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David, etc. Sane perpauci : plerique enim omnes sequuntur suas cupiditates, et instituta vitamque parentum et majorum, atque in opibus et deliciis, in quibus illi felicitatem suam posuere, hi quoque posteri eorum suam ponunt et collocant. Unde aliqui vertunt, *quis est homo,* etc., *qui non sit facturus ea, quæ fecerunt alii.*

Tertio, Arabicus vertit, *quis enim trahitur post consilium, et sciet id quod fecerunt homines per ipsum?* Hebræum enim את *eth* significat *per, cum, ante, apud* multaque alia, ut patet ex Lexicis.

Quarto, Cajetanus : Ratio, inquit, redditur, ut indicat particula (*quia*), cur Ecclesiastes verterit se ad videndam sapientiam et stultitiam, etc., seu ad discernendum inter sapientes et stultos, ac intricatos, quia illi per sapientiam venient post regem, et obedient ei (*quem jam fecerunt eum*), id est electum a se; hi per stultitiam et tricas redacti sunt in potestatem tyrannorum et malorum principum.

Quinto, planius Pagninus vertit, *nam quid est homo, qui venturus est post regem, qui non sit facturus quod jam fecerunt alii ipsum?* Id est : Quis præsumat plus in posterum vel nosse, vel prosperar quam rex, qui sum ego, cum frustra id hactenus

alii conati sint : cœperunt enim, nec perficere potuerunt.

Sexto, simplicius Titelmanus vertit, *quid est homo, ut possit sequi regem per ea quæ fecerunt?* hoc est, quæ est hominis potestas, ut conetur assequi regem omnium Deum, et quasi videri illi æqualis per ea opera, quæ fecerunt homines vel facere possunt? *q. d.* Per nulla opera, aut in nullis operibus quæ ab hominibus possunt fieri, quispiam potest Deum assequi ut faciat paria.

Septimo, sublimius et divinius alii censent hic innui mysterium S. Trinitatis. Sicut enim *Genes.* XI, dicitur in plurali : *Elohim bara*, id est, Deus (trinus in personis) creavit cœlum et terram : » sic hic dicitur, *rex fecerunt illum*, id est, tres regiæ et divinæ personæ fecerunt et crearunt hominem ad imaginem et similitudinem suam, ut per memoriam similis sit Deo Patri, per intellectum Filio, per voluntatem et affectum Spiritui Sancto. Ita Galatinus, lib. II, cap. IX. Quocirca tota hominis sapientia, justitia et felicitas in eo consistit, ut se Deo assimilet, quoad potest. Nam, ut ait *Eccli.* cap. XXIII, 38 : « Gloria magna est sequi Dominum. » Quin et M. Antonius Imperator cognomento Philosophus, rogatus quodnam esset summum hominis bonum, respondit : « Si deos imitetur, deorum autem imitationem esse, quam paucissimis indigere, et quam plurimis benefacere, » uti refert Julianus Apostata in *Cæsaribus*.

Moraliter hic et alibi S. Scriptura celebrat Deum, qua rex est et qua factor, id est Dei gubernationem et creationem, sive Dei sapientiam et omnipotentiam, illasque opponit nostræ insipientiæ et infirmitati, ut hac ratione sternat nostram superbiam, præfidentiam, ingratitudinem, diffidentiam, anxietatem et nimiam sollicitudinem. Hinc Job, cap. IX, 4 : « Sapiens corde est, inquit, et fortis robore : quis restitit ei, et pacem habuit? » Et vers. 10 : « Qui facit magna et incomprehensibilia et mirabilia, quorum non est numerus. » Et vers. 14 : « Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? » Vide Isaiam, cap. XL, 12 et sequent.

Vers. 13. 13. ET VIDI QUOD TANTUM PRÆCEDERET SAPIENTIA STULTITIAM, QUANTUM DIFFERT LUX A TENEBRIS. — Pro *præcederet* et *differt*, hebraice est יתרון *iitron*, id est residuum, superans, dignitas, excellentia, ut dixi cap. I, vers. 3. Unde Septuaginta vertunt, *et vidi quia abundantia* (Complutenses, *excessus*) *est sapientiæ super stultitiam* (Symmachus, ἀμαθίαν, id est carentiam disciplinæ, imperitiam, rusticitatem, insipientiam, ineptiam, temeritatem), *sicut abundantia lucis super tenebras*; Thaumaturgus, *grande etenim sapientiæ insipientiæque interstitium, tantumque discrimen quantum diei est ac noctis*; Arabicus, *tantum præst ntiæ, quantum præstat præstantia luminis super tenebras*; Syrus, *et vidi esse lucrum in sapientia multo magis quam in stultitia, sicut præstantius est lumen tenebris*; Vatablus, *et dignitas vel excellentia sapientiæ supra stultitiam*; Pagninus, *utilior est sapientia quam stultitia, sicut utilior est lux quam tenebræ*; alii, *tanta est amplitudo, fructus, præmium, merces sapientiæ præ stultitia, quanta est amplitudo, fructus, præstantia lucis præ tenebris, solis præ caligine, visus præ cæcitate*; Chaldæus, *vidi ego in spiritu prophetiæ, quoniam excedit sapientia stultitiam, quantum lux diei tenebras noctis.*

Nota appositive sapientiam, id est prudentiam, virtutem, sanctitatem conferri luci; stultitiam vero, id est imprudentiam, vitium et scelus conferri tenebris ob multas utrinque analogias. Virtutis et luci analogiæ.

Prima est, quod sicut lux est vera qualitas habens solidam essentiam et existentiam; tenebræ vero nil nisi lucis sunt privatio, ideoque nihil : sic et sapientia, id est virtus, solidam habet subsistentiam; tenebræ vero, id est vitia, virtutis tantum sunt privatio, nec solidam essentiam aut bonitatem habent. Ita Nyssenus. Prima.

Secunda, sicut lux fugat tenebras, et tenebræ lucem : sic sapientiam pellit insipientia, ac virtus vitium; atque vice versa insipientia si dominetur, abigit sapientiam, et vitium virtutem. Ita Olympiodorus. Secunda.

Tertia, summa est antipathia lucis et tenebrarum, qua fit ut nullam habeant societatem loci, temporis aut subjecti, juxta illud : « Divisit lucem a tenebris, » *Genes.* I, 4. Et : « Quæ societas luci ad tenebras? » II *Corinth.* VI, 14. Et *Eccli.* XVI, 17, Græci Codices Complutenses habent, *lucem a tenebris divisit adamante*, id est, tanta firmitate et separatione lucem dispescuit a tenebris, ac si inter utramque murum adamantinum fabricasset. Tertia.

Quarta, lux est qualitas nobilissima, cœlestis et divina; talis est et sapientia ac virtus : tenebræ vero sunt caligo horrida, et infernalis et diabolica; talia pariter sunt insipientia et malitia. Quarta.

Quinta, lux dirigit omnes hominis gressus et actiones; tenebræ vero utrosque impediunt. Sic sapientia dirigit omnes hominis operationes, quas insipientia perturbat et pervertit. Quinta.

Notat *secundo*, Pineda, per lucem accipi posse solem et diem; quia sol efficit lucem, et lux diem, per tenebras vero noctem et caliginem, quia eam causant. Sapientia ergo et virtus similis est soli et diei : insipientia vero et vitium simile est nocti. Sicut enim sol mundum et res omnes illustrat, sic sapientia hominis animum jubare suo ac radiis illuminat, illique splendorem, dignitatem atque ornamentum mirabile addit. Rursum, sicut sol inferiora ista suo calore fovet atque vegetat, varietatem pulchritudinemque efficit : sic sapientia suum ad corpus splendorem transmittit. « Sapientia (quippe) hominis lucet in vultu ejus; » humanos sensus moderatur, modum oculis, ori, auribus adhibet, universisque actionibus temperationem et pulchritudinem : contra vero stultitia, cum semel animo insedit, caligine et tenebris omnia involvit, horrore atque squalore omnia deturpat, mentem obcæcat, sen-

sus torpidos atque squalentes facit, toti corpori deformitatem intemperiemque offundit.

Plures analogias solis et sapientiæ, sive lucis et virtutis, recensui *Genes.* I, 8 et 16; *Isaiæ* XLV; *Eccli.* XLIII, 2; *Ephes.* V, 8, ad illa : « Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate : fructus autem lucis est in omni bonitate, justitia et veritate; » *Jacobi* I, 17, I *Joannis* I, 5 et sequent.

Symbolice, lux symbolum est oculi et visus, tenebræ vero exoculationis et cæcitatis : hinc sapientia, quæ lux est spiritualis, similis est oculo et visui; stultitia vero, exoculationi et cæcitati. Quod enim est lux oculo, hoc oculus est corpori, et intellectus animæ. Unde sequitur : « Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat. »

Vers. 14. 14. SAPIENTIS OCULI IN CAPITE EJUS : STULTUS IN TENEBRIS (alii, *in tenebrositate*) AMBULAT : ET DIDICI QUOD UNUS UTRIUSQUE ESSET INTERITUS. — Campensis, *sapiens oculos habet in fronte, stultus velut cæcus palpitat;* Vatablus, *circumspectus est sapiens, videt quid agendum sit,* cum stultus cæcus sit et improvidus; Chaldæus, *sapiens contemplatur in principio quod futurum est in fine : oransque infausta judicia Dei ab hominibus avertit et retardat; sed novi quod si non oraverit sapiens, neque ex orbe infelix illud decretum depulerit, cum in mundum veniet vindicta, omnes eodem eventu censeri.* Pro *interitus* hebraice est מקרה *micre*, id est *occursus*, eventus; Syrus, *accidens unum accidit omnibus;* Arabicus, *occursus unus occurrit omnibus eis;* Thaumaturgus, *æqualis sors;* Scholiastes Græcus, *unus finis;* S. Hieronymus, *communis interitus, eadem plaga, eadem mors, pares angustiæ;* S. Augustinus, *unus incursus;* Campensis, *idem exitus;* Tigurina, *eadem fortuna.*

Explicat et confirmat quod dixit sapientiam esse lucem, stultitiam vero tenebras, ex eo quod sapientia sit quasi oculus in sapientis capite, omnia quæ circum illum sunt instar lucis illustrans; stultitia vero tenebras mentis cimmerias stulto circumfundat.

Igitur hujus adagii sensus est, *q. d.* Sapiens oculos lucidos habet in capite, ceu speculatores, oculos, inquam, tum corporeos frontis, tum potius spiritales mentis, quibus ex alta quasi capitis arce et specula omnia cominus circumspicit, et eminus prospicit : quo fit ut omnia ipsi lucida et clara sint, atque in luce perpetua ambulet, utque omnibus provideat, noxia caveat, utilia capessat; lux hæc est circumspectio, prudentia et providentia. Stultus vero perinde ac si oculos haberet in calcaneo, non in capite; in talis, non in cerebro, damna vel commoda non prævidet, nec providet; sed velut in tenebris ambulans obvias voluptates sectatur, ideoque in multa noxia, imo in exitium corporis et animæ corruit, juxta illud *Prov.* cap. IV, 19 : « Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. » Ita S. Basilius in *Psal.* XXXIII. Audi Nyssenum, *orat.* 2 in illud : *Faciamus hominem ad imaginem nostram* : « Genitus es, inquit, ut Deum videas et contempleris, non ut humi dejecta serpat vita tua, non ut pecudum voluptates consecteris, sed ut vitam cœlestem agas. Idcirco sapientis oculi sunt in capite ipsius. Cur autem non ad caput, sed in capite? nempe ut quæ excelsa ac sublimia sunt intueantur et spectent; qui autem ea non aspicit, sed terrena, is oculos humi defixos et sepultos habet. » Sapientis oculi in capite.

Hinc Chaldæus vertit, *sapiens contemplatur in principio id quod futurum est in fine.* Unde illud : « In occipitio oculus, » ut finem respiciat. Et Cajetanus : Vident, inquit, oculi sapientis caput, id est principium operis, qui finis est, et consequenter media congrua. Finis enim est primum in intentione, quod hominem movet ad opus, velut medium ad finem, quem præconcepit assequendum. Quocirca poetæ Janum, qui prudentiæ est typus, pinxerunt bifrontem, eo quod vir prudens antecedentia æque ac sequentia tempora rerumque eventus procul aspiciat et prævideat, sibique provideat. Igitur sapiens oculos habet in capite, quasi in cœlum defixos; stultus vero in pedibus, quasi in terram demersos. Huc faciunt veterum adagia : « In virtute oculi et manus, » id est prudentia et operatio : « Oculus vitæ est sapientia : Sal vitæ amicitia : Antidotum vitæ patientia. »

Secundo, sapiens oculos habet in capite, quia excelsa, cœlestia et divina contemplatur et spectat, eoque omnem mentis suæ cogitationem, omnem actionem, omne studium, omnem intentionem suam dirigit. Stultus vero oculos videtur habere in pedibus, quia non nisi terrena, vilia, exilia cogitat, amat, sectatur. Ita Olympiodorus : Caput, inquit, in corpore emicat et eminet; hinc oculos habere in capite, est superna et æterna contemplari. Et Thaumaturgus : « Nam qui virtutem, ait, sectatur, similis est homini clare sursum, et undequaque cernenti, atque fulgidissimo jubare iter facienti. Contra qui vitiis erroribusque implicitus, comparandus est erranti in tenebris : cæcus enim est, et oculos illi tenebrosa opera sua effoderunt. » Et Auctor *Catenæ Græc.* ex Nysseno : « Quando, ait, speculatrix animæ vis rebus sensibilibus vacat, a natura situque suo avulsi luxantur oculi; et quamdiu per illos aspicit res infimas, in calcaneos migrant, illaque rerum sublimium contemplationis fit expers. » Sin autem vana quæ deorsum despiciens sursum aspiciat, oculos dicitur habere sursum in capite. Pulcherrime vero S. Basilius, homil. 9 *Hexam.*, sub finem : « Ut herbas depascatur et attondeat ovis, facta est; eoque caput acclinat ac deflectit in terram, ut spectet ventrem, et quæ sub ventre sunt : quando in hunc scopum felicitatis illorum exitus conspirat pastu ut exsatient ventrem, ac voluptate. Homo non item. Nec enim oculos in ventrem demittit. Ipsi etenim caput est spectans in sublime, quo cœlestem illam suam cognationem agnoscat et contempletur. Oculi nequaquam terræ innuunt. Cave igitur quidquam designes, quod

generositati tuæ repugnet naturæ. Terrena hæc ne circumspicias, sed cœlestia, ubi Christus est. Si consurrexistis enim, ait Paulus, cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est. Hac enim conditione et lege formatus es. Tui corporis effigies rudimentum quoddam est, quo docearis ad quem sis finem conditus; ut Deum contemplere factus es, non ut humi repat vita tua, non ut pecudum ritu voluptate perfruaris; verum ut ad normam et institutum cœlestis vitæ tuam ipsius componas. Et hac gratia non inscite dixit sapiens Ecclesiastes : Sapientis oculi in capite ejus. Cujusnam oculi non sunt in capite? Atqui hic in capite, hoc est, ut ea contemplentur, quæ in sublimi sunt. Nam qui non ad bona quæ in sublimi sunt, sed quæ in terra, respectat, is utique defigit detrahitve oculos in terram. »

Alludit ad primam hominis et animalium creationem, in qua homo creatus est erecto corpore et capite, ut oculis cœlum et cœlestia aspiciat et ambiat; cætera vero animalia creata sunt capite et oculis ad pedes, et terram depresso, quia non nisi terrena pabula et gramina cogitant, amant et sectantur, juxta illud Nasonis in *Metamorph.* lib. I :

> Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Hinc nonnulla animalia, præsertim pisces, habent oculos in ventre : unde illud apud Homerum : « Solea oculata; » notantque stultos, « qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est, » *Philipp.* III, 19 : qui proinde rectæ Dagonistæ vocitentur.

Audi S. Ambrosium, lib. VI *Hexamer.* cap. IX : « Ac primum omnium cognoscamus, humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem ut cœlum eminet aeri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi : ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere præstantissimumque esse omnium, tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua urbis mœnia. In arce autem hac regalem quamdam habitare sapientiam, secundum propheticum dictum, quia oculi sapientis in capite ejus : hanc esse cæteris tutiorem, et ex illa omnibus membris vigorem providentiamque proferri. Quid enim robur et validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis, velut principis sui, imperialis quædam adminiculetur potestas? Ex hoc enim aut destituuntur universa, aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo, nisi oculo duce utatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est totum corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo sol et luna in cœlo, hoc sunt oculi in homine. Sol et luna duo mundi lumina. Oculi autem quædam in carne sidera fulgent desuper, et inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari; speculatores quidam nostri die ac nocte excubant. Nam et ex sopore membris cæteris citius excitantur, et vigilantes circumspectant omnia; viciniores enim sunt cerebro, unde omnis manat usus videndi. » Et nonnullis interjectis : « Caput itaque oculis explorat omnia, auribus occulta rimatur, cognoscit abscondita, audit quid aliis agatur in terris. » Vide eumdem, lib. *De Arca Noe.*

Oculorum elogium.

Oculos comparat soli et lunæ.

Hac de causa in baptismo inungitur caput baptizati. Audi S. Ambrosium, tract. 2. *De Sacramentis,* et habetur *De Consecr.* dist. 4, *Can.* LXXXVIII : « Accepisti mysterium, hoc est unguentum super caput. Quare super caput? quia sapientis sensus in capite ejus. »

Tropologice Cajetanus : « Sapientis oculi, ait, sunt in capite », id est, jugiter caput reflexe velut in speculo intuentur, eo quod sapiens primum noscat seipsum, omnesque mentis suæ cogitationes et intentiones exacte discutiat, itaque omnia in luce operetur. Huc facit vetus adagium : « Oculus in pectus », *q. d.* Inspice teipsum. Tropologice.

> Sic demum qui sis, quantus, qua sorte videbis,
> Et pede prudenter te metiere tuo

Rursum, *q. d.* Sapiens ex oculis et capite dignoscitur, juxta illud cap. VIII, 1 : « Sapientia hominis lucet in vultu ejus. » Et *Proverb.* XVII, 24 : « In facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ. »

Insuper oculi sapientis, id est principis (hic enim præ cæteris pollere debet sapientia, qua subditos omnes sapienter regat), sunt in capite ejus : quia princeps, qualis erat Salomon, uti capite, id est dignitate et auctoritate, sic et oculis, id est vigilantia et circumspectione, cæteris eminere debet, ut ex alto regni sui throno omnes sibi subditos circumlustret, ab eisque omnia noxia arceat, et profutura procuret. Hinc Ægyptii Dei hieroglyphicum dabant « oculum in baculo, » oculo Dei providentiam, baculo potentiam denotantes. Unde illud : « Oculus in sceptro, » id est, vigilantia sit in rege et principe. Ita S. Ambrosius in *Psalm.* I, pro *oculi* legens *sensus* : « Sensus, inquit, sapientis in capite ejus. Quod referri potest etiam ad Ecclesiæ præeminentes. » Idem, *Exhort. ad Virgin.* : « Oculi hominis in capite ejus, id est, inquit, sapientiæ tuæ sensus. » Oculi enim typus sunt sapientiæ et sensus.

Allegorice S. Hieronymus, Olympiodorus, Salonius, Hugo et alii per caput accipiunt Christum, in quem jugiter oculi mentis nostræ intendant oportet, ut ab eo sapientiam discamus et hauriamus. « Qui in perfectum virum pervenerit, ait S. Hieronymus, et meruerit ut caput ipsius Christus sit, oculos suos semper habebit ad Christum, et eos in sublime elevans nunquam de inferioribus cogitabit. » Et S. Gregorius, XVII *Moral.* cap. V : « Oculi sapientis, inquit, in capite ejus, quia videlicet sapiens quisque illum tota intentione Allegorice.

considerat; cujus se membrum esse per fidem pensat. » Et lib. XX, IV : « Oculi, ait, sapientis in capite ejus sunt, dum redemptoris sui semper opera, quæ imitari debeat, contemplatur. » Et, ut idem ait, hom. 2 *in Ezech.* : « Cum omnis nostra intentio in eum se erigit, ne si vias lucis aspicere oculus mentis neglexerit, statim clausus in tenebris erroris cadat. » Hinc ait Psaltes, *Psal.* CXVIII : « In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. »

Anagogice. Anagogice, oculi spirituales eorum qui vacant vitæ contemplativæ, sunt in capite, id est in parte superiori animæ, quæ mens et spiritus dicitur; exstaticorum vero sunt in ipso apice mentis, quo ad Deum evolant, in eumque se mergunt ut videantur deificari, unusque cum eo spiritus fieri, quia per ænigma vident Deum, in eoque futuræ felicitatis gaudia prælibant. Ita Lyranus, quin et S. Hieronymus, in cap. LI *Isaiæ* et in cap. II *Daniel.*

ET DIDICI QUOD UNUS UTRIUSQUE ESSET INTERITUS. — Hebraice est מקרה *micre*, id est occursus, accidens, casus, eventus, ut vertunt Septuaginta, Syrus, Chaldæus, Vatablus, Pagninus, per quem S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* cap. III, accipit *ea mala, quæ bonis et malis videmus esse communia.* Olympiodorus vero accipit tam bona quam mala, *q. d.* Indifferenter sapienti et stulto, id est probo et improbo, obvenit morbus æque ac sanitas, opes æque ac inopia, honor æque ac contemptus, ac præsertim vita æque ac mors. Hinc Noster apte vertit, *interitus*; nullus enim eventus ita communis est omnibus, qui certo singulis obvenit, tam piis quam impiis, ac mors, juxta illud Horatii :

> Pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas,
> Regumque turres.

Mors ergo est *micre*, id est communis omnium, nemine prorsus excepto, casus et occasus. Rursus mors est *micre*, id est occursus; occurrit enim non cogitantibus, et non exspectantibus, occupat incautos, intercurrit negotiis, deliciis et prosperitatibus hominum, ut cum in mediis versantur opibus, honoribus et gloria, mors eis ex latere obviet, hæcque omnia in momento succidat, ipsosque exultantes interimat.

Multi censent Salomonem hoc dicere non ex sua, sed ex aliorum, qui animæ immortalitatem negant, persona. « Ut repræsentet, ait Nyssenus, objectiones eorum qui ad hanc vitam sunt pusilli et abjecti animi, et qui ex virtute nihil credunt lucri accidere, quoniam in eumdem finem utrisque vita desinit. » Sic et Thaumaturgus, Olympiodorus, Hugo Victorinus, Lyranus et alii. Verum nil est quod cogat hoc dicere; imo sequentia et antecedentia indicant hic Salomonem ex se suaque mente loqui.

Sensus ergo est, *q. d.* Suggessit mihi mens vestigare quid intersit inter sapientiam et insipientiam, ac deprehendi sapientiam quoad animam quidem tantum superare stultitiam, quantum lux superat tenebras; in eo tamen pares reperi, quod quoad corpus utrisque, scilicet sapientibus et insipientibus, eadem sors et mors obveniat, atque ex eo tam sapientiæ, quam stultitiæ suam quoque inesse vanitatem, id est fugacitatem et interitum, quo evanescat, comperi. Omnia enim hæc eo spectant, ut ostendat omnibus in rebus, quæ sub sole in terra sunt, se invenisse vanitatem, et inde concludat veritatem ambienti, mentem figendam esse in Deo et cœlo, in quo nulla est vanitas, sed vera stabilitas et stabilis æternitas.

15. ET DIXI IN CORDE MEO : SI UNUS ET STULTI ET MEUS OCCASUS ERIT, QUID MIHI PRODEST QUOD MAJOREM SAPIENTIÆ DEDI OPERAM? — « Quid mihi prodest, » scilicet ad hanc vitam prorogandam in terra, cum sapientia mihi vitam hanc conservare, eamque a morte præservare nequeat; sed sapiens, æque ac stultus, id est probus æque ac improbus, legem mortis omnibus communem et fatalem subire debeat : nam in altera multum proderit sapientiæ, id est virtutis studium, utpote quæ sapienti æternam felicitatem et gloriam conciliabit; cum stultitia, id est impietas, et scelera impio parient gehennam et mortem æternam. Abstrahit ergo hic Salomon a futuro piorum et impiorum post hanc vitam statu, et tantum præsentem hujus vitæ spectat, uti solent facere philosophi et physici, quia loquitur rudi sæculo et rudibus Judæis. Unde signanter addit vers. seq. « sub sole, » *q. d.* Omnia sub sole sunt vana. Si ergo quæris veritatem veramque felicitatem, quære eam supra solem, apud Deum in cœlo empyreo. Toto enim hoc libro ostendit omnia terrena esse vana, id est morte finiri et evanescere : cœlestia vero esse vera, id est durare, firmari, æternare (1). Vers. 15

Alii censent Salomonem hæc dicere ex mente stultorum, id est impiorum, qui præsentibus inhiant, futura non curant, nec credunt aut sperant : quibus favent Septuaginta qui pro יותר *iother*, id est majorem, vertunt, *abundanter* et *in abundantia.* Unde sic ex eis legit S. Hieronymus : « Ut quid sapiens factus sum ego? Tunc abundanter locutus sum ego in corde meo, quoniam insipiens loquitur ex abundantia (id est ex superfluente in ipso stultitia, ait Olympiodorus. Nam « garrulitatis fluenta tanquam ex fonte erumpunt stultitiæ, » ait S. Gregorius), quoniam hoc quoque vanitas. » Et Syrus, Septuaginta more suo assectans, *locutus sum*, ait, *in corde meo, quod hoc etiam vanitas sit, quia stultus multo magis loquitur;* Arabicus, *quando locutus sum in corde meo præstantiam ejus, quoniam stultus ex præstantia cordis sui loquitur.*

(1) *Quare dixi ego in corde meo : Qualis sors stulti est,* talis *etiam mihi eveniet, et* si res ita se habet, *cur nunc sapiens factus sum ego magis* quam alii? *Az* jungendum cum *lammah* (germ. *warum denn*, gall. *pourquoi alors*). *Iother, reliquus*, hinc substant. *quæstus, emolumentum* (VI, 8, 11; VII, 11), hic adverb. *amplius, magis,* ut sæpius in hoc libro.

Verum τὸ *stultus* non est in Hebræo. Quocirca nostra Vulgata versio, ejusque interpretatio paulo ante recensita, verior et germanior est.

Denique Chaldæus thesin ad hypothesin deducens, per stultum accipit Saul, per sapientiam vero ipsum Salomonem; unde vertit, *et dixi in corde meo : Sicut evenit Sauli regi, qui declinavit in stultitia sua, et non custodivit mandatum, quod ei præceptum fuit super Amalec, et ablatum fuit ab eo regnum; mihi quoque veniet : et ad quid sapientior fui ego illo? Et locutus sum in corde meo, quod etiam hoc est vanitas, et nihil est nisi per sententiam verbi Domini.*

LOCUTUSQUE CUM MENTE MEA, ANIMADVERTI QUOD HOC QUOQUE ESSET VANITAS, — *q. d.* Atque ita mecum in corde meo ratiocinans et disputans, definivi quod etiam hoc esset vanitas, nempe in sapientia propter seipsam velle quiescere, et nolle ad finem ulteriorem, puta ad vitam æternam tendere, ad quem perducere debet sapientia. Hæc enim est lux et dux ad vitam jugem et beatam. Ita Titelmanus et alii.

Aliter Septuaginta qui hæc ad stultum referunt. Unde eos secuti S. Hieronymus, Thaumaturgus, Olympiodorus, Albinus et alii, censent hic esse correctionem; Salomonem enim corrigere stultorum sententiam vers. præced. recensitam, *q. d.* Stulti, ex eo quod idem interitus, eademque mors obtingat sapienti quæ stulto, inferunt : ergo nil prodest studere sapientiæ et virtuti. At ego hoc eorum judicium vanitatem, id est vanum et stultum esse pronuntio.

Vers. 16. 16. NON ENIT ERIM MEMORIA SAPIENTIS SIMILITER UT STULTI IN PERPETUUM, ET FUTURA TEMPORA OBLIVIONE CUNCTA PARITER OPERIENT : MORITUR DOCTUS SIMILITER UT INDOCTUS. — S. Hieronymus, Thaumaturgus, Olympiodorus, Albinus et Hugo Victorinus secuti Septuaginta, putant hic notari discrimen sapientis et stulti, sive pii et impii, quod sapientis memoria duret in perpetuum; stulti vero non sit illi similis, sed dissimilis, eo quod cum hac vita evanescat. Itaque negationem *non* referunt ad τὸ *similiter*, *q. d.* « Non erit similiter, » id est similis memoria sapientis et stulti in perpetuum, id est in futuro æternitatis sæculo, quod omnia præsentia tempora oblivione operiet et sepeliet : quare non moritur doctus similiter ut indoctus; negationem enim *non* per hebraismum ex initio versus hic repetendam censent, *q. d.* In futuro sæculo dissimilis erit memoria sapientis et stulti, id est probi et improbi; quia tunc florebit memoria sapientis, stulti vero oblivioni æternæ tradetur. Unde Chaldæus vertit, *non est memoria in sæculo venturo prudentibus cum stultis; et simul atque homo e vivis decedit, et ea quæ temporibus suis acciderunt, et quæ post eum evenient, omnino oblivione conteruntur. Quare igitur existimabunt homines eumdem justorum et sceleratorum eventum esse?* Sic pariter ultima hæc verba per interrogationem efferunt S. Hieronymus in *Comment.*, Olympiodorus, Arabicus, Vatablus et alii, cum ex adverso Vulgata Latina ea assertive legat, dicatque : « Moritur doctus similiter ut indoctus; » quæ lectio Hebræo conformior, ideoque verior est (1).

Vulgatæ ergo sensus planus est, *q. d.* Esto sapientia natura sua præstet stultitiæ, hoc est virtus vitio, quantum lux præstat tenebris, tamen in hoc pares sunt, quod utramque succidat mors : adeo enim sapientia vitam conservare nequit, ut nec memoriam possit. Tempus enim omni homini sicut vitam, sic et memoriam tollit, eumque oblivione sepelit. Quare moritur sapiens æque ac insipiens, ac post mortem memoria utriusque illico oblivioni traditur et evanescit. Utrique ergo sua hæc inest deploranda vanitas, imo subinde stulti, id est improbi longiorem habent memoriam, majoremque famam, quam sapientes, id est probi, uti habuit Pharao, Nabuchodonosor, Alexander cæterique gentilium tyranni : ex quo viri cordati recte colligunt post hanc vitam superesse judicium, vitamque alteram in qua a justo judice Deo probis præmia pro meritis, improbis supplicia reddentur. Hoc enim exigit Dei providentia et justitia. Licet ergo ea sit dignitas Dei, tantaque ejus in nos merita, ut etiamsi nulla probis præmia, nec improbis supplicia decrevisset, a quovis tamen omni amore, obedientia et cultu colendus foret; virtutis etiam tanta sit honestas et decor, ut per se expetenda et ambienda sit, nulla quoque proposita pœna vel præmio, imo etiamsi nulla superesset homini altera vita, sed anima cum corpore interiret : qua ratione S. Bonaventura diabolo suggerenti ipsum esse reprobum, ac proinde suadenti ut captaret hujus vitæ voluptates, cum a futuris a Deo foret exclusus, respondit : « Si non datur frui Deo et virtute post hanc vitam, fruamur eo in præsenti; » tam enim vera et solida ejus sunt gaudia, ut omnes mundi et carnis deliciæ cum eis non sint conferendæ; pax enim, serenitas et lætitia bonæ conscientiæ, quam parit virtus, superat omnes mundi voluptates : his tamen non obstantibus, magna sapientiæ et virtuti hæc annexa est vanitas et miseria, quod morte succidatur et finiatur. Unde nisi speraret aliam vitam beatam et æternam, valde foret ærumnosa, paucique ejus labores et dolores, utpote præmio carentes, capesserent. Quocirca ait Apostolus I *Cor.* XV, 19 : « Si in hac vita tantum sperantes in Christo sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus, » quia sine spe et fructu studemus mortificationi carnis, ejusque voluptates abdicamus, quibus cæteri indulgent.

Nota hæc omnia accipienda esse de vita et memoria præsenti apud homines, quam pari fine in

(1) Hebr. est, *nam non est memoria sapienti cum stulto in æternum, quia diebus venturis jamdudum omnia oblivioni tradita erunt; et*, id est *quomodo moritur sapiens cum stulto*, æque ac stultus!

morte terminant sapiens et stultus, probus et improbus, non vero de futura apud Deum. In illa enim erunt impares et dissimillimi probus et improbus. Nam « pretiosa » apud Dominum « mors sanctorum ejus, » *Psalm.* CXV. Ex adverso « mors peccatorum pessima, » *Psalm.* XXXIII; similiter : « In memoria æterna erit justus, » *Psalm.* CXI. Rursum : « Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum, » *Sapient.* cap. V. Ex adverso de impiis dicitur *Psalm.* LXXXVII, 6 : « Quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt. » Et *Psalm.* XLVIII : « Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. » Infernus etiam vocatur ληθὴ, id est oblivio, et terra oblivionis, *Psalm.* LXXXVII, 13; eo quod damnati, qui in eo degunt, rejecti, despecti et velut oblivioni æternæ traditi sunt. Hinc poetæ fabulantur Lethen esse fluvium apud inferos, cujus latices si quis gustaverit, omnium rerum obliviscitur; de quo Lucanus, lib. IX :

> Quam juxta Lethes tacitus perlabitur amnis,
> Infernis (ut fama) trahens oblivia venis.

Similia habet Virgilius, VI *Æneid.*, et Ovidius, libro I *Tristium*, Elegia VII. Quin et Varro ac Festus lethum, id est mortem, derivant a Græco ληθὴ, id est oblivio, quam affert mors; licet Priscianus derivet a prisco verbo *leo*, id est deleo, quoniam mors omnia delet. Hinc et antiqua apud S. Hieronymum versio hoc loco sic habet : « Eo quod ecce diebus qui supervenient universa oblivio operiret; » quod Olympiodorus sic explicat, *q. d.* In venturo sæculo quæcumque in hac vita nobis occurrerint, sive infirmitas, sive sanitas, sive divitiæ, sive paupertas, in oblivionem ibunt.

Vers. 17. 17. ET IDCIRCO TÆDUIT ME VITÆ MEÆ, VIDENTEM MALA (misera, ærumnosa, caduca, quæ in morte finem accipiant) UNIVERSA ESSE SUB SOLE, ET CUNCTA VANITATEM ET AFFLICTIONEM SPIRITUS. — Hebræa, *et odivi vitam, quod malum esset super me opus, quod factum est sub sole, quia omnia vanitas, et* רעות *reut, id est malitia,* sive *afflictio spiritus,* ut vertit Arabicus; Septuaginta vertunt, προαίρεσις, id est *electio,* vel præsumptio *spiritus*; Chaldæus, *contritio spiritus,* vel, ut Costus vertit, *ægritudo animi*; Syrus, *perturbatio spiritus*; Pagninus, *cogitatio spiritus*; S. Hieronymus, *pastio venti*; Cajetanus, *fractio spiritus*; Campensis, *cruciatus animi*; alii, *irritamentum* vel *defatigatio spiritus*; alii, *molestia animi.* Vide dicta vers. 15, et cap. I, 14.

Hoc tædium vitæ sentiunt sapientes quoque et sancti, tum ob vitæ labores, molestias et dolores, tum ob ejus brevitatem et finem, quod scilicet omnia ejus bona finiantur in morte, tum ob ejus cupiditates, tentationes et pericula peccati ac damnationis, quæ crebro suggerit, etiam perfectis ob desiderium fruendi Deo, quem tantopere diligunt, eumque intensissime semper amandi et laudandi. Unde hoc tædium sentiebat S. Paulus dicens : « Infelix ego homo : Quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Roman.* VII. Et : « Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, » *Philip.* II, 23. Vide ibi dicta. Idem hujus vitæ tædium et migrationis ad meliorem desiderium habuit S. Job, cap. X, 1; Jonas, cap. IV, 8; Rebecca, *Genes.* cap. XXVII, 46; Elias, III *Reg.* XIX, 4; David, *Psal.* CXLI, 8; Jeremias, XX, 14; S. Augustinus, obsessa a Wandalis sua Hippone; quin et Christus imminente passione, *Marci* XIV, 33. Vide S. Cyprianum, *De Mortalitate,* et S. Ambrosium, lib. *De Bono mortis.*

Porro alii aliam hujus tædii Sapientis causam afferunt, scilicet quod videat stultorum stultitiam, id est impietatem et scelera, ob quæ dolet et ingemiscit. Unde Chaldæus vertit, *odi certe improbam vitam degentes. Neque enim nisi gravate ferre possum nefaria illa facinora, quorum homines hoc in orbe sunt perquam studiosi.* Et Symmachus, *malum mihi visum est opus, quod fiet sub sole. Malum enim opus* (inquit Olympiodorus) *laboriosam vitam peccatorum hominum intelligit.* Nyssenus et Thaumaturgus referunt ad ipsos exactæ vitæ labores et studia vanitatis : « Vitam (inquit) omnem meam exsecrari cœpi, quam in rebus vanis traduxeram, atque consumpseram terrenis laboribus intabescens : etenim omnia mihi magna cum molestia elaborata sunt. »

Vers. 18. 18. RURSUS DETESTATUS SUM OMNEM INDUSTRIAM MEAM, QUA SUB SOLE STUDIOSISSIME LABORAVI, HABITURUS HÆREDEM POST ME.

Vers. 19. 19. QUEM IGNORO, UTRUM SAPIENS, AN STULTUS FUTURUS SIT : ET DOMINABITUR IN LABORIBUS MEIS, QUIBUS DESUDAVI ET SOLLICITUS FUI. ET EST QUIDQUAM TAM VANUM? — Hebræa, *odivi etiam ego omnem laborem meum, quem laboravi sub sole, eo quod dimittam illum homini, qui venturus est post me. Et quis scit utrum sapiens sit an stultus, qui dominaturus est in omni labore meo, quo laboravi, et in quo sapui sub sole?* id est, quem sapienter obivi sub sole, quo sapienter opes paravi. Interpres Nysseni, *quem mea industria excogitavi*; alias per antiphrasin vertit, *quo desipui*, vel *quo deceptus sum*; Chaldæus, *et obstupui in corde meo, et dixi : Hoc etiam vanitas.* Ita et Septuaginta, nisi quod pro *qui dominaturus est*, vertant dubitanter, *utrum dominaturus sit.* Sic et Arabicus. Alius vertit, *an in libidinibus versaturus sit,* sive an pro libito et libidine dominaturus sit, usurusque et abusurus opibus meis. Septuaginta vertunt ἐξουσιάζεται, id est, *auctoritatem et principatum exercebit;* Interpres Nysseni, *imperabit*; Complutenses, *licentiosus erit;* alii, *potestatem habebit;* Campensis, *accipiet omnia mea.* Hebraice est verbum שלט *scalat,* id est, ad libitum pleno jure dominari. Unde *sultan,* sive *soldanus,* est rex vel imperator absolutus, qualis est Turca. « Odivi, » id est tæduit me, uti vertit Noster vers. 17, nauseavi, abhorrui, detestatus sum.

Transit ad vanitatem studii difandi filios et hæ-

redes; quod magnam hominum partem detinet et occupat : transit autem accommode et opportune. Cum enim initio capitis recensuisset vanitates opum, hortorum, deliciarum, etc., ab iis transit ad sapientiam, in qua licet cæteris præstantiore hanc vanitatem se reperisse asserit, quod sapiens æque moriatur ac stultus; nunc, ne quis occurrat et dicat : Etsi sapiens moriatur, relinquit tamen post se filios et hæredes, in quibus supersit ejus nomen et fama, adeoque in quibus quasi in viva sui imagine superstes sit et vivat; respondet magnam et multiplicem in quærendo ditandoque hærede esse vanitatem.

Cura hæredes ditandi est vanitas. Prima.

Prima est, quod hac in re ingens sit uti cupido homini innata, sic et sollicitudo ac assiduus labor et dolor, adeoque tota vita insumatur in coacervandis opibus, quibus coacervans non fruitur; imo paulo post in morte eas deserere cogitur, ac inops reverti in terram, e qua inops processit, juxta illud : « Nudus in hunc mundum veni, nudus revertar ad sepulcrum. » Et illud Apostoli : « Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus, » I *Timoth.* VI, 7. Unde Saladinus, qui magnis laboribus et prœliis conquisierat regnum Syriæ et Ægypti, moriens jussit linteum, cui cadaver suum involvendum erat, in hasta erectum per castra circumferri, ac præconem per vias et compita proclamare : « Saladinus, Asiæ imperator, moriens nihil aliud ex tantis opibus secum auferet. » Ita Blondus, *decad.* 6, lib. VI. Talis ergo defraudat suum genium, ut alterius fauces hiantes impleat. Vere Seneca, *epist.* 14. : « De incremento, inquit, cogitat; oblitus est usus : fit ex domino procurator. » Quocirca Plutarchus in *Moral.* eos comparat canalibus, qui aquam non sibi sed aliis servant : « Ut hi quoque aliis, inquit, ii aliis servent instar figlinorum canalium, qui nihil in se retinent aquæ, sed unusquisque proximo a se eam tradit, donec extrinsecus sycophante aliquis aut tyrannus, fracto tubulo, alio derivet avertatque divitias. »

tuoda.

Secunda, quod ea relicturus sit alteri, et nesciat cui, an filio, an extero. Sæpe enim desunt filii, aut si sint, bonis paternis privantur, juxta illud : « Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea, » *Psalm.* XXXVIII, 7. Et : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti cujus erunt? » *Lucæ* XII, 20. Sic Roboam opes sibi a patre Salomone relictas, ac regnum decem tribuum amisit, III *Reg.* XII, 20. Insuper Sesac rex Ægypti, anno quinto post mortem Salomonis, diripuit ejus thesauros. Unde S. Antonius apud S. Athanasium, citans hunc locum (licet paulo aliter translatum), sic suos adhortatur ad veritatis virtutisque studium : « Ad summum illud perspicere debemus, quod etsi nostras velimus retentare divitias, cum lege mortis ab ipsis divellamur inviti, ut in libro Ecclesiastæ scriptum est : Quia nescit homo quid sit post eum in labore suo. Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? cur non ad lucranda regna cœlestia ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit christianis, quæ secum auferre non possunt; illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad cœlum, sapientiam scilicet, castitatem, justitiam, virtutem, sensum pervigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum iræ victorem, hospitalitatem. Hæc sectantes mansionem nobis in terra quietorum, secundum Evangelium præparabimus. »

Tertia.

Tertia, quod nesciat an hæres, esto sit filius, cui opes tanta cura (ac subinde per fas et nefas, cum certo animæ suæ damnationisque periculo) coacervat, sit futurus sapiens an stultus, gratus an ingratus, custos an prodigus : sæpe enim filii, laute et luxuriose vivendo, illico dilapidant opes a parentibus tot annis, tantis laboribus partas. Idem faciunt nepotes, qui bona sibi a patruis, eo quod filiis careant, relicta atque magna sollicitudine coacervata, aleis, symposiis, nugis et pompis prodigunt, aut in meretrices effundunt. Quare quid vanius est? Videtur Salomon præsagiisse stultitiam Roboam filii sui, imo ejus initia certaque indicia in ipso notasse : jam enim grandis natu, adeoque quadragenarius successit patri in regno. Unde Chaldæus vertit, *et odi labores qui me in hac vita sub sole versarunt; quod enim relinquetur Roboam filio meo, qui mihi in regnum succedet, insurgens Jeroboam servus ejus decem tribus de manu illius auferet, et cum eo in societatem regni veniet.* Hinc Ecclesiasticus XLVII, 27, de Salomone ait : « Et derelinquit post se de semine suo gentibus stultitiam, et imminutum a prudentia Roboam, qui avertit gentem consilio suo. » Sic sæpe filios a parentum sapientia et virtute degenerare experimur, adeoque commune fere est ut sapientum filii minus cæteris sapiant, imo desipiant. Unde illud : « Heroum filii noxæ. » Cujus rei causas physicas et ethicas recensui *Eccli.* XXX, 13.

Quarta, quod hæres sæpe ignotus, ingratus, stultus et prodigus « dominabitur in laboribus, quibus desudavi, » ut scilicet ego fuerim opum mearum servus, ille sit dominus; ego in laboribus ut eas congererem desudaverim, ille iis voluptuarie dominetur et triumphet. Quocirca sapienter Olympiodorus : « Melius est, inquit, per seipsos, dum sumus in hac vita, dispensare divitias nostras in pauperum et egenorum necessitates, ut thesaurum indeficientem in cœlis nobis comparemus, quam alios in eorum hæreditatem transmittere, qualescumque demum eos fore contingat. » Et S. Chrysostomus, homil. 9 *De Pœnit.* : « Cupis, ait, hæreditatem bonam filiis relinquere? eleemosynam relinque. » Et S. Cyprianus, tract. *De Oper. et eleemosyna*, longiuscule ante finem, loquens de vidua quæ filiis postpositis, farinam, quam habebat, in pane dedit Eliæ, III *Reg.* XVII, ideoque ab eodem farinæ et olei multiplicatio-

nem accipere meruit : « Nec filiis, ait, abstulit mater, quod Eliæ dedit; sed magis contulit filiis, quod benigne et pie fecit. » Objicit deinde sibi : « Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te numerositas filiorum, quo minus largiter bonis operibus insistas; » ac respondet : « Atqui in hoc ipso operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures sunt, pro quibus Dominum depreceris; multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. » Et post nonnulla : « Si ergo vere filios tuos diligis, si eis exhibes plenam et paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes, ut filios tuos Deo justa operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui et temporarius et infirmus est; sed illum pares, qui æternus et firmus filiorum spiritualium pater est. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus servas; ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias sæculares divina majestate protector. Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus in posterum providere, hoc est futuris hæredibus, paterna pietate consulere, secundum fidem Scripturæ sanctæ dicentis : Junior fui et senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus egens pane. Tota die miseretur et fœnerat, et semen ejus in benedictione est. » Et iterum : « Qui conversatur sine vituperatione in justitia, beatos post se filios relinquit, » *Proverb.* XX.

Mystice, S. Hieronymus et ex eo Albinus (licet ipsi hunc sensum ut litteralem afferant) hæc exponunt de labore spiritali, quo diebus ac noctibus vir sapiens in Scripturis laborat ut componat libros, ut memoriam sui posteris relinquat, et nihilominus in manus stultorum veniant, qui frequenter secundum perversitatem cordis sui semina inde hæreseos capiant, et alienos labores calumnientur. Probat S. Hieronymus hunc esse magis convenientem sensum, etiam secundum litteram, quia subditur : « Et dominabitur in omni labore meo in quo laboravi, et in quo sapiens factus sum sub sole : Quæ enim, inquit, sapientia est, terrenas divitias congregare? » Sed hæc ratio non urget : sapientia enim apud Hebræos late sumitur pro quavis prudentia, solertia, industria, uti superius ostendi.

Vers. 20. 20. UNDE CESSAVI, RENUNTIAVITQUE COR MEUM ULTRA LABORARE SUB SOLE.— « Renuntiavit, » hoc est, nuntium remisit interiori labori, valedixit labori, noluit amplius laborare. Sic dicimur renuntiare officio, vitæ, amicis, cum illa abdicamus. Unde Quintilianus, lib. X, cap. 7 : « Mea sententia, inquit, civilibus officiis renuntiabit, » id est valedicet; et renuntiare deposito apud Ulpianum, est rerum depositarum curam et custodiam deponere. Hebraice est, *et conversus sum ego ut abdicarem a corde meo omnem laborem, quo laboravi sub sole;* Symmachus, *circumegi me;* Syrus, *et conversus sum ut lenirem essentiam cordis mei de omni labore, quo laboravi sub sole;* Arabicus, *reversus sum ad contemnendam in corde meo universitatem laboris mei;* Scholiastes, *ut recusarem laborem;* alii, *ut cohiberem cor meum a labore;* Chaldæus, *ut facerem desperare cor meum super omnem laborem quem laboravi ad requirendum.* Hebræum enim יאש *iaas* in *piel* significat abdicare animum ab ea re, quam perficere satagebat, ac connotat diffidentiam et desperationem. Unde נואש *noas* in *niphal* passive significat obrui malo, ut quis desperet, et a cœptis desistat, quasi malum sit extremum et immedicabile, *q. d.* Actum est, conclamatum, desperatum, deploratum est.

Vers. 21. 21. NAM CUM ALIUS LABORET IN SAPIENTIA ET DOCTRINA ET SOLLICITUDINE, HOMINI OTIOSO QUÆSITA DIMITTIT : ET HOC ERGO VANITAS ET MAGNUM MALUM. — Nonnulli hæc per parenthesin interjiciunt, hoc modo : *Nam cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine* (Hebraice, *in rectitudine*), *homini otioso quæsita dimittit. Et hoc ergo vanitas,* quasi dicat : Vanitas est coacervare opes hæredi. Nam illas magno labore et cura quæsitas otioso dimittit; cum alius, qui sapit, sibi vacet, sibique coacervet sapientiam, doctrinam et rectitudinem, sive justitiam. Favent Septuaginta qui vertunt, *quid est homo, quia labor ejus est in sapientia et in scientia et in virtute; et homini, qui non laboravit in eo, dabit partem suam;* Campensis, *quidquid sic illi partum est.* Ita Olympiodorus qui Septuaginta ita exponit, *q. d. Contempsi laborare circa res vanas, rationibus colligens, quod est alter labor dignus laude, qui stabiles congregat virtutum divitias. Est autem hujusmodi labor, quem laborat homo, ut acquirat sapientiam, scientiam et fortitudinem. Hunc igitur laborem ego potiorem ducens, conversus sum, ut renuntiarem cordi meo in omni labore, quem laboravi sub sole, hoc est circa res vanas;* sic et Thaumaturgus : *Cæterum,* inquit, *ubi eos* (vanos, qui opes coacervent hæredi incerto) *abjecerimus, tunc perspicuum erit vera hominis bona esse sapientiæ thesauros, et fortitudinis peculium; quod si quis, harum cura neglecta, alterius cujuspiam rei cupiditate incitatur, hic et mala bonis anteponit, et vitium pro benegnitate et virtute consectatur.* Sic et Nyssenus (1).

Verum Latini et Græci codices omnes, æque ac Hebræi, nullam hic ponunt parenthesin. Quare pergit Salomon multis amplificare vanitatem eorum, qui omne studium collocant in corrogandis opibus hæredi, quem nesciunt qualis futurus sit, sapiens an stultus, probus an improbus : τὸ *nam* significat hic dari causam ejus quod præcessit, cur Salomon cessarit laborare, nuntiumque remi-

(1) *Nam est homo* (melius gall. *faut-il qu'il y ait*), *cujus labor* factus est *cum sapientia et scientia et rectitudine* (id est *perite;* alii, *feliciter*), *et* tamen *homini qui non laboravit in eo, dabit eum,* laborem suum, seu hæreditatem, *partem suam,* scilicet hæredis, qui pleno jure pro lubitu iis opibus uti potest.

serit labori, quo ditandus erat hæres : quia scilicet hic labor cum sit negotiosus, otioso et inerti hæredi quæsita relinquit; quare laborans nil habet præter laborem et molestiam; otiosus vero hæres habet omnem laboris fructum, rerumque copiam : quod « vanitas est et malum magnum : » malum, id est misera indignitas, afflictio magna.

Porro quod ait : « Cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine, » per hæc tria accipe tres egregias animæ dotes, quibus parantur opes, non solum spiritales, sed etiam corporales. *Sapientia* enim notat rerum cœlestium et divinarum studium, Deique religionem, et cultum qui a Deo meretur et impetrat omnia corpori necessaria, juxta illud Christi promissum : « Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis, » *Matth.* VI. Per *doctrinam* accipe prudentiam humanam, quæ prudenter dirigit negotia et actiones omnes, quo fit ut feliciter succedant pariantque copiosos fructuum opumque proventus. Per *sollicitudinem* accipe sedulitatem, diligentiam, industriam, quæ mire valet ad opes augendas. Pro *sollicitudinem* hebraice est כשרון *kisron*, id est rectitudinem, congruentiam in rebus convenienter agendis, industriam. Septuaginta vertunt ἀνδρείαν, id est *virtutem, quæ viri fortis est, fortitudinem;* Arabicus vertit, *robur;* Scholiastes, *vigorem;* Syrus, *prosperitatem;* Interpres Nysseni, *excelsi animi virtutem;* Thaumaturgus, *fortitudinis peculium,* vel *adeptionem;* Chaldæus, *justitiam;* Campensis, *frugalitatem.* Hisce omnibus enim parantur, vel partæ augentur opes. Hæc omnia augent rei vanitatem. *Primo* enim vanum et malum, id est miserum est opes, quas tanta sapientia, prudentia, virtute parasti, relinquere homini otioso et inerti, qui nihil in eis laboravit, ut habent Hebræa.

Vanitas ditare hæredes. Primo.

Secundo.

Secundo, vanum et miserum est, ait S. Hieronymus, « quod sudor mortui deliciæ sunt viventis, » præsertim cum hæres vivens opibus, virtute defuncti partis, abutitur ad luxum et vitia, uti fecit filius prodigus, *Lucæ* XV, 13, ac faciunt nepotes, id est prodigi; quia enim nepotes sæpe patruorum vel avorum patrimonia prodigunt per gulam et luxuriam; hinc *prodigi* vocantur nepotes. Similiter mystice, posteri sæpe magistrorum suorum scripta vel opera contemnunt, imo vituperant, carpunt, perdunt. Causam dat Hugo Victorinus : « Quia subsequentium negligentia hoc paratum in usu assumere respuit, quod priorum sagax diligentia non sine grandi labore et cura acquisivit. » Præclare S. Chrysostomus apud Antonium in *Melissa,* part. I, cap. XXXV : « Inexplebilitas, ait, admodum violenta est, et avaritia præpotens; rapaces vitam hominum perturbant, et hujus quidem rapinæ sunt, deliciæ autem aliorum; in ipsum cadit exsecratio, fruitio in alios; adversus ipsum eduntur suspiria, abundantia contingit aliis; adversus ipsum funduntur lacrymæ, ab aliis usurpantur pecuniæ; ipse apud inferos punitur, et alii sæpenumero in ipsius divitiis voluptuantes cantillant. »

Gnomæ.

Sapienter Democharis : « Non dives, inquit, sed divitiis utens beatus est; » et Democritus : « Multi divitum sunt procuratores, non domini divitiarum. » Ita Maximus, *serm.* 12.

Tertio, quod avari opes suas sæpe non filiis, sed exteris hæredibus, imo hostibus relinquant. Unde Chaldæus vertit, *hominem enim invenias, cujus summum in sapientia cognitioneque rerum et justitia est studium : is absque liberis ex hac vita migrans, cui non vigilaverit, sua tanquam illius partem derelinquet. Numquid et hoc vanitas et insigne malum?* Nam, ut recte ait Salvianus, initio lib. IV *De Gubernat. Dei* : « Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? »

Præclare S. Ambrosius, lib. *De Naboth,* cap. IV, hanc vanitatem avarorum exaggerans : « A vobis igitur, inquit, prius pœnam exigitis, quam pauperibus erogetis. Vos igitur vestro affectu luitis miseræ paupertatis ærumnas, et pauperes quidem non habent quo utantur; vos autem nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis; eruitis aurum de metalli venis, sed rursum absconditis. Quantorum vitas in illo infoditis auro? Cur illa servantur, cum legeritis de avaro divite : Thesauros condit, et ignorat cui congregat eos? Hæres otiosus exspectat, hæres fastidiosus increpat quod sero moriamini. Odit incrementa hæreditatis suæ, ad damna festinat. Quid igitur miserius, quando nec apud illum cui laboratis, gratias derelinquitis? Propter illum totis mœstam diebus toleratis famem, quotidiana mensæ vestræ damna metuentes; propter illum diurna aggeratis jejunia. »

Quarto, quod avari pauperes, et in eis Christum debita ex charitate alimonia defraudent, pathetice Salvianus, lib. IV *ad Eccles. Cathol.* : « Omnis, inquit, egestuosus pro se tantum et in se eget : solus tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum universitate mendicet. Et cum hæc ita sint, quid ais, o homo qui christianum te esse dicis, cum Christum egere videas, ut facultates tuas in quibuscumque non indigentibus derelinquis? Christus pauper est, et tu opes divitum cumulas. Christus esurit, et tu delicias affluentibus paras. Christus etiam aquam sibi deesse queritur, et a te apothecæ ebriosorum vino replentur. Christus rerum omnium egestate conficitur, et a te luxuriosis copiæ congregantur. Christus tibi et pro muneribus a te datis præmia sempiterna promittit, et tu nil præstaturis cuncta largiris. Christus tibi pro bonis bona immortalia, et pro malis mala æterna proponit; et tu nec bonis cœlestibus flecteris, nec malis perennibus commoveris : et credere te Domino tuo dicis, cujus nec remunerationem desideras, nec iracundiam contremiscis? Non credis igitur, sicut jam diximus libro superiore, non credis, » etc.

Antitheses Christi et avari.

22. QUID ENIM PRODERIT HOMINI DE UNIVERSO LA- Vers. 22

BORE SUO, ET AFFLICTIONE SPIRITUS, QUA SUB SOLE CRUCIATUS EST?

Vers. 23. 23. CUNCTI DIES EJUS DOLORIBUS ET ÆRUMNIS PLENI SUNT, NEC PER NOCTEM MENTE REQUIESCIT: ET HOC NONNE VANITAS EST?—Campensis, *et hoc stultum est;* Hebræa, *nam quid est homini in omni labore et malitia cordis sui, quo ipse laborat sub sole? quia cuncti dies sui in doloribus, et indignatio occupatio ejus: et quidem in nocte non dormit cor ejus; et hoc est vanitas.*

Pro *afflictione* hebraice est רעיון *raion*, id est malitia, hoc est miseria, afflictio. Septuaginta vertunt, ἐν προαιρέσει, id est *in electione, vel voluptate cordis sui;* Pagninus, *in cogitatione* (1); alii, *in molimine*, vel *defatigatione cordis sui, q. d.* Quo fine, quo fructu avarus tanta et tam multa assidue molitur, seque defatigat? utique nullo. Campensis, *in animi tormentis, quibus se torquet;* alii, *in contritione.*

Avarorum vanitas. Primo. Pro *labore* Aquila vertit βασανος, id est tormentum, pœna, cruciatus, supplicium, quæstio, examen; Septuaginta ἄλγημα, id est molestia, calamitas, tormentum doloris, mœroris et ægritudinis.

Pergit exaggerare vanitatem et afflictionem avarorum, qui coacervant opes hæredi incerto, eorumque usu et fructu genium suum defraudant. His enim omnis labor, ipsæque opes non prosunt, sed valde obsunt: idque *primo*, quia talis perpetuo laborat, nec labore suo fruitur; quare tota ejus vita est labor et cruciatus, imo laborum et dolorum continuus equuleus: « Et cuncti dies ejus doloribus pleni sunt. » Quia, ut ait Hugo et Bonaventura: « Pœnam magnam habet inquisitio, sed fructum inventio non habet. » Quare minus genuine Olympiodorus hæc refert ad laborem bonorum æque ac malorum: « Advenit, ait, homini labor, quem laborat, sive bonus sit, sive malus, ab electione consilii, ut in virtutem impensus laudandus sit, si vero in vitium, efficiat dies plenos dolorum et molestiarum.

Constat enim ex anteced. et sequent. hic tantum agi de labore malorum et avarorum, non vero bonorum. Præclare Salvianus, lib. II *Contra Avaritiam*, in avaros, filios ditare satagentes, invehitur: « Quæ, ait, insania est, o miserrimi, ut hæredes alios quoscumque faciatis, vos ipsos vero exhæredetis; ut alios relinquatis vel brevi divites, vos ipsos æterna mendicitate damnetis! » Quin et Plutarchus in *Moral.*: « Avaritia, ait, ut molesta et morosa hera, parare cogit, frui prohibet, et concupiscentiam cum excitet, voluptatem adimit; et plane multa possidens, ac nunquam consequens ut bene sibi sit, refert balneatoris asinum, qui ligna et malleolos identidem adportans fumo semper et favilla oppletus in nullam lavacri, caloris munditiæque partem venit. »

Quocirca Palladius aurum vocavit doloris et curæ filium, nec ab illo tantum existimat natum, sed nutritum, educatum, fotum, perpetuoque cum illo, cum dolore nimirum ac labore divites agere vitam affirmavit. Prosper, lib. II *De Vita contemplat.* cap. XIII: « Divitias, inquit, qui habent, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. »

Secundo, quod cuncti dies ejus « ærumnis pleni sunt. » Hebraice, *ira occupatio ejus;* Chaldæus, *ira furoris est negotium ejus;* Septuaginta, *iracundiæ sunt distentio ejus;* Syrus, *furor conversatio ejus;* alius, *indignatio negotiatio ejus;* Campensis, *conatus ejus tædio pleni;* Interpres Nysseni, *iræ sunt vexatio animi ejus;* Arabicus, *quoniam universitas dierum ejus in confusione, plena doloribus et iracundia.* Secundo.

Multa enim avaro occurrunt, quæ ejus iram exacuunt et bilem accendunt, ut famulorum negligentia, sociorum perfidia, opum naufragia, hostium rapinæ, incendia, mercium corruptio, pretii decrementum, et mille talia, ob quæ irascitur, excandescit, tumultuatur, furit, sævit. Omne ergo divitum opus et labor non est aliud quam animi sui irritatio et excruciatio. O virum insignem in se discruciando et excarnificando occupatum! Vere Seneca, *epist.* 80: « Horum, inquit, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis et suppurata tristitia, et quidem gravior, quia interdum non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes necesse agere felicem. »

Huc facit illud Juvenalis, *Satyra* 14:

> Sed quo divitias hæc per tormenta coactas?
> Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
> Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.

Rursum Seneca, *epist.* 108: « Desunt, ait, inopiæ multa, avaritiæ omnia. In nullum avarus bonus est, in se pessimus. »

Tertio, quod nec per noctem mente requiescit, quia curæ et sollicitudines ne merces pereant, ne diripiantur, ne vilius vendantur, etc., eum quiescere non sinunt; cum pauper sua tenui sorte contentus per diem lætus vivat, noctu quietus altum dormiat. Igitur avarus per diem torquetur tristitia et ira, eaque multiplici; per noctem vero inquietudine, vigiliis et curis. Thaumaturgus: « Siquidem diu noctuque, inquit, semper urgentibus et corporis et animi laboribus, cor suum perpetuis et evanidis curis lancinat, seque molestis negotiis et curis torquet et discruciat; » vel, ut alius vertit, *perpetuis animæ curis divexatur, pectore illi ob absurda negotia ingemiscente et palpitante;* et S. Cyprianus, epist. *ad Donat.*: « Inter divitias suas trepidas cogitationes incerta sollicitudo discruciat. Non cibus securo somnusve contingit; suspirat ille in convivio, et cum epulis marcidum corpus mollior alto sinu condiderit, vigilat in Tertio.

(1) Recte.

pluma. Exigit pœnas pariter de potentiori sublimitas. »

Nervosius S. Augustinus, tract. 9 *in Joannem* : « O homo, inquit, qui laboras amando avaritiam, cum labore amatur quod amas; sine labore amatur Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, tristitias, tribulationes, et obtemperaturus es. Quo fine? ut habeas quo impleas arcam, et perdas securitatem; securior forte eras antequam haberes, quam cum habere cœpisti. Ecce quod tibi jussit avaritia. Implesti domum, timentur latrones : acquisivisti aurum, perdidisti somnum. Deus sine labore cum amatur, acquiritur et tenetur. »

Avaritiæ schema vinum.

Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 233, avaritiam sive opum cupidinem comparat hydræ, quæ multa capita et inexplebilem habebat ventrem; Briareo giganti centimano, et Scyllæ omnia cum navibus sorbenti; ac tandem eam similem esse dicit mulieri amanti et improbæ, « belluina forma præditæ, inquit, ignemque spiranti, ac sexcentas viperas crinium in loco capite habenti, perpetuo sibilantes ac mortiferum venenum evomentes; sexcentas item manus unguibus abundantes, quarum opera et adjumento alios lacerat, alios sagittis impetit, ab aliis pecunias extorquet; ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur duntaxat, aut calumnias struit, verum etiam adulatur, ac servilem in modum alloquitur, et pejerat, turpisque quæstus causa innumeras occasiones excogitat. »

Insuper dat eidem oculos acres, asperos et igneos, aures occlusas ad gemitus pauperum; apodem, id est, sine pedibus esse dicit, eo quod quem semel corripuerit, ab eo recedere nequeat, vel nesciat. Unde concludit : « Ecquis igitur acerrimo hujusmodi et inexplebili furore, atque innumera peccata et maledicta, et dedecora, et intemperantias, ac petulantias nobis conflante capiatur? Ecquis animum inducat tum in hac vita tam misere vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur, ne requiem ullam aut somnum sentiat et in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere? Quid autem initium dico? Hic enim eos quos cœperit, tyranno quovis acerbius torquet et excruciat, in eos insultans, ac præcipuas partes attingens, ac ne tantillum quidem interquiescere sinens, verum graviorem ipsis pœnam ingerens, quam ii luant, qui ad metalla (quæ atrocissima pœna est) damnati sunt. Nam illis confecto opere somno ac quiete frui licet; his ea somni quoque portum velut aggesta terra obstruens noctu quoque sæva illa et inhumana edicta proponit; hos enim ad latrocinia mittit, illos ad cædes perpetrandas, » etc.

Hinc patet avaros esse auri servos et mancipia, imo deteriores servis. Servi enim defraudant genium suum, cibisque parcunt ut erogent pecuniam, qua se redimant et in libertatem afferant. At avarus defraudat genium ut opes recondat, et arcæ quasi carceri includat, ac simul se eidem mancipat : « Ubi enim thesaurus tuus, ibi est cor tuum, » ait Christus; miseriores ergo sunt Tantalo, qui in mediis aquis sitit; et Mida, qui auro pro esca utens fame periit. Vide Horatium, lib. I *Serm.* Satyr. 3. Haitonus Armenus, in *Histor. Tartariæ*, cap. XXVI, narrat anno Domini 1258, Caliphum ab Haolano hoste captum, fame mori coactum, cum illum conclavi auro gemmisque pleno inclusisset, eo quod auri cupidus, ex avaritia necessarios ad bellum sumptus non suppeditasset, ideoque victus in Haolani manus incidisset.

Quarto, quod avari ut filios vel nepotes ditent, multas fraudes, usuras, iniquos contractus, crudelitatem in pauperes committant, quibus sibi gehennam et æterna tormenta accersunt. Exaggerat hoc graviter Salvianus, lib. III *ad Eccles. Cathol.* : « Amate, inquit, non obsistimus, amate filios vestros, sed tamen secundo a vobis gradu; ita illos diligite, ne vos odisse videamini. Inconsultus namque et stultus amor est alterius memor, et sui immemor. Non accipiet, inquit Scriptura sacra, iniquitatem patris filius, neque pater accipiet iniquitatem filii sui. Et Apostolus : Unusquisque, inquit, onus suum portabit. » Unde sic concludit : « Relictæ itaque filiis divitiæ parentes non liberant de mendicitate; imo relicta immoderate filiis facultas, parentum est sempiterna mendicitas; ac per hoc nulli parentibus magis noxii, quam filii nimis amati. Dum enim illi patriis bonis affluunt, parentes in sempiternitate cruciantur. Etiamsi tam pius sit filius, ut refrigerandi supplicii paterni gratia communicare cum patre postea bona relicta cupiat, non valebit; reddere si quidem post mortem patri pietas filii non poterit, quod unicuique indevotio sua et infidelitas denegarit. »

Et paucis interjectis idipsum acrius exemplo epulonis perurget : « Flammæ, ait, infelicium mortuorum divitiis non refrigerantur hæredum. Dives ille in Evangelio, qui purpura induebatur et bysso, absque dubio quia locuples in hoc sæculo ipse fuerat, etiam hæredes suos morte ditarat; sed nequaquam hoc ei proderat, quod opibus ac talentis ejus germani divites incubabant, et ille guttam refrigerii impetrare non poterat. Illi erant in abundantia, sed ille in egestate; illi in gratulatione, sed ille in dolore; illi in divitiis, sed ille in tormentis; illi fortasse jugiter in luxuria, sed ille semper in flamma. O infelix, o miseranda conditio! Bonis suis aliis præparat beatitudinem, sibi afflictionem; aliis gaudia, sibi lacrymas; aliis voluptatem brevem, sibi voraginem perennem. Ubi erant tunc affines, ubi propinqui, vel filii, si habuerat, vel germani quorum meminerat, et quos certe tanto amore dilexerat, ut eorum ne in supplicio quidem positus oblivisceretur? Quid ei proderant, quid suffragabantur? Torquebatur infelix, et opes suas aliis devorantibus, ille refrigerii guttam ardens petebat, et impetrare non poterat. »

Ac rursum post pauca in eorum stoliditatem miserandam exclamat : « O gravis nimium et lugenda conditio! Pauper beatitudinem emit mendicitate, dives supplicium facultate. Pauper cum penitus nil haberet, emit æternas divitias egestate. O quanto has facilius tam multa rerum possessione dives potuerat comparare, qui inter tormenta æstuans et inter supplicia proclamans : Pater, inquit, Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, » etc.

Vers. 24. 24. NONNE MELIUS EST COMEDERE ET BIBERE DE LABORIBUS SUIS, ET OSTENDERE ANIMÆ SUÆ BONA? ET HOC DE MANU DEI EST. — Quidam vertit, *imo ego video quod hoc ipsum est de manu Dei;* Tigurina, *non enim aliud homini bonum obvenit ex labore suo, quam quod comedit : quod etiam video manu Dei exhiberi* (1).

Olympiodorus, Bonaventura et Hugo uterque, scilicet Cardinalis sive Carensis et Victorinus, imo S. Gregorius, IV *Moral.* I et IV, censent hæc et sequentia dici ex sententia stultorum, puta epicureorum, qui pecuinam vitam agebant, quorum hæc erat mens et vox :

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Hoc ergo censebant esse de manu Dei, id est, hoc esse bonum et donum felicitatis datum a Deo. Sic dives ille voluptuarius dicebat, *Lucæ* XII, 19 : « Anima mea, comede, bibe, epulare, habes multa bona posita in annos plurimos. » Quin et Socrates dixit, « probos edere ut vivant, improbos vero vivere ut edant et bibant. » Ita Laertius, lib. VIII; et Aurelianus de Boneso potatore aiebat, « eum natum non ut viveret, sed ut biberet, » teste Æliano, lib. XII *Variar. histor.* cap. XXIX.

Verum nexus orationis poscit hæc dici ex mente ejusdem Salomonis, *q. d.* Ego videns vanitatem et stultitiam avarorum, qui corrogant opes hæredi incerto, non sibi, dico satius esse comedere et moderate uti suis bonis, nec fraudare genium suum, sed ostendere, id est exhibere animæ suæ bona, id est commoda et jucunda, ut honeste genio indulgeat, hocque esse insigne Dei donum. Ita S. Hieronymus, Albinus, Lyranus, Dionysius, Titelmanus, et alii passim. Unde quidam ex Hebræo sic vertunt, *et quis justius comedet, aut quis festinabit* (*ad laborem meum*) *magis quam ego?* Sic *ostendere* sæpe in Scriptura significat exhibere, dare, præstare; donum enim quod datur, ei cui datur, ostenditur, ut oculos sensusque ejus pascat. Est metalepsis. Sic *Psalmo* XLVIII, 8, Psaltes orat : « Ostende, id est exhibe, nobis misericordiam tuam; » unde explicans subdit : « Et salutare (id est salutem vel salvatorem) tuum da nobis. » Sic *Exodi* XXXIII, 19, Deus dicit Mosi : « Ego ostendam omne bonum tibi, » id est, exhibebo tibi meam essentiam sive meipsum, ut me videas facie ad faciem, sed in corpore assumpto. Visio enim Dei continet omne bonum. *Psal.* LXX, 20 : « Quantas ostendisti, « id est immisisti, » mihi tribulationes. » *Psal.* LIX, 5 : « Ostendisti, « id est immisisti, « populo tuo dura. »

Tropologice Titelmanus : Ostendere, ait, animæ bona, non tantum significat exhibere commoda sibi, sed et aliis per opera misericordiæ; insuper vacare pietati : hæc enim est animæ pabulum, vita et salus. Unde Chaldæus vertit, *igitur quare alia summum hominis bonum censeri possit, quam ut edat et bibat, seque in luce omnium lautissime accipiat, et videre faciat animam suam bona ante filios hominis, exsequendo mandata Domini, et ambulando in viis quæ rectæ sunt coram eo, ut benefaciat ei ex labore suo.* Verum hoc mysticum est, non litterale, uti mox ostendam.

ET HOC DE MANU DEI EST, — hoc, scilicet comedere et ostendere animæ suæ bona, *q. d.* Frui velle fructu laboris proprii, neque avare illud hæredi recondere, insigne est donum et beneficium a manu Dei datum et acceptum : manus ergo, quia donationis et largitionis est instrumentum, hinc pro ipsa donatione et largitione sumitur metonymice; donum intellige naturale, quod manet ex naturalis prudentiæ dictamine, atque ex licito et liberali amore, quo quis amat seipsum.

Mystice S. Augustinus hæc accipit de Eucharistiæ sumptione; sic enim ait, lib. XVII *De Civit.* XX : « Quid enim in hac sententia credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ pertinet, quam sacerdos ipse mediator Novi Testamenti exhibet, secundum ordinem Melchisedech, de corpore et sanguine suo? »

Rursum S. Hieronymus et S. Gregorius IV *Moral.* I, hæc accipiunt de pabulo S. Scripturæ et verbi Dei; Thaumaturgus quoque et Nyssenus, de sapientia et doctrina, quæ instar cibi animam pascit, exhilarat, roborat et beat. Thaumaturgus enim sic vertit : « Neque enim summum et perfectum bonum in esculentis et poculentis consistit, etsi alioqui maxime Dei beneficio alimenta mortalibus contingunt. Verum probitate præditus vir, sapientiamque Dei dono consecutus, cœlesti voluptate fruitur. »

Et Anastasius Sinaita in *Quæst. et Resp. de variis argumentis,* Quæst. XLIII : « Non carnaliter, inquit, comedere et bibere jubet Ecclesiastes, sed spiritualiter. Nam, qui dixit : Ne decipiamini in saturitate ventris; quomodo ad ea quæ dixit evertenda, jubet lætari et ventri indulgere? Comedit autem quispiam et bibit spiritualiter, operans mandata Dei, cibum manentem in vitam æternam. »

(1) Maurer, *nihil melius est in homine,* homini, *quam* hoc, *ut edat et bibat et videre faciat animam suam bonum,* frui faciat animam suam bonis *in labore suo,* etc. Rosenmullerus, *non est bonum in homine,* id est penes hominem, in hominis potestate, *quod comedat et bibat,* hoc pendet ab arbitrio divino. Sed non male Vulgatus.

Vers. 25. 25. QUIS ITA DEVORABIT ET DELICIIS AFFLUET UT EGO? — Hebræa, *quis comedet et quis festinabit*, vel *accelerabit extra* (scilicet ad fructum laboris sui, puta ad epulas) *præ me*. Hebraice est verbum חוש *chus*, quod proprie significat *festinare*. Addit Pagninus, et *sentire*, vel *sensibus frui*. Unde ipse vertit, *quis comedet et sensibus* (præsertim gustu) *fruetur ut ego?* Symmachus vertit ἀναλώσει, id est, sumptus faciet vel consumet; Aquila, et eum secutus S. Hieronymus in *Comment.* contrarie vertit φείσει, id est *parcet* : « Quis comedit, inquit, et ovis parcit sine illo? » quia pro חוש *chus* per *schin*, legit חוש *chus* per *sin*, quod idem est cum חוש *chus*, id est parcere. Jam

Primo, Olympiodorus, Hugo uterque, Bonaventura et Lorinus, hæc censent dici ex sententia epicureorum; hi enim ut lupi devorant et deliciis affluunt, uti fecit Salomon post lapsum.

Secundo, alii censent Salomonem hac phrasi uti, ut avarum et sordidum in alterum extremum et contrarium, in quo ipse aliquando fuerat, declinet, scilicet ad liberalem suarum opum usum. Sic enim ethici (ut Aristoteles, II *Ethicorum*) docent vitiosum in alterum extremum conari debere, ut ad medium virtutis perveniat : perinde ac virga curva in adversam plane partem flectitur, ut ad medium rectitudinis deducatur.

Tertio et genuine, Salomon hic suo exemplo confirmat id quod dixit versu præcedenti, allicitque avaros, ut opibus labore suo partis moderate utantur, nec iis se defraudent, ut ea servent hæredi, *q. d.* Me accipite in exemplum usus et fruitionis bonorum, meque regem sapientissimum imitamini. Ego enim pro regali magnificentia devoravi, id est, largiter comedi et deliciis circumfluxi. Quis enim me vixit sumptuosior, liberalior, magnificentior? ut vertit Campensis. Patet ex lib. III *Regum*, cap. IV. Hinc et Tigurina vertit, *quis enim comedit, et ad laborem quis promptior fuit quam ego?* Vatablus, *quisnam edere debeat, et quis præparare debeat* (scilicet ad fruitionem opum labore meo partarum) *præterquam ego?* Devorare enim, æque ac inebriare, subinde non in malam partem, ut gulam significet, sed in bonam, ut liberalem usum copiamque notet, accipitur, idemque est quod cibo et potu affluere, sed intra terminos temperantiæ et licitæ hilaritatis. Sic enim fratres Joseph cum eo epulantes inebriati, id est exhilarati sunt, *Genes.* XLIII, 34. Sic et S. Joannes devoravit, id est avide comedit, librum *Apocalyps.* cap. IX. Et virga Aaron devoravit virgas magorum, id est, serpens Aaronis devoravit serpentes magorum. Utrique enim virgæ versæ erant in serpentes, *Exod.* VII, 12.

Mystice, hæc referas ad sapientiæ studium, uti dixi in fine versus præcedentis. Sapientia enim cœlitus indita fuit Salomoni. Unde Chaldæus vertit, *et quis, quæso, vel in sententia legis vigilantior, vel circa summi illius venturi judicii diem sollicitus magis quam ego?*

Porro Septuaginta pro ממנּי *mimmenni*, id est *præ me*, vel *sicut ego*, legentes ממנו *mimmennu*, id est *ab illo*, id est sine illo, vertunt, *quis enim comedet, et quis bibet sine illo?* scilicet Deo, *q. d.* Cibus et potus, quem edis et bibis, non tuum, sed Dei est donum, ab ejus liberali manu acceptum, uti dixit vers. præced.; illi ergo per gratiarum actionem referendum est (1).

Sic et Arabicus : *Quoniam*, ait, *quis manducat aut bibit extra seipsum*; sic et Syrus et Thaumaturgus : *Nihil enim*, inquit, *saluti nostræ serviens, extra ipsius est providentiam.* Hinc Clemens Romanus, lib. IV *Constit.* cap. IV, monet viduas, pupillos et pauperes, ut illa quæ sibi dantur, cum omni metu, reverentia et gratiarum actione recipiant. « Quis enim vestrum, inquit, edit aut bibit sine ipso? » scilicet Deo. Citat enim hunc locum juxta Septuaginta. Necdum enim exstabat S. Hieronymus ejusque Latina Vulgata versio. Et Olympiodorus : « Dona adiaphora, inquit, a Deo hominibus tribuuntur, qualia sunt divitiæ, bona valetudo, auctoritas ; nihil ergo in hominibus invenitur boni, præter edendi bibendique voluptatem. »

Vers. 26. 26. HOMINI BONO IN CONSPECTU SUO (Symmachus, *qui placuit ei*) DEDIT DEUS SAPIENTIAM ET SCIENTIAM ET LÆTITIAM : PECCATORI AUTEM DEDIT AFFLICTIONEM ET CURAM SUPERFLUAM, UT ADDAT ET CONGREGET, ET TRADAT EI QUI PLACUIT DEO : SED ET HOC VANITAS EST, ET CASSA SOLLICITUDO MENTIS. — Hebraice est *malitia*, id est *afflictio spiritus*, de qua dixi vers. 11, et cap. I, 14. Pro *peccatori* Tigurina vertit, *aberranti a recto itinere* sapientiæ et felicitatis, vitæque jucundæ. Syrus vertit, *quoniam viro cui est bonum in conspectu suo, dedit sapientiam, etc.* Arabicus, *concessit enim homini bonum, et dedit huic faciem sapientiæ et gaudii; et dedit illi qui peccat confusionem, ut augeatur et congreget, ut det illud bono ante faciem Dei.* Chaldæus, *quoniam viro cujus opera recta sunt, concedit in hoc mundo sapientiam et cogitationem, tandem quoque venturo sæculo lætitiam; improbo vero subjicit malum quoddam, ut opes congreget, congregetque res multas mancipii, ut aliquando ab eo receptæ, illi, quem elegerit Deus, transcribantur. Hoc etiam est vanitas impio, et animi ægritudo.* Huc pertinet proverbium Arabicum, *Centur.* 1, num. 33 : « Allide malum Medicum (narangum) malo punico, id est, pone in corde sapientiam, et thesauriza in corde tuo scientiam (2). »

Insistit declarandæ vanitati avarorum, coacervantium opes suis filiis et hæredibus, eamque

(1) Quæ lectio et sensus præplacent.

(2) Hebr. est, *nam homini qui bonus est coram eo*, Deo, Deus *dat sapientiam et scientiam* in comparandis administrandisque opibus, *et gaudium*, hilarem mentem, ut jucunde iis frui possit. *Sed peccatori dat negotium* molestum *colligendi et coacervandi* opes, *ut det*, scilicet, improbus relinquat illas, *ei qui bonus est coram Deo*, probo: *etiam hoc est vanum et studium inane. Hoc* explicat S. Hieronymus ita : « Sed et hoc, inquit, diligenter inspiciens, et videns omnia morte finiri, vanissimum judicavi. »

confirmat ex discrimine bonorum et peccatorum. Sensus est, *q. d.* Hoc est discrimen inter sapientem sive bonum, et insipientem sive peccatorem, quod Deus sapienti, qui in conspectu suo bonus est, hoc est qui Deo placet et acceptus est, det sapientiam cognoscendi veritatem, scilicet verum uniuscujusque hominis bonum situm esse in Deo, Deique cognitione, amore et cultu; et scientiam, qua prudenter opes congreget, easque dispenset ex legis Dei præscripto ad suam suæque familiæ sustentationem, et quod superest subventioni egenorum impendat; indeque lætitiam, quod veritati, id est Deo innixus vanas opes parvipendat, easque rite distribuat ad usus honestos quibus sibi Dei gratiam et gloriam conciliet. Unde Chaldæus vertit, *deditque ei lætitiam cum justis in futuro sæculo; peccatori autem Deus dedit afflictionem et curam*, ut laboriose et anxie coacervet opes, easque deinde relinquat hæredi, non quem ipse mente destinavit, sed ei qui placuit Deo, quem scilicet Deus designarit, qualis est pauper vel justus aliquis liberalis, qui eas in pauperes vel opera pia expendet. Symmachus vertit, *ut dentur illi qui placuerit Deo*, juxta illud *Proverb.* cap. XIII, 22: « Bonus relinquit hæredes filios et nepotes, et custoditur justo substantia peccatoris; » vel, ut legit S. Augustinus, *epist.* 50 : « Thesaurizantur justis divitiæ peccatorum. » Et *Job*, cap. XXVII, 16 : « Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta; præparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet. »

Nota *primo*, quod dicitur, *bonus in conspectu suo*, Albinus τὸ *suo* refert ad ipsum hominem bonum, quasi dicat : Homo qui sibi ipsi in conscientia videtur bonus et probus. Verum τὸ *suo* refert Deum, qui sequitur. Jam « bonus in conspectu Dei » per Hebraismum idem est quod placens Deo, gratus oculis Dei. Potest autem quis gratus esse Deo multis nominibus, et ob varias dotes tum naturæ, tum gratiæ; ob dotes naturæ possunt etiam peccatores placere Deo : ob dotes gratiæ soli justi, qui proprie dicuntur grati esse Deo, illique placere velut ejus amici, filii et hæredes. Et sic hic accipitur. Opponitur enim peccatori, quanquam per peccatorem proprie hic intelligatur avarus, ac consequenter per bonum in conspectu Dei, liberalis, ut *Psalm.* CXVII, 2 : « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. »

Nota *secundo* : Pro lætitia, quam indit sibi placenti et grato Deus, peccatori dat afflictionem et curam, id est laborem, sollicitudinem, molestiam, difficultatem coacervandi opes. Hæc afflictio partim est pœna, et hac ratione positive a Deo immittitur peccatori, ut illa ceu flagello ejus peccata præsertim avaritiæ castiget, eumque ad bona cœlestia quærenda impellat et adigat, ait Olympiodorus : partim est culpa, quatenus ab avaritia proficiscitur, ejusque est affectus et actus; et sic non positive, sed permissive a Deo infligitur peccatori. Deus enim peccatum minus peccato majore castigat, permittit ut peccator in pœnam præcedentium peccatorum labatur in avaritiam tantam, quæ illi mille curas, angores et dolores conciliet. Igitur sicut sapientia, virtus et liberalitas parit mentis lætitiam, et conscientiæ de bonis operibus exsultantis mirificum gaudium : sic insipientia, vitium et avaritia parit mentis angores, dolores et sollicitudines. Vere Seneca, *epist.* 23 : « Hujus (bonæ mentis) fundamentum hoc esse dixi; etiam culmen est. »

Nota *tertio* : Hæc gnome significat quid sæpe fiat a Deo, non quid semper : nam subinde vice versa Deus justos ad incrementum patientiæ et meriti sinit paupertate affligi, ut omni suo labore et cura vix sumptus ad alendam familiam necessarios parare possint; impiis vero dat copiam opum ultro et sine labore, qui proinde illis lætantur et epulantur, ut non raro fecit in Novo Testamento : in Veteri enim fere faciebat contrarium. Judæis enim promiserat copiam rerum temporalium, si sibi fideliter servirent. Unde exempla hujus sententiæ sunt in Hebræis, qui duce Mose exeuntes ex Ægypto, a Deo obtinuerunt opes et spolia Ægyptiorum, *Exodi* cap. XII, 36. Idem, duce Josue, expugnantes Chananæos eorum divitias possederunt, ut patet ex libro Josue, etc. Sic David possedit bona avari et stulti Nabal, ducens ejus uxorem Abigail, I *Reg.* XXV, 42; item opes Syrorum, Ammonitarum, II *Reg.* X et XI; ac Moabitarum, II *Reg.* VIII, 4 et 11. Sic opes congestas a Diocletiano et Maximiano juratis hostibus christianorum, obtinuit Constantinus Magnus, qui ex eis basilicas et templa plurima christianis magnificentissime exædificavit. Idem hodie sæpe fieri videmus. Sane hæreticorum opes perplures Deus ad christianos, imo ad religiosos derivavit. Ita ex hæreticorum bonis erexit plura collegia Societatis Jesu, quæ hæresim convellerent, et hæreticos ad fidem orthodoxam converterent. Tale est collegium Augustæ Vindelicorum a Fuggeris, quorum nonnulli tum Lutherani erant, erectum : tale quoque est collegium Gandavense in Belgio, ubi natus fuit Carolus V, et alia plura. Exempla.

SED ET HOC VANITAS EST, ET CASSA SOLLICITUDO MENTIS. — Loquitur de peccatore et avaro, cui Deus dedit afflictionem et curam superfluam : nam bono et liberali dedit sapientiam et lætitiam, uti paulo ante dixit. Minus recte ergo Cajetanus idipsum ad bonum et liberalem extendit, qui fruitur opibus labore suo partis. Licet enim, inquit ipse, sit hoc donum Dei, tamen *vanitas* vocatur, quia res modica est citoque evanescens. Minus apte quoque Hugo Victorinus idipsum dilatat « ad vanitatem et cassam sollicitudinem justi, requirentis divitias peccatoris, aut illas concupiscentis, et si acceperit, cor apponentis. » Pro *cassa sollicitudo mentis*, ex Hebræo vertas, *pastio venti*, *q. d.* Opes et res omnes terrenæ non magis

replent mentem, quam ventus satiet famem. Audi S. Bernardum *De diligendo Deo* : « Justitia ratione utentis spiritus, cibus est vitalis et naturalis; pecunia vero (et idem de aliis bonis diceret) sic non replet vel minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique, si famelicum hominem apertis faucibus vento inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insaniæ est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari quam satiari. Quid namque de corporalibus ad spiritualia? Nec illa sane spiritualibus, nec isti e regione refici corporalibus queunt. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit vanitatem rerum ex tempore, cui omnes subjacent. Primo, ex eo quod singulæ cum tempore transeant ac suas subeant vices et vicissitudines, idque multis exemplis per antithetorum combinationes demonstrat. Secundo, vers. 14, *ex eo quod tempus, et res temporales comparatæ Deo, Deique operibus, utpote constantibus et perpetuis, sint vanæ et instabiles, fluidæ et caducæ. Tertio, vers.* 16, *quod tempus omnia mutans subinde inducat tyrannides et tyrannos, sub quibus regnant scelera et scelerati, affliguntur et exulant virtutes, ac virtute præditi. Quarto, vers.* 18, *quod tempus hominibus adducat mortem, et interitum similem bestiis.*

1. Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. 2. Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. 3. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus ædificandi. 4. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi. 5. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. 6. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi. 7. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. 8. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis. 9. Quid habet amplius homo de labore suo? 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. 11. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. 12. Et cognovi quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua. 13. Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. 14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum : non possumus eis quidquam addere, nec auferre quæ fecit Deus, ut timeatur. 15. Quod factum est, ipsum permanet : quæ futura sunt, jam fuerunt : et Deus instaurat quod abiit. 16. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem. 17. Et dixi in corde meo : Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. 18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. 19. Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio : sicut moritur homo, sic et illa moriuntur : similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius : cuncta subjacent vanitati, 20. et omnia pergunt ad unum locum : de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. 21. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum. 22. Et deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

Vers. 1. 1. OMNIA TEMPUS HABENT, ET SUIS SPATIIS TRANSEUNT UNIVERSA SUB COELO. — Pro *tempus* hebraice est זמן *zeman*, id est tempus statutum, sive constitutum. Hebræa ergo sic habent, *omni rei est tempus constitutum, et tempus omni voluntati* (id est omni volito, sive omni rei quam quisque opta-

rit et voluerit) *sub cœlo;* Septuaginta, *omnibus tempus est et καιρὸς*, id est *opportunitas; omni rei sub cœlo;* Syrus, *omni rei est tempus, et tempus omni negotio sub sole;* Arabicus, *omni tempori et omni rei sub sole est tempus;* Chaldæus, *omni viro veniet tempus, et hora omni negotio sub sole;* alii, *cuique rei suum est præfinitum tempus, limitatum et determinatum;* Campensis, *vicissitudo est suis spatiis, neque quidquam sub sole est stabile;* Symmachus, *omni rei est hora, et omnis ministerii et negotii est tempus;* Thaumaturgus, *per hoc tempus omnia contraria contingunt;* alii, *omnibus est tempus et suam opportunitatem habet quæcumque res sub cœlo.*

Nota τὸ *transeunt* : tempus enim consistit in continua successione et transitu. « Tempus » enim, ut ait Aristoteles, « est numerus (mensura) motus secundum prius et posterius. » Sicut ergo motus consistit in continua agitatione et successione, dum pars posterior assidue succedit priori, eamque protrudit et extrudit : sic et tempus, quod non est aliud quam proprietas et mensura motus. Hinc collige quam parum veræ essentiæ et existentiæ habeat tempus, æque ac motus, atque res omnes, quæ motui et tempori subjacent. Tempus enim præteritum non est, sed præteriit; futurum non est, sed erit : solum præsens est et existit præsens autem est duntaxat unum indivisibile nunc, id est unum instans temporis. Unde apte dixit ille, hominem et res temporales vere non existere ullo tempore, sed tantum in uno nunc, sive in uno instanti temporis. Porro Varro, lib. V *De Lingua Latina* : « Tempus, ait, esse dicunt intervallum mundi et motus. Id divisum in partes aliquot maxime ab solis et lunæ cursu. Itaque ab eorum tenore temperato tempus dictum : unde tempestiva ; et a motu eorum, qui toto cœlo conjunctus Deo mundus casu venit, a quo tempus id ab hoc Deo, dies appellatur. » Hucusque Varro.

Tempus tantum existit per instans præsens.

Quæres, cur Salomon tam fuse agit de tempore, ejusque tam varias actiones et epitheta per quatuordecim antitheta assignat? Respondeo *primo*, ut omnium rerum vanitatem evincat ex tempore, cum quo, ut ait hoc versu et vers. 9, omnia transeunt et evanescunt, idque ex decreto Dei; quia Deus præfinivit rebus singulis tempus, quo oriantur, durent, occidant. Decrevit enim cuique tempus, quo existat, quando et quantum durare debeat : hanc enim statam periodum temporis cujusque rei significat hebræum *zeman*, quod Noster vertit *tempus*. Unde Lyranus censet hæc dici (imo toto hoc capite non aliud doceri), ut liqueat felicitatem non esse ponendam in longævitate; nec eam esse appetendam, eo quod certa periodus durationis a natura, sive a Deo auctore naturæ, cuique rei sit præstituta, inter quas est periodus vitæ humanæ, qua debet homo esse contentus, sicut et cætera periodo sibi a Deo data.

Cur hic temporis antitheta? Resp. primo.

Secundo, ex definita et præstitnta a Deo rerum periodo, sive ex vicissitudine et successione contrarii, quod rebus singulis quolibet versu opponit, ostendit instabilitatem, mobilitatem et circulationem rerum omnium, scilicet omnia volvi cum sole, et in orbem ire cum tempore. Dicit *sub cœlo*, ait S. Hieronymus, quia cæteræ « substantiæ spirituales nec sub cœlo, nec tempore continentur, » quales sunt angeli. Unde non habent contraria, quæ eas mutent vel interimant, uti habent homines et res omnes sublunares, quæ elementis contrariis et inter se pugnantibus constant, ideoque variant, mutantur et occidunt. Ex paucis autem hisce exemplis quæ assignat, similem antithesim temporis in rebus et actionibus omnibus cuilibet faciendam et assignandam relinquit. Est enim inductio imperfecta.

Secundo.

Tertio, innuit vanas esse et præposteras hominum curas, qui, cum singulis rebus tempus et opportunitas, ut vertunt Septuaginta, præfinita sit a Deo et natura, prudenter exspectanda vel patienter ferenda sit, ipsimet sua industria et sollicitudine nimia, illam præfinire, invertere vel antevertere volunt, qua in re frustra stulto, cassoque et irrito conatu laborant.

Tertio.

Quarto, Tertullianus, lib. *De Virginibus velandis*, cap. 1, per *tempus* accipit gradus temporum, quibus tum natura in qualibet re, tum gratia in homine ad perfectionem provehitur : « Nihil, inquit, sine ætate est, omnia tempus exspectant. Denique Ecclesiastes : Tempus, inquit, omni rei. Adspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula enititur. Deinde rami et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur. Inde germinis tumor, et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu et informis, paulatim ætatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis. Sic et justitia (nam idem Deus justitiæ et creaturæ) primo fuit in rudimentis natura Deum metuens : dehinc per legem et Prophetas promovit infantiam : dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem. Nunc per Paracletum componitur in maturitatem. »

Quarto.

Denique, ex tempore semper transeunte, circulante et evanescente, evidenti demonstratione concludit omnes res, tempori subjectas, cum eo transire, gyrare et evanescere. In rebus enim temporalibus dominatur et regnat tempus. Hinc Varro, lib. IV *De Lingua Latina*, ex Pythagora quatuor statuit rerum principia, scilicet corpus, locum, afflictionem et tempus : « Duo enim sunt, inquit, rerum exordia : status et motus; quod stat aut agitatur, est corpus; ubi agitatur, est locus; quod est in agitatu, est actio. Corpus est ut cursor; locus, stadium; qua currit, tempus; actio, cursio. Quare fit ut omnia sint quadripartita et æterna : nam neque unquam fuit tempus, quin fuerit motus (ejus enim intervallum est tempus); neque motus, ubi non est locus et corpus (quod alterum

Quinto.

est quod movetur, alterum ubi); neque agitatus ubi non sit actio. Igitur initiorum quadrigæ, locus, corpus, tempus et actio. » Hucusque Varro.

Huc facit disceptatio septem Græciæ Sapientum, quam recitat Plutarchus in eorum Convivio. Cum enim Æsopus, rogatus « quid esset antiquissimum, » respondisset : « Tempus. Quid maximum? mundus. Quid sapientissimum? veritas. Quid pulcherrimum? lux. Quid communissimum? mors. Quid utilissimum? Deus. Quid damnosissimum? Genius. Quid robustissimum? fortuna. Quid facillimum? quod suave est. » Thales, nonnulla corrigens et transponens, ita ad singula respondit : « Quid est antiquissimum? Deus; ortu enim caret. Quid maximum? locus; reliqua enim mundus continet, ab hoc continetur. Quid pulcherrimum? mundus; omnes enim ejus partes ordine aptæ sunt. Quid sapientissimum? tempus; id enim alia invenit, reliqua inveniet. Quid communissimum? spes; quibus enim reliqua omnia desunt, hæc adest. Quid utilissimum? virtus; hæc enim reliqua etiam recte utendo utilia facit. Quid damnosissimum? animi vitium; hujus enim præsentia plurima bona corrumpuntur. Quid validissimum? necessitas, ea enim sola est insuperabilis. Quid facillimum? quod est naturæ consentaneum : nam voluptates etiam sunt quæ sæpenumero respuantur. Cum Thaletis dicta omnes approbassent, Cleodemus : Hujusmodi, inquit, Niloxene, quæstiones proponere et solvere regibus convenit. »

Enigma temporis.

Hinc Ægyptii, et veteres mythologi ac philosophi mystici, hæc dabant temporis hieroglyphica et symbola : Stella est temporis hieroglyphicum, quia nihil in mundo toto statam temporis legem observat, quam stellæ et cœli, quæ cum semper moveantur, eodem semper temporis intervallo certisque periodis eo redeunt, unde moveri cœperant. Ita Pierius, *hierogl.* LVI, pag. 536.

Temporis hieroglyphicum stella.

Per populum quoque arborem tempus indicabant, quod arbor ea bicoloribus sit foliis prædita, quibus præcipuas ipsius temporis partes, scilicet diem et noctem repræsentat. Ita Pierius, *hierogl.* LII, pag. 505.

Populus arbor.

Falcem etiam attributam Saturno, cui tempora subjiciuntur, ad significandum tempus nonnulli volunt, quod tempus omnia metit, exsecatque et aufert. Ita Pierius, *hieroglyph.* LVI, pag. 536. Apposite Phocylides :

Falx.

> Temporibus semper cautus servire memento,
> Nec restare velis adversum flamina venti.

Rursum Ægyptii temporis revolutionem significabant per serpentem convolutum, et ore caudam apprehendentem. Audi Claudianum, lib. II *Stilicon.* :

Serpens.

> Est ignota procul, nostræque impervia menti,
> Vix adeunda deis, annorum squalida mater,
> Immensi spelunca ævi, quæ tempora vasto
> Suppeditat, revocatque sinu : complectitur antrum,
> Omnia qui placido consumit numine, serpens,
> Perpetuumque viret squamis, caudamque reducit
> Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.

Et mox :

> Scribit jura senex, numeros qui dividit astris,
> Et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt,
> Ac pereunt, fixis tum legibus ille recenset.

Porro prisci notabant inversores temporum, velut vitæ præposteræ actores et duces. Ita notarunt Heliogabalum, qui trajecit dierum actus noctibus, et nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ, ita ut sero de somno surgeret, et salutari inciperet, mane autem dormiret. Ita Lampridius in ejus Vita. Seneca, *epistol.* 123 : « Sunt, ait, qui officia lucis noctisque pervertunt. Talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. Sunt quidam in urbe antipodes, qui, ut ait M. Cato, nec orientem unquam solem viderunt, nec occidentem. » Et inferius in quemdam lucifugam, qui sub noctem expergiscebatur, diluculo ibat cubitum, ita acute et salse jocatur, ut dicat eum admodum frugaliter vivere, quippe qui nihil insumeret nisi noctem. Et quibusdam illum sordidum et avarum dicentibus : « Vos, inquit, et lychnobium dicetis. » Est autem hæc vox ambigua, significans eum usque adeo non esse avarum, ut etiam lucernas absumeret, vel adeo parcum ut lucernis victitaret. Pericles Tolmidem belli ducem, alieno tempore molientem incursionem in Bœotiam, retinere tentavit dicens : Si non crederet Pericli, at non erraturum tamen, si prudentissimum consiliarium operiretur tempus. Verum Tolmides, respuens sanum consilium, temeritatem luit strage exercitus et sui cæde. Ita Plutarchus in *Pericle.*

Inversores temporum exosi.

Præfectus Adriani Imperatoris nomine Similis, præfecturæ renuntians, septem annos sibi vixit; unde hoc epitaphium suo sepulcro incidi jussit : « Hic situs est Similis, qui multos annos egit, septem autem vixit. » Ita Xiphilinus in *Adriano.*

Moraliter, de pretio temporis.

Tropologice, hic disce quantum sit pretium temporis tam cito transeuntis et avolantis, quantaque ejus habenda sit cura. A tempore enim hoc modico et fugaci pendet æterna nostra salus vel perditio, juxta illud : « Momentum unde pendet æternitas. » Deus enim ab æterno cuique suum præstituit tempus, imo annum, horam et diem, v. g. ut sæculo primo, tali anno, mense, die et hora nascatur, ac post tot annos tali die et hora moriatur S. Petrus, S. Paulus, Nero, Vespasianus, Domitianus; sæculo secundo, S. Ignatius, S. Dionysius, S. Polycarpus, Trajanus, Adrianus, Antoninus; sæculo tertio, Constantius, Constantinus, Diocletianus, Maximianus, etc. Sic cuique hominum præfixit certum sæculum, certum annum, certam diem, quo nasciturus, victurus et moriturus est. Utere ergo, o homo, si sapis, tempore tibi a Deo præstituto et admenso : aliud enim non habebis ex omnibus

sæculorum voluminibus per omnem æternitatem, imo nec horam, nec punctum temporis, quo pœnitentiam agere, merita comparare, et vitam æternam promereri valeas. Suum tempus habuere damnati, sed male expenderunt, et quo lucrari poterant cœlum, acquisivere infernum. Quam vellent nunc sibi dari horam pœnitentiæ! quantos labores et cruces ultro susciperent, si ad vitam redire liceret! Sed frustra, clausa est janua, transiit tempus eorum : tibi adhuc superest, vide ut illud rite expendas, nec sero male expensi te similiter pœniteat. Præclare Hugo Victorinus hic et lib. *De Vanitate mundi*, in fine : « Omnia, ait, tempus habent, videlicet certum et definitum, vel quando incipiant, vel quando finiantur, sive etiam quamdiu subsistant, ut prudens animus in his omnibus non putet aliquid esse, quod semper stare possit, ut in eo fiduciam ponat; sed potius veris et permanentibus bonis se conformans, ita rerum mutabilium vanitatem despiciat, ut licet unaquaque re pro tempore utatur dum præsens est, nunquam tamen in ejus transitu animum a statu suo declinare permittat. Ille enim prudentissimus est, qui sic scit transeuntia in usum vertere, ut tamen non norit in eorum defectu mentem a sua stabilitate declinare. Male ergo fecit, cum quædam sibi quasi potiora ex omnibus ad jucunditatem elegit, et in eis felicem se esse posse credidit, quia et omnia suo tempore bene utenti bona sunt, et tamen omnia, quæ mutabilitati subjacent, licet in miseria qualemcumque consolationem præbeant, felicitatem tamen conferre non possunt. Nihil ergo suo tempore abjiciendum, et nihil non suo tempore eligendum. Sed sic animus ad usum temporis præparetur, ut tamen ad mutabilitatem temporis non mutetur. »

Audi S. Bernardum in *Declamat.* : « Filii hominum, usquequo gravi corde? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Tempus hoc animabus non corporibus est assignatum, dies salutis, utique non voluptatis. Omnia tempus habent : animabus nunc operam dare necesse est. Nam in carne qui seminat, solum exinde metet corruptionem. » Memento illius S. Ambrosii in *Psalm.* I : « Tu dormis, et tempus tuum (non dormit, sed) ambulat. » Circa æternitatem enim volvuntur omnia tempora et sæcula, sicut rota circa axem. Audi et Senecam, *epist.* 120 : « Nihil satis est morituris, imo morientibus; quotidie enim propius ab ultimo stamus, et illo unde nobis cedendum, hora nos omnis impellit. » Et mox : « Ad mortem dies extremus pervenit, accedit omnis. Carpit nos illa, non corripit; ideo magnus animus conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam ut in hac statione, qua positus est, honeste se atque industrie gerat; nihil tamen horum, quæ circa ipsum sunt, suum judicat, sed ut commodatis utitur peregrinus et properans. »

Secundo. *Secundo*, sapientis est omnia facere tempore opportuno, et captare occasiones bene agendi : insipiens enim non observat opportunitatem, ideoque insipienter et præpostere, ac sine fructu laborat et operatur. Vide S. Antiochum, *homil.* 91, cujus titulus est : *Quod semper captanda sit temporis opportunitas.* Sapiens ergo ex animo evellit nimiam et intempestivam agendi sollicitudinem, ac tempus actioni opportunum exspectat, imo a Deo postulat, ut occasiones merendi, et heroicos virtutum actus exercendi sibi suggerat, juxta illud *Ephes.* cap. II, vers. 10 : « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus. » Sapienter Boetius, lib. II *De Consolat.* metro 6 : Sapiens sua facit opportune.

Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus;
Nec quas ipse coercuit,
Misceri patitur vices.

Et Ovidius, lib. I *De Remed. amor.* :

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Hoc ut repræsentarent Poetæ, Occasionem finxere esse deum volubili rotæ, alatis pedibus insistentem, vertigine quadam celerrima se in orbem circumagentem, anteriore capitis parte crinita, ut prehendi posset, posteriori calva, ut teneri nequiret. Unde illud : « Fronte capillata est, a tergo Occasio calva. » Vide dicta *Jerem.* cap. VIII, vers. 7.

Tertio. *Tertio*, nonnulli hæc accommodant inconstantiæ cogitationum et cupiditatum hominis, quibus favent Hebræa, quæ sic habent : *Omni voluntati* (id est cupiditati et voluptati hominis) *suum est tempus.* Hanc inconstantiam graphice hisce versibus depingit Horatius, lib. I *Epistol.* :

Mea sic pugnat sententia secum :
Quod petit hoc spernit, repetit quod nuper omisit,
Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto,
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis :

Quarto. *Quarto*, Nyssenus et Olympiodorus per tempus accipiunt modum sive mensuram, puta auream mediocritatem in omni actione servandam, juxta illud Græcorum : μηδὲν ἄγαν, καιρὸς ἄριστος, id est, *ne quid nimis, occasio res est optima.* Et illud Horatii, libro II *Carm.* ode 10 : Aurea mediocritas.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Apologus temporis. Hanc Salomonis gnomen insigni cicadæ et formicæ apologo, pulchris exemplis illustrato, graphice depingit Cyrillus, lib. I *Apolog. moral.* cap. IV : « In fervore messis, inquit, cantans et quiescens cicada, cum vidisset formicam multo labore granum suis organulis attrahentem, com-

patiens ei dixit : Utquid in tanto æstu, cum natura refrigerativam quietem et humectantem umbram requirat, tu non solum aridam circuis et tempestatem sustines; sed, quod pejus est, gravi onere te occidis? Nonne vides quod ego, in umbra viridi cum jubilo requiescens, in suffocante æstu refrigerantem cordis anhelitum capere vix possum? Quiesce ergo, donec messis transeat incentivum. Cui mox improvidæ provida formica provide respondit : Omnia tempus habent, et suis spatiis universa transeunt sub cœlo (*Eccle.* III, 1). Quamobrem sicut quæque suo loco et tempore agenda sunt, ita et inquirenda. Nam si rei opportunum tempus negligens transierit, cum illo indiguerit, postea minime ipsum reperiet, eo quod hora debita sibi necessaria non quæsivit. Sic ergo, carissima, nobis utendum providentia est, ut vitæ quidem alimenta accommodata illo tempore vigiles colligamus, quando illa naturæ beneficentia, dum hæc quærimus, invenimus. Tempus autem colligendi est messis; unde nunc provide laboribus colligo, ut in arida hieme opulenta requie vivam : tu vero improvida futurum tempus negligens, in instabili puncto quietis nunc existis, imo nunc magis abuteris cantilenis; et cum folium, quo nunc delectaris, quasi umbra transierit, gravis ardor famis simul cum egestate succedet, cum in messe nihil congregaveris. Nonne igitur diro improvidentiæ gladio vitam, quam multum diligis, peremisti?» Deinde hanc gnomen, quod « omnia tempus habent », variis exemplis fontium, zodiaci, solis, terræ, vitis confirmat : « Sed attende, quæso, ut in suis rebus regularitate mirabili providentiæ natura ducatur. Nam venarum plenos fontes in pascuis animalium semper habet, ut, cum necesse fuerit, iis debitum ac præparatum provida distribuat alimentum. Etenim in circuitu zodiaco sol provido ductore conducitur, ut sic provideatur mutatis temporibus, cum providentia gignit. Similiter pro sequenti anno semel suaviores palma dactylos generat; sic et vitis liquorem dulcissimum pari ordine distillat. Ita quoque fontes, qui non semper scaturiunt, terra virtute stellarum, diutina semel humiditate imbuta, profusi cernuntur. Nonne totius naturæ ordo providentia gubernatur? Quid igitur ea spreta, quæ est vitæ tam commoda gubernatrix, futuroque neglecto de præsentibus tantum cogitas? Ego certe, ni fallor, de futuris plus curo. Nam præteritum perdidi, præsens cœli cursu raptissimo jam transivi, et tantum quod superest futurum possideo. » Deinde epimythium, sive finem et fructum apologi subjicit dicens : « His auditis, muta cicada rogavit formicam, ut hæc quid essent definitione monstraret. At illa libenter preces admittens ait : Providentia quidem (si verbum dignum habeo) est hæc : Arte vigili rationis, in hac vita transitoria temporalia juste congregare, et congregata inviolabiliter conservare, ex quibus semper vivas in æterna et gloriosa quiete. Quo dicto, onerata processit ad nidulum suum. »

Exempla.

2. TEMPUS NASCENDI, ET TEMPUS MORIENDI. — Pro *nascendi* hebraice est לָלֶדֶת *laledet*, quod et nasci et gignere significat. Unde Septuaginta, Arabicus, Vatablus, Campensis, Arias et alii vertunt, *tempus gignendi, et tempus moriendi;* Chaldæus vero Costi, *quandoque infinitum est tempus procreationi et soboli, quandoque moriendi.* Rabbini in *Midras* exponunt, *q. d.* Aliquando partus jungitur cum morte, cum scilicet fœtus mox post conceptionem in utero, aut post nativitatem jam in lucem editus moritur. Verum hæc expositio coactior et arctior est, æque ac illa Chaldæi Complutensis, *tempus est electum ad pariendum filios : tempus est ad occidendum filios rebelles et provocatores, ut obruantur lapidibus secundum verbum judicum.* Melius Noster, Pagninus, Syrus, Clarius, Tigurina et alii vertunt, *tempus nascendi;* huic enim directe per antithesin opponitur *tempus moriendi.* Hinc Thaumaturgus vertit, *nata sunt aliqua, dein emoriuntur* (1). Vers. 2.

Salomon suum thema, quod versu primo proposuit, scilicet : « Omnia tempus habent, et suis spatiis universa transeunt sub cœlo, » probat per inductionem variorum exemplorum et contrariorum sibi vicissim succedentium, per quatuordecim eorum combinationes usque ad vers. 8, ubi ex illis infert et concludit, omnia sub cœlo esse vana, nec quidquam ex labore continuo homini relinqui, sed omnia transire et evanescere. Primum exemplum est, quod cuique rei viventi tempus a Deo et natura præfinitum sit nascendi et moriendi. Sicut enim omnibus quæ oriuntur, stata est lex ut occidant et moriantur : sic pariter iisdem statum est tempus oriendi et occidendi, sive nascendi et moriendi. Sic flores, frondes, germina oriuntur in vere, occidunt in hieme. Sic animalia et homines nascuntur in infantia, moriuntur in senecta. Atque hoc tempus ab homine mutari, prorogari, inverti nequit. Frustra ergo laborat senex, ut proroget sibi annos vivendi, recte operandi et merendi, cum illi moriendi instet tempus, ut ita dicam, fatum : qui ergo sapit, dum vivit et viget, accumulet sibi virtutum et bonorum operum merita. Hæc igitur biga nascendi et moriendi est, qua omnes vehimur ad mortem, et per eam ad immortalitatem, vel beatissimam in cœlis, vel miserrimam in gehenna. Tacite ergo hominem monet Salomon, *q. d.* Scias, o homo,

(1) Recte D. Hieronymus : « Incertum et fluctuantem statum conditionis humanæ in superioribus docuit : nunc vult illud ostendere, omnia sibi in mundo esse contraria, et nihil stare perpetuum eorum quæ sub cœlo sunt et intra tempus. » Omnia in orbem volvuntur et sibi invicem succedunt. Tempore procedente una generatio nascitur, alia moritur, ut hac ratione una generatio ex hujus orbis terræ theatro discedens alteri jam succrescenti det locum; est et perpetua arbores plantandi et ariditate vel senio consumptas evellendi vicissitudo; diruimus vetera ædificia, ex iisdemque lapidibus nova exstruimus.

qui natus es in mundo, tibi moriendum esse et exeundum de mundo; para te ergo, et virtutum opera compara, quæ post mortem judici Christo offeras, ut propter ea ab illo cœlo adjudicari, non vero ad gehennam damnari merearis. Hoc ut innueret Moses Genesi, id est ortui rerum, subjunxit Exodum, id est exitum et occasum, ait Nyssenus et Olympiodorus. Igitur Salomon hæc dicit eo fine : « Ut temporariæ vitæ nos admoneat, » ait Olympiodorus; « ut mentione mortis velut quodam stimulo eos expergefaciat, qui in carnalis vitæ profundum sunt immersi, et ad curam futurorum excitet, » ait Nyssenus. Rursum nativitati subjungit mortem, quasi nullum sit tempus vivendi medium, ut innuat mox a nativitate hominem tendere ad mortem, et incipere mori, juxta illud : « Nos nati continuo desivimus esse, *Sapient.* cap. v, 13, quia quot horis jam nati vivimus, totidem quasi passibus pergimus ad mortem. Ita « nascendo morimur, moriendo vivimus omnes. » Quid est vita? assiduus cursus ad mortem. Quid mors? transitus ad immortalitatem.

Tropologice S. Hieronymus : Spiritualiter renascimur, ait, per timorem, juxta illud *Isaiæ* cap. XXVI, 18, juxta Septuaginta : « A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus et peperimus spiritum salutis; » morimur vero per amorem : dum enim crescimus ad amorem Dei, moritur timor, juxta illud : « Perfecta charitas foras mittit timorem, » I *Joan.* IV.

Symbolice Hebræi : « Israeli, inquiunt, sive Synagogæ et populo Hebræorum tempus nascendi fuit, cum in Ægypto post mortem Joseph succrescere cœpit, » *Exodi* I, de quo *Ezechiel.* XVI, 4, ait : « Quando nata es, in die ortus tui. » Tempus moriendi fuit, cum in captivitate Assyriaca, Babylonica et maxime Romana, respublica Judæorum eversa et dispersa quasi interiit. Unde *Ezech.* XXXVII, 12, captivitas Judæorum comparatur sepulcro, captivi ossibus aridis, reduces in patriam resurgentibus. Melius primi christiani nascebantur in Ecclesia per baptismum, moriebantur gloriose per martyrium. Eis ergo tempus nascendi erat baptismus, moriendi martyrium.

Denique tempus nascendi Ecclesiæ Christi et Christianorum fuit tempus moriendi Synagogæ Judæorum; tunc enim hæc periit, cum illa nata mox peperit, adeoque cum ex sterili Ecclesia natus est gentilium populus, amisit filios Synagogæ, ait S. Hieronymus, in cap. V *Michææ.*

TEMPUS PLANTANDI, ET TEMPUS EVELLENDI (Hebraice, *eradicandi* vel *exstirpandi.* Sic et Syrus et Arabicus) QUOD PLANTATUM EST. — Campensis, *nunc amputamus quæ olim ut adolescerent curavimus;* Chaldæus, *tempus consitionibus et evulsionibus arborum suum est.*

Post opus naturæ (tempus scilicet nascendi et moriendi) subnectitur opus artis et artificis cooperantis naturæ, ait Hugo, puta tempus plantandi arbores, frutices, herbas, ut caules, betas, brassicas, etc., ac tempus eas evellendi, ut novæ plantentur. Tempus singulas plantandi juxta ortum certorum siderum, præsertim lunæ, ventorum, pluviarum, serenitatum, etc., exacte describit Columella, lib. II *De Re rustica,* cap. VIII et seq., ac Varro, lib. I, cap. XXVII et seq. Ita Chaldæus, Thaumaturgus et alii. Quare quod S. Hieronymus et Albinus exponunt, tempus plantandi esse tempus nascendi, et tempus evellendi esse tempus moriendi, quod præcessit, non litterale est, sed mysticum.

Tropologice, tempus plantandi virtutes est, cum statis temporibus oportet nunc vacare pœnitentiæ, ut in Quadragesima; nunc lætitiæ spirituali, ut in Paschate; nunc operibus eleemosynæ, ut tempore pestis, famis, belli; nunc patientiæ, ut tempore morbi, tentationis, persecutionis; nunc operibus vitæ activæ, nunc contemplativæ, prout obedientia vel necessitas ea requirit, et alternis injungit, ut sæpe oporteat relinquere Deum propter Deum, id est orationem propter actionem. Obedienti ergo nunc quies contemplationis plantanda est, nunc evellenda, et cum actione commutanda, cum id obedientia exigit. Rursum tempus eradicandi zizania est, cum concupiscentiæ, suggestiones dæmonis, ac tentationes carnis et mundi ex imaginatione et appetitu evellendæ sunt.

Symbolice Hebræi, inquit S. Hieronymus, hasce omnes combinationes referunt ad Synagogam et populum Israel : « Tempus, inquit, generandi et plantandi Israel, tempus moriendi et ducendi in captivitatem. Tempus occidendi eos in Ægypto, et tempus de Ægypto liberandi. Tempus destruendi templi sub Nabuchodonosor, et tempus ædificandi sub Dario. Tempus flendi et plangendi eversionem urbis, et tempus ridendi atque saltandi sub Zorobabel, Esdra et Nehemia. Tempus dispergendi Israel, et tempus in unum congregandi. Tempus quasi cingulum et balteum circumdandi Deo populum Judæorum, et tempus ducendi eos in Babylonicam captivitatem, et ibi computrescere trans Euphratem. Lege περίζωμα Hieremiæ. Tempus quærendi illos et servandi, et tempus perdendi illos et projiciendi. Tempus scindendi Israel, et tempus iterum consuendi. Tempus tacendi Prophetas nunc in captivitate Romana, et tempus loquendi eos tunc, quando etiam in hostili terra Dei consolatione et alloquio non carebant. Tempus dilectionis, qua eos sub patribus ante dilexit; et tempus odii, quando in Christum intulerunt manus. Tempus prælii, modo non agentibus eis pœnitentiam; et tempus pacis in futuro, quando intrante plenitudine gentium omnis Israel salvus erit. »

Anagocice, tempus plantandi choros beatorum in cœlo, et reprobos eradicandi e terra, ut detrudantur in gehennam, ibidem perpetim arsuri, erit dies judicii; tunc enim « omnis plantatio, quam non plantaverit Pater meus cœlestis, eradicabitur, » ait Christus *Matth.* XV, 13

Vers. 3. 3. TEMPUS OCCIDENDI, ET TEMPUS SANANDI. — Syrus, *tempus ad occidendum, et tempus ad vivificandum*; Thaumaturgus, *quæ nunc curabilia, dein lethalia fiunt.*

Primo, Hugo Victorinus : Tempus occidendi, inquit, oves et boves est, cum eos mactamus, ut eorum carnibus a Deo, ob corporum post diluvium debilitatem, indultis vescamur; tempus sanandi est, cum iis in Quadragesima et jejunio abstinemus, eos servamus et quasi sanamus.

Secundo et genuine, tempus occidendi est, cum reus a judice ad mortem damnatur, item cum hostes justo prælio invaduntur; tempus sanandi, cum in prælio, aliave re læsi, infirmique curantur, cum damna bello illata per pacem resarciuntur. Unde Arabicus vertit, *tempus certandi, et tempus medendi*; et Chaldæus, *tempus sæpe expostulat omnia flammis et ferro miscere; aliud vero male habentibus mederi,* puta quo ægri curandi sunt.

Vers. 4. 4. TEMPUS FLENDI, ET TEMPUS RIDENDI. TEMPUS PLANGENDI, ET TEMPUS SALTANDI. — Arabicus, *fletui tempus, et risui tempus. Conquerendi tempus, et saltandi tempus*; Chaldæus, *tempore suo deflendi sunt ægri, et alio tempore hilaritate et risu colligendus est amicus. Statuta die lugendi sunt mortui, et alia die gaudio exultandum est;* Thaumaturgus, *lacrymatur, paulo post ridetur; nunc luctus, dein et tripudium;* Campensis, *interdum mœsti lugemus, interdum lætitia subsilimus;* Lyranus, *tempus flendi est,* inquit, *in infortuniis, tempus ridendi in eufortuniis.* Tempus ergo flendi et plangendi est in luctu, ob funera parentum vel amicorum, ob clades privatas vel publicas, ob pericula et adversa quælibet. Tempus ridendi et saltandi est in publica lætitia, puta in triumphis, victoriis, festis, epulis, nuptiis; ubi nota, flere et ridere est privatum, plangere et saltare publicum. Sensus ergo est, *q. d.* jam planges in funere, jam saltabis in convivio; jam efferes ad funus tuam uxorem, jam aliam nuptiis secundis assumes; nunc funeralia convivia, nunc celebrabis nuptialia. Sic omnia contrarietatibus plena sibi succedentibus, et ex disparibus nexa catena, viduitas cum nuptiis, sessitatio in pulvere tempore planctus, et saltatio atque tripudium lætiori tempore, publicoque gaudio, ait noster Pineda. Advertit Nyssenus in *Caten. Græc.*, κοπετόν, id est, planctum seu pectoris tunsionem, intensionem addere in fletu et ejulatu; et ὄρχησιν, id est saltationem, addere intensionem et amplificationem in lætitia foras erumpere gestiente, atque tripudio exsultanti.

Nota choros et choreas ex se non esse illicitas, imo subinde esse sanctas, uti fuere Davidis saltantis ante arcam ex jubilo mentis in honorem Dei, II *Reg.* VI, 14 et 16; et Hebræorum in gratiarum actionem ob transitum maris Rubri, et submersum Pharaonem, *Exodi* cap. XV, 20; item illæ feminarum ob cæsum a Davide Goliath, I *Reg.* XVIII, 6. Imo jusserat Deus, ut Hebræi quotannis celebrarent festum Tabernaculorum sacro tripudio, ac saltarent in tabernaculo coram Domino, uti ostendi *Levit.* XXIII, 40. Sic a saltu sacro gentiles Romæ celebres erant Salii, in Creta Curetæ, in Phrygia Corybantes.

Verum magnus in choreis adhibendus est modus, ne in lasciviam et luxuriam abeant. Unde Judæis carnalibus permissæ sunt potius quam Christianis. Quare in choreas Christianorum invehuntur acriter omnes fere Patres, ut S. Basilius, homil. 14 *Contra Ebriet.*; S. Ambrosius, lib. *De Elia et Jejun.* cap. XVIII; S. Augustinus, serm. 215 *De Temp.*; S. Chrysostomus, hom. 48 et 56 *in Genes.*, et 49 *in Matth.*; Clemens Alexandrinus, II *Pædag.* XX; Eusebius, XIII *De Præpar.* cap. XII; Lactantius, VI *Institut.* XX, et alii. Quin et contra eas exstant leges Imperatorum, ut Constantini apud Eusebium in *Vita* ejus, cap. XVIII; Theodosii et Valentini, *De Spect.* cap. V; Arcadii, leg. *Omnes,* cap. *De feriis;* Leonis et Anthemii, ibidem leg. ultim. Multo magis eas vetant leges Canonicæ, *De Consecr.* dist. I, cap. *Qui diebus,* et dist. III, cap. *Irreligiosa.* Quocirca Matthæus Clingius in *Locis Theolog.* cap. *De Chorea* : « Quid, inquit, est chorea? Est circulus cujus centrum est diabolus, et circumferentia omnes angeli ejus. »

Tropologice S. Hieronymus : « Nunc inquit, flendi tempus est, in futuro ridendi. Beati enim flentes, quoniam ipsi ridebunt, *Lucæ* VI. Plangendum est impræsentiarum, ut postea saltare valeamus illa saltatione, qua saltavit David ante arcam : quia qui in præsenti sæculo sua plangit peccata, ridebit potius in futuro, » juxta illud *Malach.* cap. IV, 2 : « Egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. » Et Didymus in *Catena Græc.* . « Tempus præsentis vitæ, ait, flendo opportunum est, tempus vero ridendi in spe jacet. »

Nota in hisce antithesibus indicari ordinem contrariorum : prius enim est tempus flendi, posterius ridendi. Sic prius est tempus nascendi, deinde moriendi : prius est tempus plantandi, deinde evellendi : prius tempus tacendi, deinde loquendi, et ita de cæteris.

Vers. 5. 5. TEMPUS SPARGENDI (Hebraice, *projiciendi;* Septuaginta, *mittendi;* Syrus, *jaciendi*) LAPIDES, ET TEMPUS COLLIGENDI. — Campensis, *nunc diruimus vetera ædificia, nunc nova construimus* : mirum est aliquos pro *lapides* substituere *fructus;* unde Thaumaturgus vertit, *nunc terræ fructus quis congregat, dein abjicit.* Jam

Tempus spargendi lapides est, cum diruuntur domus, cum ex agro, horto, vinea lapides abjiciuntur, ne semina, herbas et plantas suffocent: tunc ergo ager elapidatur, cum lapidibus liberatur et purgatur. Tempus colligendi est, cum iidem lapides colliguntur et in acervum adunantur, ut ex iis fiat sepes aut murus agro, horto vel vineæ contra bestias et fures tutando.

Secundo, Arboreus hanc gnomen arctat ad fabricas Salomonis, quas nunc ædificarit, nunc destruxerit : sicut et hodie videmus homines opu-

lentos sæpe domum, quam ædificarant, destruere, hoc solo homine, quod forma displiceat, ac novam novæ formæ velint exædificare : quæ sane sumptuosa est vanitas et inconstantia.

Tertio, Cajetanus per lapides accipit pretiosos, puta gemmas, *q. d.* Tempus est colligendi gemmas et ornamenta, ac tempus est projiciendi illa, puta in tempore vastitatis et excidii, juxta illud *Thren.* IV, 1 : « Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. » Rursum, *q. d.* Hoc sæculo parvi fiunt gemmæ, et quasi sparguntur; mox alio sæculo colliguntur, magnoque habentur in pretio. Æstimatio enim hominum dat pretium gemmis, æque ac medalliis; cumque illa sæpe variet, hinc sæpe variatur pariter pretium gemmarum.

Quarto, profundius Pineda hoc refert ad lapides sacculi, puta ad pondera quibus merces et nummi ponderabantur : hæc enim olim erant lapidea et lapides, *Proverb.* XVI, 11, *q. d.* Est tempus quo homo vacet mercaturæ, ideoque colligat lapides, id est pondera quibus suas merces æque ac nummos ponderet et mensuret. Vicissim est tempus, quo hominem jam opulentum et senem tædet mercaturæ, cupitque quietus sibi vivere et Deo, ideoque spargit abjicitque lapidea hæc pondera.

Tropologice Auctor *Catenæ Græc.*: Lapides, ait, sunt virtutes quibus vitia lapidamus et obruimus. « Quid enim aliud est temperantia, quam lapis, quo effrenis adhinniensque animæ affectus deturbatur atque prosternitur. Rursum lapides sunt sermones S. Scripturæ, quibus hostem dejicere et obruere possimus : eosdem tamen in sinum animæ recolligere nos jubet, ut opportuno tempore illis in adversarios utamur, ut ejusmodi lapidum jactus nullo unquam tempore deficiant, neque unquam succumbamus. »

Symbolice, *primo*, S. Hieronymus refert nonnullos, qui sic exponunt, *q. d.* Legi severitatis successit lex clementiæ, puta legi veteri lex nova. In lege enim veteri rei adulterii aliorumque criminum jubentur lapidari : lex nova vero hunc rigorem legis veteris sustulit, cum Christus adulteram absolvit, et Pharisæis eam lapidare volentibus dixit : « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, » *Joan.* cap. VIII, 7. Verum ipse hanc expositionem non probat, scilicet ut litteralem : ut mystica enim admitti potest.

Allegorice S. Hieronymus : Hoc tempore, inquit, lapides, id est corda Judæorum lapidea dispersa sunt a Christo, fide, veritate, salute ; sed in fine mundi colligentur, cum ad Christum convertentur, et universi congregabuntur.

Anagogice, lapides electi sunt sancti, quos Deus mittit in mundum, ut illum sanctificent; colligit vero, cum eos ad se per mortem recipit, ne videant mala gentis suæ, utque cœlestem Jerusalem ædificent, ait S. Gregorius, III *Dialog.* cap. XXXVII, in fine.

TEMPUS AMPLEXANDI, ET TEMPUS LONGE FIERI AB AMPLEXIBUS. — Arabicus, *separandi*. Communiter interpretes accipiunt amplexum conjugum, usumque matrimonii, *q. d.* Nunc tempus est dandi operam procreandis liberis, nunc abstinendi et continendi, cum scilicet vacandum est orationi, pœnitentiæ, jejunio (ut in Quadragesima), juxta illud I *Corinth.* VII : « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. » Item cum uxor est ægra, patitur menstrua, senex est, abest, etc. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Hugo, Bonaventura, Lyranus, Dionysius et cæteri fere omnes. Sic Noe cum filiis omnibusque animalibus in arca abstinuit usu conjugii, ob communem in totius mundi per diluvium subversione luctum, uti dixi *Genes.* VIII, 16. Hinc Chaldæus, *suo tempore ad uxorem est aditus; septem vero diebus luctus ab ea recedendum est.* Sic Saræ dixit Tobias sponsæ suæ, capit. VIII : « Exsurge, et deprecemur Deum hodie et cras et secundum cras, quia his tribus noctibus Deo jungimur; tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio : filii quippe sanctorum sumus. » Accedit Vatablus qui sic exponit, quod contrahamus matrimonium, aut non, sed maneamus cælibes, hoc pendet a Deo; matrimonium habet suum tempus.

Paulo aliter Thaumaturgus : *Nunc*, ait, *vir mulierem deperit, atque insano amore complectitur; nunc eam impense odit et aversatur*, præsertim post copulam, cujus rei physicam causam dat Aristoteles et physici, uti post eam exosam habuit Thamar Amnon, « ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat, » II *Reg.* XIII, 14. Hinc Campensis hoc loco vertit, *nunc operam damus amplexibus, nunc ad amplexus nauseamus.*

Secundo, Hugo, Pineda amplexum accipiunt amicorum et amicitiæ, *q. d.* Nunc tempus est amplexandi amicos colendique amicitiam; nunc ab iis abstinendi, ut cum absunt, moriuntur, vel infideles deprehenduntur, *q. d.* Instabilis est hominum amicitia, in eaque est vanitas vel mortis, vel absentiæ, vel perfidiæ, vel mœstitiæ. Stabilis vero est cum Deo, in eaque est veritas, sinceritas, constantia et beata æternitas. Illi ergo inhære, et « in illo veterasce, » *Eccli.* II, 6.

Allegorice, tempus amplexus et conjugii fuit in lege naturæ et Mosaica, cum dictum est : « Crescite, et multiplicamini, » *Gen.* I. Tempus vero continentiæ est in lege nova, cum dicitur : « Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, » *Matth.* XIX. « Quia præcepti veteris (Testamenti) est, ut terra procreationibus impleretur : novi vero, ut continentia atque virginitate cœlum impleatur, » ait S. Isidorus, lib. II *De Offic. Eccles.* cap. XVII. Sic et S. Hieronymus et Olympiodorus.

Symbolice, tempus suum est vacandi sapientiæ, contemplationi et amplexibus Dei cum Maria; tempus pariter abstinendi eis, ut vacetur actioni cum Martha, puta ut serviatur necessitatibus

corporis vel saluti proximorum. Ita S. Hieronymus et Hugo. Sic Moyses accepturus legem per 40 dies in monte collocutus est cum Deo; at postea peccante populo et idololatrante, descendit, ut eum corrigeret, *Exodi* XXXII, 7.

Vers. 6. 6. TEMPUS ACQUIRENDI (Hebræa, *quærendi*), ET TEMPUS PERDENDI. — Arabica, *jacturam faciendi tempus*; Chaldæa, *tempus est electum ad quærendam pecuniam, et tempus est electum ad perdenda supellectilia*; Campensis, *nonnunquam magno studio quærimus, quod paulo post perdamus.*

Primo. *Primo*, Hebræi hoc arctant ad Davidem et Salomonem, *q. d.* Tempus acquirendi tribui Judæ regnum Israel fuit sub Davide, tempus illud perdendi fuit sub Roboam filio Salomonis ob ejus idololatriam, III *Reg.* XII.

Secundo. *Secundo*, Olympiodorus, *q. d.* Tempus est quo rem tuam perdas, et tempus est quo perditam rursum invenias, ut sit hysteron proteron. Primo enim ponitur τὸ *acquirendi*, deinde *perdendi*, cum in reipsa prius sit perdere, quam perditum acquirere.

Tertio. *Tertio*, Thaumaturgus, Nyssenus, Lyranus, Hugo, Bonaventura et alii hæc adaptant mercatoribus et lucra captantibus, *q. d.* Est tempus, cum mercatores lucra acquirant, est cum eadem perdant, ut cum naves mercium patiuntur naufragium, aut capiuntur ab hostibus, vel merces ipsæ corrumpuntur, aut ob aliarum appulsum minoris veneunt. Suadet ergo, ait Pineda, ut æquo jacturas animo patiamur, et sive cum fortuna, sive potius cum Deo supremo rerum arbitro et gubernatore lucri et jacturæ societatem ineamus, in rerum temporalium negotiatione et possessione. Nam « si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? » Temperanda lucri lætitia cum amissionis et jacturæ ægritudine. Itaque ut ille alius sapienter dicebat: « Fortunæ objicienda animi confidentia, et perturbationi ratio. » Neque magni facienda fortuna, quæ « non tam dono quam mutuo dat, » pro libito repetitura. « Non est enim valde optabilis (ut refert ex Lacone quodam Cicero) fortuna aptata rudentibus, » rei nimirum inconstanti, et vel cum ventis, vel cum fluctibus mille semper in discriminibus versanti.

Quarto. *Quarto* et genuine, τὸ *perdendi* hic verbum est, non neutrum, sed activum, ut idem sit quod corrumpere, abjicere, dissipare; hoc enim significat Hebræum אבד *abbed*. Et sic eadem pene hæc est combinatio cum sequenti: « Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi, » *q. d.* Est tempus, cum res, puta annonam, fruges, opes compares et acquiras; est rursum tempus, cum easdem perdas et prodigas, ut cum ingruit tempestas in mari, pestis in terra, hostis in urbe. Rursum cum fruges ipsæ sunt corruptæ, aut cum alia de causa res nostras fastidimus, ideoque eas abjicimus et flammis tradimus. Ita S. Hieronymus, Albinus et alii.

Mystice S. Athanasius, tract. in illud: *Profecti in pagum, qui ex adverso est, invenietis pullum, primo*, exponit de Christo, *q. d.* Christus quæsivit hominem peccato Adæ perditum: « Quia, inquit, jam longo tempore perditum erat genus humanum, et peribat diaboli fraudibus. Tempus enim quærendi venit, et eximendi e captivitate. » *Secundo*, de peccatore pœnitente, *q. d.* Require per pœnitentiam, quod perdidisti per culpam; aut, *q. d.* Acquire gratiam, perde peccatum. *Tertio*, de justo, quasi dicat: Ut acquiras animæ salutem, perde et mortifica ejus concupiscentiam; ut acquiras virtutes, perde vitia; ut acquiras cœlum, perde terram; ut acquiras spiritualia, perde temporalia, juxta illud Christi: « Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam, » *Matth.* X, 39; « ut scilicet tempore martyrii neque possessionibus, neque liberis, neque parentibus, neque corpori, ne ipsi quidem animæ parcitum velimus, sed nos offeramus usque ad mortem, ut inveniamus animam nostram in regno cœlorum. Qui igitur vult invenire animam suam, perdat eam in hoc tempore. Necessum est ergo in nobis perdi malitiam, ut quærentes virtutem eam inveniamus. Si quis enim non conquieverit ab ira, quomodo ad mansuetudinem exercebitur? Si quis a se non exterminarit fornicationem, quomodo is ausit temperantiam profiteri? Quæsivi, inquit, quem diligit anima mea, quæsivi et inveni eum, et introduxi illum in domicilium matris meæ, et in cellam genitricis meæ. » Hucusque S. Athanasius.

Rursum Auctor *Catenæ Græc.*: « Tempus, ait, acquirendi universa hæc vita est; acquirendi, inquam, Dominum, quem quærere nos oportet; e contrario autem id amittere debemus, cujus possessio jactura, cujus amissio lucrum est. »

TEMPUS CUSTODIENDI, ET TEMPUS ABJICIENDI. — Syrus, *tempus ad connectendum est, et tempus ad solvendum*; Thaumaturgus, *nunc anxia servat custodia, quod dein fastidiens sponte projicit, q. d.* Est tempus, cum res tuas custodias; est vicissim tempus, cum eas abjicias, cum scilicet corruptæ sunt, aut imminet tempestas, pestis, mors, hostis, latrones, etc., uti jam dixi. Arctius Campensis: *Nonnunquam*, ait, *comparcimus, quod postea dilapidemus.* » Alienius Olympiodorus: Dispensator, ait, novit quo tempore pecunias apud se custodiat, quo expendat. Alii: Novit liberalis quando pecunias servet, quando eas in pauperes eroget.

Tropologice tempus custodiendi opes est, cum juvant ad alendam familiam, et virtutem eleemosynæ operandam; tempus eas abjiciendi est, cum nocent animæ, eamque incitant ad gulam et luxuriam, aut studio orationis et perfectionis avocant: unde Christus ad adolescentem: « Si vis, ait, perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, » *Matth.* cap. XIX, 21. Ita Hugo.

Mystice Hugo Victorinus: Tempus est, ait, cum

Deus suos fideles a tentationibus et periculis custodit : rursum tempus est, cum eos illis exponit et objicit, vel in pœnam peccati, vel ut probet et augeat eorum patientiam, fidem et virtutem.

Vers. 7. 7. TEMPUS SCINDENDI (alii, *lacerandi*), ET TEMPUS CONSUENDI. — Arabicus, *tempus abscindendi, et tempus consuendi* ; alii, *suendi* ; alii, *resarciendi* ; Campensis, *quandoque discerpimus quod olim consuimus* ; Chaldæus, *die sua super mortuo vestis conscindenda, et tandem etiam fractura est sarcienda.*

Tempus scindendi vestes Hebræis erat in gravi clade, vel audita blasphemia quapiam, uti Caiphas scidit vestes suas Christo asserente se esse Filium Dei, dicens : « Blasphemavit, » *Matth.* cap. XXVI, 65. Vice versa cessante clade vestem laceratam consuebant. Tempus ergo scindendi est tempus luctus, tempus consuendi est tempus lætitiæ et gaudii. Rursum, ut vestis quæpiam conficiatur, pannum apposite ad corpus scindere, deinde consuere oportet; ad hæc ut ex una veste alia concinnetur, v. g. ut ex tunica fiat thorax, eam scindere et pectori aptare, ac deinde sarcire necesse est : sic Deus, qui fuit primus mundi sartor, Adæ e pellibus consuit tunicam, *Genes.* cap. III.

Minus apte Thaumaturgus hæc refert ad scissionem corporis, *q. d.* Est tempus, quo corpus gladio conscindas et vulneres in bello, vel judicio ad puniendum crimen ; est rursum tempus, quo illud conscissum redintegres, et quasi consuas. Alienius quoque Didymus in *Catena Græc.* : « Homo, inquit, jam occidit, jam occiditur. »

Mystice Hebræi : Tempus, inquiunt, scindendi regnum Israel fuit sub Roboam, quo decem tribus ab eo desciscentes regem constituere Jeroboam, III *Regum* XII. Tempus consuendi erit, cum in fine mundi omnes Israelitæ conversi ad Christum, in unam Ecclesiam et regnum nunquam discindendum conspirabunt, *Ezech.* XXXIV, 29.

Symbolice Hugo Victorinus hæc refert ad fœderis et amicitiæ copulationem et dissociationem : « Habet enim, inquit, consutionem suam tempore suo consensus socialis : habet et scissionem in tempore suo zelus justæ contradictionis. »

Sublimius idem Hugo inferius hæc refert ad copulationem naturæ et gratiæ : « Ea, inquit, quæ scinduntur substantialiter unum sunt ; ea vero quæ consuuntur essentialiter quidem diversa sunt, sed mediante vinculo fili quasi accidentaliter unum fiunt. Sic enim omnis homo corruptibilibus et perituris unitur per naturam ; sed efficitur particeps æternorum per gratiam. Sic quippe consuuntur humana et divina in unum, ut quæ duo fuerant per naturam, fiant unum per gratiam. Compunctio siquidem ipsa acus est, et dilectio filum. Et facit viam acus et perforat utrumque, ut filum utrumque contineat ; neque enim consutio aliter fieri potuisset, nisi utrumque foraretur et utrumque contineretur, quia discederet alterum ab altero, et facile se ab unitate divideret, si utrumque vinculum non contineret. Propter hoc utrumque perforat acus compunctionis, et filum dilectionis connectit utrumque, ut stent simul et non discedant ab invicem. »

Rursum tempus scindendi est tempus excommunicandi, quo peccator impœnitens abscinditur ab Ecclesia, ut per hanc pœnam et infamiam pœniteat, itaque rursus Ecclesiæ assuatur et uniatur, uti Paulus fornicarium abscidit, et pœnitentem rursum assuit Ecclesiæ, I *ad Corinth.* cap. V, et II *Cor.* II. Ita Auctor *Catenæ Græcorum.*

Allegorice discissum fuit Christi corpus in passione, consutum in resurrectione. Idem fiet nobis.

Tropologice, scindimus corda per pœnitentiam et resecationem vitiorum, consuimus per novæ vitæ virtutumque texturam. Rursum societatem cum hæreticis vel improbis discindimus, ac catholicis probisque sociamur, dum iniquos contractus rescindimus et æquos inimus. Denique Arius laceravit tunicam, id est Ecclesiam Christi, quam S. Athanasius rursum consuit, uti S. Petro Alexandrino Episcopo Christus per visum ostendit. Vide ejus Vitam apud Surium, 26 novembris.

TEMPUS TACENDI, ET TEMPUS LOQUENDI. — Chaldæus Complutensium, *tempus est electum ne proferantur verba contentionis, et tempus est electum ad proferendum verba contentionis.* Chaldæus vero Costi sic habet, *aliquando ponendus est orationi et precibus modus ; alias vero contentione verborum utendum.* Refert ergo ipse hæc ad precum studium vel silentium. Didymus in *Catena Græc.* : « Homo, ait, jam loquitur, jam tacet. » Tempus tacendi est in schola, in precibus, in concione. Rursum cum superior, præceptor vel senior loquitur, subdito, discipulo et juveni tacendum et auscultandum est; cum doctor vel concionator jam senex voce, memoria, facundia, gratia destituitur, taceat, ac lampadem munusque loquendi, docendi et prædicandi resignet juniori iis pollenti. Tempus loquendi est doctori, cum docendum est; prædicatori, cum prædicandum; superiori, cum monendus vel corripiendus est subditus; pari, cum consilium, consolationem, vel directionem impendere debet proximo. Hinc Salonius : « Verba tua, inquit, tantisper silentio premes, donec commoda loquendi sese offerat occasio. » Audi S. Hieronymum : « Pythagoricos reor, quorum disciplina est tacere per quinquennium, et postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti. Discamus itaque et nos prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus. Sileamus certo tempore, et ad præceptoris eloquia pendeamus. Nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. Nunc vero pro sæculorum quotidie in pejus labentium vitio, docemus in Ecclesiis quod nescimus. Et si compositione verborum, vel instinctu diaboli, qui fautor errorum est, plausus populi excitaverimus contra conscientiam nostram, scire nos arbitramur, de quo aliis potuimus persuadere. Omnes artes absque doctore non

discimus; sola hæc tam vilis et facilis est, ut non indigeat præceptore. »

Silentium docet loqui. Hac de causa Salomon præponit tempus tacendi tempori loquendi, quia tacendo discimus loqui. Quocirca Hugo Victorinus, lib. *Institut. moral.* XVI: « Non ait Salomon, inquit, tempus loquendi et tempus tacendi, sed tempus tacendi et tempus loquendi; quia prius in silentio forma loquendi sumitur, quæ postmodum tempore loquendi in Gnomæ. voce teneatur. » Unde S. Basilius, in *Regul. fus.* cap. XIII : « Silentium, ait, est gymnasium bene loquendi. » Et B. Diadochus, lib. *De Perfect. spirit.* cap. LXX : « Præclara ergo res, inquit, est silentium, nihilque aliud quam mater sapientissimarum cogitationum. » Rursum S. Hieronymus in *Regul. monach.* cap. XXII : « Ex hoc enim, inquit, in eremo edocti S. Patres, summa cum diligentia observant silentia tanquam sanctæ contemplationis causam. » Et S. Bernardus, *epistol.* 88 : « Juge silentium, et ab omni strepitu sæcularium perpetua quies, cogit cœlestia meditari. » B. Dorotheus, *serm.* 20 : « Cave a multiloquio : hoc enim sanctas ac rationabiles et a cœlo advenientes cogitationes penitus exstinguit. » Denique silentium docet facere id quod jubet S. Bernardus in *Specul. Monach.* : « Antequam verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. » Et illud S. Augustini : « Omne verbum prius veniat ad limam, quam semel ad linguam. » Albertus Magnus, lib. *De Virtut.* cap. XXXI : « Ubi non est taciturnitas, ibi homo facile ab adversario superatur. »

Plura hac de re dixi *Proverb.* XXV, 11, et *Eccli.* cap. XX, 6 et 7, ubi citavi S. Gregorium et S. Ambrosium, hunc locum exponentes. Pluribus exemplis idipsum confirmat Zozimus Papa, ut habetur dist. 36, cap. *Qui Ecclesiasticis* : « Hinc etiam, ait, idem Salvator noster, prius in medio doctorum sedit, audiens illos et interrogans, et postea prædicare cœpit : quia prius quisque discere, et postea prædicandi officium usurpare debet. Hinc etiam Salomon ait prius tempus tacendi, et postea loquendi : quia veritas prius tacendo discitur, et postea loquendo prædicatur. Hinc idem Dominus ait : Qui audit, dicat : Veni. Hinc etiam prius Apostolos docuit, deinde eos ad prædicandum misit, dicens : Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Sic etiam prius post resurrectionem illis sensum aperuit, et Scripturas explanavit, et postea dixit eis : Euntes in mundum universum, » etc.

Scopus sententiæ. Porro, Salomon hanc gnomen ponit hoc fine. Primo. *Primo*, ut ostendat vanitatem sapientiæ et facundiæ, ob quam non raro superbiunt viri docti et eloquentes, præsertim doctores et prædicatores, cum ob dicendi gratiam plausum habent, et post se trahunt greges auditorum et discipulorum, qui ab ore eorum pendent. Hisce enim succedit tempus tacendi, cum ob senium, morbum aliamve causam defloresci hæc docendi dicendique gratia, aut cum supervenit alius doctor vel concionator magis disertus, quem populus priore relicto sequitur : qua in re sæpe naufragium et auditorum, et nominis, et tranquillitatis patiuntur concionatores, qui proinde si vanam hanc populi auram sectentur, miserrimi sunt : illa enim instar venti mutatur, et nunc hunc nunc illum sequitur, priorem deserens. Qui ergo sapit, hoc munus obeat pure ex obedientia et amore Dei, ac cum S. Francisco eadem quiete animi, et eadem alacritate concionetur paucis et multis, plebeiis et nobilibus; magnum cogitet se habere auditorem Deum, ac de eo dicat id quod Plato de Aristotele : « Hic unus mihi sufficit : pluris enim est, quam mille alii. »

Secundo, ut doceat prudentem prudenter distinguere tempus quo tacendum est, et quo loquendum; quare cum fructu loqui et tacere : cum imprudens utrumque pervertat, ac loquatur cum tacendum esset, et taceat cum loquendum foret, ideoque sine fructu, imo cum damno tam suo quam proximi loquatur vel taceat, juxta illud : « Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabunt tempus, *Eccli.* cap. XX, vers. 6. Ita S. Gregorius, III part. *Pastor.* admon. 15 : « Tempus tacendi, inquit, et tempus loquendi : discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. » Secundo.

8. TEMPUS DILECTIONIS, ET TEMPUS ODII. — Septuaginta, *tempus amandi, et tempus odiendi*; Syrus, *tempus ad amandum, et tempus ad odiendum*; Arabicus, *diligendi tempus, et contumeliæ tempus*; Campensis, *interdum amamus, interdum odio prosequimur amatum.* Vers. 8.

Sensus est, *q. d.* Nihil in orbe, nihil etiam in hominis appetitu fixum et stabile, sed variantia omnia et vana : nam rem quampiam, puta amicum, quem nunc diligis, odio prosequeris, cum eum noxium, infidelem, contrarium experieris, aut certe cum mutato affectu tuo ille tibi displicebit. Sic dilectio et odium accipitur active : potest et accipi passive, *q. d.* Ne nimis confidas amico et amicitiæ, quod ab eo diligaris; quia is qui nunc te diligit mox odiet. Sic enim in hominibus hi affectus alternant, ut quod nunc ardenter concupiscunt, mox ubi eo potiti fuerint, fastidiant, et subinde odiant. Quocirca Bias monebat : « Sic ama tanquam osurus, sic odi tanquam amaturus. »

Proprie sapientis et justi amoris causa et objectum est virtus, odii peccatum : quare justo tempus dilectionis est, cum proximum viderit vacare virtuti : odii, cum viderit eumdem declinare ad peccatum : tunc enim eum odit non ut hominem, sed ut peccatorem; imo proprie peccatum duntaxat in eo odit, ut illud exterminet, proximumque ab

eo liberet; aut certe si superior sit, illud justa punitione ad aliorum terrorem vindicet. Unde Chaldæus vertit, *tempus idoneum ut unus amet socium suum, et tempus idoneum ut odio habeat virum peccatorem*, præsertim qui te et alios in peccati societatem pertrahere satagit.

Denique, tempus amoris est in juventute, quæ sanguine, calore et spiritibus abundans proclivis est ad amandum; tempus odii est in senectute, quæ frigida, torpida, tristis et tetrica ad fastidium et odium propendet. Hinc Synagogæ adhuc teneræ et juvenculæ ait Deus : « Ecce tempus tuum, tempus amantium. » Hebraice דודים *dodim*, id est amorum vel uberum, *Ezech.* cap. XVI, vers. 8.

Tropologice nunc est tempus diligendi carnem et animam, ut eam ad Dei gratiam et gloriam promoveamus : nunc odiendi eamdem, cum pravis ejus cupiditatibus resistendum est, juxta illud Christi : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus, » *Lucæ* cap. XIV, 26. Ad hæc S. Cyprianus *De Singular. Cleric.* : « Tempus amandi, ait, et tempus odio habendi. Ama feminas inter sacra solemnia (ut ad illa ipsas, o Clerice, admittas), et odio habe in communione privata (ne privatim cum illis verseris), si vis Salomonis tenere doctrinam. »

Rursum S. Hieronymus tropologice sic exponit : « Tempus est amandi post Deum liberos, uxorem, propinquos : et tempus odiendi eos in martyrio, cum pro Christi confessione rigidos impietas oppugnat inimica. » Sic et S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, octon. 15 : « Tempus amandi, inquit, et tempus odio habendi, hoc est tempus martyrii, quando ea quæ divina sunt omni caritati necessitudinum præferenda sunt, etc., ut quos dilexeris odisse, et quos oderis amare conveniat. »

Allegorice idem S. Hieronymus, *q. d.* Tempore Salomonis amanda erat circumcisio et lex Judaica, nunc tempore Christi odienda est et repudianda. Anagogice idem, *q. d.* Tempus hujus vitæ est, quo præsentia amamus, quæ in futura beatitudine fastidiemus et odio prosequemur.

Denique Auctor *Catenæ Græc.* : Amandi, ait, necnon odio habendi tota vita tempus est, sed amoris scopus non alius quam Deus; scopus odii, hostis vitæ nostræ dæmon.

TEMPUS BELLI, ET TEMPUS PACIS. — Hæc antithesis subalterna, et fere eadem est cum præcedenti. Tempus enim belli est tempus odii, et tempus pacis est tempus concordiæ et amoris. Unde Arabicus vertit, *tempus belligerandi, et tempus pacificandi et salutandi*; Chaldæus, *tempus est electum ad prœliandum, et tempus est electum ad faciendum pacem*; Campensis, *interdum inimicitias exercemus, iterum amplectimur pacem.* Sensus ergo est, *q. d.* Tempus est quo bello paranda est pax, ut cum hostes rempublicam invadunt aut lædunt, cum seditiosi vel improbi turbant quietem communem, cum vitia et cupiditates in nobis aliisve resecanda sunt, quo facto tempus est pacis. Pax enim per se expetenda est, utpote quæ virtute, justitia bonisque omnibus temporalibus et spiritalibus florere facit rempublicam. Hinc in Scriptura vocatur *Deus pacis*, et *pax Dei*, scilicet donum singulare et proprium, *Philip.* IV, 7; *Roman.* XV, 33. Bellum vero suscipiendum est non propter se, sed propter pacem. Unde bellum dicitur per antiphrasin quasi minime *bellum*, id est pulchrum, vel a *belluis*, quasi belluinum; vel bellum quasi *duellum* (sicut pro *bonum* olim dicebant *duonum*); aut a *Belo*, qui primus bellum movit, uti alibi dixi ex Cassiodoro, lib. I *Variar. epist.* 30. Belli etymon.

Rursum Thaumaturgus sic exponit, *q. d.* « Res humanæ nunc bello afflictantur, nunc tranquillæ et pacatæ sunt; tantaque est eorum inconstantia, ut quæ modo secundæ esse videbantur, celeri momento in certissima mala dilabantur. »

Mystice, S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, octon. 15 : « Tempus belli est, inquit, quo etiam bellum pro Christi nomine perfidis pignoribus inferamus. Tempus pacis, quia in pace locus ejus est. » Et Nyssenus in *Caten. Græc.* : « Tempus pacis est tota vita, ut pax nobis, inquit, cum Deo sit, eo quod hostilem infestumque animum erga adversarium (satanam) sumpserimus. »

Denique noster Alvarez de Paz, lib. II *De Vita spirit.* part. II, cap. XV, omnes has Salomonis antitheses eo applicat, ut significet quemque sibi suæque perfectioni prius vacare debere, deinde in proximi salutem incumbere. Cogita, inquit, quia omnia tempus habent, et prius debes virtutibus adolescere, et ad perfectionem spiritalis ætatis pervenire, quam filios Deo generes et aliorum mater appelleris. Adverte, o anima, quia nunc in principio conversionis tuæ « tempus est nascendi, » et ad divinum amorem perveniendi, et postea erit « tempus moriendi » pro fratribus, ita ut cum Paulo possis dicere : « Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, » I *Corinth.* cap. XV, 31. Nunc « tempus est plantandi, » ac in teipsa virtutes inserendi; postea erit tempus evellendi de cordibus aliorum, quod perperam a veternoso hoste plantatum est. Nunc « tempus occidendi, » ut scilicet inordinatum tui amorem exstinguas, et in matutino interficias omnes peccatores terræ; et deinde erit « tempus sanandi, » cum apta eris aliorum vulneribus mederi, et verbo doctrinæ infirmis mentibus curationem afferre. Nunc « tempus destruendi, » quæ male in sæculo ædificaveras; et postmodum erit « tempus ædificandi, » cum opes aggregaveris, quibus valeas virtutum arcem in aliis exstruere. Nunc « tempus flendi » propria delicta, et postmodum erit « tempus ridendi, » atque gaudendi de impiorum a te facta conversione. Quia de prædicatoribus ita scriptum est : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione,

portantes manipulos suos. » Nunc « tempus plangendi » propter propria mala, et deinde erit « tempus saltandi » ex devotionis affectu propter fratrum bona. « Tempus colligendi lapides » et parandi arma necessaria ad prælium, ac in posterum erit « tempus dispergendi » eos et infigendi in fronte Philistæi. Nunc « tempus amplexandi » sponsum, qui pascitur inter lilia, ac deinceps erit « tempus longe fieri ab amplexibus, » cum charitatis dono perfecta, dicas cum Paulo : « Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. » Nunc « tempus acquirendi » dona quæ postea distribuas, et deinde erit « tempus perdendi » teipsam, hoc est laborandi et affligendi, ut lucrum animarum acquiras. Nunc « tempus custodiendi » arcem mentis tuæ, et postea erit « tempus abjiciendi » ex parte curam tui, ut aliorum quoque curam admittas. Nunc « tempus scindendi » cor tuum, et peccatorum dolore molliendi; ac deinde erit tempus consuendi, hoc est, in bonum proximorum conficiendi sermonem ex sententiis Scripturarum. Nunc « tempus tacendi, » et postea « tempus loquendi, » quia, ut inquit Hugo, prius per silentium tempore tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi proferatur. Denique nunc « tempus dilectionis » Dei, et « tempus belli » adversus ea quæ huic dilectioni obsistunt; et in posterum erit « tempus » exercendi « odii » adversus ea quæ tuus dilectus odit, et « tempus » inter occupationes quietis et « pacis. »

Vers. 9. 9. QUID HABET AMPLIUS HOMO DE LABORE SUO? — nisi hanc contrariorum vicissitudinem jam recensitam, inconstantiam, lancinationem, vanitatem, quod est thema et argumentum totius libri initio propositum, ac deinde post singulas inductiones iteratum, velut epiphonema et conclusio. Unde Campensis vertit, *quem fructum capit homo ex tam pugnantibus et molestis occupationibus? q. d.* Nullum, quia omnia sibi invicem per vices temporum succedunt, cruciant et evanescunt. Unde infert Thaumaturgus : « Dicamus igitur, inquit, tam infructuosis laboribus aliquando longum valere, » ut scilicet utamur iis obiter velut in transitu, nimirum qualibet re in tempore suo, sed interim : maneamus mente fixi in Deo et æternitate, ad illamque tendamus jugiter et aspiremus. Et S. Hieronymus : « Cum omnia, ait, suo labantur tempore, quid frustra conamur et tendimus, et brevis vitæ labores putamus esse perpetuos? nec contenti sumus secundum Evangelium malitia diei, nihilque in crastinum cogitemus. Quid enim possumus habere in hoc sæculo amplius laborando? in quo id tantum a Deo hominibus datum est, ut alius alia sectando habeat, in quo erudiri et exercere se possit. »

Rursus Nyssenus censet hæc de morte dici, quod omnes hominum labores eorumque fructus finiantur in morte, ut τὸ *de labore* sit idem quod *post laborem et vitam.* « Perinde, inquit, est, ac si diceret : Quid habet ex humanis omnibus laboribus, e quibus nihil ad eum redit, amplius? Agros colit, navigat, militaribus operibus affligitur, mercaturam exercet, damnum patitur, lucratur, litigat, pugnat, causa cadit, sententia data litem vincit, infelix censetur, beatus existimatur, domi manet, errat apud exteros. Quid ei, qui per hæc suam consumit vitam, amplius affert? Annon simul atque desiit vivere, omnia tecta sunt oblivione, et ab iis quorum studio tenebatur desertus abit nudus? »

Insuper Chaldæus sic habet, *quid amplius habet vir operans, qui laborat ut faciat thesauros, et ut congreget pecuniam, nisi adjuvetur desuper sidere bono?* Septuaginta, *quæ abundantia est facientis quibus ipse laborat?* Syrus, *quæ utilitas in opere, quo ipse laborat?* Arabicus, *quid restat illi, qui facit omnibus in rebus quibus laborat?* Hæc enim omnia significat hebræum יתרון *iitron,* uti dixi cap. I, vers. 3. Sensus omnium est, *q. d.* Ex dictis temporum vicissitudinibus liquet, nihil homini ex omni labore remanere fixum et stabile, in quo conquiescat : ac proinde nihil superesse, nisi ut per illas omnes opportune decurrat, et cum transeuntibus transeat; quare nullam sibi in hac vita felicitatem statuat, cum nil in ea sit perpetuum, nil durabile, sed omnia temporalia, transeuntia et vana. Felicitatem ergo quærat in futura æternitate, ad eamque se paret serviendo Deo vero, in eoque omnes suas spes defigat, apud quem omnia sunt solida, firma, æterna.

Vers. 10. 10. VIDI AFFLICTIONEM, QUAM DEDIT DEUS FILIIS HOMINUM, UT DISTENDANTUR IN EA. — Hebraice ענות *anoth,* id est ut humilientur, affligantur, crucientur in ea.

Hæc gnome hebraice et græce iisdem verbis extat cap. I, 13 (licet Noster pro *afflictionem* ibi vertat *occupationem;* pro *distendantur, occupentur*), ubi eam explicui : quare ibi dicta hic non repetam. Pertinet hæc gnome ad præcedentem interrogationem, et ad illam videtur esse responsio, aut certe tacitæ responsionis ratio et confirmatio. Unde Campensis vertit, *quem fructum capit homo ex tam pugnantibus et molestis occupationibus? Deprehendi quod Deus illas immiserit animis hominum, ut ipsi se illis torqueant.* Et Thaumaturgus, cum vers. præcedenti vertisset, *dicamus igitur tam infructuosis laboribus aliquando longum valere;* hoc versu rationem subdens ait : *Si quidem omnia hæc mea sententia ad exagitandos homines venenatis aculeis armata sunt.* Sic et uterque Hugo, Cajetanus, Osorius et alii.

Porro S. Hieronymus, et ex eo Albinus ac Titelmannus, hanc gnomen referunt ad sequentem de investigatione mundi, et rerum a Deo creatarum, *q. d.* Deus homini hanc occupationem scrutandi res in mundo a se creatas indidit, ut ea honeste occupatus, Deum creatorem agnosceret, amaret, laudaret, itaque abstineret a curiosa rerum divinarum et abditarum vestigatione, atque ab omni vitio.

Denique Nyssenus hanc afflictionem a Deo homini datam censet, non per se, sed ex occasione, qua homo rebus Dei bonis abutitur nimio amore et studio, quo se affligit : perinde, inquit, ac si quis conviva cultro ad cibos secandos dato abuteretur ad sui vel aliorum necem. Sic et Olympiodorus : « Homo, ait, lapsus a recto, et a constanti ratione aversus, id quod est in unoquoque utile, vertit in contrarium. » Favet versio Chaldæi, qui in pœnam peccati hanc afflictionem homini impio datam opinatur : « Vidi, inquit, negotium castigationum et vindictam, quam dedit Dominus filiis hominis qui sunt improbi, ut affligantur in eo. »

Vers. 11. 11. CUNCTA FECIT (Deus præcessit) BONA IN TEMPORE SUO. — Hebræa, *omne fecit pulchrum in tempore suo;* hinc mundus græce vocatur κόσμος, a rerum ornatu et pulchritudine. Docet vices temporum jam assignatas esse bonas, utpote factas et ordinatas congrue ad tempus quodlibet, ab optimo et sapientissimo Deo, ad creaturam et hominis bonum et commodum.

Pulcher, vel, ut prisci dixere, *polscer,* a pollendo dicitur, quod polleat forma. Nam, ut ait Cicero, IV *Tuscul.* : « Pulchritudo corporis est apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate. » Sic pulchritudo mundi consistit in apta elementorum, cœlorum, cæterarumque partium figura, dispositione, nexu, suam in mixtis habens variegatam et omnigenam colorum suavitatem. Pulchritudo temporis et rerum temporalium consistit in congrua partium ejus successione, proportione et nexu, quod scilicet tempus nascendi præeat, sequatur tempus crescendi, generandi, ac tandem finiat tempus moriendi. Sic pulchritudo anni est, quod hiemi frigidæ et rigidæ succedat ver tepidum, florens et virens (unde *ver* dicitur quod omnia *faciat virere*); veri succedat æstas messe fœcunda, æstati autumnus uvis, pomis, fructibusque diversicoloribus ornatus, et quasi picturatus. Sic ergo Deus fecit omne pulchrum in tempore suo, quia v. g. verna amœnitas pulchra est in vere, nec pulchra aut decora foret et commoda in hieme vel æstate; sic et frigus pulchrum est in hieme, non in æstate, etc. Hoc est quod dicitur *Genes.* I, 10 et 12 : « Et vidit Deus quod esset bonum; » bonum enim est decorum et pulchrum. Unde Septuaginta hic vertunt, *universa quæ fecit bona in tempore suo;* et Syrus, *omne quod facit optimum in tempore;* et Arabicus, *omnes res quas fecit cognovi esse optimas;* Symmachus, *bonum unumquodque in tempore proprio;* Chaldæus, *dixit Salomon in spiritu prophetiæ : Omnia fecit Dominus bona in tempore suo.*

Est occupatio, qua occurrit tacitæ objectioni. Dicet enim quis : Si creaturæ in se sunt vanæ et caducæ, qua ratione ergo a Deo vero et æterno creatæ sunt? Respondet creaturas, quatenus a Deo factæ sunt, esse bonas et pulchras; quatenus vero in seipsis subsistunt, vanas esse, et ad nihilum, ex quo a Deo per creationem eductæ sunt, spontе sua inclinare et vergere. Rursum vanas esse, quatenus homo iis abutitur, iis quasi summis bonis præ Deo, imo contra Deum cor suum affigens, ut iis fruatur seque exsatiet, cum solus Deus mentem hominis exsatiare queat, ideoque homo creaturis duntaxat uti, solo autem Deo frui debeat, uti docet S. Augustinus et ex eo Theologi.

ET MUNDUM TRADIDIT DISPUTATIONI EORUM. — Campensis, *et mundum hunc totum exposuit examinandum ingenio illorum;* Hebraice est : עולם *olam tradidit in corde eorum. Olam* autem *primo,* significat absconditum quid, ab עלם *alam,* id est abscondit; *secundo,* perpetuum et æternitatem, cujus finis nobis absconditus est; *tertio,* sæculum et mundum, sive decursum temporum rerumque omnium in mundo, quorum limites et termini nobis absconditi sunt; Syrus vertit, *essentiam mundi,* id est naturam et substantiam mundi. Mundus datus disputationi, quatione?

Hinc multiplex oritur versio, et consequenter multiplex interpretatio.

Primo, aliqui apud Titelmannum vertunt, *Deus tradidit absconsionem in corde hominum; absconsionem,* id est ignorationem mortis, hæc enim summe homini est abscondita; unde prima antithesi, vers. 1, posuit tempus moriendi, ad quod hic alludit, *q. d.* Mors cuilibet certa imminet, sed incertus est nobis ejus dies et hora; idque voluit Deus a nobis abscondere, ut vigilare nos doceret, sancteque vivere, ut scilicet ita vivamus quasi quotidie morituri. Resp. primo.

Secundo, Cajetanus et David de Pomis vertunt, *perpetuitatis desiderium dedit Deus in corde hominum.* Quocirca nil inveniet homo in rebus terrenis, utpote caducis, quod hoc ejus desiderium satiet; sed ad Deum et cœlum animum attollat oportet, ut in eo defixus æternitatis desideratæ fiat capax et compos, contemnendo temporalia et sectando æterna. Et Didymus in *Catena Græc.* : « Ævum, inquit, dedit illis, hoc est æternitatis disciplinam et scientiam, i. e. regnum cœlorum, quod intra nos esse Dominus pronuntiavit : quod dum multiplici perturbationum operitur atque obsidetur tumultu, non facile ab hominibus invenitur. » Secundo.

Tertio et optime, Septuaginta, Syrus et Arabicus vertunt, *et sæculum* sive *mundum tradidit in corde eorum.* Verum hic quæritur, quid sit *in corde eorum? Primo, eorum,* scilicet dæmonum, qui dominantur in mundo, ait Thaumaturgus, *q. d.* Deus mundum permisit diabolo cum asseclis suis, ut in eo usque ad diem judicii dominetur, hominesque tentet. Unde a Paulo, *Ephes.* II, 2, vocatur « princeps potestatis aeris hujus, » et a Christo, « princeps hujus mundi, » *Joan.* XII, 31. Audi Thaumaturgum : « Omnia hæc mea sententia ad exagitandos homines aculeis venenatis armata sunt, et malignus dæmon, qui ab initio mundi usque ad finem nocendi semper est avidus, ringenti ore sæculum hoc circuit, et immodice contendit, si qua occasione nacta figmentum Dei perdere possit. » Tertio.

Secundo, melius alii τὸ *eorum* intelligunt *hominum*, de quibus hic omnis est sermo : nam dæmonum nulla facta est mentio. Jam quia cor sedes et symbolum est multarum rerum, scilicet *primo*, amoris et oblectationis; *secundo*, voluntatis et dominii; *tertio*, electionis; *quarto*, disputationis et examinis : hinc multiplex hic oritur sensus. Aliqui ergo sic exponunt, *q. d.* Deus quidem creavit mundum, et omnia quæ in mundo sunt pulchra et bona, illaque tradidit cordi hominis, ut eorum amore, usu et gustu modeste et honeste se oblectaret; sed hominis cor iis abutitur dum totum se in illa effundit; ideoque rebus pulchris a Deo creatis seipsum deformat, et sordibus peccatorum conspurcat. Unde S. Hieronymus sic exponit, *q. d.* « Dedit Deus mundum ad inhabitandum hominibus, ut fruantur varietatibus temporum, et non quærant de causis rerum naturalium, quomodo creata sint omnia, quare hoc vel illud ab initio mundi usque ad consummationem fecerit crescere, manere, mutari. »

cor multa notat. Primo.

cundo.

Nyssenus vero censet hic significari, « undenam humana natura districta sit a bono et recto, videlicet occasione accepta ex divinis beneficiis : nam Deus quidem ad bonum fecit omnia, hominibus autem dedit rationem, qua discernant id quod est melius : malo autem consilio recedentes a ratione et tempore, id quod est utile vertunt in contrarium. »

His adde expositionem Vatabli, quæ talis est : Omnia opera Dei bona sunt, et facta in tempore suo, et quæ in hoc mundo fiunt, id est negotia hujus mundi, id est cupiditatem et desiderium cognoscendi res hujus mundi, indidit menti hominum, et ita in hoc mundo negotiantur quasi semper victuri sint.

ertio.

Tertio, alii *cor* accipientes pro voluntate et dominio, sic exponunt, *q. d.* Deus mundum adeo pulchrum conditum tradidit cordi, id est voluntati et dominio hominis, ut ejus esset dominus, princeps, et quasi rex mundi, ut ad libitum uteretur herbis, plantis, arboribus, animalibus, auro, argento, metallis, etc. Sed homo hoc dominio abusus, rebellis fuit Deo summo omnium domino, ideoque hoc dominium non quidem omnino illi ademptum, sed valde a Deo accisum et imminutum est. Hinc noster Pineda sensate sic exponit : Deus dedit mundum et sæculum, omnesque sæculi et temporis vanitates in corde hominis, *q. d.* Deus effecit hominem microcosmum et parvum mundum, ut illam temporum varietatem et inconstantiam in seipso experiretur, ac præterea intelligeret nihil extra seipsum quærendum esse, neque in externo aliquo bono ponendam esse humanam felicitatem, sicut scriptum est : « Regnum Dei intra vos est. » Quidquid ergo boni et tranquillitatis aut voluptatis concupiscis, noli extra te quærere, sed in teipso et in corde tuo, cum perturbationes animi composueris, desideria clauseris, impetus effrenatos compescueris, ac externa omnia comtempseris; animi tui bona propria tua sunt, perpetua sunt, et tecum illa portabis ubicumque tandem esse contigerit : non item illa externa, quæ breviter desinent.

Quarto, alii accipiunt cor pro cordis, id est mentis electione, *q. d.* Deus mundum totum, omniaque contraria, quæ in eo sunt, tradidit electioni hominis, ut eligat in eo bona vel mala, prout ipsi libuerit, juxta illud *Eccli.* XV, 14 : « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua : si volueris mandata servare, conservabunt te, etc. Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. » Quarto.

Quinto, optime Noster *cor* accipit pro cordis, id est mentis examine, disputatione, meditatione, disquisitione, cognitione. Horum enim officina est cor, sive mens; unde illud : Quinto.

Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram.

Idipsum evincit id quod sequitur : « Ut non inveniat opus quod operatus est Deus. » Disputaverunt enim philosophi, et etiamnum disputant de mundo, dum alii eum ex aquis, alii ex atomis, alii ex terra, etc., conflatum dixere. Hinc tot eorum sectæ, Academicorum, Stoicorum, Scepticorum, Peripateticorum, etc. Adeoque quot sæpe philosophi tot sunt diversæ de mundo, cœlis, stellis, ventis, etc., opiniones et sententiæ.

Porro duplici disputationi hominis mundum tradidit Deus, scilicet intellectus et voluntatis, cognitionis et electionis, speculationis et affectus.

Primo enim, Deus mundum quasi pilam pulchram objecit obtutibus hominum, ut ejus, rerumque in ea contentarum, puta cœlorum, elementorum, ventorum, plantarum, animalium, etc., naturas, proprietates, vires, actiones, æque ac temporum varietates jam recensitas scrutarentur, itaque in iis agnoscerent laudarentque Dei creatoris pulchritudinem, sapientiam, beneficentiam, potentiam, ac in rebus agendis tempus cuique rei gerendæ a Deo destinatum et accommodatum disquirerent et captarent. Ita Didymus, S. Hieronymus, Titelmannus et Franciscus Valesius, *Sacræ Phil.* cap. LXIV et LXV. Porro Olympiodorus censet permisisse Deum, ut circa mundum sint solliciti et occupentur sapientes mundi hujus, ne si assidue et tranquillo animo attendissent ad fabricam et structuram mundi hujus, perspecta et cognita illius pulchritudine, visibilia hæc Deum esse vel deos arbitrarentur. Item dedisse omnibus filiis hominum sæculi præsentis cognitionem, quod nempe cuncta esse cœperint ac desitura sint. Eorum vero, quæ ante initium temporis fuerunt, quæque post hoc sæculum futura sunt, certam et manifestam scientiam non haberi.

Nyssenus vero et Hugo censent mundum a Deo datum disputationi, id est contemplationi et moderatæ pervestigationi hominum, sed ab eis per abusum evasisse materiam et objectum curiosæ

noxiæque disputationis et disceptationis, tam varia, tam multa, tam absona, tam temeraria, tam impia de conditore ipso, de prudentia, et judiciis ipsius, de felicitate, etc., inquirendo, disceptando, judicando, et interim ad exactam rei quoque cujuspiam naturalis notitiam vix ac ne vix quidem perveniendo ex omnibus, quas fecit Deus a principio creationis, ac deinceps usque ad finem.

Secundo, Deus tradidit mundum disputationi hominis, ut homo secum disputans et ratiocinans de vanitate mundi, deque temporum rerumque omnium temporalium successione, rotatione et transitu, atque ex alia parte de Dei veritate, constantia, æternitate et omnimoda perfectione, inde concluderet sibique diceret : Ergo cor tuum et amorem avoca a mundo, et transfer ac defige in Deum : ille enim solus immensum tuum sciendi et amandi desiderium satiare et beare potest. Hoc enim fine mundus a Deo creatus hominique traditus est, ut per mundum transcenderet ad mundi opificem, in eoque omnes suas res et spes defigeret, itaque stabilem quietem et felicitatem perpetuam nancisceretur. Quocirca Nyssenus : « Quicumque illis, inquit, quæ acceperunt, non ut oportet et ad utilitatem usi sunt, non invenerunt opus Dei, quod fecit Deus ad scopum utilitatis, ab initio creationis usque ad universi consummationem, cum in iis quæ sunt, nihil sit mali. »

UT NON INVENIAT HOMO OPUS QUOD OPERATUS EST DEUS A PRINCIPIO USQUE AD FINEM, — *q. d.* Traditus est mundus disputationi hominum, ut videntes Dei opus tam pulchrum, tam sublime, tam perfectum et consummatum, non inveniant, id est invenire nequeant intimas ejus dotes et perfectiones, quæ illi plurimæ insunt « a principio usque ad finem, » id est a capite ad calcem, ab imo ad summum, a fundamentis ad tectum, a centro terræ usque ad culmen cœlorum; sed de illis jugiter disputent, et inter se disceptent : quo fit ut cogantur hoc opus admirari et obstupescere, ac multo magis ejus opificem Deum, qui hanc mundi admirandi machinam, velut palatium magnificentissimum omnibus suis numeris absolutum exædificavit, ac summum illi fastigium imposuit, manumque extremam addidit, ut ex hac admiratione omnes ad ejus amorem, venerationem et cultum raperentur.

Secundo, alii contrarie exponunt, *q. d.* Deus mundi opera noluit condere plena et omni ex parte perfecta, ut omnimodam in eo consummationem non inveniret homo, ideoque iis mentem non affigeret, sed ad Deum assurgeret, in eoque suam felicitatem constitueret. Non inveniet ergo homo hoc opus perfectum et utile, cui non aliquid perfectionis desit : non enim voluit Deus sua opera « ab initio usque ad finem, » id est ita perfecta, ut non aliquis illis desit numerus; nihil voluit esse perpetuum, et omni tempore utile ab initio usque ad finem, sed suo tantum tempore, id est brevi et præscripto. Ita Pineda.

Tertio, alii per interrogationem affirmative explicant, *q. d.* Quomodo non inveniet homo hoc Dei in mundo opus? imo vero si diligenter illud consideret, inveniet utique illud perfectum et numeris suis absolutum a principio usque ad finem, ut nihil uspiam ei desit. Rursum inveniet idipsum a principio usque ad finem, id est semper et omni tempore quo singulas ejus partes et membra perlustrarit, ac singulorum naturam, usum et utilitatem attentius perpenderit.

Verum primus sensus est genuinus, ut patet ex sequent.; sic enim explicat Salomon, vers. 14 (1).

A PRINCIPIO USQUE AD FINEM. — Hoc est penitus, ait Cajetanus, qui id refert ad τὸ *inveniat*, *q. d.* Tradidit Deus mundum disputationi hominum, ut homo penitus ejus proprietates et conditiones, eorumque causas et effectus invenire nequeat, ideoque jugiter velut dubius de iis disputet. Vatablus vero, *ut non inveniat a principio usque ad finem*, id est, inquit, ut omnia quæ in mundo sunt perfecte et intime cognoscere et penetrare nequeat, pervadendo ea a principio usque ad finem. Chaldæus, *ne innotescat viro a principio, quid futurum sit in fine dierum usque ad sæcula sæculorum.* Additque, *dies etiam extremus mortis eos latuit, ne homini exploratum esse possit, quid a capite ad rerum calcem eventurum esset.* Cui accedit Bonaventura et Carthusianus, *a principio*, inquit, *vitæ hominis usque ad mortem*, seu per totam vitam.

Melius alii referunt ad opus, eo sensu quo paulo ante dixi, *q. d.* Opus Dei, puta mundus hic adeo pulcher et perfectus creatus est, a sui *principio usque ad finem*, hoc est a primo creationis die usque ad sextum et ultimum, *Genes.* I, ut ejus pulchritudinem, harmoniam, connexionem, perfectionem homo invenire et comprehendere nequeat, imo ut « a principio usque ad finem, » id est a prima, id est minima et vilissima creatura usque ad ultimam, id est nobilissimam et præstantissimam, nullam, ne minimam quidem, plene per-

(1) Ex recentioribus Rosenmullerus, *æternitatem*, æternitatis sensum, *indidit animis eorum*, hoc est, Deus indidit homini propensionem et facultatem, tam quæ longe antea evenerunt, quam quæ futuris temporibus sint eventura, perpendendi, eorumque causas et rationes pervestigandi : *absque eo* tamen *quod inveniat homo opus quod fecit Deus ab initio usque ad finem*, id est, neque tamen perspicere valet quæ Deus fecerit inde a principio hujus rerum universitatis, neque quid sit facturus ad ejus usque finem, neque cur aut quomodo hoc aut illud fecerit. Minus apte ad nexum Gesenius *olam* intelligit de rerum mundanarum studio (quod Germani vocant *Weltsinn*) et interpretatur, *omnia pulchra fecit* Deus *tempore suo*, *quanquam eorum* (hominum) *indidit*, seu *inseruit mundanarum rerum studium, ita ut non intelligat homo opera Dei*, etc. Sed præplacet Maurer, qui ita explicat : Non modo *omnia fecit* Deus *pulchra*, bona *tempore suo*, tempore justo et opportuno, *etiam*, insuper *mundum dedit in cor eorum*, hominum : *mundum*, id est totius mundi ideam, seu μικρόκοσμον, *Inbegriff der Welt*, hoc est, facultatem res mundanas cognoscendi animo hominum dedit, *absque eo* tamen quod penitus et perfecte aliquid investigare et cognoscere possit.

spicere et penetrare valeat. Quis enim comprehendat naturam dotesque omnes muscæ, culicis vel pulicis? nimirum :

Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Vers. 12 et 13. 12 et 13. ET COGNOVI QUOD NON ESSET MELIUS NISI LÆTARI, ET FACERE BENE IN VITA SUA. OMNIS ENIM (1) HOMO, QUI COMEDIT ET BIBIT, ET VIDET BONUM (id est fruitur bono) DE LABORE SUO, HOC DONUM DEI EST. — Hebræa, *et scio non esse melius in eis* (mundi operibus et creaturis), *quam lætari et facere bonum in vita sua;* Vatablus, *cognovi quod nulla hominibus sit felicitas in eis, nisi ut gaudeant et beneficiis afficiant proximos.* Didymus in *Catena Græcor.* : « Cognovi sane res per seipsas nullam vel bonitatem vel felicitatem continere, sed ipsas rerum rationes, id est scientiam atque veram illarum notitiam, propter quam naturam gaudere rationalem comparatum sit, atque ipsum benefaciendi exercitium hoc demum bonum, faustum felixque hominibus est. Nihil enim sic nutrit et adaquat animam, quemadmodum virtutis pabulum scientiæque fluenta. »

S. Bonaventura hæc accipit dicta ex mente et persona non Salomonis, sed insipientium et Epicureorum. Verum Thaumaturgus, S. Hieronymus, Albinus, S. Augustinus, uterque Hugo, Lyranus, Cajetanus, Vatablus, Titelmannus et cæteri omnes hæc accipiunt, ut dicta ex persona Salomonis, idque verba ipsa plane significant. Sensus ergo est, *q. d.* Ego Salomon contemplans partim rerum instabilitatem et vicissitudinem, quam successio temporis continue affert, uti dixi initio capitis; partim curiosam, molestam, inutilem hominum de mundo disputationem, cum impossibile sit res mundi penetrare et comprehendere, satius esse judicavi modeste uti creaturis, secundum stata cuique tempora, quibus a Deo ad fruendum nobis offeruntur, atque in eorum moderato usu et gustu honeste me oblectare, itaque vitam agere in honesta lætitia et bonis operibus, quia hoc est voluntas Dei, cujus proinde donum est frugalis rerum creatarum usus, nec lasciviendo per abusum, nec fraudando genium per sordidam avaramque parcimoniam. Vide dicta cap. II, 4. Repetit enim hic et inculcat quod ibi dixit. Lætitiam hanc opponit afflictioni spiritus, quam affert cupiditas, et labor rerum humanarum, uti sæpius dixit.

Allegorice : Nihil est melius quam comedere carnem, et bibere sanguinem Christi in Eucharistia. Ita S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* XX, ubi contendit hunc sensum esse litteralem. Nam Salomonem, inquit, « non sapere carnales epulas voluptatis satis illud ostendit, » ubi ait (cap. VII) : « Melius est ire in domum luctus, quam ire in domum potus. » Et paulo post : « Cor, inquit, sapientium in domo luctus, et cor insipientium in domo epularum. » Verum has gnomas suis locis ad litteram explicabo.

(1) Pro *enim* ex hebr. melius verte, *atque etiam.*

ET BENE FACERE. — Hæc vox tria significat : *Primo*, feliciter vivere, jucunde et hilariter vitam agere, quod græce vocant εὖ πράττειν, ut sit fere idem quod lætari. Sic hic accipit Aben-Ezra, *facere bene*, inquit, *est frugali usu bonorum se exhilarare;* et Campensis, *exhilarare*, inquit, *sese, bene facere sibi dum vivit;* et Bonaventura sic distinguit : « Lætari, inquit, in fruendo, et facere bona delectabilia operando. » Verum cum hoc vult significare Scriptura, addere solet quippiam, ac dicere : facere bene sibi vel animæ suæ. Bene facere triplex notat. Primo.

Secundo ergo melius alii per facere bene censent notari beneficentiam. Ita S. Hieronymus : « Habentes, inquit, victum et vestitum, his contenti simus : et quidquid supra habere possumus, in pauperibus nutriendis et egentium largitione consumamus. » Et Didymus in *Caten. Græc.* : « Cognovi, inquit, animi tranquillitatem et beneficentiam maxima homini esse bona. » Et Moringus : Cognovi, ait, nil melius quam bona concessa in honestos usus convertere, dum vita suppetit, primum in modestam sui tutelam; mox, si quid superest, in largitiones pias et alienas necessitates erogare, juxta illud Pauli, imo Christi : « Beatius est magis dare, quam accipere, » *Actor.* cap. XX, 35, vide ibi dicta. Nihil enim tam divinum quam benefacere, omnesque beneficiis sibi devincire. Sic et Vatablus, Arboreus et alii. Sapienter ex Heraclito Maximus, serm. *De Beneficentia* : « Opportuna beneficentia, ait, quasi cibus fami conveniens, animi indigentiam, (ex avaritia, sacram, inquam, illam auri famem) sanat. » Quin et Plutarchus, lib. *De suaviter vivendo secundum Epicurum*, ex ejus mente asserit, suavius esse affici maleficio et injuria, quam eodem alios afficere. Et Seneca, lib. III *De Beneficiis*, cap. XV : « Generosi animi, ait, et magnifici est, juvare et prodesse; qui dat beneficia, deos imitatur. »

Tertio plene et optime, « facere bene » idem est, quod ex virtute operari, facere quod honestum est, Dei legem implere. Hoc enim significat facere bene vel bonum, *Psalm.* XXXIII, 15 : « Diverte a malo, et fac bonum; » II *Paralip.* XXIV, 16, et alibi. Ita Thaumaturgus, *Persuasum habeo*, inquit, *maxima hominis bona esse, jucunditatem mentis, et bonorum operum actiones;* et Chaldæus, *dixit Salomon rex spiritu prophetiæ : Perspectum mihi est, nihil aut melius aut præstantius hominibus datum, quam ut gaudio legis seipsos recreent, totamque vitam optimis operibus transigant.* Sic et Nyssenus, Olympiodorus et alii.

Apte nectit hæc duo, scilicet lætari et bene facere, ut indicet non esse veram lætitiam, nisi in bene faciendo; adeoque causam veræ lætitiæ esse, bene semper agere. Vis ergo semper lætari? Semper bene agito : sic enim semper eris lætus, Non enim est lætior mens, quam quæ sibi conscia recti : lætior, inquam, « nunc quidem per

spem lætitiæ, postea autem bonæ lætitiæ fructu accepto, propria iis, qui digni sunt, lætitia, » ait Nyssenus et Auctor *Catenæ Græc.* Hinc multi felicitatem constituerunt in lætitia. Unde Aristoteles, lib. VII *Ethic.* vocem μακάριος, derivat a χαιρεῖν id est gaudere, lætari, quasi μακάριος, hoc est beatus, sit qui valde lætatur. Et S. Isidorus, lib. X *Origin.* : « Beatus, ait, dictus, quasi bene auctus, scilicet ab habendo quod velit, et nihil patiendo, quod nolit. Ille autem vere beatus est, qui et habet omnia quæ vult bona, et nihil vult mali. Ex his enim duobus homo beatus efficitur. Propter rerum rationes cognoscendas, inquit, et propter bonum operandum rationalem naturam lætari, natura comparatum est. » Et Thaumaturgus : « Hæc sola, ait, voluptas divinitus obvenit, si rebus gerendis justitia præeat. » Hinc olim anachoretæ, et nunc veri religiosi semper sunt læti; adeoque S. Antonius ex sola mentis lætitia a cæteris omnibus dignoscebatur, teste S. Athanasio in ejus Vita. Vide Hieronymum Platum, lib. III *De Bono status religiosi*, cap. II et seq. Ex adverso de voluptatum gaudiis γλυκυπίκροις, mellefelleis et amarulentis, sic scribit S. Chrysostomus, homilia *De Compunctione* : « Ut homines ægri, inquit, cum multis febribus aguntur, si in aquas semetipsos frigidas immerserint, ad præsens sibi aliquid quidem videntur quæsiisse solatii, multiplicatas vero flammas febrium sibi separant : ita et nos agimus, cum conscientiæ stimulis agitamur, si mere externas gaudii et lætitiæ causas quæramus. » Idem, homil. 65 *ad Popul.*, docet mundi gaudia parere tristitiam, gaudia vero spiritus durare et crescere : « Bona, inquit, est talis lætitia, omni mundana melior lætitia; ita lugentem omnibus gaudentibus propono. » Et infra : « Propterea gaudio lætamur inutili, quod est mundi, quod statim exstinguitur et infinitos parit mœrores. Tristemur potius tristitia gaudii genitrice, non autem lætitia tristitiæ parente gaudeamus. Lacrymas fundamus, multam seminantes voluptatem : neque risu rideamus dentium stridorem nobis pariente. Affligamur tribulatione, ex qua indulgentia nascitur : neque delicias quæramus, ex quibus multa tribulatio paritur et angustia. »

ET VIDET BONUM, — id est gustat bonum, puta comedit, et bibit rem sapidam, ac illa fruitur, seseque oblectat. Visus enim, quia sensuum nobilissimus, metonymice pro gustu et quovis sensu sumitur.

Quare quod Nyssenus ait : « Videt bonum, » id est, « facit bonum, » puta vacat pietati et bonis operibus, mysticum est, non litterale. « Quia, inquit, quod est cibus et potus corpori per quæ conservatur natura, hoc est animæ ad bonum adspicere, et hoc est vere donum Dei, in Deum defixos habere oculos; et sicut homo carnalis in comedendo et bibendo habet vires : ita qui ad bonum adspicit, » etc. Atque Auctor *Catenæ Græc.* : « Nihil sic nutrit, et adaquat animam, quemadmodum virtus et scientia. »

HOC DONUM DEI. — Scilicet insigne et eximium. Hebraice, *donum Elohim ipsum, q. d.* Hoc donum est peculiare numinis et providentiæ : hanc enim significat *Elohim*; Campensis, *donum Dei manifestum esse putet*; Chaldæus, *atque deo qui ederit et biberit, si hic toto ævo indulserit, et filiis moriens fructus laboris sui reliquerit, hoc ipso videatur summo beneficio affectus a Deo*; Didymus in *Catena Græcorum* : « Exploratum habeo temporalium hunc rerum usum cœlitus homini obvenire, dummodo justitia actionum omnium dux sit. » Causam dat S. Chrysostomus, homil. 1 *in epistol. ad Corinth.* : « Is, inquit, qui spirituali gaudio fruitur, a mœrore arripi non potest; sed probe undique armatus ingruentia tela propulsat : etenim quibusvis armis violentior est voluptas ea, quæ secundum Deum percipitur. » Et mox : « Contra vero qui terrenis voluptatibus affluit, a quibusvis arripi et expugnari potest, ac perinde ei accidit atque illi, qui imbecillibus armis instructus est, ac vel levissimo ictu sauciatur. »

14. DIDICI QUOD OMNIA OPERA, QUÆ FECIT DEUS, PERSEVERENT IN PERPETUUM : NON POSSUMUS EIS QUIDQUAM ADDERE, VEL AUFERRE, QUÆ FECIT DEUS UT TIMEATUR. — Arabicus, *cognovi omnes creaturas, quas creavit Deus, futuras in æternum secundum ordinem et statum suum; neque potest addi eis, aut diminui ex eis*; Septuaginta, *super illud non potest adjici, et ab illo non potest auferri*; Syrus, *super illo non est addendum, et ab illo non est diminuendum.* Vers. 14

Quæres, quomodo hic versus nectatur et cohæreat præcedentibus?

Primo, Cajetanus : Hebræum לעולם *leolam*, inquit, id est *in perpetuum*, verti potest *in sæculum, q. d.* Quidquid facit Deus, illud erit in suo sæculo, in sua temporis periodo, ut idem hic dicatur, quod vers. 1 : « Omnia tempus habent : » sed hoc frigidum est, obscurum et coactum. Sic enim dixisset בעולם *beolam*, id est in sæculo, non *leolam*, id est in sæculum, sive in perpetuum. Quare minus apte quoque vertit Campensis, *quidquid facit Deus, erit quale ipse id esse volet.*

Secundo, Thaumaturgus hunc versum nectit cum eo quod immediate præcessit, scilicet moderate comedere, bibere, et frui labore suo, esse donum Dei, si nimirum illa fiant hoc fine, ut per ea tendamus ad bona cœlestia et perpetua. Unde sic paraphrastice vertit, *quanquam non inficias ierim ex Deo esse, etiamsi temporalibus fruamur, modo per ea duce justitia ducamur in cœlestia, intermorituraque nunquam opera.*

Tertio, Hugo Victorinus per *opera Dei* accipit judicia Dei, præsertim prædestinationis electorum et reprobationis impiorum. Favet versio Chaldæa : *Scio*, inquit, *in spiritu prophetiæ, quod omnia quæ fecit Deus in sæculo, sive bonum, sive malum, quidquid determinatum est ex ore ejus, hoc erit in sæculum : neque est potestas viro, ut addat eis, nec habet*

potestatem minuendi : et in tempore quo venit vindicta in sæculo, Deus fecit ut timeant filii hominis a facie ejus. Dilucidius ex Costo, *pervidi etiam quæ fecit Dominus in hoc mundo probis et sapientibus,* etc. *ut eum observent homines et colant.*

Verum hæc omnia mystica sunt, non litteralia et genuina.

Quarto, noster Pineda hanc gnomen refert partim ad affectionum cordis humani vicissitudinem, qua nunc amat, nunc odit, nunc ridet, nunc flet, nunc congregat, nunc abjicit, etc. uti dixit initio cap, ut illi hic per antithesim opponat Deum, in quo est constans divinæ naturæ firmitas et æternitas, juxta illud *Jacobi* 1, 17 : « Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. » Humana igitur opera sibi invicem in orbem succedunt abeuntque cum tempore : unde iis semper aliquid addimus; vel detrahimus, mutamus et mutamur in horas; vetera fastidimus, nova semper sectamur. At Dei cogitationes et opera firma sunt, sibi constant, durantque in perpetuum; voluntas ejus immutabilis est : quod semel voluit semper vult, ac decreto a se tempore assequitur. Rursum hanc gnomen refert ad id quod præcessit : « Qui videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est, » ut significet Salomon, quæ cum frugalitate, moderatione, pietate, conjuncta sunt, ea opera Dei esse, Dei dona esse quæ ille largitur, ideoque non pendere ex illa temporaria et inconstanti fortuna, sed perpetua esse et constantia.

Quinto et genuine, hæc refert more Hebræo non ad proxime præcedentia, sed remotius et superius, puta ad vers. 1 : « Omnia tempus habent, » etc., et ad vers. 11 : « Cuncta fecit bona in tempore suo. » Dat enim antithesin duplicem inter opera hominum et opera Dei : prior est, quod opera hominum non durent, nisi stato, illoque modico tempore; Dei vero opera durent in perpetuum. Posterior, quod homo pro tempore opera mutet, iisque aliquid addat vel detrahat, eo quod diminuta et imperfecta sint; Dei vero opera perfecta sint, ideoque nihil eis addi aut detrahi possit. Opera Dei intellige, tum creationem mundi, rerumque omnium, quæ in mundo sunt; tum earumdem conservationem, providentiam, et gubernationem, qua facit ut omnia stato tempore sibi succedant, nuncque sit tempus vivendi, nunc moriendi, nunc plantandi, nunc evellendi, etc. Hæc enim successio ex lege Dei est continua et perpetua. Igitur licet quoad individua singuli homines, eorumque opera in orbem succedant et abeant, aliis novis succedentibus, tamen Deus facit, ut quoad speciem eadem perdurent, scilicet ut successio individuorum cujuslibet speciei, tam animalium, quam rerum et actionum quarumlibet sit perpetua jugiterque continuet, scilicet usque ad consummationem sæculi. Et hoc maxime spectat hic Salomon, ut patet tum ex connexione hujus vers. cum vers. 1, et cæteris sequentibus hucusque; tum quia ita se explicat vers. sequenti dicens : « Quod factum est, ipsum permanet : quæ futura sunt, jam fuerunt : et Deus instaurat quod abiit. » Ne quis enim cum temporum rerumque mutatione putaret Deum, Deique decreta et opera mutari, occurrit, asseritque Deum, Deique opera et decreta esse immutabilia, ac sibi constare in perpetuum, quia Deus facit ut res incorruptibiles, quales sunt angeli, animæ, cœli, in seipsis semper durent; corruptibiles vero durent non in se, sed in continua novorum individuorum successione. Deus enim procurat et efficit, ut sit constans perpetuaque temporum rerumque omnium in eo successio, ordo, vicissitudo : hoc enim pertinet ad *Elohim*, id est ad Dei numen et providentiam, ejusque proprium est munus et officium : perpetui enim gubernatoris est, omnia suo ordine perpetuare; quare homo nil ei addere potest, nil detrahere, vel auferre; ideoque frustra ei reluctabitur vel obnitetur, quia certo eveniet id quod ordinarit, ac peribit omne id quod contra Dei ordinem molitus fuerit homo. Porro D. Thomas, I II, *Quæst.* XCVIII, art. 2, ad 2, hanc gnomen extendit ad legem veterem, cui successit lex nova. Lex enim vetus per novam impletur, perficitur, et quasi perpetuatur; quanquam de lege proprie hic non sit sermo. Ita, ut dixi, hanc gnomen explicat S. Hieronymus : « Nihil, ait, est quod in mundo novum sit. Solis cursus et lunæ vices et terræ, arborumque siccitas vel viror cum ipso mundo nata sunt, atque concreta. Et idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus est, et jussit humanis usibus elementa servire, ut homines hæc videntes intelligant esse providentiam, et timeant a facie Dei, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine atque constantia intelligunt creatorem. Invisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. »

Ex hac gnome, quod omnia opera Dei durent in perpetuum, D. Thomas, I part., *Quæst.* CIV, art. 4, colligit nullam rem creatam annihilari : quia esto sit corruptibilis quoad formam, manet tamen quoad materiam primam. Idem, *Quæst.* LXV, art. 1, ad 1, ex eadem docet creaturas quo magis appropinquant Deo, eo magis perpetuari et esse incorruptibiles : unde corpora mixta corrumpi substantialiter quoad formam, cœlos vero mutari quoad locum, angelos vero in se mutari duntaxat quoad actus internos cognitionis et volitionis. Vis ergo magis magisque firmari et stabiliri ? mentem tuam magis magisque junge Deo.

NON POSSUMUS EIS QUIDQUAM ADDERE, NEC AUFERRE. — *q. d.* Non possumus novas rerum species producere, quas non produxerit Deus ; nec etiam species a Deo productas possumus auferre et interimere. Rursum non possumus statam temporum successionem, cuique actioni et rei a Deo præstitutam, immutare vel invertere. Insuper ni-

nihil est in mundo superfluum; nihil etiam deest, quod faciat ad ejus complementum. Ipsamet animalia noxia et venenata etiam homini prosunt, quia eum « aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent, » ait S. Augustinus, lib. III *De Genes. ad litt.* cap. XVII. Esto enim possit homo ex commixtione variarum specierum simplicium, novam mixti speciem producere, ut patet in pharmacis, in monstris, in mulis, leopardis, lyciscis, etc.: hæc enim primitus non creavit Deus, sed ex commixtione ab hominibus procurata equorum cum asinis, nati sunt muli; ex commixtione leonum cum pardis, nati sunt leopardi; ex commixtione luporum cum canibus, nati sunt lyciscæ: tamen tota vis novas hasce species producendi est in natura utrique animali a Deo indita; ac proinde hæc ipsa primitus produxit Deus, non formaliter in seipsis, sed causaliter quasi in semine et radice, puta in animalibus ex quorum commixtione ista nascuntur.

Tacite hac sententia Salomon hominem avocat a vano labore, æque ac timore; nam per eum nulla rei fit accessio sine Dei ope, nec ulla decessio sine Dei nutu et voluntate, juxta illud de justis *Psalm.* XXXIII, 11: « Non minuentur omni bono, » *q. d.* Nemo justis vel minimam partem voluptatis, gaudii, aut victus eripere poterit, quia Deus eos fortunat et prosperat. Omne enim Dei opus est efficax, ratum et firmum, cum vice versa omne opus hominis ex se sit inefficax, irritum et cassum.

QUÆ FECIT DEUS UT TIMEATUR, — dum immensa ejus potentia, sapientia ex operibus et gubernatione jugiter æstimatur et celebratur; Hebræa, *ut timeant* (homines) *a facie ejus*; Arabicus, *et Deus fecit ut terrerentur a facie ejus*; Olympiodorus, *ut timeant faciem ejus*; Campensis, *in hoc fecit ut nos illum revereamur*; Thaumaturgus, *reverentia enim et admiratione digna sunt* Dei opera, ac consequenter ipse Deus multo magis, ut exsultemus ei cum tremore; S. Hieronymus, *Deus hæc omnia fecit, ut timeant homines ab eo quod semel disposuit in aliud declinare* (ut se totos divinæ dispositioni et legi subdant, nec aliud illi repugnans attentent); *pulchre autem temperavit dicens: Ut timeant a facie ejus, vultus quippe Domini super facientes mala*, Psal. XXXIII. Alludit ad etymon *Elohim*. *Elohim* enim dicitur ab אלה *ala*, id est adjuravit, obligavit, obstrinxit, quod Deus omnia creando, creaturas juramento sibi obstringat ad sui timorem, cultum, et amorem, uti dixi *Genes.* XII. Timor Dei enim in Scriptura comprehendit Dei metum, amorem, reverentiam, obedientiam, cultum illi quasi summæ majestati, summæque potestati, providentiæ et beneficentiæ debitum. « Primus in orbe Deos fecit timor, » ait Statius. Unde et nonnulli, inter quos est S. Clemens Romanus, *epist.* 1, nomen Deus, sive θεός, derivant a δέος, id est *timor*. Quis enim non timeat Deum fulminantem, tonantem, ventis, procellis et terræ motibus omnia quassantem? quis non amet dantem fruges, fructus rerumque copiam? Sic Deus a Jacobo vocatur timor Isaac, id est quem timebat et reverebatur Isaac, *Genes.* XXXI, 42. Et Deus, *Malac.* I, 6: « Filius, inquit, honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus? » Deo enim, propter summum dominium et imperium necis et vitæ, cœli et gehennæ, debemus summum timorem; eidem quasi summo omnium patri debemus summum honorem, summam obedientiam et summum amorem. Hinc Job cap. XXXI, 23: « Semper, inquit, quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. » Et S. Joannes, *Apoc.* cap. XV, 3: « Magna, ait, et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo. »

15. QUOD FACTUM EST, IPSUM PERMANET: QUÆ FUTURA SUNT, JAM FUERUNT: ET DEUS INSTAURAT ID QUOD ABIIT. — Hebræa, *id quod fuit jam est, et quod futurum est jam fuit, et Deus requirit id quod persecutioni subjacet.* Hoc enim est Hebræum נרדף *nirdaph*, quod quidam vir doctus vertit, *quod raptum est*; sed hallucinatus est: *nirdaph* enim censuit per metathesin esse נטרף *nitraph*, id est *raptum*, cum hæc duo, litteris licet affinia, significatione tamen sint valde diversa; radix enim רדף *radaph* significat persequi, טרף *taraph* vero rapere. Vers. 15.

Inculcat et confirmat id quod dixit vers. præcedenti, nimirum perpetua esse Dei opera, perpetuamque rerum temporalium successionem, v. g. « Sol qui nunc oritur, et antequam nos essemus in mundo, fuit, et postquam mortui fuerimus, oriturus est, » ait S. Hieronymus. Et: « Homo fuit, homo etiam est: arbor fuit, arbor etiam est, » ait Olympiodorus. Idem dixit cap. I, 9: quare plus hic non addam.

Pro *Deus instaurat id quod abiit*, Hebraice est, *Elohim quærit* vel *requirit persecutum* vel *insecutum*, id est præteritum, hoc est, Deus restituit et restaurat ea, quæ a tempore insequenti abrepta sunt et jam præterierunt. Unde Campensis vertit, *assidue namque revocat, quæ velut fugata hinc abierunt*; et Vatablus, *Deus inquirit id quod ab insequenti propellitur*. Inquirit, id est instaurat. Sic David *Psalm.* CXVIII, 176, petit se a Deo quæri, id est instaurari. Et Job, cap. III, 4, rogat Deum, ut non requirat, id est restituat diem, qua natus erat; et S. Hieronymus: « Deus requirit id quod periit, quod expulsum est, quod esse cessavit. » Tempus enim præteritum pulchre dicitur a præsenti et futuro propelli, et ab eo velut insequenti persecutionem pati et fugari, sicut in flumine aqua præcedens a sequenti propellitur et fugatur.

Porro Thaumaturgus hanc gnomen refert ad præscientiam et decreta voluntatis divinæ, quæ semper durant; sic enim vertit, *juxta præscientiam Dei ea, quæ olim sunt facta, nunc existunt: et futura perinde certa sunt, atque si nunc sint facta;* et Campensis, *quod fuit olim nunc est, et decretum fuit olim, ut etiam temporibus futurum esset;* insuper Hugo Victorinus censet hanc gnomen accipiendam esse, « non solum de operibus Dei, quibus creaturam mundi disponit, quod sine mutatione et confusione ordinis maneant in æternum, sed etiam de dispositione judiciorum ejus, quod legem providentiæ suæ non mutent, ut fiat quod ipse non disposuit. »

Hinc et alii hanc gnomen et præcedentem accipiunt de judiciis Dei, quibus bonos præmiat, improbos punit. Hæc enim licet Deus ad tempus intermittat, tamen mox rursum revocat et instaurat. Quocirca Septuaginta et Syrus vertunt, *Deus requirit eum qui persecutionem patitur;* Arabicus, *et Deus requirit petitum;* Symmachus, *Deus inquirit pro iis, qui vexati expelluntur, q. d.* Deus vindicat innocentis injuste afflicti injurias et necem, uti vindicavit cædes martyrum occidendo persecutores, Neronem, Decium, Diocletianum, etc.: per hanc enim persecutorum occisionem, martyrum innocentia declaratur, eorumque nomen, fama, gloria et quasi vita restituitur et instauratur. Ita S. Hieronymus : « Et Deus, inquit, quæret eum qui persecutionem patitur : utitur hoc testimonio in persecutione gentilium, ad consolandum eum qui in martyrio perseverat. Et quia omnes, juxta Apostolum, qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patiuntur, habent consolationem, quia Deus quærit persecutionem patientem, sicut requirit sanguinem interfecti, et venit quærere quod perierat, et erroneam ovem suis humeris ad gregem reportavit. » Et Thaumaturgus : « Is qui injuste læsus est, inquit, Deo auxiliatore utitur : » nam, ut ait *Eccli.* cap. I, 29 : « Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis ; » et Christus : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum,» *Matth.* V : citat urgetque hunc locum Lucifer Calaritanus Episcopus in *Apologia pro S. Athanasio.*

Accedit Chaldæus. Sed ipse hanc vindictam prorogat usque ad diem judicii : *In die judicii magni,* inquit, *futurus est Dominus, ut requirat egenum et pauperem de manu impii, qui persecutus est eum.*

Anagogice, Deus in resurrectione instaurabit corpus, quod periit, quodque passum est in martyribus, ut reviviscat et gloriosum resurgat. Ita S. Hieronymus.

Vers. 16. 16. VIDI SUB SOLE IN LOCO JUDICII IMPIETATEM : ET IN LOCO JUSTITIÆ INIQUITATEM. — Campensis, *in quo regnat impius;* alii, *in quo dominatur impietas* vel *iniquitas.*

Porro Codices Septuaginta hic variant. Vaticani enim habent, *et adhuc vidi sub sole locum judicii, illic impius : et locum justi, illic pius;* quam lectionem secutus Arabicus vertit, *cognovi quoque sub sole locum judicii, ibi est enim apostata; et locum justi, et ibi est fidelis;* nimirum pro ἀσεβής, id est impius, nonnulli legerunt εὐσεβής, id est pius. Sic quoque legit Lucifer Calaritanus, *Apologia pro S. Athanasio:* quod aliqui exponunt, *q. d.* Vidi paradisum præparatum piis, et gehennam præparatam impiis. Unde Thaumaturgus, *vidi,* inquit, *in infimis partibus punitionis quidem barathrum impios recipiens, piis autem locum alium tranquillum.* Sic et Olympiodorus, qui dubitat an paradisus sit in terra, an in cœlo, eo quod dicatur hic esse « sub sole. »

Verum Codices Septuaginta Complutenses utroque loco legentes ἀσεβής, id est *impius,* sic vertunt, *et adhuc vidi sub sole locum judicii, illic impius : et locum justorum, illic impius.* S. Hieronymus juxta editionem priscam acceptam a Septuaginta : *Vidi,* inquit, *locum judicii, ubi impietas : et locum justitiæ, ubi iniquitas.* Sic quoque Syrus : quæ sane lectio respondet Hebræo et Vulgatæ Latinæ, ideoque vera est et genuina. Accedit et Chaldæus : *Iterum,* inquit, *sub sole vidi forum judicii, in quo conscripti corrupti judices innocuos condemnarent, nocentesque sententiis suis absolverent : et locum in quo invenitur justus, præterea et impius, qui ei præsit propter peccata generationis hujus.*

Sensus ergo clarus est, *q. d.* Vidi in tribunali judicii sedentem judicem impium, qui injustas proferret sententias ; ideoque in loco, ubi regnare debebat justum judicium, vidi regnantem impietatem, ac in solio justitiæ vidi præsidentem iniquum, qui contra jus et fas judicaret, ideoque in eo vidi dominantem iniquitatem. Pro eodem sumit *judicium* et *justitiam* atque *iniquitatem* et *impietatem,* cum alioqui proprie impietas sit scelus contra Deum, iniquitas sit scelus contra æquitatem, quo justitia et jus proximi violatur. Sed, ut dixi, impietas hic accipitur pro iniquitate et injustitia, puta pro injusta judicis sententia; hæc enim recte vocatur *impietas,* quæ lædit justitiam, qua non tantum proximus, sed et Deus, qui juris et justitiæ omnis est auctor, violatur. Quare iniquus judex facit ut in solio justitiæ sedeat injustitia, in eoque velut regina imperet et dominetur, ac thronum Christi occupet Antichristus.

Igitur per locum judicii et justitiæ, proprie hic publica tribunalia et subsellia judicum intelliguntur; generatim tamen quivis locus judicandi sententiamque proferendi accipi potest, qualis est ubi lites mercatorum, agricolarum, opificum privatim dirimuntur. Porro hæc *primo,* vocat *locum judicii,* deinde *justitiæ,* ut indicet judices prius debere diligenti maturoque judicio rem examinare, antequam æquam certamque pro justitia ferant sententiam. Nota τὸ *sub sole, q. d.* Injustitia non nisi sub sole, inter homines cupi-

dos et avaros locum habet : nam supra solem in cœlis habitat justitia. Unde a Poetis fingitur Themis justitiæ dea assidere Deo supremo judici. Hinc et illud Ovidii, lib. I *Metamorph.* :

Et virgo cæde madentes
Ultima cœlestum terras Astræa reliquit,

quasi ab injustis hominibus avolans ad justum Deum. Rursus, τὸ *sub sole* notat indignitatem et impudentiam iniquorum judicum, quod in conspectu lucidissimi et purissimi solis, adeoque solis justitiæ, puta Christi Domini, audeant impuram, tenebrosam et injustam pronuntiare sententiam, itaque justitiam, velut virginem castissimam suæ fidei commissam violare, juxta illud *Eccli.* XX, 2 : « Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam : sic qui facit per vim judicium iniquum. » Quocirca in eos detonat Isaias, cap. LIX, 14 : « Conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit : quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem : et qui recessit a malo, prædæ patuit : et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. »

Difficultas hic est in nexu, qua ratione scilicet hæc gnome hic inseratur, et cohæreat cum præcedentibus.

Primo, aliqui nectunt cum τὸ *ut timeatur*, vers. 14, *q. d.* Deus fecit omnia ut timeatur; sed tanta est improbitas hominum, ut ipsum non timeant, sed palam in tribunalibus eum ejusque veritatem et justitiam, proferendo iniquas sententias, conculcent. Ita Ferus. Sed hoc longe petitum videtur.

Secundo, Hugo Victorinus, quem sequitur noster Lorinus, censet hic novum vanitatis genus recenseri. Cum enim vanitatem magnam recensuisset, sitam in temporum rerumque omnium vicissitudine et fugacitate, quasi *non satis esset malorum ex hac inconstantia*, ait Campensis, subtexuit hanc majorem de judiciorum corruptela. Ex qua, sicut et ex priori, homines accipiunt occasionem murmurandi contra divinam providentiam, quod videant « justum hic multa mala perpeti, et impium regnare pro scelere, » ait S. Hieronymus. Unde illi respondet Ecclesiastes, vers. 17, Deum hæc iniqua judicia reformaturum, et justo suo judicio jus suum cuique restituturum.

Tertio, Thaumaturgus, Didymus et Olympiodorus censent hæc spectare ad pœnas impiorum et præmia piorum, quasi post recensitas hominum vanitates et pravitates, hic eorum congruum supplicium attexat. Citavi verba Thaumaturgi initio hujus versus. Verum eorum versio, et consequenter explicatio plane dissonat ab Hebræo et a Vulgata.

Quarto, noster Pineda sic vertit, ut postquam dixerit rerum omnium humanarum vicissitudinem esse summam inconstantiam, sola autem Dei opera firma et stabilia, nunc objiciat firmiter et stabiliter visam sibi *sedere in loco judicis impietatem*, et ubi maxime videbatur regnatura justitia, *iniquitatem* dominari per summam tyrannidem, ac tam constanter exerceri judicia iniqua, ut in hac re nulla esse vicissitudo videatur, neque tempus ullum justitiæ caste et integre colendæ. Respondeat vero vers 17, non defuturum suum quoque tempus sempiternæ legi et supremi arbitri judicio, cum videlicet « justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. »

Quinto, alii qui secuti versionem Septuaginta censent versu præcedenti agi de judiciis Dei, quibus punit eos qui insontes persequuntur, apposite cum iis hanc gnomen connectunt, utpote quæ explicet hanc persecutionem maxime cerni et sentiri in impiis judicum sententiis, quibus innocentes opprimunt, ac proinde in eorum consolationem Deum hæc judicia suo tribunali correcturum.

Sexto et genuine, hic versus pertinet ad vers. 10 : « Vidi afflictionem, » etc., ut patet conferenti utrinque verba, præsertim in Hebræo. Hebræa enim hic habent, *et adhuc vidi sub sole in loco judicii impietatem, q. d.* Vidi duplicem in hac mundi vanitate hominum afflictionem. Priorem recensui vers. 10, scilicet quod homo affligatur continuo labore operum temporalium, quæ non constant nec durant, sed cum tempore volvuntur et abeunt : quare labor eorum et afflictio irrita est et vana, quia caret fructu, qui stabilis sit et perseveret. Posteriorem hic recenseo, quod scilicet in solio judicii sæpe præsideat judex impius, regnetque impietas, quæ pios et pietatem opprimat. Jungit hanc priori; quia illi similis est analogice. Illa enim afflictio laboris naturalis est et physica, hæc vero perversi judicii moralis et ethica. Atque sicut illa oritur ex vicissitudine temporum, et fugacitate rerum temporalium : sic hæc pariter oritur ex vicissitudine judicum et judiciorum, quod scilicet probis justisque judicibus in solio succedant improbi et injusti. Rursum, sicut de illis dixit Deum instaurare id quod abiit, itaque res successivas perpetuare, non in individuo, sed in specie eadem : sic hic asserit Deum instauraturum iniqua improborum judicia, cum ea publice condemnabit et puniet, justisque læsis suum jus restituet.

Igitur hæc est sequela et nexus totius capitis : versus 1, proponit hoc thema capitis : « Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. » Illud deinde probat inductione per res naturales, dicens : « Tempus nascendi, et tempus moriendi : tempus plantandi, et tempus evellendi, » etc. Ex quibus concludit vers. 10, se in omni hac temporum successione vidisse succedentem assidue laborem labori, et afflictionem afflictioni. Idem thema hic probat per res ethicas sive morales, scilicet ex eo quod in solio judicii et justitiæ justis judicibus per temporum successionem sæpe succedant injusti, qui impro-

bis patrocinentur, ac probos affligant et opprimant; sed his quoque succedet tempus divini judicii justissimi, quo Deus solio judicii justitiam ab improbis ademptam restituet, et iniquitatem ex eo deturbabit. Unde apposite ad thema : « Omnia tempus habent, » subdit sequenti vers. 17 : « Justum et impium judicabit Deus, et tempus unicuique rei tunc erit, » *q. d.* Sicut res physicæ suum tempus habent, sic et ethicæ; sicut opera operibus in tempore succedunt, sic et judicia judiciis; adeoque omnia cum tempore transeunt et evanescunt : transit enim justitia, cum a succedente iniquo judice profligatur per injustitiam : transit vicissim ejus injustitia, cum a Deo judice arguitur et plectitur. Præclare S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* : « Summus locus, ait, bene regitur, cum is, qui præest, vitiis potius quam subditis dominatur. »

Judiciorum iniquitatis schema.

Graphice hanc judiciorum iniquitatem depingit S. Cyprianus, lib. II, epist. 2 *ad Donatum* : « Sævit, ait, invicem discordantium rabies, et inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum; hasta illic et gladius, et carnifex præsto est, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens; ad hominis corpus unum, supplicia plura quam membra sunt. Quis inter hæc vero subveniat? patronus? sed prævaricatur et decipit. Judex? sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit, et ut reus innocens pereat, fit nocens judex. Flagrant ubique delicta, et passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. » Particulatim deinde modos injustitiæ enarrat, subdens : « Hic testamentum subjicit; ille falsum capitali fraude conscribit; hic arcentur hæreditatibus liberi; illic bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat, utrobique grassatur in mendacium criminum prostitutæ vocis venalis audacia, cum interim nocentes nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus est; de quæsitore, de judice pavor nullus : quod potest redimi, non timetur; esse jam inter nocentes innocuum crimen est : malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere jura peccatis, et cœpit licitum esse quod publicum est. Quis illic rerum pudor, quæ esse posset integritas, ubi qui damnent improbos, desunt? soli tibi qui damnentur occurrunt. »

Porro, afflictio hæc ethica gravior duriorque est priori physica et naturali, quia nil magis cruciat homines quam si judicentur, damnentur et puniantur ut nocentes, cum sint innocentes. Et quid indignius, quam si in solio justitiæ sedeat et præsideat injustitia? si in tribunali æquitatis regnet et dominetur iniquitas? si pietatem opprimat impietas, probitatem improbitas, innocentiam malitia, sanctitatem scelus, humanitatem tyrannis et sævitia? Audiant judices et paveant Davidem, imo Deum summum judicem iis intonantem : « Deus stetit in Synagoga deorum (judicum) : in medio autem deos dijudicat. Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? etc. Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini : et sicut unus de principibus cadetis, » *Psalm.* LXXXI, vers. 1, ubi pro *deos* hebraice est *Elohim*, id est angelos vel deos, quo significat judicem debere esse quasi angelum, imo deum inter homines, ut liber ab omni carnis et sanguinis affectione juxta Deum et veritatem sententiam ferat, itaque sit quasi « obambulans in terra deus, et sanctus in carne angelus. » Unde Philo, lib. *De Judice*, in eo requirit sinceritatem, et tranquillum animum nulli perturbationi obnoxium; ut imitetur Deum, de quo ait Sapiens, cap. XII, 18 : « Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas. » Hinc et iniquus judex hoc loco vocatur רשע *rasca*, id est inquietus, tumultuans, turbulentus; imo vocatur in abstracto רשע *resca*, id est inquietudo, tumultus, turbatio, quia omnia miscet, turbat, offuscat, pervertit. Et *Psalm.* LXXIV, 3 : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. » Audiat Josaphat regem graviter iis inculcantem : « Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum, » II *Paralip.* XIX. Hinc in Concilio Chalcedonensi et Ephesino, cap. XXII, in subsellio quasi pro tribunali collocabatur codex Evangeliorum, ut Christi judicis personam repræsentaret, quam in judicando Episcopi præ oculis haberent, atque justam ex ejus mente sententiam proferrent. Sic Æthiopes feruntur in Senatu cathedram excelsam statuere, eamque vacuam, quasi in ea resideat Deus judicii arbiter et moderator, quem proinde senatores omnes in ferendis sententiis intueri, vereri, imitarique debeant. Ægypti reges de more judices ad jusjurandum adigebant, ut etiam si quid rex juberet eos judicare, quod justum non esset, ne judicarent, ait Plutarchus in *Moral.*, qui et addit : At qui fieri potest, ut civitas judices habeat incorruptos, ubi potestatem judicandi magno vendit princeps? M. Antoninus Imperator dictitabat, « privatos quidem homines multos habere judices; principi autem nullum alium esse judicem, quam Deum. » Ita Xiphilinus in ejus Vita. Trajanus Imperator præfecto urbis strictum porrexit gladium, dixitque : « Cape ferrum hoc, et si quidem recte gessero imperium, pro me; sin aliter, contra me hoc utere. » Ita Nicephorus, lib. III *Histor. Eccles.* cap. XXIII. Cambyses Sicannum judicem, quod iniquam pecunia corruptus sententiam protulisset, excoriavit, corioque tribunal sive sellam judiciariam instauravit, ac in ea Othonem Sicanni filium judicem sedere jussit, dicens : « Memento in qua sella sedeas et judices. » Ita Herodotus, lib. V.

Evangelia in tribunali Concilii Ephesini, cur?

Vers. 17. 17. ET DIXI IN CORDE MEO : JUSTUM ET IMPIUM JUDICABIT DEUS (*in die judicii*, ait Chaldæus), ET TEMPUS OMNIS REI TUNC ERIT. — « Tunc, » scilicet in die judicii, quo judicabit Dominus. Per *justum* quemlibet accipe, sed proprie innocentem injuriam passum, et injuste ab iniquo judice condemnatum; per *impium* vero, iniquum judicem, qui insontem inique condemnavit. Hac gnome enim Salomon solatur se, et simul eos qui insontes condemnantur, spe judicii divini, quod scilicet Deus hæc iniqua hominum judicia suo æquissimo judicio reformabit et corriget, ac insonti suum jus et patientiæ coronam, iniquo vero judici meritum supplicium, et pœnam talionis decernet ac reipsa irrogabit. Hoc enim est officium *Elohim*, id est numinis et providentiæ, ut justis læsis suum jus et famam restituat, injustos vero lædentes pro meritis castiget. Imo inde colligimus esse numen, foreque universale Dei judicium; sic enim argumentamur : In hac vita sæpe innocentes a nocentibus damnantur et opprimuntur; ergo justitia et rectus rerum ordo exigit, ut sequatur Dei judicium, quo injustitiæ hæ detegantur, corrigantur, damnentur, plectantur, ac innocentibus suæ innocentiæ laus et merita restituantur. « Tunc ergo stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum, » *Sapient.* v, quia, ut ait Eccli. XXXV, 16 : « Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet. Judicabit justos et faciet judicium, donec tollat plenitudinem superborum : et sceptra iniquorum contribulet. » Ita explicat S. Hieronymus, quem audi : « Sub sole, inquit, isto veritatem et judicium exquisivi, et vidi etiam inter judicum ipsa subsellia non veritatem valere, sed munera; » sive aliter : « Arbitratus sum aliquid justitiæ in præsenti sæculo geri, vel pium nunc pro suo merito recipere, vel impium pro suo scelere puniri, et e contrario reperi quam putabam. Vidi enim et justum multa mala hic perpeti, et impium regnare pro scelere. Postea vero cum corde meo colloquens et reputans, intellexi non per partes Deum, et per singulos judicare, sed in futurum tempus reservare judicium, ut omnes pariter judicentur, et secundum voluntatem et opera sua ibi recipiant. Hoc est enim quod ait : Et tempus omni voluntati, et super omne factum ibi, id est in judicio, quando Dominus cœperit judicare, tunc futura est veritas : nunc injustitia dominatur in mundo. Tale quid et in sapientia, quæ filii Sirach inscribitur, legimus : Ne dixeris : Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim tempore suo requirentur, » *Eccli.* cap. XXXIX.

ET TEMPUS OMNIS REI TUNC ERIT. — « Tempus, » scilicet examinis, judicii et tribulationis, quo innocenti læso patientiæ corona, nocenti et lædenti supplicium pro meritis irrogetur. Hoc ergo erit tempus judicii Dei, sicut in hac vita tempus est libertatis et judicii hominum, ut agant et judicent quodlibet. Respicit ad vers. 1 : « Omnia tempus habent, » *q. d.* Impii et nocentes suum nocendi tempus habent, et innocentes patiendi; vicissim Deus habebit tempus utrumque judicandi; sicut fures suum habent tempus furandi, et prætor suum habet tempus eos suspendendi (1).

Hebræa habent, *et tempus omni voluntati, et super omne opus ibi.* S. Hieronymus ex Septuaginta in versione antiqua, *tempus est omni voluntati* (alii, *complacentiæ*) *super omne factum*, ut sit hendiadys, per quam, omissa copula *et*, voluntas cum facto et opere copuletur, *q. d.* Tempus ibi erit judicii extremi, quo scilicet Deus judicabit omnem voluntatem, id est omnem actum voluntatis, puta quidquid libere volueris, et elegeris; ac insuper omne opus quod ex hac electione patraveris, a quo judicio nulla cadit appellatio, nulla evasio, nulla excusatio. To *super* notat judicium hoc Dei superius fore et dominaturum omnibus hominum, etiam regum et imperatorum operibus, ut illi omnes se subdere, et ab eo sententiam justam æque ac inevitabilem, quam nemo evadere possit, recipiant. Hinc Pagninus vertit, *quia tempus omni est quod voluerit, et super omne opus ibi erit judicium*; Tigurina, *illic enim tempus est quo omni voluntati, et omnibus factis præmium condignum rependitur*; Vatablus, *tempus est omni rei, idque juxta omnia opera illic, q. d. Posteaquam omnia consideravi per verbum Dei, dixi apud me judicaturum esse Deum justos et impios, juxta uniuscujusque opera illic, id est in die judicii, quia omnia fiunt suo tempore;* alius, *est enim ibi tempus opportunum pro omni re et pro omni opere*; Syrus et Aquila, *quia tempus omni negotio est, et omnia opera ibi;* Arabicus, *quoniam omni rei et omni operi tempus*; Chaldæus clare, *quoniam judicium paratur omni rei et omni operi; quæ fiunt in hoc sæculo judicabuntur ibi.*

Dices : *Apoc.* X, vers. 6, angelus in fine mundi, puta sub diem judicii, jurat per Viventem in sæcula sæculorum : « Quia tempus non erit amplius; » quomodo ergo hic dicitur tunc tempus fore omni rei? Respondetur, in die judicii non erit tempus amplius merendi, vel demerendi, sed tempus judicandi et præmiandi, ut pro meritis quisque pœnam, vel præmium recipiat. Rursus tunc tempus non erit amplius, quia cessabit motus cœlorum ac consequenter tempus, quod est mensura motus. Tempori ergo succedet æternitas gloriæ in justis, et gehennæ in injustis.

(1) Sensum antecedentis et hujus versus bene declaravit D. Hieronymus : « Arbitratus sum aliquid justitiæ in præsenti sæculo geri, et vel pium pro suo nunc merito recipere, vel impium pro suo scelere puniri; et e contrario reperi, quam putabam. Vidi enim et justum multa mala hic perpeti, et impium regnare pro scelere. Postea vero cum corde meo colloquens et reputans, intellexi, non per partes Deum et per singulos nunc judicare, sed in futurum tempus reservare judicium, ut omnes pariter judicentur, et secundum voluntatem et opera sua ibi recipiant. *Ibi*, id est in judicio, quando Dominus cœperit judicare. » Totius libri scopus hic indicatur.

Hinc colligunt doctores in die judicii Deum revelaturum hominum conscientias, ut quisque videat tum sua, tum aliorum hominum quorumlibet dicta, facta, cogitata, et volita etiam secretissima, quia hoc exigit publica Dei judicis justitia, ut scilicet ex iis omnes videant juste Deum cuique gloriam, vel supplicium condignum pro meritis decernere, juxta illud Sibyllæ :

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Ita censet S. Augustinus, tract. 35 *in Joan.*; S. Basilius, tract. *De Virginit.*; Lactantius, lib. VII, cap. XXI et XXII, Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 94; Anselmus in *Elucidario*; Magister Scholasticus in IV, distinct. 43 vel 47. Hoc est quod ait S. Joannes, *Apoc.* XX, 12 : « Et libri aperti sunt, etc., et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. » Vide ibi dicta.

Vers. 18. 18. DIXI IN CORDE MEO DE FILIIS HOMINUM, UT PROBARET EOS DEUS, ET OSTENDERET SIMILES ESSE BESTIIS. — Ita passim legunt Codices Latini; unde mirum in Vaticanis legi, *dixi in corde filiis hominum*, nisi chalcographorum sit mendum. Nam et Hebræa, Chaldæa, Septuaginta, Syrus, Arabicus et cæteri habent præpositionem *de*; sic enim habent Hebræa, *dixi in corde meo de verbo filiorum Adæ*. Septuaginta et ex iis S. Hieronymus in priori sua versione per *verbum* accipiunt loquelam hominis; unde vertunt, *dixi ego in corde meo de loquela filiorum hominis, quia separabit illos Deus, ut ostendat quia ipsi jumenta sunt*. Quod S. Hieronymus sic exponit : « Hoc solum (discriminis) inter homines et jumenta Deus esse voluit, quia nos loquimur, illa sunt muta; nos voluntatem sermone proferimus, illa torpent silentio. » Et Thaumaturgus : *Discreta*, ait, *inter se sola vocis articulatione*. Olympiodorus vero pro *separabit* vertens, *judicabit*, exponit, *q. d.* De omni verbo tum oris, tum mentis, reddenda est ratio in die judicii, de quo sermo præcessit, juxta sententiam Christi, *Matth.* XII, 36 : « Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. » Septuaginta de more secutus Syrus vertit, *dixi ego in corde meo de colloquio filiorum hominum, quos creavit Deus*. Et Arabicus, *dixi autem ego in corde meo de verbis filiorum hominis, quod Deus judicaverit ea, et ostendit eis quod sint bestiæ*. Verum Noster cum Chaldæo per *verbum* melius accipit rem et negotium, per metonymiam Hebræis usitatam. Unde vertit, *de filiis hominum*. Sic et Pagninus, Tigurina, Campensis, Vatablus et alii. Nota : Pro *ut probaret eos*, hebraice est לִבְרֹם *labaram*, quod *secundo* verti potest, *ut purgaret*, vel *purificaret eos*; *tertio, ut eligeret eos* : ita Pagninus, *quarto, ut separaret, secerneret, dijudicaret eos* : ita ex Septuaginta Arabicus et Olympiodorus, *quinto, ut crearet eos*. Ita Syrus et Vatablus, qui בָּרָם *baram* derivant a בָּרָא *bara*, id est creavit, quasi א, utpote littera quiescens, sit prætermissa. Ex hisce versionibus colligas mortem et miserias corporis humani post peccatum, quibus homo similis est bestiis, hoc fine illi a Deo inflictas, *primo*, ut superbiam ejus, qua contra Deum se erexerat, humiliaret et sterneret; *secundo*, ut ejus inobedientiam judicaret et castigaret; *tertio*, ut ejus cupiditates frenaret et purgaret : mors ergo et morbi sunt superbiæ remedium, inobedientiæ supplicium, concupiscentiæ frenum et piaculum, imo sal et nitrum. Nunc ad sensum

Miseriæ hominis res fines.

Hæc sententia videtur imperfecta et pendula; quæritur ergo unde pendeat, ubi perficiatur et expleatur. Triplex est responsio : *primo* enim aliqui censent eam pendere a vers. sequenti; *secundo*, alii a vers. præcedenti; *tertio*, alii censent illam in seipsa consistere, seseque explere.

Primo ergo, aliqui eam nectunt versui sequenti hoc modo, *q. d.* Ut Deus probaret hominum fidem et spem de futura vita et beatitudine, ostendendo et faciendo eos quoad corpus similes esse bestiis, idcirco constituit, ut unus sit interitus hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio. Hoc ipso enim probat et explorat eorum fidem et spem : dum alios videt ex hac hominis et bruti æqualitate non credere animam esse immortalem, sed censere eam cum corpore mori et interire, ac proinde desperare de futura vita et felicitate; alios vero ex adverso videt solerter secernere animam a corpore, ac sentire hominem quidem bestiis esse similem quoad corpus, sed dissimilem quoad animam : hanc enim immortalem habet homo, cum bestiis omnibus illa sit mortalis, pereatque cum corpore; quare satagunt animam excolere virtutibus, ut a Deo futura gloria donentur; hos ergo sibi asciscit et beat Deus, illos vero rejicit et damnat. Hic nexus probabilis est : plane enim hæc sententia videtur spectare ad sequentia. Tantum ei obstat dispunctio, puta punctum, quod hunc versum a sequenti dispescit et discriminat; et quod pro *idcirco* hebraice sit כִּי *ki*, id est *quia*, quæ vox significat versum sequentem non explere præcedentem, sed ejus causam dare.

Secundo, alii nectunt cum vers. præcedenti, sed vario nexu. *Primo*, S. Hieronymus sic nectit : « Non mirandum inquit, in præsenti vita inter impium et justum nullam esse distantiam, nec aliquid virtutis valere; sed incerto eventu omnia volutari, cum etiam inter pecudes et homines secundum corporis qualitatem nihil differre videatur, et sit eadem nascendi conditio, sors una moriendi. » *Secundo*, Aben-Ezra, Cajetanus et Dionysius censent Salomonem hic non ex sua, sed ex Epicureorum sententia loqui, qui censent animam hominis æque ac brutorum cum corpore interire, ac proinde indulgendum esse voluptatibus hujus vitæ : nec enim sperandas esse alias in futura. Huc accedit paraphrasis Thaumaturgi : « Quomodo ergo olim insipienter censui, apud Deum reputari judicarique similiter, nihilque differre juste et injuste agere; ratione præditum, vel brutum esse. Quia omnibus sine discrimine tempus dispen-

satur, et mors irrogatur. » *Tertio*, noster Pineda magis cordate censet Salomonem hic significare, quod Deus in die judicii examinaturus sit cujusque hominis vitam, an scilicet ille vixerit ut homo, an ut bestia; iniqui enim judices, qui, ut dixit vers. 16, sontes justificant, insontes condemnant, vivunt ut bestiæ, imo sicut feræ, similesque sunt leonibus et lupis, qui animalia cætera laniant et vorant, juxta illud : « Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super pauperem, » *Prov.* cap. XXVIII, 15; et iterum *Habac.* I, 13, 14 : « Quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se? et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. » Major enim piscis devorat minorem, idque impune nullo prohibente. Unde Campensis vertit, *cum non invenirem causam aliam quare Deus hæc permitteret, visum est mihi velle illum hujusmodi humanis tumultibus hominem sic exercere, ut videat se in hac vita parum differre a brutis; non aliter enim inter se homines tumultuantur, nec majori separatione, quam bruta inter sese.*

Tertio et genuine, hæc sententia per se consistit et in seipsa expletur, ut patet ex Hebræo qui sic habet, *dixi in corde meo super verbo* (id est super re et negotio) *filiorum Adam* (id fieri hoc fine), *ut probaret eos Deus* (1).

Vis et energia sententiæ consistit in τῷ *super negotio filiorum Adæ, q. d.* Corde meo considerans negotium, id est conditionem, naturam et sortem filiorum Adæ, quod scilicet ex adama factus sit Adam, id est ex humo creatus sit homo; ideoque similis bestiis in edendo, bibendo, generando, ambulando, dormiendo, moriendo, etc. Hoc, inquam, negotium hominum considerans, dixi de eo, ipsum hoc fine esse factum a Deo, ut per illud probaret homines, an scilicet credant et sperent animæ immortalitatem et gloriam suam æternam, *q. d.* Ut experiretur Deus hanc hominum fidem et spem, ostendendo eos exterius similes esse bestiis, quæ carent omni fide et spe; ideo dedit eis corpus terrestre, corruptibile et mortale, quale habent bestiæ : insipientes enim et carnales ex hoc conjiciunt animam suam, æque ac corpus, similem esse animæ bestiarum, ac cum corpore morituram, ideoque dant se ventri et veneri; sapientes vero secernunt animam a corpore, ac animam hominis rationalem et immortalem esse censent, bestiarum vero irrationalem et mortalem; ideoque satagunt vivere, non ut bestiæ, sed ut angeli, ut eorum felicitatem adipisci mereantur. Ita Olympiodorus : *Monet nos per hæc*, inquit, *ne corpori indulgeamus, sed animam quæ prædita est ratione, qua similes angelis sumus, virtutibus excolamus.* Et Vatablus, *æstimavi in corde meo conditionem hominum, ut Deus excellentissimos creaverit, simul cernens quomodo ipsi sese in pecudum conditionem abjiciunt.* Et Chaldæus, *dixi ego in corde meo propter negotium filiorum hominum, quibus adduxit Dominus plagas et infirmitates malas, ut tentaret eos, et ut probaret eos, fecit Deus; ut videret, si converterentur ad pœnitentiam, ut dimitteret eis, et sanarentur. Impii autem, qui sunt sicut jumenta, non convertuntur, ideoque corripiuntur, ut male sit eis.* Videtur Chaldæus pro דבר *dabar*, id est verbum, aliis punctis legisse דבר *deber*, id est pestis, mortalitas, mors. Unde vertit, *quod venient super eos percussiones et morbi mali :* pessimus enim est pestis.

Porro, licet non sit necesse scrupulose scrutari hic omnium sententiarum inter se connexionem, eo quod Salomon hic varias vanitatis mundi species sigillatim recenseat, et ab una ad aliam plane diversam sine ordine et nexu transeat, tamen hoc loco commoda connexio et transitio assignari potest. Dixerat enim vers. 16, inter alias vanitates, non minimam esse iniquitatem judiciorum et judicum qui reos absolvunt, ac insontes damnant et morte plectunt. Jam similem illi vanitatem attexit, scilicet quod homines quoad corpus sint similes animalibus et bestiis, adeo ut ipsimet vere animalia sint, et nonnullis bestiæ et bruta esse videantur, præsertim quia unus est interitus hominum et bestiarum. Si dicas discrimen esse quoad animam, quod hominum anima sit immortalis, adeoque judicanda a Deo, ut præmium, vel supplicium æternum recipiat, uti dixit vers. 17, brutorum vero anima sit mortalis et pereat cum corpore; subjungit multis hoc esse obscurum et dubium, imo si externa et sensus spectes, videri falsum. Multi enim, ex eo quod videant homines mori ut bruta, censent animam hominum interire, uti interit anima brutorum. Hoc est enim quod ait vers. 21 : « Quis (quotusquisque) novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum? » atque hæc maxima hominis est vanitas, imo ærumna, error et vitium : nimirum quod animæ suæ nobilitatem et æternitatem ignoret, ac proinde non curet bene vivendo illi consulere, ut in æternum illam beet, sed voluptatibus illicitis se dedat, quibus æternum ignem illi accersit. Ne quis vero putet vere rem ita se habere, scilicet ex interitu corporis hominis, recte colligi interitum animæ ejusdem, addit Deum id fecisse, ut probaret et tentaret homines, hominumque de animæ immortalitate fidem et spem. Unde paulo ante clare dixit et edixit : « Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit, » quo clare significat animæ immortalitatem, ejusque pro meritis judicium præmiumque, vel supplicium æternum.

(1) Ex hebr. verte, *dixi ego in corde meo super rationem filiorum hominis*, de eorum ratione et conditione, eam esse talem, *ut declaret iis Deus, et ut videant quod ipsi tanquam bestiæ sint sibi*, id est ipsi, ipsissimi. Alii, eodem tamen sensu : *Dixi ego in corde meo* (hoc fit, id est, hæ injuriæ fiunt *propter homines, ut exploret eos*, eorum fidem et fidelitatem, *Deus, et ut videant* homines *se esse bestias*, naturas terrestres et caducas. *Leboram*, contractum pro *leboreram*, infinit. *pihel* verbi *barar*.

Homo videtur sibi bestia. Primo. ET OSTENDERET SIMILES ESSE BESTIIS. — Hebræa, *ad videndum quod ipsi jumenta ipsi sibi*; quod varie accipi potest: *primo, q. d.* Ut videre liceat quod ipsi sint jumenta, ipsi, inquam, apud se. Unde Arabicus vertit, *ostendit eos quod ipsi sunt bestiæ.* Sic Secundo. et Septuaginta Complutenses; *secundo, q. d.* Ut ostenderet hominem in hominem grassari instar bestiæ, juxta illud: « Homo homini lupus; » *tertio, q. d.* Tertio. Ut ostenderet quod, sicut homines sunt jumenta et bestiæ cum bestiis, sic vicissim bestiæ sint bestiæ ipsis hominibus, dum in eos sæviunt eosque laniant et devorant, ut faciunt leones, lupi, tigrides, pantheræ, etc.; *quarto*, pro *ipsi sibi*, verti Quarto. potest *ipsis sibi, q. d.* Homo non tantum quoad corpus, sed etiam quoad suam opinionem, secundum animam ac mores bestiales, atque ignorantiam, quæ eum facit propriæ oblivisci dignitatis, perinde ac si nihil differret a bestiis, illis similis esse videtur. Sicut Nabuchodonosor similis factus est bovi, partim quoad figuram corporis, quia incedebat ut quadrupes, et herbis vescebatur ut bos; partim quoad corruptam suam imaginationem, qua sibi videbatur esse pecus, *Daniel.* IV, 22. Denique homo, qui vivit ut bestia, Quinto. moritur ut bestia. *Quinto*, Cajetanus vertens, *et ad videndum quod ipsi bestia ad ipsos*, exponit, *q. d.* Homo est bestia ad seipsum, id est, homo est politica quædam bestia, quoniam communicant homines inter se, sed alii dolose, ut vulpes; alii crudeliter, ut lupi; alii superbe despiciendo cæteros, ut leones; alii gulose, ut porci; alii libidinose, ut asini, etc. Pro *bestiis* enim hebraice est בהמה *behema*, quod omne quadrupes, sive cicur et mansuetum, uti sunt equi, oves et boves; sive agreste et ferum, uti sunt lupi, leones, pardi, significat. Unde elephas vocatur *behemoth*, id est bestiæ, in plurali, quod mole corporis multarum sit instar bestiarum, *Job* XL, 10. Noster crebro vertit, *jumenta.*

Homo ergo similis est bestiis, quæ impetu passionum, non judicio rationis aguntur, nec uni bestiæ, sed omnibus pejor est bestiis. Bestiæ enim non sæviunt in bestias ejusdem speciei, sed in illas quæ sunt diversæ; at homo in hominem sævit. Homo igitur imitatur, imo superat canis invidiam, lupi voracitatem, leonis superbiam, tigridis sævitiam, asini acediam, serpentis malitiam, vulpis fraudulentiam, suis immunditiam, hirci luxuriam; ubi nunc est gloriatio tua, o nobilis? quid te jactas, o dives? quid pauperem spernis? quid ignobilem alloqui dedignaris, cum non tantum homini pauperi, sed et jumentis, porcis et hircis factus es similis, par et æqualis? Ito nunc auro splendidus, alto supercilio tumidus, equis rhedisque superbus, famulorum turba magnificus; sed inspice te, memento quia comparatus es jumentis insipientibus, et similis factus es illis.

Tropologice, vestes bestiarum pelliceæ, quibus Deus induit Adamum post peccatum, significant nos bestiarum indolem per illud induisse; ideoque cum eis exuturos corium mortalitatis, ait S. Augustinus in *Psalm.* CIII.

19. IDCIRCO UNUS INTERITUS EST HOMINIS ET JUMENTORUM, ET ÆQUA UTRIUSQUE CONDITIO: SICUT MORITUR HOMO, SIC ET ILLA MORIUNTUR: SIMILITER SPIRANT OMNIA, ET NIHIL HABET HOMO JUMENTO AMPLIUS: CUNCTA SUBJACENT VANITATI. — Thaumaturgus, *neque esse jura mortis severiora in alia animantia quam in homines.* Chaldæus hæc arctat ad hominem peccatorem: sic enim vertit, *quoniam occasus hominis peccatoris et occasus bestiæ immundæ, occasus unus est omnibus his; et sicut moritur bestia immunda, sic moritur iste, si non convertitur ad pœnitentiam ante mortem; et spiraculum spiritus amborum simul judicabitur omnimodo, et nihil amplius remanet de viro peccatore, quam de jumento immundo; neque est alia differentia inter ambos, nisi domus sepulturæ, quoniam omnia sunt vanitas.* Vers. 19.

Hinc nonnulli opinati sunt impios tam quoad animam, quam quoad corpus interire, ut bruta. Verum hic est error: quare perperam Chaldæus hæc arctat ad peccatorem, cum Hebræa, Græca, Syra, Arabica habeant absolute et generatim, *unus interitus est hominis et jumentorum.*

Pro *interitus* hebraice est מקרה *micre*, id est *accidens*, ita Syrus; *eventus*, ita Septuaginta; *sors*; ita Arabicus, *conditio, occursus, casus*; puta iidem affectus, eædem cupiditates, iidem morbi et ærumnæ, iidem casus, iidem mores et vitia. Unde Olympiodorus vertit, *jumentorum itaque brutalis vita, quæ veneri indulget, vanitas mera est.* Noster tamen vertit, *interitus*, sive mors, quia ipsa est accidens omnibus hominibus commune, necessarium, certum, inevitabile; dies tamen ejus et hora est anceps et incerta. Rursum mors homini est casus ultimus, in quem omnes alii humanæ vitæ casus recidunt, uti dixi cap. II, 14; et hoc voluisse Salomonem patet ex eo quod *micre*, id est accidens, et casum hunc explicans subjicit: « Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. »

An Ecclesiastes loquatur ex mente infidelium? Nonnulli censent Salomonem hic loqui non ex sua, sed ex epicureorum sententia, qui negant animæ immortalitatem; ita Thaumaturgus, Clarius et S. Gregorius, IV *Dialog.* cap. IV, quem audi: « Concionator noster velut ex mente infirmantium humanæ suspicionis sententiam proponit, dum dicit: Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumentis amplius. Qui tamen ex definitione rationis suam postmodum sententiam profert, dicens: Quid habet amplius sapiens a stulto, et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita? Qui igitur dixit: Nihil habet homo jumentis amplius, ipse rursum definit, quia habet aliquid sapiens non solum amplius a jumento, sed etiam ab homine stulto, videlicet ut pergat illuc ubi est vita. Quibus verbis primum indicat, quia hic hominum vita non est, quam

esse alibi testatur. Habet ergo homo hoc amplius jumentis, quia illa post mortem non vivunt; hic vero tunc vivere inchoat, cum per mortem carnis visibilem hanc vitam consumat. » Probat deinde idipsum alio Ecclesiastæ testimonio « qui etiam longe inferius dicit : Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas. Quomodo ergo unus interitus hominis et jumenti, et æqua utriusque conditio? aut quomodo nihil habet homo jumentis amplius, cum jumenta post mortem carnis non vivunt, hominum vero spiritus pro malis suis operibus post mortem carnis ad inferos deducti, nec in ipsa morte moriuntur? Sed in utraque tam dispari sententia demonstratur, quia concionator verax et illud ex tentatione carnali intulit, et hoc postmodum ex spiritali veritate definivit. »

Respond. negative.

Melius alii censent Salomonem ex sua mente et sensu loqui, *q. d.* Deus volens hominis fidem probare et explorare, fecit eum quoad corpus similem bestiis : idcirco sicut interit et moritur corpus bestiæ, sic et hominis. Corpus enim hominis simile est corpori bestiarum, sicut in ortu et progressu, sic in occasu ac morte. Oritur enim et nascitur ex terra, progreditur sive continuat vitam spirando, puta per respirationem. Occidit et moritur, dum in terram, ex qua ortum est, redit. Ita S. Hieronymus : « Ne putaremus, inquit, dici de anima, intulit : Omnia facta sunt de terra, et revertentur in terram; de terra autem nihil aliud nisi corpus factum est. » Et S. Thomas, I part. *Quæst.* LXXV, art. 6, ad 1, notat hæc dici de corpore hominis, non de anima, idque hac ratione probat : « Nam anima brutorum, inquit, producitur ex virtute aliqua corporea (virtute seminis per traducem; sicut enim lux unius candelæ lucem in alia accendit, sic anima vaccæ, ovis, lupi, leonis, etc., producit animam vituli, agni, lupi, leonis, quem generat); anima vero humana producitur a Deo, et ad hoc significandum dicitur *Genes.* I, quantum ad alia animalia : Producat terra animam viventem. Quantum vero ad hominem dicitur, quod inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Et ideo concluditur *Eccle.* cap. ult.: Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Similiter processus vitæ est similis quantum ad corpus, ad quod pertinet quod dicitur in *Eccle.* : Similiter spirant omnia. Et *Sap.* II : Fumus et flatus est in naribus nostris, etc.; sed non est similis processus quantum ad animam : quia homo intelligit, non autem animalia bruta; unde falsum est quod dicitur : Nihil habet homo jumento amplius; et ideo similis est interitus quantum ad corpus, sed non quantum ad animam. » Hucusque Doctor Angelicus.

Homo similis bestiis corpore, non anima.

Rursum « idem est interitus hominis et jumentorum, » quia quantum per sensum et experientiam colligi potest, idem est modus generationis et corruptionis in jumentis, qui est in homine (simili enim modo procreantur et senescentia moriuntur jumenta, quo homines), excepta duntaxat differentia perfectionis et subsistentiæ formæ humanæ, puta animæ rationalis, quam ex modo generationis et corruptionis hominis non colligeremus, nisi illa aliunde nobis innotesceret, puta ex spiritali operatione intellectus, qua etiam Deum et angelos incorporeos intelligit, ac libera voluntatis, ex exstasi et raptu, ex meritis et demeritis, et maxime ex actibus gratiæ, atque ex fide et revelatione sanctæ Scripturæ.

Moraliter S. Bernardus toto serm. 82 *in Cantic.*, pulchre ex hoc loco docet quod anima hominis, quæ Deo similis est, creata in simplicitate, immortalitate et libertate, per peccatum in tribus hisce facta sit illi dissimilis, similisque bestiis : sic enim ait : « Inde (ex peccato) anima dissimilis Deo, inde dissimilis est et sibi; inde comparata jumentis insipientibus et similis facta est illis; inde quod legitur commutasse gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum; inde homines tanquam vulpes duplicitatis et fraudis foveas habent; et quia pares vulpibus se fecerunt, partes vulpium erunt; inde juxta Salomonem unus exitus homini et jumento : quidni similiter exeat qui similiter vixit? more bestiali incubuit terrenis, more bestiali excedet terris. Audi aliud : Quid mirum si similem sortimur exitum, qui et similem habemus introitum? unde enim homini bus, nisi de similitudine bestiali, ille tam intemperans ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Ita homo in conceptu et ortu in vita et morte comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Quid, quod libera creatura sibi subditum appetitum non regit ut domina, sed sequitur et obsequitur ut ancilla? Nonne et in hoc se assimilat et annumerat cæteris animantibus, quæ natura non in libertatem vocavit, sed condidit in servitutem, servire suo ventri, appetitui obedire? »

SIMILITER SPIRANT OMNIA. — Hebraice, *unus* רוח *ruach*, id est, *spiritus est omnibus. Spiritus*, id est halitus sive respiratio, ut vertit Symmachus; *flatus*, sive aura vitalis, ut vertit Vatablus : omnia enim animalia æque ac homo respirant, ac respiratione attrahunt aerem, ut calorem cordis et viscerum temperent, itaque vitam conservant et prorogant : unde cum respiratio vel strangulatione vel catarrho impeditur, homo suffocatur et moritur. Vide Aristotelem, lib. *De Respiratione.* Hinc anima nonnullis dicitur ab ἄνεμος, id est aura, ventus, ait Isidorus lib. XI *Origin.* cap. I, licet ipse id refutet, additque : « Anima est vitæ, animus consilii; anima enim est spiritus quo vivimus, ait Nonius, animus quo sapimus. » Græce dicitur ψυχὴ a ψύχεσθαι, id est a refrigerando. Unde Campensis vertit, *nec apparet aliam hominis, aliam brutorum esse animam*, id est halitum vitalem.

Notant Rabbini nonnulli animam Hebraice tria habere nomina, quæ triplicem ejus vim significent, scilicet נשמה *nescama* significare vim rationalem, quæ est radius divinitatis; נפש *nephes*, vim sensitivam; רוח *ruach*, vim vitalem. Hinc R. Abraham *nescama* constituit in cerebro, *nephes* in jecore, *ruach* in corde : sicut physici et medici triplices constituunt in homine spiritus, scilicet rationales, qui subserviunt discursui et speculationi mentis; animales, qui subserviunt sensationi et ambulationi; vitales, qui subserviunt respirationi et vitæ. Verum hoc discrimen non est perpetuum : nam *ruach* significat quoque vim rationalem, ut patet vers. 21, et cap. XII, 7. Imo Spiritus Sanctus, qui non tantum est rationalis, sed et divinus, imo Deus, in Scriptura et a Rabbinis passim vocantur *ruach haccados*.

ET NIHIL HABET HOMO JUMENTO AMPLIUS. — Septuaginta, *et quid abundavit homo a pecore? nihil;* Theodotion, *quæ præstantia hominis?* Symmachus, *et quid amplius habet homo pecore?* Tigurina, *nec habet homo quidquam præstantius pecore.* Alii, *dignitas hominis supra belluis nulla,* scilicet quoad corpus; nam quoad animam homo habet vitam perennem et immortalem, quam non habent bruta. *Nihil,* ergo subaudi quoad corporis mutabilitatem, mortem et externa omnia. Unde Chaldæus vertit, *residuum viri pro jumento non est quidquam inter utrumque, nisi domus sepulcri.* Nobiles enim et divites inter homines splendida sibi erigunt sepulcra, qualia non eriguntur bestiis.

Cavendus hic est Commentarius Vatabli vel potius Vatablo ab hæreticis insertus, qui sic explicat, *q. d.* « Humana ratio sola non deprehendit excellentiam hominis supra belluas, quia quidquid videtur oculo rationis in homine est vanissimum. » Hoc enim erroneum est et sapit Epicureismum. Nam certum est seclusa fide, sola ratione naturali, cognosci hominem præstare bestiis per animam rationalem et immortalem. Animam enim hominis esse immortalem multis rationibus naturalibus probant et invincunt physici in lib. *De Anima.* Quocirca Doctores, qui Vatablum castigarunt, censoria virgula hunc locum notarunt, ac verba jam citata expunxerunt.

Mystice S. Hieronymus : Homo, inquit, est justus, jumentum peccator, qui sæpe per Dei gratiam et pœnitentiam justum æquat, imo superat; de quo mox plura.

Vers. 20. 20. ET OMNIA (*omnia,* id est utraque, scilicet homo et jumenta : de his enim solis sermo præcessit) PERGUNT AD UNUM LOCUM (in terram, ut sequitur) : DE TERRA FACTA SUNT, ET IN TERRAM PARITER REVERTUNTUR. — Septuaginta et Syrus, *omnia facta sunt de pulvere, et omnia revertentur in pulverem.* Nam hebraice pro *terra* est עפר *aphar,* id est pulvis, scilicet aqua mixtus, puta limus vel lutum. S. Hieronymus : *Omnia de humo facta sunt, et omnia revertentur ad humum.*

Alludit, imo citat illud *Genes.* III, 19 : « Donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. » Vide ibi dicta. Hinc terra ab *Eccli.* cap. XL, 1, vocatur mater omnium; quocirca Junius Brutus accepto Delphis Apollinis oraculo, eum dominaturum Romæ, qui primus osculatus fuisset matrem, illico osculatus est terram, ac ejectis Tarquiniis regibus, primus Romæ consul creatus est, teste Livio, lib. I. Simile somnium Julio Cæsari orbis imperium portendisse narrat Suetonius in Vita ejus, cap. VII. Hinc quoque prisci gentiles, teste Varrone, lib. I *De Lingua Latina,* puerum recens natum in terra statuebant, et Opem deam (id est *Terram*) implorabant, quam et Levanam, a *levando* de terra nuncupabant, et Faunam a *favendo,* et Fatuam a *fando,* quasi non ante contactum ejus fari fas sit; et Maiam ac Bonam, denique Magnam Matrem. Ita noster Lorinus.

Vers. 21. 21. QUIS NOVIT SI SPIRITUS FILIORUM ADAM ASCENDAT SURSUM, ET SPIRITUS JUMENTORUM DESCENDAT DEORSUM. — Hebræa, Septuaginta et Syrus addunt, *in terram;* Arabicus, *ad profundum terræ;* Campensis, *quotusquisque interim novit an hominis ascensura sit sursum; an anima reliquorum animantium cum corporibus interitura sit?*

S. Gregorius, IV *Dialog.* cap. IV, Olympiodorus, Lyranus, Bonaventura, Cajetanus et alii censent hæc dici a Salomone, non ex persona et mente sua, sed impiorum, puta Epicureorum negantium animæ immortalitatem, vel certe de ea dubitantium. Id enim verba præ se ferunt. Unde Thaumaturgus vertit, *insipienter olim censui,* etc., *incertum esse de animabus humanis, an in altum subvolaturæ sint, et de reliquis brutorum, an deorsum defluxuræ sint.*

Verum si antecedens de similitudine similique interitu hominis et bestiarum, quod ex suo sensu posuit vers. 18 et 19, ac conclusionem quam ex eo elicit vers. 22, dicens : « Et deprehendi nihil esse melius quam lætari, » etc., intuearis, omnino censebis eum hic pariter ex sua mente sensuque loqui, ut scilicet significare velit homines, præsertim illius ævi rudes et animales, ex eo quod vident corpora hominum corrumpi et mori æque ac jumentorum, atque externa omnia simili modo se habere in homine ac in brutis, interna vero hominis, præsertim animam et spiritum non pervident, idcirco vix perspicere animam hominis esse immortalem, cum brutorum sit mortalis. Sensus ergo est, *q. d.* Quis novit, id est quotusquisque novit et certo sibi persuadet spiritum, id est animam hominis post mortem corporis ascendere sursum ad Deum, qui illam creavit, ut illam velut immortalem judicet, ac pro meritis immortale illi præmium, vel supplicium decernat, ac reipsa tribuat, animam vero brutorum descendere in terram, ut corpore in pulverem resoluto intereat et evanescat, quasi dicat : Pauci hoc noverunt, idque ægre admodum, difficulter et dubie; adeo ut Aristoteles, vir summi ingenii, a

multis putetur de animæ immortalitate dubitasse. Ita S. Hieronymus : « Quis novit si spiritus filiorum Adam, etc. Non inter pecudes et hominem, inquit, secundum animæ dignitatem nihil interesse contendit, sed adjiciendo : Quis difficultatem rei voluit demonstrare ? Pronomen enim *quis* in Scripturis sanctis non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur, ut *Isaiæ* XXXV, 8 : Quis enarrabit? *Psal.* XIV, 1 : Quis habitabit? *Jerem.* XVII, 9 : Quis cognoscet ? »

S. Hieronymum de more sequitur Alcuinus, Salonius, Hugo Cardinalis et passim Latini. Hinc et Chaldæus vertit, *quis adeo sapientia excellit, ut ei exploratum esse possit, num animi hominum in cœlum pervolent, spiritus vero jumentorum descendat sub terram?* Atque hæc est insignis hominum vanitas, ignorantia et error, quam hic deplorat Salomon, quod scilicet seipsos, hoc est animam suam ejusque conditionem non cognoscant, nesciantque an mortalis sit, an immortalis; an in cœlum, an in terram reditura sit. Nam philosophi, ac inter eos divinus Plato hac de re dubie, obscure, frivole locutus est. Plato enim in *Phædro* et alibi, Deum vocat mundum, qui circulo fertur. In hujus convexa parte ait existere ideas veras, quas anima alis subvecta contempletur, donec redire domum cogatur. Postea negat eodem reverti eam, nisi elapsis decem mille annis, donec alæ recrescant : nisi quis sincere sit philosophatus, cur reditus detur post tres mille annos, etc. Homines assignat certis planetis quos quisque sequatur, et cum eis lustret ideas mundi intellectualis. Epicurus quoque hoc sorite ridebat mortem, dicens eam « nihil ad nos pertinere; quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu : quod autem sine sensu sit, id nihil omnino ad nos pertinere, » inquit Cicero, lib. II *De Finib.* Soritis vitium et paralogismum detegit Tertullianus, lib. *De Anima* : « Dissolvitur, inquit, et caret sensu non ipsa mors, sed homo qui eam patitur. At ille dedit ei passionem, cujus est actio; quod si hominis est pati mortem dissolutricem corporis et peremptricem sensus, quam ineptum, ut tanta vis ad hominem non pertinere dicatur! » Adde sensum animæ morte non exstingui, imo illo eam sentire ignes æternos, iisque uri in gehenna.

Platonis de anima deliria.

Nota : *Spiritum hominis ascendere sursum*, multa significat : *primo*, animam hominis non esse e terra, nec ex traduce animæ parentum generari, uti generantur animæ brutorum, quæ proinde cum corpore moriuntur, et resolvuntur in terram, ex qua prodierunt; sed sursum e cœlo a solo Deo creari, et creando homini infundi : ideoque illam esse spiritualem et immortalem, ac proinde post mortem corporis ad Deum creatorem suum reverti et sursum ascendere, ut illi se sistat et reddat, juxta illud cap. XII, 7 : « Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. » Hinc animam hominis Poeta dixit esse « divinæ particulam auræ. » Et alius : « Igneus, ait, est illis vigor, et cœlestis origo. » Itaque ex hoc loco non infirmatur, sed potius confirmatur animæ hominis æternitas et immortalitas. Eamdem clare astruit cap. XI, ult., et cap. XII, 8 et 15.

Spiritum ire sursum significat, Primo.

Secundo, quod ascendat ad Deum velut ad suum judicem, ut prout gessit in vita bonum vel malum, ab eo sententiam supplicii vel præmii accipiat. Licet enim doctores graves, ut Dominicus Soto in IV, dist. 45, art. 3, conclus. 2; Franciscus Suarez, III part., tom. II, *Quæst.* LIX, art. 6, disp. 52, sect. II; Gregorius de Valentia, tom. IV, disp. 11, *Quæst.* I, punct. 2; Bartholomæus Sibylla in *Quæst. peregrinis*; Petrus Thyræus, lib. I *De Apparit. spirit.* cap. XIV, num. 134; Henricus Henriquez, lib. ult. *Summæ*, cap. XXV, § 1, et alii censeant animam post mortem hominis judicium particulare subire, dum adhuc est in corpore, ac judicari primo instanti post mortem, ut peracto judicio mox e corpore vel in cœlum, vel in infernum deferatur : tamen per catachresin dicitur anima ascendere sursum, quia ascendit ad Deum judicem, qui sursum in cœlis habitat, ibique in throno gloriæ cum angelis residet. Unde S. Augustinus, vel quisquis est auctor, lib. *De Vanitate sæculi*, cap. I : « Cum anima, inquit, separatur a corpore, veniunt angeli, ut perducant illam ante tribunal Judicis. » Idem asserit S. Chrysostomus, homil. 1 *in Matth.* Quocirca Suarez loco citato ait animas dici ascendere in cœlum, quia elevantur intellectualiter ad audiendam sententiam Judicis, puta Christi hominis, quod ipse subinde per se, subinde per angelos exercet, inquit Thyræus, esto judicandi nec Christum, nec angelos videant.

Secundo.

Tertio, significat animam hominis creatam esse a Deo, ut cœlo cœlestique felicitate fruatur : quare illam, si ex Dei lege vixit, ab eo cœlo gloriaque æterna donari et beari. Hinc Apostolus ait quod, Christo veniente ad judicium, « simul rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus, » I *Thess.* IV, 17. Ita S. Bonaventura, Lyranus, Cajetanus, Dionysius et alii.

Ad hanc expositionem accedunt, qui sic explicant, *q. d.* Quis novit, id est quis oculis conspexit, aut evidenti ratione et clara demonstratione cognovit, animam hominis esse immortalem et cœlestis gloriæ capacem; brutorum vero esse mortalem, et in terram ire? Multi enim non credunt, nisi quæ oculis conspiciunt, præsertim circa futura bonorum præmia in cœlo, et malorum supplicia in inferno. Unde dives epulo petebat ab Abraham mitti Lazarum ad fratres suos, qui testaretur eum torqueri in gehenna; cumque Abraham diceret : « Habent Moysen et Prophetas, audiant illos, » regessit : « Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent, » *Luc.* XVI, 29. Sic *Genes.* III, 7, de Adam et Eva post peccatum dicitur : « Cognoverunt (id est senserunt et viderunt) se esse nudos. » Ita Hugo : « Nemo, inquit, hominum hoc scit, quemadmodum sciuntur ea quæ videntur et audiuntur. et tanguntur et

cæteris sensibus percipiuntur; non enim putant scire aliquid posse, nisi oculo carnis videatur et contingatur sensu. »

Porro Cajetanus sic explicat, *q. d.* « Quis novit, » id est nullus novit. « Nullus enim philosophus, inquit, hactenus demonstravit animam hominis esse immortalem; et nulla apparet demonstrativa ratio, sed fide hoc credimus, et rationibus probabilibus consonat. » Sic et Vatablus, Campensis, Ferus, quin et Scotus in IV, dist. 43, *Quæst.* II. Verum hos refellit Melchior Canus, lib. ult. *De locis*, cap. ult.; et S. Augustinus, lib. *De Immort. animæ*, duodecim rationibus physicis probat eam esse immortalem; atque passim alii verius censent ratione naturali demonstrari posse animam hominis esse immortalem; sed hanc rationem non capiunt nisi rari, qui celso et perspicaci sunt ingenio. Quare multi fidelium potius fide credunt, quam per rationem sciunt animam esse immortalem.

Rursum R. Salomon exponit, *q. d.* « Quis novit, » id est quis cogitat, quis advertit, quis considerat animam esse immortalem, ut ex hac consideratione moveatur ad sanctam vitam, ut animæ saluti consulat, *q. d.* Pauci id faciunt, pauci id practice sciunt. Sic de Deo dicitur *Psal.* CXXXVIII, vers. 1 : « Tu cognovisti (id est tu advertis, inspicis, consideras) sessionem meam, et resurrectionem meam. »

Denique S. Hieronymus hæc exponit de limbo patrum, ad quem tempore Salomonis post mortem descendebant animæ justorum : multi enim ignorabant ubinam hic limbus foret, an sursum in cœlo, an deorsum in inferno, *q. d.* Quis novit quonam eant animæ eorum qui nunc moriuntur, an scilicet ascendant in cœlum, an descendant in infernum? Audi S. Hieronymum : « Hoc autem dicit, non quod animam putet perire cum corpore, vel unum bestiis et hominibus præparari locum, sed quod ante adventum Christi omnia ad inferos pariter ducerentur. Unde et Jacob pariter ad inferos descensurum se dicit. Et Job pios et impios in inferno queritur retentari. Et Evangelium, chaos magnum interpositum apud inferos, et Abraham cum Lazaro et divite in suppliciis esse testatur; et revera antequam flammeam illam rotam, et igneam romphæam ad paradisi fores Christus cum latrone reseraret, clausa erant cœlestia, et spiritus pecoris hominisque æqualis utilitas coarctabat. Et licet aliud videretur dissolvi, aliud reservari, tamen non multum intererat perire cum corpore, vel inferni tenebris detineri. »

Moraliter, hic disce quanta sit vanitas et cæcitas animæ, quæ seipsam suasque dotes et æternitatem non perspicit, nisi a Deo illuminetur. S. Augustinus, epistola 100 *ad Evodium*, narrat Gennadium medicum, dubitantem de immortalitate animæ, per Angeli apparitionem in somnis eamdem fuisse edoctum. Dicebat enim illi angelus : « Ubi est modo corpus tuum? ille respondit : In cubiculo meo. Scisne, inquit ille, in eodem corpusculo nunc illigatos esse, et clausos et otiosos oculos tuos, nihilque illis oculis te videre? Respondit : Scio. Tunc ille : Qui sunt ergo, inquit, isti oculi quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit, et continuo : Sicut, inquit, illi oculi carnis utique in dormiente atque in lectulo jacente nunc vacant, nec aliquid operantur, et tamen sunt isti quibus me intueris, et ista uteris visione : ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit qua vivas, sensusque quo sentias. Cave jam deinceps, ne dubites vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit hujus rei dubitationem, quo docente, nisi providentia et misericordia Dei. »

Exempla de immortalitate animæ.

Simile exemplum probans animæ immortalitatem recenset Joannes Moschus in *Prat. Spirit.* cap. CXCV, de Evagrio Philosopho, qui post mortem chirographum pecuniæ in pauperes erogandæ, et post mortem recipiendæ a Synesio Episcopo acceptum, ipsi reddidit, dicens sibi jam esse satisfactum. Marsilius Ficinus disputans de immortalitate animæ cum Michaele Mercato magni nominis Philosopho, uterque cum altero pactus est, uter eorum ex hac vita prior decederet (si liceret), alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Prior decessit Marsilius Florentiæ, qui in hora mortis Mercato absenti longeque dissito apparens : O Michael, inquit, o Michael, vera sunt illa quæ de immortalitate animæ disseruimus. Quo dicto, ex oculis mirantis evanuit : atque exinde Mercatus licet probe vixisset, tamen perfectiori virtuti se dedit, ac philosophiæ valedicens, quod reliquum fuit temporis, mundo defunctus, soli vitæ futuræ vixit. Rem fuse narrat Baronius, tom. V, ad annum Christi 411.

Galenus ait animam esse mortalem.

Quin et Galenus, medicorum princeps, ex sympathia animæ cum corpore censuit eam esse mortalem. Vide eum, tom. I, lib. *Quod animi mores corporis temperantiam sequantur*, cap. III, ubi docet quod anima in genere non sit aliud quam temperatura quatuor primarum qualitatum, puta caloris, frigoris, humiditatis et siccitatis. Anima vero rationalis, inquit, quæ species est animæ, non est aliud quam temperatura cerebri : unde cerebro nimis calefacto, vel frigefacto anima abit, et homo moritur; cum ergo temperatura hæc intereat, videtur et anima rationalis interire : ita ipse. Verum antecedens est falsum; anima enim rationalis non est temperatura qualitatum, sic enim esset corporea, cum sit spiritualis, imo purus spiritus. Unde Galenum refellit Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 124. Pythagoras vero, Plato et cæteri censuere eam esse immortalem. Unde et Heraclitus, epist. *ad Amphidamanta* : « Non occumbet, ait, morbo Heraclitus, morbus occumbet Heracliti, etc. Corpus descendet ad fatalem locum; at animus non descendet, cum sit im-

Ejus ratio.

Refellitur.

Animam immortalem censent Pythagoras cæteriique philosophi.

mortalis, in cœlum evolabit sublimis. Eum accipient ætherea domicilia, et Ephesios criminabor. Versabor non in hominibus, sed in diis. » Idem asserit Cicero in *Somnio Scipionis*, et Quintilianus, *Declam.* X, § 18, ubi ait : « Animam vero flammei vigoris impetum, perennitatemque non ex nostro igne sumentem, sed quo sidera volant et quo sacri torquentur axes, inde venire, unde rerum omnium auctorem parentemque spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato : sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, et exonerata membris mortalibus, levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra, donec in alia fata sæculo pugnante transmigret. Deinde prioris corporis meminisse : inde evocatos prodire manes, inde corpus et vultus et quidquid videmus accipere, occurrere suis imagines caras aliquando, et oracula fieri, et nocturnis admonere præceptis, sentire quas mittamus inferias, et honorem percipere tumulorum. »

Clemens Alexandrinus, lib. IV *Stromatum*, sub finem : « Admiror, inquit, Epicharmum qui aperte dicit : Si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus. Superius manet in cœlo spiritus. Et Poetam Lyricum canentem : Impiorum autem animæ sub cœlo volant in cruentis doloribus, sub malorum jugis inevitabilibus; piorum autem in cœlis habitant, cantibus beatorum principem canentes in hymnis. Non ergo huc de cœlis anima ad ea quæ sunt deteriora demittitur : Deus enim facit omnia ad ea quæ sunt meliora; sed ea quæ vitam elegit optimam ex Deo et justitia, cœlum terra commutat. » Plures philosophorum sententias pro immortalitate animæ citat Eugubinus, lib. IX *De Perenni philos.*

Præclare Alphonsus Aragoniæ rex revolvens opera Senecæ, rogatur cur animus hominis ita esset insatiabilis, respondit : « Animus hominis a Deo profectus, non prius conquiescit, quam eo redeat, unde profectus est. » Ita olim Lucretius :

> Cedit enim retro de terra quod fuit ante
> In terra; sed quod missum est ex ætheris oris,
> Id rursum cœli fulgentia templa receptat.

Et Neotericus :

> Cœli ratio in animo, terræ est in corpore.
> Cui magnus animus est, ei magnum nihil.

Porro longe major meliorque philosophorum numerus censuit quidem hominum animas post mortem corporis ascendere sursum, sed huic sententiæ sua quisque addidit commenta et fabellas. Ita censuit Trismegistus, Orpheus, Socrates, Musæus, Pherecydes Pythagoræ magister, Aratus, Homerus, Empedocles, Seneca, Virgilius, Phocylides, cujus est illud :

> Defunctis superest vita, et dii deinde creantur;

quod respondet illi sententiæ Christi : « Erunt sicut angeli Dei in cœlo », *Math.* XXII, 30. Citat eos Eugubinus, lib. IX. Verum Plato addidit animas sapientum et fortium evehi in cœlum ad stellas, quæ eis ante descensum in corpora dominabantur; Aristoteles ad aerem; Virgilius, lib. VI *Æneid.*, ad Campos Elysios; Stoici ad lunam, quos secutus Lucanus ita canit, lib. IX :

> Quodque patet terras inter lunæque meatus
> Semidei manes habitant, quos ignea virtus
> Innocuos vita, patientes ætheris imi
> Fecit, et æternos animum collegit in orbes.

Horum errores recenset et refutat Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. LIV. Addit Gregorius Nyssenus (vel potius Nemesius; huic enim adscribitur hic liber in *Biblioth. SS. Patrum*, tom. IX editionis secundæ), lib. II *Philos.* cap. VII, Ethnicos omnes, qui animam immortalem dixere, animarum transmigrationem in alia et alia corpora unanimi consensu docuisse, cum tantum circa animarum formas, locum et statum diversa sentirent. Fides vero catholica docet animas impiorum ab initio mundi illico a morte in infernum detrudi; justorum vero, quæ purgatione egent, in purgatorium amandari, ubi cum plene purgatæ fuissent, ante Christum in limbum patrum migrasse, post Christum vero statim in cœlum recipi, ut definit Concilium Florentinum in *Decreto unionis*. Errant ergo Calvinus et Novantes, qui censent animas in antro delitescere, aut dormire usque ad diem judicii extremi.

Immortalitas animæ juncta cum Numine.

Denique immortalitas animæ conjuncta est cum numine, sive providentia et justitia Dei; hanc enim decet impios, qui in hac vita opprimunt pios, in altera punire, ac pios præmiare. Hinc qui negant immortalitatem animæ, mox negant Numen, fiuntque athei. Vice versa, fides immortalitatis animæ et spes felicitatis ejusdem hominem excitat ad omnem virtutem, quantumvis arduam. Ita martyres ad martyrium accendebantur spe futuræ vitæ, ut patet in *Machab.* cap. VII. Quin et Socrates injuste damnatus ad mortem, gaudebat quod animus corpore, velut carcere, liber inciperet sui esse juris, meliusque quam ante victurus foret, uti refert Plato et Laertius in ejus Vita. « Cyrus moriens filiis suis ait : Nullo modo, filii, hoc unquam mihi persuasi, ut animus vivat, donec fuerit in corpore mortali; cum vero ab hoc solutus fuerit, moriatur, » ait Xenophon et Cicero in *Catone*. Alphonsus Aragonum rex maximum argumentum immortalitatis sibi videre dicebat, quod corpus in hac vita decrescere, ac per omnia membra suos quasi fines et terminos habere videret; animos vero quanto ad annos accederent, tanto magis intelligentia, virtute et sapientia crescere.

Mystice S. Hieronymus : « Homo, inquit, est justus : jumentum est peccator; aut homo est vir eruditus, jumentum est simplex et rusticus, de quibus dicitur *Psal.* XXXV, vers. 8 : Homines et jumenta salvabis, Domine; et *Psal.* LXXII : Ut

jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Et in omnibus Prophetis homines et pecora in Jerusalem salvanda dicuntur, et impleri terram repromissionis pecoribus et armentis. Quis scit utrum sanctus, qui hominis appellatione dignus est, ascendat in cœlum; et utrum peccator, qui jumentum vocatur, descendat in terram? fieri enim potest utrumque pro incerto vitæ hujus et lubrico statu, ut et justus concidat, et peccator resurgat; et nonnunquam evenit ut rationabilior et eruditus in Scripturis, id est homo non circumspecte, et ut scientia sua dignum est, vivat, et deducatur ad inferos; et simplicior quisque atque rusticior, qui jumentum hominis comparatione dicatur, melius vivat, et martyrio coronetur, ac paradisi sit colonus. »

Sic et Auctor *Catenæ Græc.*: Ascendere sursum, inquit, est ascendere ad sublimem virtutis statum; descendere deorsum, est ruere in profundum vitiorum, *q. d.* « Ne per ea quidem, quæ justi et injusti faciunt, dignosci plane ante judicium possunt. Multi quippe injusti ad justitiam transierunt, et in sublime evecti sunt; et contra multi justi justitia exciderunt, seseque in vitia demerserunt. »

Præclare S. Gregorius Nyssenus, lib. *De Virgin.* cap. v : « Ut porcorum oculi, inquit, natura in terram conversi, mirificarum rerum cœlestium aspectum non habent : sic animus corporis luxu perditus, cum ad humilia et ea quæ sunt pecudum inclinatus sit, non cœlum amplius, neque reliquarum rerum convenientiam et decorem cernere poterit. Quare ut voluptatem divinam et beatam animus noster quietus ac liber maxime respiciat, ad nullas omnino res caducas et terrenas se ipse convertet, neque earum voluptatum particeps fiet, quæ ad communis vitæ indulgentiam comparatæ sunt, sed omnem potius amoris vim a rebus corporis ad eam traducet pulchritudinis contemplationem, quæ et corporis expers est et mente cernitur. »

Et Julius Firmicus, lib. I *Astron.* cap. II : « Animus, inquit, qui immortalis est, si a vitiis ac libidinibus terreni corporis fuerit separatus, ac suæ originis et seminis constantiam retinens, vim suæ majestatis agnoverit, omnia quæ difficilia atque ardua putantur, facile divinæ mentis investigatione consequetur. Dic mihi quis in cœlo iter maris vidit? quis attritu lapidum scintillam latentis ignis excussit? quis potestates cognovit herbarum? cui se tota natura divinitatis et ostendit et prodidit, nisi animo, qui ex cœlesti igne profectus ad regimen et gubernationem terrenæ fragilitatis immissus est? Ipse hujus scientiæ rationem, ipse computos tradidit, ipse solis ac lunæ et cæterarum stellarum, quæ a nobis errantes, et a Græcis vero planetæ dicuntur, cursus, regressus, stationes, societates, augmenta, ortus, occasus monstravit, et in fragilitate terreni corporis constitutus, brevi majestatis suæ recordatione hæc omnia, ut traderet, non didicit, sed agnovit, » quod ultimum cum grano salis accipe, ne in Platonis errorem, scilicet scientiam nostram esse duntaxat reminiscentiam eorum quæ prius scivimus, incidas.

22. ET DEPREHENDI NIHIL ESSE MELIUS, QUAM LÆTARI HOMINEM IN OPERE SUO, ET HANC ESSE PARTEM ILLIUS. QUIS ENIM EUM ADDUCET, UT POST SE FUTURA COGNOSCAT? — Multi rursum censent Salomonem loqui in persona Epicureorum, aut sua, dum desiperet; et voluptatibus indulgeret. Ita Thaumaturgus, Olympiodorus, Bonaventura, Hugo Victorinus et alii, quin et S. Gregorius, IV *Dialog.* cap. IV, quasi hic idem dicat quod Epicurus : « Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. » Audi S. Gregorium : « Salomonis liber, in quo hæc scripta sunt, Ecclesiastes appellatus est; Ecclesiastes autem proprie concionator dicitur. In concione vero sententia promitur, per quam tumultuosæ turbæ seditio comprimatur. Et cum multi diversa sentiunt, per concionantis rationem ad unam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbæ suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias quasi per inquisitionem movet, quasi tot in se personas diversorum suscipit; sed concionator verax, velut extensa manu, omnium tumultus sedat, eosque ad unam sententiam revocat, cum in ejusdem libri termino ait : Finem loquendi omnes pariter audiamus : Deum time, et mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo. » Et post nonnulla : « Hoc itaque mihi visum est bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo. » Et longe inferius subjungit : « Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. Si enim bonum est manducare et bibere, melius fuisse videbatur ad domum convivii pergere, quam ad domum luctus. Ex qua re ostenditur, quia illud ex infirmantium persona intulit, hoc vero ex rationis definitione subjunxit. » Vers. 22.

Melius S. Hieronymus, Auctor *Catenæ Græcor.*, Lyranus, Hugo Victorinus, Titelmannus et alii censent hæc dici ex persona Salomonis et sapientum, idque duplici sensu : *priori*, quasi dicat : Supposita animi immortalitate, judicio divino et cœlesti felicitate, quæ pauci cognoscunt, deprehendi et conclusi nihil melius in hac vita esse, quam lætari hominem in opere suo, ut scilicet lætus incumbat operibus honestis et sanctis, præsertim charitatis et eleemosynæ; hæc enim sunt opera hominis qua homo est, puta rationi et menti conformia, quibus ad finem suum, puta ad cœlestem gloriam perducatur.

Secundo et germane, ex similitudine hominis cum brutis, præsertim in morte, colligit nihil esse melius quam nimiis vanisque curis et sollicitudinibus de rebus futuris valedicere, ac se dare honestæ et modestæ lætitiæ, uti faciunt cætera animalia, quæ nobis temperantiæ, fortitudinis, læti-

tiæ, cæterarumque virtutum dant exempla, *q. d.* Saltem, o vanissime homo, qui nihil præ brutis sublimius, nil melius sapis, conare tamen sapere quod sapiunt illa; pelle inanes animo curas, præsentibus utere frugaliter, futurorum cupiditatem abjice; et animum relinque liberum paratumque melioribus animi cogitationibus, atque jucundissimæ animi tranquillitati. Ita Pineda, Lorinus et cæteri.

Lætari ergo in opere suo est frui bonis labore suo partis; frui, inquam, non ad libidinem, sed secundum rectam rationem, quæ dictat ut ex illis tibi primo, deinde aliis per eleemosynas cæteraque opera bona benefacias. Virtus enim parit veram solidamque lætitiam, intemperantia vero et vitium parit nauseam et mœstitiam. Ita S. Hieronymus, Lyranus et alii. Hic enim proprie est labor suus, quia nil tam nostrum, quam benefactum ex virtute : hoc enim est opus nostri liberi arbitrii gratia Dei adjuti et imbuti.

Et S. Hieronymus : « Nihil est ergo, ait, bonum in vita ista, nisi quod lætatur homo in opere suo faciens eleemosynam, et futuros sibi thesauros in regno cœlorum præparans. Hanc solum habemus portionem, quam nec fur, nec latro valet, nec tyrannus auferre, et quæ nos post mortem sequetur. » Hoc enim sensu conclusionem hanc ex simili rerum vanitate intulit vers. 12, et cap. II, vers. 24, ubi simili modo dixit hanc esse partem, id est sortem illius, ut scilicet sibi consulat, non suis hæredibus. Id clare significat Chaldæus dum vertit, *tandemque perspicio nihil esse in hac vita melius quam ut exhilaretur homo in optimis operibus, comedatque et bibat, et animum lætitia afficiat. Hæc enim ei optima pars in hoc sæculo assignata est, ut futuram sibi vitam conciliet. Cur enim sic apud se loquitur homo : Quorsum mihi divitiarum erogatio, ut justitiam colam? Satius est ut eas liberis meis relinquam, aut meipsum extrema senectute colam. Quis enim ipsum adducet, ut videat quæ post eum futura sunt?*

Mystice S. Augustinus (licet ipse id velit esse litterale), lib. XII *De Civitate*, cap. XX, hanc gnomen accipit de Eucharistia, dum ait : « Non est bonum homini, nisi quod manducabit et bibet; quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam sacerdos ipse mediator Testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech, de corpore et sanguine suo? id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri : propter quod etiam vocem illam in psalmo tricesimo nono ejusdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: Sacrificium et oblationem noluisti; corpus autem perfecisti mihi, quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur. » Probat id hac ratione : « Nam istum Ecclesiasten in hac sententia manducandi et bibendi, quam sæpe repetit, plurimumque commendat, non sapere carnales epulas voluptatis, satis illud ostendit, ubi ait : Melius est ire in domum luctus, quam ire in domum potus, » *Eccle.* VII. Et paulo post : « Cor, inquit, sapientium in domo luctus, et cor insipientium in domo epularum. » Sic et Philastrius, lib. *De Hæresibus*, sub finem, ubi impugnat Epicureos.

QUIS ENIM EUM ADDUCET (ad hanc notitiam, ait Lyranus) UT POST SE FUTURA COGNOSCAT? — Campensis, *quis indicabit illi quid post ipsum futurum sit?*

Varii varie hoc exponunt : *primo*, Epicurei, *q. d.* Fruere bonis hujus vitæ, indulge ventri et veneri, quia hæc certa sunt; futura vero bona, æque ac animæ immortalitas, dubia et incerta.

Secundo, *q. d.* Fruere bonis hujus vitæ, dum vivis, quia post mortem non dabitur ad ea, nec ad vitam reditus. Ita Thaumaturgus. Additque Olympiodorus, *non dabitur reditus ad vitam, ut pœnitentium agas.*

Tertio, Pineda censet hic tangi illam quæstionem, an scilicet animæ necdum beatæ cognoscant ea quæ circa suos in terris aguntur, iisque intersint. Respondet enim negative, non cognoscere, nec interesse. Eodem modo respondet S. Augustinus, lib. *De Cura pro mortuis*, cap. XIII et seq.

Quarto et genuine, *q. d.* Fruere honeste et modeste bonis tuis, nec futura, aut futuros hæredes respice, quia hæc est pars et sors tua, quam scis et tenes : quis enim te ad futurorum prænotionem adducet, ut scilicet cognoscas quales habiturus sis hæredes, cum illi tibi plane incerti et dubii sint? Quis rursum te adducet, ut cognoscas quo anima tua post mortem itura ad limbum, perrectura sit, an scilicet in cœlum, an in infernum? Sufficiat tibi honeste et modeste vivere, ut ad limbum et sinum Abrahæ deducaris, ubicumque ille sit. Quare noli te anxie vexare et excruciare, ut cognoscas quid post mortem animæ tuæ, vel hæredibus tuis eventurum sit. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Hugo Victorinus, Dionysius et alii. Hoc enim sensu hanc clausulam, sive conclusionem usurpavit cap. II, vers. 24. Redit enim hic ad insignem et communem illam præ cæteris vanitatem, qua avari magno labore et cura opes congerunt, easque recondunt filiis, nepotibus, aliisque incertis, et sæpe ingratis stultisque hæredibus, itaque genium suum defraudant : hanc enim vanitatem identidem exagitat, ut vers. 12, et cap. præced. vers. 18, 19, 20, 21 et seq. Insuper, posito quod homini cuipiam non possit persuaderi animæ immortalitas, quod rudi illo sæculo frequens erat, persuadet ei saltem ut bonis suis recte et frugaliter utatur, eaque ipsemet rite dispenset.

Denique hæc gnome torqueri potest in nimis anxios, qui curiose et scrupulose se vexant incertitudine suæ prædestinationis et reprobationis, itaque vel in desperationem, vel in amentiam aguntur; nam hoc dilemma semper animo ver-

sant : Nescis an sis a Deo prædestinatus, an reprobatus; nec potes Dei prædestinationem, vel reprobationem avertere, vel mutare. Si ergo ab æterno Deus te reprobavit, quidquid agas damnaberis; sin te prædestinavit, quidquid agas salvaberis. Quid ergo agam incertus et anceps? quo me vertam? quis mihi dicet an reprobus sim et damnandus, an prædestinatus et salvandus? quis scit an spiritus meus ibit sursum in cœlum, an deorsum in tartarum. Hisce recte opponas hanc gnomen Salomonis : fruere honeste et modeste tuis bonis et Dei donis ad tuam aliorumque salutem, et cave peccata ac lætus Deo servito : ita certo salvaberis. Noli ergo scrutari secretum prædestinationis et reprobationis; hoc Dei est : illi ergo illud committe et resigna. Quis enim te adducet in altam illam divinitatis speculam, ut futura, quæ in ejus præscientia et prædestinatione recondita sunt, prævideas et prænoscas? Hac ratiocinatione anxietatem hanc, et tentationem ex incertitudine prædestinationis conceptam, dispulit S. Ægidius socius S. Francisci, vir magnæ prudentiæ et sanctitatis, et Thomas a Kempis, lib. I *De Imitatione Christi*, cap. ult., de seipso narrat : « Cum, inquit, quidam anxius inter metum et spem frequenter fluctuaret, et quadam vice mœrore confectus in ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc intra se revolvit dicens: O si scirem quod adhuc perseveraturus essem! statimque audivit intus divinum responsum : Quid, si hoc scires, facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, et bene securus eris. Moxque consolatus et confortatus divinæ se commisit voluntati, et cessavit anxia fluctuatio. Noluitque curiose investigare, ut sciret quæ sibi essent futura; sed magis studuit inquirere, quæ esset voluntas Dei bene placens et perfecta, ad omne opus bonum inchoandum et perficiendum. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occasione iniquorum judiciorum et judicum, de quibus egit cap. III, *vers.* 16, *transit ad vicinam quamdam, eamque universalem et insignem mundi vanitatem et afflictionem, scilicet calumniam, id est mendacium, vim et fraudem, quæ ubique grassatur. Videmus enim ubique pauperes et imbecilles a divitibus et potentibus injuste vexari et opprimi. Inde vers.* 2, *transit ad affinem invidiam, ac vers.* 5, *ad desidiam; mox vers.* 7, *ad avaritiam ejus qui, cum hærede careat, laborat assidue, non sibi, sed incerto successori, cujus occasione vers.* 9, *attexit damna solitudinis et commoda societatis; mox vers.* 13, *proponit regum et reginarum vanitatem. Denique vers.* 17, *præponit obedientiam stultorum victimis.*

Hinc liquet argumenta hujus capitis esse varia, nec inter se connexa : nam ab una vanitate transit ad aliam disparem et diversam, uti idem in Proverbiis, *et Siracides in* Ecclesiastico *varias materias disparatas eodem capite sine nexu et ordine pertractant.*

Si quis tamen omnino velit hæc connecti, ad unumque scopum redigi, dicat cum Lyrano, Pineda et aliis, Salomonem, sicut cap. I *ostendit vanitatem scientiarum humana industria acquisitarum, et cap.* II *deliciarum, et cap.* III *longævitatis sive desiderii longæ et diuturnæ vitæ, sic hoc cap. demonstrare vanitatem regendi et dominandi, quæ sita est in bonorum cupiditate et ambitu, ac libidine regnandi; hujus enim vanitatem demonstrat sex argumentis : primo, quod illa pariat tyrannides, scilicet pauperum calumnias et oppositiones, vers.* 1; *secundo, quod pariat invidiam, vers.* 4; *tertio, quod pariat desidiam et avaritiam, ut opes per fas et nefas corradat, quibus aliis præcellat, vers.* 4 *et seq.; quarto, quod pariat leoninam solitudinem, qua superbe amicos præ se contemnat, velitque solus omnibus eminere, vers.* 7 *et* 8; *quinto, quod ex hac superbia oriatur stultitia, vers.* 9 *et seq.; sexto, ex regni brevitate et instabilitate, quod sæpe rex regno dejiciatur, et pauper ad regnum evehatur, vers.* 14. *Unde colligendum relinquit in tanta regnandi vanitate nullam inesse animi tranquillitatem, nec felicitatem. Quocirca, vers.* 17, *concludit nihil esse melius pietate et Dei cultu : in hoc enim sitam esse veritatem et stabilitatem, veramque et stabilem felicitatem.*

1. Verti me ad alia, et vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem : nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. 2. Et laudavi magis mortuos, quam viventes : 3. et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. 4. Rursum contemplatus sum omnes

labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi : et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est. 5. Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens : 6. Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, et afflictione animi. 7. Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole : 8. unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis : nec recogitat, dicens : Cui laboro, et fraudo animam meam bonis ? in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima. 9. Melius est ergo duos esse simul, quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ : 10. si unus ceciderit, ab altero fulcietur : væ soli : quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. 11. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo : unus quomodo calefiet ? 12. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei : funiculus triplex difficile rumpitur. 13. Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum. 14. Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum : et alius natus in regno, inopia consumatur. 15. Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo. 16. Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum; et qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo; sed et hoc vanitas et afflictio spiritus. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua ut audias. Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

Vers. 1. 1. VERTI ME AD ALIA, ET VIDI CALUMNIAS (Syrus, *oppressiones*) QUÆ SUB SOLE GERUNTUR, ET LACRYMAS INNOCENTIUM, ET NEMINEM CONSOLATOREM : NEC POSSE RESISTERE VIOLENTIÆ, CUNCTORUM AUXILIO DESTITUTOS. — Chaldæus, *et conversus sum, et vidi omnes violentias quæ factæ sunt justis, qui angustiati sunt in hoc sæculo sub sole, de manu tribulantium eos, et non est qui loquatur eis consolationes, neque qui redimat* (1).

Calumnia proprie est falsi criminis objectio, ait Cicero, orat. 1 *in Sallust.* ; sive est alicujus in litibus per fraudem et frustrationem vexatio ; sive, ut Nonius, est malitiosa et mendax infamatio. Unde actores in judicio præstare debent juramentum calumniæ, se scilicet nihil malitiose, mendaciter et fraudulenter dicturos vel acturos : hæc est verbalis calumnia. Realis vero est, cum quis alteri per vim aut fraudem nocumentum in bonis, fama, aut vita injuste infert, sive in judicio, sive extra judicium ; et sic calumnia accipitur hic, et passim in Scriptura, ut significet violentiam, fraudem, insidias, circumventionem, oppressionem, uti dixi *Proverb.* XXVIII, 16. Hoc enim significat hebræum עשק *asak*. Septuaginta vertunt, *sycophantium*, de qua voce ibidem multa notavi. Nocentissimum est hoc malum. Unde proverbium : « Sycophantæ morsus immedicabilis. » Idem dicitur *vitilitigator*, quasi vitiosus litigator, obtrectator, calumniator, quales sunt, qui nil nisi contentiones, rixas et pugnas quærunt, de quibus Plinius in *Prologo* : « Ergo securi, ait, etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis et litigatoribus composuit ; quid enim illi aliud quam litigant aut litem quærunt? »

Hebræum עשוקים *ascukim* abstractum est simul et concretum, tamque activum quam passivum. Unde significat oppressiones, oppressos et opprimentes, quales sunt in litibus malitiosæ et cavillosæ interpretationes testamentorum, pactorum et decretorum, frustrationes, lites sumptuosæ in re minima, fraudes. Arabicus ع accipiens pro vicina gutturali ח, ac pro *ascukim* legens חשקים *chasukim* (חשק *chasac* enim significat concupiscere, desiderare, amare) vertit, *et conversus sum, et vidi desideria quæ fiunt sub sole, omnes simul, et vim derivantem a manu eorum qui ea requisierunt, et non reperitur eis consolator*. Totus mundus enim plenus est concupiscentiis et desideriis, ut ait S. Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 16.

QUÆ SUB SOLE GERUNTUR. — Omnes enim provinciæ, urbes, pagi pleni sunt calumnia, hoc est violentia et fraudulentia. Unde *Jerem.* cap. VI, 6 : « Hæc, ait, est civitas visitationis ; omnis calumnia in medio ejus. » Vide ibi dicta, et *Psal.* XIII, 4 : « Qui devorant plebem meam sicut escam panis. » Idipsum graphice depingit S. Cyprianus, lib. II, epist. 2 *ad Donatum* : « Paulisper, ait, te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem : speculare inde rerum infra te jacentium facies, et oculis in diversa porrectis, ipse a terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Jam sæculi et ipse misereberis, tuique admonitus, et plus in Deum gratus majore lætitia, quod evaseris, gratulaberis. Cerne tu itinera

(1) « Cum præcedentis cap. fine hujus initium hunc in modum est connectendum : Cum apud me statuissem, id demum felicissimum et pacatissimum vitæ genus, si quis præsentibus tranquille fruatur, ecce mihi aliud occurrit, quod a tranquille vivendo avertat, quod in hac vita tot injuriis et oppressionibus potentiorum subjaceant innocentes et pauperes, ut si quis eos consideret, jucunde vivere non possit. » Hæc Rosenmullerus.

latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella ubique divisa; madet orbis mortuo sanguine; et homicidium, cum admittunt singuli, crimen est : virtus vocatur, cum publice geritur; impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo. Sic Daniel, cap. VI, per calumniam conjectus est in lacum leonum; S. Joseph in carcerem; Susanna in mortis discrimen, *Danielis* XIII. Unde de hac impiorum in pios potestate, imperio et grassatione queruntur apud Deum passim Prophetæ, ut David *Psal.* LXXII; Habacuc, cap. I, 13; Job, cap. XXI, 7; Jeremias cap. XII, 1. Hinc Philosophus: « Mundus, ait, est forum impostorum, » adde et tyrannorum, ut in eo pauperibus et oppressis cum damis dicere liceat illud Martialis, lib. XIV :

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum:
Imbelles damæ quid nisi præda sumus?

ET LACRYMAS INNOCENTIUM. — Hebraice est, *ascukim*, id est *oppressorum*. Verum Chaldæus. Hebræum active vertit, *opprimentium* : « Vidi, ait, per Spiritum Sanctum omnes deceptores in gehenna secundum opera eorum, quæ facta sunt sub sole, propter transgressiones legis, et ecce lacrymæ ipsorum flentium super animabus suis. » In gehenna enim « est fletus et stridor dentium, » *Matth.* VIII, 12; præsertim iis qui insontes vexavere, eosque ad lacrymas adegere. Verum de iis hic non est sermo.

ET NEMINEM CONSOLATOREM : — sive quia tanta est calumniantium potentia, ut nemo ei se opponere valeat, vel audeat; sive quia ea est inhumana et prava hominum indoles, ut potentiori se jungant, et infirmiorem ruentem deserant, imo in lapsum impellant, juxta illud *Psalm.* XXXIV, 10: « Domine, quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum et pauperem a diripientibus eum. » Hoc enim est proprium Dei opusque Numinis. Et *Psal.* LXI, 4 : « quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos : tanquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ. » Talis erat Christus in passione : « Circumspexi, ait, et non erat auxiliator, » *Isaiæ* cap. LXIII, 5. Quocirca Deus ab omnibus desertos in suam tutelam suscipit, protegit, vindicat, juxta illud *Psalm.* LXXI, 12 : « Liberabit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adjutor; » et *Psal.* X, 14 : « Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor; » et *Proverb.* XXIII, 10 : « Ne attingas parvulorum terminos : et agrum pupillorum ne introeas : propinquus enim (Deus qui hebraice vocatur גואל *goel*, id est redemptor et vindex, qualis olim erat propinquus, v. g. frater) illorum fortis est : et ipse judicabit (vindicabit) contra te causam illorum. » Symmachus vertit : Non est eis παραμυθούμενος, id est, qui in calamitate verbis adhortetur, et incommodum fortunæ leniat.

NEC POSSE (innocentes a violentis oppressos) RESISTERE EORUM VIOLENTIÆ , (utpote *omni*) AUXILIO DESTITUTOS. — Hebræa, *et a manu calumniantium, vel opprimentium eos fortitudo*, scilicet non est; Chaldæus, *et non est qui vindicet eos de manu molestantium eos in fortitudine manus et in virtute;* Pagninus, *et de manu opprimentium eos viribus, non erat eis consolator;* Campensis, *nec esset qui eos consolaretur, multo minus, qui de violentis opprimentium manibus eos eriperet;* alius, *nec habent vim ullam contra manum illorum qui eos calumnia afficiebant;* alius, *et in manu opprimentium est potentia;* alius, *et de manu opprimentium eos potenti, non est eis consolator.* Horum enim vox est *Sapient.* II, 11 : « Sit fortitudo nostra lex justitiæ, » ut quodlibet liceat, quodque possumus et volumus hoc legitimum justumque habeatur, sit pro ratione voluntas, pro lege gladius, pro justitia potentia; quod est tyrannorum axioma.

2. ET LAUDAVI MAGIS MORTUOS QUAM VIVENTES. — Vers. 2. Chaldæus addit : *Qui adhuc permanent in tribulatione.*

3. ET FELICIOREM UTROQUE JUDICAVI, QUI NECDUM NATUS, NEC VIDIT MALA QUÆ SUB SOLE FIUNT. — Vers. 3. Campensis, *quæ homines in homines designant;* S. Hieronymus, *qui necdum expertus est omnia mala mundi;* Chaldæus, *non enim scelerata illa opera vidit, quæ toto orbe sub sole fiunt;* Tigurina vero, *qui nondum expertus est molesta negotia quæ fiunt sub sole.*

Olympiodorus, Hugo Cardinalis et Dionysius censent hæc dici ex mente rudium, qui impatientes ad tantas mundi oppressiones, ex desperatione optant sibi mortem, ut iis liberentur. Melius S. Hieronymus, Alcuinus, Hugo Victorinus et alii passim autumant hæc dici ex mente Salomonis et Sapientium, *q. d.* Feliciores, ideoque laudabiliores sunt jam vita functi, utpote exempti omni calumnia, hoc est injuria, fraude et violentia, quam viventes, cui illi semper expositi sunt, ac reipsa sæpe illa vexantur et cruciantur; utrisque autem feliciores sunt necdum nati, quia non viderunt, id est non senserunt, nec experti sunt hæc mala quæ mortui senserunt, viventes adhuc sentiunt; melior ergo est illorum quam horum sors, illique sunt fortunatiores. Addunt S. Bonaventura et Titelmannus hanc gnomen extendi ad cæteros homines viventes, qui ab injuriis immunes oppressionibus aliorum quas passim vident, sensu compassionis condolent, iisque affliguntur et cruciantur; hisce enim feliciores sunt mortui, qui nullo sensu doloris, vel propriæ, vel alienæ calamitatis tanguntur.

Valde enim cruciat pios viros oppressorum afflictio et opprimentium violentia. Unde Mathathias, visa tyrannide Antiochi in Judæos, exclamavit : « Væ mihi ! utquid natus sum videre contritionem populi mei ? » I *Machab.* II, 7. Sic passim Jeremias gemit et suspirat ob calamitates Judæorum, mortemque optat, ne eas videat, cap. XX, 14; eamdem optat Elias, III *Reg.* XIX, 4; Tobias, cap. III, 6; Moyses, *Numer.* XI, 15. Et S. Polycarpus, visa persecutione Imperatoris in Christia-

nos, exclamat : « O bone Deus, in quæ tempora me servasti, ut hoc patiar! » Testis Eusebius, lib. V *Histor.* cap. XIX.

ET FELICIOREM (non positive, utpote qui non est, nec existit, ac proinde felicitatis non est capax; sed negative, id est minus infelicem) UTROQUE JUDICAVI, QUI NECDUM NATUS EST. — S. Hieronymus id refert ad animas : « Quæ, inquit, antequam ad nos in corpus descendant, versantur apud superos, et tamdiu beatæ sunt, quamdiu cœlesti Jerusalem et choro perfruuntur angelico. »

Verum hic est error Origenis, ex cujus sententia hic loquitur S. Hieronymus, non ex sua. Hunc enim errorem passim ipse impugnat, epist. 8 *ad Demetriadem*, et 27 *ad Eustochium*, et 59 *ad Avitum*, et 61 *ad Pammachum* contra errores Joannis Hierosolymitani.

Rursum Origenes, homilia 7 *in Numeros*, S. Bonaventura, Cajetanus, Titelmannus, Vatablus et alii, per *necdum natum* intelligunt abortivum, quales sunt parvuli, qui sine baptismo decedunt, euntque ad limbum, ibique feliciorem quam viventes agunt vitam,

Verum plane et simpliciter hic accipias eum qui necdum generatus, nec conceptus est, ac necdum exstitit in rerum natura. Unde Hebræa habent, *qui necdum fuit*; Septuaginta et Syrus, *qui necdum est factus*; Chaldæus, *qui adhuc non fuit, nec creatus est in sæculo*. Hic enim nullum sensum doloris habuit vel habet, sed habiturus est, si nascatur; cum mortui sensum doloris habuerint, viventes adhuc habeant.

Comparantur hic viventes et mortui cum non nato, quoad bona malaque naturæ, non gratiæ; in his enim gratiæ, viventes superant mortuos et necdum natos, cum in illis superentur. Sensus ergo est, *q. d.* Si commoda et incommoda naturalia spectem quæ sunt tam in vita, quam in interitu, tam in eo qui vivit, quam in eo qui mortuus est, vel necdum natus, satius est, et optarim interiisse, et nunquam esse natum, quam vivere. Tunc enim caruissem omnibus calumniis et ærumnis vitæ, quas tantas tum in me, tum potius in aliis experior et video, iisque intime condoleo, ut omnia vitæ commoda et jucunda cum eis non sint comparanda. Simili sensu ait Jeremias, cap. XX, 14 : « Maledicta dies in qua natus sum. » Vide quæ ibidem fuse hac de re dixi.

An præstet non esse, quam male esse?

Quæres, an melius beatiusque sit non esse, quam male esse? Respondeo *primo* : Melius est mori, imo non esse et annihilari, quam peccare. Peccatum enim, præsertim mortale, est malorum omnium summum, ac summa divinæ majestatis offensio et injuria. Melius est autem tollere hanc Dei injuriam, quam privato huic homini dare esse, et vitam tam malam tamque noxiam. Sicut enim bonum reipublicæ commune et publicum est reos læsæ majestatis regiæ interfici : sic multo magis bonum publicum tam Dei, quam totius universi est reos læsæ majestatis divinæ interimi, et, si fieri posset, annihilari. Omnis enim creatura appetitu naturali magis inclinatur in bonum Dei, utpote commune, quam in suum proprium, utpote privatum, ideoque magis appetit pugnare pro bono Dei, quam suo proprio; quare magis malum Dei, puta peccatum avertere satagit, quam suum esse conservare, imo suum esse exponit periculo pro bono Dei. Hinc justus mallet in nihilum redigi, quam peccatum habere, quia peccatum pejus est quam non esse, licet enim non esse nil habeat boni, tamen pariter nihil habet mali; peccatum autem nil habet boni et plurimum mali. Ex parte vero Dei et universi melius est reprobos esse etiam in tormentis gehennæ, quam non esse, quia in eis resplendet decor justitiæ et gloria vindictæ divinæ, quod est bonum publicum universi : in eis enim culpæ respondet et adæquatur pœna, in eaque resplendet majestas divinæ justitiæ et potentiæ. Quod si ad hoc possent attendere damnati, minus laborarent in tormentis, Deique justitiam magis redderent commendabilem, ait noster Salmeron, tomo IX, cap. X. Sit ergo hoc primum axioma.

Melius est annihilari, quam peccare, cur?

Secundum esto : Satius est non esse quam damnari et cruciari in inferno; unde animæ damnatæ in inferno optant mori et annihilari, ut tanta gehennæ tormenta evadant, imo juxta rectum id optabilius est. Quis enim prudens non mallet perire omnino ac nihil sentire, quam tot tamque atroces gehennæ ignes et dolores in æternum sentire, sine ulla spe consolationis et gaudii. Quid enim prodest esse, vivere et sentire, si non nisi in igne summisque doloribus sit, vivat et sentiat? Hinc communis illa damnatorum in die judicii vox et lamentatio, ut dicant « montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos, » *Apocal.* VI. Docet id diserte Christus loquens de Juda proditore : « Bonum (id est melius et utilius) erat ei, inquit, si natus non fuisset, » *Matth.* XXVI, et *Marci* XIV. Nam, ut ait ibidem S. Hieronymus : « Multo melius est non subsistere, quam male subsistere. » Et Auctor serm. *ad Fratres in eremo* apud S. Augustinum, *serm.* 20 : « Quare, inquit, illi melius fuisset, si natus non fuisset, nisi quia melius est omni esse carere, quam in inferno jacere? » Idem docent ibidem Theophylactus, Victor Antiochenus, Anselmus, Beda, Lyranus, Franciscus Lucas, Barradius et alii passim, quorum hoc est axioma : « Satius est non esse quam miserum esse; satius est non vivere quam vivere in supplicio. » Quin et S. Bernardus, serm. 35 *in Cant.*, et S. Thomas in IV, distinct. 50, *Quæst.* II, art. 1, quæstiunc. 3, idem asserunt.

Satius est non esse quam damnari.

Contrarium videtur sentire S. Augustinus, lib. III *De Lib. arbitrio*, cap. VII et VIII, quem sequuntur Dionysius, Arboreus et Titelmannus hic. Ratio eorum est, quod melius sit esse quam non esse : ergo est melius esse miserum, quam non esse. Quia miser saltem habet suum esse, quod est primum et summum hominis bonum, et funda-

mentum cæterorum. Verum hoc physice verum est, ac nude et simpliciter melius est esse quam non esse. Moraliter vero, et secundum prudentem æstimationem, melius et eligibilius est non esse, quam habere esse omni voluptate et bono vacuum, ac omni dolore et malo plenum, quale habent damnati in gehenna. Quid enim prodest esse physice in se bonum, si tot malis et doloribus undique circumplicetur et involvatur. Sicut, quid prodest mel, si plenum sit felle? quid prodest cibus optimus, si undique veneno sit infectus et vitiatus? Porro qui Deum diligit, mallet esse in inferno, quam non esse : quia vel sic pœnas sustinendo, gloriam Deo daret, et quia talis diligeretur a Deo, ut amicus et filius, quod summum est bonum. Unde Moyses optavit, ex charitate et amore Judæorum, deleri de libro vitæ, *Exodi* XXXII; et Paulus anathema fieri a Christo pro Judæis, *Rom.* IX. Imo S. Anselmus : « Si hinc, inquit, infernı ardorem, inde peccati horrorem cernerem, et alterutrum mihi eligendum foret, mallem in infernum insilire, quam peccatum committere. »

Pueri in limbo malunt esse quam non esse.

Ratio a priori.

Tertium axioma : Animæ puerorum, qui mortui sunt in peccato originali, deguntque in limbo puerorum, malunt esse quam non esse. Ratio est, quia peccatum originale non est actus illarum proprius, nec ex actu proprio, sed alieno, puta Adami protoplasti contractum. Ita S. Thomas I II, *Quæst.* LXXXIII, art. 1, ad 5 : « Melius, inquit, est ei sic esse (animæ in peccato originali) secundum naturam, quam nullo modo esse, præsertim cum possit per gratiam damnationem evadere. » Favet S. Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, cap. VIII : « Ego, inquit, non dico parvulos tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret; » et Lyranus : « Habebunt parvuli, inquit, vitam jucundiorem, quam in hoc mundo naturaliter haberi possit. » Scotus in II, *distinct.* 33, cap. I, censet « parvulos omnium rerum naturalium cognitionem habituros longe majorem, quam omnes philosophi habuerunt. » Marsilius, in II, *Quæst.* XXIX, art. 5, ait eos « amaturos Deum super omnia. » Similia docent cæteri scholastici in II, *distinct.* 33, qui parvulis tantum tribuunt pœnam damni, pœnam vero sensus adimunt; unde S. Bonaventura asserit eos sua sorte contentos vivere.

Hinc colligit noster Lessius, lib. XIII *De Perfect. divinis*, cap. XXII, sub finem, parvulos hosce cognituros utcumque clare et distincte essentiam animæ suæ, et etiam naturas angelicas, etsi non tam perfecte; quodque semper laudaturi sint Deum ex sui et aliarum rerum creatione. Ad hoc enim a Deo conditi sunt, neque eo per peccatum aliquod proprium privari meruerunt; non tamen dicendi sunt beati, etiam beatitudine naturali, ut asseruit Pelagius, quia labes peccati originalis obstat quominus beatitudinem naturalem obtineant, ob quam damnati sunt pœna damni, id est carent visione Dei, quæ summa est pœna et miseria. Addit tamen eos nullum concepturos mœrorem ex amissione visionis beatificæ, eo quod illam sua culpa non amiserint. Hæc ille : alii aliter sentiunt; sed hæc alibi discutienda sunt.

Præstat mors vita miserrima.

Quartum : Multi in hac vita tot morbis, carceribus, tormentis, persecutionibus cæterisque ærumnis circumvallantur, ut si hæc in se spectes, et nude cum bono vitæ conferas, seposita fide et spe, melius sit eis mori quam vivere. Satius enim est carere vita, quam eam habere tot malis oppressam. Nam, ut ait Comicus : « Non est vivere, sed valere vita. » Quin et Job cap. III, 20 : « Quare, ait, misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt? qui exspectant mortem : gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum; » et *Eccli.* XXX, 17 : « Melior est mors quam vita amara; et requies æterna, quam languor perseverans. » Sic Job ærumnis obrutus optabat mortem et non esse, cap. III, 1 : « Pereat, inquit, dies, in qua natus sum. »

Excipe fideles

Dico *seposita fide et spe*, quia hæc suadet homini omnia adversa fortiter tolerare ob spem futuræ gloriæ, uti tolerarunt martyres. Hæc enim gloria tanta est, ut omnis tribulatio ei comparata sit exigua, juxta illud Apostoli : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, » *Rom.* VIII, 18. Quin et Christus : « Beati, ait, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V. Unde dicebat S. Franciscus : « Tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me pœna delectet. » Addo, etiamsi Deus nullum statuisset tolerantiæ præmium in futuro, imo etiam si anima interiret cum corpore, tamen fideli ex amore Dei, et virtute fortitudinis, fortiter sustinendæ forent omnes tribulationes, quas Deus illi immitteret, aut immitti permitteret, velletque ab illo sustineri. Ratio est, quia Deo creatura sese per omnia submittat, resignet, et obediat oportet. Ipse enim summus omnium, ac vitæ necisque est dominus. Rursum majus est bonum charitatis, fortitudinis et conformitatis cum voluntate divina, quam sit bonum vitæ, famæ, sanctitatis, etc. quod proinde priori cedat oportet, ut si per adversitates auferatur, libens eas fidelis subeat ex charitate, fortitudine et obedientia, ob quas omnia adversa parvi æstimanda et sustinenda sunt. Christiano ergo philosopho dicendum cum S. Gregorio Nazianzeno, epist. 64 *ad Philagrium* : « Morbo crucior et gaudeo, non quia crucior, sed quia aliis patientiæ sum magister. »

Ratio a priori. Prima. Secunda.

Sancti mori optant ne videant tot mala.

Quintum : Multi sancti desiderant mori ex affectu pietatis et charitatis, ne videant tot Dei offensas, totque suas et proximorum ærumnas et tentationes. Ita Apostolus : « Infelix ego homo, inquit, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Rom.* VII, 24. Et : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo, » *Philip.* II. Sic David : « Hei mihi,

inquit, quia incolatus meus prolongatus est, » *Psalm.* CXIX, 5. Sic loco beneficii a Deo datum fuit Ezechieli, IV *Reg.* XX, 19, et Josiæ, IV *Reg.* XXII, 21, prius mori, quam videre mala Judæis inferenda a Chaldæis. Sic S. Augustinus, Hippone sua obsessa a Wandalis, petiit a Deo unum e tribus, scilicet aut urbem liberari obsidione, aut dari patientiam ad eam sustinendam, aut eripi ex hac vita, et tertium obtinuit, teste Possidonio in ejus Vita.

Mystice Olympiodorus : Multo feliciores, inquit, sunt mortui peccato, et viventes Christo, quam qui vivunt in peccato; et beatiores viventibus sunt mortui, tum justi, quia labores deseruerunt; tum peccatores, quoniam lassabantur hic in peccatis, et futuram gehennæ pœnam sibi minuerunt : dum enim citius mortui sunt, pauciora secum detulerunt peccata. Hinc Thaumaturgus vertit : « Inter injustos et impios, melius habent vita defuncti, quam superstites, et utriusque conditione potius eligeretur sors ejus, qui futurus malus nondum natus est, neque humanam attigit improbitatem. » Et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, octon. 18 : « Mortuus, inquit, præfertur viventi, quia peccare desinit; mortuo præfertur qui natus non est, quia peccare nescivit. » Idem, lib. *De Fide resurrectionis*, ex hoc Salomonis loco, ac simili Davidis, *Psalm.* CXIX, 5, et *Jeremiæ* cap. XV, colligit fideli optandam esse mortem potius quam vitam : « Si igitur, inquit, viri sancti vitam fugiunt, quorum vita, etsi nobis utilis, sibi tamen inutilis æstimatur, quid nos facere oportet, qui nec aliis prodesse possumus, et nobis vitam hanc quasi fœnebrem pecuniam usurario quodam cumulo gravescentem, onerari in dies peccatorum ære sentimus? » Citatque illud Apostoli, I *Corinth.* XV : « Quotidie morior; » et illud Platonis in *Phædone* : « Philosophia est meditatio mortis. »

Antistrophæ, imo asseclæ Salomonis sunt hæ philosophorum gnomæ : Plutarchi in *Consol. ad Apollonium* : « O mors, Pœan medicus accedas. Portus enim procul dubio unicus es per terrarum orbem. » Ibidem refert ex Aristotele hoc Sileni dictum, quasi oraculum vulgari proverbio celebratum : « Non nasci omnium est optimum, mortuum autem esse longe est melius quam vivere. » Additque multis numen ipsum sic revelasse et testatum esse. Hinc antiquis mel symbolum mortis, fel vitæ habebatur. Senecæ :

..... Mors est
Portus æterna placidus quiete.

Exempla. Agria, aut ut alii Cydippe, sacerdos Veneris, a Cleobe et Bitone filiis ad Dianæ templum curru vecta, cum deam orasset ut illis pro pietate præmium daret, quod homini videretur optimum, mortuos in lecto mane reperit, ut refert Cicero *Tuscul.* I, qui et addit Silenum pro magno munere regem Midam docuisse, « non nasci hominem optimum esse, proximum autem quamprimum mori. » Idem Pindaro principi lyricorum ab Apolline Delphico fuisse responsum, ut scilicet moreretur, hocque esse optimum, refert Suidas et Plutarchus loco citato. Euripides in *Bellerophonte* : « Ego, ait, juxta sententiam vulgo celebratam optimum esse dico : Non nasci hominem. »

Plato in *Axiocho*, graphice humanæ vitæ miserias depingens, narrat Agamedem et Trophonium cum Apollinis Pythii templum ædificassent, orasse pro mercede dari sibi quod optimum esset; cumque obdormissent, nunquam deinde surrexisse. Idem accidit Junonis Argivæ sacerdotibus; unde ille de Amphiarao :

Jupiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo
Diligit, et justi metas non attigit ævi.

Causiani et plures populi lugent in lucem editos, defunctos autem beatos prædicant. Hinc homo dum nascitur a fletu vitam inchoat, ut indicet se nasci ad miserias vitæ, ac ex felici statu, quo nondum natus fruebatur, ad infelicem nascendi vivendique transire. Arimnestus, interrogatus « quod maximum homini bonum esset, » respondit : « Bene mori, » uti refert Stobæus, *serm.* 119, ubi et hæc duo addit.

Aristoteles sæpe dicebat, « e vita migrare esse optimum, velut e convivio non sitibundum, nec temulentum. »

Aristides cognomento Justus, rogatus quatenus deceat hominem vivere : « Tantisper, ait, dum deprehendat emori præstare, quam in calamitatibus vivere. »

Gorgias senex rogatus « an libenter moreretur : Maxime, inquit, nam tanquam ex putri et diffluente domuncula non invitus discedo. » Ita Stobæus, *serm.* 125.

Bassus senex, « si quid incommodi aut metus in morte esse diceretur ab aliis, morientis hoc esse vitium dicebat, non mortis; mors enim nihil incommodi hominibus affert, sed ab omnibus incommodis ac fortunæ miseræ procellis liberat, » teste Seneca, *epist.* 30.

Sublimius Alphonsus Aragoniæ rex, cernens Gabrielem Surrentinum adolescentem moribundum, timore mortis perculsum : « Non est, ait, cur tantopere mortem timeas, cum hæc bene pureque morientibus sit vita, atque ejus vitæ principium, quæ neque doloribus, neque metui, neque invidiæ, neque ærumnis ullis subjecta est. » Ita Panormitanus et Æneas Sylvius, *De Gestis et dictis Alphonsi.*

Polyænus non dolendum esse propter mortuos dicebat : « Eo quod melius sit mori, quam misere vivere. » Ita Maximus, *serm.* 35.

Lacæna quædam, cum filium audisset in acie cecidisse, ait :

Plorentur timidi, mi, infletus humabere, nate,
Et matre hac vere dignus es, et patria.

Ita Plutarchus in *Lacon.*

Hæc nimirum a Salomone hausere Plato et Philosophi; Salomoni ergo, ut sapientiæ fonti, reddantur.

Vers. 4. 4. RURSUM CONTEMPLATUS SUM OMNES LABORES HOMINUM, ET INDUSTRIAS ANIMADVERTI PATERE INVIDIÆ PROXIMI : ET IN HOC ERGO VANITAS, ET CURA SUPERFLUA EST, — id est cura mala, molesta, anxia, imo pessima et summe affligens. Nam hebræum est רעות רוח *reut ruach*, id est *afflictio spiritus*, Septuaginta, *præsumptio spiritus*; Complutenses, *electio spiritus*; Tigurina, *negotium permolestum*; Campensis, *animi molestissimum tormentum*. Vide dicta cap. I, vers. 14. Syrus, *et vidi ego omnes laborantes, et omnes artifices operis, quia zelus viri a socio suo, et hoc quoque vanitas, et perturbatio spiritus*; Arabicus, *et cognovi ego omnes labores, et universitatem roboris artium, quod invidia natura homini a proximo illius erit; hoc quidem vanum, et afflictio spiritus.*

Pro *proximi* hebraice est *socii*. Invidia enim est inter æquales, et homines ejusdem artis et sortis; hinc « figulus figulo invidet, faber fabro, cantor cantori, vicinus vicino, » ait Hesiodus in *Oper. et Diebus;* vide Aristotelem, lib. II *Rhetor.* cap. X et XI, et Plutarchum, opusc. *De Fraterno amore*. Sic ab initio mundi Cain ex invidia occidit Abel fratrem suum; Esau persecutus est Jacobum; filii Jacob Josephum fratrem; Core, Dathan et Abiron Mosen et Aaronem contribules suos, *Num.* 16; Saul Davidem; Romulus Romæ conditor Remum fratrem occidit; de quo Lucanus, lib. I :

Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

φθόνος enim parit φόνον, id est, invidia parit homicidium, imo parricidium, juxta illud Pauli : « Plenos invidia et homicidio, » *Roman.* I, 29. Notat tamen S. Augustinus, lib. XI *De Genes. ad litteram*, inferiorem subinde posse invidere superiori, quia optat ei coæquari; ac vicissim superiorem inferiori, dum metuit ne ei coæquetur, fiatque par pari.

A calumnia transit ad invidiam, vel tanquam ab effectu ad causam: invidia enim causat calumniam; invidus enim calumniatur facta alterius, ut ea obscuret, et sua præ illis illustret extollatque: vel tanquam a simili ad simile, sicut enim potentiores per calumniam, id est vim et fraudem, opprimunt infirmiores, sic invidi persequuntur sibi similes et æquales.

INDUSTRIÆ. — Hebræum כשרון *kisron*, id est rectitudo, congruentia, industria. Unde S. Hieronymus vertit, *fortitudinem et gloriam laborantium*; Auctor *Catenæ Græc.*, *robur et virilitatem*; Septuaginta, *virtutem operis*; Pagninus, *congruentiam operis*; Cajetanus, *rectitudinem* Campensis, *conatum*; alii, *aptitudinem*. Symmachus vertit, γοργότητα, id est vigorem, alacritatem, acrimoniam, vivacitatem, agendi facilitatem et velocitatem, quæ faciat hominem in opere efficacem, expeditum et terribilem. Invidia enim petit non viles et vulgares, sed industrios, magnanimos et eximios. Horum enim fulgor obstat splendori aliorum, eumque offuscat, qui proinde illi invident. Unde illud : « Alta petit livor, perflant altissima venti. Optima, cibus invidiæ. » Hinc Sidonius Apollinaris, lib. I, epistol. 4 *ad Gaudentium*, ait : « O terque quaterque beatum te, de cujus culmine datur amicis lætitia, lividis pœna, posteris gloria, vegetis et alacribus exemplum, desidibus et pigris incitamentum;» et Apuleius, lib. I *Florid.*: « Quoniam in magna civitate, ait, hoc quoque genus invenitur, qui meliores obtrectare malint, quam imitari, et quorum similitudinem desperant, eorum affectant simultatem. » Exstat hac de re pulchrum emblema, in quo pingitur palma excelsa, ramis et dactylis luxurians, ad cujus radices inferne glomerantur ranæ et serpentes, qui eam arrodunt, vel coaxando conviciantur ; subjicitur lemma : « Invidia integritatis assecla. » Unde carmen : petit magnos. Invidiæ emblema.

Palma caput tollit cœlo arduo, cujus ad ima
Rana loquax stabulantur et hydri.
Oppugnant proceres, quorum via consona recto est,
Degeneres, atque invida lingua.

Meminit hujus emblematis Plutarchus, lib. *De Silentibus Sythiæ oraculis*. Hinc Poetæ dixere vel finxere fortunam cum invidia colligatam. Audi Statium, lib. V *Silv.* :

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam invidiamque deus? quis jussit iniquas
Æternum bellare deas? nullamne notabit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinus, et sæva perturbet gaudia dextra.

INVIDIÆ PROXIMI. — Invidia hic tripliciter accipitur : *primo* mutua, qua superbi sibi invident, et se mutuo in eadem arte, scientia, officio æmulantur, ut alter alterum superare contendat, *q. d.* Labores hominum, quibus magna machinantur, sæpe non ex veritate veraque virtute, sed ex vanitate vanoque fastu et invidia promanant: ideo enim quisque laborat, omnesque vires animi et corporis in opere exerit, ut socium superet cæterisque emineat. Unde Hebræa habent, *vidi omnem laborem et omnem industriam operis, quod ipsa sit zelus, vel æmulatio viri a socio suo;* Tigurina, *vidi omnem laborem et omnem industriam agendi, mutuam esse æmulationem*; Pagninus, *vidi omnem laborem et omnem congruentiam operis, quod esset invidia uniuscujusque ad proximum suum*; Campensis : *Multa*, inquit, *experientia didici hominum conatus et studia non alio tendere, quam ut quisque vicino suo, quibus possit artibus, noceat, et rem propriam promoveat. Quod quid est aliud, quam molestissimis curis animum misere torquere?* Primo.

Secundo, invidia cum Lorino accipi potest active. Unde Chaldæus vertit, *hoc quoque vanitas est peccatori* (invido) *et contritio spiritus, q. d.* Vidi labores et industrias hominum proborum et sa- Secundo.

pientum, ex virtute susceptos, parere invidiam intuentium, quæ magna est vanitas et afflictio invidorum. « Invidia enim est animi invidentis serra, » ait Socrates; « et cordis rubigo, » ait Antisthenes apud Laertium, lib. VI, cap. I, quia cor ipsum rodit, exedit, consumit. « Putredo ossium invidia, » ait Salomon *Proverb.* cap. XIV, 30. « Zelus et iracundia imminuit dies, » ait Ecclesiasticus cap. XXX, 26. Quocirca S. Augustinus, serm. 15 *De Temp.* : « Invidia, ait, est animæ tinea, tabes, carnifex, vipera. » Unde Seneca : « Vellem, inquit, oculos invidorum esse ubique, ut omnium felicitatibus torquerentur. » Ita accipit S. Hieronymus dum ait : « Quid enim vanius, quid instabilius, quam homines non suas flere miserias, sed melioribus invidere? » Et Thaumaturgus, qui paraphrastice sic vertit : « Jam hoc (calumniarum et calumniantium, de quibus vers. 1) exemplo meo liquidum sit, si qui in viros claros evadant, quanta eos proximorum sequatur invidia. Tametsi is qui maligni dæmonis œstrum et stimulum illum in præcordiis gerit, et ex aliena felicitate inconsolabilem mœrorem concipit, nihil aliud inde consequatur, quam quod suam ipsius animam una cum corpore consumens discruciet. »

Invidia vipera.

Quocirca, sapiens consilium et acutum ad invidiam profligandam, præsertim in scientia et eloquentia, suggerit Plinius Junior, lib. VI, epist. 17 *ad Restitutum* : « Disertior ipse es, inquit, tanto magis ne invideris; nam qui invidet, minor est. Denique sive plus, sive minus, sive idem præstas, lauda vel superiorem, vel inferiorem, vel parem : superiorem, quia nisi laudandus ille est, non potes ipse laudari; inferiorem, aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam, quam maximum videri, quem excedis vel exæquas. »

Tertia.

Tertio et genuine, invidiam, quatenus « vanitas est et afflictio spiritus, » accipe passive, *q. d.* Labores et industriæ virorum strenuorum, magna probe sancteque molientium, in se quidem vera est virtus et gloria; sed tamen secum vehit non levem vanitatem et afflictionem : nam sibi conciliat æmulorum invidiam, quæ heroica generosorum molimenta impedit et intervertit, ac eos affligit, prosequitur, cruciat et deprimit, ne eis videatur inferior. Ita S. Bonaventura, Lyranus, Hugo Victorinus, Cajetanus, Titelmannus et alii. Hunc sensum exigit nostra versio, quæ habet : « Industrias animadverti patere invidiæ » æmulorum, ut ab eis industrii vexentur, et sæpe evertantur : patere enim invidiæ, idem est quod obnoxium esse invidiæ; pati invidiam, vexari ab invidis.

Denique plenus erit sensus, si tertio addas secundum, ac invidiam non solum passive, sed et active accipias. Ita S. Hieronymus et ex eo Alcuinus : « Vidi, inquit, omnem fortitudinem et gloriam laborantium, et deprehendi bonum alterius esse alterius malum, dum invidus aliena felicitate torquetur, et patet insidiis gloriosus, » *q. d.* Opera gloriosa hoc vanitatis et afflictionis adjunctum habent, quod pariant invidiam, quæ torquet et exagitat tam invidos, quam eos quibus invidetur, dum ab invidis invidias et calumnias sustinere coguntur. Unde illud : « Invidia sibi et aliis est venenum. » Sic et Olympiodorus et Hugo Victorinus.

Socrates, rogatus « quid viris bonis molestum esset, » dixit : « Malorum felicitas. Quid malis? Bonorum prosperitas. » Ita Antonius in *Melissa*, serm. 70, pag. 1.

Aristoteles rogatus « quid esset invidia : Est, inquit, fortunatorum antagonista. » Ibidem, *serm.* 62.

Cleobulus, rogatus « quænam præcipue essent cavenda, » respondit : « Amicorum quidem invidia, inimicorum autem insidiæ. »

Porro modi declinandi, vel superandi invidiam sunt varii. *Primum* dat Crates Thebanus apud Laertium, lib. VI, cap. V : Si præclara quidem geras, sed gloriam, opes et honores contemnas : hæc enim tria fere pariunt invidiam. Cato Senior, eos qui fortuna moderate sobrieque uterentur, dicebat minime peti invidia. Non enim, inquit, nobis, sed bonis, quæ nos circumstant, invident homines. Externa bona extra hominem sunt, at insolenter utenti vitium intra hominem est; qui eo sibi conflant invidiam, vere sunt invidiosi. Ita Plutarchus in *Rom. Apophth.*; et Stobæus, *serm.* 36 : « Divitiæ, ait ille, injuriæ sunt pignora. »

Modus vincendi invidiam. Primus.

Rursum prudenter monet Comicus : « Propter invidiam vela opulentiam; » et Cato in *Distichis* :

> Invidiam nimio cultu vitare memento :
> Quæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestum est.

Vide quæ de invidia dixi *Genes.* cap. XXXVII, 4 et 5; *Proverb.* cap. XIX, 30; *Eccli.* cap. XIV, 8. Præclarius idem docet S. Basilius, homil. *De Invidia*, ubi ostendit remedium invidiæ esse, nihil ex fluxis hisce bonis quæ invidiæ sunt materia, magnifacere, sed vana et exilia, uti sunt, existimare. *Secundus* est, cedere honori et officio, cui æmuli invident. Ita D. Gregorius Nazianzenus. Cum intelligeret se ob successum felicem in ecclesia quorumdam odio laborare, respondit : « Absit ut mei causa aliqua simultas inter Dei sacerdotes oriatur. Si propter me est illa tempestas, tollite et mittite me in mare. » Ita *Eccl. Hist.* lib. XI, cap. IX; et Seneca, *epist.* 105 : « Invidiam, ait, effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non jactaveris, si sciveris in sinu gaudere. » Sapienter Auctor Emblematum :

Secundus.

> Falle vivens, sed non te.
> Vixerit is bene, qui natus moriensque fefellit
> Externos, solus cognitus ipse sibi,
> Felix qui latuit, λαθεβιώσας, latenter vive.
> Difficilis est gloriæ custodia.

Tertius est, invidorum obloquia non verbis, sed factis retundere et superare; ideoque oblo-

quia dissimulare et contemnere, imo ea accipere, ut virtutis testimonia, in eisque gloriari. Nemini enim invidetur, nisi qui præclara gerit, qui clarus est et eximius. Hinc Cicero, I *Catilin.* « Invidia, ait, virtute parta, gloria putanda est, non invidia. Cæterum ego inter homines (ait Chares) tamdiu mihi videor esse fortunatus quamdiu invidiosus fuero. Invidiam non probo (inquit Euripides), velim tamen propter bona mihi ab aliis invideri. » Sapienter Philosophus : « Ora virtute obtura, non metu. Linguas non præscinde, sed cave. » Rursum : « Satius est ut quis sit invidiosus, quam miserabilis, » ait Herodotus in *Thalia,* et Pindarus in *Nemæis,* hymno 8. Unde Themistocles, dum adolescens, nihil adhuc præclari se facere dixit : nondum enim invideri sibi. Nam sicut cantharides vegeto maxime tritico innascuntur, et rosis pulchre florentibus : sic invidia maxime invadit bonos viros, et in virtute proficientes, et ingenii personæque gloriam sustinentes : ita Antonius in *Melissa,* part. I, serm. 62. Sicut sol affert necessario umbram, et qui in sole ambulant eos statim sequitur umbra : sic virtus parit invidiam, et eos qui in gloria versantur, necessario sequitur æmulatio. Hinc « parvulum occidit invidia, » *Job* v, 2, quia sicut sol non eclipsat lunam, nec luna terram, sed e converso, terra lunam, et luna solem, id est inferior superiorem : sic superiores virtute et gloria non invident inferioribus, sed inferiores superioribus. Invidia ergo signum est paupertatis et egestatis, quod quis eo cui invidet, sit inferior, pusilli et parvi animi. Nam et « invidere ægritudinis est, et æmulari et obtrectare, » ait Cicero, *Tuscul.* III. Rursum Plutarchus, lib. *De Differ. odii et invidiæ,* asserit felicitatis animique magnitudine sæpe invidiam exstingui : « Neque enim, inquit, credibile est Alexandro aut Cyro invidere quemquam cunctorum jam dominis. » Sapienter Beda in *Prov.* « Nihil, ait, magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. »

Exemplum S. Bernardi.

Quocirca S. Bernardus triplici ratione invidiam superandam esse, scilicet *primo,* humilitate, *secundo* charitate, *tertio* auctoritate, non tam verbo quam facto docebat. Audi Auctorem Vitæ ejus, lib. I, sub finem : « Tanta ergo virum illum sanctum usque hodie apud Deum, et apud homines commendant sacrarum insignia virtutum, testimonia circumvallant sanctitatis, charismata Sancti Spiritus illustrant, quodque majus his omnibus et difficillimum est in rebus humanis, hæc ei omnia sine invidia adesse videntur. Compescit autem ab eo invidiam, quod omni invidia major est, in quantum nequitia cordis humani hoc sæpe cessat homini invidere, quo non potest aspirare; sed et ipse omnem invidiam aut mortificat exemplo humilitatis, aut mutat in melius provocatione charitatis, aut si nequior, vel durior est, obruit pondere auctoritatis. » Et post nonnulla : « Sed qui omnem hominem diligens, nullum aliquando inimicum habet virtute sua, nonnunquam tamen est quod patiatur inimicantem sibi gratis iniquitate aliena. Charitas autem, quæ totum eum possidet, patiens est, benigna est, et sapientia vincens malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate. »

Denique licet invidia afflictionem pariat ei cui invidetur, tamen eidem affert solatium et gaudium. Indicat enim tantum ipsi boni inesse, quantum adest invidiæ; sicut enim quantum crescit corpus, tantum crescit ejus umbra : sic quantum crescit virtus, tantum crescit et invidia. Invidiæ ergo afflictionem sopiat invidendi causa, puta virtus et gloria. Quocirca Plutarchus, lib. *De Pernicioso pudore,* taxat eos qui ob metum invidiæ a præclaris operibus cessant : « Quando sæpe non minore male audiendi, quam male patiendi metu ducti, honestatem prodiderunt nonnulli, ob impatientiam infamiæ. » Idem per allegoriam Scyllæ et Charybdis repræsentat Annulus in *Picta poesi,* dum ita canit :

> Invidia obtrectans monstris est Scylla caninis;
> Funditus at mergens paupertas, vasta Charybdis.
> Incidet in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.
> Allatrat livor mordax, absorbet egestas.
> Ex utroque malo minus elige : qui sapit, optat
> Invidiosus enim mage, quam miserabilis esse.

Satius ergo est incidere in Scyllam, id est in invidiam, quam in Charybdim, id est in miseriam et inopiam, præsertim virtutum et meritorum. *Invidiosum* vocat eum qui ob opes et virtutes occasionem dat ut sibi æmuli invideant, *invidos* vero eos qui invidioso invident, adeoque præstat inopem esse et miserum, quam invidum; sed invidiosum præstat esse, quam miserum. Plura de invidia vide apud S. Augustinum, serm. 83 *De Tempore;* Nazianzenum, orat. 12; S. Cyprianum, tract. *De Zelo et livore;* et Basilium, hom. *De Invidia;* S. Chysostomum in cap. XII *epist.* I *ad Corinth.;* S. Ephrem, tom. I, pag. 37; S. Gregorium, V *Moralium* cap. ult., et III part. *Pastor.* cap. XI; B. Antiochum, hom. 55, S. Bernardum, hom. 13 *in Psalm.* XC; Antonium in *Melissa,* serm. 62; Maximum, *serm.* 54.

5. STULTUS COMPLICAT MANUS SUAS, ET COMEDIT CARNES SUAS (S. Ambrosius legit, *viscera sua*) DICENS. — Chaldæus, *stultus vadit et complicat manus suas in æstate, et non vult laborare; et in hieme comedet quidquid est ipsi, etiam operimentum quod est super pellem carnis suæ* : hoc enim divendit ut cibum comparet. S. Hieronymus, *stultus continet manibus pectus suum;* Campensis, *stulti juncti manibus desident otiosi, et quidquid habent consumunt;* Vatablus, *absumit omnia sua.* Vers. 5. Complicat manus et comedit carnes suas.

Primo, aliqui putant hic pingi invidum : hic enim ex dolore et invidia complicat, stringitque manus, et carnes suas comedit, dum eas livore tabescnes consumit, corque suum exedit. Ita Thaumaturgus et Joannes Ferus. Unde symbolum Primo. Invidus.

Pythagoræ : « Cor ne edito, » id est ne curis vel livore te conficias.

Secundo. Superbus. *Secundo*, alii censent hic pingi ambitiosum: hic enim superbe complicat manus, putans sibi otioso et inerti omnia deberi, et omnia ultro in sinum involatura. Superbia enim parit inertiam: unde superbos videmus pigros, nec velle laborare. Ita Lyranus.

Tertio. Avarus. *Tertio*, autumant nonnulli hic pingi avarum: hic enim arctat manus ne quidquam eroget, ac præ avaritia genium suum fraudat, ut macrescat et carnes suas exedat. Ita Hugo.

Quarto. Gulosus. *Quarto*, alii opinantur hic describi gulosum et libidinosum: hic enim per gulam et luxuriam, quam manibus perpetrat, lædit valetudinem, carnesque et vires suas exhaurit, uti docet Salomon *Prov.* v, 11. Unde Auctor *Caten. Græc.* : « Impius, ait, comedit carnes suas, dum exsatiat se malis, quæ ex carne nascuntur. »

Quinto. Otiosus. *Quinto* et genuine, pingitur hic otiosus, piger et iners, qui complicatis manibus torpidus desidet, ac torpore, indeque consequente egestate, fame et inedia carnes suas consumit. Commode enim transit ab invido ad pigrum, quia multi ut vitent invidiæ morsus et damna, dant se inertiæ, ut vivant tranquille, sed egentes et miseri. Ita S. Hieronymus, Campensis, Cajetanus, et Titelmannus. Huc pertinet emblema Scyllæ et Charybdis, quod sub finem vers. 4 recitavi. Audi S. Hieronymum : « Totum quod disserit, hoc est, ut ostendat et eum qui laborat, et habet aliquid in mundo, patere invidiæ; et rursum eum qui vivere vult quiete, inopia opprimi, et esse utrumque miserabilem, dum alius propter opes periclitatur, alius propter inopiam egestate conficitur. » Hinc Symmachus vertit, *stultus complicatur manibus suis*. S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.* cap. IV: « Otiosus, inquit, manus suas complexus est, et carnes suas devoravit; » indeque concludit : « Si quis inopia premitur, quia edax, aut ebriosus, aut otio deditus sit, hic non est subsidio dignus, imo neque dignus Ecclesia Dei. » Unde colligit viduæ otiosæ, voraci et temulentæ, non esse largiendam eleemosynam. Symbolice Hugo Victorinus : « Complicat, ait, manus suas quasi pactum faciens cum otiositate; » Cajetanus : « Tanquam caras habens manus, ut illas complectatur servando ab exercitii labore; » Olympiodorus : « Tanquam complectens eas ob delectationem, eisque salutando blanditur; » comeditque carnes, quia caro ejus egestate consumitur. Sic idem Salomon pigrum pingit conserentem manus, eidemque nuditatem et famem minatur, *Prov.* cap. VI, vers. 9 et 10; et cap. XVIII, vers. 8; et cap. XIX, vers. 24; et cap. XXIV, vers. 33; et cap. XXIV, vers. 15.

Huc facit proverbium Hebræorum : « Fuit fames, et non transivit per ostium artificis, » quia opifices laborando lucrantur vitæ necessaria, itaque famem depellunt. Porro otiosus hic vocatur « stultus, » quia summa stultitia est otio se ad famem et tabem adigere.

Hinc S. Clemens, lib. II *Constitut.*, cap. LXIII, suo et seniorum sacerdotum exemplo, juniores clericos ad laborem serio hortatur : « Etenim et nos, inquit, verbo Evangelii incumbimus, tamen exercere illa quasi adminicula operis hujus non negligimus: partim enim nostrum sunt piscatores, partim tabernaculorum opifices, partim agricolæ, ne unquam otiosi simus. »

Edere carnes, quid? Resp. primo. Secunda. COMEDIT CARNES SUAS. — *Primo*, Chaldæus per *carnes* accipit vestes quæ tegunt carnes, *q. d.* Otiosus consumit vestes, dum eas vendit, ut victum comparet. *Secundo*, melius alii, *comedit carnes*, id est otio extenuatur et fit macilentus; otium enim succum corporis deterit et exhaurit, sicut exercitatio et labor eumdem adauget, facitque fortes et succulentos : quia « quantum otiositas sua impinguat, tantum subsequenti inedia maceratur; ideo comedit carnes suas, » ait Olympiodorus. *Tertio* et optime, « comedit carnes suas, » id est, Tertio. summa inedia et fame carnes suas consumit, ac subinde emoritur. Est hyperbole. Unde Vatablus et Campensis vertunt, *omnia sua consumit*. *Quarto*, Quarto. comedere carnes, significat rabiem famis, qua adacti otiosi, famelici in uxores, filios, et carnes suas grassantur, eorum opes devorant, imo subinde eos mordent et vorant, uti Job ait cap. XIII, 14 : « Quare lacero carnes meas dentibus meis? » Potuit enim fieri, ait Philippus Presbyter ibidem, ut Job præ vehementia doloris manus sive labia sua dentibus laceraret, et se jam tormentis deficiente, animam exeuntem, velut efferendam portaret in manibus. Similes phrases sunt *Job* cap. XIX, 22, et cap. XXXI, 31.

Sic polypus brachia sua vorare perhibetur ab Oppiano, lib. II, licet idipsum neget et refutet Plinius, lib. IX, cap. IX, et Aristoteles, lib. VIII *Histor. animal.* cap. II. Omnes enim otiosum pigrumque aversantur, nec ei succurrere dignantur. Ingerunt enim ei legem Apostoli : « Si quis non vult operari, nec manducet, » II *Thess.* III, 10. Simili schemate ait Moyses, *Deut.* XXVIII, 53 : « Comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum, et filiarum tuarum in angustia et vastitate, qua opprimet te hostis tuus; » sicut in obsidione Hierosolymitana matres fame rabidæ comederunt proprios filios. Et Isaias, cap. IX, 19 : « Et erit, ait, populus quasi esca ignis : vir fratri suo non parcet : Et declinabit ad dexteram, et esuriet : et comedet ad sinistram, et non saturabitur; unusquisque carnem brachii sui vorabit; Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen, simul ipsi contra Judam. »

Mystice S. Ambrosius, *epist.* 30 in editione Romana, juxta aliam editionem, 36 : « Stultus, ait, complicat manus suas, et devoravit viscera sua, id est corporalibus se implicavit negotiis, et devoravit viscera sua, sicut mors prævalens, et ideo non inveniet vitam æternam. Sapiens autem attollens

opera sua, ut lucerent coram Patre suo, qui in cœlis est, non absumpsit, sed elevavit viscera sua, usque ad resurrectionis gratiam. Hæc gloriosa sapientis saltatio, quam saltavit David, et ideo usque ad sedem Christi sublimitate spiritalis saltationis ascendit, ut videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo : Sede a dextris meis. »

Vers. 6. 6. DICENS : MELIOR EST PUGILLUS CUM REQUIE, QUAM PLENA UTRAQUE MANUS CUM LABORE ET AFFLICTIONE ANIMI. — Τὸ *dicens* non est in Hebræo, Chaldæo, Græco, Syro et Arabico ; unde Thaumaturgus, S. Hieronymus, Olympiodorus, Albinus et Cajetanus censent hic esse antithesin versus præcedentis, quasi ibi otiosus, qui complicat manus et fame tabescit, hic negotiosus describatur : isque duplex, scilicet nimis laborans, et moderatus in labore. Virtus enim consistit in moderatione, et in medio duorum extremorum vitiorum, quæ hic sunt otium et nimius labor, nimiaque sollicitudo : in medio horum duorum consistit mediocritas laborandi, quæ dicit : « Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi. » Unde Thaumaturgus vertit, *atqui præoptarit vir sapiens et cordatus alteram manum cum facultate et lenitate implere, quam utramque ærumna, et fraudulenti spiritus calliditate et versutia.*

Id reipsa verum est. Unde idipsum sæpe alibi docet Scriptura, ut : « Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas, » *Psal.* XXXVI, 16. « Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles, » *Prov.* XV, 16. « Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate, » *Prov.* XVI, 8. « Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio, » *Prov.* XVII, 1. Victui necessaria sufficiunt, ut sicut sine paupertate, sic absque divitiis sit; quod Salomon a Deo poscebat, quin et Apollonius Tyanæus, cum diceret : « Concedite mihi, dii, pauca habere, et nullius indigere. »

Verum melius noster Interpres hunc versum nexuit præcedenti, censuitque utrumque ad unum et eumdem pertinere, puta ad otiosum et pigrum, ac proinde per mimesim ejus sensa hic exprimi, ideoque supplendum esse τὸ *dicens*. Otiosus ergo hac sententia, quæ in se sæpe vera est, abutitur ad velandam suam pigritiam. Ita S. Bonaventura, Hugo Victorinus, Campensis, Titelmannus, Osorius et alii.

Hebræa ad verbum habent, *bonum plenitudo manus cum quiete, præ plenitudine manuum duarum (vel plurium.* Hebræum enim חֻפְנַיִם *chaphnaim*, cum sit tantum duale, et duas manus, et plures manus significat; tamque est plurale, quam duale) *cum labore et afflictione spiritus.*

Ubi nota : *Plenitudo manus* est pugillus, sive parvus pugnus, puta tantum quantum quis digitis ad manum complicatis compressisque stringere et complecti potest. Unde hebræum כַּף *caph* significat manum curvam, qualis est in pugno sive pugillo.

Pro *plena utraque manus* Hebraice est, *plenitudo chaphnaim*, id est plenitudo duarum (vel plurium) volarum sive palmarum, puta manuum extensarum. Opponitur ergo pugillus unus duabus manibus extensis, quæ non tantum pugilli duplum, sed quadruplum et amplius complectuntur. Hinc Symmachus vertit, *melior est plenus pugillus cum requie, plenitudine utrarumque manuum cum labore;* Septuaginta quos sequitur Syrus et Arabicus vertunt, *bona plenitudo pugilli requietis, super plenitudines duorum pugillorum laboris, et præsumptionis spiritus;* Syrus, *melior est plenus pugillaris requie, quam plenæ manus labore et perturbatione spiritus;* Arabicus, *plena palma requie, multo magis quam plenæ duæ palmæ labore et afflictione spiritus.*

Nonnulli sic explicant, *q. d.* Præstat duplo minus victus et sumptus etiam necessarii, si duplo quietis et otii adderetur, quam e contrario duplo amplius cibi, divitiarum et deliciarum, si de quiete et otio alterum tantum detraheretur. Verum hic sensus arctus est, nimisque arithmeticus.

Sensus ergo genuinus est, *q. d.* Pugillus farinæ, vel escæ, id est modicum et minimum cibi, quo frui possis cum quiete, præstat utraque manu plena deliciis, id est, præstat copiosissimis et lautissimis epulis, si eas comparare debeas cum labore et afflictione animi : quia melior est quies animi cum cibo modico, quam afflictio et tumultus animi cum cibo optimo et maximo, melior est pax mentis cum fame, quam perturbatio mentis cum satietate. Id verum esse liquet in Religiosis, qui feliciores sunt sua frugalitate cum quiete, quam reges et principes suis epulis cum tot curis. Tranquillitas enim animi est bonum altioris ordinis, quod omnes delicias omniaque bona corporalia longe superat et transcendit. Hoc verum est, sed inde perperam concludit otiosus et piger : Ergo mihi supersedendum est omni labore et afflictione; ergo cavenda est mihi vita laboriosa et industria, quæ concitat æmulorum invidiam : malo esse pauper, et carere invidia, quam præclara gerere, quæ mihi moveant invidiam. In qua collectione sive conclusione errat *primo*, quia ab uno extremo nimii laboris declinat ad alterum extremum, puta ad merum otium et desidiam, cum mediam virtutis, puta moderati laboris sortem capessere deberet. Unde Campensis vertit, *melius est paululum cum ignavia, quam multa conquirere laboriose;* qui manifestus est error, et dictamen acediæ. Pigri paralogismus. Primo.

Secundo, quia dum declinat invidiam passivam, incidit in activam, quæ pejor est : paupertas enim impellit eum, ut aliena concupiscat et furetur, ut divitibus opes invideat et auferat; dum ergo non vult fieri per laborem et opes invidiosus, per desidiam et inopiam fit invidus, quod longe deterius est; pigri enim quia inopes, industriis opulen- Secundo

torum invident tam industriam, quam opulentiam.

Tertio. *Tertio,* quia otium et desidia mille ingerunt homini cogitationes, cupiditates, timores, sollicitudines, quæ longe magis affligunt otiosum, quam labor negotiosum. Id docet Salomon, *Proverb.* XXI. 2 : « Desideria occidunt pigrum. Noluerunt quidquam manus ejus operari : tota die concupiscit et desiderat. »

Quarto. *Quarto,* quia licet in temporalibus subinde melius sit modicum cum requie, quam multum cum labore, tamen in spiritualibus id falsum est; si enim fidelis, præsertim sacerdos vel religiosus, diceret : Volo quiescere in mea justitia; nolo laborare, ut fiam sanctior; nolo crescere in gratia, meritis et gloria; nolo tendere ad perfectionem, graviter peccaret. Unde S. Chrysostomus acriter invehitur in eos qui dicunt : Sufficit mihi, si salver, si in ultimo angelorum choro in cœlo consistam; imo vero, inquit, debes conari ut ad Cherubinos et Seraphinos eveharis.

Mystice. Primo. Mystice, Olympiodorus tripliciter exponit. *Primo,* pugillus, ait, est indeficiens fides, quæ est in Dominum Jesum Christum. Duo autem pugilli intelligendi sunt, cum quis duobus dominis servire studet, Deo scilicet et mammonæ, et opprobria illa pati, quæ Propheta commemorat : « Usquequo claudicabit in utrumque poplitem? » III *Reg.* I, 2. Melius est ergo sine ulla controversia, quod hic

Secundo. prius ponitur. Aliter, pugillus unus, unitas ipsa quæ materia caret; pugilli duo, materialia, quæ dividi possunt. Habetur præterea ipsa dualitas in Scripturis sacris, immunda et impura. Nam immunda animalia bina ingrediebantur in arcam Noe. Melius ergo est unitatem sequi, ac officiosam vitam ducere cum quiete, hoc est sine inanis gloriæ fuco, quam occupari circa dualitatem, hoc

Tertio. est res materiales. Aliter, contemplari possumus hominem fuisse olim pugillum, cum videlicet Deus pulverem de terra accipiens, ac veluti pugillo concludens plasmavit hominem. Pugillus etiam fuit mulier : a latere enim Adam costam manu Deus apprehendens Evam plasmavit. Melior ergo est cælibatus pugillis duobus, hoc est dualitate et copula conjugali. Quamvis enim conjugium damnandum non sit, cælibatus certe laudabilis et molestia carens. Hucusque Olympiodorus.

ET AFFLICTIONE ANIMI. — Hebræum *reut* et afflictionem et malitiam significat. Posterius hoc secutus Thaumaturgus vertit, *subdoli spiritus malitiam.* Et Chaldæus : *Melior,* ait, *homini est plenus cibi pugillus in tranquillitate animi, et a furto et rapina alienus, pugillis duobus cibo refertissimis, vi et concussione conquisitis : nam et hos aliquando in judicio repensurus est summa sua molestia et animi perturbatione, q. d.* Satius est parum juste partum cum quiete, quam multa injuste parta cum rapina et tumultu. Nam, ut ait S. Hieronymus : « Justitia requiem habet, iniquitas laborem. » Verum *reut* hoc toto libro non tam malitiam culpæ quam pœnæ, id est afflictionem significat, uti cæteri passim vertunt : hæc enim directe opponitur quieti et tranquillitati.

7 et 8. CONSIDERANS REPERI ET ALIAM VANITATEM SUB SOLE : UNUS EST, ET SECUNDUM NON HABET, NON FILIUM, NON FRATREM, ET TAMEN LABORARE NON CESSAT, NEC SATIANTUR OCULI EJUS DIVITIIS : NEC RECOGITAT DICENS : CUI LABORO, ET FRAUDO ANIMAM MEAM BONIS? IN HOC QUOQUE VANITAS EST, ET AFFLICTIO PESSIMA. — A vanitate pigri fame tabescenti transit ad contrariam vanitatem avari sordida parcimonia tabescentis, qui semper laborat, ut corradat opes, non sibi, nec filio, aut fratri, quibus caret, sed incerto et ignoto hæredi : hæc magna est vanitas, unde eamdem sæpius iterat et inculcat, ac perstringit Salomon, ut cap. II, 18 et seq., cap. III, vers. 22. Vide ibi dicta. Vers. 7 et 8.

UNUS EST, — hoc est unicus est, sive solus sine filio et fratre, hoc est sine proximo et necessario hærede : unus enim pater multiplicatur, et fit multus in filiis; unde una ejus hæreditas in multos filios dividitur, fitque multiplex. Licet enim jure Cæsareo laterales, puta nepotes, ab intestato succedant in bona patrui defuncti, usque ad decimum gradum inclusive, tamen non tenetur testator deficientibus tum ascendentibus (uti sunt pater, avus, abavus), tum descendentibus (uti sunt filii et filiorum filii), instituere hæredes consanguineos in linea transversali, ut patet *Institut., De Inoffic. Testam.* in princ. vers. *Soror autem,* leg. *frater* C. eod. tit.

Porro per unum maxime notat sordide avarum, qui nummos suos abscondit, solusque crebro inspicit, ne a quo furto subducantur. Unde a nullo eos videri sinit, qualis fuit Comicus ille Euclio, qui opes domi defodit, et anum domo extrudit, ne illa opum sit conscia; sic enim ait :

> Exi, age, exi, exeundum hercle est hinc foras.
> Circumspectatrix cum oculis emissitiis.
> Oculos hercle istos improbos effodiam tibi.
> Ne me observare possis, quid rerum geram,
> Quæ in occipitio quoque habes oculos pessima.

Huc accedit Olympiodorus : « Unum, inquit, hoc loco accipit, qui seipsum tantummodo fovet et diligit, qui ne habere quidem velit filios ac fratres. Nam qui desiderio illorum tenetur, quamvis natura nullos affines et consanguineos habeat, qui tamen secundum Dei præcepta charitatem sectatur, omnes homines quamvis externos esse sibi filiorum loco putat, et fratrum, juxta illud : Esto orphanis tanquam pater, et tanquam maritus matri eorum. »

Mystice S. Ambrosius, lib. *De Instit. virg.* cap. X, hæc explicat de Christo : « Est unus, inquit, et non est secundus is de quo dictum est : Magister vester nunc Christus est, unigenitus Dei Filius, solus, primus, unus Deus, quod vult faciens, non quod imperatur (videlicet ut Deus est); est unum

quid cum Patre, unicus sine peccato, solus sine adjutorio (in passione); non est finis laborum ejus, quia pro omnibus advocatus est apud Patrem, et infirmitates nostras suscepit, et pro nobis dolet et infirmatur; non satiatur oculus ejus divitiis, quia ipse est altitudo divitiarum, sapientiæ et scientiæ Dei, in quo sunt thesauri mysteriorum cœlestium. Non est finis omni populo ejus, quia populus Christi innumerabilis finem non habet, cui fides resurrectionis æternæ perpetuæ vitæ acquirit ætatem. » Sic et Salonius et Alcuinus.

Verum Christo non convenit id quod sequitur: « In hoc quoque vanitas est. » Unde S. Ambrosius idipsum applicat christianis, qui, uno Christo relicto, vano serviunt sæculo, uti mox patebit; sane hæc allegoria litteræ et scopo Salomonis parum consona, imo dissona videtur. Unde Hugo Cardinalis : « Hæc, inquit, impositio potius quam expositio videtur, » nisi S. Ambrosii et S. Hieronymi auctoritate fulciretur, ob quorum reverentiam illam repudiare non audeo.

ET SECUNDUM NON HABET, — id est deest ei legitimus hæres, puta filius vel frater (1). Unde Chaldæus clare vertit, *et non est secundus præter eum, neque etiam filium; neque fratrem habet ad hæreditandum facultates ejus.*

ET TAMEN LABORARE NON CESSAT. — Hebræa, Septuaginta et Syrus, *nec est finis omni labori ejus;* Arabicus, *nec in omni labore suo est confusus*, non pudet eum laborare assidue instar asini. Aquila vertit τελός, quæ vox et finem et perfectionem significat, *q. d.* Nondum se satis opibus plenum perfectumque existimat, sed plura et plura semper appetit, nondum res suas confectas, nondum se vicisse difficultates et impedimenta fortunatæ sortis autumat. Campensis, *cupiditatibus ejus nullæ divitiæ satisfaciunt.* Nimirum egenus est, qui egenum se æstimat, ideoque coacervare non cessat, esto sit ditissimus. « Miser est, qui se non beatissimum judicat, licet imperet mundo, » ait Seneca, *epist.* 9. Et Comicus : « Non est beatus, esse qui se non putat; » nec miser, qui se non æstimat miserum. « Tuum quidem malum, ait Marcus Antoninus Imperator cognomento Philosophus, lib. IV *De Vita* sua, non est in alterius animo positum, neque in conversione ulla aut mutatione cœli; ubi ergo? in opinione de malis tua. Nihil igitur malum esse judica, et omnia bene habebunt. Quod si corpus, quod animo tuo est proximum, secetur, uratur, suppuretur, putrescat, tamen ea pars, quæ judicare de his debet, quieta sit, hoc est, existimet nihil esse neque bonum, neque malum, quod ex æquo potest bono atque malo accidere : nam quod ei qui secundum naturam vivit, ex æquo accidit, id neque secundum, neque contra naturam est. »

(1) Generalius sumendum : Est solus quispiam, nec socium habet laboris aut rerum, aut amicitiæ vel propinquitatis lege sibi junctum.

NEC RECOGITAT DICENS. — Campensis, *neque unquam ad se redit, ut apud se dicat : Quibus laboro?* Hæc verba non sunt in Hebræo et Græco, sed subintelliguntur : unde solerter ea supplevit Noster et Chaldæus. Est hæc insignis incogitantia et dementia avarorum, quod non recogitent usum et fructum, imo vanitatem suorum laborum et curarum, quibus continuo frustra se vexant. Similis est illa divitis avari, qui proinde audit a Christo : « Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te; quæ autem parasti, cujus erunt? » *Lucæ* XII, 19. Dementiam hanc clarius repræsentat Ecclesiasticus, cap. XI, 18 et seq. : « Est qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis illius in eo quod dicit : Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus : et nescit quod tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur. »

CUI LABORO. — Το *cui* non est neutrum, *q. d.* Ad quam rem, quo fine, quo fructu laboro; sed masculinum : *cui*, scilicet homini vel hæredi; hunc enim significat hebræum לי *mi*. Chaldæus, *cui tandem me excrucio?* Thaumaturgus, *ex eo lubens quæsiverim quam ob causam laboribus se conficiat.*

ET FRAUDO ANIMAM MEAM. — Defraudo genium meum, non audens uti opibus, tanto labore meo partis, sed eis parcens, easque asservans incerto hæredi. Hebræa, *et deficere facio animam meam;* alii, *imminuo animam meam;* Septuaginta, *fraudo animam meam bonitate,* id est jucunditate et voluptate sua; Syrus, *perdere facio animam meam bona;* Arabicus, *bonum;* Chaldæus, *et non dicit in corde suo : Cui ego laboro et fraudo animam meam bonis? Surgam et faciam ex eo eleemosynam, et lætabor in hoc sæculo cum filiis hominum, et in sæculo venturo cum istis.*

Tropologice S. Ambrosius, *De Instit. Virg.* cap. I : « Cur ergo, inquit, sæculo (et non uni Christo) laboramus et fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii, nisi huic Domino servire deberemus? »

Avari ergo similes sunt Judæis, qui avare colligentes manna, plus quam edere poterant, mox viderunt illud putrescere, et scatere vermibus, *Exodi* XVI. Idem fit avaris, quos proinde objurgans S. Jacobus, cap. V, 2 : « Divitiæ vestræ, inquit, putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt; aurum et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. » Vide ibi dicta paulo superius Œnopola Chius aliis pretio vendebat vinum optimum, quæstumque faciebat non modicum; ipse acidum et vappam ad usum suum reservabat. Percunctabatur forte quispiam servum ejus, quare ab hero fugisset? audivit eum in bonorum copia sibi quærere mala, id quod omnes sordidi et avari faciunt, quibus æque deest quod habent, quam quod non habent. Historiam hanc refert Plutarchus, lib. *De Tranquill. animi.* Alciatus, *Emblem.* 85, hoc genus

hominum simile facit asino, qui cum obsonia delicata tergo portet, ipse interim carduis pascitur.

AFFLICTIO PESSIMA. — Septuaginta, *distensio pessima;* Syrus, *conversatio mala;* Arabicus, *hoc vanum est et confusio mala;* Symmachus, *occupatio mala;* Campensis, *hoc quidem infinite stultum est, et animi molestissimum tormentum.*

Vers. 9. 9. MELIUS EST ERGO DUOS ESSE SIMUL; QUAM UNUM : HABENT ENIM EMOLUMENTUM SOCIETATIS SUÆ. — Hebræa, *boni duo præ uno : est enim merces labori eorum;* Olympiodorus, *quibus est bonum pretium;* Septuaginta, *boni duo super unum, quibus est eis merces bona in labore suo;* Syrus, *meliores sunt duo uno, quibus est merces bona in labore suo;* Arabicus, *duo boni meliores uno, cum habeant conversationem bonam in laboribus suis;* S. Hieronymus, *meliores duo quam unus;* S. Ambrosius, *epist.* 17, *optimi duo super unum;* Chaldæus, *meliores justi duo in generatione unico; et hi quidem ad siderum rationem seipsos componentes, et verbis annuentes paratam esse illis futuræ vitæ mercedem optimam, ejus laboris, quo seipsos, ut æquales suos enutrirent, impendio defatigarunt;* Vatablus, *feliciores sunt duo unico;* Tigurina, *melius est duos conjunctos vivere, quam unum solum;* Campensis, *quare meliorem et commodiorem judicavi vitam duorum una viventium, quam unius solius : affert enim boni non parum ipsa societas;* alii, *feliciores sunt duo quam unus, q. d.* Felicior est vita socialis, quam solitaria.

Vox illativa *ergo* non est in Hebræo, Græco; Syro, Arabico, sed subintelligitur, uti solerter advertit vulgatus Interpres, ideoque eam expressit; sed difficile est illationem hanc ostendere, et ex antecedente sententia elicere : omissis variis variorum connexionibus,

Dico hanc esse illationis vim et energiam. Dixerat vers. præced. : « Unus est et secundum (hebræum שֵׁנִי *sceni*) non habet, v. g. non filium, non fratrem; et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis : nec recogitat dicens: Cui laboro et fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima, » *q. d.* Unitati et solitudini hæc inest vanitas et afflictio, quod non habeat hæredem vel amicum, cui laboret, et cum quo laboret, seque recreet, ac bonis labore suo partis animam suam pascat et oblectet. Inde recte hic infert : « Melius est ergo duos (hebræum שְׁנַיִם *scenaim*, quod plane respondet τῷ *sceni* vers. præced.) esse simul, quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ, » ut scilicet simul laborent, simul se solentur et recreent, simul opibus labore partis, communi, ideoque duplicato gaudio fruantur. Nam τὸ *melius est ergo esse duos simul, quam unum*, antithesis est ejus quod dixit : « Unus est, et secundum non habet, etc. In hoc quoque vanitas est, » *q. d.* Quia tanta est vanitas solitarii avari, nec habentis hæredem et socium, hinc melius est esse duos, quam unum, quia melior est amica societas morosa et mœsta solitudine.

Unitas ergo est vanitas, dualitas fratrum, vel amicorum est veritas, veraque fraternitatis vel amicitiæ jucunditas et felicitas : hæc enim vitam efficit longe suaviorem, utiliorem, honestiorem, tutiorem, hominemque contra æmulos, hostium insidias, et quasvis fortunæ adversæ vices flatusque obvallat et munit. Ita S. Hieronymus, Bonaventura, Hugo Victorinus, Titelmannus et alii.

Igitur hæc sententia imprimis pertinet ad fratres et filios, quos vers. præcedenti nominavit, *q. d.* Melius est esse duos fratres, quam unum solum; melius est esse duos, puta patrem et filium, quam solum patrem, vel solum filium, quia frater fratrem, pater filium, et filius patrem in labore adjuvat, solatur, roborat, ejusque, si moriatur, est successor, defensor et hæres. Arctissima enim est societas inter fratres ac patrem et filium; quare ipsa cæterarum societatum est radix, origo et exemplar, uti mox ostendam. Hinc Chaldæus vertit, *meliores sunt duo justi in generatione magis quam unus*, etc. *In labore suo, quo laborant ad sustentandam generationem suam.*

Secundo, pertinet ad socios et amicos, *q. d.* Melius est duos esse simul socios et amicos, quam unum solum sine socio et amico. Ratio est, quod in defectum fratrum et filiorum, quos multis natura negat, eadem surrogarit socios et amicos, quos quilibet officiis et beneficiis sibi parare et procurare potest, *q. d.* Si tibi non sit filius, aut frater, ejus loco para tibi amicum, ut non sis unus et solus, sed societate fruaris et gaudeas. Amicus enim erit tibi consolationi, utilitati et decori, perinde ac si esset frater, imo in locum fratris succedet : sicut enim *frater* dicitur quasi *fere alter*, ut ait Gellius, lib. XII, cap. X, sic amicus dicitur quasi alter ego. Nam « vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater, » *Proverb.* XVIII, 24. Idem ex Salomone docet Plutarchus, lib. *De Fraterno amore :* « Pleræque, inquit, amicitiæ nihil aliud sunt quam umbræ et imagines illius primæ, quam natura liberis erga parentes, fratribusque adversum fratres ingenuit; quam qui non veneratur et colit, an is fidem facit ullam se aliis esse benevolum? aut qualis tibi videtur, qui socio in salutatione ac litteris nomen fratris tribuens, neque eadem quidem via cum fratre sibi ambulandum putat? » Addit deinde amicum esse quasi alterum fratrem. Huc accedit Olympiodorus, qui asserit liberalem in pauperes sua liberalitate eos sibi devincire, ut habeatur et colatur ab eis quasi frater, imo pater; quare quot pauperes alit, tot filios et fratres sibi creat. Sic Job, XXIX, 16, ait : « Pater eram pauperum. » Hinc Cyrus aiebat securissimos thesauros esse opes apud amicos depositas, teste Xenophonte, lib. VIII *Cyripædiæ.* Idem asserit Seneca, lib. VI *De Benefic.* cap. III; probatque, ex eo quod opes in cistis servatæ, a furibus sæpe auferantur, amici autem auferri nequeant. Unde idem, *epist.* 9 : « Jucundius, inquit, est amicum facere, quam habere. » Amicum facit,

qui illi benefacit. Et clare Martialis, lib. V, 43 :

Extra fortunam est, quidquid donaris amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Nunc singula ad incudem revocem.

MELIUS EST ERGO DUOS ESSE SIMUL. — Per *duos* accipe quoque tres, quatuor et plures : plurium enim convictus et amicitia suavior et utilior est vita solitaria. Ita Thaumaturgus, Lyranus et alii; sequitur enim : « Funiculus triplex difficile rumpitur. » Unde S. Hieronymus in cap. V *Matth.*, vers. 45 : « Quanto duo, inquit, uno differunt, si amore conjuncti sint, tanto etiam trium contubernium plus valet. Etenim vera charitas et nullo violata livore, quanto augetur numero, tanto crescit et robore. » Unde Philosophus aiebat : « Amicorum neque nobis, neque cuiquam hominum satis fuit. » Dicit tamen, « duos, » ut innuat perfectam societatem et amicitiam tantum consistere inter duos vel tres, hoc est inter paucos, juxta illud *Eccli.* cap. VI, 6 : « Multi pacifici tibi sint, et consiliarius sit tibi unus de mille. »

Charitas ergo propter unum Deum omnes amat, sed ex omnibus hisce, amicitia paucos sibi in familiares et consiliarios deligit. Vide Plutarchum Opuscul. *de Amicitia* inter plures diffusa, quam idcirco marcescere, et in communem frigidamque benevolentiam abire docet.

HABENT ENIM EMOLUMENTUM SOCIETATIS SUÆ. — Hebræa, Septuaginta, Syrus et Arabicus, *est enim merces labori eorum : labori*, scilicet sociali, id est societati. Unde Antonius in *Melissa* cap. XLIII, legit, *est illis merces in labore communi;* et Thaumaturgus : *Qui vitæ,* inquit, *societatem inierunt, et rebus iisdem incumbentes, optimos fructus decerpere queunt, et prosperi successus voluptatem sibi invicem conduplicant.* Merces hæc est, quod duo suaviter, majoreque commodo et lucro, velut socii simul in commune laborent; quod societate mutui colloquii, consilii, consolationis, protectionis fruantur; quod alter alterum relinquere potest successorem et hæredem; quod unus non auderet, duo audent; quod unus præstare non valet, duo præstant. Sic in mercatura societatis ingens est lucrum, dum collatis a duobus vel tribus in commune opibus, industria et negotiatione, major mercium conflatur copia, indeque majus lucrum.

Chaldæus, Olympiodorus et alii per laborem accipiunt dona, eleemosynas, officia et beneficia, quibus quis alium sibi devincit facitque amicum. Hujus enim amicitia, magna donorum datorum est merces, magnaque danti affert commoda et emolumenta.

Moraliter, de bono societatis.

Moraliter, disce hic quantum sit bonum societatis et amicitiæ; per hoc enim unus fit quasi multus, et per multos operatur et negotiatur, ideoque multa et magna efficit. Id patet in societate civium et militum concordium, quæ inexpugnabilis est, cæteraque expugnat, juxta illud Homeri : « Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir. » Et in societate religiosorum et cœnobitarum, quæ adeo potens est ut magnas hominum, urbium, provinciarum conversiones, morumque in melius commutationes efficiat. Audi S. Chrysostomum, apud Maximum, hom. 6 *De Fraterno amore* : « Nihil est concordiæ comparandum : unus enim quasi multiplicatur; si concordes fuerint duo aut decem, unus non est unus, sed illorum quisque decuplex redditur, inveniesque in decem unum, atque in uno decem. Quod si hostes illis aliqui sint, qui in unum impetum fecerit, is quasi in decem irruerit, sic capitur. Eget unus, at non premitur egestate : nam majori parte et numero inopia obumbratur; illorum unusquisque viginti habet manus, ac viginti oculos, totidemque pedes, animas item decem : non enim suis tantum, sed illorum etiam membris quisque utitur in omnibus; ac si centum forent, idem rursus contingeret. Idem apud Persas et Romæ esse potest, quodque natura non potest, id amicitia potest. Si igitur mille habeas amicos, aut etiam duo millia amicorum, cogitare debes quo rursus evadat numerus. Hoc enim est admirabile, unum millesimum fieri; optabilius enim esset solem nobis exstingui, quam amicis orbari. Etenim multi, solem videntes, in tenebris sunt : at qui multos habent amicos, ne incidere quidem possunt in calamitatem; » nihil enim, nihil amicitia et charitate suavius esse possit : quid enim est quod non efficiat « verus amicus? quam voluptatem non afferat, quam utilitatem, quam securitatem! » Ibidem Dionysius : « Quot amicos pararis, tot oculos habes, quibus, quæ velis, videas; tot consilia, quibus de iis quæ conducunt, consultare et prospicere possis. Non enim aliter se habet plurium amicitia, quam si cui Deus unum corpus habenti multas daret animas, quæ omnes illi providerent et consulerent. »

Hinc Psaltes : « Ecce, inquit, quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! » *Psal.* CXXXII. « Mala solitudo, inquit S. Bonaventura, per inopiam delectationis, » uti est in avaro et superbo; « misera, per defectum consolationis; laudabilis et honesta, per quietem contemplationis. » Porro Dionysius Carthusianus : Loquitur hic Salomon, inquit, secundum legem communem naturæ, non secundum præeminentiam gratiæ, quæ transcendit naturam, nec lege arctatur communi. Nam anachoretæ, carthusiani, monachi vivunt solitarii, et tamen agunt vitam angelicam. Unde Abbas Moyses apud Cassianum, *Collat.* I, cap. VII, docet pro puritate cordis, et contemplatione sectandam esse solitudinem, instar Christi, qui « exiit in montem orare solus, et erat pernoctans in oratione Dei, » *Lucæ* VI. Verum notat recte S. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXVIII, art. 8, solitudinem et vitam contemplativam esse perfectorum duntaxat, qui jam in virtute solidati, sibi sufficiunt, nec sociorum auxilio indigent, ideoque tales prius exercendos et perfi-

ciendos esse in vita sociali et cœnobitica. Unde S. Hieronymus, epist. *4 ad Rustic.*: « Quid igitur, ait, solitariam vitam reprehendimus? minime, quippe quam sæpe laudavimus : sed de ludo monasteriorum hujusmodi volumus egredi milites, quos eremi rudimenta dura non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint, qui omnium fuerunt minimi, ut primi omnium fierent; quos nec esuries aliquando, nec saturitas superavit, qui paupertate lætantur; quorum habitus, sermo, vultus, incessus doctrina virtutum est. » Verum nec his etiam in media Thebaide desunt socii et amici, imo vero plurium societas singulos munit et roborat, ut monasteria faciant repleantque, ac ordines numerosos velut castrorum Dei acies rite ordinatas efficiant. Lege Vitas Patrum, Palladium in *Lausiaca*, Cassianum et similes. Denique audi S. Basilium, cœnobialis et socialis vitæ religiosa commoda recensentem in *Constit. Monast.* cap. XIX : « Primum, inquit, qui communionem ac consociationem hanc vitæ complectuntur, ad illud bonum, quod ex natura est, revertuntur. Siquidem perfectissimam ego illam vitæ communionem appello, a qua omnis propria et privata rei cujuslibet possessio exclusa est, et a qua omnis abest dissensio, omnis perturbatio et rixa. Contra vero ubi omnia communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus necessario ad cultum et victum utimur. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia et certaminum coronæ, ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ instituto quid est tandem quod jure æquiparari possit? quid beatius dici? quid hac conjunctione, unitate et necessitudine aptius excogitari? quid elegantius fingi mutua inter se morum animorumque contemperatione? » Idipsum ad oculum viva hypothesi repræsentat, dum subdit : « Homines ex diversis nationibus ac regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem, adeo veluti in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus inesse videatur, vicissimque plura corpora unius mentis instrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine est, is complurium animos infirmitatis suæ participes habet. Qui vero animo æger est, ei complures præsto sunt, a quibus curetur, et a quibus assidue erigatur. Hi æquabili jure inter se alii aliorum et famuli sunt et domini, et invicta libertate summam inter se serviunt servitutem, quam non necessitas, aut casus aliquis fortuitus violenter cum ipsorum mœrore invexit, sed cum gaudio libera animi voluntas induxit, quippe cum charitas ipsos, alioquin liberos, alios aliis subjectos efficiat, et tamen integram illis nihilominus libertatem conservet. Tales nimirum nos Deus esse voluerat, cum nos ab initio finxit, atque in hunc finem creavit. Hac de causa Christus societatem duodecim Apostolorum instituit, per quam totum orbem ad se convertit. Hebræis celebre est proverbium : « O chebreta, o temutha, » id est, aut societas, aut mors. » Id expertus S. Augustinus ita amorem suum erga amicum, ac dolorem ob ejus mortem explicat, lib. IV *Confess.* cap. VI : « Mirabar, inquit, cæteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat, et me magis, quia ille alter erat, vivere, illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo : Dimidium animæ meæ; nam ego sensi animam meam, et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, et ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. » Gnoma.

Idem a Salomone didicere et docuere philosophi, ut Plato in libro *De Republ.*, et Aristoteles, lib. I *Polit.* cap. II, ubi ait : « Solitarius et nullius indigens aut deus est, aut bestia, » hoc est, divinis, aut bestialibus est moribus. Idem, lib. III, cap. VII : « Singuli, ait, licet minus boni sint, iidem tamen in unum collecti meliores sunt, quam singuli eorum optimi, ut fit in cœna, quæ ex symbolo multorum lautior est, quam ab uno instructa. » Euripides in *Heraclide* : « Solitaria manus, ait, invalida pugna est; » et : « Unus vir haud videt omnia. » Hinc illud tritum : « Unus vir, nullus vir; » Plutarchus asserit, « ea quæ dederis amico redire ad te cum fœnore; » Socrates apud Laertium ait « amicum esse lucro potiorem; » Crassus apud Maximum, *serm.* 6 : « Agrum frugiferum. » Isocrates, *Admon ad Nicoclem*, tria maxime requirit in amicitia : « Virtutem tanquam honestam, et familiaritatem ut jucundam, et usum tanquam necessarium. » Et Lacon ille Antalcidas apud Plutarchum in *Lacon.*, requirit : « Ut amicus loquatur jucundissima, præstet autem utilissima. »

Mystice S. Ambrosius, *De Instit. Virgin.* cap. XI, et in hunc locum Ecclesiastis sub finem tom. II, per duos accipit Christum et christianum, per unum, qui est sine Christo : « Optimi, inquit, duo super unum, quia est merces in labore ipsorum; ubi sunt duo optimi, super unum, nisi ubi Christus est, et is quem Christus tuetur? quoniam si ceciderit, qui cum Domino est Jesu, erigit eum Jesus. » Addit deinde Jesum non cadere, sed sese demittere ad mortem, ut se et nos resuscitet; commortuus est enim nobis, ut nos calefaceret igne charitatis, quem venit mittere in terram, et ceu Elisæus vitæ calorem daret.

Symbolice Olympiodorus : Melius est, ait, duos esse simul, hoc est corpus animæ consentire, illamque adjuvare in opibus virtutum, ut nec caro repugnet spiritui, nec spiritus de carnis mortificatione inani gloria efferatur et insolescat. Si enim corpus ab anima dissentiat, illud secum trahet in ruinam.

10. SI UNUS CECIDERIT, AB ALTERO FULCIETUR : VÆ SOLI : QUIA, CUM CECIDERIT, NON HABET SUBLEVANTEM Vers. 10.

SE. — Hebraice, *si ceciderit unus, socium suum stare faciet.* Pro *socium* Septuaginta vertunt μέτοχον, id est *participem*; Aquila φίλον, id est *amicum*; Arabicus, *quoniam si ceciderit unus, elevabit participem suum. Et væ uni anima ejus cum ceciderit, et non erit ei alter, qui eriget eum.*

SI CECIDERIT, — scilicet alteruter : tunc enim stans lapsum eriget, vel nutantem fulciet; vel uterque : tunc enim alter alterum, vel nutantem in casum sua ope, industria et consilio fulciet, ne labatur et cadat, vel jam lapsum attollet. Hebræum enim יקים *iakim*, id est stare faciet, duo significat, scilicet *primo*, pronum in lapsum fulcire ne labatur; *secundo*, jam prolapsum suscitare et erigere. Utrumque amico præstat socius et amicus. Rursum τὸ *ceciderit*, vel actum perfectum, puta pronitatem, vel initium sive periculum lapsus significat, juxta illud Davidis, *Psal.* CXVII, 13 : « Impulsus eversus sum ut caderem : et Dominus suscepit me, » ne caderem in profundum, quo impellebar ab æmulis et hostibus. Amicus ergo amicum labantem sustinebit, ne prolabatur, prolapsum eriget, erectum fulciet et roborabit, ne iterum cadat. Hæc omnia significat hebræum *iakim*.

Rursum « si ceciderit, » subaudi in terram, fossam, aquam, ignem, vel in morbum, ut explicat Chaldæus; vel in paupertatem, ut Ferus; vel in carcerem aut servitutem, ut R. Moyses; vel in perplexitatem et inopiam consilii, ut Olympiodorus; vel in peccatum, ut Dionysius; vel in quamlibet aliam adversitatem et calamitatem, ut S. Hieronymus, Thaumaturgus, Lyranus et alii. Verus enim amicus quodlibet amici infortunium sublevare satagit. Audi Thaumaturgum : « Nam cum duo viri in idem negotium incumbant, accideritque aliquid adversi uni, is non longe requiret auxilium, habet enim ad manum qui juvet. Contra homini infeliciter agenti, et refocillationis indigo, calamitas summa est, solitudo. Contubernales sane et qui in eodem cœnaculo victitant, si qua oriatur tempestas, statim eam sedant mutuis consolationibus, gemina nimirum felicitate. » Ostendit Salomon particulatim emolumenta societatis, atque ex multis tria duntaxat per modum exempli recensèt : *primum* est, quod « si unus ceciderit, ab altero fulcietur; » *secundum* : « Si dormierint duo, fovebuntur mutuo; » *tertium* : « Si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. » Primum consistit in relevando, secundum in conservando, tertium in defendendo, ait S. Bonaventura.

VÆ SOLI : QUIA CUM CECIDERIT, NON HABET SUBLEVANTEM SE. — Hebræa, *væ illi, qui unus* (id est solus) *est, quia, cum ceciderit, non habet secundum qui stare faciat eum.* Chaldæus, pro אילו *ilo*, id est *væ illi*, legens aliis punctis אלו *illu*, id est *si*, vertit, *nam si ceciderit unus ex eis super lectum et cubaverit ægrotans, alter surgere faciet socium suum oratione sua. Et si unus innocens solus fuerit in generatione sua, in tempore, quo decidet super lectum, et cubabit ægrotans, non erit illi in generatione sua socius secundus ad orandum super eum, sed in puritate sua surget ex ægritudine sua.*

Interjectio *væ* in Scriptura nota est non tam minantis vel dolentis, quam denuntiantis certam pœnam, vel cladem inevitabilem. Rursum τὸ *cum ceciderit* significat infallibilem casum et lapsum; sive is perfectus sit, sive inchoatus, ut dixi. In hujus enim vitæ fragilitate, periculis, infortuniis, quæ cuilibet sæpe, imo quotidie occurrunt, impossibile est quin quandoque quis in aliquam calamitatem, imo et culpam saltem venialem prolabatur. Porro Thomas Cantipratensis magnæ doctrinæ et experientiæ vir, lib. II *Apum*, cap. XI, § 1, Religiosos adhortans ut nunquam sint sine socio instar apum, quæ una vivunt, laborant, egrediuntur, subdit : « Quam vera sit hæc sententia : Væ soli, ego novi, qui triginta annis vices Episcopi in diversis diœcesibus habui; qui in hoc articulo, quo Religiosi vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audivi, quæ nunquam sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent ! »

NON HABET SUBLEVANTEM SE, — imo multos habet impellentes in lapsum, ac de lapsu ejus gaudentes, ridentes et subsannantes. Est miosis. Hæc enim est hominum conditio, ut si quem felicem viderint, et in altum attolli, illi applaudant; sin quem miserum ruere viderint, illum propellant, spernant, insultent, juxta illud : « Felicitas multos habet amicos; felicibus multi sunt cognati. Viri infortunati procul amici; plures adorant solem orientem, pauci occidentem. »

Hujus sententiæ veritatem cognovere tyranni, qui ut martyres superarent, eos a se invicem separabant, et quemque solum minis, promissis et tormentis urgebant ad negandum Christum, uti separarunt Primum a fratre Feliciano, Ruffinam a sorore Secunda, Cornelium Pontificem a clero et populo Romano, sed frustra : totus enim populus cum suo Pontifice in unam fidei confessionem conspiravit; quem proinde laudans S. Cyprianus, epist. 1 *ad Cornelium* : « Quantum, ait, terroris et formidinis attulit (Decius imperator et persecutor), tantum fortitudinis invenit et roboris. Unum (Cornelium Pontificem) primo aggressus, ut lupus ovem secernere a grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium separare tentaverat : nam cui non est adversus omnes satis virium, circumvenire quærit solitudinem singulorum; sed retusus adunati exercitus fide pariter et vigore, » etc. Et mox : « Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum gloriosum, etc., ad pugnam quam tentaverat hostis inferre, non singulos milites, sed tota semel castra prodisse ? »

Ex hac Salomonis gnome : « Væ soli : quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se, » Con-

cilium Toletanum undecimum, ut habetur dist. 7, *Quæstione* I, can. 15 *illud divini*, sancit ut sacerdoti celebranti semper alter assistat, utque « sacrificans habeat post se vicini solaminis adjutorem, ut si aliquo casu ille qui impleturus officia accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui vicem exsequatur intrepidus. » Idem jam ante sanxerat Soter Pontifex, cap. *Nullus Episcopus, De Consecr.* dist. 1. Septima Synodus vero, ut habetur distinct. 81, can. 24 *In omnibus*, vetat ne clericus solus sine socio cum muliere colloquatur : « Certe solum, inquit, ad solam accedere nulla religionis ratio permittit. Melius enim est duos esse simul, quam unum. Simul enim et fidelius et tutius res geritur. Væ enim uni : quia, si ceciderit, non est qui erigat eum. » Hinc quoque Apostoli bini a Christo missi sunt ad evangelizandum, *Lucæ* x, 1. Concilium Lateranense, de statu monachorum, cap. *Monachi*, ex hac gnome decernit ne monachi soli in villis, oppidis, vel parochiis habitent, sed in conventu, vel cum fratribus : ne, inquit, inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum experiantur. Vetus est usus ut Religiosi non soli, sed bini incedant, quod nuper edito hac de re decreto jussit S. D. N. Urbanus VIII. Unde S. Thomas Aquinas religiosum solum et sine socio vocabat dæmonem solitarium; patet enim hominum et dæmonum insidiis, insultibus, calumniis et sinistris suspicionibus. Exemplum clarum est in Loth, cum Abrahæ societatem deseruit. « Ecce enim, inquit S. Chrysostomus, homil. 35 *in Genes.*, ut divisus est a justo, et putabat se in majori esse ubertate ac copia, ac potiora se assecutum et abundare, repente factus est servus; carens domo, carens et foco, ut discas quantum malum sit divisio, et quantum bonum concordia; et quod convenit non majora temere capessere, sed potius humilitas diligenda est. » Ita sane accidit Loth, et ita omnibus illis eveniet, qui ut apud homines crescant et splendeant, alios fratres in opinione minuunt, et verbis tanquam nube quadam obnubilant. Quid miseri, ut se honore vestiant, honore fratres spoliant? quid insani, ut seipsos promoveant, aliorum bonam opinionem convellunt? quid amentes, ut soli luceant, alios obscurant? soli lucere volunt, at non soli lucebunt, sed soli sine luce permanebunt. Væ autem soli : quia, si ceciderit, non habet sublevantem se. Severum est, sed justum Domini decretum, cujus judicia abyssus multa, ut qui se non habitatione, non veste, sed corde et amore a fratribus separant, tempore necessitatis soli relinquantur, et tentationibus absorbeantur : permittit enim Dominus, ut neque exemplis, neque consiliis, neque doctrina eorum proficiant, quos a se per odium et malam voluntatem abjecerant. Vide nostrum Alvarez de Paz plura incommoda vitæ solitariæ recensentem, tractat. *De Vita spirit.* lib. II, part. IV, cap. XXIV, et Julium Nigronium, *Comment. Ascetic. in Regulas communes Societ. Jesu*, Regula 43.

Hæc tropologica est solitudo, quam depingens S. Bernardus, serm. *De Fallacia præsentis vitæ* : « Erraverunt, ait Propheta, *Psalm.* CVI, in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt. Solitudo hæc superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. Litteratus est, odit socium. Fortis est, aut formosus, da ei parem, et contabescit. Solitarius est, sed erroneus, errat in solitudine sua; non enim solus habitare poterit super terram. Nec mirum quod solitudini huic inaquosum additur, ut dicatur, in solitudine, in inaquoso. Si enim in solitudinibus aquæ deesse solent, et loca deserta, sterilia quoque et arida esse consueverunt, sic superbiam impœnitentia comitatur. Elatum enim cor durum et expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis : quia superbis Deus resistit; humilibus vero dat gratiam. »

Mystice S. Gregorius, lib. IV, in cap. x lib. I *Reg.* : « Væ soli, inquit, quia si ceciderit, non est qui erigat eum. Solus namque est, qui a Deo relinquitur. Hunc certe cadentem nullus erigit, quia relictum a Deo sanctorum aliquis non assumit. Electus ergo quisque securus ascendit, quia solus non est. Qui enim per nos loquitur, nobiscum est; nam et repromittit dicens : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Solus quippe non erat, qui dicebat : Solus non sum, sed qui misit me, mecum est. Solus item non erat, qui exquirebat dicens : An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus? »

Moraliter, hinc rursum disce quanta sit utilitas societatis et amicitiæ. Audi S. Augustinum, vel quisquis est auctor (stylus enim humilior est, quam ut deceat S. Augustinum), lib. *De Amicitia*, cap. V : « Disce, inquit, quid utilitatis habeat (amicitia), cum in rebus humanis nihil sanctius appetatur, nihil difficilius inveniatur, nihil experiatur dulcius, nihil fructuosius teneatur. Habet enim fructum vitæ præsentis et futuræ; ipsa enim omnes virtutes sua ostendit suavitate, vitia sua virtute confodit; adversa temperat, componit prospera, ita ut sine amico inter mortales nihil fere possit esse jucundum; et homo bestiæ comparetur, non habens qui secum collætetur in rebus secundis, in tristibus contristetur; cui evaporet, si quid molestum mens conceperit; cui communicet, si quid præter solitum sublime vel livosum accesserit. » Probat ex hac Salomonis gnome : « Væ soli : quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se. Solus omnino est, qui sine amico est. At quæ felicitas, quæ securitas, quæ jucunditas est habere, cum quo æque audeas loqui ut tibi? cui confiteri non timeas, si quid deliqueris? cui non erubescas revelare in spiritualibus, si quid profeceris? cui cordis tui secreta

committas, et commences consilia? Quid igitur jucundius, quam ita unire animum alterius, et unum efficere de duobus, ut nulla jactantia timeatur, nulla formidetur suspicio, nec correptus alter ab altero doleat, ne laudantem alter alterum adulationis notet vel arguat? » Speciatim vero commoda vitæ socialis et cœnobiticæ recenset Thomas a Kempis Theodidactos I part. *serm.* 2 : « Qui inquit, bonæ voluntatis est, et Deum quærit, inter Deum quærentes amplius proficiet, et firmius stabit. Ibi homo magis in virtute probatur et exercetur. Ibi frequenter de negligentia arguitur. Ibi ad perfectiora verbo et exemplo trahitur. Ibi suam imperfectionem considerare et lugere compellitur. Ibi alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur, istius obedientia, illius patientia movetur. Ibi confunditur inveniri tardior. Ibi invenit quos timet. Ibi habet quos diligit, et sic ex omnibus proficit. Ibi alterius correptio, ipsius fit admonitio. Ibi alienum periculum, proprium efficitur speculum. Ibi unus alterius est custodia. Ibi homo portat et portatur. Ibi multa audit et videt, unde doceatur. » Prosequitur deinde idipsum luculentius, dum subdit : « Ibi boni commendantur, ut meliores fiant. Ibi negligentes arguuntur, ut referveant. Ibi homo non permittitur torpescere, nec secundum suum libitum agere. Ibi diversa sunt officia, et multa exhibentur charitatis obsequia. Ibi omnia tempus habent, et ad opus suum quisque ex obedientia vadit. Ibi infirmus a fortiori sustentatur. Ibi sanus infirmum visitans Christo servire lætatur. Ibi uno deficiente, alius locum ejus supplet. Ibi sana membra pro debilibus sollicitantur. Ibi activus pro vacante laborat, vacans pro laborante exorat. Ibi homo habet multos pro se orantes, et in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios invenit, quot socios habet. »

Vers. 11. 11. ET SI DORMIERINT DUO, FOVEBUNTUR MUTUO : UNUS QUOMODO CALEFIET? — Hebræa et Septuaginta, *si cubent duo, calor erit eis; unus quomodo calefiet? Et si requieverint duo, calefient*; Arabicus, *et si dormierint duo, erit eis calor et æstus; et unus quomodo calefiet?* Campensis, *si duo simul dormierint, alter alterum calefaciet.* Hoc significat nostrum, *fovebuntur mutuo;* qui enim alium fovet calore suo, eodem fovetur et ipse : incalescit enim illo ipso calore, quem in altero conservat, eum conjungens cum alieno, et tam suum quam alienum adauget : sicut duo ligna ardentia ignem fovent, et in se mutuo adaugent, qui in se uno langueret et exstingueretur. Unde vertit, *si duo simul cubent, plus caloris erit eis* alter enim alteri vicissim addit suum calorem, itaque eum conservat, roborat et quasi conduplicat.

Ad litteram ergo et physice gnome hæc clara est, intelligiturque ut sonat. In somno enim consistit magna pars sanitatis et roboris animalis. Unde vulgo dicitur : « Somnus nutrit æque ac cibus, » idque patet in gliribus, qui dormiendo pinguescunt; item in ursis, qui magnam hiemis partem dormiendo transigunt, tumque non alio cibo quam somno aluntur, teste Plinio et Aristotele in *Hist. animalium.*

Somnum autem conciliat calor; quare frigidi, ut senes, ægroti, nudi parum dormiunt. Notus est aphorismus Hippocratis, lib. I, cap. XIV et XV : « Evidenter vigilans calidior est exterius, interius autem frigidior; dormiens e contrario. » Id in me experior quotidie : noctu enim multas horas pervigilo, eo quod stomachus per senium et studium calore destituatur; qui vero stomachum habent calidum, ut juvenes, totas noctes altum dormiunt. Rursum idem : « Ventres, inquit, hieme et vere calidissimi sunt natura (per antiperistasin enim externi aeris frigidi circumstantis, internus stomachi calor se intendit et roborat, ut externo frigori resistat), ideoque somni longissimi. » Vide Galenum, lib. VI *De Morbis vulg. comm.* 4 et 5. Somnum dat calor frigus vigilia.

Sensus ergo est, *q. d.* Si duo simul cubent, magis calefacient se mutuo, ideoque diutius dormient; solus vero, si frigeat, ægre calescet ideoque parum dormiet.

Chaldæus hæc refert ad conjuges, quasi Salomon hic Judæos animales hortetur ad conjugium, ut melius dormiant : « Si vir et uxor, inquit, cubitum discesserint, mutuum sibi hieme calorem præstant; unus autem qui tandem incalescet? »

Alii ut Arias hanc gnomen referunt ad debiles et ægros qui, si foveantur calore secundi, melius dormiunt. Sicut David in senio, cum non posset calescere, nec dormire, per societatem Abisag Sunamitidis et calorem et somnum sibi conciliavit.

Verum generatim hæc parœmia grammatice, sive in cortice litteræ loquitur de duobus quomodolibet simul cubantibus, in eodem sive lecto, sive stragulo, sive tentorio, sive cubiculo, uti cubant milites, et Hungari etiam nobiles, qui, ut expediti et fortes sint ad crebra cum Turcis bella, scamno vel pavimento pro lecto utuntur : duo enim vel plures in eodem cubiculo cubantes, non solum se mutuo, sed et totum cubiculum suo calore et halitu calefaciunt. Honesti enim et casti ex honestate et pudicitia nolunt in lecto admittere socium, nisi sint conjuges.

Symbolice vero et parabolice, hæc duorum simul cubantium parœmia notat fomentum et auxilium quod amicus amico præstat, præsertim debili et afflicto : afflictionis enim et adversitatis, ac consequenter timoris et mœstitiæ symbola et causæ sunt nox, tenebræ, frigus et vigilia : sicut ex adverso fortitudinis, animositatis et lætitiæ symbola et causæ sunt dies et lux, item calor et somnus. Id patet in senibus et juvenibus. Senes enim ob frigus debiles sunt, meticulosi et melancholici; juvenes vero ob calorem sunt robusti, audaces et hilares : quare expedit juvenes jungi senibus, ut illi horum mœstitiam sua hilaritate

discutiant, illi horum audaciam suo timore et prudentia temperent. Hoc voluit Thaumaturgus dum vertit, *nam et per diem dicendi libertate festivi, et per noctem honesta gravitate fulgent*. Dies enim felicitatis, nox adversitatis est symbolum.

Rursum hæc parœmia notat mutuam confidentiam, qua amicus curis et sollicitudinibus æstuans, eas in sinum amici deponit, in eoque quasi placide indormit et conquiescit. Ita S. Hieronymus et Lyranus.

Tertio, hæc parœmia notat fervorem, quo amicus torpidior amici exemplo et cohortatione ad charitatis et virtutum opera inardescit, juxta illud : « Frigidiores ferventiorum exemplo in virtute incalescunt. » Ita Olympiodorus. Idem significat similis parœmia Salomonis, *Prov.* XII, 17 : « Ferrum ferro exacuitur, et homo exacuit faciem amici sui. » Vide ibi dicta.

Ignis symbolum amicitiæ. Denique amicitiæ typus est ignis et calor : quod enim hic præstat mundo, hoc amicus amico. Unde Plutarchus, lib. *De Adul. et Amic.* : « Sicut, inquit, optimum conditorum est ignis, sic Deus amicitiam vitæ admiscens, omnia læta, dulcia ac grata, ut essent amico præsente, unaque fruente, fecit. » Et Cicero, lib. *De Amicitia* : « Amicitia, ait, hoc est vitæ humanæ, quod sol est mundo. »

Apologus societatis. Hanc gnomen eleganti apis et passeris apologo oculis subjicit Cyrillus, lib. II *Apolog. mor.* cap. VII, cui titulus : *Contra appetitum singularitatis* : « Apis, inquit, inveniens passerem solitarium, præmissa salutatione dixit ei : Utquid, mi frater, amaram diligis solitudinem, cum amicitiæ societas sit tam dulcis? At ille respondit : Nimirum minime placet multitudinis fluctuare procella, vel unus esse de turba. Nonne inter sidera sol est unus, et super omnia unus est Deus? Quo audito, cum subtiliter procedens illa singularitatis ejus superbiam notasset, in hac causa taliter arguendo processit argumentosa : Quanquam unus, inquit, Deus essentialiter sit, comparis tamen trinitatis hypostaticæ indivisibili societate gaudet. Sol autem lunam stellarum infimam, ne sit solus, dono lucis efficere sibi sociam splendoris in granditate conatur. Sic et primum mobile cum sit unum, lationis primariæ communicata virtute, secum cæteros orbes rapit, ne sit in officio suo singulare; quin et universitas mundi cunctarum suarum partium junctura unitatis connectitur, ut nulla earum disjunctionis solitudinem ullatenus patiatur. Nonne anima naturaliter societatis amatrix mox dolet, si vel in puncto suum corpus deseruerit. Cum a principio Deus hominem creasset unum, mox statim dixisse fertur (*Gen.* II, 18) : Non est bonum esse hominem solum : Faciamus ei adjutorium simile sibi. » Deinde idipsum exemplo oculorum, alarum, manuum, pedum demonstrat : « Propter hoc etiam duo creati sunt oculi, alæ duæ, manus totidem, ac pedes dualitate consimiles, ut pluralitate munerum et unitate formarum, membris omnibus ex simili adjutorio sit provisum. Ad quid nimirum constructæ sunt urbes, collectæ civitates, legisque fœdere adunatæ sunt politiæ, nisi ut communi obsequioso consortio, non solum sint sufficientes, sed etiam tranquillæ res humanæ? Væ ergo soli : quia, cum instabili pede superbiæ ventilatus ceciderit societate privatus, sublevans adjutorium non habebit. Quin et animalia domestica turmatim vivunt : cætera quoque, quantum possunt, naturæ politiam colunt; is qui fugit consortium, aut rabiosus est, aut ferus. Eremita vero socius est deorum. Quibus dictis, tristem reliquit solitudinis amatorem. »

Exempla.

Mystice S. Hieronymus per socium accipit Christum, qui instar Elisæi nos peccato mortuos vivificat : « Nisi, inquit, nobiscum Christus dormierit, et in morte quieverit, calorem æternæ vitæ accipere non valemus. » Rursum noster Alvarez de Paz, lib. III *De Natura perfect.* part. III, cap. XXXII : Simul dormiunt, ait, Religiosi, qui in lecto religionis decumbentes, et charitate cooperti, simul orationi et sanctis occupationibus instant : isti enim mutuis desideriis et actionibus incalescunt; solus autem dormit, qui animo ab aliis segregatus orat aut occupatur : non enim habet penes se aliquem amore conjunctum, a quo calefiat.

12. ET SI QUISPIAM PRÆVALUERIT CONTRA UNUM (Symmachus, *invaluerit super unum*), DUO RESISTUNT EI. — Hebræa, *duo stabunt coram eo*, id est contra eum, ut se ei opponant bello, non solum defensivo, sed et offensivo. Est miosis : per *resistunt* enim intelligitur : oppugnabunt et expugnabunt eum. Nam sicut unus fortior prævalet uni minus forti : sic duo minus fortes prævalent uni fortiori alterutro; quia « ne Hercules quidem contra duos; » et, ut aiunt Arabes : « Duo infirmi fortiores saxo. » Unde Syrus et Arabicus vertunt, *etsi corroboretur unus, ipsi duo insurgunt adversus eum*. Septuaginta Complutensium clare : *Etsi victus fuerit unus, duo stabunt contra eum*. S. Hieronymus, *si robustior inimicus quis contra unum surrexerit, imbecillitas alterius amici solatio sustentabitur;* Thaumaturgus, *temere ac periculose sibi consulit, qui multos homines mutuo præsidio circumseptos adortus fuerit*. Huc facit proverbium Hebræum in *Res chelec in sanhedrin* : « Duo arida ligna unum viride exurunt, » id est : « Duo invalidi facile superant unum valentem, si solus sit; » quia « nec Hector quidem duobus par est. » Vers. 12

Chaldæus hanc gnomen accipit de justis, qui iram Dei concitatam ab impio avertunt : « Quod erumpat, inquit, vir flagitiosus et potens, cujus reproba opera propensitate quadam ferantur in occasionem evehendæ in orbem vindictæ, prodibunt duo justi ex adverso, qui meritis suis imminentem hanc vindictam avertunt. »

Verum hic agitur de eo qui resistit iræ non Dei, sed hostis invadentis amicum, ut patet ex verbis. Significat ergo tertium emolumentorum societatis et amicitiæ, quod est, amicum præstare munimen

amico, dum eum contra invasorem tuetur et propugnat, etiam cum vitæ periculo; juxta illud *Prov.* XVIII, 19 : « Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. » Vide ibi dicta. Unde S. Leo, serm. 4 *De Jejun.* 7 *mensis* : « Ecclesiasticus miles, ait, etiamsi specialibus præliis possit fortiter facere, tutius tamen et felicius dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit; ubi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub invicti regis imperio, fraternis consociatus agminibus, bellum universale conficiat. Minore enim discrimine multi confligunt cum hoste, quam singuli; nec facile patet vulneri locus, quem opposito scuto fidei, non sua tantum, sed etiam aliorum fortitudo defendit; ut ubi una est omnium causa, sit una victoria. »

Hinc Joab ait Abisai fratri suo : « Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium : si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi, » II *Reg.* X, 11. Quin et Seneca, lib. IV *De Benef.* cap. XVIII : « Nam quo alio, inquit, tuti sumus, quam quod mutuis juvamur officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos : quid sumus? Præda animalium et victimæ, ac imbecillissimus et facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est : quæcumque vaga nascuntur, et actura vitam segregem, armata sunt : hominem imbecillitas cingit : non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit : nudum et infirmum societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium validissimum facerent rationem et societatem. » Unde concludit, plenumque dominium evincit : « Itaque qui par esse nulli posset, si seduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit : societas terris genitum, in alienæ naturæ transmisit imperium, et dominari etiam in mari jussit : hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit : hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle : et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes. »

Hinc patet charitatem et amicitiam, licet non obliget ut quis vitam pro vita amici prodigat, vel periculo exponat, tamen idipsum permittere, imo suadere; quare generosæ et perfectæ charitatis et amicitiæ, æque ac fortitudinis et magnanimitatis actus erit, si quis id faciat : quia tunc non tam vitam pro vita amici, quam pro generosis tot virtutibus discrimini objicit. Majus enim est bonum harum virtutum, quam sit vitæ. Ita D. Thomas, II II, *Quæst.* XXVI, art. 4; ibique passim Theologi, ac noster Suarez pluribus rationibus confirmat. Quin et philosophi, qui virtutes christianas et supernaturales non agnovere, sed tantum naturales, qualis est civilis amicitia, idem docuere, ut Aristoteles, IX *Ethic.* cap. VIII, Cicero, *De Amicitia*, Seneca, *epist.* 9 : « In quid, ait, amicum paro? ut habeam pro quo mori possim; ut habeam quem in exilium sequar, cujus me morti opponam et impendam. » Tales amici inter gentiles fuere : Pylades et Orestes, Nisus et Euryalus, Theseus et Pirithous, Damon et Pythias, Eucritus et Evephenus, Servius Terentius et D. Brutus, quos recenset Valerius Maximus, lib. IV, cap. VII, quorum unus pro altero ultro se neci obtulit, quod non tantum Philosophi, sed et patres ac theologi dilaudant, ut S. Augustinus; IV *Confess.* cap. LXI, S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. XII, S. Hieronymus in cap. VII *Michææ*; sed audi Aristotelem, lib. IX *Ethic.* cap. VIII : « Verum est quod de probo viro dicitur, eum amicorum causa et patriæ, multa agere, etiamsi mors sit oppetenda. » Et inferius : « Qui pro aliis mortem obire consueverunt, eligunt magnum quoddam honestum sibi ipsis. »

Heroicus actus mori pro amico.

Exempla.

FUNICULUS TRIPLEX (hebraice משלש *mesculas*, id est triplicatus. Est enim *paul piel*, id est participium passivum a שלש *scilles*, id est triplicavit) DIFFICILE RUMPITUR, — quasi dicat : Funiculus simplex facile rumpitur, duplex difficulter, triplex difficilius : sic et homo, si solus sit, facilius ab hoste vincitur; si cum socio, difficulter; si cum duobus, difficilius. Syrus, *filum trinum non cito discerpitur;* Arabicus, *filum triplicatum non laceratur subito;* Hebraice est, *filum triplicatum non rumpitur in festinantia*, vel *in celeritate;* Chaldæus, *quam pulchri sunt tres justi in generatione, inter quos est pax, sicut funiculus fimbriæ ex tribus chordis, qui non cito rumpitur;* vel, ut vertit Costus, *similes sane sunt propugnaculis triplici ordine, quæ nisi ægre expugnari nequeunt;* vel, ut alii, *sicut catena quæ contorta est ternis funibus, quæ non festinanter convelletur;* S. Ambrosius, *epist.* 17, *spartum triplex non cito rumpitur.*

Funiculus triplex quis?

TRIPLEX, — id est multiplex : difficilius enim rumpetur, si sit quadruplex, quintuplex, sextuplex, etc. Unde Symmachus vertit, *funiculus triplex, aut quadruplex non cito rumpitur.* Dicit tamen « triplex, » tum quia funiculus solet triplicari, id est tribus filis vel liciis implecti, ad elegantiam et firmitatem; tum ut notet paucorum societatem, quales sunt duo, vel tres, esse robustam; tum ut symbola ternarii indicet, de quibus mox; tum quia triplex sæpe est tripliciter triplex. Solent enim restiarii primo funiculum ex tribus filis intorquere, deinde funiculum hunc triplicare, ac ex triplici unum contorquere, deinde triplicatum jam rursum triplicare; quin et crassos rudentes, quibus machinæ et moles sustinentur, ex funibus parvis sæpius triplicatis contorquent. Sensus ergo est, quasi dicat : Sicut funis ex pluribus filis implexus et intortus rumpi nequit, adeoque est validus, ut trabes, saxa et moles ingentes in altum attollat et sustineat, cum singula fila stupea tenuia sint, illicoque rumpantur : sic pariter vis duorum vel trium unita, fit bina, vel trina, adeoque valida, ut expugnari frangique nequeat. Rursum, sicut funiculi quo magis intorquentur, sæpiusque triplicantur, fiunt densiores

et validiores, ut rumpi nequeant : sic quo arctior trium vel plurium est societas, quoque pluribus et majoribus amoris benevolentiæque officiis nectitur et stringitur, eo robustior est et inexpugnabilior, ut patet in acie castrensi rite associata et densata.

Addit S. Bonaventura τὸ *triplex* respicere et notare triplex emolumentum societatis jam recensitum.

Exemplum appositum est in Sciluro Scytha, qui moriturus, convocans filios 80, cum ipsi fasciculum jaculorum ab eo jussi frangere non possent, sed sigillatim unumquodque facile rumperent : « Pari modo, inquit, si concordes fueritis, validi invictique manebitis; si dissidiis dissociemini, imbecilles eritis, et expugnatu faciles. » Ita Plutarchus, *Apophth.*

Moraliter. Moraliter, funiculus triplex significat perfectam amicitiam inter paucos, puta inter duos vel tres consistere : hi enim imitantur SS. Trinitatem, in qua trium personarum summa est unio et concordia, quæ inter plures solet languescere vel evanescere. Ita Auctor lib. *De Amicitia*, tom. IV S. Augustini, cap. v. Hinc Christus, *Matth.* XX : « Ubi, ait, fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, » uti tribus pueris in fornace Babylonia, in Dei fide et laude consentientibus et constantibus accessit « quartus similis Filio Dei, » *Daniel.* III, 92. Ad Tres Gratiæ, cur? hoc significandum, ut recte notat Pineda, a Poetis finguntur Gratiæ tres, quod tribus maxime videatur coalescere et conservari amicitia : nam et tertius amicus interveniens solet tollere omnem quotidiani convictus cum uno et eodem satietatem; tum etiam exorientes sæpiuscule expostulationes, et suspiciones inter amicos duos, facile sedantur et componuntur tertii interventu, hortatu et judicio.

Symbolice. Primo. Symbolice *primo*, funiculus triplex est Sanctissima Trinitas, ait S. Paulinus, epist. 4 *ad Severum*, quæ est fons omnis societatis, amicitiæ et concordiæ, adeoque prima insolubilis et increata societas, et charitas, ideoque invictissima, quæ omnia domat et subigit. Ita S. Ambrosius, *epist.* 17 : « Spartum triplex, inquit, non cito rumpitur. Tria enim quæ non sunt composita non rumpuntur. Trinitas incompositæ naturæ rumpi non potest, quia Deus unum est et simplex, et incompositum est quidquid est. » Addit Hugo Cardinalis potentiam Patris, sapientiam Filii, bonitatem Spiritus Sancti, quo triplici funiculo diabolus ligatus est, ut non possit nocere nolentibus. Accedit S. Basilius, qui lib. V *Contra Eunomium* volentem discindere Sanctissimam Trinitatem, et Patrem a Filio ac Spiritu Sancto : « Trinitas, inquit, non dirumpitur, et est colenda in una et æterna gloria, eadem unam et solam deitatem ubique circumferens, irrupta, inscissa, indivisibilis, adimplens omnia, omnia continens, in omnibus existens, creans, gubernans, sanctificans, vivificans. Hic divinus et maxime admirandus nexus non dirumpitur, ut scriptum est : Funiculus triplex non disrumpetur. » Porro R. Johannam apud Galatinum, lib. VI, cap. x : Funiculus triplex, inquit, hoc est mysterium Dei unius et trini, non cito rumpitur, hoc est, non facile discutitur et enucleatur.

Brachmanes, sive Gymnosophistæ, apud Indos gestant funiculum ex tribus aliis contortum, quorum singuli rursum tribus linis constant, ad tres personas in Sancta Trinitate significandas; ut unam esse naturam deitatemque indicent, extrema funiculi inter se uno nodo constringunt, uti referunt Maffæus, Osorius et alii de rebus Indicis scribentes, ac Perpinus, orat. 8 *De Deo trino et uno*. Porro mysteria ternarii plura recensui *Amos* cap. I, vers. 3.

Secundo. *Secundo*, S. Hieronymus per funiculum triplicem accipit Sanctissimam Trinitatem, quatenus nos munit et roborat; item Christum, cujus sodalitas nos omnibus hostibus superiores efficit : « Melius est, inquit, in se habere Christum (seu socium), quàm solum patere diabolo; quod si et Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus advenerint, non cito rumpetur ista sodalitas. » Sic et Salonius.

Tertio. *Tertio*, alii accipiunt Incarnationem, in qua arctissimo nexu conjuncta sunt tria, puta anima, caro et Verbum; ac licet in morte Christi duo priora soluta sint, non tamen ab iis tertium, puta Verbum, separatum est : et post resurrectionem redditus est funiculus triplex indissolubilis.

Tropologice. Primo. Tropologice *primo*, S. Gregorius, XXXIII *Moral.* cap. IX, vel juxta aliam editionem XII, per funiculum triplicem accipit fidem SS. Trinitatis : « Quia fides, inquit, quæ de cognitione Trinitatis ab ore prædicantium texitur, fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur. » Et S. Isidorus in *Exod.* cap. XLVI : « Funis triplex non rumpitur, inquit, quæ est SS. Trinitatis fides, ex qua dependet, et per quam sustinetur omnis Ecclesia. »

Secundo. *Secundo*, S. Bernardus, serm. 16 *in Cantica*, per funiculum triplicem accipit tria præcipua hominis membra, puta cor, os et manus, quæ inspirata a Spiritu Sancto conspirant in bonum : « Hoc semel, inquit, contulit universitati, hoc quotidie singulis in nobis actitari sentimus, et cordi scilicet tribui intelligentiæ lumen, et ori ædificationis verbum, et manibus opus justitiæ. Dat sentire fideliter, dat proferre viriliter, dat efficaciter adimplere. Et est funiculus triplex qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, et trahendas post se ad regna cœlestia : si recte sentias, si digne proloquaris, si vivendo confirmes. »

Rursum Olympiodorus accipit animam, corpus et spiritum, quæ tria oportet connectere, et innectere Dei cultui et obsequio, ut docet Apostolus I *Thessal.* v, 23.

Tertio. *Tertio*, S. Hieronymus accipit fidem, spem et charitatem, in quibus consistit vera Dei religio. Sic et S. Paulinus, epist. 4 *ad Sulpitium*, ubi mo-

net ut hoc triplici spatio texamus opera nostra. Alii ex adverso referunt ad triplicem concupiscentiam, scilicet carnis, oculorum et superbiæ, quæ, cum nectuntur, difficile rumpuntur, quibus irretita fuit Eva. Ita S. Bernardus, serm. *De Annuntiatione.*

Quarto. *Quarto,* Hebræi carnales apud Galatinum, lib. II, cap. I : Funiculus triplex, inquiunt, est amor firmissimus inter maritum, uxorem et prolem.

Quinto. *Quinto,* alii accipiunt tres partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem et satisfactionem, ex quibus funis gratiæ et charitatis conflatur. Rursum Hugo Cardinalis : Funiculus triplex, inquit, est charitas quæ tribus quasi partibus implectitur, quæ sunt rectitudo, amplitudo et fortitudo dilectionis. Amplitudo, ut omnes, etiam inimicos sinu charitatis amplectatur, juxta illud Christi : « Diligite inimicos vestros, » *Matth.* cap. V; fortitudo, ut pro Deo suo omnia pati et mori non dubitet, juxta illud : « Fortis est ut mors dilectio, » *Cant.* cap. VIII.

Rursum funiculus triplex est charitas ex triplici quasi fune composita, qua scilicet Deum propter seipsum amamus, et proximos propter Deum diligimus, et nostram salutem propter ipsum Deum amore complectimur : quæ proinde non facile tentatione ulla superatur, ac proinde par est ut proximis mutuo amoris nexu jungamur, quorum viribus fulti adversarios quosvis vincamus.

Vers. 13. 13. MELIOR EST PUER, PAUPER ET SAPIENS REGE SENE ET STULTO, QUI NESCIT PRÆVIDERE IN POSTERUM. — Thalmudici in *Midras* censent hic opponi genios, sive spiritus et angelos homini a Deo assignatos, unum bonum, qui notatur hic per puerum pauperem et sapientem : vocatur *puer,* eo quod post 14 ætatis annum homini se insinuet; alterum malum, qui notatur hic per regem senem et stultum, eo quod antiquior sit, et a nativitate homini adsit, in eoque regnet. Vocatur *stultus,* quia rationi et sapientiæ adversatur; facit enim ut infans non nisi escam et sensibilia bona cogitet et appetat : verum hæ sunt Thalmudicorum næniæ. Fuit tamen multorum Hebræorum, Græcorum et Latinorum olim opinio, homini ab origine dari duos angelos, bonum et malum, uti alibi dixi, eamdemque ex R. Barachia tradit hic S. Hieronymus. Idem S. Hieronymus addit tres alias expositiones : *primam* Thaumaturgi, *q. d.* Præstat sapiens, licet puer et pauper, stulto, licet is rex sit et senex, quod hic sæpe regno excidat, ille ad regnum extollatur; *secundam* Laodiceni, *q. d.* Præstat puer sapiens futuræ vitæ bona et mala prævidens, quam rex stultus qui futura non cogitans, præsentibus et caducis, quasi magnis et perpetuis delectatur; *tertiam* Origenis et Victorini, *q. d.* Puer pauper et sapiens est Christus, de quo Isaias, cap. IX : « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis : » rex senex et stultus est diabolus, qui in hoc mundo ab ejus origine mundanis quasi rex imperat. Verum hoc tertium mysticum est, secundum vero tropologicum, primum litterale et genuinum.

Cajetanus more suo acute hæc refert ad funiculum triplicem, quem, inquit, si implectas ex pueritia, paupertate et sapientia, robustior erit, quam si alium triplices ex regno, senio et stultitia. Verum hæc subtilior quam solidior est expositio.

Rex pauper et puer, sed sapiens, præstat divite sene et stulto.

Dico ergo plane et genuine per antithesin conferri et præferri hic sapientiam stultitiæ, etiamsi principatu et senio ornatæ, quibus ille caret. Sensus igitur est, *q. d.* Tanti est sapientia, et sapiens, etiamsi pauper et puer, ut præstet stultitia et stulto, etiamsi is rex sit et senex. Sapientia enim tam excellens est, ut pueritiam et paupertatem, quæ videntur aspernabiles, faciat commendabiles; insipientia vero etiam regiam et senilem dignitatem, quæ per se laudabiles sunt, faciat vituperabiles: quare sæpe fit ut juvenis pauper ob prudentiam evehatur ad regnum; rex vero senex et stultus ob imprudentiam eo dejiciatur, uti explicat versu sequenti : eo enim pertinent hic versus et duo sequentes. Sapientia ergo est velut aurum, quod æs, stannum cæteraque metalla inaurat, facitque aurata et quasi aurea; imo ipsa est instar lapidis philosophici, quo alchimistæ perhibent se æs aliaque metalla convertere in aurum; simili enim modo sapientia paupertatem et juventutem, quæ in se viles et insipientes sunt, decorat et quasi inaurat, imo in se suamque dignitatem transmutat, dum ea velut informat et animat, ut videantur sapere esseque sapientia. Unde ipsa « linguas infantium facit disertas » *Sapientia,* X, 21; pauperes vero per Dei timorem et amorem (hic enim est practica veraque sapientia) facit similes regibus, imo Verbo Deique Filio, ideoque hæredes gloriæ et regni sempiterni. Vice versa, stultitia regiam et senilem dignitatem, quæ instar auri refulget, dedecorat, ac in se velut in vile æs, aut plumbum commutat, dum per superbiam, avaritiam, similemve impietatem, reges stultos et impios dejicit in terram, ac deinde in tartara, eosque facit folles et fomenta gehennæ.

Sapientia est lapis philosophicus mutans æs in aurum.

Transit a vanitate solitudinis et solitarii, per antithesin, ad vanitatem regni et regum, hi enim minime sunt soli, quia abundant famulis, militibus et sequacibus.

Alludit Salomon ad se, seipsumque hic tacite pingit; ipse enim puer creatus est rex, scilicet anno 12 ætatis, ut vult S. Ignatius, epist. 6 ad *Magnesianos;* vel potius, ut Pineda et alii, anno 18, tumque opibus fuit exiguis, et quasi pauper præ opibus, quas senex habuit; sed tamen ob sapientiam illi inditam præstantior fuit Saule, rege sene et stulto. Imo Salomon puer sapiens præstantior fuit seipso jam sene et stulto; tunc enim per luxuriam et idololatriam desipuit, seseque et regnum perdidit, tumque Deus ad regnum decem tribuum evexit Jeroboam juvenem

tenuis fortunæ, sed sapientem, id est strenuum et industrium, III *Reg.* XI, 27.

Significat ergo hæc gnome *primo*, sapientiam juvenum et pauperum præstare regno senum insipientum; *secundo*, sapientiam acui tum juventute, tum paupertate : juventus enim acri est ingenio, animoque vivido et generoso, adeoque magna meditatur et sperat, magnaque molitur ut sese promoveat et evehat. Talis fuit Hermogenes qui, anno 15 ætatis, tantæ fuit sapientiæ et eloquentiæ, ut ad eum audiendum Antoninus Imperator ventitaret; unde illud : « Hermogenes inter pueros senex. » Rursum, juventus est simplex et candida, ac modesta et humilis, præsertim si sit tenuis fortunæ et pauper, ideoque capacior sapientiæ. Unde Philosophus : « Paupertas, ait, est reparatrix sapientiæ. » Hinc Socrates, Diogenes, Crates pluresque alii contempserunt divitias, ut philosopharentur, et expeditius liberiusque vacarent sapientiæ. Paupertas ergo et juventus acuunt sapientiam. Ex adverso ætas et opes, præsertim in regibus et principibus, obtundunt sapientiam; sunt enim occasio gulæ, luxuriæ, superbiæ, quæ hominem infatuant. Hinc *tertio*, significat reges sæpe in senio infatuari, partim quia per opes deliciis, ventri et veneri per omnem fere vitam vacarunt; partim quia ex diuturnitate regnandi, fiunt nimis securi, superbi et tyranni, ideoque populo exosi, qui proinde non raro eos throno deponit, et alios sibi principes creat. Unde pro *stulto* hebraice est כסיל *kesil*, id est vanus et inconstans, qui mutatur ut luna : sic enim rex insipiens mutatur, tum per varias cogitationes et desideria, quibus instar Euripi æstuat; tum per varias fortunæ vices, quas vitæ hujus mutabilitas parit : quales sunt populi murmura, seditiones, tumultus, quos cum providere nesciat, vel negligat, et secure et oscitanter regno tot annis possesso indormiat, illo subinde spoliatur.

Primo. Exempla sunt, *primo*, in Saule, qui juvenis et pauper sapuit, ideoque evectus est ad regnum; sed senescens, per præsumptionem, arrogans sibi jus sacrificandi, desipuit, ideoque regno dejectus est. Unde audivit a Deo : « Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israelis factus es? » I *Reg.* XV, 17.

Secundo. *Secundo*, in Davide, qui juvenis et pauper, puta pastor ovium; sed sapiens, innocens et sanctus, Sauli seni, superbo et stulto in regno surrogatus est. Idem tamen senescens, factus insolens, adulterium et homicidium commisit, ac regno pene per Absalonem filium dejectus est. Sic et Cyrus, inter pastores enutritus, sua juvenili solertia et fortitudine paravit sibi regnum Persarum.

Tertio. *Tertio*, in Salomone, qui Davidi seni juvenis successit, floruitque sapientia et sanctitate; sed senior factus super omnes desipuit per luxuriam et idololatriam.

Quarto. *Quarto*, in Jeroboam, qui juvenis, pauper, profugus et exsul, sed prudens et sagax, creatus est rex Israelis. Verum senescens vitulos aureos erexit, et idololatriam in Israelem invexit, ideoque regno, vita et stirpe privatus est.

Quinto. *Quinto*, in Joseph, qui juvenis sapiens inclusus carceri futuram famem prævidit, et Pharaoni ignoranti prædixit, ideoque princeps Ægypti creatus, toti Ægypto, mox orbi in fame de alimentis prospexit; ad Joseph enim hic alludi patet ex vers. seq.

Sexto. *Sexto*, Chaldæus exemplum statuit in Abraham et Nemrod; sic enim vertit : « Abraham qui fuit pauper, et erat in eo spiritus sapientiæ a facie Domini, et cognovit Creatorem suum, cum esset ætatis trium annorum, et noluit servire idolis, melior fuit Nemrod impio, qui fuit rex senex et stultus. Et quia noluit Abraham servire idolis, projecerunt eum in medio fornacis ignis succensi, et accidit ei miraculum a Dominatore sæculi, et liberavit eum inde, et postea non fuit scientia in Nemrod, ut admonitus esset deinceps, ut non serviret idolis quibus antea serviebat. » Verum horum fides sit penes Chaldæum.

Rex amat paupertatem, cur? Denique significat hæc gnome reges et principes decere, ut sint pauperes, id est paupertatis et pauperum amatores, ne, si avare opibus inhient, subditos expilent, et pauperes opprimant. Ita Moses, Samuel, Saul et David initio regni fuere pauperes; ac de rege sancit Deus, *Deuter.* XVII, 17 : « Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera. » Nam mulieres et opes nimiæ perdidere Salomonem. Sic pauperes adeoque agricolæ fuere Romulus et Remus Romæ conditores, Camillus, Fabius, Attilius, Cincinnatus, Scipio ejusdem principes et dictatores, cæterique quos recenset Valerius Maximus, lib. IV, cap. IV. De Mecænate Cæsaris Augusti amico et principe scribit Dio, lib. XX : « In re familiari summa parsimonia usus est, et in re publica liberalissimus exstitit. » Lycurgus, Spartæ legislator, sanxit ut principes æque ac cives odissent avaritiam nimiasque opes; sic enim illius imperium æternum fore. Idem in principe christiano requirit S. Ambrosius, lib. I *Offic.* Historiæ Indicæ narrant apud Peruanos Ingas reges, antequam regnum ineant, per dies aliquot laceris indutos vestibus, velut pauperes et mendicos per urbem incedere, ut indicent paupertatem et pauperes sibi cordi curæque esse et fore. Simile est in auguratione archiducis Carinthiorum. Archidux enim inaugurandus rusticano vestitu incedit, quem ubi rusticus e saxo conspicatur, rogat quis ille sit; respondent asseclæ esse archiducem, ac post nonnulla ultro citroque dicta, rusticus archiduci levem dans colaphum, jubet ut velut princeps legitime jus dicat; princeps vero rustico vestes suas donat : quod indicium est primitus non nisi agricolam fuisse electum in archiducem. Ita Æneas Sylvius in *Descript. Europæ*, et ex eo Petrus Gregorius, lib. VII *De Republica*, cap. XV, num. 15.

QUI NESCIT PROVIDERE IN POSTERUM. — Ostendit in quo stultitia regis senis sita sit, nimirum in improvidentia; sapientia enim regis est providentia qua tam sibi, quam regno in futurum prospiciat : sibi, ut se in regno confirmet, motus populi compescat, conatus exterorum, regno inhiantium dissipet, cæteraque omnia sibi noxia quasi e specula prævideat et discutiat; regno, ut annona sit sufficiens, ut scelera et rapinæ arceantur, ut pax inter nobiles et plebem conservetur, etc. Unde S. Hieronymus vertit, *qui nescit præcavere vicissitudinem;* Thaumaturgus, *cui nunquam in mentem venit tanquam fieri posse vicissitudinem.*

Pro *providere* hebraice est זָהַר *hisaer*, quod Noster varie variis in locis vertit, scilicet, *fulgere, observare, præoccupare, cavere, custodire;* Septuaginta nunc vertunt, *fulgere*, ut *Daniel.* XII, 3; nunc *distinguere*, ut *Ezech.* XIX; 20 et 21; nunc *custodire*, ut *Psalm.* XVIII, 12; nunc *præcavere*, ut hoc loco; nunc *significare*, ut *Ezech.* XXXIII, 3; nunc *prænuntiare*, ut *Ezech.* XXXIII, 9.

Proprie *hisaher* est splendere : unde זֹהַר *zohar* vocatur claritas, splendor, fulgor; inde significat admonere seipsum, admoneri ab alio, alteriusque admonitionem recipere, ut vertit Pagninus, Campensis, Tigurina et alii (unde vertunt, *qui admonitionem amplius non admittit*); inde prævidere, præcavere, circumspectum esse, monere, docere, instituere, quia salubris admonitio est quasi quædam illuminatio, splendor et fulguratio, id est prænuntiatio et prævisio futuri; eadem est quasi radius et fulgor quidam prudentiæ et providentiæ. Qui enim regno diuturno superbiens non vult moneri, sed monentes spernit et odit, sæpe in rebellium vel hostium insidias incurrit, et vita regnoque spoliatur. Unde Chaldæus vertit, *et ultra hæc non est cognitio ut admoneatur amplius;* Symmachus, *qui nescit præcavere vicissitudinem;* Syrus, *qui nescit cavere amplius;* Arabicus, *non cognovi quod reverteretur in semetipsum.*

Igitur improvidentia hæc in rege sene et stulto nascitur ex diuturna felicitate regnandi: hæc enim eum ita inebriat, ut dementet; præteritæ enim fortunæ memor, futuræ immemor, præsenti incertæ quasi certæ securus incubat, itaque facile insidiis æmulorum et hostium patet, iisque ex improviso obruitur. Felicitas enim facit securum et superbum, ut neminem putet sibi posse resistere : eadem cum senio facit eum oscitantem, et negligentem ad providendum, juxta illud : « Bis pueri senes; » et : « Delirus senex. » Ex continua enim regni prosperitate, ita segniter et secure degit, ac si rotæ fortunæ et felicitati regni sui clavum infixisset, cum ex adverso nullum majus regi et regno sit periculum, quam a nimia securitate et præfidentia: hæc enim negligit prævidere insidias, machinationes, tumultus, bella aliaque adversa sibi regnoque imminentia, ideoque pariter negligit providere remedia ad ea præcavenda vel avertenda : hoc dum vident æmuli et hostes, incautum et securum per vim et dolum invadunt et opprimunt, uti quotidiana docet experientia.

14. QUOD DE CARCERE CATENISQUE INTERDUM QUIS EGREDIATUR AD REGNUM : ET ALIUS NATUS IN REGNO INOPIA CONSUMATUR. — « Quod, » hebraice כִּי *ki*, id est *quia, quoniam.* Dat enim causam cur puer pauper, sed sapiens, melior sit rege sene et stulto, eo quod ille per sapientiam subinde etiam e carcere, hoc est ex imo loco et statu evehatur ad regnum; hic vero regno dejiciatur, et ad inopum statum vitamque redigatur. Natus enim in regno, idem est quod natus parente rege, regio sanguine prognatus : hic enim opponitur servo incarcerato, qui patre servo progenitus ascendit ad regnum (1). Vers. 14.

Alludit ad Joseph qui e carcere ob sapientiam et prævisionem futuræ famis evectus est ad principatum Ægypti, *Genes.* XLI. Vice versa Sedecias rex Juda, a Chaldæis captus, excæcatus, vinctusque ductus est in Babyloniam, IV *Reg.* II; et Nabuchodonosor natus in regno, id est filius regis, puta Nabuchodonosoris senioris, et in regno per triginta et plures annos confirmatus, ob insipientiam et superbiam regno, imo humana forma dejectus, mutatus est in bestiam, *Daniel.* IV, 30. Sic Servius Tullius, quartus a Romulo Romanorum rex, a servo (unde dictus est Servius) evectus est ad regnum. P. Ventidius a Pompeio captus, e carcere prodiit Imperator exercitus Romani, ac victor de Parthis triumphavit, teste Valerio Maximo, lib. VI, cap. X. Simile contigit Caio Mario, qui de Cimbris triumphum egit. Huc facit quod scribit Heraclides in lib. *De Politiis*, in Cymmensium politia : Lydii, inquit, cum gravi dominatu premerentur, et audissent Cymmæ quemdam esse præstantem, missa legatione, in regnum accersiverunt, et in officina fabri plaustrarii servum inventum cum servitute, pretio soluto, assumpserunt. Similia recenset Lucius Florus, lib. II, cap. XIX, et Paulus Æmilius in *Dione*. Plura exempla ex Plinio recensui *Eccli.* X, 28, ad illa : « Servo sensato liberi servient. » Vere Plutarchus, tractatu *De Præceptis gerendæ reipublicæ :* « Servire qui nescit, inquit, dominari non potest. » Servi evecti ad regnum.

Huc facit ille Saccorum dies tragicus apud Persas, quem ita describit Dio, orat. *4 De Regno :* « Accipiunt unum ex captivis ad mortem, collocantque in regis thronum, et eumdem illi dant vestitum regium, et imperare sinunt, ac vivere et deliciari et concubinis uti illis regni diebus, et nemo illum vetat quidquam facere quæ velit; post hæc autem exutum, virgisque cæsum, suspendunt. » Deinde causam et significationem hujus moris et ritus affert dicens : « Cujus rei putas hoc esse signum, et quamobrem fieri apud Per-

(1) Hebr. est, *nam exiit* puer ille sapiens *e domo vinctorum* (carcere,) *ad regnandum, etiamsi in regno suo,* id est in terra cujus rex constituitur, *natus erat pauper.*

sas? nonne ideo quod sæpenumero stulti homines et pravi talem potestatem et nomen adipiscuntur, deinde aliquanto tempore viventes turpissime atque ocissime perduntur?»

Huc alludens Barlaam, Josaphat regi simili parabola vitæ hujus vanitatem et fallaciam ad vivum repræsentat apud Damascenum, in *Histor.* cap. XIV.

Porro Chaldæus Complutensium (nam in Regia hæc succisa sunt) pergit hæc adaptare Abrahæ et Nemrod: « Quoniam, inquit, provincia idolorum egressus est Abraham, et regnavit super terram Chananæorum; et in diebus regni Abraham factus est Nemrod pauper in sæculo:» ubi «regnavit» idem est quod dives et potens effectus est; amplam enim Abraham habuit familiam, in qua quasi princeps regnabat; unde ex ea eduxit 318 milites, quibus quatuor reges profligavit, et Loth ab eorum manibus liberavit, *Genes.* cap. XIV; alioqui certum est Abrahamum non fuisse regem super terram Chanaan. Rursum, quod Nemrod factus sit pauper incertum est; nam nusquam id legimus. Hæc quoad lectionem vulgatam.

Hebræa enim, Septuaginta et Syrus, Arabicus, Pagninus, Vatablus et cæteri hebraizantes non habent τὸ *alius*. Unde sic sonant, *Quoniam de domo vinctorum prodiit ad regnum, quia etiam in regno ejus natus est pauper;* quod totum multi de uno et eodem accipiunt, varie vertunt et explicant; sed communiter sic, ut per carcerem accipiant uterum matris, *q. d.* Rex quoque dum nascitur ex utero matris, quasi ex carcere prodit vinctus et miser, puta secundinis religatus: nudus et pauper sicut cæteri homines: quare hujus conditionis suæ memor in regno non insolescat, nec se super alios superbe efferat, sed modeste se gerat ne regno dejiciatur, et ad primævam nuditatem et inopiam relegetur. Ita Olympiodorus, Aben-Ezra, Vatablus, Osorius et cæteri.

Verum hanc gnomen non de uno et eodem, sed de duobus invicem oppositis intelligi patet: *primo,* ex eo quod det causam versus præcedentis, cur scilicet melior sit puer pauper, sed sapiens, rege sene et stulto. Causa hæc est, quod scilicet ille subinde per sapientiam ad regnum evehatur, hic ab eodem ob insipientiam dejiciatur, eo quod imprudenter, superbe et injuste regnarit. *Secundo,* ex Chaldæo qui hæc de duobus, puta Abraham et Nemrod accipit, et ex Symmacho, qui vertit, *alter enim exit de carcere ad regnandum; alter vero cum esset rex natus, paupertate oppressus est. Tertio,* ex S. Hieronymo qui in veteri sua editione ex Septuaginta sic vertit, *quoniam de domo vinctorum egreditur, ut regnet, quia etiam in regno ejus natus est pauper, q. d.* Rex senex, sed stultus, non advertit fieri posse ut aliquis ex his quos ipse vinxerat, exeat ad regnum e carcere, ipse vero de regno excidat, quod insipienter ac injuste gessit.

Unde mystice S. Hieronymus per puerum sapientem et pauperem accipiens Christum, per regem senem et fatuum accipiens diabolum, sic explicat: « Iste (Christus) natus est in regno senis (diaboli, qui ante Christum regnabat per infidelitatem in mundo), et idcirco dicit: Si esset de hoc mundo regnum meum, ministri utique mei certarent pro me, ut non traderer Judæis; nunc autem non est de hoc mundo regnum meum, *Joan.* XVIII. In illius itaque stulti senis regno, qui ostendit ei omnia regna mundi et gloriam ejus, natus optimus puer de domo vinculatorum (de quibus Jeremias in lamentationibus loquitur: Ut humiliaret sub pedibus ejus omnes vinctos terræ, *Thren.* III), processit ad regnum, et abiit in regionem longinquam, et contra eos qui super se regnare nolebant, post aliquantum temporis rex reversus est. Præsago itaque spiritu vidit Ecclesiastes omnes viventes, qui possunt adolescentis participes esse, dicentis: Ego sum vita, *Joan.* cap. XIV, vetere stulto rege dimisso, Christum sequi. Simulque duo ex Israel populi significantur. Prior qui in adventu Domini fuerit, et posterior qui Antichristum pro Christo susceperturus est; quod prior non penitus sit abjectus. Prima quippe Ecclesia ex Judæis et Apostolis congregata est, et in fine Judæi, qui Antichristum pro Christo suscepturi sunt, non lætabuntur in Christo. »

Moraliter, disce hic vanitatem regnorum et regum, ex eo quod infimæ sortis homines, puta servi et incarcerati, subinde e vinculis exaltentur ad regnum; reges vero regumque filii e throno ad inopum statum locumque dejiciantur. Hæc enim est fortunæ inconstantia, hæc vitæ hujus instabilis alea, hæc regnorum mutabilis vicissitudo. Sicut enim mercatorum sæpe hic solet esse exitus, ut bonis cedant, navigantium, ut submergantur: ita qui diu rempublicam administrat, sinistrum aliquem casum sustinere cogitur; casum, occasum patiens consolationis loco repetat illud Macrobii: Moraliter de vanitate regum. Gnoma.

> Non possunt primi esse omnes omni tempore.
> Summum ad gradum claritatis cum veneris,
> Consistes ægre, et citius quam descendas decides.
> Cecidi ego, cadet qui sequitur, laus est publica.

Parva enim, ait Polybius, temporis intervalla in excelso fastigio collocant, et eosdem rursus ad extremam miseriam ac calamitatem redigunt, atque eos maxime qui in aulis principum vitam agunt. Hi enim similes sunt calculis, in publicis consiliis dari solitis. Nam ut illi modo ænei, modo aurei dantur: ita aulici pro regis voluntate, nunc beati, nunc miseri fiunt. Agesilaus adhuc puer cum in gymnicis ludis loco parum honorifico locaretur a chori magistro, licet rex declaratus esset, paruit dicens: « Ostendam non loca viris, sed viros locis dignitatem conciliare. » Seneca, lib. *De Tranquillitate,* cap. III: « Officia si civis amiserit, inquit, hominis exerceat; » et an-

terius : « Habet ubi se, etiam in privato lare explicet magnus animus. » Et inferius sapiens et providum dat consilium : « Non exspectes, donec res te dimittant, sed ab ipsis te ipse disjungas. » Utilis est hæc mutatio : nam, ut ait Mantuanus :

Pluribus excelsa, vel opum, vel honoris ab arce
Profuit, ad modicæ sortis cecidisse quietem,

in qua, ut ait Poeta :

Gaudebis minus, et minus dolebis.

Et hoc modo vilis mundus redditur iis qui æternum spectant; decepti enim a vanitate mundi, quærunt veritatem veraque bona in cœlis, dicuntque illud Poetæ :

Inveni portum; spes et fortuna, valete :
Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

Cogitantque illud Senecæ in *Hercule furente* :

O fortuna viris invida fortibus,
Quam non æqua bonis præmia dividis?

Et illud Lucretii, lib. V *De Rerum natura* :

Namque hos e summo quasi fulmen dejicit ictos
Invidia, interdum contemptum in tartara terræ.

Exempla. Sic Hermias Antiocho in deliciis, eo spectante et probante, occisus est, ait Polybius lib. VII. Sejanus, Tiberii collega, hac ab eo sententia mulctatus est : « Sejanum capite plecti placet, corpus in Gemonias projici, ejusque liberos omnes interfici. » Ita Dio in *Tiberio*. Plautianus Severi Imperatoris pene collega misere interiit, et cadaver ejus in viam contumeliose projectum. Ita Zonaras, tom. II *Annal.* : « Inter tot obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas est, » ait Curtius, lib. VIII. Merito exclamat Seneca :

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis! in præcipiti
Dubioque nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuere diem.

« Arbores magnæ, ait Curtius, diu crescunt, una hora exstirpantur. Stultus est, qui fructum earum spectat, altitudinem non metitur. Vide ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsius ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo etiam aliquando minimarum avium pabulum fuit, et ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui non periculum sit etiam ab invalido. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene : impone felicitati tuæ frenos, facilius eam reges. » Manilius, lib. IV *Astronom.* :

Quid numerem eversas urbes, regumque ruinas?
Inque rogo Crœsum? Priamumque in littore truncum,
Cui nec Troja rogus? Quid Xerxem, majus et ipso
Naufragium pelago? quid captos agmine reges?

Sesostris rex Ægypti, curru aureo vectus, jussit illum trahi a quatuor regibus a se devictis, quorum unus oculos in rotas assidue conjiciens, rogatus ab eo cur id faceret : Miror, ait, rotam volvendo, nunc in sublime attolli, nunc ad ima deprimi. Intellexit Sesostris notari ab eo inconstantiam fortunæ et felicitatis humanæ : quare eamdem sortem sibi obvenire posse considerans, statuit ne illi posthac currum traherent. Ita Nicephorus, lib. XVIII, cap. XXIX. Huc facit illud Juvenalis, *satyra* 7 :

Si fortuna volet, fies de rhetore consul.
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.

Quocirca prudenter monet Ausonius :

Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Plura hac de re dixi *Eccli.* cap. X fere toto.

15. VIDI CUNCTOS VIVENTES, QUI AMBULANT (velut anteambulones, comites et pedissequi) SUB SOLE, CUM ADOLESCENTE SECUNDO (Syrus, *repetit*) QUI CONSURGET PRO EO. — Septuaginta, *qui stabit pro illo*, scilicet rege sene, patre suo, de quo sermo præcessit vers. præcedent. Unde Campensis, *vidi maximo numero homines sequi adolescentem illum; qui seni in regno successurus est.* Minus recte Chaldæus hanc gnomen arctat ad Roboam et Jeroboam : « Dixit, inquit, Salomon propheta in spiritu prophetiæ a facie Domini : Vidi cunctos viventes, qui ambulant in sapientia sua, ut renuant Roboam sub sole, et dividant regnum ejus, ut detur Jeroboam. Verumtamen cor tribus Benjamin, et Juda, fecit perfectum cum adolescente Roboam filio meo, qui fuit secundus in regno meo, ut consurgeret et regnaret in loco possessionis suæ in Hierusalem (1). » Vers. 15.

Pergit vanitatem regnorum et regum ostendere, ex eo quod subditi regem senescentem, quasi mox moriturum, deserant, et filium ejus, adolescentem a rege secundum, ideoque eo mortuo regnaturum, sequantur, stipent, honorent, ejusque gratiam ambiant, utpote a quo majora et diuturniora sperent. Viderat Salomon id fieri in patre suo Davide, quem senem deseruit pene totus Israel, secutus Absalonem filium, regnum patris invadentem, II *Reg.* XV, 13. Idem expertus fuit in Omnes ad juvenem regem aspiciunt.

(1) Vers. 15 et 16. Rosenmullerus, *vidi ego omnes viventes qui ambulant sub hoc sole*, esse *cum puero hoc secundo* (*secundus* dicitur puer ille sapiens respectu habito ad regem senem), *qui stat* constitutus, *loco ejus* regis stolidi. *Non est finis omni populo, omnibus*, inquam, *ante quos erat*, quorum dux erat ille puer secundus rex constitutus. Maurer, tamen *vidi omnes vivos ambulantes sub sole cum adolescente*, comparatos cum adolescente, *secundo* rege, *qui surrecturus erat loco ejus*, regis senioris; *non est finis universo populo et omnibus qui fuerunt ante eos*, id est, ingens et innumerabilis est multitudo hominum, qui ante eos (utrumque regem, senem et adolescentem) vixerunt, et quos oblivio obruit; *etiam posteriores non gaudebunt de eo*, rege adolescente, etc.

seipso; nam eum velut senem delirantem sprevit populus, et ad Roboamum filium respexit, quia ipse « ex luxuria et idololatria factus est abominabilis suo populo, et contemptui habitus etiam a suis servis, » ut ait D. Thomas, lib. III *De Regim. princip.* cap. VIII.

Ratio duplex, novitas et spes.

Ratio est duplex, scilicet novitas et spes. Omnes enim aulici, æque ac plebeii, avidi sunt novitatis; unde pertæsi diuturni regni regis sui, ejusque mores fastidientes, et forte ab eo læsi, ad novum juvenemque regem sese convertunt : præsertim quia senes sunt avari, morosi, tetrici; juvenes vero solent esse liberaliores, animosiores, ac majus dare specimen magnarum rerum, initio regni; hic ergo eis videtur novus beneficusque Jupiter, hoc oriens liberalitatis sidus. Spes, quia qui a rege sene jam ditati sunt, plura ab eo non sperant; a juvene vero noviter regnaturo, nova et majora exspectant. Hisce aliisque de causis semper gravis et molesta est aulicis, populoque longa principum vita et potestas, uti Romæ ad oculum subinde cernimus.

Nota τὸ *sub sole*, quia sicut sol oriens post longas noctis tenebras oculis intuentium gratissimus est; sic et novus rex subditis senem regem pertæsis. Unde Pompeius, cum Sylla sibi abnueret triumphum, respondit : « Ignorat Sylla quod plures adorent solem orientem, quam occidentem. » Quo audito, Sylla exclamavit : « Triumphet. » Ita Plutarchus in *Vita Pompeii*. Aulici ergo et populus circumaguntur cum principibus novis, sicut heliotropium sese convertit et circumagitur cum sole; quare eis non confidant reges et principes. Vere Seneca : « Pauci reges, non regna colunt. » Et Timotheus apud Athenæum, lib. III : « Non cano vetera : nova si quæ sunt, eadem et meliora. Jupiter, qui juvenis est, regnat : olim Saturnus imperabat. »

Vers. 16.

16. INFINITUS NUMERUS EST POPULI OMNIUM, QUI FUERUNT ANTE EUM (Hebræa, *ante eos;* Symmachus, *ante utrumque*, scilicet regem senem, et filium adolescentem) : ET QUI POSTEA FUTURI SUNT, NON LÆTABUNTUR IN EO; SED ET HOC VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS. — Hebræa, *non est finis omni populo, universis qui fuerunt ante illos; et etiam novissimi vel sequentes non gaudebunt in eo: quia etiam hoc vanitas et malitia spiritus;* Septuaginta, *præsumptio spiritus;* Syrus, *perturbatio spiritus;* Arabicus, *nonnè confusio omni populo erat, et omnibus qui præcesserunt eos; et nunquam posteri gaudebunt eo : propterea hoc est vanum, et afflictio spiritus.* Chaldæus pergit hæc adaptare Roboam, quem ob duritiem fastidientes Israelitæ, crearunt regem sibi Jeroboam, quod valde afflixit Roboam. Jam

Primo.

Primo, plane sic exponas, *q. d.* Infinita, id est plurima, et quasi innumerabilis fuit hominum turba, quæ reges priores, qui fuerunt ante hunc adolescentem regem, ejusque patrem jam senem, secuta, illis adulata est, et applausit; posteri quoque qui plurimi erunt, hunc adolescentem non videbunt, nec incedentem prosequentur festivis acclamationibus, equis, rhedis, curribus; quare non est quod ipse juveniliter hoc suo regno exsultet et insolescat, utpote a paucis honorato cognitoque modice duraturo, et ad alios transferendo. Igitur regnum et rex juvenis, ejusque applausus et triumphi, mera sunt vanitas et afflictio spiritus. Si sapit ergo, dicet sibi : Ecce jam quidem regno potior, mihique ut regi totus populus applaudit; sed quanta jam elapsa sunt sæcula, in quibus nulla fuit mei notitia! quot jam sine fine mortua sunt hominum millia, qui de me, neque vel fama, vel nomine quidquam cognoverunt! quanta item in sæculis post venturis erit hominum multitudo, apud quos, vel nulla omnino, vel admodum tenuis, atque ea apud paucissimos erit mei memoria! Quid igitur gestire volo, quasi magnum aliquid tenens, aut quid exsultare, quasi beatus; cum potius tanta hæc præsens exsultatio, mihi ita perpendenti vertatur in afflictionem spiritus?

Secundo.

Secundo et pressius, *q. d.* Infinita fuit populi multitudo, omnium scilicet qui fuerunt ante eos. Hebræa, *ante faciem eorum*, id est qui velut ante ambulones, honoris causa, cum gaudio, pompa et plausu præcesserunt regem adolescentem, ejusque patrem olim juvenem; sed posteri id non facient, *nec lætabuntur in eo*, eo modo quo solet populus in rege suo oblectari et exsultare, sed eum vel deserent et fastidient, utpote pariter jam senescentem, aut dure et tyrannice regnantem, aut ex propria levitate oblivioni tradent, utpote jam mortuum et sepultum; sicque ad alium, qui successit, transibunt. Vide ergo hic vanitatem regni et regum : nimirum « sic transit gloria mundi, » instar stuppæ accensæ. Unde Campensis vertit, *non minor fuit numerus eorum qui senem hunc olim sequeretur, cum regno præficeretur : ita et potestas hujus qui nunc tantopere placet, gravis videbitur posterioribus; quare et ambitus ille suam habet vanitatem et animi tædia.*

Huc pertinet expositio Titelmanni et Clarii, qui censent adolescentem secundum esse puerum sapientem de quo vers. 13; utrobique enim in Hebræo est ילד *ieled*, id est puer, juvenis, adolescens. Sic ergo exponunt : Vidi maximo numero homines illum sequi adolescentem, qui regi seni et stulto successurus est. Præcessit etiam ante juvenem eumdem multitudo innumerabilis eorum qui senem assectabantur; sed postea gravis visa est illius potestas, ideoque desciverunt ab eo. Ad eumdem modum rex novus, qui pro alio assumptus est, quamvis habeat in principio qui ei cum gaudio plausuque adhærescant, postquam tamen fuerit in regno confirmatus, non lætabuntur illi in ipso, sed incipiet etiam videri gravis, perinde ut præcedentis auctoritas et potestas. Fit autem hoc, vel successoris vitio, quoniam non qualis futuris videbatur, cum assumeretur in regnum, permanet, sed in tyrannidem vergit, ob

quam prior abjectus est, aut etiam in majorem; vel subditorum, qui sine causa murmurant, licet minus eos tractet, quam prior; aut cum sint juniores, ideoque non experti sint tyrannidem regis prioris, hinc non lætantur in successore, sicut lætantur ii qui sub priore vixerant, et dura ab eo passi sunt. Duas alias expositiones affert Titelmannus ex Hebræo; sed quia a Vulgata dissonant, hinc eas omitto. Consule eum, si libet.

Summa significat quanta sit vanitas regnorum et regum, utpote in quibus nulla sit firmitas et constantia, sed necesse sit perpetuis angi curis, timoribus, sollicitudinibus, suspicionibus, odiis, insidiis.

Porro Thaumaturgus aliter exponit, aliamque vanitatem suggerit, scilicet morositatem et invidiam, quam rex adolescens ob favorem populi apud patrem senem, ejusque consiliarios et aulicos incurrit, adeo ut propterea subinde principatu dejiciatur, vel veneno perimatur, uti hoc sæculo non semel factum vidimus. Sic ergo vertit, *nonnunquam enim evenit, ut qui juveni quidem, cæterum cordato, subsunt, mœstitiæ vacent saltem majores natu. Est enim illud proprium senum, ut morosi sint adversus adolescentiores, atque adeo etiam erga mores et acta junioris principis, laudantes semper actum tempus.*

Allegorice S. Ambrosius, *De Instit. Virg.* cap. XI et XII, legens per interrogationem hoc modo : « Vidi universos qui vivunt, qui ambulant sub sole cum juvene secundo; quis resurget pro eo?» Juvenis secundus, inquit, est Christus, qui est primus secundum divinitatem; secundus autem secundum carnem; quia post Adam, juxta illud : « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis, I *Cor.* XV. Quis enim pro Christo resurget, cum ille pro omnibus resurrexerit, et in illo omnes resurrexerint, cum spem resurrectionis acceperint? » et mox : « Non est finis omni populo ejus, quia populus Christi innumerabilis finem non habet, cui fides resurrectionis æternæ, perpetuæ vitæ acquirit ætatem. » Rursum Auctor *Catenæ Græc.* per adolescentem secundum accipit Antichristum, quem pro Christo omnes Judæi secuturi sunt in fine mundi, item Adamum, quem secuturi sunt omnes posteri ab eo prognati. Eadem ex Victorino et Origine habet S. Hieronymus.

SED ET HOC VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS. — Syrus, *perturbatio spiritus*; alii, *tormentum spiritus*. « Hoc,» scilicet mobilitas populi nunc cum rege patre, nunc cum filio ambulantis, illique applaudentis; nam cum relicto patre ad filium se transferi, subinde iram et vindictam patris incurrit, ut ab eo dure tractetur, vel graviore pœna mulctetur, ut omittam ambitum hunc magnam habere servitutem, molestias et tædia. Ita Hugo Victorinus, Clarius, Vatablus et alii.

Secundo et magis genuine, « hoc, » scilicet regnum et plausus regis adolescentis, quod scilicet « omnes viventes ambulant cum adolescente secundo; » hic enim plausus est aura popularis, quæ cito sive ætate et senio, sive mobilitate vulgi, sive regnandi vitio, libidine et fastu deflorescit, marcescit, mutatur et evanescit; tuncque adolescentem, cum videt se a suis deseri, cruciat et affligit. Unde Symmachus vertit, *sed hoc aura est et pastio venti*. Plausus enim populi et acclamationes non sunt aliud quam levis aura et ventus, qui cum sonitu perstrepit et abit. Ita Hugo Cardinalis, Lyranus, Cajetanus, Titelmannus et alii; qui tamen id arctant ad adolescentem regnum patris invadentem, uti fecit Absalom.

Moraliter, disce hic quanta sit regni, regalis prosapiæ et nobilitatis vanitas, quam proinde apposito burdonis et muli apologo oculis subjicit Cyrillus, lib. II *Apolog. mor.* cap. XIX, cui titulus : *Contra superbientes ex progenie seu nobilitate* : « Cum burdo, inquit, mulo occurrisset, eum spernendo se jactabat, quod a meliori patre genitus esset; cui mox ille, armati pedis calce retento, cum acumine rationis respondit ac dixit : Quidnam tibi inde amplius est, cum sis burdo? Bonum enim aut malum generationis ex assimilatis genitoribus existit; ubi ergo hæc conformitas attollitur, nihil, unde sis, differre videtur. Nam de dracone draconites pretiosissima gemma oritur, et de gallo serpentum nequissimus basiliscus generatur. Medicinalis rosa de spina producitur, et aurum de sulphure gignitur, et de flamma perlucida teter fumus suscitatur. Sed quoniam ex patre extolleris, is te quasi alterum asinum confunditur genuisse.» Idipsum deinde ratione a priori demonstrat : « Igitur cum vera nobilitas tam in corporeis rebus, quam in spiritualibus, non sit aliud quam virtus possessa, mihi pluris est equina fortitudine, quam tibi tantum generatione gaudere. Cæterum dum ex nobilitate carnis erigeris, mox dignitatem tam glorificatam animæ ventosa vitiositate perdis; et sic ex pretiositate vilis, ex luce nubilosus efficeris, ac de bona reus notabilitate vilescis; acciditque tibi sicut albedini, quæ argento denigratur, et flammæ luciditate fœdatur. Sed aurum quanto pretiosius, tanto humilitatis pondere gravius est; et lapis minor etiam pretiosior existit, uti et lignorum minima sunt pretiosissima, ut balsamus et cinnamomum. Vera igitur et gloriosa nobilitas est humilitas, quæ ima sursum elevans mentem Deo conjungit, virtute replet, gratia deificat et sapientia illustrat. Quibus dictis, obticuit.» Nota : Burdo vocatur, qui ex equo et asina nascitur, ait Sipontinus; mulus vero, qui ex asino et equa gignitur, teste Plinio, lib. VIII, cap. XLIV.

Apologus, nobilitatem non in regno, sed in virtute consistere.

Ratio a priori.

17. CUSTODI PEDEM TUUM INGREDIENS DOMUM DEI, ET APPROPINQUA UT AUDIAS. MULTO ENIM MELIOR EST OBEDIENTIA, QUAM STULTORUM VICTIMÆ, QUI NESCIUNT QUID FACIUNT MALI. — Aliqui in Septuaginta pro κακόν, id est malum legunt καλόν, id est bonum : ita Complutenses, quos secutus Syrus vertit, *quia ignorant facere quod est bonum;* et Arabicus, *quoniam ignorant quod faciunt optimum.* Ubi adverte

Vers. 17.

Arabicum et Syrum passim sequi Septuaginta, ac proinde versiones utriusque non esse factas ex Hebræo, sed ex Græco Septuaginta. Hi enim græce scribentes, ob monarchiam Græcorum ubique tum dominantium, qui linguam Græcam toto orbe sparsere, gentibus omnibus Hebræum idioma ignorantibus innotuere. Verum perperam hic legitur καλὸν pro κακόν, id est *bonum* pro *malum*; Hebræaice enim est רע *ra*, id est malum, ut habet Vulgata latina (1).

Hæc verba pertinent ad initium capitis sequentis; unde Cajetanus hic inchoandum censet cap. V.

Congrue transit a vanitate regnorum et regum ad veritatem Dei, tum ut reges doceat modestiam et humilitatem, ne regno superbiant, sed regnum sceptrumque, ut par est, dimisse et reverenter submittant Regi regum et Domino dominantium; tum ut subditos moneat metiri reverentiam Dei ex reverentia quam exhibent regibus. Si enim tanto concursu, plausu, studio, gaudio sequuntur adolescentem secundum, quanto sequi debent Deum regem universi? Rursum hoc referas ad novam speciem vanitatis, quæ cernitur in victimis rebusque sacris, *q. d.* Adeo vanitas rebus omnibus humanis se ingerit et inserit, ut religioni quoque et sacrificio pedem inferat. Nam multi sunt, qui ex legis monitique hujus mei omissione, victimas offerunt Deo indignas et impuras, quia ipsi indigne et impure ad eas accedunt, quæ magna est vanitas, imo sacrilega impietas, ideoque Deum non placat, sed potius ejus offensam magis irritat. Coactior est nexus Lyrani, qui censet hic nova ratione probari regni temporalis contemptum, ex eo quod Deus sit summe reverendus et colendus, regia vero potestas retrahat reges a Dei timore, reverentia et cultu.

Alludit ad ritum ingrediendi et orandi in templo. Hebræorum enim sacerdotes, ob reverentiam templi, nudis pedibus illud ingrediebantur, orabant et sacrificabant; unde pedes ante ingressum abluebant, nitoris et reverentiæ causa, uti ostendi *Exodi* XXX, 19. Idem jam ante a Deo jussum fuerat Moysi, ut accessurus ad rubum, in quo per flammam ignis apparebat Deus, poneret calceamenta, *Exodi* III, 2, et *Josue* cap. V, 16. Ubi Abulensis asserit « eum fuisse antiquiorem morem, ut sacra loca non intrarent calceatis pedibus, atque Judæos (etiam laicos) id observasse post illam admonitionem angeli factam Mosi. » Idem docet Ribera, lib. II *De Templo*, quod intellige de laicis religiosioribus. Hi enim religionis ergo, sponte sua Mosen et sacerdotes imitabantur, ac nudis pedibus, vel certe positis calceis ex corio factis, templum ingrediebantur, etiamsi nulla lege divina, vel humana, ad id obligarentur, uti Berenicen Herodis uxorem nudipedem templum ingressam narrat Josephus, lib. II *Belli*, cap. XXVI. Hinc illud Pythagoræ : « Nudis pedibus rem sacram facito, et adorato. » Et Plato scribit triumphantes in ipso triumpho fronde coronatos, lotis manibus, nudis pedibus sacrificasse. Hinc et nudipedalia sacra, quorum meminit Tertullianus, *Apolog.* cap. XL, de quibus vide Gyraldum, *syntagm.* 10. Porro Ægyptiorum sacerdotes sacrificabant calceati non corio, sed papyro, puritatis ergo, teste Herodiano, lib. II et V : Sacerdotes calceati lino. Apud Romanos quoque nefas erat Flamini uti calceis coriaceis, teste Gellio, lib. X, cap. XV. Ratio eorum erat, quod impurum et indignum videretur, ut morticina, id est calcei facti ex pellibus animalium mortuorum, tangerent terram sanctam. Vide dicta *Exodi* cap. III, vers. 2, et cap. XXX, 19. Neque id mirum; nam prisci Romani non tantum in templo, sed domi quoque, et in urbe, sine calceis incedebant nudipedes, uti docet vetus Scholiastes Juvenalis, ad vers. 111 *satyr.* 1; quin et insignes belli duces ac philosophos, ut Phocionem, Germanicum, Socratem, Diogenem, Catonem Uticensem, nudis pedibus passim incessisse, tum paupertatis, tum tolerantiæ studio, docet Plutarchus in eorum Vita, qui et in *Vita Lycurgi* scribit Spartæ juvenes omnes calceis caruisse, quo expeditiores essent. Adde et castiores; nuditas enim pedum ex frigido aere, et terra quam calcant, pedes frigefacit, qui per sympathiam frigus suum partibus cæterisque membris communicant, itaque in eis ardorem libidinis restinguunt. Hinc multi Religiosi nudipedes incedunt, tum humilitatis et pœnitentiæ, tum castitatis causa.

Romani nudipedes.

Religiosi nudipedes studio castitatis.

Sensus ergo est, *q. d.* Cum ingrederis templum, vide ut modeste, honeste, caste, pure et reverenter incedas, cogitans te ingredi locum sacrum, in quo residet divina Majestas, ut illam adeas et audias : quare custodi pedem tuum, ne præceps sit, necubi ad lapides et offendicula impingat, ait S. Hieronymus et Salonius. Alii, ne offendas ad gradus quindecim, per quos ascendebatur ad templum; ne superbe et pompatice incedat, ne quo evagetur ad profana, vel illicita, ut curiose spectet feminas, nobiles, etc., sed totum se pes, et pedis rector animus colligat, ad adeundum sacra, ut illis totus intendat. Sub pede enim oculos, aures, totumque corpus et mentem intelligit per synecdochen. Nominat tamen præ cæteris pedem, quia pedum est ingredi in templum : custodia ergo pedum significat hic omnem modestiam, attentionem et reverentiam, tum externam, tum internam, debitam Deo in templo. Ita Olympiodorus : « Custodi, inquit, totum corpus tuum (a parte enim totum significavit), nec instrumentis eisdem, quibus templum Dei frequentas, theatrales adito ludos.

Judæi nudipedes in templo, cur?

(1) *Custodi pedem tuum quando ibis ad domum Dei*, id est, diligenter cave, ne aut parum pura, aut non bene composita mente ædem Deo sacram ingrediaris; *et appropinquare ad audiendum* præcepta Dei *præstat* τῷ *dare stultorum sacrificium. Ecce, audire* divina præcepta, eaque adimplere, *præstat sacrificio* et τῷ *attendere adipi arietum, quia non sunt illi* stulti *scientes* se *facere malum*, dum scilicet sumptuosas victimas offerunt, minime vero vitam et mores ad leges divinas instituunt.

et obscena spectacula, et impia et profana loca. De aliis quoque humani corporis membris idem intellige faciendum.» Hunc esse sensum liquet ex eo quod subditur: «Et appropinqua ut audias,» *q. d.* Custodi pedem ne quo evagetur, sed recta tendat ad audiendum Deum, ejusque legem quæ ad altare a sacerdote legitur et explicatur. Unde Campensis vertit, *ingressurus domum Dei, vide diligenter quid faciendum sit tibi, et scito illum proxime tibi adesse et audire cuncta.*

Pedes sunt affectus, cur?

Symbolice, pedes, teste S. Gregorio, S. Augustino, S. Basilio, Origene, S. Hieronymo et aliis passim, notant affectus animi: quia sicut pedibus itur ad locum destinatum, sic affectibus itur ad opus externum. Affectus ego sunt quasi pedes animæ, quibus ipsa se movet et promovet ad opus. Sensus ergo est, *q. d.* Ingressurus templum custodi pedes, id est affectus animæ, ne quid animo volvas aut concupiscas Deo indignum, vetitum, ingratum; sed omnes cogitationes et affectus converte in Deum, ad eum puro corde, affectu et desiderio colendum, invocandum, amandum. Hinc Chaldæus vertit, *tu, fili hominis, custodi pedes tuos in tempore, quo ieris in domum sanctuarii ad orandum, ne venias eo plenus peccatis ante Dominum, quoad convertaris.* Quocirca custodiam hanc pedis David explicat per innocentiam manuum et munditiam cordis; utramque enim requirit in ingressuris domum Dei, dum *Psal.* XIV, 1, interrogat: « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?» ac respondet *Psal.* XXIII, 3: «Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam,» id est qui nullam rem vanam et caducam concupiscit, ait

Reverentia in templo.

Theodoretus: «hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo.» Et Isaias, cap. XXXIII, 15: «Qui, inquit, ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam, etc., regem in decore suo videbunt oculi ejus.» Vide ibi dicta. Ita Salonius: « Quamvis, inquit, semper honeste et cum timore ac silentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis docet custodiendum, sed pedem animæ, i. e. gressum mentis, ut in conspectu Dei mundas preces effundamus. Quando igitur ingrederis Ecclesiam, custodi gressum mentis tuæ, ne offendas in malis cogitationibus, ut oratio tua pura dirigatur.» S. Gregorius Neocæsariensis: « Porro, inquit, quantum ad Ecclesiam attinet, principio vitæ tuæ rationem habe, ut ipse rectus ambules.» Consonat S. Hieronymus dicens: « Præcepta vitæ dat, et non vult offendere euntes ad Ecclesiam. Non enim ingredi in domum Dei, sed sine offensione ingredi, laudis est.» Uberius Titelmannus: « Cum ingredi volueris domum Dei, vide ut mundi sint pedes tui, neve (ut in Proverbio est) illotis pedibus in eam irruas, non attendens reverentiam quam debes exhibere erga locum sanctum divino cultui dedicatum, et divina præsentia peculiariter sanctificatum.» Hoc est custodire pedem, observare ut mundus introeas. Hinc illud Davidicum: « Domum tuam decet sanctitudo, Domine,» *Psal.* XCII, 5. Cajetanus ex Hebræo vertit, *domi tuæ pulchruit sanctitas*, hoc est, inquit, *sanctitas et pulchritudo christianorum.*

Ratio a priori.

Ratio a priori est, quod templum sit locus Deo consecratus, ideoque Dei domus et thronus: quare sicut reveremur regem in throno, ita longe magis Deum in templo, velut domo sua residentem. Origo hujus nomenclaturæ, quod scilicet templum sit et vocetur domus Dei, fuit visio Jacobo a Deo exhibita, *Genes.* XXVIII, 12: Jacob enim « vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum: angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam; et Dominum innixum scalæ, etc. Cumque evigilasset de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli. Appellavitque nomen urbis Bethel,» id est domus Dei. Chaldæus vertit, *quam terribilis est locus iste! non est locus communis, sed locus ad quem voluntas est ab ipso Domino*, id est quem ut sibi placitum voluit, et ex omnibus selegit sibi Deus. Huc facit præceptum ac promissum a Deo factum Moysi, *Levit.* XIX: « A sanctis (Hebr. a *sanctitate*, id est a sanctuario) meis timebitis.» Et cap. XXVI, 11: « Ponam tabernaculum meum in medio vestri, etc. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.» Et *Psal.* LXIV, 5: « Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.» Et *Jeremiæ* cap. VII, vers. 2: « Audite, inquit, verbum Domini, omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. Bonas facite vias vestras et studia vestra: et habitabo vobiscum in loco isto.»

Hinc particulatim nonnulli exponunt hunc locum de odio, *q. d.* Ingressurus templum, custodi pedem, id est, affectum animæ tuæ ab odio; sed « si frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum,» ut jubet Christus *Matth.* cap. V, 23 et 24. « Deus (enim) charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo,» ut ait S. Joannes: I *epist.* IV, 16: quare si accedis ad Deum, qui pura meraque est charitas, odium omne deponas necesse est.

Moraliter, de veneratione templi.

Moraliter, hic disce quanta reverentia debeatur locis sacris. Audi S. Chrysostomum, hom. 15 *in epist. ad Hebræos*: « In aulam, inquit, regiam intraturus et habitu, et oculis, et incessu, et in cunctis aliis componis et ornas temetipsum; in templum autem ingressurus, ubi vere aula regia est, et talis qualis est cœlestis, rides? Tu quidem non vides: audi tamen, quia angeli præsentes sunt ubique, maxime in domo Dei, ubi astant regi, et omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus.»

Quin et Seneca, lib. VII *Natur. Quæst.* cap. XXX et XXXI: «Egregie Aristoteles ait nunquam nos

verecundiores esse debere, quam cum de Deo agitur. Si intramus templa compositi, sed ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de Deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter aut ignoranter affirmemus, aut scientes mentiamur? » Externa enim morum compositio, vel dissolutio, index est internæ, juxta illud *Eccli.* XIX, 27 : « Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. » Vide ibi dicta; ubi inter alia recensui S. Ambrosium noluisse quemdam promovere ad sacerdotium, eo quod ex immodesto et inconcinno ejus incessu, conjiceret similem mentis immodestiam et inconcinnitatem, qualem revera postmodum in eo deprehendit. Ita S. Martinus, teste Sulpicio in ejus Vita, in templo semper genuflexus vel erectus, nunquam vero sedens, pallido pavidoque vultu orabat. Rogatus causam dixit : « Non timebo consistens hic coram Deo meo? » Unde meruit ut crebro visitaretur a S. Petro, Paulo, Agnete, Thecla, atque ab ipsa B. Virgine. In templo enim, quasi in domo, Deus ut paterfamilias residet, ut reverenter ad se accedentes audiat et exaudiat : quare ibi est liberalissimus, et omnia quæ rite postulantur concedit, juxta illud : « Quoniam illic (in templo ait Theodoretus) mandavit Dominus benedictionem (omnis boni copiam), et vitam usque in sæculum, » *Psalm.* CXXXII. 3. Unde idem aiebat : « Replebimur in bonis domus tuæ, » *Psalm.* LXIV, 5. Et : « Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, » *Psalm.* V, 8. Idem postulat et impetrat Salomon toto cap. VIII, lib. III *Regum.*

In templo Deus est liberalis, eu ?

Ex adverso, Deus irreverentiam et injuriam templo illatam excidio gentium et urbium ulciscitur, uti hac de causa excidit Hierosolymam et Judæos. Unde Sophonias, cap. I, vers. 9 : « Visitabo, ait, super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa : qui complent domum Domini iniquitate et dolo. » Et *Amos* cap. VI, vers. 1, væ intentat in « optimates ingredientes pompatice domum Israel. » Quare ubi violantur templa et religio, ibi certa imminet Dei ira et vindicta, certumque urbis vel religionis excidium.

Anagogice pes significat vias, modos, rationes vivendi, quas purissimas conservare oportet, ut ingrediamur in templum cœlestis Jerusalem. Nam « non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut ab ominationem faciens, et mendacium, » *Apoc.* XXI, 27. Si ergo eo ingredi optas, si regnare cum Christo, animi affectus comprime, eosque velut mentis pedes illuc dirige, audiendo et obediendo præceptis Dei, cui hoc placet magis quam victimæ stultorum.

ET APPROPINQUA UT AUDIAS. — Ex Hebræo varie vertunt... mo Arabicus, *anteito proximum tuum ad audiendum, q. d.* Alacer et celeriter adito templum. *Secundo,* Syrus et alii hæc nectunt sequent. hoc modo, *accedere ad audiendum melius est donis stultorum;* quod Noster vertit, *melior est enim obedientia quam stultorum victimæ. Tertio,* Vatablus et Pagninus, *quia propinquior et propensior est* (Deus) *ad audiendum preces tuas magis quam ad suscipiendum sacrificium quod darent stulti. Quarto,* Campensis, *et scito illum* (Deum) *proximè tibi adesse et audire cuncta.*

Verum melius vertit Noster, *et appropinqua ut audias,* quia Septuaginta vertunt, *et propinquus ad audiendum.* Et Chaldæus id explicans : *Applica,* ait, *aurem tuam ad suscipiendam doctrinam legis a sacerdotibus et sapientibus;* templa enim eriguntur tres ob fines : *primo,* ad sacrificandum; *secundo,* ad orandum; *tertio,* ad audiendum Dei verbum. Docet ergo ad templum eundum magis hoc fine, ut audiamus Deum, quam ut audiamur a Deo, imo ut audiamur a Deo, prius debere audire Deum, tum exterius, tum interius per sanctas inspirationes cordi nostro loquentem : qua ratione enim Deus audiet eum qui ipsummet loquentem audire renuit? Vis ergo ut te audiat Deus, tu prior audi eum, ejusque legi et jussis obedi. Τὸ enim *ad audiendum* hic sumitur in actu perfecto, significatque audire ita ut obedias. Audit igitur, qui auditu percipit, et audita custodit opereque exsequitur. Hic enim habet aurem audientem et obedientem, ut ait Moyses *Exodi* cap. XX, vers. 18, et Salomon *Proverb.* cap. XXV, 12. Sive aures audiendi, ut ait Christus *Matth.* cap. XI, 15. Noster Lorinus hebræum קרב *karob,* id est *appropqua,* vertit, *offer;* inde enim קרבן *carban* vocatur *oblatio,* quia res offerenda appropinquat altari et Deo. Summa enim oblatio est audire et obedire Deo. Verum קרב *karab* significat offerre in conjugatione *Hiphil,* non in *Cal,* uti est *karob.* Adde non recte dici : « Offer victimam ad audiendum. » Mystice Hugo Cardinalis : Τὸ *appropinqua* significat, inquit, ei exeundum de terra, qui res cœlestes velit audire.

MULTO ENIM MELIOR EST OBEDIENTIA QUAM STULTORUM VICTIMÆ. — Hebræa concise sic habent, *et appropinqua,* vel *appropinquare* (Hebræum enim קרב *karob* tam est modi infinitivi, quam imperativi) *ad audiendum præ dare stultos sacrificium,* quod Noster clare explicuit dicens : « Appropinqua Deo; multo enim melior est obedientia (qua audis et obedis Deo) quam stultorum victimæ. » Et Syrus, *accedere ad audiendum melius est donis stultorum.* Et Arabicus, *et sit sacrificium tuum præstantius donis insipientium.* Et clare Chaldæus, *applica aurem tuam ad suscipiendam doctrinam legis a sacerdotibus et sapientibus, et non* (facias) *sicut stulti, qui hostias pro peccatis offerunt, neque tamen se a nefandis operibus, quæ manibus suis quasi concluserunt, avocant.* Sic et Tigurina. Paulo aliter S. Hieronymus in veteri editione : *super donum enim insipientium,* inquit, *sacrificium*

turum, scilicet erit, si Deum audieris, uti præcessit, quod eodem redit. Campensis vero hæc refert ad battologiam et multiloquium in orando : *Et scito*, inquit, *illum tibi proxime adesse et audire cuncta : quare cave ne multis verbis cum illo agas stultorum more.*

Porro, « melior est obedientia quam victimæ, quia per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur, ait S. Gregorius, XXXV *Moral.* x. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante oculos ejus repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat. » Quanto ergo præstat voluntas carne, tanto præstat obedientia victimis. Vide Hieronymum Platum, lib. I *De Bono status relig.* cap. I, et lib. II, cap. V.

Simile est illud : « Misericordiam volui, et non sacrificium, » *Oseæ* VI, 6. Vide ibi dicta. Hanc Salomonis sententiam primitus Samuel objecit Sauli, qui præter voluntatem Samuelis et Dei sacrificarat, ideoque regno et vita privatus est : « Melior est enim, inquit, obedientia quam victimæ : et auscultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare : et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, I *Reg.* XV, 22. Ubi vide S. Gregorium. Deinde eamdem usurpavit David in persona Christi : « Sacrificium, inquit, et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi, etc. Tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam : Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei », *Psal.* XXXIX, 7; *Hebr.* X, 5, ubi fuse hac de re egi.

QUI NESCIUNT QUID FACIUNT MALI. — Pagninus, *qui nesciunt facere voluntatem ejus*, scilicet Dei; hebræum enim רע *ra*, id est *malum* chaldaice significat *voluntatem* : רעה *raa* enim chaldæum, idem est quod hebraice רצה *ratsa*, id est *velle complacere*. Vatablus, *quia nesciunt facere nisi malum;* Campensis, *quorum opera sunt ingrata Deo, quæ faciunt;* Clarius, *nesciunt aliud quam facere malum;* R. David, *nesciunt aptare et corrigere malum quod habet sacrificium ipsorum;* alius, *quia non ipsi scientes* (sed ignorantes et insipientes) *ad faciendum malum*. Sicut enim sciens et sapiens facit bonum, sic ignorans et insipiens facit malum : Hebræa enim concisa sunt, et nonnulla supplenda relinquunt; unde varie verti possunt. Noster cum Septuaginta optime vertit supplendo τὸ *quid*. Sensus est, *q. d.* Obedientia est melior quam victimæ stultorum, id est impiorum, quia hi etsi victimas in se bonas offerant, tamen multa perpetrant mala quæ ipsimet sæpe nesciunt, vel non advertunt. Adeo enim præcipites feruntur ad explendas suas concupiscentias, ut quantum in eis mali insit, non advertant. Similiter dum offerunt victimas, multa ignoranter et irreverenter in oblatione committunt, ac imprimis quod peccatis oppleti, nec de eis pœnitentes, sed iis immorantes contra legem et voluntatem Dei eas offerant, quo fit ut suis victimis magis Deum offendant, quam placent; sed ipsi hæc non advertunt, putantque Deum nudis victimis placari : qua in re graviter falluntur, ideoque insipientes sunt et stulti. Tales et hodie multi sunt apud christianos. Hinc Chaldæus vertit, *ideo Dominus animo placato ea non suscipiet, cum nec illi inter bonum et malum facere discrimen norint*. Hoc ipsum ignorant esse malum et peccatum, non obedientia et operibus bonis, ait S. Hieronymus, sed donis et victimis emendare velle, quod fecerint; præsumendo se per solas victimas justificari, inquit Cajetanus; et quod in male offerendo careat zelus discretionis judicio, inquit Olympiodorus; et quod putant se illa ipsa in re benefacere, ait Carthusianus; quia putant sine obedientia se solis externis muneribus placare Deum, ait Titelmannus, mentiuntur enim Deum ex se et sui similibus, quasi Deus placetur donis et xeniis, uti placantur homines. Ignorant ergo quid Deo gratum sit, quid ingratum, idcirco totos se dant externis cæremoniis, nil de interna puritate et pietate curantes. Perversum ergo habent de virtute et de Deo judicium, ac utrique insignem injuriam irrogant, dum censent Deum colendum carneis victimis, non in spiritu et veritate adorandum. Denique Thaumaturgus totum hunc versum applicat Ecclesiastæ, id est concionatori; sic enim vertit, *porro Ecclesiastæ est munus imprimis ut vitæ suæ rationem habeat, et ipse rectus ambulet; dein pro insipientibus precetur, ut in posterum recepto intellectu, mala opera vitare discant*. Verum hæc versio ab Hebræo, Græco, Latino, Syro et Arabico dissonat.

Ab iisdem pariter dissonat, esto minus, Isidorus Clarius, dum vertit, *custodi pedem tuum ingrediens domum Dei qui propinquus est ut audiat. Ne des sacrificium stultorum, qui nesciunt aliud quam facere malum;* sicque explicat, *q. d.* Proxime adest Deus, ad audiendum omnia tua. Ne ergo multis verbis cum eo agas, stultorum more : quorum sunt Deo ingrata, quæ faciunt omnia, scilicet etiam sacrificia; quippe cum plenas habeant manus sanguine, ob rapinas et homicidia.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit dare præcepta de modo orandi et colendi Deum, ac tria assignat : primum, ne temere quis multa effutiat coram Deo; secundum, ne temere quid voveat, sed prudenter, idque expleat; tertium, venerandam esse Dei providentiam, etiam dum permittit pauperes opprimi, ac vim inferri justitiæ. Hinc inserit quædam de vanitate somniorum. Deinde, vers. 9, transit ad vanitatem avaritiæ; præsertim quod illa avarum nunquam satiari sinat, quodque ille sæpe congerat opes in sui noxam et necem. Unde, vers. 17, concludit felicitatem non consistere in opibus, sed in frugali et honesto opum usu.

1. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram : idcirco sint pauci sermones tui. 2. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia. 3. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde : 4. multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. 5. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam : neque dicas coram angelo : Non est providentia; ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. 6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri : tu vero Deum time. 7. Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio : quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, 8. et insuper universæ terræ rex imperat servienti. 9. Avarus non implebitur pecunia : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis : et hoc ergo vanitas. 10. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? 11. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat : saturitas autem divitis non sinit eum dormire. 12. Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. 13. Pereunt enim in afflictione pessima : generavit filium, qui in summa egestate erit. 14. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. 15. Miserabilis prorsus infirmitas : quo modo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum? 16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris et in curis multis, et in ærumna atque tristitia. 17. Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus : et hæc est pars illius. 18. Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo : hoc est donum Dei. 19. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus.

vers. 1. 1. NE TEMERE QUID LOQUARIS, NEQUE COR TUUM SIT VELOX AD PROFERENDUM SERMONEM CORAM DEO. DEUS ENIM EST IN COELO, ET TU SUPER TERRAM : IDCIRCO SINT PAUCI SERMONES TUI. — Hebraice, אל תבהל *al tebahel*, id est, *ne acceleres ex sollicitudine*, et mentis æstu, ne præcipites, ne tumultueris, ne percellas, sicut audaces, potentes et impudentes verba accelerant et præcipitant, ut iis velut grandinibus percellant, obruantque audientem, cogantque eum facere id quod ipsi petunt. Simili enim modo quidam fideles, sed rudes in oratione verba multiplicant et præcipitant, quasi iis cogere velint Deum, ut det quod postulant; et sicut faciunt balbi et blæsi, qui quia celeres habent phantasiæ motus, ut eos verbis nequeant assequi, et eloqui, quia phantasiæ celeritas linguæ tarditatem antevertit et prævolat, hinc balbutiunt. Conantur enim et solliciti sunt, ut celeritatem cogitandi celeritate loquendi adæquent, ideoque verba præcipitant, confundunt, balbutiunt, eoque magis quo celerius loqui satagunt, uti docet Aristoteles, sect 3. *Problem.* in 30. No-

tatur ergo et carpitur hic præcipitatio oris, proveniens ex corde cupiditatibus et passionibus ardente et æstuante. Unde Septuaginta vertunt, *noli festinare in ore tuo*; Syrus et Arabicus, *ne velox sis in ore tuo, et ne acceleret cor tuum ad proferendum verbum*; Noster, *ne temere quid loquaris*; Symmachus, *ne sis* προπετής, *id est præceps, temerarius, pronus et corruens, audax, effrenatus, immodestus, inconsideratus ad loquendum.* Tigurina, *ne quid præcipitanter loquaris*; Costus et Chaldæus vertit, *ne inconsulto sermone prorumpas in verborum strepitum, neque præceps animus tuus feratur, ut vim et orationis aculeos effundas, cum tu ad Deum precaturus venis.*

Porro Georgius Cedrenus in *Compendio hist.* cap. IX, taxans Origenem, quod libros plurimos non tam componeret, quam temere effunderet, aliter legit : « A librorum, inquit, compositione et multitudine *syntacticus*, quasi compositor, dictus fuit. Apparet eum non paruisse Salomonis dicto ita præcipientis : Fili, cave ne multos libros facias, neque festina loqui, neque properet animus tuus coram Deo verba facere. »

Verum hæc lectio ab Hebræo, Græco, Latino et cæteris dissonat.

Multiloquium quadruplex.

Igitur temerarius et velox sermo coram Deo est præceps multiloquium, idque quadruplex : *primo*, quod fit de qualibet re in præsentia Dei; *secundo*, quod fit de ipso Deo; *tertio*, quod fit Deo per votum; *quarto*, quod fit coram Deo per orationem : hinc quadruplex oritur sensus.

Primo enim Thaumaturgus, Olympiodorus, Bonaventura, Hugo Cardinalis censent hic præcipi silentium et moderationem linguæ in qualibet locutione, eo quod coram Deo, id est in Dei præsentia, agamus et loquamur quidquid agimus et loquimur. Audi Thaumaturgum : « Tum etiam perpulchrum fuerit lingua parce, pectore autem constanter uti. Nam licet absurdis quibusdam motibus impetatur animus, dedecus tamen foret eos continuo effutire, motibusque esse minus compositis. Licet enim a cœlo longe distemus (quod diligenter advertendum est), præsenti tamen auscultantique Deo loquimur. Graviter itaque loqui utilissimum. »

Nam, ut docet Aristoteles, lib. IV *Ethic.* cap. III, magnanimi habent motum tardum, vocem gravem, locutionem tardam stabilemque. « Nam neque qui circa pauca studet, inquit, est festinabundus; neque qui nihil magnum existimat, contentus et vehemens. Acuta autem vox, et celeritas ex his efficitur, » qui sunt pusillanimes.

Secundo, pressius S. Hieronymus τὸ *coram Deo* exponit *de Deo*. « Jubet, inquit, ne aut loquentes, aut cogitantes, plus de Deo quam possumus opinemur, sed sciamus imbecillitatem nostram, quod quantum distat cœlum a terra, tantum nostra opinio ab illius natura separatur. » Sic et Hugo Victorinus, Lyranus, Titelmannus, Dionysius et alii. Præclare Hugo Ætherianus, lib. II *De Hæresi* : « Sicut, inquit, qui Ægyptiam palmam gustarit, mens ejus obstupescit : sic lingua retardatur, cum dicendum est de Deo. » Lactantius, lib. *De Ira Dei*, celebrat illam Platonis sententiam in *Timæo* : « Majestas Dei tanta est, ut nec mente comprehendi, nec lingua exprimi possit; » et illam Socratis : « Formam Dei non oportet conquiri. » Cui similis est illa Trismegisti *ad Tatium* : « Deum invenire difficile; cum inveneris, menteve conceperis, indicare in vulgus nefas; enarrare verbis impossibile, ob nimiam et inæstimabilem ejus potestatem. » Quocirca Cicero *pro lege Manil.* : « Domini, inquit, timide de potestate deorum et pauca dicenda sunt. »

Tertio, arctius alii apud S. Hieronymum, censent hic agi de voto, vetarique ne quid temere voveamus coram Deo, id est ipsimet Deo. Verum de voto agetur vers. 3.

Quarto ergo et genuine, agitur hic de oratione : hæc enim fit coram Deo; unde Campensis vertit, *ne præceps sis in lingua tua oratura Deum.* Jubet ergo ne in oratione simus præcipites, verbosi et polylogi, ut quidquid in buccam venit, quidquid cor, vel concupiscentia suggerit, coram Deo promamus.

Rursum ne in oratione simus leves, impræmeditati et imprudentes; sed prius meditemur quid orare et postulare conveniat, ne petamus aliquid Deo indignum, vel nobis noxium. Sub oratione accipe quamvis Dei invocationem, sive ea fiat per juramentum, sive per votum, sive per exorcismum, sive per aliam rationem et modum, *q. d.* Ne temere quid jures per Deum, ut eum invoces faciasque testem rei vanæ, vel falsæ; nec præcipitanter quid voveas Deo, sed prius cogita an id quod voves, Deo gratum sit, ac tibi utile et facile, ut de executione non dubites; ne temere diabolum, vel res creatas per Dei nomen conjures, etc. Vetatur enim hic omnis irreverentia, quæ fit Deo per præcipitem nominis ipsius sanctissimi invocationem. Unde generale hoc præceptum particulatim de voto explicans, subdit : « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, etc. » Ita Chaldæus : « Non accelerabis, ait, super dictum tuum, ut confundas eloquia oris tui; et cor tuum non festinabit proferre loquelam in tempore, quo tu oras ante Dominum : namque Dominus imperat super omnem mundum, et sedet super solium gloriæ in cœlis altissimis, et tu sedes super terram, propterea erunt verba oris tui modica. » Taxat gentiles, qui putabant Deum flecti bellis sermonibus et orationibus, quibus Cicero et oratores flectebant judices ad misericordiam vel vindictam, contra quos Christus *Matth.* cap. VI, 7 : « Orantes autem, inquit, nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. »

Rursum gentiles putabant Jovem et deos dormire, vel alio profectum abesse, aut bibere in diversorio, vel aliis negotiis occupatum disti-

neri : quare ut eum excitarent, et attentum facerent, multis magnisque clamoribus orabant, ut sacerdotibus Baal improperat Elias, III *Reg.* XVIII, 27 : « Clamate, inquit, voce majore : Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. »

Vere Seneca, lib. II *De Benef.* cap. 1 : « Vota, inquit, homines parcius facerent, si palam facienda essent. » Et rursum : « Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat ; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. »

Præclare Nyssenus in *Orat. Dominicam* : « Qui in tempore orationis, ait, in ea, quæ animæ conducunt, intentus non est, sed vitiosis et perturbatis animi sui motibus Deum obsequi postulat, nugator quidem revera, atque blaterator est; quippe qui oret ut Deus suarum ineptiarum et vanitatum adjutor et minister fiat. »

Vetat ergo hic Salomon ne ex vitiosa animi cupiditate, libidine, petulantia, præcipitatione, inconsideratione quid oremus vel effutiamus coram Deo, sed prius prudenter juxta dictamen rectæ rationis expendamus, quid et quale, quantumque a Deo petere oporteat, ne irreverentiæ crimen incurramus, ideoque sobrie et parce coram Deo loquamur. Deus enim est cardiognostes, id est cordium scrutator, ideoque magis attendit cor et mentem, quam linguam orantis. Maxime autem notatur et carpitur hic præceps in multiloquio, et oratione celeritas. Eamdem carpsit *Prov.* XXIX, 20 : « Vidisti, ait, hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. » Et S. Jacobus, cap. I, 19 : « Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. » « Festinatio indicat judicium, quod loquens habet de sua ipsius sapientia, quasi alii præferenda sit, neque sit diu sibi expectandum in proferenda sententia, ne alius prævertat. Confusio illa verborum nascitur ex nimia præcipitatione loquendi, » ait recte noster Lorinus.

DEUS ENIM IN COELO, TU SUPER TERRAM. — Septuaginta, *quia Deus in cœlo sursum, et tu super terram*; addunt aliqui, *deorsum*; Campensis, *Deus e cœlo videt tua omnia, qui in terra degis*; Olympiodorus, *Deus enim qui in altissima cœlorum specula sedem habet, quæ in imo sunt, conspicit universa.* Sensus ergo est :

Prope cum Deo agendum. Primo.

Primo, q. d. Noli in oratione verba multiplicare et præcipitare, quasi Deum excitaturus ad audiendum, et concedendum quod petis, quia Deus e cœlo cominus terram, et omnia quæ in terra fiunt, intuetur. Quare cominus intuetur et audit omnia quæ postulas : « Cœlum enim sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, » ait ipse *Isaiæ* LXVI, 1. Quare sicut sedes vicina est scabello, sic cœlum vicinum est terræ; at Deus residens in cœlo, e vicino audit te in terra, quasi ad scabellum sedis suæ orantem. Ita Thaumaturgus. Addit Cajetanus : Cœlum semper est præsens terræ, nec terra a cœlo elongatur, *q. d.* Deus nunquam discedit, aut recedit a cœlo, ac consequenter nec a terra : quare nulla est ratio festinandi et accelerandi preces : Deus enim semper præsens et immotus consistit ut eas audiat.

Secundo

Secundo et nervosius, *q. d.* Deus in celsissimo cœli solio gloriosus residet, tu autem in humili vilique terra, supplex humi oraturus procumbis. Quare decet te reverenter cum timore, et tremore, ac submisse paucisque Deum alloqui, et dicere cum Abrahamo : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, » *Genes.* XVIII, 27. Cum ergo sis vilis et infimus, par est ut summam Dei majestatem in cœlo regnantem, summa demissione et veneratione interpelles. Unde Costus et Chaldæus vertit, *nam in universum orbem principatum obtinet Deus, sedetque in summo cœlo, velut in sede gloriæ : tu vero cum depressus humi jaceas, in dicendo moderatione utere.* Porro Vatablus interpretatur, *Deus est verax, tu autem mendax, ignorans et insipiens.* Idcirco pauca, eaque præmeditate, coram Deo loquere, ne his te falsitatis, ignorantiæ et insipientiæ coarguat.

Tertio.

Tertio, sicut cœlum complectitur, fovet, regit, illustrat et fecundat terram, sic et Deus homines se invocantes : quare non multis verbis in oratione ad eum est opus, sed pio affectu, resignatione et fiducia, qua credamus et speremus ab eo omnia quæ poscimus, si nobis salutifera sint : in illius ergo sancta providentia, silentes et sperantes recumbamus, et securi conquiescamus.

IDCIRCO SINT PAUCI (*diligenti examinatione perpensi*, ait Olympiodorus) SERMONES TUI. — Tum ob rationes jam dictas, tum quia Deus e cœlo totam teram, et omnia quæ in ea fiunt, velut exiguum globulum pellucidum pervidet et perspicit, uti raptus in Deum, eumdem totum perspexit S. Benedictus, teste S. Gregorio, IV *Dial.* cap. XXXVI; quare cum Deus tuas preces, ærumnas et desideria perspiciat, non est quod ea multis illi explices, utpote jam illi cognita. *Secundo*, quia sicut coram principe paucis agendum est, reverentiæ causa, sic magis coram Deo. *Tertio*, quia Deus e cœlo pervidet affectum cordis, eumque poscit; non sonum, copiamque verborum. Unde Mosi silenti, sed summe desideranti dicebat : « Quid clamas ad me? » clamor enim in Dei auribus est vehemens affectus, et desiderium, *Exodi* XIV, 15. Hinc S. Franciscus totam noctem orans, ac e terra sublevatus in cœlum, non aliud dicebat, quam : « Quis tu, Domine? quis ego? Deus meus et omnia; » sed hisce verbis totum cordis affectum in Deum effundebat. Sic Martha et Maria, Lazaro ægrotante, non aliud nuntiarunt Christo, quam : « Ecce quem amas infirmatur, » *Joan.* XI; quem enim amas, non deseris : amanti sat est indicasse necessitatem et voluntatem amati. Et David, *Psalm.* CXLI, 3 : « Tribulationem meam, ait, ante ipsum pronuntio, » id est verbo enuntio; Arabicus, *projeci inter manus ejus voluntatem meam, detuli apud eum.*

Quarto. *Quarto,* quia Deus, qui ex alto omnia uno mentis cernit in ictu, omniaque dicit et eloquitur unico mentis suæ verbo, videt et ridet nostrum in oratione multiloquium, postulata temeraria et stulta judicia : quia « sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris, » ait ipse *Isaiæ,* cap. LV, 9.

Huc facit symbolum Pythagoræ : « In astrum nunquam digitum intendas, » id est de cœlitibus et summis viris nil temere loquaris. Et illud ejusdem : « Dei imaginem in annulo ne circumferas, » id est de divinis parce disseras. Et illud Syrorum : « Ne os et vultum contra solem obfirmes, » id est, ne oblucteris Deo aut principibus; ne illis contradicas, aut maledicas.

Vers. 2. 2. MULTAS CURAS SEQUUNTUR SOMNIA, ET IN MULTIS SERMONIBUS INVENIETUR STULTITIA. — « Et, » id est *sic* : comparat enim curas sermonibus multis, et somnia stultitiæ, quod sicut ex curis sequuntur somnia, sic ex multis sermonibus stultitia; Hebræa, *vox inconstantis,* id est *stulti;* Tigurina, *nam in multa occupatione occurrit somnium, et in multis verbis stulti vox erumpit;* Campensis, *sicut diurnæ curæ gignunt somnium, ita multa verba stultam faciunt orationem;* Chaldæus, *quoniam sicut venit somnium propter cogitationes cordis in multis negotiis, similiter est vox stultorum in multis verbis otiosis;* vel, ut vertit Costus, *sic et stultorum vox ad verborum inanium varietatem fertur.*

Hic versus pendet a præcedenti, ejusque dat causam cur scilicet sermones coram Deo debeant esse pauci; unde juxta quadruplex multiloquium coram Deo, initio versus assignatum, quadruplex hic oritur sensus.

Primo enim, absolute et generatim multi sermones possunt significare quodlibet multiloquium, et quamlibet garrulitatem, quæ fit coram Deo, id est Deo intuente et audiente, *q. d.* Vetui quodvis multiloquium, quia illud communiter comitatur stultitia, sicut curas multas comitantur somnia. Hæc enim est causa adæquata cur vetuerit multiloquium, et præcipitationem loquendi, quia scilicet in omni multiloquio invenitur stultitia : hæc enim illius partim est causa, partim effectus. Causa, quia qui multa garrit, multa impertinentia, futilia, vana et stulta, imo falsa effutit, quæ eum stultiorem efficiunt. Effectus, quia garrulitas prodit ex mente vaga, errante, inconstante, delira. Ita Lyranus, Cajetanus, Titelmannus, Vatablus et alii. Accedit Olympiodorus qui sic exponit, *sicut qui per diem multis tentationibus curisque agitantur, per quietem subinde somnis conturbantur : ita et stultus in multiquio peccans, sua ipsius voce arguitur.*

Secundo, multiloquium coram Deo accipi potest garrulitas de Deo rebusque divinis, de qua sic exponit S. Hieronymus : « Præcipit, inquit, ne aut loquentes, aut cogitantes, plus de Deo quam possumus, opinemur, sed sciamus imbecillitatem nostram, quod quantum distat cœlum a terra, tantum nostra opinatio a natura illius separetur, et idcirco debere verba nostra esse moderata. Sicut enim qui in multis cogitationibus est, ea somniat frequenter, de quibus cogitat : ita qui plura voluerit de divinitate disserere, incidit in stultitiam. Vel certe sic : Verba nostra pauca ideo esse debere, quod etiam ea quæ nosse nos arbitramur, per speculum videmus, et in ænigmate, et velut somnium comprehendimus, quod tenere nos æstimamus. Cumque plura (ut visum nobis fuerit) dixerimus, finem disputationis nostræ esse stultitiam. Ex multiloquio enim nos non effugere peccatum. »

Accedit Auctor *Catenæ Græc.,* qui et causam subdit : « Nec enim, inquit, fieri potest, ut homo qui sensili natura constat, et omnem suam cogitationem a sensibus mutuatur, is recte et citra errorem de Deo disputet, » *Prov.* X, utpote spiritali et incorporeo.

Tertio, multiloquium coram Deo potest accipi præcipitatio ad vovendum. Hujus enim comes est stultitia, dum vel stulta, aut contraria vovet, aut stulte vota tot et tanta explere non vult, imo non potest. Denique hæc vota prodeunt ex mente inconstante, insipiente et stulta.

Quarto et magis presse ac proprie, per multiloquium coram Deo significatur præcipitatio, et multiloquium precum, quæ procedit ex animo variis desideriis agitato, ac cupiditatibus et sollicitudinibus æstuante et perturbato : hoc enim significat Hebræum תבהל *tebahel* vers. præced. Talis enim oratio procedit ex anima cupida, perturbata et stulta : ideoque multa similia effutit et precatur. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut multitudo curarum præsertim inanium et futilium prodit ex mente inani et futili, ac variis desideriis æstuante, paritque somnia inania, futilia et perturbata : sic pariter multitudo sermonum et precum prodit ex mente vaga, instabili ac variis cupidinibus et passionibus jactata, ideoque inconstante et stulta, ac proinde multa contraria, perturbata et stulta effutit ac postulat, quæ eam stultam stultiorem efficiunt : quod enim nunc petit, mox renuit; quod nunc placet, mox displicet; quod nunc ait, mox negat. Ergo multiloquium in orando prodit augetque orantis stultitiam, id est mentis variis et inter se pugnantibus cupiditatibus agitatæ et impulsæ inconstantiam. Hanc enim significat Hebræum *kesil.* Sic enim ad verbum habent Hebræa, *quia venit somnium in multitudine occupationis, et vox inconstantis,* sive *stulti in multitudine verborum.*

Somnium est stultitia. Primo. Porro apte comparat multas curas multis sermonibus, quia multæ curæ pariunt multos sermones : quæ enim mens cupit et curat, hæc eloquitur; somnium vero apposite comparatur stultitiæ. *Primo,* quia somnia sunt quædam phantasiæ ludibria et deliria, et vicissim stultitiæ et deliria sunt quasi mentis emotæ et aberrantis som-

nia. Sicut ergo somnia sunt deliria dormientium: sic stultitiæ sunt deliria æque ac somnia vigilantium.

Secundo. *Secundo*, sicut somnia prodeunt ex animo curis agitato, sic stultitia ex anima variis cupiditatibus, quas per multiloquium prodit, æstuante. Vere Seneca in *Octavia* hanc somniorum dat causam: « Quæcumque, inquit, mentis cogitat infestus vigor, ea per quietem sacer, et arcanus refert, veloxque sensus. » Et Claudianus, *De Raptu Proserpinæ*:

> Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
> Tempore nocturno reddit amica quies.

Tertio. *Tertio*, sicut in somniis mentis perturbatæ propter rerum variarum, ait Pineda, atque multarum imagines, atque phantasmata concursantia, et nonnullo ordine rerum et intelligentiæ servato, tumultuario et confuse menti impressa, et memoriæ tradita, necesse est multa inesse deliria, et specierum atque simulacrorum ingentem perturbationem et confusionem, qualia sunt ebriorum, et furentium hominum insomnia, quæ Hippocrates aliquando appellavit « peregrinas opiniones, quæ mentem exterrent: » ita sane multa verba non possunt non parere multam in narrando, pollicendo, vovendo, aut quidpiam aliud verbis et sermone tractando stultitiam, inconstantiam et delirationem.

Quarto. *Quarto*, quia crebræ stultitiæ et stultiloquia pariunt stulta insomnia. Ita Olympiodorus. « Ne, inquit, multiloquus esto ac nugax, neque stultitiam tibi insitam tuo profer sermone; quoniam multæ nugacibus adveniunt tentationes, quæ ipsos interdiu non solum vigilantes conturbent, sed per quietem quoque dormientes exterreant. »

Porro Septuaginta hic variant. Vaticani enim et Regii Græcum περιφάσμοῦ vertunt, *quia advenit somnium in multitudine sollicitudinis, et vox stulti in multiplicatione sermonum.* Sic et Syrus; Complutenses vero, *quoniam advenit insomnium in multitudine tentationis, et vox stulti in multitudine sermonum;* et Arabicus, *nam somnium affert multitudinem tentationum, et vox stulti affert multitudinem sermonum;* quod secutus B. Antiochus, *hom.* 85, accipit hunc locum de insomniis immundis et obscenis. Audi eum: Insomniis ne commodetis fidem; sunt enim hæc aliud nihil, quam mentis implanatæ ac deerrantis simulacra, imaginationes, et frustratoriæ ludificationes reproborum dæmonum, nobis ut imponant, et implanent sic misere seductos, ut inescent istis delinimentis atque oblectent, ut deinceps nullo negotio hominem pertrahant ad captanda lenocinia illecebrosæ voluptatis, juxta verbum Judæ Apostoli Jacobi fratris de ejusmodi quibusdam dicentis: « Similiter et hi insomnia sua sectantes, carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem vero blasphemant. » Ecclesiastes item præcipit dicens: « Insomnium in multitudine tentationis et vox stulti in multitudine sermonum, » inducit: « Ne des os tuum, ut exerrare facias carnem tuam, ut ne irascatur Deus super voce tua, et corrumpat labores manuum tuarum; quia in multitudine somniorum et vanitatum, et sermonum multorum. » Accedit Olympiodorus: « Qui multis tentationibus per diem agitatur, multis subinde somniis, vel ad avaritiam, vel ad libidinem tentantibus per quietem conturbatur, sed tamen inutilibus et statim avolantibus: ita multiloquum et nugacem, ac multa blaterantem, multa videtur dicere, sed tamen inutilia omnia et nugatoria. »

Auctor vero *Catenæ Græc.*: « De Deo, inquit, sint pauci sermones tui, id est veri et circumspecti. Nam qui documentum hoc amplecti contemnunt, iis longo tentationum agmine adveniunt somnia. Insomnii enim nomine dæmonem vocat, cum longo ille tentationum comitatu, somno deditas animas opprimit atque perturbat. De quo Jobus cum Deo loquens ita dicit: Perterrefacis me in somnis, et obtundis me visionibus. David etiam hunc hostem vitare desiderans, ita sibi Dominum advocat: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Et quæ sequuntur. » Alius: « Quemadmodum qui interdiu tentantur, etiam tum cum dormiunt perterrentur insomniis: ad eumdem quoque modum, sua stultum loquacitas redarguit, variisque tentationibus circumvolvit. » Denique Symmachus vertit, *accedet somnium propter multitudinem iniquitatis*, quam parit tentatio vehemens; quæ enim per diem concupiscimus, hæc per noctem somniamus. Unde rixosi somniant de suis rixis et cædibus, gulosi de sua crapula, scortatores de suis scortis, avari de suis usuris, etc.

Vers. 3. 3. SI QUID VOVISTI DEO, NE MORERIS REDDERE: DISPLICET ENIM EI INFIDELIS, ET STULTA PROMISSIO: SED QUODCUMQUE VOVERIS, REDDE. — Septuaginta, *prout voveris votum Deo, ne moreris reddere.* Votum enim reddendum est integre, eo loco, tempore, modo, cæterisque circumstantiis, quibus conceptum et nuncupatum est. Unde Interpres Olympiodorus vertit, *sicut vovisti, etc., ne tardes reddere.*

Præclare Salvianus, lib. II: « Professio, ait, religionis non aufert debitum, sed auget: quia assumptio religiosi nominis, sponsio est devotionis, ac per hoc tanto plus quispiam debet opere, quantum plus promiserit promissione, secundum illud: Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. » Votum enim Deo nuncupatum mire placita res est Deo, adeo ut ipse non tantum promissione de re bona ac sancta sibi facta gaudeat, verum et rem illam voto sibi consecratam sine ulla mora ac celeriter exigat, ægreque ferat, si differatur, aut mora ei injiciatur. Unde S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, cap. VIII: « Prima, inquit, voti gratia est celeritas solutionis. » Unde solutionem differre, perinde est aliquando, quod auferre, quod mihi videtur Sa-

piens hoc loco innuisse; nam ad celerem votorum solutionem hortatur : « Si quid, inquit, vovisti Deo, ne moreris reddere. » Et statim reddens hujus celeritatis rationem : « Multo, inquit, melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere, » hoc est post votum promissa morari : has enim moras tollendas esse præmonuerat; et tamen dicit « promissa non reddere, » quia perinde est morari promissa, ac negare, ut bene D. Ambrosius, lib. cit. cap. VII, advertit : « Cum enim, inquit, moram facis, non reddis. » Quid enim magis profuit Caino sero offerre, quam non offerre?

Apte hæc gnome nectitur, et educitur e præcedenti. Qui enim inconsiderati et præcipites sunt ad loquendum, orandum, vovendum, hi post votum, dum considerant ejus difficultatem, tardi sunt ad solvendum; quare sicut peccarunt præcipitatione in vovendo, sic longe gravius peccant tarditate in persolvendo.

Porro votum est promissio Deo facta, quæ ut sit valida, quinque requirit. *Primo,* ut sit deliberata; *secundo,* ut libera; hinc ait : « Si quid voveris; » *tertio,* ut vovens intendat se obligare; *quarto,* ut sit de re grata Deo; *quinto,* ut vovens possit se obligare. Hinc votum est actus religionis et latriæ; voto enim colitur Deus, ut docet D. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXVIII, art. 5. Unde orationi hic votum subnectitur, præsertim quia orantes sæpe, ut impetrent quod postulant, Deo nuncupant vota, juxta illud *Isaiæ* XIX : « Colent eum in hostiis et in muneribus : et vota vovebunt Domino, et solvent. » Hinc Græci votum vocant εὐχήν, id est orationem. Vide nostrum Lessium, tract. *De Voto.*

Quocirca in baptismo, quo fideles profitentur se servaturos legem Christi, et abrenuntiant Satanæ, proprie non est votum, quia hæc non est promissio, sed propositum duntaxat et professio fidei et vitæ christianæ. Eadem tamen sæpe a Patribus vocatur votum, large sumendo nomen voti, pro proposito et professione. Unde ab iis eadem nunc vocatur sponsio, nunc promissio, nunc cautio, nunc juramentum, nunc ejuratio, nunc professio, nunc contestatio, nunc votum, uti videri potest apud S. Basilium, *De Spiritu Sancto,* cap. XXVII; Tertullianum, *De Corona milit.* cap. III; Gregorium, hom. 29 *in Evang.;* Augustinum, *in Psal.* LXXV; S. Hieronymum, *Apol.* 1 *contra Rufinum,* et alios.

NE MORERIS REDDERE. — Campensis, *absque mora illud persolve.* Votum explendum est eo tempore, quod intendit mens voventis; si nullum certum determinarit, mox ut commode potest, illud explere tenetur, juxta illud *Deuter.* XXIII, 21 : « Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es. » Quocirca « ruina est devorare sanctos, et post vota retractare, » *Proverb.* XX, 25. Vide ibi dicta. Ratio est, quod per votum vovens se obstringat ad rem quam vovit, illi præstandam; votum ergo est debitum, et vovens se facit debitorem Deo, reumque voti; quare peccat, si debitum hoc Deo exsolvere tardet. Jam enim post votum, res non tam est ejus, quam Dei : transiit enim in jus Dei, cui per votum est consecrata; quare injuriam ei facit, si rem ejus, id est illi debitam et obligatam sibi retineat. Recte ergo ait : « Ne moreris reddere, » *q. d.* Cito, alacriter, et hilariter, persolve Deo quod vovisti. « Hilarem enim datorem diligit Deus, » II *Corinth.* IX. Nam « bis dat, qui cito dat. » Vide S. Bernardum, serm. 71 *in Cant.* Aliam rationem, cur cito explendum sit votum, dat Olympiodorus : « Quia, inquit, simul ac reus voti factus fueris, multitudo te circumveniet tentationum, quæ persolvere promissionem impediat, ita ut ne dormiens quidem, sine molestia sis futurus. » Qualem in sponsore describit Salomon, *Prov.* VI, 2. Hinc pro *reddere,* Hebraice est שלם *schallem,* quod proprie significat pacificare, pacem conciliare; qui enim debitum solvit, pacem cum creditore restaurat et firmat : sic vota solventes pacem cum Deo ineunt et sanciunt. Quocirca David : « Vota mea reddam, inquit, in conspectu omnium timentium eum, » *Psal.* XXI, 26. Audi S. Ambrosium, lib. I *De Cain et Abel,* cap. VII : « Si voveris votum, non facias moram reddere illud. Cum enim moram facis, non reddis. Votum autem est postulatio bonorum a Deo cum solvendi muneris promissione. Et ideo cum imperaveris quod petisti, ingrati est tardare promissum. Sed interdum, aut negligentibus irrepit oblivio impetratorum, aut tumidis et elatis Arrogare eventus sibi, et bonum quod agit, vel quod a Deo consequitur, propriis virtutibus vindicare, nec auctoris reputare gratiæ, sed ipse se suorum bonorum auctorem ducere, hebetis et elati cordis est. »

Hinc Apostolus de viduis, quæ post votum castitatis nubere volunt, ait : « Habentes damnationem, quia primam fidem (promissionem et votum castitatis) irritam fecerunt, » I *Timoth.* V, 12. Ananias quoque et Sapphira morte a S. Petro puniti sunt, quod votum paupertatis implere tardarent. Hinc Urbanus I Pontifex, ut habetur 12, Quæst. I, cap. *Scimus,* docet Clericis omnia esse communia, quod eo tempore id voverint : « Quicumque vestrum, inquit, communem vitam susceptam habet, et vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat; quoniam melius est non vovere, quam votum, prout quis potest, non perficere. Gravius enim puniuntur, qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, et votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt, quam illi qui sine voto,

aut fide mortui sunt, et tamen bona egerunt opera : displicet enim Deo infidelis et stulta promissio. »

Alia est ratio cur votum sit cito solvendum, quod Deus, cum sit fidelissimus, fidelissimos exigat sui cultores. Si enim homini fides servanda est, multo magis Deo; alioqui enim videris Deum ridere et ludificare, ejusque honorem dedecori et ignominiæ exponere : quare Deus votorum violatores, velut infideles, votifragos et sacrilegos graviter solet plectere et ulcisci, uti jam exemplis ostendi. Iidem sunt stulti; stultum enim est ultro se voto obligare ad rem quam nolis, vel non possis præstare; stultum est ultra vires quippiam promittere. « Insipiens enim est qui sui ipsius ignorat quantitatem, » ait Ptolomæus in *Præfatione Almagesti*, quid scilicet valeant humeri, quid ferre recusent. Porro stulta est voti promissio quando fit inconsiderate, præcipitanter, aut cum vovet quis rem impossibilem, indifferentem, malam, minus bonam, quæ scilicet majus bonum impediat. Sic stultum fuit votum Jephte, quo vovit se Deo immolaturum quidquid revertenti sibi post victoriam, primum e domo occurreret; occurrit autem filia, unde eam immolavit. « Nam in vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius, » ait S. Hieronymus, et ex eo S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXVIII, art. 2.

Cavendus hic error Angeli in Summa, verbo *votum*, qui censet stultitiam indeliberationis, sive insufficientiam colligi ex eo, si quem post votum statim voti pœniteat. Multi enim deliberate voverunt ideoque voto obligantur, quos tamen paulo post pœnitet voti, ut patet in apostatis a religione : quare docent Theologi ad votum illam deliberationem absolute sufficere, quæ sufficit ad peccandum mortaliter.

Hebraice est, *quia non est voluntas* (Dei) בכסילים *backesilim*, id est *in inconstantibus*, hoc est stultis, qui scilicet promittunt, et promissa non implent, vel revocant ex inconstanti mentis concupiscentia, juxta illud Arabum : « Stabilimentum fidei est abstinentia, labefactatio fidei est concupiscentia. »

Causa enim cur multi vota non impleant, est mentis inconstantia, quæ facit eos pœnitere voti, juxta illud *Proverb.* XXV, 14 : « Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens. » Chaldæus hic vertit, *quoniam propterea non est beneplacitum in stultis, quod differant vota sua;* Symmachus autem, οὐ πάρεστι χρεία ἀφρόνων, id est, *non est opus insipientibus*, scilicet Deo; vel, *nulla est utilitas insipientium*, qui tam leviter vovent, ut mox ea retractent, juxta illud : « Homo apostata, vir inutilis, » *Proverb.* VI, 12; Arabicus, *non est voluntas Dei in divitibus*, quos divitiæ sæpe faciunt arrogantes, inconstantes et stultos; Tigurina, *non enim Deus stultis delectatur;* Campensis, *ne illum stultorum more, multa promittendo, graviter offendas.* Exstat hac de re apologus apud Æsopum : « Vir pauper, inquit, ægrotans vovebat diis, si evaderet, boves centum in sacrificium oblaturum; sed dii tentaturi a morbo liberarunt. At ille surgens, quoniam bobus carebat, ex pasta boves centum a se formatos, in ara positos sacrificavit. Ipsum ulturi in somniis adfuerunt dii dicentes : Abi ad littus ad eum locum : illic enim Atticas mille drachmas invenies. Ille autem excitatus, lætus et alacer ad demonstratum locum perrexit, aurum disquirens; sed illic in piratas incidit, ab ipsisque comprehensus est. Captus ergo, ut dimitteretur, piratas orabat, mille auri talenta daturum ipsis promittens; sed, cum non crederetur, abactus, ab ipsis divenditus est mille drachmis. Affabulatio : Fabula significat mendaciis hominum inimicum esse Deum. »

Vers. 4. 4. MULTOQUE MELIUS EST NON VOVERE, QUAM POST VOTUM PROMISSA NON REDDERE. — Ait « non vovere » duntaxat, quia votum de non vovendo illicitum est. Qui enim vovet se non facturum votum, vovet se non facturum majus bonum, quod illicitum est, ideoque votum ejus irritum, uti docet noster Franciscus Suarez, tomo II *De Relig.* lib. II *De Voto*, capit. XI. « Quam gravia vincula, ait S. Ambrosius, lib. IX *in Lucam*, ad cap. XX, promittere Deo, et non solvere ! Melius est non vovere, quam vovere et non reddere; major est contractus fidei, quam pecuniæ. Redde promissum, dum in hoc corpore es, priusquam veniat exactor, et mittat te in carcerem. »

Porro delirant hæretici nostri ævi, dum ex hoc loco damnant vota castitatis, religionis, jejunii, ac voti reos absolvunt. Non enim ait Ecclesiastes : Bonum est non vovere, vel malum est vovere; sed : « Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere, » *q. d.* Melius est non vovere, quam votum facere et violare. Optimum est ergo votum facere, et illud præstare. Hic enim est duplex actus religionis, cultusque Dei, *primo*, in eo quod rem Deo voveas et consecres; *secundo*, quod consecratam illi exhibeas. Nam idcirco displicet Deo infidelis et stulta promissio, quia placet fideliter et prudenter suscepta : et hac de causa melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere, quia bonum est promittere, et quod promiseris præstare; etsi ipsum « non promittere » dicatur melius non absolute, sed respective, quando scilicet non implendum est quod promittitur.

Melius est opus ex voto quam sine voto. Ratio prima.

Melius ergo est opus factum ex voto, quam sine voto. Ratio est triplex : *Prima*, quod votum sit actus religionis et latriæ, ut dixi, quæ inter morales prima et nobilissima est virtus, sicut charitas inter theologicas. Quare actus, v. g. jejunii in se simplex est virtus, puta actus temperantiæ; sed si accedat votum, fit duplex, duplicisque valoris et meriti : accedit enim dignitas religionis et voti, quæ longe nobilior est temperantia. Quocirca, sicut religio melior est irreligiositate, ait

Salvianus, lib. II *Ad Eccles. Cathol.*, sic melius est jejunium votum, quam non votum. Ita D. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXVIII, art. 6.

Secunda. *Secunda*, quod qui facit opus, actum duntaxat dat Deo; qui vero addit votum, simul cum actu dat vim et potentiam, puta voluntatem et libertatem. Hanc enim per votum tradit Deo, ut non liceat contrarium ei quod vovit, velle. Facit ergo sicut ille qui dat principi non solum fructus, sed totam arborem cum fructibus, ait S. Anselmus, lib. *De Similit.* Hinc Psaltes, *Psal.* LXXV : « Vovete, ait, et reddite Domino nostro. » Ubi S. Augustinus : « Quisque, ait, quod potest voveat et reddat; non sitis pigri ad vovendum : non enim viribus vestris implebitis. » Dabit enim vires implendi, qui dat devotionem vovendi.

Tertia. *Tertia*, quod votum voluntatem ex se flexilem et inconstantem in actu virtutis, quam vovet, roboret et confirmet, quo fit, ut actus qui ex voto prodit, sit firmior, robustior et constantior, ideoque melior et perfectior, juxta illud S. Bernardi, *De Præc. et Dispens.* : « Felix necessitas quæ ad meliora compellit. » Audi S. Augustinum, *De Virginitate*, cap. VIII : « Neque enim ipsa, inquit, virginitas, quia virginitas, sed quia Deo dicata est, honoratur; quæ licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur, ac per hoc etiam virginitas corporis spiritualis est, quam vovet et servat continentia pietatis. » Idemque paulo infra : « Honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi creatori animæ et carnis vovetur, consecratur, servatur. »

Vers. 4. 5. NE DEDERIS OS TUUM, UT PECCARE FACIAS CARNEM (Arabicus, *humanitatem*) TUAM : NEQUE DICAS CORAM ANGELO : NON EST PROVIDENTIA : NE FORTE IRATUS DEUS CONTRA SERMONES TUOS, DISSIPET CUNCTA OPERA MANUUM TUARUM. — *Primo*, multi hæc accipiunt de voto temere facto votique violatione; de voto enim proxime sermo processit. Hinc Tigurina vertit, *ne committas, ut os tuum præbeat carni tuæ occasionem peccandi;* Vatablus, *ne habenas laxes ori tuo, ut peccet;* Isidorus Clarius, *ne totum te peccato involvas;* clare Chaldæus, *ne violes verbum oris tui, nec sis causa gehennæ super carnem tuam, et in die judicii magni non poteris dicere coram Angelo crudeli, qui arguet te, quoniam ignorantia est; ne irascatur furor Dei super omnia verba tua, quæ dicta sunt in ignominia, et dissipet opera manuum tuarum* (1).

Sensus ergo est, *q. d.* Ne dederis os tuum ad temere vovendum quippiam, quod ægre præstare poteris, ut peccare facias carnem tuam, dum illa transgredietur votum difficilis religionis, jejunii, castitatis, pœnitentiæ per gulam, luxuriam, etc., vel *carnem*, id est teipsum, dum per infirmitatem carnis tuæ violabis votum. Neque dicas coram Angelo, qui tibi velut custos semper adest, quemque ubique revereri debes : « Non est providentia, » id est Deus non cognoscit, vel non curat res humanas, ac proinde nec vota mea. Hebræa habent, *ne dicas : error est*, id est casu et errore fortuito regitur mundus, non certa numinis providentia : unus omnium rerum, ac proinde mei quoque voti fortuitus est error; vovendo ergo erravi : quare errorem hunc jam a me agnitum, mihique molestum et difficilem corrigam, votumque erroneum rescindam. Aquila vertit, ἀκούσιον, id est *non spontaneum est, q. d.* Non spontanee vovi, sed per errorem et improvidentiam votum mihi excidit : ergo eo non obligor. Hic enim gravis est error et grave scelus, imo sacrilegium, cujus testes, accusatores, et vindices erunt angeli, cœli, sol, sidera, terra et elementa, in quorum conspectu votum nuncupasti, et deinde violasti.

Suadet ergo Salomon, ut qui cupit vovere, prius prudenter consideret suas vires, inclinationes, conditiones, an votum facile explere possit, ut plane sese per Dei gratiam illud expleturum confidat; ne, si improvide votum emittat, sero illum pœniteat, ac votum violet, seseque excuset, dicendo : Improvide vovi, erravi vovendo, non cogitabam votum fore mihi tam difficile. Hæc enim frigida et frivola est excusatio. Sapiens est prævidere futura, itaque amputare τὸ *putabam*, et *non putabam*.

Sunt enim nonnulli ardentiores, ideoque levioris et inconstantioris ingenii, qui, dum ferventer orant, aut sentiunt divinæ motionis impulsus et cœlestis consolationis æstus, illico cupiunt vovere magnas vitæ austeritates, magnas eleemosynas, statum religionis rigidæ, ut Carthusianam, vel vitam Anachoreticam. At ubi fervor hic et æstus transiit, sentiunt se imbecilles et invalidos, nec habere tantas naturæ et gratiæ vires, quantas votum requirit; quare sero dolent, votique pœnitent, ac tandem illud violant, ruuntque in omnem carnis licentiam. Hos hic monet Salomon, ne in illo devotionis æstu præpropere voveant, sed sinant illum defervescere, tumque prudenter et diserte considerent an, quid, quantum et quamdiu vovere conveniat, imo votum non emittant, nisi prævio confessarii aut viri prudentis consilio et consensu.

Hæc expositio plane inhæret litteræ, eamque cum præcedentibus de voto optime connectit : quare germana omnino et genuina videtur, eamque sequuntur Glossa interl., Titelmannus, Pineda, Lorinus, et Doctor Hebræus S. Hieronymi, quem audi : « Hebræus ita sensit, quod non potes facere, ne promittas. Non enim in ventum dicta

(1) *Ne des*, id est concedas, permittas, *os tuum peccare facere carnem tuam*, id est, ne committas temere vovendo, cum postea non præstes, ut corpus tuum, id est, teipse peccato, ideoque pœnæ adstringas; *et ne dicas coram legato*, scilicet Dei, id est sacerdote (*Malach.* II, 7), *quod error*, ex errore *sit* tuum votum : *quare irascatur Deus propter vocem tuam?* id est, cur tua culpa committeres, ut ob vocem tuam, id est quod temere votum voveris, Deus tibi succenseat teque puniat. *Lammah* tamen verti potest *ne*, cum Vulgato.

transeunt, sed a præsenti Angelo, qui unicuique adhæret comes, statim perferuntur ad Dominum; et tu, qui putas ignorare Deum quod pollicitus es, provocas eum ad iracundiam, ut omnia opera tua dissipentur. »

Audi nunc et alias aliorum expositiones probabiles.

Secundo, Olympiodorus, Thaumaturgus et Salonius exponunt, *q. d.* Ne dederis os tuum gulæ, vel verbis incautis aut libidinosis, præsertim cum mulieribus, quibus caro tua excitetur ad luxuriam. Sic et Hugo Cardinalis, Lyranus et Titelmannus hæc exponunt de vitanda gula et luxuria.

Tertio, S. Hieronymus, Salonius, Alcuinus et Glossa exponunt, *q. d.* Noli quærere calvas excusationes, quibus des occasionem carni tuæ ad peccandum, hoc est, ne dicas : Non ego peccavi, non ego me inebriavi, non ego fornicatus sum, sed natura infirma, et per concupiscentiam corrupta ad illud invitum me impulit; nam ita in Deum naturæ conditorem peccatum tuum regeris, ipsumque facis peccati, æque ac naturæ tam fragilis, auctorem, quæ est horrenda blasphemia, ideoque Deum graviter offendit et ad vindictam irritat. Audi S. Hieronymum : Arguit eos, « qui de vitio carnis queruntur, et aiunt se corporis necessitate compulsos ea facere, quæ nolint, secundum dictum Apostoli, *Rom.* VII, et vanas excusationes quærunt et dicunt : Non ego pecco, sed quod habitat in carne mea peccatum. »

Quarto, S. Bonaventura refert ad negationem divinæ Providentiæ, *q. d.* Ne dederis os tuum, ut dicat coram Angelo : Non est Providentia, non est Numen voluptatum et scelerum vindex; itaque securus ruas in omnia vitia carnis. Negatio enim Numinis hominem impellit ad omnem gulam et luxuriam.

Quinto, Dionysius Carthusianus et ex eo Cajetanus : quia triplex est oris usus, scilicet comedere, osculari, loqui, tria quæ in his peccantur, vult involvi, gulam, impudica oscula, et verba; et juxta dictam editionem Hebræam subdi : ne quis hæc excuset, tanquam errore atque involuntarie facta, caveatque id serio dicere, quoniam, qui adest Angelus novit, qua mente sic ipse loquatur, et quam in Dei vergat injuriam.

Sexto, Moringus generalius hanc gnomen accipit, quasi dictam, non tantum contra gulam et luxuriam, sed et contra omnia vitia carnis, quæ recenset Apostolus, *Galat.* V, 19 : ne quis ea excuset per carnis suæ fragilitatem ac violentiam quamdam, vel necessariam carnis concupiscentiam.

Septimo, nonnulli censent hic præcipi ne quis votum vocet errorem, ac errare eos qui vovent, quasi aut id non liceat, aut non debeat reddi votum. Verum primus sensus, ut dixi, est genuinus.

NE DICAS CORAM ANGELO, — crudeli, inquit Chaldæus, hoc est coram diabolo. Melius alii Angelum bonum accipiunt, qualis est custos cuique a Deo deputatus. Hic enim Providentiæ est administer : quare qui illam negat, tam Angelo quam Deo est injurius. Unde nonnulli hinc probant custodiam angelorum circa homines. Rursum ex hoc loco concludit divus Thomas, I part. *Quæst.* LVII, art. 2, angelos habere cognitionem et providentiam rerum creatarum. Angelum ergo nominat, quia hic est Providentiæ divinæ exsecutor, æque ac tutor et vindex; perinde ac si quis dicat : Ne dicas coram prætore : In hac civitate non est justitia, quia prætor qui est justitiæ tutor et vindex, hanc injuriam a se depellet, teque ob eam juste capiet et puniet.

Denique nonnulli, ut Pineda, hæc accipiunt de Angelo peculiari, cui a Deo (unde S. Hieronymus : « Non enim, inquit, in ventum dicta transeunt, sed a præsente Angelo, qui unicuique comes adhæret, statim perferuntur ad Dominum ») commissa sit cura orationum et votorum Deo offerendorum, qualem vidit Joannes, *Apocal.* VIII, 3 : « Et alius Angelus, inquit, venit, et stetit ante altare aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. » Fuit enim vetus Origenis et aliorum opinio, certos diabolos certis vitiis præesse, ad eaque homines instigare. Unde in Scriptura et in Vitis Patrum crebro nominatur spiritus vel angelus blasphemiæ, luxuriæ, superbiæ, gulæ, avaritiæ, acediæ, etc., atque ex adverso certos Angelos præesse certis virtutibus, ad easque homines provehere, ut unus Angelus sit orationis, alius humilitatis, alius temperantiæ, alius castitatis, etc., qua de re alibi dixi.

In Vita S. Onuphrii, qui per 70 annos in eremo angelice vixit, quam scripsit oculatus testis Paphnutius Abbas, legimus Deum per angelos de omnibus providere hominibus, præsertim religiosis voto obstrictis, solitariis et eremitis : « Omnipotens Deus, inquit, non derelinquit sperantes in se : circumdat eos armis potentiæ suæ, ut hos incursio Satanæ non valeat prosternere, quos protegit celsitudo divinæ misericordiæ. Quapropter ad eos angeli Dei jugiter mittuntur, ac per manus illorum quæcumque necessaria crebrius eis administrantur. » Et mox : « Certissime scias, o fili, quoniam angeli Dei sanctis ac justis viris quotidie famulantur, atque virtute superna corpora et animæ illorum jugiter illuminantur. » Paulo post narrat B. Onuphrius se ab Angelo habente speciem viri pulcherrimi ductum in eremum, cum diceret : « Noli expavescere; ego enim sum Dei Angelus, tibi ad custodiendum ab ortu tuo Providentia divina destinatus, ut, jubente Deo, tecum manerem, et te in hanc eremum ducerem. Perfectus esto, humilis incede coram Domino, cum gaudio labora, cor tuum in omni custodia conserva, vive sine querela, in bono opere persevera. Ego

Angeli propril Religiosorum, et Anachoretarum.

Exemplum S. Onuphrii.

vero te non derelinquam, donec animam tuam in præsentia summæ majestatis offeram. » Et post nonnulla : « S. Angelus quotidie mihi panem offerebat, et aquam pro mensura ministrabat ut corpus meum confortaretur, ne deficeret, et jugiter in Dei laude perseveraret, etc. Omni die Dominico vel sabbato angelum Domini paratum invenio, sacrosanctum Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi secum deferentem, de cujus manibus mihi pretiosissima donantur munera, vitæque meæ salus perpetua. Verum etiam omnes, qui vitam spiritalem ducunt in eremo monachi, tali participantur gaudio. Hi vero sancti eremitæ, qui hanc solitudinem habitant, si fortasse aliquando videre hominem desiderant, illico in cœlum ab Angelo deportantur : visuntur illic animæ justorum fulgentium sicut sol in regno Patris eorum, ibi multitudinem contemplantur Angelorum, suasque animas cœtibus mixtas beatorum. Quare omnes qui in agone contendunt, tota mente, toto corde, totis viribus in bono opere fervent, quatenus gloriam cœlestis patriæ cum Christo et cum sanctis mereantur possidere. »

Subdit Paphnutius de morte S. Onuphrii : « Post hæc surrexit, et Dominum lacrymans oravit, genua flexit atque subito dixit : In manus tuas, Deus, commendo spiritum meum. Cumque hæc dixisset, lumen splendidum corpus ejus obumbravit, et in ipsius claritate luminis anima sancta carne soluta est. Repente vero vocem angelorum multorum audivi laudantium Deum, et in discessu sanctissimæ animæ S. Onuphrii, æthera scilicet angelicis canticis resonantia, gaudium ineffabile astris intulerunt, per quæ cœlestes exercitus animam militis inclyti cœlis invexerunt. »

Denique, quam angeli ab initio mundi fuerint administri et exsecutores divinæ Providentiæ, præsertim in populo fideli, collectis omnibus e tota S. Scriptura exemplis, ostendi *Exodi* XXIII, 20 et seq. Hoc est quod ait Apostolus : «Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis? » *Hebr.* cap. I, 14.

Mystice Dionysius per Angelum accipit sacerdotem, de quo ait Malachias, cap. II, 7 : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. » Sacerdotis ergo est, docere populum Dei, legem et Providentiam, sive Numen vindex bonorum et malorum omnium. Fides enim hujus Providentiæ hominem refrenat ab omni scelere, et ad omne virtutis decus exstimulat.

NON EST PROVIDENTIA. — In Deo non est numen, non est Deus, qui omnium habeat providentiam; Deo enim ita agnata est providentia ut, si hanc tollas cum Epicuro, Democrito et atheis, tollas et Deum. Deus enim ignorans et improvidus, non est Deus, sed idolum saxeum vel ligneum. Aquila vertit ἀκούσιον, quod si Deo attribuas, sensus est, *q. d.* Deus non libere, sed coacte, vel necessitate fatali, ac proinde sine providentia operatur; sin homini assignes, sensus est, *q. d.* Non sponte, sed coacte vovi : ergo voto non teneor.

Hebraice est כי שגגה *ki seggaga,* id est *quia error,* vel incogitantia, improvidentia, inconsideratio est, sive Numinis, *q. d.* Non est providentia Numinis, sed omnia errore et casu fortuito fiunt in mundo, sicut Democritus censebat mundum factum esse ex fortuito concursu atomorum : sic dicuntur planetæ errare in cœlo, et oves bovesque in montibus; sive hominis, *q. d.* Improvide et inconsiderate vovi. Septuaginta, *quia ignorantia est, q. d.* Ignorans feci et vovi; Chaldæus, *imprudens feci* : igitur voto non obligor; Arabicus, *et ne dicas quod coram Deo est corruptio cognitionis,* ut non cognoscat vota et facta nostra; Campensis, *neque putes Angelum, qui tua observat, rem tam æstimaturum levem, qui præ multitudine verborum vix sciebas, quid promitteres.* Nam, ut ait Olympiodorus, *qui in ipsa face nequitiæ volutantur, ita providentiam Dei negant et aspernantur, ut dicant dedignari Deum curare ac scire, quæ hic ab hominibus scelera committantur.* Eleganter Arias vertit :

> Quod jam vovisti, errorem ne dicito, neve
> Excuses, præsente illo, qui cuncta fideli
> Verba hominum stylo in tabulis notat Angelus...

Angeli ergo curam habent et providentiam votorum nostrorum; ac sicut de eorum conceptione et adimpletione lætantur, sic de eorum violatione dolent et indignantur; ac utrumque in tabulis memoriæ consignant, ut ad Deum referant, qui pro meritis cuique præmia vel supplicia decernet; unde psallebat David : « In conspectu angelorum psallam tibi : adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, » *Psal.* CXXXVII, 1.

Providentiæ opponitur fatum et fortuna.

Porro Providentiæ opponuntur duo extrema sibi contraria, scilicet fatum et fortuna. Providentia enim est libera, fatum necessarium : quare qui Deum subjicit fato, Deum et providentiam e medio tollit. Absit ergo a fideli illa Tragici vox :

> Fatis agimur, cedite fatis.

Quare eos qui fatum adstruunt, fatuos æstimat S. Augustinus, tract. 37 *in Joannem,* et libro V *De Civitate,* cap. IX. Rursum Providentiæ opponitur casus et fortuna : licet enim respectu causarum secundarum præter mutuam intentionem, quasi fortuito concurrentium, sit casus et fortuna, quæ causat effectus contingentes et fortuitos, tamen respectu Dei nullus est casus. Nam, ut ait Sapiens cap. IV, 3 : « Tua autem providentia, Pater, cuncta gubernat. » Quocirca Deo nihil est fortuitum, quia omne prævisum et provisum. « In regno Providentiæ nihil licet temeritati, » ait Seneca, quia nil temere fit, sed omnia consulto et ex certa providentia. « Ubi maximus est intellectus, ibi minima est fortuna, » ait Boetius, quia intelligens et sapiens omnia agit cum deliberatione et consilio; unde Deo nihil est fortuitum, nullus casus, nulla

fortuna, sed hominibus, quibus multa improvisa et inopinata accidunt. Deus enim omnes causas secundas, etiam contingentes, prævidet, ordinat et combinat.

NE FORTE IRATUS DEUS CONTRA SERMONES TUOS, DISSIPET CUNCTA OPERA MANUUM TUARUM. — Pro *dissipet* hebraice est חבל *chibbel*, id est, ut Septuaginta, *disperdat*; Chaldæus, Arabicus et Syrus, *corrumpat*; Vatablus, *maledicat*; Tigurina, *destruat*; Marinus, *devastet*. Proprie *chibbel* est disrumpat magna vi et dolore. Quomodo in Deo sit ira, scilicet, non ut passio, sed ut appetitus justæ vindictæ, contra Epicurum docet Lactantius, lib. *De Ira Dei*, cap. IV. Vere S. Augustinus, lib. I *Confessionum*, cap. IX, Deum compellans : « Pœnitet, inquit, te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium. » Jam

Sensus est *primo, q. d.* Ne Deus ob tuum hoc votifragii et negationis Providentiæ scelus, omnia opera bona, eorumque merita, quæ antea cum saperes, fecisti, aboleat et mortificet. Ita Olympiodorus : « Ne, inquit, et fructum operum tuorum amittas. Iratus enim Deus delet de libro vitæ, si quid est, quod pie videamur nobis laudabiliterque fecisse. » Et Clarius : « Quod tu tam leve putas, Deum sic offendit, ut non solum orationem tuam, sed propter eam et alia opera sit exsecraturus. »

Secundo, ut ait S. Hieronymus : « Ne Deus talia sentientem tradat in reprobum sensum, ut faciat ea quæ non conveniunt. »

Tertio, addit Olympiodorus Deum votifragos et eos qui negant Numen, solere punire paupertate, infortuniis, morte, itaque fortunas eorum et opera corrumpere. Denique Arabicus vertit, *ne irascatur Deus in stultitiam tuam, et corrumpantur artes manuum tuarum*, id est opera exquisita, quæ contento studio, arte, ingenio meditatus ac molitus es, perinde ac si tua contentus providentia divinam penitus non agnosceres, diceresque superbiens : Manus mea excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia. Intelligi quoque possunt cuncta, quæ quis sibi comparaverit, vel corporis, vel animi bona, etiam virtutes ac merita, quorum merito facit jacturam, qui negat Dei providentiam, inquit noster Lorinus.

Ita videmus Religiosos, qui dum in religione votorum observantes viverent, ac mira gratia docendi, dicendique apud homines pollerent, cum ab ea desciscunt, fiuntque apostatæ, omnem hanc gratiam deperdere, fierique odium et probrum Dei, æque ac hominum. Exempla crebra spectavimus et in dies spectamus. Hinc nonnulli vertunt, *Deus putrefaciet opera tua*. Sic enim *Isaiæ* X, 26, Noster Hebræum חבל *chibbel* vertit *computrescet*. Apostasia enim est putredo, id est corruptio et infamia, quæ apostatas facit viles, infames et putridos, ac opera eorum, non tantum præsentia, sed et præterita, quæ in religione heroica ediderant, putrefacit, id est conspurcat, infamat, corrumpit. Hebræum *chibbel* est contrariæ significationis; significat enim ligare et dissolvere, ac disrumpere cum vehementia et dolore, uti fit in parturientibus, a quibus quasi disrumpitur proles, dum paritur. Unde *chibbel* sæpe significat parturire, et habere dolores parturientis. Utrumque huic loco convenit : nam et votifragi negantesque numen videntur habere ligatam linguam, mentem et manum, ut qui erant ante eloquentes, sapientes, et in omni opere potentes, per hoc scelus fiant elingues, insipientes, inertes et ad omne bonum impotentes. Rursum eorum opera disrumpuntur cum ingenti eorum confusione et dolore, qualis est parturientium.

Moraliter hic disce, quam Deum offendat negatio numinis et providentiæ, quamque graviter eam negantes puniat et ulciscatur. Deus impiis dicentibus : « Non videbit Dominus nos, dereliquit Dominus terram suam, » minatur : « Ergo et ego faciam in futuro : non parcet oculus meus, nec miserebor, » *Ezech.* VIII, 18, et cap. X; David, *Psal.* IX, 13, 14 : « Propter quid, inquit, irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo : Non requiret. Vides, quoniam tu laborem et dolorem considerasti : ut tradas eos in manus tuas. »

Providentiæ demonstratio.

Porro Providentiam esse ex dissona elementorum, cœlorum, animalium rerumque omnium consonantia, ordine, motu, constantia demonstrant Patres. Audi Lactantium, lib. III, cap. X : « Quis enim non sentiat mundum hunc tam mirabili ratione perfectum, aliqua providentia gubernari? quandoquidem nihil est quod possit sine ullo moderatore consistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur. Navis sine gubernatore abit pessum. Et corpus relictum ab anima defluit. Nedum putemus tantam illam molem, aut construi sine artifice, aut stare sine rectore tamdiu posse. » Audi Damascenum in *Histor. Barlaam*, cap. XVII : « Si navis sine gubernatore non potest subsistere, sed mox submergitur, et domus modica sine provisore : mundus quomodo constat tanto tempore, creatura sic magna, sic bona et mirabilis, sine gloriosa quadam ac magnifica atque mirabili gubernatione, et sapientissima providentia? Ecce enim cœlum quantum tempus habet, et non denigratum est; terræ virtus non est lassata ex tanto tempore; fontes non desierunt fluere, ex quo facti sunt; mare tot et tanta suscipiens flumina non supergreditur mensuram; cursus solis et lunæ non mutantur; ordines diei et noctis non perverluntur. » Audi Philonem, lib. *De Somniis* : « Credendum est sicut in curru aurigam, aut in navi gubernatorem : ita in rebus omnibus superstare eum, qui est, corporibus, animabus, animantibus, mentibus, angelis, cunctis, quæ terra, vel aere, vel cœlo continentur, naturis, tum visibilibus, tum invisibilibus; totum enim mundum ex se pendentem regit. »

Providentiæ officia.

Minutim vero Providentiæ officia ex officiis singulorum in choro, et membrorum in corpore, et

famulorum in aula, ita graphice depingit S. Athanasius, lib. *Contra Idola*: « Ut in choro, qui constat ex diversis hominibus, viris, puellis, feminis, senibus, juvenibus, sub uno præsule et moderatore, quisque quantum potest, cantat pro sua natura, ille quidem ut vir, iste vero ut puer, alius ut senex, alius quemadmodum juvenis, omnes tamen unam absolvunt harmoniam; vel ut nostra anima eodem tempore sensus nostros pro cujusque officio exercet, et ad unam rem oblatam simul movetur, adeo ut oculus videat, auris audiat, manus palpet, olfactus odores accipiat, gustus delibet, sæpe quoque interea ne aliæ quidem corporis partes in otio sunt, adeo ut inter ista pedes quoque obambulent; vel ut in præsentia regis imperantis simul et ad omnia oculos intendentis, omnes sunt in obsequio: est qui agros colat, est qui ad aquæductus aquarum properet, alius item pabulatum proficiscitur, alius ad curiam pergit, alius ad concionem ingreditur, et alii eodem modo sese referunt, eaque omnia ad præsentiam unius moderatoris, et disciplinam fiunt, et constituuntur: ita quoque omnia in universa rerum natura geruntur. »

S. Maximus, *serm.* 48, citat illud Platonis: « Deus omnia, et secundum Deum, fortuna, et occasio humana gubernat universa. » Et illud Socratis:

> Si quid cura potest, *cura*: at si Deus ipse jubendo
> Te curat, cur tu sollicitus tibi sis?

Pulchrius Aristoteles, vel quisquis est auctor *De Mundo*: « Quod, inquit, in exercitu est Imperator, in domo paterfamilias, in choro præcentor, in navi navarchus, in corpore oculus, in curru auriga, hoc in mundo est Deus. » Plura vide apud S. Chrysostomum, Theodoretum, Salvianum, Synesium et nostrum Lessium, lib. *De Numine et Providentia.*

Vers. 6. 6. UBI MULTA SUNT SOMNIA, PLURIMÆ SUNT VANITATES, ET SERMONES INNUMERI (1): TU VERO DEUM TIME. — Transit a Providentia ad somnia, sive a religione ad superstitionem. Sicut enim cultores providentiæ sunt cultores veri numinis veræque religionis: sic negantes Providentiam sunt irreligiosi et athei, quibus agnati et vicini sunt superstitiosi, quales sunt observantes somnia. Ab illis ergo ad hos congrue sermonem traducit, quia olim multi multum tribuebant somniis, idque quod somniarant, censebant divinum et immissum a Deo: unde juxta somnia dirigebant vitæ suæ rationes et actiones. Contra eos hic docet somnia esse somnia, id est meras vanitates, nugas, inania spectra et phantasmata. Quare asserit non esse observanda, nec timenda somnia, sed Deum Deique providentiam, ubique excubantem, ad præmiandum bonos et puniendum malos. Unde Syrus vertit, *quoniam in multitudine somniorum et vanitatum et sermonum, multi errores.* De vanitate somniorum multa dixi *Eccli.* XXXIV, 1 et seq. Memorabile et terribile est quod scribit B. Antiochus, *homil.* 34, anachoretam quemdam insignem per somnium a diabolo illusum: cum enim in somno vidisset Christum et Christianos in tenebris, Mosen vero et Judæos in luce, apostatavit a fide, factusque Judæus se circumcidit, et carnali vitæ se dedit: quare punitus a Deo, et a vermibus corrosus, corpus Judæis, animam diabolo tradidit.

Adde ex somniis vanis non raro oriri vanitatem et levitatem vovendi, æque ac vota (de quibus sermo præcessit) violandi, seque ab eorum obligatione excusandi. Multi enim moventur ad vovendum quippiam ex eo, quod de eo noctu somniarint, quod feminis est frequens. Alii a votorum persolutione se excusant, quod somniarint ea non esse persolvenda: quæ omnia somnia sunt vanitates, errores et dementiæ. Unde Septuaginta vertunt, *quia in multitudine somniorum et vanitatum, et verborum plurimorum,* subaudi vota multa fiunt, vel excusantur; et S. Hieronymus ex Hebræis sic exponit, *q. d.* « Nec superiora facias, de quibus jam dictum est: Ne facile somniis credas. Cum enim diversa videris per nocturnam quietem, et variis anima fuerit exagitata terroribus, sive incitata promissis, tu ea contemne, quæ somnii sunt, et solum Deum time. Qui enim somniis crediderit, vanitatibus se et ineptiis tradet. Aliter: Quia dixi ac præcepi: Non des os tuum, ut peccare facias carnem tuam, et quæras varias excusationes; hoc nunc infero: Quoniam in somnio vitæ istius, et in imagine umbræ nubis, qua vivimus, multa possumus invenire quæ nobis verisimilia videantur, et nostra excusare peccata, propterea admoneo ut id solum caveas, ne putes absentem Deum, sed eum timeas, et scias cunctis operibus tuis adesse præsentem, teque liberi arbitrii conditum non cogi, sed velle, quod facias. »

Huc accedunt alii, qui hic censent dari rationem cur non temere sit vovendum vel loquendum, scilicet eo quod, uti plerumque insomnia, sic et verba pleraque vana sint. Unde Thaumaturgus vertit, *sentiet sicut somniorum, ita verborum majorem partem esse vanam.*

Et Olympiodorus: Irascitur, inquit, Deus somniantibus, id est, frustra laborantibus et loquacibus, quasi admoneri se somniis existiment ad vota concipienda et proferenda.

Alii, ut Moringus, hæc referunt ad negantes Providentiam, *q. d.* Negare Providentiam non est aliud quam somniare atque garrire, id est nil veri et solidi asserere, sed falsum prorsus et erroneum, quale somnium, comminisci.

Tropologice, Chaldæus per somnia accipit falsa oracula et doctrinas erroneas, quasi hic pseudoprophetæ opponantur veris prophetis, et falsi

(1) Hebr. est, *et* in *verba multiplicando*, repete: *ibi* et *sunt vana.* Ita Rosenmullerus. Alii tamen cum Vulgato, *nam in multitudine somniorum sunt vanitates et verba multa*: ne his somniis et rebus vanis te dedas, *sed* potius *Deum time.*

doctores veracibus. Sic enim vertit : *Tot autem somniis pseudoprophetarum, et divinorum vanis responsis, infinitisque impiorum sermonibus fidem ne adhibeas; sed sapientes et justos cole, et ab eis disciplinam quære, Deumque time.*

ET SERMONES INNUMERI, — dum somnia aliis et aliis enarrantur, varieque a variis conjectando explicantur. Insuper omnia multis suspicionibus, historiis, fabulis, conjecturis recensendis materiam suggerunt.

TU VERO DEUM TIME. — Timor enim Dei judicis, ut vindicis, valet ad refrenandam vanam somnii divinationem, docet Dei providentiam, adigit ad solvenda vota, carnis concupiscentiam castigat, linguam effrenam refrenat. Quocirca timor Dei est initium, promotio et perfectio sapientiæ omnisque virtutis, uti pluribus ostendi *Eccles.* I, 11 et sequent., ac in *Proverbiis* crebro.

Vers. 7 et 8. 7 et 8. SI VIDERIS CALUMNIAS EGENORUM (Arabicus, *stultitiam adversus pauperem*) ET VIOLENTA JUDICIA, ET SUBVERTI JUSTITIAM (Septuaginta, *direptionem judicis et justitiæ*; Complutenses, *rapinam judicii*; S. Hieronymus, *ruinam judicii*; Thaumaturgus, *judices subdolis strophis circumvenire leges*) IN PROVINCIA, NON MIRERIS SUPER HOC NEGOTIO, QUIA EXCELSO EXCELSIOR EST ALIUS, ET SUPER HOS QUOQUE EMINENTIORES SUNT ALII, ET INSUPER UNIVERSÆ TERRÆ REX IMPERAT SERVIENTI. — Hæc spectant ad τὸ *ne dicas coram Angelo : Non est Providentia.* Estque occupatio. Occurrit enim tacitæ objectioni hominum dicentium : Si est Providentia, eaque justa, cur ergo permittit calumnias egenorum, violenta judicia, et subverti justitiam? Cur ea non impedit et tollit, aut illico punit et plectit? ut inde discant homines eam revereri Deumque timere. Respondetur hoc non esse mirandum; justa enim de causa hæc permitti a Deo, ut postea acrius plectantur. Cæterum solari nos debere, quod existat unus cunctorum rex judexque, qui vicarios judices ipsos dijudicabit, interim dissimulans, non ignorans, illos ipsos adhuc exspectans ad pœnitentiam, oppressos exercens ad patientiam, præparansque ad coronam (1).

(1) Rosenmullerus, *si oppressionem pauperis et rapinam*, id est, violationem *juris ac justitiæ videris in provincia*, in civitate aliqua vel regione (gall. *ressort, juridiction*, a rad. חָבַר), *ne mireris super hac re; nam* sicut *altus super alto observat*, sicut gradus sunt præfectorum et magistratuum, quorum inferiores observantur a superioribus : ita *Altissimus*, Deus, *super illos omnes*, scilicet observat. *Gebohim* pluralis est, quem dicunt *excellentiæ*, quo exprimitur superlativus. Nunc, veluti remedium, quo tantis occurratur vanitatibus, docet quodnam utilissimum vitæ genus sit, quod quis ineat, ita : *Porro emolumentum terræ*, quod e terræ cultura impetramus, *pro omnibus* aliis emolumentis *est;* vel melius, *in*, seu *ad omnes*, scilicet homines, venit, redundat : *rex* etiam *agro servus sit*, agriculturæ sit addictus. Alii, *si oppressionem..... nam* sicut *altus super alto observat, et* sicut *alii altiores* sunt *super illos*, ita denique (vers. 8) *supremus* dominus *terræ, omnium dominus, rex regionis qui honoratur*, scilicet Deus vel Salomon.

Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Alcuinus, Salonius, Bonaventura, Hugo, Lyranus, Lorinus et alii.

NON MIRERIS SUPER HOC NEGOTIO. — Hebræa, *ne obstupescas super voluntate*, id est super re volita, vel ab oppressore positive, vel a Deo permissive. Unde Pagninus accipit voluntatem Dei, *ne mireris*, ait, *de voluntate divina permittente tot violentias;* Tigurina, *ne mireris divinam voluntatem;* Vatablus, *ne mireris super hac re quæ fit divino nutu;* Chaldæus, *non mireris*, ait, *in corde tuo, quomodo voluntas Domini sit super omnia hæc.* Quod innocentes opprimantur a nocentibus mirati sunt Jeremias, cap. XII; Habacuc, cap. I; David, *Psal.* LXXII. Sed Salomon edoctus a patre et magis a Deo, crebroque expertus, idipsum non miratur, nec mirandum esse docet, ait S. Athanasius, *Apolog. de Fuga sua*, quia nil mirum est nisi novum : pauperes autem a potentioribus opprimi non est novum, vel insolitum, sed tritum, frequens et communi sæculorum omnium usu confirmatum. Adde hoc permitti a sapientissima Dei voluntate ad majorem justorum virtutem et gloriam, et impiorum ignominiam ac pœnam. Olympiodorus vertit et explicat, *q. d. Ne indigneris, aut fluitare mundum sine ulla providentia suspiceris.*

QUIA EXCELSO EXCELSIOR EST ALIUS, ET SUPER HOS QUOQUE EMINENTIORES SUNT ALII. — Hebraice et Græce, *quia excelsus desuper excelsum custodiens est, et excelsi super eos;* Campensis, *habet enim oppressor ille superiorem, qui ea quæ facit diligenter observet, et supra utrumque illorum alii superiores sunt.* S. Hieronymus in veteri editione, *quia excelsus super excelsum* (Vatablus, *observat*), *et excelsior est super illos*, scilicet Deus, ait S. Hieronymus; alii Angelus, aiunt, *q. d.* Etsi judices et principes sinant opprimi justitiam et justos, tamen iis a Deo præpositi sunt angeli urbium, et provinciarum præsides et custodes, qui eos subinde monent, castigant, deponunt, uti deposuerunt Nabuchodonosor, juxta illud : « Ecce vigil et sanctus de cœlo descendit, clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem, » *Daniel.* cap. IV, 10 et 14. « In sententia vigilum, » id est angelorum Babyloniæ præsidentium, « decretum est. » Aut certe iidem angeli, Dei nutu, vindictam injustorum et præmium justorum differunt usque ad diem judicii. Sic et Albinus, Glossa, Cajetanus, Vatablus. Unde Arabicus vertit, *quoniam excelsus conservabit te super rem excelsam, et illis qui se efferunt super præstantius est.* Audi S. Hieronymum : « Ne mireris, excelsus quippe super excelsum hæc respicit Deus, qui angelos suos super judices et reges terræ posuit, qui possunt utique prohibere injustitiam, et magis in terra valere, quam quævis hominum potestates; sed quoniam servat in finem judicium, ideo nunc exspectat et differt sententiam. » Grassetur ergo licet nunc impietas, et impii judices impune, sed non impune abibunt : dabunt enim tandem pœnas judici nunc

prospectanti, atque ejus ministris nunc testibus tantæ iniquitatis. Hæc sane interpretatio admirationem tollit, cur divina Providentia violenta judicia et calumnias pauperum permittat, aut non statim puniat. Hucusque S. Hieronymus, et ex eo Pineda.

Planius hæc omnia accipias cum Lyrano, Dionysio et Hugone Cardinali, non de angelis, sed de hominibus, puta de principibus subordinatis, quorum minor majori gradatim subest usque ad summum, qui est rex vel imperator, *q. d.* Si inferior judex permittit judicium et justitiam, appellatio et recursus est ad superiorem alium et alium gradatim, quorum quisque potest et debet inferioris sibi subordinati et subditi injustitiam corrigere et castigare. Unde Chaldæus vertit, *quia Deus potens super cœlos altissimos observat opera filiorum hominis, tam bona quam mala, et a facie ejus mittuntur viri magnifici et robusti, ut potestatem exerceant in improbos, et ut sint præpositi magistratus super eos.*

Secundo, hæc ad pœnam talionis et indolem potentiorum referas, *q. d.* Si inferior judex innocentem opprimat, justo Dei judicio talione punietur, ut pari modo a superiore suo opprimatur, sicut videmus tyrannos, instar minorum piscium, a majoribus tyrannis devorari, juxta illud *Jerem.* XXX, 16 : « Omnes qui comedunt te, devorabuntur, et universi hostes tui in captivitatem ducentur, et qui te vastant vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam. » Quod S. Hieronymus eo loco impletum intelligit, cum Assyrios vastaverunt Babylonii, Babylonios et Chaldæos Medi Persæque. Sic Isaias XXXIII, 1, Assyrio minatur : « Væ qui prædaris ! nonne et ipse prædaberis? » In universumque *Prov.* cap. XXII, 16 : « Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori et egebit. » Potentiores enim sæpe potentia sua abutuntur, eaque inferiores inique opprimunt. Ea enim est hominum vitiata conditio, ideoque non admiranda, sed miseranda et lugenda. Hæc expositio quoque apposita est illique favet hebræum גבה *gaboah*, id est excelsus, superbus, tumidus, qui inferiores despicit, premit et deprimit, juxta illud *Jacobi* II, 6 : « Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? » Quis ergo hoc miretur, quod commune est, et natura quasi insitum divitibus et potentibus? Vermis enim potentiæ et divitiarum est superbia, ait S. Augustinus, fastus et tyrannis.

Tertio, alii exponunt, *q. d.* Non mireris inter judices aliquos reperiri improbos, quia rex non potest omnia solus judicare, sed constituit vicereges, et hi constituunt gubernatores urbium, et hi constituunt judices subinde non satis notos vel iniquos, eo quod pecuniam offerant. Igitur in tanta tamque multiplici judicum subordinatione et turba, non mirum aliquos irrepere pravos, qui jura ob munera corrumpant. Mirandum magis non plures et plura corrumpi; nam omnes ad majora aspirant, et super hos quoque ambitio non habet terminum. Audi Senecam ad Lucilium, *epist.* 86 : « Relinque ambitum : tumida res est, vana, ventosa, nullum habens terminum. » Et alibi : « Nemo agit de tribunatu gratias, sed conqueritur quod non est ad præfecturam usque perductus; et si desit consulatus, nec hoc quidem sufficit : cupiditas enim non unde venerit respicit, sed quo tendit. » Idem, lib. II *De Beneficiis* : « Nunquam, inquit, improbæ spei quod datur satis est; omnia meruisse se existimat, nec satis pretio æstimatum putat. Majora enim cupimus, quo majora venerint, intentioque concitatior est : ambitio enim sive cupiditas, ut flammæ infinita vis acrior est, quo ex majori incendio emicuit. » Ambitio insatiabilis.

8. ET INSUPER UNIVERSÆ TERRÆ REX IMPERAT SERVIENTI. — Pro *insuper* hebræum est יתרון *iitron*, quod vertit Olympiodorus, *superfluum terræ*; Complutenses, *abundantia terræ*; Septuaginta Vaticani, *et præstantia terræ in omni est rex agri culti*; Syrus, *hæreditas terræ in omnibus est rex qui agrum colit*; Symmachus, *et amplius terræ in omnibus rex est regioni cultæ*. Rex hic accipi potest proprie, *q. d.* Si omnes judices et principes sint injusti et violenti, respublica recurrit ad regem, ut is eos in ordinem redigat. Vers. 8.

Verum melius per regem accipias Deum; hic enim solus imperat universæ terræ, *q. d.* Omnes judices principes et reges subjecti sunt serviuntque Deo, qui cum sit justissimus, omnes judices et reges, adeoque ipsas justitias judicabit æquissime, ac læsis suum jus, lædentibus justa supplicia irrogabit. Læsus ergo ad Dei tribunal provoca, ejusque sententiam patienter expecta.

Pulchre et sapienter Horatius, lib. III, *Ode* 1, monet dicens :

> Regum timendorum in proprios greges,
> Reges in ipsos imperium est Jovis,
> Clari giganteo triumpho,
> Cuncta supercilio moventis.

Hinc pauperes a judicibus et principibus læsi clamant in cœlum, et a Deo exaudiuntur, juxta illud *Proverb.* XXII, 22 : « Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in porta, quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos qui confixerunt animam ejus. » Ita S. Hieronymus, Alcuinus, Bonaventura, Hugo, Lyranus et passim alii.

Pro *imperat* Interpres legit לשרה *lisro*, id est *ad imperandum*, hoc est *imperat*; שרה *sara* enim est dominari, imperare. Est enallage modi : ponitur enim infinitivus pro indicativo.

Jam pro ר substituentes vicinum ד, pro *lisro*, id est *imperat*, legunt לשדה *lesade*, id est ager. Sic enim habent ויתרון ארץ בכול הוא מלך לשדה נעבד *veiitron erets baccol hu melech lesade nebad*,

et ita legerunt Septuaginta, Syrus, Arabicus, quod varii varie vertunt et explicant.

Primo, Tigurina, *et post omnia terræ Deus semper sui similis exspectandus est, ut rex agri qui colitur*, ut scilicet orbem hunc quasi agrum suum lustret, judicet et puniat, vel præmiet : zizania, id est injustos, tradendo ignibus gehennæ; triticum vero, puta justos, colligendo in horreum cœli.

Secundo, Vatablus, *porro excellentia terræ super omnia est, rex agro servit*, q. d. *Ratio agriculturæ est potissima omnium conditionum vivendi; nam ipse etiam rex colit aut colendum curat agrum, idque necessario.* Et Isidorus Clarius, *residuum quod colligitur ex terra in omni re, est rex propter agrum cultum*, hoc sensu : Nemo non abunde vivere potest ex cultura terræ, etiamsi rex sit, cum omnis victus, quo opus habet humana natura, ex terra colligatur, *q. d.* Quid tot opibus opus ? quorsum tam multæ lites, quando parvo contenti queamus esse ac regie vivere, id est copiose satis et otiose, absque fori molestiis? Laus utique agriculturæ maxima.

Sic et Arias ac plures alii censent hic consuli studium agriculturæ; per hoc enim vitantur lites forenses, in quibus non raro innocens et justus causa cadit. Unde Campensis vertit, *summum quod terra præstare homini potest, est agellus aliquis, qui colenti eum satis esse possit, ut ex eo vivat, et cui ille contingit, et eo contentus est, is plane rex est;* uti fuit Abraham, Isaac, Jacob, Job primique reges orbis. Huc facit vetus oraculum :

Uni servit ager tibi, quorsum tanta requiris?

Tertio, Titelmannus vertit, *præterea rex est in omni terra ad colendum agrum, q. d.* Rex imperat in sua terra et regione, eamque ab injuriis tuetur, ut possint agri coli, quorum messe subditi vivant.

Quarto, Cajetanus hebræum יתרון *iitron* vertens *superfluum*, sic traducit et explicat : Sicut ager producit herbas superfluas, quæ non evelluntur ante messem, ne simul evellatur et triticum : sic Deus ex certa scientia et providentia permittit calumnias et scelera violentorum, ad justorum probationem et profectum, ut eos in die judicii vindicet et coronet. Sciant ergo principes mundum quasi agrum sibi a Deo traditum, ut ejus sint coloni, eumque justitia et omni virtute excolant, itaque justitiæ fruges Deo, mundi Domino, velut censum persolvant. Sed sicut colonus permittit zizania ad tempus, ita recta gubernandi ratio poscit permittere nonnulla crimina, donec opportunitas sit ea evellendi. Sic et S. Hieronymus, qui in veteri editione vertit, *et amplius terra in omnibus est rex in agro culto*. Et Olympiodorus qui vertit, *super omnes rex est dominus agri elaborati;* idque dupliciter explicat, tum de Deo, tum de homine : « Deus, inquit, instar viridarii mundum sibi hunc excoluit et ornavit, et in eo dominatur, ut agri dominus, cujus et assiduam providentiam gerit. Non itaque decet opinari mundum carere gubernatione regnantis, ob eas, quæ inter homines fiunt, iniquitates; imo revocare in mentem oportet, quod cum mundus hic ager nuncupetur, juxta evangelicam parabolam, Deus hominem mundi hujus regem dominumque constituit, sicut scriptum est : Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Admonet itaque nos hoc loco Ecclesiastes dignitatis nostræ, ut debitam venerationem Deo exhibentes, qui nos regia honestavit corona, pie officioseque vivamus. Aliter : Quandoquidem Deus universi hujus mundi est Dominus et possessor, veluti agri cujusdam, diligentia summa elaborati, idcirco seduli caveamus, ne demoliamur vineam Domini sabaoth, aut iniquis actionibus, aut impiis dogmatibus, aut perniciosis doctrinis. Omnibus enim præest, omnia speculatur agri Dominus et possessor elaborati. » Addit Olympiodorus : Judices et principes injusti, inquit, non aliud censendi sunt quam superfluitas terræ, hoc est inutilis globus et massa, gleba et cinis, quem Deus evertet in die judicii, trudetque in gehennam, juxta illud : « Quid superbis, terra et cinis ? » *Eccli.* x, 9.

Quinto, Pagninus vertit, *et utilitas, cultura terræ in omnibus est, et rex propter agrorum utilitatem est servus.* Alii, *rex agro servit*, vel *fit servus.* Clarius, *etiam rex agro obligatus est*, quia ex illo tum se et suos nutrit, tum ampla tributa colligit. Chaldæus, *et laudabilior est terræ cultura super omnia, quoniam in tempore, quo filii regni, et rex habitat in ruribus a facie illorum; si ille rex non habet frumentum ad comedendum, fit servus subjectus uni agricolæ.* Alii vertunt, *rex propter agrum factus est, q. d.* Agricultura adeo est utilis, adeoque a priscis exercita, ut ex agro promoti sint ad solium et sceptrum, atque ex agricolis facti sint reges, quorum exempla plura recensui cap. IV, vers. 14.

Sexto, sic vertas et explices, *q. d.* Quia lites et oppressiones pauperum fere oriuntur ob bona terræ, scilicet ob opes et fruges, quas dat agricultura, hinc unus summus regioni præficitur rex, ut ipse inferiorum judicum injusta judicia impediat, corrigat, emendet.

Verum Vulgata versio, uti planior, ita verior et germanior est juxta sensum quem initio assignavi, cui tamen cæteras sex, excepta quinta, jam assignatas adaptare est facile.

Rex et liberum arbitrium.

Mystice Richardus Victorinus, lib. *De Statu inter. homil.* cap. VI : « Quisnam, ait, est iste rex qui omnibus imperat ? Est, inquit, liberum hominis arbitrium, quia omnia corporis membra ei ad nutum deserviunt, et appetitus si aliquando rebellent, potest ab actu refrenare, et refrenatos gravi ultione percutere; et eorum audaciam forti castigatione frangere et emollire. Investigemus igitur quanam ratione rex hic interioris reipublicæ nostræ Deo sit subjiciendus, et ab omni quod non deceat avocandus. »

Tropologice, docet hic Salomon regem verum esse, quem regit non ira, non libido, non avaritia, sed ratio, continentia et justitia. Hic enim imitatur Deum, qui justitiam regit, imo judicat et vindicat. Hic dominatur iræ, affectibus, animo ac sibi ipsi quasi victor sui, ideoque Rex terræ est et Dominus mundi. Hic superior est regibus, imo rebus omnibus creatis, ideoque regum est Rex. Audi S. Ambrosium in *Psalm.* CXVIII, octon. 14, ad illa : *Anima mea in manibus meis semper:* « Quicumque proprium corpus subegerit, nec ab ira et aliis passionibus turbari animam suam, rector sui congrua vi permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens rex dicitur, quod regere se noverit, et arbiter sui juris sit, nec captivus trahatur in culpam. »

Lege S. Chrysostomum, lib. V *De Compar. regis et monachi,* ubi monachos passionum dominos regibus componit, imo anteponit. Audi et Ciceronem in laudem Cæsaris, hæc gratulando, vel adulando, dicentem orat. *pro Marcello* : « Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ et naturam et conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla enim est tanta vis, tanta copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit; verum animum vincere, iracundiam cohibere, etc. : hæc qui faciat non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. »

Audi denique Senecam in *Thyeste* :

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitida trabes :
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens.
Fato, nec queritur mori.
Rex est, qui metuit nihil :
Hoc regnum sibi quisque dat.

Vers. 9. 9. AVARUS NON IMPLEBITUR PECUNIA : ET QUI AMAT DIVITIAS FRUCTUM NON CAPIET EX EIS : ET HOC ERGO VANITAS. — Commode ab oppressionibus pauperum, et judiciorum corruptione transit ad avaritiam, velut ab effectu ad causam : quia enim judices avari sinunt se muneribus corrumpi, hinc pervertunt judicia : quare ministra prætorum avaritiæ est calumnia, ait Cicero, lib. I, epist. *ad Quintum* fratrem. Rursum divites avari, ut se ditent, expilant et opprimunt pauperes. Igitur avaritiæ vanitatem, æque ac iniquitatem hic ostendit. Addit Thaumaturgus : « Sicut, inquit, facultates per rapinam partæ ac per vim extortæ, pernitiosissimæ et sceleratissimæ sunt : sic etiam homini, pecuniarum cupiditate flagranti, nunquam satietas, nec proximorum benevolentia proveniet, quamlibet maximam argenti vim acquisierit; » quia scriptum est : « Victoriam et honorem acquiret qui dat munera, animam autem aufert accipientium, » scilicet corda eorum rapit, ut illa largientem redamare cogantur.

AVARUS NON IMPLEBITUR PECUNIA. — Hebræa, *amans argentum non satiabitur argento.* Ita Septuaginta, Syrus et Arabicus.

Avaritia insatiabilis, cur? Ratio a priori est quod animus hominis sit immensus, et cupiditas avari sit major capaciorque toto orbe, quare auro totius orbis impleri nequit. Hinc avaritia est insatiabilis et inexplebilis; quo enim plus acquirit, eo crescit, et plura appetit. Unde *avarus* dicitur quasi *auri avidus,* ait S. Isidorus. Avaritia ergo est auri sacra fames, quæ proinde similis est hydropico, qui quo plus bibit, eo plus sitit, quod potus in ejus corpore putrescens, ob calorem quem gignit putredo, salsuginosus effectus, os stomachi assidue pungat, itaque salsedine sua illius sitim semper exacuat. Addit Aristoteles, lib. I *Polit.* cap. VI, aliam causam, scilicet quod avarus amet opes, non ob luxum, aut quid aliud, sed propter seipsas; quare cum amandi in eo non sit finis, hinc et avaritiæ non est finis. Hinc S. Augustinus, serm. 10 *De Sanctis,* veras virtutum divitias a falsis auri et argenti discriminat, quod illæ sui famem satient, hæ augeant : « Illæ, inquit, veræ dicuntur divitiæ, quia quisquis eas habuerit, non egebit, dum juxta Apostolum, habens victum et vestitum his contentus est. Istas vero terrenas divitias injustum est putare divitias, quæ non auferunt egestatem. Tantum enim magis quisque ardebit egestate avaritiæ, quanto magis eas diligens majores habuerit. Quomodo ergo sunt divitiæ quibus crescit inopia, quæ amatoribus suis quantum fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditate divitem? Tu putas quia minus indigeres, si magis haberes. Unde bene quidam dixit : Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Cum pecuniæ enim incremento rabies cupiditatis augetur. Nam omnes avari, vel cupidi, velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomodo enim hydropicus quantum plus bibit, tantum amplius sitit, ita avarus, vel cupidus acquirendo non satiatur. » Juvenal. Satyr. 14.

Quocirca Galenus, lib. *De Dignoscendis animi morbis,* cap. IX, docet insatiabilitatem esse causam paupertatis et indigentiæ, item mœroris et mœstitiæ. Hinc proverbium Syrorum et Arabum : « Non est in toto orbe pauper, qui sit adeo miser, sicut est dives, qui non expletur pecuniis suis. » Hinc avaritia ab Apostolo vocatur « idolorum servitus, » et avarus idololatra, quia aurum quasi idolum suum adorat et colit, *Ephes.* V, 5. Quin et Ovidius aurum vocat deorum maximum, imo solum et unicum. Sic enim canit *Eleg.* 12 :

At nunc desertis cessant sacraria lucis :
Aurum omnes, victa jam pietate, colunt.

Hugo Cardinalis octo refert causas cur avarus

Causæ cur avarus non satietur.

opibus non satietur, suntque hæ : quia infinita est cupiditas ; quia exhaurit affectum avari ; quia quo crescit magis, crescunt arcæ, cellaria, stabula, etc. ; quia quo magis crescit, crescit flamma cupiditatis ; quia cum ejus augmento advenit nova indigentia, ut custodum, arcarum, serarum, clavium, timor amittendi, dolor de amissione, etc. ; quia non habet proportionem cum animo et corde nostro, ut nec sapientia vel gratia cum bursa, quia nequit esse duobus in locis, in bursa et in mente ; quia famem cordis non satiat pecunia, quæest in bursa, ut nec panis manens in cophino. Denique S. Gaudentius Episcopus Brixiensis, serm. 14 *ad Neophytos*, tom. II *Biblioth. SS. Patrum* : « Qui amat, ait, pecuniam, non satiabitur ea. Prædatoris enim rapacitas non comprimit avaritiam, sed irritat. »

Vere ergo, ait S. Hieronymus, « dixit Flaccus : Semper avarus eget. » Audi S. Bernardum hunc locum sapienter et pie pertractantem, tract. *De Dilig. Deo*, post medium : « Qui diligit pecuniam, non saturabitur pecunia ; qui autem esuriunt, et sitiunt justitiam, ipsi saturabuntur. Justitia siquidem, ratione utentis spiritus, cibus est vitalis et naturalis ; pecunia vero sic non replet, vel minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem apertis faucibus vento, inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire ? Sic non minoris insaniæ est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari, quam satiari. Quid namque de corporibus ad spiritus ? Nec illa sane spiritualibus, nec isti e regione refici corporalibus queunt. Benedic, anima mea, Domino, qui replet in bonis desiderium tuum. Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono, prævenit, sustinet, implet. »

ET QUI AMAT DIVITIAS (hebr. est המון *hamon*, i. e. copia, tumultus, turba tam hominum quam opum, qualis est Mammon), FRUCTUM NON CAPIET EX EIS, — quia eis non audet uti in bonum suum, vel aliorum, sed eas avare recondit in arca, ibique eas quasi defodit et sepelit, ut lucem non videant. Unde S. Hieronymus vertit, *non fruetur eis ;* Arabicus, *qui amat censum, multitudine ejus non satiabitur ;* Syrus, *qui diligit mammona, non possidebit illud,* sed magis possidebitur ab illo (1). Avarus enim opum non est dominus, sed servus et mancipium. Vide S. Ambrosium, lib. *De Naboth*, cap. IV. Est miosis ; minus enim dicitur et plus significatur. « Fructum non capiet, » id est, damna multa et magna accipiet. « Radix enim omnium malorum est cupiditas, » Græce φιλαργυρία, id est, *cupido argenti*, I *Tim.* VI. Porro Chaldæus hic vertit, *qui amaverit congregare divitias copiosiores, non est ei laus in sæculo venturo, nisi fecerit ex eis eleemosynam, propterea que non est ei merces proventus ad comedendum.* Nam, ut ait S. Gregorius, III part. *Pastor.* admon. 21, « fructus ei ex illis (opibus) caperetur, si eas bene spargere non amando voluisset ; qui vero eas diligendo retinet, hic utique sine fructu derelinquet. » Qui sementem nimis amat, non mandat terræ, ideoque nec metit. Pecunia enim quasi semen fructificat seminanti pro Deo redemptionem peccatorum, emptionem regni cœlorum, promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ ; qui amat animam, perdit, sic et qui pecuniam effundit, qui eam ut semen terræ mandat. Sere ergo copiosam summam, ut metas copiosam messem ; sere opes in pauperes, ut longe majores percipias in cœlis. Vide quæ de avaritia dixi *Eccli.* X, 9 et seq.

ET HOC ERGO VANITAS. — Campensis, *quisquis talis, insigniter vanus est.* Vide dicta cap. I, vers. 2. Nam, ut acute ait Plutarchus in *Moral.* : « Cupiditates cum voluptate conjunctæ sunt ; at avaritia, cum concupiscentiam excitet, voluptatem adimit, et velut molesta ac morosa hera parare cogit, frui prohibet. »

Felix qui contemnit opes.

Ex hoc loco collige veritatem, veramque virtutem et felicitatem non consistere in opibus, sed in contemptu opum, quem affert paupertas spiritus, ut pulchre docet S. Ambrosius, lib. III, *epist.* 10. Idem cognovere per umbram philosophi. Socrates dixit se non admirari divitem superbum et arrogantem, nisi experiretur illum divitias dispensasse, et in alios effudisse. Hinc Seneca, *epist.* 10 : « Qui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est ; » hinc Plutarchus : « Ut qui vestes flagellant, corpus non attingunt : sic qui paupertatem exprobrant, hominem non tangunt, sed externa calumniantur ; » hinc Epictetus : « Ut qui geniti sunt inter Persas, non desiderant in Græcia habitare : ita et pauperes, quibus divitiarum nota est natura, non student ditescere. » Videntur isti legisse illud Salomonis : « Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis. »

Gnomæ.

In *Moral.*

Ratio a priori est duplex, scilicet immensa hominis cupiditas, et auri opumque exilitas vilitasque, quæ tantæ cupiditati longe est impar et inferior, ut eam explere nequeat, juxta illud : « Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, » *Psal.* XXXIII, 11.

Ratio a priori.

10. UBI MULTÆ SUNT OPES, MULTI ET QUI COMEDUNT EAS. ET QUID PRODEST POSSESSORI, NISI QUOD CERNIT DIVITIAS OCULIS SUIS ? — Hebræa, *in multitudine boni* (cum multiplicantur bona) *multi comedentes illud ;* Septuaginta, *in multitudine bonitatis, multiplicati sunt qui comedunt eam.* Advolant enim ad rem bonam et sapidam, sicut muscæ ad mel. Arabicus, *in multitudine panis, multiplicantur ii qui comedunt illum* (2).

(1) Hebr est, *et qui* (proprie *quis*, pro *qui*, ut *Proverb.* IX, 4) *amat multitudinem* argenti, ei *non* est *proventus.*

(2) *Multi et qui comedunt eas.* Quo sunt nummi copio-

Dupliciter, adeoque contrarie hæc gnome ab Interpretibus accipitur : *primo*, ut significet laudem liberalitatis; *secundo*, ut significet vanitatem divitiarum et avaritiæ.

Primo ergo Olympiodorus de liberalite sic exponit : « Quibus legitimo honestatis jure opes atque divitiæ augescunt, multiplicantur etiam, qui illis utuntur et pauperibus impertiunt. Nam, quid prodest impudenti avaro ac tenaci sua turpis utilitas, quæ oculorum solo intuitu pecuniis uti permittit? Solo namque intuitu principatum tenet in pecuniis. Quid melius (inquit Orator) et quid præstantius bonitate et beneficentia? » Favet Syrus, qui pro eo quod sequitur : « Et quid prodest possessori, » etc.? vertit, *quæ justitia nisi*, etc.? Cajetanus, *quæ rectitudo?* Syrus, *factum est felix possidentibus se, quoniam de capite meo vidi oculis meis*. Sic et Lyranus, Hugo Cardinalis, Glossa, Dionysius. Huc spectat Thaumaturgus dum vertit, *at probitas* (beneficentia) *familiares suos majorem in modum oblectat, fortesque efficit, rem unamquamque perspiciendi facultatem præbens.*

Secundo et genuine, significat vanitatem opum et opulentorum avarorum, *q. d.* Ut quid, o avare, tantis curis opes congeris, cum tu ex eis non nisi tuum ventrem impleturus sis? ad hoc autem modicum sufficit; reliquum quod congeris, non tibi, sed aliis congeris; quia sicut ubicumque est cadaver, eo convolant vultures et aquilæ, *Matth.* XXIV, 28 : sic ubi sunt opes, eo convolant egeni et parasiti, ut eas devorent. « Cadavera lupi, muscæ mel, prædam, non hominem, sequitur turba ista, » ait Seneca. Quare tu, dives avare, non tam opum tuarum es herus et dominus, quam procurator et dispensator, ait idem, *epist.* 4; et *epist.* 89 : « Infelices, ait, quod non intelligitis vos majorem famem habere, quam ventrem; » et *epist.* 114 : « Furor est quod nemo nostrum unum se esse cogit. Unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? cui tot regionum vina conduntur? Si unusquisque se numeret et metiatur corpus, sciat se multum capere, nec diu posse. »

Rursum cruciat avarum, quod videat opes suas, tanto labore partas, adeoque adamatas, tam prodige a tot tantisque consumi, cum ipse ex iis nil aliud voluptatis capiat, quam quod eas cernat et oculos pascat, non ventrem. Sicut enim ubi multi sunt panes, ibi multi sunt mures, qui eos rodunt : sic ubi multæ sunt opes, ibi sunt multi procuratores, famuli, parentes, hospites, amici, adulatores, coci, lixæ, adde et fures qui eas absumunt. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Alcuinus, Hugo uterque et alii.

Huc accedit Glossa, quæ sic exponit, *q. d.* Qui multas opes congregavit, non potest illis uti ad gloriam et magnificentiam, si solus sit; sed ad hoc opus est convocare plurimos, ut per eos opes dispersæ latius splendeant, puta servos, ancillas, clientes, magnates, milites, uti fit in aulis regum et principum.

Expertus est idipsum in se Salomon, qui tantas opes habuit, sed pariter tot devorantes eas, ut quotidie absumerent triginta coros similæ, sexaginta coros farinæ, decem boves pingues, viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, bubalorum et altilium, III *Reg.* IV, 23. Ut enim alios taceam, alebat quotidie 70 millia portantium onera, et 80 millia latomorum, ibidem cap. V, 15. Sic et hodie videmus reges opulentos tot habere aulicos, officiales, milites, etc., ut opes regiæ ad omnes alendos vix sufficiant; quare illi, reges licet, pauperiores sunt mercatore, qui paucas opes habet, sed liberas et ab omni debito onereque immunes.

Alexander Magnus cum orbem subjugasset, audiens plures alios esse mundos ingemuit : « Et quando, ait, illos subjiciam? » Tanta est ambitio et avaritia. Quare vere de eo lusit Satyricus Juvenalis, *satyr.* 10 :

> Unus Pelleo juveni non sufficit orbis :
> Sarcophago contentus erit.

Denique audi S. Bernardum hunc locum pertractantem, *De Convers. ad Cleric.* cap. XII : « Hinc, ait, divitiarum amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo, utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur. Postremo ubi multæ opes, multi etiam qui comedunt eas, et usus quidem divitiarum apud alios, divitibus solum nomen cedit et sollicitudo. Et in his omnibus pro tam exiguis, aut magis ne exiguis quidem, sed nullis, eam parvipendere gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, non tam insipientiæ quam infidelitatis esse videtur. »

Pis rax ditescendi.

Œconomice monet hæc gnome divites, ut sint opum frugales œconomi, quales sunt mercatores; quia ubi sunt multæ opes, domestici et famuli liberalius eis utuntur, itaque eas cito exhauriunt multitudine ad prodigalitatem illecti, sed tandem sentient illud : « Sera in fundo parsimonia. » Quare principes, quibus frugales et providi sunt œconomi, licet census habeant modicos, ditescunt; quibus vero sunt prodigi, vel improvidi, licet opes habeant ingentes, depauperantur. Igitur ratio ditescendi consistit in prudenti et frugali œconomia. Sane hac ratione Hollandi ad tantas opes, quantas videmus, evaserunt, quia attenti sunt ad rem, et minima curant; quare tantum efficiunt uno aureo, quantum alii tribus vel quatuor. « Divitiæ, inquit ille, non quantitate, sed usu et frugalitate metiendæ. »

siores, eo plures necesse est alere servos, operarios, ministros, ad divitias vel acquirendas, vel custodiendas, vel administrandas.

Qui versum 8 ad agriculturæ laudem referunt, ejusdem commendationem ex collatione nummorum reperiunt in vers. 9, 10, etc.

ET QUID PRODEST POSSESSORI? — Hebraice est כשרון *kisron*, id est quæ congruentia, rectitudo, industria, commoditas, utilitas hero? Septuaginta, *quæ virtus aut fortitudo possidenti bona? quia principium*, vel potius *principatus* (hoc enim est ἀρχή) *videre oculis suis*; Olympiodorus, *principatus est illi, ut videat oculis suis, q. d.* Quæ utilitas ex bonis tanta virtute et strenuitate partis, quando principatum avarus gerit solo intuitu, nec alium habet usum dominii, quam quod apposita contemplatur? Arabicus, *quæ justitia*, etc.? Syrus, *et factum est felix possidentibus se*; Symmachus, *quæ utilitas inest habenti ea bona, nisi ut tantummodo spectet oculis suis?* Campensis, *quid habet amplius, cujus sunt divitiæ, quam quod videt alios eas consumere?* alii, *nisi aspectus oculorum ejus, q. d.* Dives ex tot opibus pascit oculos duntaxat; non mentem, nec ventrem. Opes ergo illi non sunt, nisi inanis aspectus et vana visio, juxta illud Horatii, lib. I *Serm.*, satyr. 1 :

Mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Et mox :

Congestis undique saccis
Indormis inhians, et tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Audi S. Chrysostomum, hom. 2 *ad Pop.* : « Avarus ait, custos est, non dominus; pecuniarum servus, non possessor. Facilius enim alicui ex propriis carnibus, quam ex defosso auro communicaret. Velut enim quodam mandante et jubente nihil de repositis tangere, sic cum omni diligentia ea servat et continet, a suis tanquam alienis abstinens, quippe sunt aliena : quæ enim aliis erogare nunquam pateretur, neque in necessariis impendere etiamsi infinitas sustineret pœnas, quomodo hæc esse propria putare posset? Quomodo vero eorum habet possessionem, quorum nec usum, nec fructum cum libertate habet? »

Apologus avari ex talpa.

Porro avarus ita cernit opes suas, ut ab iis excæcetur, ne veras sapientiæ et liberalitatis opes videat. Quocirca ejus symbolum est talpa, de quo pulcher exstat apologus apud Cyrillum, lib. III *Apol. Moral.* II, cui titulus : *Rerum terrenarum cupidos esse cæcos* : Talpæ, inquit, incusabant naturam, quod oculorum usum visumque sibi denegasset, quem dedisset basilisco et hyænæ. Cui natura respondit, se id juste et sapienter fecisse : « Nam latebras incolis, inquit, et terrena totaliter dilexisti, nec non amore terrestrium perdidisti cœlestia, et diligendo odibiles tenebras lumine caruisti. At nescis quod avaritia monstrosa, quia nimis adamavit terrestria, perdidit cœlestia, et habet oculos et non videt. Nam ut cæca dimisit vera bona pro falsis, fixa pro fluidis, cœlestia pro terrenis : sic et infinita maximaque bona pro minimis, gloriosa pro miseris, secura pro dubiis, sancta pro pessimis, et gaudiosa pro afflictivis commutavit. Congregat quidem stulta exterius; sed intus depauperatur; in nugis se tenet defluentibus, terram possidet et a diris inferis possidetur. Quin et vorat ut evomat, amat quo pereat, acquirit quod perdat, curat quod doleat, et se onerat, ut velocius in abyssum descendat. Si audisti (*Genes.* III), homo, avaritia obcæcatus, deliciarum mox perdidit paradisum. Nam cum animus a Deo aversus apparentium tantum cupiditatem concepit, illico mentis lumen intus perdidit, et foris talpeis oculis reseratis nuditatis suæ duntaxat pauperiem videt. Quin etiam (I *Reg.* XV, 9) Saul contuitu rationis orbatus, dum pecora concupivit, regali gloria caruit. Et male possessis bestiis, una secum pares amisit. » Idem novo chamæleontis apologo confirmat : « Quam bene profecto chamæleon corvo, carnis ejus cupiditate ipsum infestanti respondit : O si vitiositatis interjecta caligine, visum prudentiæ tibi cupiditas non abstulisset, utique attenderes quod te, si me possides, perdes. Habes igitur, talpa, cur sic fueris fabricata, cum compositionis tuæ ratio avaritiæ sit imago. Quibus auditis, una cum verbis querimonia cessavit. »

Et chamæleonte.

Ostendit hic Ecclesiastes vanitatem opum et avaritiæ novem rationibus. *Prima* est, quod avarus non impleatur pecunia; *secunda*, quod fructum non capiat ex ea; *tertia*, quod ubi multæ sunt opes, sint et multi qui eas consumunt; *quarta*, quod nil voluptatis ex eis capiat, nisi quod eas videat; *quinta*, quod saturitas divitis non sinit eum dormire; *sexta*, quod divitiæ conserventur in malum domini sui; *septima*, quod dives sæpe relinquat filium et hæredem pauperem; *octava*, quod nudus revertetur ad sepulcrum; *nona*, quod vitam omnem transigat in curis, labore, ærumna et tristitia. Hinc concludendum relinquit in opibus frustra requiri, aut collocari animi quietem et felicitatem, uti pulchre ex hoc loco docet S. Thomas, *Quæst.* II, art. 1, ad 3. Huc spectant decem avarorum vanitates, quas recensui *Eccli.* cap. XIV, vers. 3.

Novem damna avaritiæ.

Vers. 11. 11. DULCIS EST SOMNUS OPERANTI, SIVE PARUM, SIVE MULTUM COMEDAT : SATURITAS AUTEM DIVITIS NON SINIT EUM DORMIRE. — Septuaginta et Arabicus, *dulcis est somnus servi, qui toto die operatur et laborat*, præsertim in agro colendo. Hebræum enim עבד *obed* alludit ad agrum כעבד *nebad*, id est laboratum et cultum, vers. 8. Campensis, *suavis est somnus ei qui laborando se exercet*. Vatablus, *qui labore manuum victum sibi parat.*

Quinta opum vanitas.

Est hæc quinta opum vanitas, quod opes pariant otium, inertiam, gulam et crapulam, item curas et anxietates, indeque ἀγρυπνίαν, sive vigilias, ut dives ob stomachum cibo onustum, indigestionem et cruditatem, æque ac curas et sollicitudines, noctu dormire nequeat, sed in mente anxiis curis, in stomacho flatibus, in capite vertigine et doloribus torqueatur; cum ex adverso paupertas cogat ad opus et laborem, atque ad

frugalem cibum, quo fit ut pauper per diem labore fessus, curarum expers noctu placide et suaviter dormiendo conquiescat. Nam, ut ait Galenus, lib. I *De Symptomat. caus.* cap. VIII : « Natura poscit ut qui liberalius se exercuerunt, eos altior somnus premat, tanquam multæ vires iis, cum laborent, a principio defluxerint. » Quocirca nihil ita somnum conciliat, ut exercitium, labor et lassitudo, adeo ut suppleat vicem cibi. Lassus enim dormit, « sive parum, sive multum comedat. » Audi S. Chrysostomum, lib. *De Virgin.* cap. LXX : « Dulcis illi somnus non propter lectum mollem, sternitur enim humi, vel super paleas; non propter libertatem, quia ne temporis quidem punctum ei liberum est; non propter otium, nam laboribus et ærumnis conficitur assidue; sed hi ipsi labores, et quod coactus prius necessitate somno se dederit, sunt in causa cur adeo dulciter dormiat. » Idem, hom. 2 *ad Popul.*: « Cur, ait, addidit, sive parum comedat? Ambo, inquit, hæc vigiliam inducere solent, indigentia et crapula : illa quidem arefaciens et palpebras corneas reddens, nec claudi permittens; hæc vero anhelitum angens, et elidens, et multos inferens dolores; sed tanta est laborum medicina, quod si etiam ambo adsint, servus dormire potest. » Inde S. Chrysostomus colligit pulchra quædam, vel theoremata, vel axiomata. *Primum* est, veram voluptatem, qualis est somni dulcedo, emi non auro, non deliciis, non otio, sed exercitio et labore; illius enim esse mercedem. *Secundum,* pauperes magis honestam æque ac jucundam agere vitam in paupertate et labore, quam divites in otio et luxu : quia per diem vilis cibus pauperi esurienti magis sapit, quam omnes deliciæ diviti saturo et nauseanti; per noctem vero pauper suaviter dormit, cum dives pervigilet, ac crapula et curis mille torqueatur. *Tertium,* pauperes saniores et robustiores esse divitibus, qui proinde medice, id est misere vivere coguntur : « Divitibus enim, inquit, in jucunditate multæ ægritudines irruunt; pauperes autem a medicorum manibus immunes sunt. Si vero nonnunquam et in imbecillitatem incidant, brevi seipsos instaurant mollitie omni liberi, et corpora robusta habentes. Magna possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus. Thesaurus qui nequeat auferri, baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diversorium ab insidiis tutum. » Vide Titelmannum hic divitum noctes insomnes, ac corporis animique tormenta graphice describentem.

Mystice, somnus est quies conscientiæ, quam possidet operans virtutum opera, qua caret dives, qui bonis terrenis inhiat. Audi Cassianum, *Collat.* XXIV, cap. V : « Et revera si comparare volueris suaveolentem virginitatis florem, et tenerrimam castimoniæ puritatem tetris ac fœtidis libidinum volutabris, quietem securitatemque monachorum periculis et ærumnis, quibus mundi hujus homines implicantur; paupertatis nostræ requiem edacibus divitum tristitiis, ac pervigilibus curis, quibus non absque summo vitæ periculo diebus ac noctibus consumuntur, suavissimum jugum Christi, onusque levissimum facile comprobabis. » Hinc Septuaginta hoc loco vertunt, *dulcis est somnus servi*, id est obedientis, qualis est religiosus qui se ab omni cura liberavit, imo secutus Psaltis consilium jactavit super Dominum curam suam, *Psalm.* LIV, 23; ideoque dormit in utramque aurem pacatissimus.

SIVE PARUM, SIVE MULTUM COMEDAT. — Non quod si notabilis in comedendo sit excessus, non possit somni quoque difficultatem pati, sed quia propter fatigationem et stomachum valentiorem, quamvis paulo largius vescatur, indormiscit facile; nec quia parcior sit cibus, laborat in somno capiendo, laboribus lassatus, nam « fessos sopor irrigat artus. » Vehemens enim labor calorem concitat, humor liquatur calore; cerebrum calor petens ibi refrigeratur, ac densatus conciliat somnum; nimius item labor cum spiritus consumat, fit ut refrigeratum corpus opprimatur somno.

Ita ex Aristotele, Galeno, Tertulliano, Platone, Plutarcho, Plinio et aliis noster Lorinus.

SATURITAS AUTEM DIVITIS NON SINIT EUM DORMIRE. — « Saturitas » hic tum ciborum et deliciarum, tum divitiarum copia accipi potest : hæc enim parit diviti avaro mille curas et sollicitudines quæ non sinunt eum dormire. Cura enim, sollicitans animum, agitat in cerebro spiritus vitales, itaque vigiliam parit; juxta illud Virgilii, lib. *Georg.*:

Somnos abrumpit cura salubres.

Unde Septuaginta vertunt, *et ei qui repletus est ditescendo* (Complutenses, *et repleto ditari*; Olympiodorus, *et pleno divitiarum dormire,*) et Arabicus, *aviditas in divitiis non permittit ei ut dormiat.* Nam, ut ait S. Augustinus in *epist.* S. Joannis : « Implevisti domum, timentur latrones : acquisivisti aurum, perdidisti somnum; » et Thaumaturgus : « Ecce pauper, inquit, quamvis senex sit, nec habeat quo ventrem suum expleat, placido tamen somno refocillatur, cum interim avaro vigiliæ cruciatusque animi quietem excludant. »

S. Hieronymus et ex eo Alcuinus et Olympiodorus utramque saturitatem, sive copiam tam ciborum quam curarum accipiunt, *q. d.* Dives dapibus distentus redundante crapula, et incocto cibo in stomachi angustiis eructante, atque insuper cogitationibus et curis pungentibus lancinatus, dormire non valet. Sicut enim cibi indigesti in stomacho, sic et curæ atque anxiæ sollicitudines in mente molestos cient flatus et tumultus, qui omnem quietem eripiunt. Audi S. Ambrosium in *Psalm.* I : « Quomodo potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam? qui damna formidat? qui lucra cogitat? qui usuras computat?

qui hypothecas numerat?» Idem, lib. *De Nabuth* cap. VI ; «Naturæ, inquit, ipsius nescit munia, nec somni novit vices : excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infecundorum perturbat, sollicitat abundantia. Ne ipse quidem Deus ipsum dormire permittit; interpellat cogitantem, excitat dormientem. Sed nec ipse se quietum esse patitur, qui in ubertate fructus sollicitatur, et vocem egentis emittit. Quid faciam, inquit? Nonne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia vivendi? »

Porro Chaldæus mystice per somnum accipit mortem, et per operantem colentem Deum : « Suavis, ait, somnus viri qui colit Dominum mundi, et est quies in domo sepulcri ejus, sive paucos annos vixerit, sive multos; postquam servivit Domino mundi in sæculo hoc, ad sæculum venturum mercedem operum manuum suarum hæreditabit, et sapientia legis Domini erit viro diviti in sapientia. Ecce quemadmodum studuit in ea in sæculo hoc, et sollicitus fuit in doctrina : sic requiescet super eum in domo sepulcri ejus; et non deseret eum solum, quemadmodum non sinit uxor virum suum ut dormiat solus. »

Igitur curæ sunt velut apum aut vesparum examen, quod suo murmure et bombis, ac multo magis aculeatis ictibus assidue pungit, vellicat, et tantum non enecat avarum.

Rursum, sicut culices, licet exigui, agminatim volitantes et in hominem involantes, sua armantur tuba et lancea : tuba qua resonant; lancea qua feriunt : sic multo magis utraque armata, in avarum noctu involant plurima anxiarum curarum agmina instar sciniphum Ægypti, *Exodi* VIII, 17. Hinc curæ a poetis vocantur *mordaces* et *edaces*. Audi S. Bernardum, serm. 39 *in Cant.*, tumultuantem avaritiæ currum graphice depingentem : « Avaritia rotis et ipsa vehitur quatuor vitiorum, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio. Porro jumenta trahentia, tenacitas et rapacitas, et his unus auriga ambobus præsidet, habendi ardor. Sola siquidem avaritia, quoniam conducere plures non patitur, uno contenta est servitore. Ipse vero, injuncti operis promptus admodum atque infatigabilis exsecutor, urgendis sane jumentis trahentibus flagris utitur acerrimis, libidine acquirendi et metu amittendi. » Hinc est ergo quod avari et divites, esto splendide epulati, æstuent tota nocte insomnes; et pauperes labore diurno fatigati, et frustulo panis contenti placidos hibernis noctibus somnos producant.

Moraliter, hic disce quam parcitas, æque ac labor, sit utilis et suavis : hinc vita agricolarum laboriosa eosdem facit robustos, hilares, honestos, sanos, sanctos; quare suavius et melius dormiunt. Magna enim somni est utilitas et suavitas; somnus enim vires restaurat et nutrit, æque ac cibus. Hac de causa « somnus dimidium vitæ nobiscum partitur, » ait Philo. Unde S. Basilius apud Antonium in *Melissa*, part. I, cap. XLII : « Gratias age, inquit, illi qui nos mirabiliter per somnum ab assiduis laboribus recreat, et modicæ quietis beneficio rursus ad vigorem virium reducit. » Hinc Sicyonii pingebant somnum leones domantem. Pausanias in *Corinth.*: « Nullus, ait, tam sævus est dolor, qui non sopiatur somno, » causamque reddit, quod tum sopiantur sensus, qui dolores sentiunt; iidem somno roborantur, ut facilius dolores et labores ferant in vigilia. « Somnus, ait Cicero, lib. II *De Divinat.* est omnium laborum perfugium » et « famis domitor, » ait Menander. « Est otium animæ, tanquam onus deponentis seque recreantis, et in secessum abdentis, » ait Themistius. « Est vitæ portus, » ait Seneca in *Hercule fur.* « Est donum deorum et laborum oblivio, » ait Plutarchus, lib. *De Superstit.* « Est suave velamen oculorum et mentis, » ait Poeta. « Est junior et puerilis deus, » ait Euclides apud Stobæum, *serm.* 6. Hoc somni bonum avaro excutit avaritia et diviti crapula. « Saturitas enim divitis non sinit eum dormire. Excitat enim eum cupiditas, excitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infœcunda perturbat, sollicitat abundantia, » ait S. Ambrosius, *De Nabuth.* cap. VI. In eo ergo impletur illud *Jerem.* XVI, 13 : « Servietis diis alienis (mammonæ et ventri) die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. » Idem locum habet in superbo, invido, rixoso, guloso et quovis peccatore.

Hoc est quod ait Siracides, cap. XXXI, 23 : « Vigilia et cholera, et tortura viro infrunito; somnus saturitatis in homine parco : dormiet in mane, et anima illius cum ipso delectabitur. » Vide ibi dicta. Quocirca S. Hieronymus vel quisquis est auctor *Exhort. ad Virgin.* cap. XXXV : « Tanta, ait, sit in sumendo cibo sobrietas, tanta talisque parcitas, ut venter potius conqueratur quam gaudeat. Non egeat in digerendo stomachus medicinis, ructum potius vacuatio quam nimia repletio inducat. »

Unde S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. XXXI, ait : « Hoc me docuisti (Domine) ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam; » ut sicut medicamenta non accipiuntur ad satietatem, sed ad salutem corporis, ita alimenta non ad satietatem, sed ad ejusdem corporis sustentationem sumantur. Idque servabat S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, cui (ut in ejus Vita legitur) nunquam curæ fuit, ut pasceret corpus, sed ut sustentaret. Qui autem propter Dominum dabat carni suæ panem arctum et aquam brevem, meruit pane vitæ et intellectus refici, cum fuerit sapientia clarus, et sui temporis doctor eximius.

Hinc Patres docent in refectione corporis partem potiorem dandam esse refectioni mentis, in pia lectione, vel cogitatione. Audi S. Bernardum In mensa mens alenda.

ad Fratres de Monte Dei : « Cum manducas, nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat, sed de memoria suavitatis Domini, vel Scripturarum aliquid, quod eam pascat meditando, vel saltem memorando, secum ruminet et digerat. » Et S. Basilium : « Inter epulandum hoc cavere convenit, ne helluantium speciem præbeamus, sed et constantiam et mansuetudinem ubique retineamus, atque in percipiendis voluptatibus æquabilem continentiam, ne tum quidem porro ita animis esse feriatis nos oportet, ut commentatione rerum divinarum vacemus : quippe qui alimentorum naturam, corporisque aliti opificium, argumentum habeamus divinas laudes exordiendi, utique cum in mentem nobis venit, quomodo varia cibi genera corporum qualitati accommodata ab eo sint inventa, qui omnia moderatur et regit. » Hæc S. Basilius, *epist.* 1.

Vers. 12. 12. EST ET ALIA INFIRMITAS PESSIMA, QUAM VIDI SUB SOLE : DIVITIÆ CONSERVATÆ IN MALUM DOMINI SUI. — « Infirmitas, » id est miseria, afflictio, ærumna; S. Hieronymus, *languor pessimus*; Symmachus, *morbus malus*; Olympiodorus, *gravis et intensus morbus*; S. Ambrosius, in *Psalm.* I : *Languor malus*; Syrus, *infirmitas mali*; Arabicus, *est aviditas*; Vatablus, *est malum atrox*; alii, *est ægritudo mala*; Campensis, *inveni aliud tristissimi mali genus*.

CONSERVATÆ IN MALUM. — Malum hic tum culpæ accipi potest. Unde Aquila vertit, *in malitiam ejus*. Opes enim diviti sunt occasio superbiæ, gulæ, luxuriæ, rapinæ omniumque scelerum; tum potius pœnæ. Unde Olympiodorus vertit, *in perniciem suam*; Tigurina, *a suis possessoribus in ipsorum exitium*.

Sexta opum vanitas. Est hæc sexta opum et avaritiæ vanitas, quod sint perfidæ, ipsumque divitem affligant, ac subinde strangulent et necent, eo quod necis ipsius sunt causa vel occasio : nam divites sæpe litibus vexantur, opibus mulctantur, quin et occiduntur, ut divitiis spolientur, sive a prædonibus, sive ab injustis judicibus et principibus, sive a sociis, etc., uti Naboth occisus est ab Achab, ut ejus vineam possideret, III *Reg.* XXI. Narrat Plutarchus in *Parall.*, Brennum Gallorum regem rogasse suos milites, ut in sinum avarissimæ virginis, quam adamabat, amantem tamen plus auri, quam regis, aurum, quod gestabant, immitterent : quo factum est ut magna vi auri vivens obrueretur. Ita auro suo suffocantur opulenti.

Quocirca Thaumaturgus vertit, *reconditas opes conservare esse sexcentenorum malorum occasiones sibi ipsi custodire*. Timocreon Græcus poeta lyricus scripsit carmen adversus Plutum deum divitiarum, in quo ita canit : « Utinam, o cæce Plute, neque in terra, neque in mari, neque in continenti compareres; sed Tartarum habitares et Acherontem! Propter te enim omnia inter homines mala. »

Audi S. Ambrosium, in *Psal.* I : « Avaritiæ languor, inexplebilis cupiditatis languor. Istæ divitiæ sunt, ut dicit Ecclesiastes : Est languor malus, quem vidi sub sole : divitias custodiri in malum possidentis eas. Dic mihi, o Ecclesiastes, qua ex causa malus hic languor sit? Respondebit : Quia multos avara spes devorat. Insatiabilis edacitas cupiditatis est, nescit satiari argento, qui concupiscit argentum. Distendunt divitiæ, non explent, et si quis satiatus fuerit divitiis, non est, inquit, qui sinat eum dormire. Et quidem omnes dies ejus in tenebris et luctu, et iracundia multa, et languore, et ira. »

Unde concludit : « Malus ergo languor, qui bonam aufert mentis quietem. » Quocirca per « malum domini » accipi etiam potest cura, sollicitudo, afflictio, quam opes afferunt hero, dum, ut ait S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, avarus « elementa concutit, mare sulcat, et terram effodit, cœlum votis fatigat, nec sereno gratus, nec nubilo, condemnat proventus annuos, fœtusque terrarum arguit. »

Denique Chaldæus per malum hoc avari accipit supplicium futuri sæculi : « Est, inquit, perniciosum malum, quod vidi sub sole, cui medicina non est : homo qui divitias congregat, neque eas ad pietatem confert, parum sane pervidens dierum finem. Hæc enim substantia illi in perniciem venturo sæculo servatur. »

In futura enim vita avari torquebuntur summa pauperie, inopia, fame, siti in igne gehennæ, uti torquetur dives epulo; quod repræsentarunt poetæ per Tantalum, qui sitiens in mediis aquis usque ad os pertingentibus, nunquam tamen sinitur ore eas haurire, et sitim restinguere.

Audi Salvianum, lib. I *Ad Eccl. Cathol.*: « Avaro, inquit S. Scriptura, nihil est scelestius, et pessimum ac feralissimum morbi genus : Divitiæ conservatæ ad malum domini sui : verum est; quid enim pejus, aut quid miserius, quam si quis præsentia bona in futura mala convertat, et quæ ad hoc a Deo data sunt, ut pararetur ex eis vitæ beatitudo perpetua, per hæc ipsa quæratur mors ac damnatio sempiterna. »

Tropologice, Hugo per divitias accipit copiam scientiarum et virtutum, quæ conservantur in malum domini, cum ipse iis ad vanitatem vel gloriæ, vel lucri abutitur.

Noster Alvarez de Paz, lib. I *De Vita spirit.* part. II, cap. XIII, per divitias accipit copiam gratiarum ac mediorum omnium ad perfectionem, quibus abundant religiosi; sed dum iis per acediam uti negligunt, cedunt illis in majorem damnationem, *Eccle.* V, 12 : « Divitiæ conservatæ in malum domini sui. »

Hanc gnomen illustri pavonis et corvi apologo, aureis gnomis velut gemmis interstincto, repræsentat S. Cyrillus, lib. III *Apolog. Moral.* cap. XVI : « Pavonem, inquit, pennis aureis undique spoliatum cum corvus aspiceret, deridens pompo- Apologus de

opum nota. sum et olim divitem, dixit : Ubi est miris picta luminibus desiderabilis tua penna? quonam abiit alarum splendentium gloria? quove plumarum gemmantium fugit mirabilis ornatura? At ille minus patiens, illusoriis verbis indignatus, respondit : Quanquam insatiabilis humanæ cupiditatis vorago pennarum opes absorbuerit, naturæ tamen beneficio ars reparatrix non deerit vere liberalis. Unde licet pennis modo privatus sim, spem tamen recuperandi non perdidi; tu vero semper miser es. Cui ille : In adversis, ut video, calamitas tua calamitatibus non eruditur. » Amentiam deinde pavonis exaggerans subdit : « Jam decaudatus es, et unde acciderit non vidisti; depauperatus es, et unde damnum evenerit non sensisti. Malum minime te docuit : quamobrem absque moderamine crescit. Revera prædilecta penna odibilem te reddidit, et placida cauda te dehonestavit, atque adeo tua tibi opulentia quid nisi paupertas fuit? etenim quia hanc habuisti, perdidisti, et iterum concupiscis unde cum doloribus exspolieris infelix. » Unde hoc epimythium, velut scopum fructumque apologi colligit: « Quare non habere melius est quam rem desideratam perdere; dignas certe gratias lætus ago naturæ, quod pennam mihi pauperem dederit, ac tali natura puto me esse divitem. Nam hoc modo meus sum, et nemini in prædam dilectus. Nigra penna illustrat me, et pluma paupercula me ditat, ac spreta caudula tutatur. Verum te divitiæ tuæ pauperem faciunt, desiderabilitates odiosum, deliciæ dolorosum, gloriositates inhonestum, felicitates miserum et excrescentiæ minoratum. Maledictæ igitur sunt tales divitiæ, quæ suum depauperant, decaudant et vituperant possessorem. Quarum nempe convertitur in nuditatem possessio, in dolorem dulcedo, in confusionem gloriatio, et decor in deformitatem. Gaude igitur, si prudens es, quod hostiles opes amiseris, nec eas ultra appetas, sed opulentum judices te, si illis careas. Quibus eruditum ditavit depauperatum magister. »

Vers. 13. 13. PEREUNT ENIM IN AFFLICTIONE PESSIMA. — Τὸ *pereunt* nequit referri ad τὸ *domini sui;* sic enim dicendum fuisset : *perit dominus;* quare referendum ad τὸ *divitiæ*. Unde Hebræa habent, *periit opulentia illa in occupatione mala* (1); et vetus editio S. Hieronymi habet, *perierunt divitiæ illæ in distensione pessima.*

Sensus est, quasi dicas : Opes sæpe conservantur in malum domini sui, quia illi pereunt, id est, ab eo vi, vel fraude, vel naufragio aliove casu auferuntur, eumque pauperem relinquunt, affligunt et cruciant, ac subinde perire faciunt perduntque, dum propter eas vita spoliatur. Unde illud S. Augustini : « Quod non capit Christus, rapit fiscus; » et : « Avarus, dum colligit, colligitur; dum vult esse prædo, fit præda, » ait idem S. Augustinus in *Psal.* XXXVIII. Apposite Plutarchus, opusc. *De Cupid. divit.*, cupiditatem avarorum nuncupat asininam et fornicariam : quia sicut asinus ad balnea ligna comportans, fumo semper oppletus et favilla, in nullam lavacri, caloris munditiæque partem venit : sic avaritia hominem eviscerat labore, ut ditescat, et tamen nunquam divitiis suis satiatur. Comparat præterea cum muribus, qui vorant in metallis chrysitidem, nec eam reddunt nisi mortui et dissecti; item cum figlinis canalibus, qui nihil in se retinent : sic enim avari coacervant multa, ut hæredibus relinquant; et hi aliis, sicque deinceps.

Præclare S. Chrysostomus, hom. 20 *in epist. ad Hebr.*: « Intuere, ait, quanta fiant mala propter pecunias, quod affectione et passione quadam tenemur circa eas : verbi gratia, si perdit aliquis pecunias, vitam ducit omni morte pejorem. Quid doles, o homo? quid lacrymaris, quia te a cura custodiendi superflua liberavit Deus? quia non sedes tremens et metuens? Dic itaque si te quispiam alliget ad thesaurum, præcipiens ut illi semper assideas, vigilem curam alienis impendas, nonne doleres et difficulter ferres? Tu teipsum alligaveras vinculis pessimis, et quia illa servitute liberatus es, doles. » Idem, *hom.* 33 : « Propterea Deus abstulit tibi divitias, ut te liberet a pessima servitute. Nam et pater optimus, cum viderit filium amore meretricis alicujus deperire, si admonitiones ejus audire neglexerit, illam meretricem de medio auferens in exsilia longinqua detrudit. Talis est etiam abundantia divitiarum. Curam igitur de nobis gerens verus pater et optimus Dominus, volens nos ab hac læsione liberare, aufert nobis pecunias, quarum amore mens nostra corrumpitur. »

Pro *afflictione pessima* hebraice est *in occupatione mala*, quod aliqui accipiunt de vitio et peccato; *q. d.* Divitiæ sæpe pereunt diviti, eo quod per scelus, puta per usuram, fraudem, rapinam, injustum contractum sint comparatæ, juxta illud S. Hieronymi, epist. 160 *ad Hedib.* Quæst. I : « Dives, aut iniquus est, aut iniqui hæres; » et illud Platonis, lib. V *De Legib.*: « Sermo nobis rectus, id est verus, quod admodum divites non sunt boni; » et Menander : « Nunquam vir æquus dives evasit cito. » Unde Chaldæus vertit, *quia enim malis artibus comparaverat, in filium ejus non confirmabitur, nec illi quidquam erit reliquum.*

Melius tamen Noster per *occupationem malam* accipit *afflictionem pessimam;* et Septuaginta, *distensionem pessimam;* Campensis, *pereunt divitiæ postquam dominos suos graviter afflixerunt.* Affligitur enim avarus sollicitudine in conservando et augendo suas opes, dolore vero ac mœrore in perdendo, dum videt eas sibi a furibus, vel principibus, vel amicis, vel æmulis, vel casu adverso eripi.

(1) *Occupatione mali,* seu *negotio malo,* id est per casus infelices; alii, eo quod male adhibentur et administrantur.

GENERAVIT FILIUM QUI IN SUMMA EGESTATE ERIT. — Hebraice, Græce, Syre et Arabice, *et non est in manu ejus* (1) *quidquam*; Tigurina, *qui prorsus nihil habuerunt*; Campensis, *neque enim ipsis, neque filiis eorum quidquam reliquum fuit*; Chaldæus, *et liberis post mortem dimissa hæreditas omnino peribit.* Est nova hæc divitis avari afflictio, quod videat divitias perire non tantum sibi, sed et filio, ut eum in summa egestate relinquat : quia scilicet perierunt opes, sive furto, sive casu aliquo parenti; aut quia filius eas prodige consumpsit; vel quia filius patrem secutus sordide opibus inhiat, nec audet iis uti, sed fame et ærumnis tabescit, ut opes intactas conservet. Porro communiter magis affligit parentes egestas ac damnum filiorum, quam propria. Hinc in Anglia vidimus catholicos nonnullos, qui fortes steterant in tormentis, a fide defecisse, ne spoliarentur bonis et nobilitate, ac cogerentur filios relinquere pauperes et ignobiles. Durum enim parenti est a filiis et nepotibus jugiter audire : Tui causa sumus miseri, egeni, exsules, ignobiles : tu perdidisti et exstinxisti decus familiæ nostræ. Per te periit nobilitas totius prosapiæ nostræ; cum ex adverso homini si solus sit et illiberis, facile sit et gloriosum ob amorem Dei, fidei et religionis orthodoxæ perdere fortunas, nobilitatem et vitam. Hoc enim est laus et gloria martyrii.

Septima.

Est hæc septima vanitas opulentiæ et avaritiæ; sequitur octava.

Vers. 14. Octava.

14. SICUT EGRESSUS EST NUDUS DE UTERO MATRIS SUÆ, SIC REVERTETUR, ET NIHIL AUFERET SECUM DE LABORE SUO. — Arabicus, *et nihil reperit ex labore suo, ut vadat portans illud in manu sua*; sic fere Hebræa, Septuaginta et Syrus (2). Unde S. Hieronymus, *nihil accipit ut teneat in manu ipsius*; Vatablus, *ut discedat sicut venit*; Campensis, *ita nudi eo revertentur unde prodierunt, nec ulli quidquam eorum hinc secum asportabunt, quæ tantis molestiis acquisierunt, q. d.* Tam pater depauperatus qui genuit filium, quam filius quem in egestate reliquit, nudi revertentur in terram moriendo, sicut ex ea nudi prodierunt nascendo, nec quidquam eorum quæ tanto labore corrogarunt, secum auferent, juxta illud : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc, » *Job* I, 21. S. Cyprianus, tract. *De Mort.* legit : « Nudus exivi de utero matris, nudus etiam redibo sub terram. » Et illud : « Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus, » I *Timoth.* VI, 7; et illud : Dives « cum interierit, non sumet omnia (*non omnia*, id est *nihil*, est Hebraismus) : neque descendet cum eo gloria ejus, » *Psal.* XLVIII, 18. Omnes ergo opes, omnes pompæ, omnia bona hujus mundi sunt exuviæ cuique exuendæ in morte. Idem videre philosophi : Seneca, lib. *De Moribus* : « Omnes infantes, inquit, terra nudos excipit. » Plinius, initio lib. VII, comparans hominem cum cæteris animantibus, quod inter cuncta nudum et inermem natura generarit : « Hominem, inquit, tantum nudum, et in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus. »

Nota : Τὸ *sicut* vim habet comparationis et illationis, *q. d.* Ex eo quod nudi nascimur, liquet vestes, opes cæteraque bona, quæ mundus hic nobis ministrat, non esse nobis propria, sed commodata, et ad usum concessa, quamdiu hic vivimus : quare non licet nobis, dum abimus et morimur, ea nobiscum asportare, perinde ac famulus qui init domum principis, accipit gladium, pallium et vestes principe dignas; at ubi domum deserit, eadem in illa reponit et reddit, quasi ad tempus servitii commodata, et aliena, non propria.

Porro Chaldæus exponit divitem e vita egredi nudum, quia egreditur sine meritis bonorum operum, quæ neglexit ex avaritia, acedia, gula, etc.

15. MISERABILIS PRORSUS INFIRMITAS! — Hebræa, *mala*, i. e. pessima, *infirmitas*, de quo vers. 12. Alius vertit, *etiam malum hoc dolorosum*; Tigurina, *malus est ille morbus*; Vatablus, *istud etiam supplicium laboris plenum*; Campensis, *sed et hoc etiam triste malum est*; Chaldæus, *malus morbus, cui non est medicina*, vel *cui mederi non possumus*. Est epiphonema humanæ miseriæ, quam per sequentia exaggerat; licet enim eam omnes mortales experiantur, tamen maxime sentiunt divites et avari, quibus in morte grave tormentum est opes adeo adamatas et tanto labore partas relinquere, nec quidquam ex eis posse secum, vel ad viaticum efferre.

Vers. 15.

QUOMODO VENIT, SIC REVERTETUR. — Pro *quomodo* hebraice est כל עמת *col ummath*, quod Cajetanus vertit, *omnis contra*, vel *e regione*; unde vertit, *omnis contra*, vel *juxta quod venit, sic abit, q. d.* Quilibet homo eo modo quo venit nascendo sine opibus, sic ibit moriendo; venit obviando nuditati, nudus abit obviando pariter nuditati, quæ nudum natum, nudum pariter morientem recipiet. Est prosopopœia, fingitur enim nuditas, quasi persona et mater, omnes homines nudos in vitam emittere, dum nascuntur, et nudos recipere, dum moriuntur. Alius vertit, *omni pacto*, vel *omnibus modis sicut venit, sic abit*; Tigurina, *omni respectu, sine oppositione qua venit*, id est *plenissime, eo prorsus modo quo quisque in mundum venit, ita egredietur*; Campensis, *omnes quo modo intraverunt in mundum, eo et relicturi sunt mundum*; Campensis, *omnium rerum est vicissitudo* : עמת *um-*

(1) *Ejus*, patris an filii ? prius videtur anteponendum, hoc sensu : Filium gignit, cui nihil sit relicturus.

(2) Hebr. est, *quemadmodum egressus est* homo, tum ille dives, tum homo quisque, *ex utero matris suæ*, nudus scilicet, ita *nudus redibit ad eundum*, id est iterum abibit, *quemadmodum venit. Et quidquam non tollet*, auferet moriens *ex labore suo, quod ire faciat*, id est abducat, *manu sua*. Similiter Propertius, lib. III *Carm.* V, vers. 13, 14 :

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas;
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.

mat enim significat conjunctionem, consequentiam, necessitudinem, societatem, similitudinem. Unde עמית *amith* vocatur socius. Igitur ad verbum proprie sic vertas, *omni congruentia et similitudine sicut venit, sic revertetur.* Forte etiam Massoretæ male per diastolen duabus dictionibus scripserunt *col ummat,* cum per sistolen una dictione scribendum videatur כלעמת *kilummat,* id est ad verbum, *secundum congruentiam*, vel similitudinem, id est sicut, similiter, uti vertit Noster, Septuaginta, Chaldæus, Syrus, Arabicus cæterique omnes. Summa *kilummat* significat summam congruentiam, convenientiam, similitudinem in nuditate nascendi et moriendi, quod homo, sicut prorsus nudus natus est, sic prorsus nudus moriatur et abeat e mundo. Hinc gentiles olim morienti obolum duntaxat in os inserebant, ut eum pro naulo solveret Charonti, qui defunctorum animas per Stygem et Acherontem devehit ad inferos, ut refert Lucianus, dial. *De Luctu,* quo significabant eum plene nudum, solum, ab omnibus desertum, et omnium rerum inopem, gementem et plorantem, omniumque injuriis expositum, uti natus fuerat, ita mori et redire ad terram communem omnium matrem, æque ac sepulcrum. Chaldæus addit eum redire, ut venit, expertem meritorum : *Sicut,* ait, *venit in mundum homo meritis privatus, sic in aliud sæculum pergit.*

QUID ERGO PRODEST EI QUOD LABORAVIT IN VENTUM?— Pro *prodest* hebraice est יתרון *iitron,* quod Septuaginta vertunt, *quæ abundantia, qua laborat in ventum?* Syrus, *in spiritum*; Symmachus, *quid igitur amplius ei qui laboravit?* Vetus editio S. Hieronymi, *quæ abundantia ejus qui in ventum laborat?* Arabicus, *quæ præstantia ei qui laborat ventis?* Tigurina, *quid operæ pretium contigit ei qui vane labores impendit?* alii, *quid utilitatis, vel quid supererit ei?* Campensis, *quid proderit animum hic variis curis afflixisse?* Chaldæus, *quænam accessio ei esse potest, quod laboravit ut ventum aucuparetur?* Olympiodorus, *quid laboras in ventum, cum sint divitiæ prorsus instabiles, et aquatili bullæ cum detumescit persimiles?*

Sic *Zachar.* VI, regna splendida eorumque opes et gloria comparantur vento, quia instar ventorum fugacia sunt, contraria, et contra se mutuo conflictantia, impetuosa, abeuntque illico in fumum et ventum. Addit Titelmannus : Quia ventus dispergit congregata, ut nullus sit eorum usus; et Thaumaturgus : Ventus, ait, notat impetum et ardorem quo dives congregavit opes, illico cum opibus transire, et tenues vanescere in auras. Jam cogita quanta sit miseria, afflictio et mentis ægritudo operario, qui post asininos plurium annorum labores, sine mercede, sine veste, nudus domo exturbatur! Quanta sit agricolæ, qui post assiduos et maximos hiemis labores nudus, infirmus et famelicus agro messeque sua expellitur, ac scito similem esse divitis avari in morte.

Vers. 16. 16. CUNCTIS DIEBUS VITÆ SUÆ COMEDIT IN TENEBRIS, ET IN CURIS MULTIS, ET IN ÆRUMNA ATQUE TRISTITIA.— Septuaginta, *et quidem omnes dies ejus in tenebris, et in luctu, et iracundia multa, et languore, et insania*; Syriacus, *et etiam omnes dies suos in tenebris comedit, et in furore multo, et in ira, et tristitia atque infirmitate*; Arabicus, *et propterea omnes dies ejus in tenebras, et lamentationem, et in iram multam, et infirmitatem; et amaritudinem* (1).

Lyranus hanc gnomen refert ad divitem qui perdidit divitias, vers. 12 et 13. Inde enim oratio continuo filo deducitur hucusque, *q. d.* Dives avarus, qui perdidit opes suas, versatur in tenebris et luctu, id est jugi dolore et squalore contabescit.

Alii tamen passim generatim accipiunt de avaro qui collectis opibus avare inhiat; quasi dicas : Avarus non tantum cum moritur, aut cum perdit opes, sed et cum vivit opibusque abundat, misere et sordide vivit. At cur « comedit in tenebris? »

Respondet *primo* Chaldæus, *in tenebris habitat; ut panem suum solus comedat.* Addit Glossa interlinearis, *abscondite et in mœrore, q. d.* Solus secreto in tenebris comedit, ne in publico cogatur splendidius cum aliis vivere. **Avarus degit in tenebris. Primo.**

Secundo, quia adeo per diem distinetur negotiis, mercimoniis et lucris, ut non prandeat nisi obiter, sed tantum cœnet noctu, uti in Belgio plures mercatores facere scio. Ita Cajetanus. **Secundo.**

Tertio, Hugo tres affert causas : *primam,* quia differt comedere in cœnam propter hospites; *secundam,* ex pudore, quia tam viliter comedit, ut pudeat eum in die et luce comedere; *tertiam,* ex avaritia, ne bis comedat per diem : sic veteres ex temperantia semel tantum, teste Platone, comedebant in die, idque vespere, ut diem totam darent actioni vel studio et contemplationi, uti fecere esseni, sive primi christiani Alexandriæ sub S. Marco, teste Josepho, Eusebio, S. Hieronymo et aliis. Idem fecit S. Antonius, S. Hilarion et plures anachoretæ, quos pudebat per diem comedere instar animalium, quia mentem pascebant deliciis angelorum; vespere ergo cibum sumebant. Idem etiamnum faciunt nonnulli viri valde studiosi et religiosi. **Tertio.**

Quarto, notat avaritiam luminis. Avari enim ut oleo parcant, noctu exiguum habent lumen, ad quod operantur et comedunt. Unde Lucianus in *Timone* graphice depingit eos, « qui parcerent asservarentque ad fuliginosam et oris angusti lucernulam ac siticulosum scirpiculum usuris invigilantes. » Novimus mercatores ditissimos qui famulos magnis clamoribus objurgabant, quod ellychnium densius facerent ad majus lumen, querentes illud plus olei sugere et consumere. Ac rogati causam, responderunt se minima ista curando et cavendo ad tantas opes evasisse. **Quarto.**

Quinto et genuine, tenebræ notant avari sordes et squalorem vitamque obscuram, atram, tristem et mœstam. Unde eas explicans subdit : « Et in **Quinto.**

(1) Lege חלי, *ægritudo* animi, et כעס, *indignatio,* cum veteribus et uno codice.

curis multis, et in ærumna atque tristitia : » harum enim symbolum et causa sunt tenebræ, sicut ex adverso lux symbolum et causa est libertatis, alacritatis et lætitiæ. Unde Septuaginta habent, *omnes dies ejus in tenebris et luctu;* Arabicus, *in tenebris et lamentatione;* Thaumaturgus, *hujusmodi homini dies tenebræ sunt, ac vita luctus;* Campensis, *sordide vixit.*

Mystice, avarus vivit in tenebris, id est in ignorantia, ait Olympiodorus; in malis culpæ et pœnæ, ait Dionysius. S. Ambrosius, lib. *De Nabuth,* cap. VIII, notat a S. Luca avaro recte dici : « Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te. Nocte enim anima avari reposcitur, quæ a tenebris incipit, et in tenebris perseverat. Avaro semper nox est qui sicut luna mutatur, dies justo cui dicitur : Hodie mecum eris in paradiso; » et « : Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris. »

ET IN CURIS MULTIS. — Hebræa, *in ira multa;* Septuaginta, *in indignatione multa,* hanc enim pariunt curæ multæ. Unde dicta est *cura, quod cor edat,* vel *cor urat,* ait Festus; hinc cura vocatur *edax* et *mordax.* « Cura, ait Donatus, est in spe bonorum, sollicitudo in metu malorum. » Vere S. Bernardus : « Humana vita, ait, plena est dolore præteritorum, labore præsentium, timore futurorum. »

ET IN ÆRUMNA. — Hebræa, *et in infirmitate,* vel *languore,* vel *dolore suo;* Chaldæus, *in ægrotationibus;* Septuaginta, *in iracundia;* Olympiodorus, *in tristi iracundia :* ægritudines animæ enim præcipuæ sunt in tristitia et ira; Vatablus, *quia præ indignatione et ira frequenter incidit in morbum;* Campensis, *seipsum crucians.*

Ærumna est molestia, miseria, afflictio perseverans. « Ærumnosus a *rumine* dictus, quod per inopiam miser factus esuriat et sitiat, » ait Isidorus, lib. X *Orig., q. d.* Ærumnosus est, qui nihil habet quod comedat et ruminet; Festus vero : « Ærumnulas, inquit, Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant; quarum quia C. Marius retulit usum, muli Mariani postea appellabantur. Itaque ærumnæ labores onerosos significant, sive a græco sermone deducuntur; nam αἴρειν græce, latine *tollere,* dicitur. » Hæc Festus. Cicero, IV *Tuscul.* XXIX : « Ærumna, ait, ægritudo laboriosa. » Idem, lib. II *De Finibus,* CLXXXVII : « Vel Herculis perpeti ærumnas (sic enim majores nostri labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo ærumnas etiam in Deo nominaverunt) exigerem ex te. » Plautus, *Amphitr.* : « Uno ut labore exsolveret ærumnas duas. » Sic poetæ ærumnas vocant labores. Plautus in *Persa* : « Superavit ærumnis ærumnas Herculis. »

Plurimæ sunt ærumnæ avari : una non minima est, quam refert R. Haccados, scilicet quod in paupertate et omnium rerum indigentia velit vivere, ut possit mori in opulentia, ac rerum quas relinquere cogitur, abundantia et copia : quare « avaritia neque copia, neque inopia minuitur, » ait S. Hieronymus.

ATQUE TRISTITIA. — Sic et Syrus; Arabicus, *in amaritudine;* Hebræa, *in indignatione,* vel *furore,* quæ est ira bulliens, fervens et spumans instar maris æstuantis. Unde Septuaginta vertunt, *in insania;* Campensis, *simultates exercent.*

Cognatæ sunt et sociæ passiones, ira et tristitia : ira enim parit tristitiam, dum iratus nequit malum, ob quod irascitur, depellere. Vicissim tristitia gignit iram; tristis enim irascitur malo quod illi tristitiam affert. Unde Olympiodorus : « Tristis, ait, iracundia stimulatur, et levi occasione in contentionem surgit, et excandescit animi gravi ægritudine occupatus. » Adde atram bilem naturaliter mixtam esse cum flava; quare ubi abundat una, emicat et altera; atra autem bilis in corpore causat melancholiam et tristitiam in anima, flava vero iram et indignationem. Curis avarus angitur, ait Hugo Cardinalis, ut acquirat; ærumna, ut conservet; tristitia, si amittat; sæpeque præ indignatione incidit in morbum. Vel in curis multis, inquit Bonaventura, propter sollicitudinem, sicut et solitudinem in tenebris; in ærumna, propter expensarum tenuitatem; in tristitia, propter expendendi necessitatem. Eleganter Vivianus vertit :

> Vita tenebris obsita
> Vix dulce quidquam pertulit,
> Omnia querelis, omnia
> Angore plena, atque miseris
> Contentionum fluctibus.

Et S. Hieronymus : « Languor est pessimus pro perituris opibus cogitatione torqueri, et in tristitia, in gemitu, in indignatione, in litibus, casso illas labore conquirere. » Unde Lucianus in *Somnio,* sive *Gallo* exclamat : « O miser, cujusmodi vivit vita! pallet totusque exaruit, atque extenuatus est curis : neque enim auditum est illum aliqui male habere. Hostibus eveniat ad hunc modum divites esse. »

Hinc divitiæ a Christo vocantur spinæ, *Matth.* XIII, 22, quia ut spinæ acutissimæ, acres dolorum aculeos animo æque ac corpori infligunt et infigunt, quibus hominem assidue stimulant et pungunt, uti pulchre docet S. Gregorius, homil. 15 in *Evang.* Audi et S. Chrysostomum, homil. 3 *in* epist. II *ad Thess.* : « Irrationalium camelorum cibus sunt spinæ, alimonia sunt ac sumptus ignis ad nihil utiles : tales sunt divitiæ, nulli sunt usui nisi ad incendium camini; ad incendium ejus diei, qui ardebit velut clibanus; ad alimoniam affectionum irrationalium, utpote injuriarum memoriam et iram. Talis est etiam camelus spinis vescens : fertur etiam ab his qui talia viderunt, nullum esse ex omnibus jumentis, quod ita injuriam acceptam tenaciter contineat, ita difficilis iræ sit, ita malum illatum recordetur, ut camelus. Tales sunt divitiæ, irrationales animi affectiones pascunt : rationales vero pungunt ac vulnerant, quemadmodum spinæ faciunt.

Idem, homil. *De Avaritia,* tom. V : « Divitiæ,

ait, dum includuntur et defodiuntur, acrius rugiunt quam leones, perturbantque omnia. Quod si eas e tenebris eduxeris, et in egenorum ventres dissemines, ex feris bestiis fiunt oves, quæ fuerant insidiosæ duces; pro scopulis, fiunt portus; pro naufragio, tranquillitas. »

Hanc gnomen, quæ ad litteram dicitur de avaris, a pari adaptes superbis, gulosis, acedis, invidis, iracundis, quin et vanis scientiarum studiosis. Hi enim noctes diesque pervigilant, ut honores, delicias, otium, eminentiam, vindictam et vanam scientiam assequantur, atque ita omnem ætatem frustra consumunt, miserique eam traducunt « in tenebris et in curis multis, et in ærumna atque tristitia. »

Vers. 17. 17. HOC ITAQUE VISUM EST MIHI BONUM, UT COMEDAT QUIS, ET BIBAT, ET FRUATUR LÆTITIA ET LABORE SUO, QUO LABORAVIT IPSE SUB SOLE, NUMERO DIERUM VITÆ SUÆ, QUOD DEDIT EI DEUS : ET HÆC EST PARS ILLIUS.— Hæc gnome et sequens explicatæ sunt cap. II et III, quare paucis eas expediam. Est enim conclusio subinde repetita, qua ex vanitate opulentiæ et avaritiæ concludit, se experientia didicisse satius esse moderate et honeste opibus labore suo partis uti, quam eas avare recondere in nullum vel incertum incerti hæredis usum. Hebræa, *ecce quod vidi ego bonum, quod est pulchrum comedere et bibere et cernere bonum.* S. Hieronymus, *cernere jucunditatem*, id est frui jucunde et læte rebus labore suo partis. Arabicus, *hoc est bonum, quod est optimum, comedere, etc.* Syrus, *bonum erit quod et decorum est;* Vatablus, *bonum est honestum;* Campensis, *meo ergo judicio suavius est comedere, bibere et frui bonis inter has miserias, quibus affligimur sub sole, paucis diebus illis vitæ nostræ, quos nobis Deus concessit; quia nihil amplius ex omnibus accepturus est homo.* Chaldæus vero per cernere bonum vel bonitatem accipit, tam benefacere, quam frui bonis; unde vertit, *ecce quod mihi visum est bonum: filii hominum, et quod pulchrum est eis, ut faciant in hoc sæculo, ut comedant et bibant ex laboribus suis, et non extendant manum suam ad violentiam et rapinam; et custodiant verba legis, et ut misereantur pauperum et peregrinorum, ut videant bona in omnibus laboribus suis, quibus laboraverunt in hoc sæculo sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit eis Deus sidere bono, quoniam hoc est pars illius, et non est alius præter eum.* Et Thaumaturgus, *non negaverim etiam opes bonas esse : Dei enim donum est, si homo læte perfruatur laboribus suis, modo opes illæ a Deo sint concessæ. Talis enim benefico in omnes est animo, et in munere divino exsultat, et omnem vitam suam bonis operibus ac largitionibus adornat.*

Vivianus stricte, sed acute :

> Dixi hunc beatum, qui lare
> Nitente vitam temperet
> Modico labore et gaudio.

Nam, ut ait S. Hieronymus et ex eo Alcuinus, « Licet parva voluptas sit in fruendo, tamen qui opibus suis in curarum tenebris vescitur, et cum grandi desiderio peritura comparat, tantummodo est sollicitudinum magnitudo. » Et Olympiodorus : « Decet, ait, te, o avare, etiam id cogitare, quod paucos et numerabiles tibi dies ad vivendum dederit Deus. »

NUMERO DIERUM. — Symmachus, ψήφῳ, id est calculo, quasi calculo et suffragio Dei diu stet sua cuique dies. Rursum quod calculo decreti divini numerati et definiti sint cuique dies vitæ, juxta illud : « Breves dies homini sunt, numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt, » *Job* XIV, 5.

ET HÆC EST PARS ILLIUS.— « Pars, » i. e. sors, uti dixi superius. Allegorice et anagogice Olympiodorus : Pars liberalis est hæreditas gloriæ in cœlis illi decreta, et stabilis perpetuo duratura : « Ea vero est, inquit, dispergere pauperibus opes suas, et de hujusmodi dispensatione solidam lætitiam capere. »

Vers. 18. 18. ET (1) OMNI HOMINI, CUI DEDIT DEUS DIVITIAS, ATQUE SUBSTANTIAM, POTESTATEMQUE EI TRIBUIT (eximendo ei avaritiam, et dando ei cor lætum et liberale, ut audeat suis frugaliter et liberaliter uti et frui) UT COMEDAT EX EIS, ET FRUATUR PARTE SUA, ET LÆTETUR DE LABORE SUO : HOC EST DONUM DEI. — Pro *potestatem ei tribuit*, Hebr. est השליטו *hislito*, id est, *dominari eum fecit* suis divitiis; Tigurina, *eumque dominum præficit, ut comedat ex eo;* Campensis, *dederit ei animum.* Debet enim homo prius dominari animo suo, id est cupiditati suæ, ut dominetur suis opibus. Significat avaros opum non esse dominos, sed servos; liberales vero esse dominos.

Nam, ut ait Seneca : « Avari non tam dicendi sunt habere divitias, quam haberi ab illis : divitiæ apud sapientem in servitute sunt, apud stultum in imperio. » Chaldæus, *omnis quoque homo, cui dedit Deus divitias et substantiam, et potestatem dedit ei Deus, ut comedat ex eo in hoc sæculo, et ut faciat ex eo eleemosynam, et ut recipiat mercedem perfectam Patris sui in sæculo venturo, et gaudeat in labore suo cum justis : ecce hoc donum est, quod datum est ei sidere bono suo a facie Domini.*

Et Thaumaturgus, *Dei beneficio homini contingit ut laboribus suis cum animi oblectatione perfruatur, divinitus acceptas, ac non vi extortas opes possidens. Neque enim ille mœroribus afficitur, nec ut plurimum malis et perditis cogitationibus vitam suam metitur, in omnibus rebus animi tranquillitate fruens, atque ob Dei donum lætitia gestiens.*

HOC DONUM EST DEI. — Campensis, *hoc ingens donum Dei est,* longe majus quam sint ipsæ opes.

Hinc S. Prosper probat bonum usum opum esse donum Dei; sic enim ait lib. I *De Vocat. gent.* XXIV : « In libro vero Ecclesiastæ dicitur, quod et habere necessaria, et eis bene uti, donum sit Dei. Non est, inquit, bonum homini, nisi quod

Bonus usus opum est donum gratiæ Dei.

1) *Et*, gall. ENCORE *cela est-il un don de Dieu.*

manducet et bibat, et ostendat animæ suæ bonum in labore suo. Et quidem hæc vidi ego, quia a manu Dei est. Quoniam quis manducabit aut pascet absque illo? Item in eodem libro legitur quod corda et opera justorum in manu sint Dei, et tantum in studiis suis proficiant, quantum ille donaverit. Quantumcumque laboraverit homo ut quærat, non inveniet; et quodcumque dixerit sapiens ut sciat, non poterit invenire : quia universum hoc dedi in cor meum, et cor meum universum hoc vidit, quia et justi, et sapientes, et operationes eorum in manu Dei. In libro autem Sapientiæ de eodem gratiæ opere dicitur, quoniam ipse et sapientiæ dux est, et sapientum emendator. In manu ejus enim et nos et sermones nostri, et omnis sapientia et operum scientia et disciplina. De continentia quoque quod ex Dei habeatur munere eadem Scriptura sic loquitur : Ut scivi quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum. »

Jam si bonus usus opum est donum gratiæ Dei : ergo pariter donum Dei est bonus usus scientiarum, honorum, officiorum, statuum, præfecturarum, etc., eoque majus, quo majus bonum est scientia, honor, officium, status, præfectura, etc., quam sint opes : præsertim, quia iisdem ad majus reipublicæ bonum vel malum uti, vel abuti possumus; ad utrumlibet enim magis idoneæ sunt, quam sint opes.

Vers. 19. 19. NON ENIM SATIS RECORDABITUR DIERUM VITÆ SUÆ, EO QUOD DEUS OCCUPET DELICIIS COR EJUS. — *q. d.* Talis non multum recordando dierum, scilicet molestiarum hujus vitæ, affliget se, quia Deus dat ei lætitiam, ut late rebus suis fruatur. Syrus, *quia Deus sollicitat illum in lætitia cordis sui*; Arabicus, *quia Deus attrahit illum lætitiis cordis sui*; Chaldæus, *neque vero tantum ætate provehitur quisquam, ut dierum suorum reputationem facere possit, quot ex illis felices et quot calamitosi illucebunt : non enim ex voto et arbitratu hominibus dati sunt, sed a Domino decretum præscriptum est, quot ille dies in luctu, quotque in animi tranquillitate sit transacturus*; Campensis, *parum qui talis est recordabitur incommodorum vitæ suæ : Deus enim exercet cor ejus hilaritate*; Vatablus, *quia Deus exaudit eum in lætitia cordis sui*; alii, *quia Deus rependit in lætitiam cordis sui*, vel *respondet in lætitia cordis ejus*. Hebræum enim ענה *ana* (unde מענה *maane*) proprie significat respondere, rependere, *q. d.* Dives, qui liberaliter suis ad suum et aliorum commodum utitur, laborat quidem in opibus colligendis et honeste expendendis; sed Deus ex æquo respondet labori ipsius, eique rependit lætitiam æqualem, imo majorem, quam sit labor. Sicut enim in concentu musico basso respondet altus, et quantum ille deprimit et aggravat vocem, tantum hic erigit, exaltat et exsultat : sic pariter Deus liberalis temperat dolores et gaudia, et tristitiam et lætitiam hujus vitæ, ut hæc illi ex æquo respondeat, imo præponderet; quantum ergo tristitia eum deprimit, tantum et amplius lætitia eum exaltat, ut exsultet, itaque ex utrisque concinna fit musica et harmonia, quæ tam justum liberalem, quam Deum et angelos oblectat. Jam

Primo, hanc gnomen referas ad brevitatem vitæ. Unde Vatablus vertit, *parum sollicitus est quantum vixerit aut victurus sit*, quia semper est lætus.

Secundo, eamdem referas genuine cum Campensi ad vitæ ærumnas, labores, dolores, quos non cogitat, non æstimat, et quasi non sentit liberalis; quia suis commode utens hilarior est, itaque gaudet, nec tristes in animo de longitudine dolorum et laborum admittit cogitationes.

Tertio, eamdem referas partim ad præteritos, partim ad futuros vitæ dies, *q. d.* Avarus dolet de præteritis, sollicitus est de futuris, metuit enim ut opes deficiant; at liberalis jucunde exigit præteritos vitæ dies, et jucundos sperat futuros. Quocirca avaro et infelici vita est longa; liberali vero et felici brevis videtur.

Quarto, Chaldæus refert ad computum et comparationem dierum lætorum et tristium, *q. d.* Avari computant plures dies tristes, quam lætos, at liberalis plures lætos quam tristes.

Quinto, Olympiodorus bimembrem faciens sententiam censet hic duas afferri rationes, quæ avaro persuadeant bonum opum usum : prior est, quod vita hæc sit brevis et molestiis plena; secunda, quod bonus opum usus sit Deo gratissimus, ac mentem utentis et benefacientis mire lætificet, juxta illud : « Jucundus homo qui miseretur et commodat, *Psal.* CXI, 5.

Denique R. Salomon et ex eo Cajetanus vertunt, *non recordatur dierum vitæ suæ, quia Deus præbuit testimonium felicitatis ipsius divitis, jugiter illius mentem exhilarando*. Verum hebræum *maane* proprie significat *respondet*, non *præbet testimonium* (1).

Tropologice, Olympiodorus accipit hanc gnomen de divitiis spiritualibus, quales sunt opera virtutum, præsertim orationis et contemplationis, et crebra dignaque perceptio Eucharistiæ. Hæc enim angelicis deliciis animum oblectat, sopitque omnes dolores et mœrores. Ita enim, teste S. Hieronymo, spiritualis vir deliciis purissimæ contemplationis perfusus obliviscitur dierum vitæ suæ, quos quia cœlestes consolationes angustant, non tam transire quam volare conqueritur. Hinc magnus Antonius orans, et has divinas voluptates experiens, cum solis ortus cœpisset infundi, solebat proclamare : « Quid me impedis, sol, qui

(1) Hujusmodi tranquillus animus magnum profecto Dei donum est (alii : Potestate vitæ bonis hilare fruendi a Deo data utatur homo), *quia* qui eo præditus est, *non multum recordatur dierum hujus vitæ*, non macerat se vanis de præterito, quod emendari nequit, doloribus, neque frustraneis de futuro curis : *Deus enim respondet ei per lætitiam*, vel *cum gaudio cordis sui*; alii, *exaudit lætitiæ vota cordis ejus*.

ad hoc jam oriris, ut me ab hujus veri luminis abstrahas claritate? » His videlicet querimoniis noctem, quam contemplando transegerat, brevitatis accusans, et solem ab oratione abstrahentem, et ad aliquam necessariam occupationem vocantem compellans. Vere jucunda vita, quæ vitam mortalem abbreviat, non aliquid ex ejus spatiis demendo, sed mentem nostram summis voluptatibus inescando : jucunda vita, qua Deo inhæremus, et fonti immensæ suavitatis immergimur. Quid enim prohibet, o homo, licet inter mundi hujus miserias commoreris, illud Ambrosii dicere : « Potes et hic esse et adesse ad Dominum, si illi adhæreat anima tua, si post ipsum cogitationibus tuis ambules, si fide non specie vias ejus sequaris, si ad ipsum confugias. Est enim refugium et virtus, cui David : Ad te confugi, et non sum deceptus. » Ita S. Ambrosius, *De Fuga sæculi*, cap. VIII.

Anagogice, Beati in cœlo non recordantur dolorum et laborum præsentis vitæ, ita ut eos sentiant et doleant, quia Deus immensa lætitia implet cumulatque corda eorum, quæ omnem excludit dolorem, metum, tristitiam, curam etc., juxta illud : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. »

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit ostendere vanitatem et ærumnas avari, qui cum bonis abundet, iis tamen avare genium suum defraudat, et sæpe bona tanto sudore collecta extraneo relinquit : unde eo meliorem pronuntiat abortivum, aliaque addit vanitatis ejus et infelicitatis argumenta. Eamdem materiam tractavit præced. capitibus ; quare hic brevis ero.

1. Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines : 2. Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat : nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud; hoc vanitas et miseria magna est. 3. Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat : de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortivus. 4. Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. 5. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali : 6. etiamsi duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis : nonne ad unum locum properant omnia? 7. Omnis labor hominis in ore ejus : sed anima ejus non implebitur. 8. Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita? 9. Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias; sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritus. 10. Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus : et scitur quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in judicio contendere. 11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.

Vers. 1. 1. EST ET ALIUD MALUM (Septuaginta πονηρία, id est *malitia*, id est miseria, afflictio), QUOD VIDI SUB SOLE, ET QUIDEM FREQUENS APUD HOMINES. — Hebræa, *multum super homines;* Chaldæus, *super filios hominum;* Symmachus, *apud homines;* Arabicus, *sub cœlo;* Septuaginta, *sub homine*, quia scilicet homines sponte illi incubant, et in eo jacent, ut videantur velle esse mali, id est vani et miseri, sicut scabiosus gaudet fricando suam scabiem et pruritum, esto per hoc scabiem suam foveat et augeat. Idem malum est *super hominem*, quia illi dominatur illumque cruciat et vexat. Unde Tigurina vertit, *est malum principatum obtinens inter homines.* Alius, *est malum multum magnum apud homines.*

Vox *aliud* non est in Hebræo, Græco, Syro, Arabico, sed explicationis gratia ab Interprete additum. Significat enim aliam avaritiæ ærumnam, et vanitatem distinctam ab ea quam recensuit capite præced. vers. 12, scilicet, quod opes sæpe congregentur in malum divitis, et avaritia perdat avarum herum suum. Hic ergo aliam ejus vanitatem, sive vanitatis speciem attexit, scilicet quod avarus inter opes suas egeat, easque alieno, qui eas prodiget, relinquat. Licet enim in fine cap. præced. dixerit ingens bonum et Dei donum esse suis uti et frui, tamen contrariam avari vanitatem, qui suis non audet uti, non recensuit, quod proinde hic facit.

Porro avaritia hæc frequens est apud homines,

præsertim Judæos, quibus hæc scribit Salomon. Unde etiamnum videmus Judæos nil nisi lucra et opes cogitare, easque per usuras, per fas et nefas prosequi. Audi S. Hieronymum in illud *Isaiæ* II, 7: *Repleta est terra argento et auro : et non est finis thesaurorum ejus* : « Utraque, inquit, gens et Judæorum et Romanorum per hæc verba avaritiæ suggillatur. Quod historiæ quoque tam Græcæ narrant, quam Latinæ, nihil Judæorum et Romanorum gente esse avarius, » illo scilicet ævo.

vers 2. 2. VIR CUI DEDIT DEUS DIVITIAS, ET SUBSTANTIAM, ET HONOREM, ET NIHIL DEEST ANIMÆ SUÆ EX OMNIBUS QUÆ DESIDERAT : NEC TRIBUIT EI POTESTATEM DEUS UT COMEDAT EX EO, SED EXTRANEUS VORABIT ILLUD; HOC VANITAS ET MISERIA MAGNA EST. — Septuaginta, *hoc vanitas est et languor pessimus*; Arabicus, *hoc vanum est et infirmitas immunda*; Vatablus, *gravis dolor.*

ET HONOREM, — honorem jungit divitiis tanquam filiam matri, et effectum causæ. Opes enim dant honores, hinc opulentos videmus ab omnibus honorari et coli. Unde Chaldæus vertit, *gloriam facultatum*; Arabicus, *nobilitatem*; alii, *splendorem dignitatis*, quem conciliant diviti opes.

SUBSTANTIAM. — Nove Cajetanus suo Judæo credulus vertit, *gemmas*. « Et nihil deest animæ suæ, » id est desiderio et voto suo, *q. d.* Habet opes et rerum copiam, quantum quis juste et honeste optare potest.

Dices, quomodo ergo dicitur vers. 7 : « Anima ejus non implebitur? » Respondeo *primo*, quia avarus suis non audet uti. Itaque habet opes quoad dominium, sed non quoad usum et fructum. Unde S. Hieronymus, epist. 103 *ad Paulinum* : « Avaro, ait, tam deest quod habet, quam quod non habet. » *Secundo*, quia insatiabilis est, et quo plura habet, eo plura desiderat, instar canis semper hiantis. Audi Senecam, *epist.* 72 : « Vidisti canem missa a domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem; quidquid excepit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis : quidquid exspectantibus natura projecit, id sine voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti et attenti. Hoc sapienti non evenit; plenus est : etiam si quid obvenit, secure excipit ac reponit; lætitia fruitur maxima, continua sua. »

NEC TRIBUIT EI POTESTATEM DEUS. — Hebræa, *nec dominari fecit eum Deus*; hinc fit ut opum suarum sit servus, non dominus. Unde Tigurina, *Deus non instituit illum dominum*; Campensis, *sed animum eis utendi illi non tribuit.*

Nota : τὸ *nec tribuit* vel potest accipi *permissive*, ut sermo sit de culpa avaritiæ. Ad hanc enim Deus avarum non cogit, sed permittit ei pravum usum liberi arbitrii ut se dedat avaritiæ, ait Olympiodorus, quomodo Deus dicitur tradidisse philosophos, ob superbiam, in passiones ignominiæ, *Rom.* I, 26; vel *positive*, ut sermo sit de pœna avaritiæ : hanc enim Deus avaro infligit, dum eum bonis suis spoliat, vel uti prohibet, sive per morbum immissum, ut vult Lyranus, sive quo alio modo, ut vult Thaumaturgus et Cajetanus.

SED HOMO EXTRANEUS (S. Hieronymus, *alienus*; Tigurina, *exterus*; Campensis, *ignotus*) VORABIT ILLUD, — id est, ut explicat *Eccli.* cap. XIV : « Congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur, » idque variis fit modis; unum assignat hic Chaldæus dum paraphrastice ita vertit, *non dedit ei potestatem Dominus ob peccatum suum, ut gustaret ex eis; sed morietur absque liberis, et non misertus est proximi sui, ut hæredem eum sibi constituerit; etenim uxor ejus tradetur viro alieno, qui hæreditabit eas et comedet eas. Omnis hujus rei causa peccata sua illi fuerunt, quod non fecerit ex illis quidquam boni, et conversæ sunt ei divitiæ ejus, ut essent in vanitatem et in ægritudinem malam.*

Alii modi sunt, cum fures et prædones avaro opes abripiunt, aut litigatores per lites illi auferunt, aut potius cum deficientibus vel exclusis filiis externus in hæreditatem ejus, per vafritiem se insinuat et subintrat. Vox *vorabit* notat prodige ab extraneo consumi, quæ avare ab hero collecta sunt, ut sæpe fieri videmus. Sic enim congrua talionis pœna Deus avaritiam et avaros castigat. Avarus ergo ditat alium, non se; exterum sæpe, non filium, juxta Italorum proverbium quod citat Tiraquellus : « Ditant hominem hæc quatuor, » scilicet, ut inquiunt Itali : *Il morto, il porco, il porto, el' orto.*

Tropologice noster Alvarez de Paz, lib. I *De Vita spirit.* part. II, cap. XIII, hanc gnomen adaptat religiosis tepidis, qui cum omnibus bonis spiritualibus abundent, tamen per acediam iis uti fruique negligunt, quia sub sole degunt, id est affectus suos in terrena defigunt, nec eos ad cœlum attollunt; quare hæc eorum bona devorat extraneus, id est diabolus, dum ea in ipsis inutilia, imo exitialia efficit, ut scilicet ipsis cedant in majorem damnationem, uti paulo ante dixi.

Hujus rei veritatem eleganti divitis et fortunæ apologo, pulchris exemplis adornato, demonstrat Cyrillus, lib. III *Apol. moral.* cap. IV, cujus titulus : *Contra eos qui non sunt contenti, cum satis habeant* : « In secundis, inquit, rebus, cum homo sibi factus sufficiens et dives, minime contentus amplius sitiret, et secum tempestuosus plus quæreret, fortunam obviam habuit, quæ ei dixit : Ut quid, charissime, non quiescis, cum jam tribuerim tibi satis? At ille respondit : Sua nimirum dulcedine trahit bonum, et donec additum fuerit, est molestum. Cui illa : Recte, inquit, video quod pauper effectus es, postquam cupiditate plus sitis. Nam si satis haberes, amplius nullatenus quæreres. Plus enim cupit ille cui quidem satis non est. Ecce te depauperavit avara voluntas, exinanivit cupiditas, exspoliavit sitibunda tempestas. Attamen si totum invenires aurum male conditum Salomonis, amplius non habebis. Sed illud quo bene utimur, hoc demum habemus. Nam fossus

Apologus divitis avari.

humi census, non est hominis, sed telluris. Igitur cum ad usum opes proficiunt, tunc habentur. Usus autem usque ad finem sufficientiæ extendendus est. Quoniam si ultra quod satis est comedas, natura mox evomet, et si plus quam requirit necessitas indueris, gravatus sustinere non potes. » Probat idipsum exemplo Hebræorum, eamdem mannæ mensuram colligentium et comedentium: « Nescis quod (*Exod.* XVI) filiis Israel in deserto ex manna viventibus, magnis et parvis, divitibus et pauperibus, eademque cunctis cœlestis edulii mensura dabatur, nec collectum plus inveniebat avarus, nec minus, qui fuerat pigritatus? nimirum quoniam una est sufficientia omnibus, et universalis provisor eamdem hominibus opulentiam necessitatis largitus est. Non enim plus habet dives quam pauper, sed tantum in qualitate titulorum utrique est differentia. » Astruit idipsum oraculo Apollinis : « Non audisti olim Apollinis idolum pastori Lydiæ regi facto, per Achatem sciscitanti : Si quis eo in mundo felicior existeret, deliciosas ejus divitias confutans responderit : ipsi nimirum superbienti Arcadium senem pauperem prætulit, qui nunquam agri sui terminos exiverat, dixitque plus laudari et probari securitate ridens tugurium, quam curis et sollicitudinibus tristem aulam; paucasque glebas pavoris expertes, quam arva latissima metu referta; unumque tutela facile jugum boum, quam equitatum impensis voracibus onerosum. » Denique Epicuri sententia apologum concludit : « In veris divitiis multiplicandis nihil esse adjiciendum pecuniæ, sed avaritiæ subtrahendum. Tanto namque dignoscitur quis esse ditior, quanto in eo cupiditas est minor; quibus dictis, ab eruditore docto disparuit. »

Exemplum. Oraculum. Axioma.

Vers. 3. 3. SI GENUERIT QUISPIAM CENTUM LIBEROS, ET VIXERIT MULTOS ANNOS, ET PLURES DIES ÆTATIS HABUERIT, ET ANIMA ILLIUS NON UTATUR BONIS SUBSTANTIÆ SUÆ, SEPULTURAQUE CAREAT : DE HOC EGO PRONUNTIO QUOD MELIOR ILLO SIT ABORTIVUS. — « Centum, » id est plurimos; ponitur numerus definitus pro indefinito. Olim licita erat et usitata polygamia; unde ex multis uxoribus centum et plures poterant filios generare. Sic Achab genuit 70 filios, IV *Reg.* X, 1; Roboam vero 88, II *Paral.* cap. XI, 21. Porro filii, quos natura dedit in gaudium parentibus avaro augent molestiam : cruciatur enim in expensis quas facit, ut illos alat; item curis, ut illis de hæreditate provideat.

NON UTATUR BONIS. — Hebræa, Chaldæa et Theodoretus, *non satietur bonis.* Vetus translatio et Septuaginta, *non impleatur ex bonitate.* Græce est, ἀγαθωσύνης, quod bonitatem, id est jucunditatem, æque ac beneficentiam significat. Thaumaturgus, *animum suum impinguare negligit.* Addit Chaldæus, *eo quod pepercit divitiis suis, et non emit ex eis nomen bonum,* per eleemosynas aliaque beneficentiæ opera et monimenta.

SEPULTURAQUE CAREAT. — Magnus est honos, ideoque magna cura sepulturæ apud omnes gentes. Avarus autem caret sepultura decenti et digna, quia ex avaritia illam sibi nec in vita, nec in morte per testamentum curavit; unde hæredes, qui ejus opibus inhiant, illam negligunt. Est hæc justa Dei pœna, qua avarum punit, ut qui pecunias sepelivit, careat ipse sepultura. Ad hæc avari, præsertim mercatores, sæpe apud exteros moriuntur ignoti, miseri, insepulti.

Adde : avarus, quia nulli fuit beneficus, omnibus invisus est; ideoque decus sepulcri ei negant. Denique avari ob opes non raro a prædonibus occiduntur; itaque vel in cloacas, vel in aquas, vel in fossas insepulti abjiciuntur. Exemplum est in avaro rege Joakim, de quo ait *Jerem.* cap. XXII, 17 : « Tui vero oculi et cor ad avaritiam, etc. Propterea hæc dicit Dominus, etc.: Non plangent eum : Væ frater, et væ soror : non concrepabunt ei : Væ domine, et væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem. » Avarus ergo caret sepultura, hoc est honore et pompa funeris, ad quam pertinent parentum et amicorum luctus, præfici et præficæ, qui eum plangant, exequiæ, monumentum, epitaphium, etc.; hæc enim negant avaro, quia avarus est, ideoque omnibus vilis et exosus. Audi S. Hieronymum : « Significat quod dives de sua morte non cogitet, et cum omnia possideat, etiam in exstructione sepulcri avarus sit, sive quod sæpe propter istas divitias occisus insidiis, insepultus abjiciatur; sive, quod melius puto, quod nihil boni facti et honoris egerit, ex quo sibi queat apud posteros memoriam comparare, et non vitam silentio transire, velut pecudes, cum habuerit materiam, per quam potuerit apparere quod vixerit. »

Ex adverso, de Christo liberali et vitæ suæ pro nobis prodigo ait Isaias, cap. XI : « Erit sepulcrum ejus gloriosum. » Denique olim sepulturæ privatione damnabantur reipublicæ patriæque hostes, item sui suorumque patricidæ. Tales sunt avari, qui sua avaritia se, suos patriamque conficiunt, et quasi interficiunt. Vide Durantum Casellium, lib. II *Variar.* cap. III.

QUOD MELIOR ILLO SIT ABORTIVUS. — « Melior, » id est melioris conditionis, potior, felicior. Unde Thaumaturgus : *Melior est illo conditio intempestivi fœtus;* S. Hieronymus : *Deterioris conditionis est abortivo.*

Mystice S. Ambrosius hæc adaptat Christo, qui non in suo, sed in alieno, puta Josephi ab Arimathia sepulcro sepultus est. Sic enim ait in cap. ultimum *Lucæ* : « Non habebat Christus tumulum suum. Etenim tumulus his paratur, qui sub lege sunt mortis; victor mortis tumulum suum non habet. Quæ enim communia tumulo et Deo? Denique *Eccles.* cap. VI, de eo qui meditatur in bonis : Et sepultura non est illi. Specialis igitur præter communem omnium mortem mors Christi est, et ideo non cum aliis sepelitur, sed tumulo

solus includitur. » Verum hæc allegoria parum litteræ respondet. Quæ enim comparatio avari et abortivi cum Christo?

Abortivus est, qui ex utero prodit mortuus, aut agens animam. Hebraice vocatur נפל *nephel*, id est deciduus, caducus, marcidus, minime vitalis, instar immaturi fructus, qui ex arbore decidit inutilis; radix enim נפל *naphal* significat labi et cadere. Syrus pro *abortivo* vertit *peccatorem*, quo modo S. Paulus se persecutorem olim fidelium vocat abortivum, I *Corinth.* XV, 8; sed hoc mysticum est: abortivus enim proprie est fœtus imperfectus, informis, infirmus, languidus, abortu natus, et ante maturum partum ejectus, quales vel mortui sunt, vel parum vitales: quo respiciens S. Job, cap. X, 18, ait: « Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. » Huc facit illud Hippocratis apud Gellium, lib. III, cap. XVI: « Est et non est octimestris partus, quia illico moritur et esse desinit, aut certe vivit trahitque animam. » Unde Campensis vertit, *judicavi illo fortunatiorem, qui matre abortiente ejectus est.* Hinc in jure abortivus habetur pro non nato.

Avarus similis abortivo.

Comparat avarum abortivo, quia sicut hic vivens non vivit, imo non vivit ad vitam, sed ad mortem; nam conceptus in utero illico moritur, nec nascitur, ut videat lucem, eaque fruatur, sed ut ex ea abeat et excedat: sic et avarus vivens non vivit, quia opibus bonisque vitæ frui non audet, imo nec gaudet, sed iis quasi mortuus, vitæque gaudiis defunctus, funestam instar abortivi et moribundi vitam agit in sordibus, squalore et mœrore.

Præfert autem abortivum avaro, eo quod abortivus, sicut caret bonis et gaudiis hujus vitæ, sic pariter careat malis et doloribus ejusdem; at avarus carens bonis et gaudiis, abundat malis, puta laboribus, timoribus, mœroribus, curis et angoribus, quos et pariunt opes et avaritia. Hoc est quod dixit cap. IV, 2: « Et laudavi magis mortuos quam viventes: et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. »

Vers. 4.

4. FRUSTRA ENIM VENIT, ET PERGIT AD TENEBRAS, ET OBLIVIONE DELEBITUR NOMEN EJUS. — Pro *frustra* hebraice est הבל *hebel*, id est vanitas, de quo cap. I, 2. Unde Septuaginta et Syrus vertunt, *in vanitate quippe venit, et in tenebris vadit, et in tenebris nomen ejus abscondetur;* Olympiodorus, *occultabitur;* alii, *in tenebrositate nomen ejus operietur;* Arabicus, *veniet enim cum vanitate, et in tenebras discedet, et abscondetur nomen ejus in tenebris;* Thaumaturgus, *ut enim abortivum vane advenit, ita et absque omni satietate et fructu clanculum abit;* Tigurina, *is enim ut res inanis prodit, ac in tenebras abit, tenebræque nomen ejus occultant;* Vatablus, *hic enim in vanitatem, id est in mundum, qui mera est vanitas,* prodit, et vadit ad mortem; Campensis, *hic enim ut nugamentum aliquod, a conceptu in utero aliquousque obscure progressus est, sic tamen ut ne nomen quidem ejus ulli cognitum fuerit.*

Denique Chaldæus sic vertit, *quoniam in vanitate venit ad hoc sæculum, et in vanitate ibit ad sæculum venturum, et in tenebris nomen ejus operietur, eo quod non habet meritum, et nomen bonum non acquisivit, ut memoriam sui ab injuria mortalitatis assereret.*

Ad litteram loquitur de abortivo, uti censent Thaumaturgus, Lyranus, Clarius, Campensis et alii; consequenter tamen loquitur de avaro: hunc enim comparat abortivo, uti censent Olympiodorus, Bonaventura, Hugo uterque, Cajetanus, Titelmannus et alii. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut abortivus frustra venit in mundum, quia natus vel jam mortuus est, vel post unum alterumve diem moritur, itaque a luce vitæ pergit ad tenebras mortis, ibique oblivione perpetua sepultus delitescit, adeo ut ne nomen ejus quidem sciatur: sic pariter avarus frustra venit in mundum, quia luce vitali gaudiisque vitæ non fruitur, sed quasi ea non vidisset, sordidus, miser et famelicus pergit ad tenebras mortis, ibique perpetua oblivione sepelietur. Uterque ergo frustra venit in mundum et vitam, quia fine et fructibus vitæ, puta jucunditate et gaudiis hujus lucis et vitæ frustratur et destituitur: abortivus quidem per naturam, avarus vero per voluntatem et avaritiam; sed abortivus natus est duntaxat frustra et in vanum; at avarus, non tantum frustra, sed ad miserias ærumnasque maximas.

PERGIT AD TENEBRAS, — id est ad sepulcrum, ait Lyranus; ad mortem, ait Bonaventura et Titelmannus; ad nominis obscuritatem et oblivionem, ait Chaldæus; ad ærumnas et mœrores, in quibus vivit avarus, ait Hugo Victorinus; ad sordes et squalorem, ait Pineda, quod nullis hujus vitæ commodis perceptis, in angulo et in abscondito sordidus et squalidus contabescat, non magis notus, quam si nunquam in apertum emersisset ex tenebris, ut etiam vivens adhuc mortuus censeatur. Nulla illius in humana politia ratio ducitur, nulli natus reipublicæ bono, non patriæ, non amicis, non sibi. Omnia hæc eodem recidunt.

Denique avarus æque ac abortivus pergit ad tenebras, id est ad limbum et infernum, orcum et tartarum, ubi sunt cimmeriæ et perpetuæ tenebræ, ob quas infernus græce vocatur ἅδης, quasi ἀϊδης ab α particula privativa et ἰδεῖν, id est *videre*, quod privatus sit visu, imo omnes suos privet lumine et visu. Audi Plutarchum in illud, *Latenter vive*: « Qui solem Apollinem esse credunt, ex majorum et priscorum mysteriis, Delium et Pythium eumdem cognominant. Cæterum eum, qui adversæ partis est dominus, sive deus is est, sive dæmon, Haden, id est Orcum appellant, quod mortui in locum tenebrosum et obscurum demigremus, ad densæ noctis somnique inertis regem. »

Mystice, avarus æque ac abortivus in utero mortuus frustra venit, quia non pervenit ad finem suum, ad quem a Deo creatus est, scilicet ad æternam felicitatem : in vanum ergo accepit animam rationalem, in vanum factus est homo. Rursus; avarus pergit ad tenebras ignorantiæ et imprudentiæ, quibus obcæcatus non considerat se suamque conditionem, aut finem, ideoque pergit ad tenebras densissimas et ardentissimas gehennæ. Unde Chaldæus vertit, *lumen quoque legis non vidit, neque cognovit distantiam inter bonum et malum, ut discerneret inter hoc sæculum et futurum.* Hic est error communis et gravissimus hominum, quod non discernant hanc vitam a futura, quod pluris æstiment momentum temporis, quam totam æternitatem : vivunt ergo tempori præsenti, et moriuntur æternitati; imo vivunt miserrimæ et gehennali æternitati. O error, o stupor!

OBLIVIONE DELEBITUR NOMEN EJUS. — Hebraice, *in tenebris nomen ejus operietur*, id est memoria ejus cito peribit, obscurum et ignotum erit nomen ejus, imo abortivo nullum nomen imponetur : quia Hebræi nomen non imponebant ante octavum diem, quo circumcidebatur infans; fiebatque Hebræus membrum Synagogæ, sicut modo infans per baptismum fit christianus membrumque Ecclesiæ, tumque ei inditur nomen. Sic Romani masculis octavo die nomen imponebant, feminis nono, teste Plutarcho, *Problem.* 202. Græci vero utrisque septimo decimo die, teste Aristotele, lib. VII *Histor. animal.* cap. XII. Porro barbari nonnulli, ut Atlantes, nulla pueris dabant nomina, ut ait Plinius, lib. V, cap. VIII. Sic avari nomen et memoria illico datur oblivioni, tum quia invisum et exosum est nomen ejus, tum quia vadit ad gehennam, quæ est terra oblivionis, *Psalm.* LXXXVII, 13. Ad hæc abortivis nullum erat proprium sepulcrum, nullusque titulus nominis index, sed sine titulo, sine pompa, sine ritu in commune parentum sepulcrum, aut communem omnibus terram projiciebantur, teste Plutarcho, lib. *Consol. ad uxorem.* Unde sepulcrum eorum a Fulgentio Placiade et Rutilio Gemino in *Astyanacte* vocatur *subgrundarium.* Sic pariter avarus sæpe caret honore et pompa funeris et sepulcri, uti paulo ante dixi.

Vers. 5. 5. NON VIDIT SOLEM. — Proprie hoc dicitur de abortivo, metaphorice de avaro; quia abortivus vel mortuus prodit ex utero, vel semimortuus, ideoque quasi cæcus non videt solem, vel certe modice et sine voluptate, imo cum dolore videt. Avarus similiter etsi videt solem, tamen eo non fruitur, quia in curis, labore et squalore tenebrosam et mœstam agit vitam. Pulchre Vivianus *De Abortivo* vertit :

Non astra vidit aurea,
Sensitve solem vivido
Jubare emicantem.

Magnum gaudium viventi est videre solem, ac cæco magnus dolor eum non videre. Unde Tobias jam cæcus, cap. V, 12 : « Quale, ait, gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? » Hoc gaudio privatur abortivus et avarus.

NEQUE COGNOVIT DISTANTIAM BONI ET MALI. — Quia abortivus distantiam hanc nequidem sensu, multo minus intellectu percipere et dijudicare potuit : avarus vero sola mala, puta labores et sollicitudines expertus est, pauca vel nulla bona; unde distantiam utrorumque non perspexit.

Rursum non æstimavit veri boni, id est virtutis, præstantiam, ac veræ felicitatis magnitudinem, quantum scilicet distet bonum a malo, virtus a vitio, cœlum a gehenna.

Pro *distantiam* hebraice est נחת *nachat*, quod Noster videtur derivasse a radice נחה *nacha*, id est deduxit, *q. d.* Deductionem boni a malo, et distantiam. Proprie *nachat* significat quietem a radice נוח *noach*, id est quievit. Unde Noe nomen accepit, dicente patre Lamech : « Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, » *Genes.* cap. V, 29. Noe ergo idem est quod quies, consolatio.

Hoc etymon secuti Septuaginta vertunt, *nec cognovit requies huic super hunc;* Syrus et Arabicus, *requies est illi melior quam isti*, puta melius quiescit abortivus quam avarus. S. Hieronymus, *requies huic magis quam illi;* Campensis, *liber fuit ab illis quibus avarus assidue torquetur.* Sensus est manifestus (1).

6. ETIAMSI DUOBUS MILLIBUS ANNIS VIXERIT, ET NON FUERIT PERFRUITUS BONIS : NONNE AD UNUM LOCUM PROPERANT OMNIA? — Hebraice est, *si vixerit mille annos* פעמים *paamaim*, id est, ut Syrus, *duabus vicibus*, id est mille annos duplicatos sive duplices, ut in *Comment.* vertit S. Hieronymus, id est bis mille annos. Idem voluere Septuaginta dum verterunt, *et si vixit mille annorum reditus*, id est mille annos iteratos et redeuntes, puta geminatos. Male ergo in Regiis τὸ *reditus* refertur ad sequentia hoc modo : *Reditus et bonitatem non vidit.* Arabicus pro *paamaim* in duali legit פעמים *peamim* in plurali, id est *multis vicibus.* Unde vertit, *et si vixerit universalitatem millium annorum*, id est, etsi multa annorum millia, imo myriades vixerit. Est hyperbole, vel potius concessio rei impossibilis. Ætas enim hominis porrigi nequit ad bis mille annos, ac nemo ex primis hominibus qui fuerunt præ omnibus polychronii attigit annum millesimum. Mathusalem, qui summe omnium fuit macrobius, pervenit ad annum 969 duntaxat; sed esto, inquit, avarus bis mille annis viveret, quod tamen est impossibile. Hæc sententia pendet, ac posset referri ad vers. præced., *q. d.* Avarus non videt distantiam boni a malo, sed tantum

Vers. 6.

(1) Vertenda sunt Hebræa, *etiam solem non vidit, nec cognovit* (quid? alii, *solem;* alii, *aliquid*); *quies* est *huic* abortivo *præ illo*, avaro divite.

mala continua, etiamsi bis mille annis viveret. Verum ex Hebræo liquet referendam esse ad τὸ *nonne ad unum locum properant omnia* (1)?

Sensus ergo est, *q. d.* Avarus abortivo non est felicior, sed infelicior tam in vita quam in morte: In vita, quia etsi illo diutius vivat, imo esto per impossibile des illi bis mille annos vitæ, totidem annos ærumnæ et quasi mortis vitalis illi dabis: Omnes enim dies exigit in curis et angoribus et mœroribus. In morte, quia in majori angustia moritur, quam abortivus, quia cogitur deserere opes ita adamatas et tanto labore partas; tum quia timet gehennam sibi præparatam, quia « ad unum locum properant omnia, » scilicet ad mortem: ibi enim desinunt omnes anni, omnes curæ, omnes opes avari. Esto ergo bis mille annis vivat, iis exactis quid habebit? nil nisi tormentum majus, eo quod labores et opes partæ non possint eum tutari a morte, nec comitari post mortem ad aliam vitam: quare dum eas in morte relinquere cogitur, mire cruciatur, præsertim quia, ut addit Chaldæus, nil virtutis et meriti secum defert. Audi Chaldæum: *Etsi duobus millibus annis vixerit vir, et in lege non laboravit, et sacramento apud Dominum obstrictus, judicium et justitiam non fecit, in die mortis suæ anima ejus decidet in gehennam ad locum unum, quo omnes peccatores vadunt.*

Avarus ergo sua avaritia corrumpit omnia bona, quæ in vita et morte, quæ in hoc sæculo et futuro sibi comparare posset, si bonis suis commode sancteque uti nosset. Quare uterque, avarus scilicet et abortivus, vadunt ad eamdem mortem et ad eumdem infernum; sed abortivus ad limbum, ubi pueri in peccato originali mortui carent quidem visione Dei, sed carent et pœna sensus: avarus vero vadit ad gehennam, ubi damnati cruciantur igne per omnem æternitatem. Deterior ergo longe est sors avari, quam abortivi, qui suis curis, usuris, lucris non aliud facit quam aggerere sibi folles et fomenta, quibus magis ardeat in gehenna. Avarus ergo nec in vita hac fruitur bonis, nec in futura; sed in utraque cruciatur malis, in hac temporariis, in futura æternis. Nota τὸ *properant*, quia vita nostra non est aliud quam continuus cursus ad mortem, ac per eam ad immortalitatem vel beatissimam in cœlo, vel miserrimam in inferno.

Vers. 7. 7. OMNIS LABOR HOMINIS IN ORE (Hebræa et Arabicus, *ad os*; Complutenses: *in os*) EJUS: SED ANIMA EJUS NON IMPLEBITUR. — Chaldæus, *omnis labor hominis est propter escam oris sui, pro qua ipse laborat, et per verbum Domini nutritur: neque tamen animus esculentis et poculentis satiari potest*; Campensis, *nullus fructus est alius humani laboris, quam cibum ori suppeditare: animi tamen cupiditati omnino satisfieri non potest*; Vatablus, *et tamen desiderium habendi non expletur*. Arias:

> Ventris causa orisque homini labor omnis aditur;
> Os tamen expletur nunquam, sit quamlibet arctum:
> Ventris at ingluvies et habendi plura cupido.

Alius:

> Nullo auri pretio, nulla est satiabilis esca.

Gnome hæc tripliciter exponi potest: *primo*, de labore; *secundo*, de loquela; *tertio* et genuine, de cibo.

Primo ergo de labore varii varie exponunt. Primo. *Primo*, quasi dicat: « Omnis labor hominis, » omnis miseria et calamitas est in ore hominis, id est æstimatur gravis vel levis, prout ori et palato illius sapit, prout ab ore ejus extollitur et exaggeratur, vel minuitur et parvipenditur; prout os et cor, id est animus ejus fuerit affectus; ac si is male sit affectus, uti passim fit, non impletur, sed in deterius vertit quæ accidunt; sin is bene sit affectus, uti est in sanctis, salutarem ex omnibus colligit fructum. Ita Moringus. Similis huic est illa gnome, *Psalm.* CXLVII, 16: « Qui dat nivem sicut lanam, » quod nonnulli sic explicant, *q. d.* Deus facit nivem et frigus hibernum sentiri, prout quis magis vel minus vestitus est, ut v. g. pauperes minus vestiti minus sentiant rigorem hiemis, divites vero magis eumdem persentiscant.

Secundo, alii exponunt, *q. d.* Deus cuique admetitur laborem non super vires, sed juxta cujusque os, id est modum et conditionem, ut scilicet illi plus non imponat, quam ipse sustinere, et quasi ore suo devorare possit. Secundo.

Tertio, alii, *q. d.* Quisque laborem suum habet in ore, id est, quisque loquitur crebro de sua occupatione et labore, v. g. arator de agricolatione, faber de fabricis suis, sutor de sua calceorum sutura, medicus de suis curationibus; at nunquam quis vel labore, vel arte sua, vel lucro ejusdem satiatur. Tertio.

Huc pertinet sensus S. Bonaventuræ: Os, inquit, hians significat desiderium, *q. d.* Omnis homo laborat, ut impleat os, id est ut satiet suum desiderium; sed frustra, quia hoc est insatiabile et expleri nequit.

Porro de loquela et sermone varii pariter varie explicant. *Primo*, Olympiodorus: » Omnis labor, » inquit, hominis, scilicet animalis et peccato infecti est in ore ejus, quia os ejus semper laborat, ut proferat aliquid scelerati, scilicet contumelias, jurgia, blasphemias, fraudes. Primo.

Secundo, Hugo Victorinus, *q. d.* Omnis homo quia homo est, præcellit cætera animalia duobus, scilicet ratione et ore, id est sermone; quare conatur os, id est sermonem suum expolire, ut concinne, polite, ornate dicat, ut polleat eloquentia; at quanta vis illa sit, nunquam cupiditatem ejus explet. Sola enim Dei gratia et charitas cor hominis implet. Simili mo[illegible] Hieronymus exponit Secundo.

(1) Versu 6 sententia versus 5 non continuatur, sed repetitur: *Quod si vixerit mille annos duabus vicibus, et bonum non viderit*, quid ei profuerit tot annos vixisse? *Nonne ad locum unum omnes pergunt*, et qui bonis suis fruiti sunt, et qui non sunt usi?

de eo qui multa didicit, et tamen semper cupit discere.

Tertio. *Tertio,* Cassianus, *Collat.* XIV, IX, asserit omnem laborem hominis esse in ore ipsius, hoc est in eo compescendo per silentium, et ut omnium seniorum instituta atque sententias intento corde, et quasi muto ore suscipiamus, ac diligenter pectore condamus, atque ad perficienda ea potius quam ad docenda festinemus; quoniam ex hoc cenodoxiæ præsumptio, ex illo fructus spiritalis scientiæ pullulabunt.

Quarto. *Quarto,* Hugo Cardinalis : Omnis, inquit, hominis labor est in ore verificando, sanctificando, custodiendo. Verum omnes hæ expositiones ingeniosæ potius sunt verborum adaptationes, quam sinceræ et genuinæ mentis Salomonis explicationes; quare lusus ingenii magis sunt quam Scripturæ sensus.

Igitur mens Salomonis est agere non de labore nec de sermone, sed de cibo, uti explicat Chaldæus, Campensis et cæteri.

Sensus igitur *primo,* esse potest de cibo et potu, ut ostendat eorum vanitatem, ideoque in eis non consistere felicitatem, uti animales et epicurei censent; quin et ipse Salomon, cap. II, vers. 9 et 25, dicens : « Quis ita devorabit, et deliciis affluet ut ego? » quæsivit in iis felicitatem, sed non invenit. Eo ergo videtur hic respicere, æque ac ad cap. V, quod proxime præcessit, vers. 17, ubi dixit : « Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat, » etc. Sensus ergo est, *q. d.* Major hominum pars constituit felicitatem in cibo et potu, puta in delicata comestione et potatione, ideoque labor eorum omnis est in ore, hebraice, *ad os,* ut scilicet os et palatum hisce suis deliciis oblectent; at « anima eorum non implebitur, » tum quia gula insatiabilis est et impleri nequit: unde helluones quo plus bibunt, eo plus bibere cupiunt, eoque magis helluantur, ut videantur ore semper hiare ad potum; tum quia deliciæ corporales animam spiritualem et Dei capacem satiare et explere nequeunt. Ita Olympiodorus, Titelmannus, Cajetanus. Atque ita explicat ipse Salomon, *Prov.* cap. XVI, vers. 26, dicens : « Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum; » Hebræa, *quia incurvavit se ad ipsum os suum.*

Secundo, magis presse et genuine hæc pertinent ad avarum, de quo omnis sermo præcessit, *q. d.* Avarus laborat assidue, ut congreget opes, quibus os et ventrem satiet; sed frustra, quia venter et gula insatiabiles sunt. Ita S. Hieronymus : « Omne, ait, quod laborant homines in hoc mundo, ore consumitur, et attritum dentibus, ventri traditur digerendum; cumque paululum gulam delectaverit, tamdiu videtur tribuere voluptatem, quamdiu gutture continetur; cum vero in alvum transierit, desinit inter cibos esse distantia. Et post hæc omnia non impletur anima comedentis, sive quod rursum desideret quod comedat, sive quod nullam utilitatem anima ex refectione corpusculi capiat. »

Rursum et potius est occupatio. Occurrit enim tacitæ objectioni avari dicentis : Laboro perpetim, ut conquiram necessaria ori meo et meorum implendo, ut victum vestitumque comparem; sed confutat hoc Salomon, aitque : Ex ore tuo condemno te, o avare nequam. Nam os tuum defraudas, ut opes aggeras. Unde Syrus vertit, *prohibuit omne, quo laborat homo in ore ejus, et anima ejus non est impleta.* Rursum, ut os et ventrem impleas, paucis opus est, sed ut animam, id est cupiditatem et avaritiam tuam expleas, perpetuo laboras ut asinus; idque in vanum, quia avaritia tua nullis limitibus coercetur, sed immensum se porrigit, ideoque insatiabilis est, et expleri nequit. Ita Thaumaturgus. Cupiditatem ergo tuam implere vis, at non potes; laboras igitur in vanum ac tentas rem impossibilem. Facis enim perinde, ac si quis totum alveum maris una aquæ gutta implere conaretur. Utquid ergo tot labores miser exantlas? utquid in vanum te tot curis fatigas et crucias? utquid frustra teipsum tot ærumnis atteris et consumis? utquid tui ipsius es tortor et carnifex?

Denique ut summatim sensum complectar, hæc est vanitas et stultitia avari, ut cum propter os suum laboret, illud tamen rebus etiam necessariis defraudet, utque cupiditatem habendi implere velit, nec possit (1).

Mystice, per os accipe ingenium et desiderium hians sciendi, per animam vero mentem, quæ nulla scientiarum copia expleri potest. Ita S. Gregorius, homil. 40 *in Evang.* : « Bene, inquit, de doctis et negligentibus per Salomonem dicitur : Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus non implebitur; quia quisquis hoc solummodo laborat, ut sciat quod loqui debeat, ab ipsa refectione suæ scientiæ mente vacua jejunat. » Ad hoc idem, hom. 18 *in Ezech.*, citat illud *Prov.* XVI, 26 : « Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum. Os enim nostrum, inquit, nos compellit ad laborem, quando per hoc quod aliis dicimus, a vitiis refrenamur : quia turpe nimis, ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conati sumus alios levare. »

Vers. 8. 8. QUID HABET AMPLIUS SAPIENS A STULTO? ET QUID PAUPER (Tigurina, *humilis;* alii, *afflictus:* omnia hæc notat עני *ani*), NISI UT PERGAT ILLUC, UBI EST VITA? — In Hebræo non est τὸ *nisi*, sed tantum, *et quid pauper sciens pergere coram vita,* vel *contra vitam,* aut *coram viventibus,* vel *contra viventes?* Olympiodorus, *in conspectu vitæ;* alius, *pauper est sciens ire obviam vivis;* Tigurina, *scit vitam agere inter viventes;* Campensis, *scit sua industria victum sibi parare inter illos cum quibus vivit.* Hebræum enim חיים *chaiim* plurale, et vitas,

(1) Sensus : Cum omnis labor eo tantum tendat, aut tendere debeat, ut alamur, non tamen expletur divitis animus; sed longe plura congerit, quam quæ victui suo sufficiant.

et vitam, et viventes significat. Hinc ex Hebræo amplo et ambiguo varii varie transferunt (vide eos apud Lorinum si lubet), sed perplexe, ambigue et insipide, cum Noster clare, certe et sapide verterit subaudiendo τὸ *nisi*; unde ei astipulantur Septuaginta dum vertunt, *quoniam abundantia sapienti super insipientem, eo quod pauper novit ire ad faciem vitæ;* Syrus, *quia est lucrum sapienti præter illud quod est stulto, quia pauper cognoscit ire ad vitam*; Arabicus, *quid habet præstantius sapiens, quam stultus? quia pauper cognovit cursum coram vita*, id est ut sciat hic vivere, ut sciat quomodo hic bene et feliciter vitam agere debeat. Alius, *q. d.* Pauper pergit ut ostiatim mendicet ad comparandum sibi victum necessarium ad vitam. Verum hoc frigidum est, æque ac insulsum (1).

Est antithesis stulti avari et sapientis pauperis. Scriptura enim sæpe per pauperem indicat sapientem et justum, per divitem vero insipientem, avarum et injustum; quia, ut ait S. Hieronymus: « Omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres; » pauper vero, quia modicis contentus, spernit opes, et cor ad veras in cœlo Dei opes transfert; hinc sapiens est et justus.

Sensus ergo est, *q. d.* Sapiens et pauper in vita et morte, atque labore victum comparandi, ut satient os et ventrem, pares sunt; hac tamen re pauper sapiens antecellit diviti avaro et stulto, quod pauper pergat ad vitam, dives vero ad mortem, eamque triplicem. Hebr. enim *chaïm* est plurale, ideoque triplicem vitam significat, scilicet naturalem animæ, spiritualem gratiæ, cœlestem gloriæ.

Primo ergo de vita naturali sic exponas, *q. d.* Pauper contentus moderato victu et vestitu pergit ad veram vitam, quæ sita est in animo suis contento, quieto, hilari. Talis enim vivit agitque vitam suavem, jucundam et longævam. At dives avarus oculos declinans in terram, in eaque velut serpens et repens et proserpens, ut aurum et argentum, id est (ut ait Habacuc XXVI) densum terræ lutum colligat, vacuus miser et infelix continuo labore se consumit, nec audet partis frui, sed semper veteribus aggerere satagit: quare vivit vitam ærumnosam, quæ potius mors dicenda est, quam vita, ac mox ad communem omnibus mortem nudus et inops tendit, quæ stulta est vanitas. Ita S. Hieronymus, Hugo Cardinalis et Glossa; paulo aliter Vatablus: censet enim hic moneri pauperem, ut paupertate sua tranquilla, sapiente et sancta contentus cupiditatem omnem abdicet: « Quid enim juvat, ait, pauperem doctum apud homines ambulare prudenter coram ipsis hominibus in hoc mundo, si laboret cupiditate habendi? » Hoc eodem redit, quo prius; prius tamen simplicius et germanius est.

Secundo, de vita spiritali exponas, *q. d.* Pauper contemnens opes terrenas ambit spiritales, studetque virtutibus et meritis congregandis, juxta illud *Jacobi* II: « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et hæredes regni? » Pauper ergo vivit vita gratiæ.

At dives avarus totus opibus incumbit; unde gratiæ et virtutum fit inops et egenus, atque per usuras, fraudes, contractus injustos committit peccata mortalia: quibus animæ mortem incurrit. Ita S. Bonaventura, Lyranus, Carthusianus.

Unde Olympiodorus per vitam accipit Christum, ad quem pauper, qui ab ipso prædicatur beatus, incedit per virtutum semitas; cum dives stultus mancipet se voluptatibus more pecudum. Quare per vitam hic mystice accipias Eucharistiam, qua deliciose mentem pascunt pauperes, longe magis quam divites corpus suis epulis. De Eucharistia enim ait Christus: « Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, » *Joan.* VI, 59; et vers. 48: « Ego sum panis vitæ, » etc. Thaumaturgus vero ait pauperem tendere ad vitam, quia tendit ad paupertatem et opum contemptum, in quo vitæ integritas et rectitudo consistit: « Insipientis, ait, proprium est, ut nimium concupiscentiis indulgeat, ideoque reprehenditur. Sapiens ab eis sponte sibi temperat. Fere autem vitæ rectitudo homini recto ad inopiam dux est itineris. »

Tertio, pauper per vitam gratiæ tendit ad vitam gloriæ, et avarus per primam mortem culpæ et avaritiæ tendit ad mortem secundam gehennæ, uti Lazarus mendicus ab angelis ductus est in cœlum, dives vero epulo sepultus est in inferno, *Lucæ* XVI. Ita Chaldæus: « Etenim, ait, quid amplius est sapientibus in hoc sæculo quam stultis, et quid est pauperi, nisi ut studeat in disciplina legis Domini, ut cognoscat quomodo futurum sit ut eat omnino coram justis in paradisum Eden, » puta voluptatis, in quo a Deo positus fuit Adam, qui fuit typus et præludium paradisi gloriæque cœlestis.

Tropologice, ex eo quod ait pauperem pergere

(1) Vers. 8 et 9. *Quid enim est præstans*, emolumentum, *sapienti* pauperi *præ stulto*, cujus cupiditas non expletur, qui igitur est semper inquietus et sollicitus? *Quid*, inquam, est præstans *pauperi scienti ambulare coram vivis*, qui novit inter homines prudenter versari? Respondet: *Melior* est *adspectus oculorum, quam progressus animæ*, hoc sensu: Longe præstat præsentibus frui, quod facit pauper sapiens, quam animo vana consectari, uti solet stultus avarus. Etiam hoc, videlicet progressus, seu divagatio animæ, seu appetitus, *est vanum et studium inane*. Cf. Horatium, *Epist.* lib. I, XVIII, vers. 96-99:

> Inter cuncta leges et percontabere doctos,
> Qua ratione queas traducere leniter ævum:
> Ne te semper inops agitet vexetque cupido,
> Ne pavor et rerum mediocriter utilium spes.

Et Lafontaine:

> Un tiens vaut mieux que deux tu l'auras.

Alii, commatis 8 posterius membrum sic vertunt, *quid* præstat *pauperi scienti* ac divitiarum avido *ambulare coram vita*, scilicet beata, id est, sitire et congerere opes quas beatam vitam reddituras putat, opibus vero quæsitis nunquam uti?

ad vitam, disce viam ad vitam esse paupertatem, sub qua humilitatem intellige. Unde hebræum עני *ani* tam humilem, quam pauperem significat; paupertas enim est mater humilitatis; unde pauperes experimur humiles, divites verbo superbos. Nam, ut ait Phocilides :

Fastus opes sequitur, sequitur petulantia magnos.

Hac de causa S. Franciscus se suumque ordinem fundavit in paupertate, ut eumdem fundaret in humilitate. Utraque ergo dux est et via ad veram vitam; unde eam primus innuit Christus, ut eam nos doceret : « Ego autem, inquit, mendicus sum et pauper; » et : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. » Ita sanxit Deus mira congruentia et sapientia. Congruum enim est ut qui contemnunt terrestria, occupent cœlestia. Audi S. Ambrosium, serm. 74 *De Natal. Martyr.*: « Possumus, ait, et nos dicere Domino : Notas fecisti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, cum me docuit fidem, misericordiam, justitiam, castitatem; » adde humilitatem, paupertatem, patientiam : « his enim itineribus pervenitur ad vitam. » Ita S. Benedicto, ut scribit S. Gregorius, II *Dialog.* cap. XXXVII, vita functo, duobus ex ejus grege monachis visum est videre viam quamdam amplam et rectam palliis stratam, innumerisque luminibus coruscantem, et senem quemdam astantem qui diceret : « Hæc est via, qua dilectus Dei Benedictus ascendit ad cœlum. » Hanc viam S. Bernardus, homil. *Ecce nos reliquimus omnia*, nihil aliud esse censet, quam paupertatis et vitæ religiosæ formulam ab eo institutam, quam ut ille servans ascendisset in cœlum, sic omnes qui eum sequerentur.

Vers 9. 9. MELIUS EST VIDERE QUOD CUPIAS, QUAM DESIDERARE QUOD NESCIAS. — Hebræa, *bona est visio oculorum, præambulare anima,* id est præstat videre oculis rem certam, quam variis animæ cogitationibus, concupiscentiis, desideriis vagari et oberrare per res plurimas et incertas. Septuaginta Complutenses, Ἀγαθὸν ὅραμα ὀφθαλμῶν ὑπερπορευόμενον ψυχῇ, id est, *bona est visio oculorum superambulans animæ,* id est, quæ superat animæ desiderium, *q. d.* Bonum est cernere et præsens habere objectum quod, dum absens est, anima cupit et desiderat : præsentia enim superat absentiam rei, æque ac visio rei visæ superat spem et desiderium rei videndæ. Verum melius et conformius ad Hebræa Codices Vaticani pro ὑπερπορευόμενον per systolen, legunt ὑπὲρ πορευόμενον per diastolen. Unde vertunt, *bonum est aspectus oculorum superambulantem anima.* S. Hieronymus, *in anima;* Olympiodorus, *quam ambulare juxta voluntatem animæ;* Tigurina, *quam ut quis desiderium sequatur;* Vatablus, *quam quod æstuet anima.* Thaumaturgus tamen priorem versionem Complutensium secutus explicat, *superambulans,* id est prævalens animæ, illamque trahens in rei visæ concupiscentiam, quæ magna stultaque est vanitas. Unde sic vertit, *irritant quorumdam oculos ferculorum spectacula; sed cum inane sit hoc vivendi studium, perniciosæ illecebræ animam in steriles occupationes trahunt.*

Syrus, *melior est visio oculorum passu animæ;* Arabicus, *oculus est essentia bonus præstantior animo lucido;* Pagninus, *melior est visio oculorum, quam ut eat anima per viam stultorum;* Chaldæus, *melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias, sed et hoc vanitas est et præsumptio spiritus.*

Vel, ut vertit Costus, *melius est homini ad futurum sæculum gaudere, justitiam colere, et summo judicii die bonam mercedem operum suorum recipere, quam hanc vitam in calamitatibus et animi perturbationibus ingredi : hoc enim scelerato homini vanitas est et afflictio spiritus.*

Omissis variis variorum explicationibus parum probabilibus, quinque magis probabiles subjicio. Nam *videre oculis,* ut habent Hebræa, quinque significat : *primo,* aspicere et contemplari rem præsentem; *secundo,* prævidere futura; *tertio,* judicare de rebus, oculus enim judicat de coloribus rebusque visis; *quarto,* experiri, experientia enim capitur visu; *quinto,* frui, gustare, tenere et possidere : oculus enim fruitur re visa, eamque visu suo quasi tenet suique juris facit, possidet et comprehendit. Juxta hæc quinque significata quintuplex oritur sensus.

Primo, Isidorus Clarius et Campensis primam videndi significationem secuti vertunt : « Melius est contemplari oculis divitias præsentes, quam industria sola fretum in diem more pauperum vivere : certe falleris, qui hoc putes : non enim aliud aspectus divitiarum adfert, quam animi stultas curas et tormenta. » Ex adverso Christus jubet nos non sollicitos esse de crastino, sed crastini curam resignare Deo, *Matth.* VI. Censent ergo hi auctores hanc gnomen proferri ex mente divitum, non Salomonis; unde ipse eam corrigit dicens : « Sed et hoc vanitas est et afflictio spiritus. » Primo.

Secundo, Symmachus secundam videndi significationem secutus vertit : Βέλτιον προβλέπειν ἢ ὁδεύειν αὐταρεσκείᾳ, id est, *melius est providere quam ambulare ut libet,* ut vertit S. Hieronymus qui sic explicat, *q. d.* Melius est per rationem (hæc enim est oculus animæ) agenda prospicere, quam voluntatem et desideria cordis sequi, uti faciunt illi qui ambulant in voluntate cordis sui, ut ait *Ezech.* cap. XI, 21, in Hebræo. Sic et Olympiodorus : « Longe melius est, inquit, perspicaces habere oculos animæ ac rationis, luce Spiritus Sancti illustratos, quam pergere juxta voluntatem animalis hominis, qui in tenebris ambulat » juxta illud *Matth.* VI, 22 : « Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, hoc est, inquit, si rationalis animæ vis luce fuerit illustrata, Secundo.

appetitus sensitivi licentiam in ordinem suum rediget. » Et illud *Proverb.* cap. XIX, 2 : « Ubi non est scientia animæ, non est bonum : et qui festinus est pedibus, offendet. » Hæc Olympiodorus. Sic et Salonius, Alcuinus, Hugo Victorinus et alii explicant, *q. d.* Satius est cuncta per rationem præmeditate agere, quam temere sequi stultas animi cupiditates, æstusque vagorum et noxiorum desideriorum. Huc pertinet versio Tigurina, *melior est providentia, quam ut quis desiderium sequatur.* Accedit Hugo Cardinalis, qui censet hic significari meliorem esse providentiam seu scientiam prævisionis, qua scitur quid sit cupiendum, quid non, quam temerariam præcipitemque concupiscentiam eorum quæ concupisci non possunt, nisi ab ignorantibus ea, qualia sunt temporalia bona, quæ ceu putre lignum et squama piscis, lucent duntaxat in tenebris, et sunt indigna scitu. Lyranus non hinc longe abit, nisi quod proprie vult reprehendi superstitiosam et vanam futurorum præscientiam. Nec dissentit Dionysius exprimens res superstitiosas, magicas, frivolas, falsas, quas nescire quam scire magis expedit, cum contra studendum magis sit cognitioni ejus quod appeti debet, videlicet finis ultimi ac mediorum ipsius.

Tertio. *Tertio,* juxta tertium significatum *videre,* ut significet judicare, definire et dimetiri, sensus est, *q. d.* Melius est certum sibi valorum, opumque limitem præfinire, qui suo ingenio et statui sit accommodatus et quasi commensus, ac eo contentum vivere, quam sinere animam vagari ad alia et alia semper cogitanda et desideranda, nec ullum cupiditati suæ terminum præfigere.

Quarto. *Quarto,* juxta quartum significatum *videre,* ut sit idem quod experiri, sensus est, *q. d.* Melius est videre, id est experiri, quis labor, quæ occupatio, quis status, quæ quantæque opes tibi, tuæque indoli conditionique conveniant et sufficiant, in iisque tranquilla mente conquiescere, quam cupiditati habenas laxare, ac desiderare plus semper et plura sine mensura, quæ nescias qualia sint; et an tibi conveniant, sintque salutaria.

Quinto genuine. *Quinto* et magis apposite ac genuine, juxta quintum significatum *videre,* ut sit idem quod uti, frui, gustare, tenere, occupare, possidere, sensus est, *q. d.* Melius est videre, id est uti et frui præsentibus et certis, quæ oculis cernis et manu tangis, quam desiderare absentia et incerta, quæ nescis an ea obtinere queas, et an tibi satiem felicitatemque sint allatura. Pergit enim opponere et præponere pauperem sapientem diviti stulto, quod ille videat ea quæ cupit, id est possideat et fruatur opibus cupitis, licet modicis, sed præsentibus, iisque contentus quiete, hilariter et feliciter vivat: hic vero desideret id quod nescit, id est, insatiabili opum absentium et sæpe impossibilium acquirendarum cupiditate flagret, quarum usum et fructum per experientiam ignorat et nescit, id est non sentit, non gustat, non gaudet, non fruitur, sed perinde illi sunt, ac si illas nesciret, ipsique incognitæ et invisæ forent; quod quid est aliud quam stulta vanitas et præsumptio? ob spem enim incertorum privat se fruitione certorum; vane præsumit id ad quod stulte aspirat, cum sæpe id assequi nequeat; quare frustra laborat, seque eviscerat circa opes, quarum commoda et jucunditatem non experitur, nec unquam experietur. Avaritia enim opes et spes vanas sibi fingit, quas nunquam consequetur, certe iis nunquam utetur et fruetur.

Huc pertinet versio et expositio Pagnini, *melior est visio oculorum, quam ambulare animæ* (id est, præstat rebus præsentibus, quas ob oculos habes, frui, quam animo huc illuc vagari, et nunquam saturari). Cajetanus, *melior est aspectus oculorum quam ambulatio animæ,* id est, melius est præsens bonum, et quod oculis videtur, quam futurum quodque solo desiderio habetur: ambulatio siquidem animæ, inquit, gressibus desiderii ac spei fit.

Vatablus, *melius est aspectus oculorum quam quod æstuet anima,* id est, melius est esse contentum præsenti fortuna, licet modica, quam multa, licet maxima, desiderare, ac modo hoc, modo illud in votis habere. « Melior est columba præsens in mensa, quam anser in aere volitans. » Melius est pauca occupare quietum, quam cupidum anxiumque nova semper ambire et persequi.

Nota τὸ *quod nescias,* id est quorum naturam, conditionem, commoda et incommoda ignores, non sentias, non gustes, non experiaris, nec satis habeas perspecta; si enim ea perspiceres, utique ea non desiderares nec cuperes. Hoc enim exigit antithesis : « Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias, » id est quod non cupias; si enim scires ejus vanitatem et vilitatem, utique illud non cuperes, sed fugeres.

Mystice, melius est videre quod cupis, id est ambire cœlestem gloriam, in qua videbis Deum, ejusque visione, quam cupis, satiaberis, erisque beatus, quam desiderare quod nescias, id est ambire terrenas opes, pompas et dapes, quarum vilitatem, pericula et damna ignoras et nescis, id est non attendis, non consideras, non perspicis, præsertim quod te trahent in ruinam et gehennam.

Unde Auctor *Catenæ Græc.* hanc gnomen sic exponit, *q. d.* « Melior est scientia Dei, quam fluxa et corruptibilis voluptas, vel quam animæ cupiditatibus morem gerere. » Aut juxta versionem Symmachi, *melius est in ea quæ sunt futura prospicere, quam ex rebus his præsentibus oblectationem quærere.*

ET HOC VANITAS EST ET PRÆSUMPTIO SPIRITUS. — Syrus, *hoc vanitas est et perturbatio animi;* Arabicus, *hoc vanum est et afflictio spiritus;* Chaldæus, *contritio spiritus;* Cajetanus, *fractio spiritus;* alii,

cogitatio spiritus; Aquila et Theodotion, *pastio venti;* Tigurina, *molestia animi;* Campensis, *certe falleris qui hoc putas : hoc enim non aliud est quam animi stultæ curæ et tormenta.* Vide dicta cap. I, vers. 2.

Vers. 10. 10. QUI FUTURUS EST, JAM VOCATUM (Arabicus, *denominatum;* alii, *nominatum;* Cajetanus, *jam vocatus est nomine suo,* id est cognitus est : res enim per nomen suum cognoscitur. Est catachresis) EST NOMEN EJUS, ET SCITUR QUOD HOMO SIT, ET NON POSSIT CONTRA FORTIOREM SE IN JUDICIO CONTENDERE. — Hebræa, *quod fuit, jam vocatum est nomen ejus,* sed *fuit,* idem est quod *futurum est.* Hebræi enim sæpe commutant tempora, et præteritum accipiunt pro futuro : alioqui enim hic esset inepta tautologia. Quis enim nescit id quod fuit esse nominatum et cognitum? At quod futurum est, fuisse prænominatum et præcognitum, hoc mirum est, eximium, Deoque dignum; unde clare Campensis vertit, *qua ratione fuit olim unumquodque priusquam esset, nomine suo notum et scitum fuit, quod hic velit nolit homo futurus esset, nec poterit nisi frustra contendere cum Deo, qui ipso fortior est, quare sic conditus est.* Unde

Primo, Chaldæus hanc gnomen accipit de rebus creatis, quod ex eis nihil novum, sed omnia jam olim a Deo decreta sint, ideoque de iis non posse hominem cum Deo contendere. Hebræa enim habent in genere neutro, *quid est quod fuit, jam vocatum est nomen ejus.* Sic et Septuaginta. Chaldæus ergo sic vertit, *quod fuit in sæculo, ecce jam vocatum est nomen ejus, et notum est filiis hominum a die quo factus est primus homo, et omnia decreta sunt a verbo Domini, et non est potestas viro, ut stet in judicio cum dominatore sæculi, qui fortior illo est.* Verum Hebræa, Noster, Septuaginta, Syrus, Arabicus hanc gnomen arctant ad hominem, nec extendunt eam ad cæteras res creatas. Unde aiunt, *et scitur quod homo sit.*

Secundo ergo, alii censent hæc dici contra ambitiosos, *q. d.* Quid, o ambitiose, te jactas de nobilitate, opibus, scientia, dignitate, cum ante te a mundi initio hucusque multi fuerint a Deo effecti vocatique nobiliores, opulentiores, scientiores, digniores te, cum quibus, utpote te fortioribus et præstantioribus, non poteris judicio contendere, ut illis te præferas, sed illis te submittas et inferiorem agnoscas oportet. Unde nonnulli cum Aben-Ezra exponunt, *q. d.* Iniqui, improbi et stulti sunt avari conatus, qui majora semper tentat et molitur, ut opulentissimos opibus æquet, imo superet, cum id factu sit impossibile.

Tertio, alii autumant hæc dici contra curiosos, qui arrogant sibi futurorum prænotionem tanquam sese velint in eorum præscientia æquare Deo, cum eoque judicio quasi contendere, uti sibi illam arrogant astrologi judiciarii, similesque conjectores et divini. Ita Lyranus et ex eo Titelmannus : Congrue, inquit, transit ab avaritia opum ad avaritiam scientiæ, puta ad curiositatem et immodicum sciendi desiderium, quo homo vult scire arcana et futura, ut sit similis Deo, et alter quasi Deus, sicut esse voluit Adam comedens ex ligno scientiæ boni et mali. Sic et S. Bonaventura, Hugo uterque, Dionysius et alii.

Quarto, melius alii opinantur hæc dici de iis qui sua sorte non contenti obmurmurant divinæ Providentiæ, quod ab ea aliam sortem meliorem non sint nacti, qui proinde, ut ait Olympiodorus, inconsultius quærunt, quare Deus hunc hominem paupertate oppressit, illi vero magnas opes effudit? » Contra hos ergo docet omnes res, ac præsertim hominem in omnibus subjacere ordinationi divinæ, ut pauper sit vel dives, nobilis vel ignobilis, sanus vel æger, felix vel infelix, etc., ac proinde in nulla rerum sorte, casu vel statu contra Deum obmurmurare posse, utpote qui cuivis prout libet cuncta partitur tanquam summus omnium Dominus et sapientissimus, optimusque omnium gubernator. Unde Thaumaturgus hunc versum et sequentem ita vertit, *quæ nunc facta sunt, jam cognita sunt, perspicuumque est hominem iis quæ supra se sunt, reluctari et obsistere non posse. Cæterum nugæ et ineptiæ inter homines versantur, eorum qui iis utuntur, amentiam augentes,* scilicet murmurationes et curiositates, de quibus cap. sequent. vers. 1. Et Auctor *Catenæ Græcor.* : « Omnia, inquit, a Deo sunt, ipsi quoque cuncta fuere præcognita, nomenque sortita apte suum cuique respondens, illudque vitæ institutum accepere a Deo, quod maxime unicuique conducere prævidit. Quis igitur sit, qui ejus resistat voluntati? ut propterea irritum vanumque sit investigare deinceps cur hic divitiis affluat, ille paupertate prematur, et cætera quæ sunt generis ejusdem. » Et inferius : « Nemo ergo dicere ausit, inquit Ecclesiastes, quare sum ego hujuscemodi corpori agglutinatus, aut cur non evasi angelus? Nisi forte sit acceptio personarum apud Deum. Nam sermones ejuscemodi multa redundant vanitate. »

Igitur sub substantia, intelligit accidentia; sub re, omnia attributa et affecta rei, puta sub homine, omnes hominis conditiones et qualitates, quales sunt paupertas, opulentia, miseria, felicitas, infirmitas, sanitas, omnesque variæ fortunæ in hac vita sortes et casus, qui quales futuri sint, et cuique obventuri prænovit et præordinavit Deus.

Quinto, maxime accommode et genuine hæc referas ad avarum, cujus vanitatem toto hoc capite ostendit, quique desiderat quæ nescit, an obtenturus sit, iisque fruiturus, uti proxime præcessit; arguit enim eorum stultitiam, qui præsentibus non contenti, inhiant semper futuris, ut res suas augeant, *q. d.* Solent avari congerere opes ingentes, ut sibi suæque posteritati, famæ et gloriæ in futurum per longa temporum spatia prospiciant; suæ enim industriæ præfisi censent se suas opes, palatia, prædia stabilire posse in multa sæcula, ac nomen suum æternare, quasi Deo non subsint,

nec eo indigeant, sed sua solertia cuncta quæ cogitant perficere possint; qua in re errant graviter, suamque vanitatem, æque ac stultam præsumptionem, uti præcessit, ostendunt. Quia quidquid futurum est, soli Deo notum est, ab eoque provisum et ordinatum; quisquis etiam futurus est, jam Deo notus est, decretusque ne sit, non angelus, nec deus futurorum præscius et omniscius, sed Adam ab *adama*, id est homo ab *humo*, hoc est terrenus, miser, fragilis, instabilis, multis fortunæ casibus obnoxius, ac brevi moriturus, qui proinde cum Deo fortiore se contendere nequit, nec præscientia et prævisione futurorum, nec stabilitate et constantia, nec exemptione, ut a Dei jure et regimine sit exemptus, sed per omnia ejus providentiæ et ordinationi se subjiciat, oportet, ut illa opum mensura, illa rerum sorte, illo spatio vitæ, illa posteritate et fama sit contentus, quam Deus illi admetiri ordinarit et prædestinarit. Deus enim sæpe ordinat ut diviti nascatur filius vel nepos pauper, imo ut ipse dives illico fiat pauper, miser, ærumnosus, ac moriatur. Vis tota est in τῷ *futurus*, et in Hebræa voce *Adam*, quæ significat hominem omnibus miseriis, casibus et ærumnis subjectum. Unde Vatablus vertit, *qua ratione fuit, olim vocatum est nomen ejus*, id est, inquit, *qua ex materia olim factus sit, nomen ejus ostendit*. Adam enim significat quod factus sit ex *adama*, hoc est, quod sit terrenus a terra. Et Isidorus Clarius: « Cum diu, inquit, per fas et nefas inhiaverit homo caducis rebus honoribusve, nomenque ejus per omnem terram propagatum fuerit, tamen in morte notum fiet quod fuerit homo mortalis, nec potuerit in judicium intrare cum Deo fortiore se. »

Hunc esse sensum liquet ex proxime præcedentibus, et ex cap. sequent. vers. 1. Omnia enim hæc spectant ad futura tempora, quæ sibi assecurare volunt avari. Sed sciant « quoniam homines sunt, » ait David *Psalm.* IX, 21; et Isaias, cap. LI, 3 : « Ægyptus homo est et non deus. » Narrat ex Varrone S. Augustinus, lib. XII *De Civitat.* cap. V, capitale fuisse apud Ægyptios dicere Serapidem fuisse hominem, cum tamen sepulcrum ejus et ossa exstarent in Ægypto : quia scilicet illum colebant ut deum, negabant ergo hominem fuisse. Tanta est hominum superborum vanitas et amentia! Tales ergo contendunt cum Deo, imo hominem Deo æquare, illique divinitatem, ac rerum futurarum et arcanarum præcognitionem Deo propriam, sacrilege arrogare satagunt. Similes sunt avari, qui opes suo labori adscribunt, imo debitam sibi locupletem filiorum posteritatem asserere, ac subinde coram Deo impudenter allegare non verentur.

Mystice, S. Hieronymus hanc gnomen accipit de Christo : « Aperte, inquit, de Salvatoris prædicatur adventu, quod qui futurus est antequam in corpore cerneretur, jam vocatum est in Scripturis nomen ejus, et cognitum prophetis et sanctis Dei, quia homo sit, et juxta hoc quod homo est, non possit se conferre cum Patre, et in Evangelio dicat : Qui me misit major me est, *Joan.* XIV; unde et in consequentibus præcipitur : Ne ultra quam de eo nobis scriptum est requiramus, ne velit homo plus scire quam Scriptura testata est. »

11. VERBA SUNT PLURIMA, MULTAMQUE IN DISPUTANDO HABENTIA VANITATEM. — Hebræa, *multiplicantia vanitatem*. Sic et Septuaginta, Syrus et Arabicus. Thaumaturgus, *quoniam homines nugas exagitant;* Chaldæus Costi, *sunt certe in hoc sæculo res innumerabiles vanitatis plenissimæ, quibus operam dare quid compendii homini accidere potest*, utique hoc verissimum esse experimur. Tigurina, *multæ sunt res quæ inanitatem augent* (1). Vers. 11.

Aliqui hanc gnomen referunt ad philosophos, ut Platonem, Aristotelem, etc., qui sibi scientiam omnium arrogarunt, omnia naturæ secreta scrutantes, de omnibus verbose disputantes, quasi vellent cum Dei omniscientia contendere, eamque sibi subjicere, ideoque evanuerunt in cogitationibus suis, *Roman.* I. Unde Vatablus vertit, *possunt multa philosophorum verba afferri, sed quæ nihil quam vanitatem augeant.* Ita Dionysius. Alii accipiunt verba obmurmurantium divinæ providentiæ, quod se pauperes, miseros, infaustos effecerit. Ita Hugo. Alii ad curiosos referunt, qui de omnibus volunt disserere et loqui, imo disputare et contendere.

Magis apposite, ut dixi, hæc referas ad avaros, qui de suis opibus modisque eas augendi, conservandi, perpetuandi plurima cogitant, loquuntur, disputant. Rursum solent avari, præsertim divites et potentes, solliciti esse de futuris, futuraque opulentia et posteritate, ideoque, ut ea præsciant, non raro consulunt augures, mathematicos, genethliacos, magos et divinos, qui eos per fictas suas divinationes, verius assentationes, vanis spebus implent, uti Romæ ab astrologis etiamnum videmus fieri. Horum ergo vaticinia, conjectationes et divinationes vocat hic « verba plurima multam habentia vanitatem. » Idem apud Hebræos erat frequens, qui in Ægypto degentes, apud quos vigebat astrologia, hanc ex astris divinandi artem et vanitatem didicerant, æque ac a Chananæis et Philistinis vicinis suis. Eos ergo redarguit hic Salomon, æque ac Jeremias, cap. X, vers. 2, et Isaias, cap. II, vers. 2 : « Augures, inquit, habuerunt ut Philistiim. »

Mystice, S. Hieronymus pergit hæc accipere de Christo, sicque explicat : « Cum ignoret homo de statu suo, et quæcumque videtur scire

(1) Sensus ex hebræo : Ubi *sunt verba multa*, ibi *multiplicatur vanitas. Quid emolumenti est homini?* Quid utilitatis homo ex his sermonibus vanis et inanibus capit? Rosenmullerus, *nam sunt res multæ multiplicantes vanitatem*, scilicet, præterea quod homo, natura sua fragilis, pendet de superioris se Dei voluntate, est etiam infinitus numerus earum rerum, quæ illius sortem instabilem reddunt.

et cernere, non ut se rei habet veritas, sed per speculum et umbram et imaginem videat, nec futura cognoscat, et per multiloquium non effugiat peccatum, silentium ponat ori suo, et credat eum venisse qui scriptus est, quomodo, et quantus, et qualis venerit non requirens. »

Hebræi hoc loco constituunt dimidium libri; unde ab initio huc usque numerant versus 112, et totidem computant ab hoc loco usque ad finem libri.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex brevitate vitæ ostendit vacandum esse non vanitati, sed veritati et sapientiæ, cujus varia dat dogmata, ut sciamus quæ in vita eligenda sint, qualia sint audire sana consilia, iram comprimere, bonis suis moderate uti, non plus sapere quam oportet, justis subvenire, levibus et maledicis sermonibus aurem non præbere. Denique, vers. 27, *docet præ omnibus cavendum esse a mulieribus, velut a veneno mortifero.*

1. Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? 2. Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa; et dies mortis die nativitatis. 3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. 4. Melior est ira risu : quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. 5. Cor sapientium, ubi tristitia est, et cor stultorum, ubi lætitia. 6. Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi : 7. quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti : sed et hoc vanitas. 8. Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius. 9. Melior est finis orationis, quam principium. Melior est patiens arrogante. 10. Ne sis velox ad irascendum : quia ira in sinu stulti requiescit. 11. Ne dicas : Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio. 12. Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. 13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia; hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. 15. In die bona fruere bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias. 16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ : Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua. 17. Noli esse justus multum : neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas. 18. Ne impie agas multum : et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. 19. Bonum est te sustentare justum, sed et ab illo ne subtrahas manum tuam : quia qui timet Deum, nihil negligit. 20. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. 21. Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. 22. Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum : ne forte audias servum tuum maledicentem tibi; 23. scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis. 24. Cuncta tentavi in sapientia. Dixi : Sapiens efficiar : et ipsa longius recessit a me, 25. multo magis quam erat : et alta profunditas, quis inveniet eam? 26. Lustravi universa animo meo, ut scirem, et considerarem, et quærerem sapientiam et rationem : et ut cognoscerem impietatem stulti et errorem imprudentium : 27. et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam : qui autem peccator est, capietur ab illa. 28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem, 29. quam adhuc quærit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulie-

rem ex omnibus non inveni. 30. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?

Vers. 1. 1. QUID NECESSE EST HOMINI MAJORA SE QUÆRERE, CUM IGNORET QUID CONDUCAT SIBI IN VITA SUA, NUMERO DIERUM PEREGRINATIONIS SUÆ, ET TEMPORE, QUOD VELUT UMBRA PRÆTERIT? AUT QUIS EI POTERIT INDICARE QUID POST EUM FUTURUM SUB SOLE SIT? — Hebræa : *Quid Adam*, id est, *homini est residuum?* Auctor *Catenæ Græc.* : *Docet*, inquit, *omnia quæ in hoc mundo sunt, esse vana, neque aliud quam umbram, atque universa post mortem cæca oblivione obscuranda, et consepelienda fore* (1).

Pro *majora* hebraice est יותר *iother*, quod idem est cum *iitron*, de quo dixi cap. I, vers. 3, ac proprie significat *residuum, id quod superest et superfluum*, item *amplius, præstans, eximium*. Crebro iterat hanc vocem Ecclesiastes, ut rerum singularum vanitatem ostendat, ex eo quod fugaces sint et evanidæ, nullaque sit, quæ post se relinquat *iitron*, id est residuum quid, sed omnia instar vaporis, umbræ et somnii illico prætereant, difflentur et evanescant. Hinc *primo*, aliqui per *majora* accipiunt *aliena*, *q. d.* Cura tua, non aliena : hæc enim, quia ad te non pertinent, te supergrediuntur, tuoque statu et cura sunt majora; *secundo*, alii : *Majora*, inquiunt, sunt quæ tuum captum et vires transcendunt, qualia sunt curiosa, subtilia, sublimia, quæ ad virtutem et beatitudinem nos non juvant, juxta illud *Eccli.* III, 22 : « Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper. » Unde illud Ptolomæi in Præfat. *Almagesti* : « Qui scientiam suam ultra astutiam, quæ in ipso est, extendit, est sicut pastor debilis cum multis ovibus; *tertio* et genuine, *majora* accipe *futura* : hæc enim *iother*, id est homini post mortem residua, item superflua, quæ multa, ampla et magnifica avarus corrogare non cessat, *q. d.* Noli, o avare, in futuras ætates curas tuas extendere, ut opes familiamque tuam stabilias, amplamque et splendidam efficias per multa sæcula, itaque illam quasi æternes. Hæc enim majora te sunt. Sufficiat tibi per vitam comparare necessaria ad victum et vestitum, futurorumque curam Deo et posteris relinque, ac dicito :

Maneat nostros ea cura nepotes.

Quid hic, miser, opes, prædia, status, dignitates, beneficia, officia coacervas, quasi hic perpetuo victurus, cum brevi sis moriturus, et hæc omnia terræ relicturus? Quid hic magna spectas? exiguum est quod hic cernis. Quid longa speras? breve est quidquid hic vides : æterna cogita. Ita Thaumaturgus. Spectant enim hæc ad nimias avari curas et sollicitudines de futuris, uti dixi in fine capitis præcedentis. Unde Hebræa, Chaldæus, et Pagninus hanc gnomen illi attexunt; caput vero septimum inchoant a versu 2, ibique pariter ordiuntur tertiam libri sectionem. Melius tamen Latini et Græci ex hac gnome ordiuntur caput VII, quia ipsa est commoda transitio et nexus capitis præcedentis cum septimo. Generatim enim ostendit homini non esse ambienda majora et futura, sed honeste et modeste utendum præsentibus, quantum vitæ brevitas requirit, ita ut post se honestatis et virtutis nomen ad aliorum exemplum relinquat. Unde subdit, *melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa*. Ita S. Hieronymus.

Sapienter S. Ephrem, tractatu *De Pœnitentia*, post medium : « Vanitas, inquit, rerum humanarum est hæres, quoniam ipsius est distractio et occupatio varia. Filiam genuit distractionem avaritia et voluptas, atque luxuria et ambitio; benevolamque se præbet matri supra vires. Vince serpentis astutiam, et benevolentiam serva Domino. Sume ea quæ vanitatis sunt, et tribue illa Deo, ut tu tuorum evadas hæres in futuro sæculo. Facultates tuas atque pecunias Deo appone, et vanitas hæreditatis depulsa erit. »

Thaumaturgum secutus Olympiodorus et alii hæc referunt ad astrologos et divinos, qui ex astris similibusque rebus conantur conjectare futura, quos sæpe avari et potentes, qui magna ambiunt, consulunt, et justo Dei judicio illorum adulatione decipiuntur, dum mendacia et falsa opum et honorum oracula ab eis accipiunt. « Quam multa, ait Cicero, lib. II *De Divinatione*, ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari a Chaldæis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, ut mihi permirum videatur quemquam exstare, qui etiamnum credat iis quorum prædicta quotidie videt re et eventis refelli. » Nam Pompeius victus a Cæsare, fugiens in Ægyptum, coram uxore et filiis misere a servo occisus est; Crassus apud Charras a Parthis interfectus; Cæsar in Curia a suis mactatus. Vere Atcius in *Astyanacte* :

Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Igitur hanc gnomen ponit Salomon, ut carpat avari curiositatem, avaritiam et inconstantiam.

(1) *Nam quis scit*, vix unus scit, *quid* sit *bonum homini in hac vita*, quid factu utile sit, *numero dierum vitæ vanitatis suæ*, id est vitæ suæ evanidæ, *et quos* dies *facit*, transigit (conf. Ciceronem *ad Atticum*, V, XX : « Apameæ quinque dies morati Iconii decem *fecimus* ») *ut umbram? Quippe quis indicabit homini, quid futurum sit post eum sub sole?* id est, si quæ in præsens facere expediat, scit nemo, multo minus nuntiabit, quid deinceps sit futurum.

Triplici ergo fine triplicique de causa eam assignat : *prima* est, ut comprimatur curiositas humanæ mentis et prurigo quædam sciendi, vel futura, vel quæ ad nos non pertinent; *secunda*, ut damnetur concupiscentia oculorum, rerum nimirum, quæ oculis lenocinantur, splendidissimarum; *tertia*, ut notetur inconstantia humanæ concupiscentiæ, nunquam contentæ sorte sibi a Deo constituta. Ita Pineda.

CUM IGNORET QUID CONDUCAT SIBI IN VITA SUA. — Hebræa, *quid bonum in vita;* Syrus, *quid melius :* Sic et Arabicus. Chaldæus, *quis enim est qui sciat quid sit bonum viro in hoc sæculo, nisi laboret in lege quæ est vitæ æternæ;* lex enim semper vivit, et sui custodem ducit ad vitam æternam. Probat non esse quærenda majora tribus argumentis : primum est hoc, petitum a minori, *q. d.* Ut quid mortalis avare et arroganter quærit majora, qui non capit minora? ut quid scrutatur futura, qui ignorat præsentia? ut quid vestigat curiosa, qui non agnoscit necessaria sibi ad vitam hanc honeste transigendam? Hoc est quod ait Sapiens cap. IX, 16 : « Difficile æstimamus quæ in terra sunt : et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? » Digni multi, qui rideantur a vetula quapiam, quemadmodum Thales, impingentes pedibus, dum alte tollentes oculos : superiora contemplantur, ad ea vero quæ sunt ante pedes non attendentes. Vix est qui noscat quid sibi maxime in hac vita utile sit, conjuxne, utrum pecuniæ possessiones, et id genus alia? ait Olympiodorus. Et tamen hæc ipsa quæ homini bona jucundaque videntur, sæpe ei sunt noxia, tristia, funesta, milleque ei curas, mœrores et angores afferunt; ut vere nesciat homo utrum sit melius habere uxorem, opes et prædia, an iis carere : multo ergo magis ignorat majora et futura. Unde Socrates de cœlo et sideribus disserere nolebat, dicens : « Quæ super nos, nihil ad nos, » teste Laertio in ejus Vita.

NUMERO DIERUM PEREGRINATIONIS SUÆ. — « Numero, » i. e. paucitate; hæc enim parvi est numeri facileque numerabilis. Hebræa, *numero dierum vanitatis suæ,* qui scilicet cito cum homine abeunt et evanescunt; *vanitatis* ergo, id est vitæ vanæ, quæ cito instar fumi transit et evanescit. Unde Arabicus vertit, *numerus dierum vitæ vanitatis suæ præterivit seductione;* Campensis, *numero dierum quibus hic vanitate vivitur, q. d.* Numerus dierum vitæ tuæ, o avare, brevis est; cur ergo tu tuis vanis curis et angoribus illam breviorem efficis? Audi Senecam, lib. *De Brevitate vitæ,* XVII : « Miserrimam ergo necesse est, non tantum brevissimam vitam eorum esse, qui magno parant labore quod majore possideant, operose assequuntur quæ volunt, anxii tenent quæ assecuti sunt : nulla interim nunquam amplius redituri temporis est ratio. Novæ occupationes veteribus substituuntur, spes spem excitat, ambitionem ambitio, miseriarum non finis quæritur, sed materia mutatur. Nostri nos honores torserunt, plus temporis alieni auferunt; » et cap. XV : « Sapientis ergo multum patet vita : non idem illum, qui cæteros, terminus includit; solus generis humani legibus solvitur; omnia illi sæcula ut Deo serviunt. Transivit tempus aliquod? hoc recordatione comprehendit; instat, hoc utitur; venturum est, hoc præcipit. Longam illi vitam facit omnium temporum in unum collatio : illorum brevissima ac sollicitissima ætas est, qui præteritorum obliviscuntur, præsentia negligunt, de futuro timent. Cum ad extrema venerint, sero intelligunt miseri, tamdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse. »

Qui sapis ergo, vitam hanc brevem propriis, præsentibus, tibique salutiferis impende, non alienis, non futuris, non vanis, inutilibus vel noxiis. Est hæc secunda ratio, qua probat non esse scrutanda majora et futura, *q. d.* Homo in hac vita peregrinus est, et peregrinatur assidue, ut ad patriam cœlestem perveniat; ut quid ergo adeo sollicitus est de commodis hujus vitæ tam brevis et fugacis? In modica enim via modico opus est viatico. Peregrinus peregre hospes est et advena; ut quid ergo hospitio immoratur, in eoque sedem et patriam constituit? Peregrinus velit, nolit, pertransit, nec nisi unam noctem pernoctat in hospitio; summo enim mane pergit ulterius : ut quid ergo in terra peregrini, curas et cogitationes omnes defigimus in hac vita, quæ non nisi hospitium est unius quasi noctis? Peregrinus laborem et tædium peregrinationis sentiens anhelat ad patriam; ut quid nos tot labores et dolores in vitæ hujus peregrinatione assidue tolerantes non anhelamus ad cœlum, sedes ubi fata quietas ostendunt nobis? Vive ergo tibi, non posteris; vive Deo, non mammonæ; vive cœlo, non sæculo; vive non tempori, sed æternitati. Vide S. Basilium in *Psal.* IV, et homilia 23 *De non adhærend. rebus sæculi.* Ita sancti omnes æstimavere se hic peregrinos, dicentes cum Davide : « Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei; » uti Abraham, Isaac, Jacob, peregrinati sunt in Chanaan, « confidentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt significant se patriam inquirere, » ait Apostolus, *Hebr.* XI, 9 et 13. Vide ibi dicta. Hinc sapienter infert S. Augustinus, lib. I *De Doctrina Christiana,* cap. IV : « Quomodo ergo, si essemus peregrini, qui beate vivere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione utique miseri et miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset, ut ad patriam, qua fruendum erat, pervenire valeremus; quod si amœnitates itineris et ipsa gestatio vehiculorum nos delectarent, conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus cito viam finire, et perversa suavitate implicati alienaremur a patria, cujus suavitas faceret beatos : sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes a Domino. Si

Peregrini hic anhelemus ad cœlum.

redire in patriam volumus, ubi beati esse possumus, utendum est hoc mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciantur, hoc est, ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna et spiritualia capiamus. » Vide Climachum, *gradu* 3, et S. Cyprianum, libro *De Mortalitate*.

ET TEMPORE, QUOD VELUT UMBRA PRÆTERIT. — Hebræa, *et ponet eos* (dies tuos Deus) *sicut umbram*; Septuaginta, *fecit eos in umbra*; Syrus, *transivit* (homo) *illos tanquam umbra*; Chaldæus, *omnis numerus dierum vitæ vanitatis suæ, quibus vixerit in tempore mortis suæ, reputati sunt umbra*; Tigurina, *quos transigit* (alii, *peragit*) *tanquam umbram*; Campensis, *Deus enim fecit dies hominis similes umbræ*.

Tempus simile umbræ. Est tertia ratio probans non esse ambienda majora, quia scilicet modico hic vivimus tempore, ut modicis contenti studeamus virtuti, meritisque cumulandis, quibus assequamur beatam æternitatem. Recte tempus comparatur umbræ : *primo*, Primo. quia sicut umbra comitatur motum solis, sic et tempus; motus enim diurnus solis facit diem, menstruus mensem, annuus annum. Unde et in horologiis per umbram styli, sive indicis, indicatur horarum numerus. Umbra ergo est aer carens sole, quod fit alicujus corporis objectu, præsertim nubium; Secundo. *secundo*, quia, sicut umbra, ascendente sole, decrescit, adeo ut in meridie sit exigua et quasi nulla : sic, crescente tempore, decrescunt et minuuntur anni vitæ, ut cum illud ad summum quasi ad zenith venerit, hi Tertio. finiantur et desinant; *tertio*, sicut umbra videtur habere magnam molem, v. g. umbra hominis mane longe major est homine ac repræsentat gigantem, revera tamen ipsa minimum, imo nihil habet substantiæ, cum umbra nil sit nisi privatio lucis : sic pariter tempus parum habet existentiæ; per se enim non existit, sed tantum per unicum punctum, sive instans præsens, puta per unicum *nunc*, quod continuat tempus futurum cum præterito. Hinc Gabriel Vasquez censuit tempus non esse ens reale, sed ens rationis, quia tempus in se non existit, sed in mente hominis istud numerantis, quia consistit in numero et computu partium, v. g. horarum sibi succedentium et continue decurrentium : unde proprie partes temporis sunt præteritum et futu- Quarto. rum, quæ revera non existunt; *quarto*, quia sicut umbra celerrime præterit, sic et tempus : hoc enim æque, ut umbra sequitur solem; sol autem celerrimus est, adeo ut qualibet hora millionem milliarium peragat et amplius : pari ergo celeritate præterit tempus; unde illud : « Volat irrevo- Quinto. cabile tempus; » *quinto*, sicut umbra obscura est, sic et vita nostra tenebris, miseriis et erroribus Sexto. obvoluta est; *sexto*, tempus vitæ nostræ est quasi umbra æternitatis Dei, quia ab illa, sicut umbra a sole, dimanat, juxta illud *Ps.* LXXXIX, 8 : « Posuisti sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. » Hinc vicissim mors vocatur « umbra vitæ, » quia mors sequitur vitam velut umbra, sicut ipsa vita velut umbra sequitur solem æternitatis vitæque divinæ, et quia mors atra est, tristis, funesta, horrida instar umbræ; *septimo*, sicut umbra nun- Septimo. quam stabilis consistit, sed assidue juxta ascensum vel descensum solis mutatur, crescit vel decrescit : sic et homo nunquam in eodem statu permanet, sed per singulos dies, imo momenta mutatur et variatur; *octavo*, sicut sol ascendens Octavo. ad summum cœli suam umbram sensim minuit, tandem in meridie eam conficit et disperdit : sic et homo dies vitæ suæ vivendo minuit, et cum ad summum ejus diem venerit, omnino conficit et consumit. Hinc S. Hieronymus legit, *faciet ea quasi umbram*; alii, *perfecit* vel *confecit eos tanquam umbram*; *nono*, umbra est res levissima, quæ evanes- Nono. cens nullum in terra sui relinquit vestigium : sic et homo moriens. Hinc sponsa *Canticorum* II, 17, suspirans aiebat : « Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, id est donec aspiret dies æternitatis, et inclinentur umbræ temporis et mortalitatis, » ait S. Gregorius.

AUT QUIS EI POTERIT INDICARE QUID POST EUM FUTURUM SUB SOLE SIT? — puta quales avarus et dives habiturus sit filios, nepotes, hæredes; quid de opibus et prædiis suis futurum sit, cum ignoret quid sibi ipsi sequenti anno, imo sequenti die eventurum sit: forte enim bonis omnibus et vita ipsa spoliabitur. Ita Olympiodorus.

Quarta est hæc ratio, cur homo majora et futura quærere non debeat, quia scilicet omni sua cura et studio non potest futura cognoscere et prævidere, iisque providere et prospicere. Hæc enim incerta sunt et a futuris rerum casibus pendent, ideoque mille mutationibus sunt obnoxia, uti quotidie experimur, quæ proinde prænosse, præfinire, ordinare et gubernare solius est Dei. Hoc enim est opus divinæ Providentiæ proprium et adæquatum.

Hinc patet Salomonem per *majora* accepisse futura, ac de futurorum scrutinio et providentia hic agere, ut initio dixi.

2. MELIUS EST NOMEN BONUM QUAM UNGUENTA PRE- Vers. 2. TIOSA; ET (id est *sic*, pariter melior est) DIES MORTIS DIE NATIVITATIS.—Est elegans paranomasia טוב שם משמן *tob scem misscemen*, q. d. *Melius est nomen quam unguentum*; *scemen* enim et oleum et unguentum significat, ait S. Hieronymus. Unde Symmachus vertit, *melius est nomen bonum quam unguentum bene olens*; Septuaginta vero, Arabicus et Syrus, *bonum est nomen* (Arabicus addit, *unum*) *super oleum bonum*.

Hinc Hebræi inchoant tertiam libri partem, ideoque *Tob* majuscula *teth* notant; sequuntur enim hic multæ comparationes, quibus meliora cum minus bonis comparantur, quæ omnes incipiunt a *tob*, id est bonum, sive melius.

Hæc gnome recte priori nectitur, tanquam conclusio ex illa educta, quasi dicas, ait S. Hieronymus : « Considera, o homo, dies tuos breves,

et quia cito esse soluta carne cessabis; fac tibi famam longiorem, ut quo modo unguentum nares odore delectat, sic ad tuum vocabulum cuncta posteritas delectetur. »

Duo ergo significat : *primo, q. d.* In hac vita non stude opibus alterive vanitati, sed nomini, famæ et gloriæ : hæc enim præstantior et fragrantior est opibus, imo unguentis rebusque pretiosis; *secundo, q. d.* Stude virtuti : hæc enim parit nomen et famam, hæcque magis redolet quovis balsamo; nomen enim et fama quod paritur opibus, nobilitate, scientia aliave re vana, tenue est, fucatum et evanidum; unde cito dilabitur et evanescit. « Fucis parta gloria, sicut non est vera gloria, ita nec diuturna est, » ait Plutarchus in *Catone*. Et Cicero, II *Officiorum* : « Fundamentum, ait, perpetuæ commendationis et famæ est justitia, sine qua nihil potest esse laudabile; » et Seneca, *epist.* 79 : « Gloria est umbra virtutis, etiam invitos comitabitur. » Hinc Lyranus explicat, *q. d.* Bonum honestum, quale est nomen bonum, præferendum est delectabili, quale est unguentum. Per unguentum enim omne deliciarum genus significat, ait Olympiodorus.

Igitur virtus, et ex ea nomen et gloria apte comparantur unguentis pretiosis, quibus, teste Plinio, lib. XII, cap. XXV, et lib. LVI, cap. XXXII, Orientales, præsertim Judæi, utebantur in conviviis, tum ad refrigerium, tum ad fragrantiam, tum ad membrorum fomentum, lenimen, sanitatem et robur : *primo,* quia, sicut unguentum fovet, recreat et firmat corpus, sic fama animam. Unde Thaumaturgus vertit, *fama bona suavior est animæ quam oleum corpori.* Animam enim fama oblectat, ejusque vires exigit ad audendum majora, præsertim ut quam plurimos ad se suamque virtutem, imo ad Christi cultum amoremque pelliciat. Solent columbarii, ait S. Basilius, columbam paleutriam, id est allectricem, fragranti odore delibutam ad extraneas emittere, quæ odore ejus captæ eamdem ad columbarium revolantem sequuntur, ibique capiuntur. Sic pariter anima sancta et religiosa illam fragrantiam virtutum spiret, ut per illam omnes ad se, imo ad Christum et religionem pelliciat. Sed audi S. Basilium, epist. 175 *ad Julittam* : « Ars quædam est aucupandi columbas, videlicet talis : ubi unam ceperunt, qui capiendis illis student, cicurem illam reddunt, et ad humanum convictum assuefaciunt, deinde unguento alas illius perungunt, sinuntque conjungi agrestibus; illa vero per unguenti fragrantiam agrestem illum, ac liberi pastus gregem ad possessionem transfert ejus, cujus ipsa est domestica. Benevolentem namque sequuntur et reliquæ, atque ita in potestatem columbarii veniunt. Quamobrem autem litterarum istarum istud exordium esse volui, quoniam Dionysium filium, aliquando Diomedem nactus, divino unguento animæ illius alas perunxi, et ad honestatis tuæ gravitatem misi, ut et teipsam illi jungeres, et ad nidum acciperes, quem ipse apud nos compegit. »

Nomen bonum simile unguento. Primo.

Secundo, quia sicut unguentum longe lateque sui spargit odorem, sic et fama. Vulgo dicitur : « Tria se faciunt sentiri : Mulier, ventus et unguentum, » juxta illud *Proverb.* cap. XXVII, vers. 16 : « Qui retinet eam (feminam rixosam), quasi qui ventum teneat, et oleum dexteræ suæ vocabit. » Eleganter S. Bernardus, serm. 71 *in Cantica* : « Habent, ait, mores colores suos, habent et odores : odorem in fama, colorem in conscientia. » Hinc aiebat Paulus : « Christi bonus odor sumus; » aliis in vitam, aliis in mortem, II *Corinth.* cap. II, 15; et eodem capite, vers. 14 : « Odorem notitiæ Christi » appellat famam Christi ejusque religionis et fidei, quam ipse sua sanctitate et zelo ubique spargebat. Hinc de eo dicitur *Cant.* I, 2 : « Oleum effusum nomen tuum; » oleum, id est *unguentum,* ut vertit Vatablus et alii : unguentum enim fragrat, non oleum. Unde sequitur : « Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. » Audi S. Augustinum, lib. III *De Doctrina Christiana,* cap. XII : « Odor bonus bona fama est; quisquis bonæ vitæ operibus abundaverit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. » Rursum S. Basilius, orat. *in S. Gordium* : « Quemadmodum, ait, suavia aromatum odoramenta proprium quiddam per aerem continentem spirant, quibus præsentes recreantur : ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio salutaris et jucundus est. » Secundo.

E contrario : « Memoria justi cum laudibus, nomen impiorum putrescet, » *Proverb.* X, 7. Porro odoratior est fama quam unguenta, quia hæc ad modicam distantiam modicumque tempus sentiuntur; fama vero spargitur per varias gentes, ac durat post mortem per multa sæcula, imo post mortem inclarescit, cum subinde per æmulorum invidiam in vita tegatur et obscuretur.

Tertio, quia sicut unguenta pretiosa sunt, adeo ut olim in regum thesauris præcipua haberentur, ut patet de Ezechia, IV *Reg.* XX, 13 : sic et fama pretiosior est opibus omnique pretio. Unde Cato : Tertio.

Omnia si perdas, famam servare memento.

Hinc S. Augustinus, serm. 49 *De Diversis,* monebat, quod et ipse studiose observabat, dicens : « Propter nos conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. » Et S. Bernardus : « Proximis, ait, debemus famam, nobis conscientiam. » Hinc Theodoricus, rex Gothorum, apud Cassiodorum, lib. III *Var. epist.* 11, de Argolici præfecti urbis parente ait : « Affectans famæ commoda, pecuniæ neglexit augmenta. »

Quarto, unguenta pretiosissima erant, quibus ungebantur reges, sacerdotes et pontifices : unde significat nomen bonum præstare dignitate regia, sacerdotali et pontificia, quia hæc sine virtute et Quarto.

sanctitate esse potest, sine qua nequit esse bonum nomen. Unde Chaldæus vertit, *melius est nomen bonum, quod acquirunt justi in hoc sæculo, quam oleum unctionis quo ungebantur capita regum et sacerdotum.* Hinc rex Josias non a regno, sed a virtute ejusque fama et gloria commendatur ab *Ecclesiastico*, cap. XLIX : 1 : « Memoria Josiæ, ait, in compositione odoris facta opus pigmentarii; » ubi ostendi memoriam et famam Josiæ comparari fragranti thymiamati, quod adolebatur Deo. Vir sanctus ergo mysticus est rex et pontifex, imo major, Deoque gratior, quam rex vel pontifex. Quocirca R. Simeon in *Pirke Avoth*, cap. IV : « Tres, ait, sunt coronæ : *prima*, legis; *secunda*, sacerdotii; *tertia*, imperii : sed his omnibus eminet et præfulget corona boni nominis et famæ. »

ET DIES MORTIS DIE NATIVITATIS. — Syrus, *die generationis*; Thaumaturgus, *vitæ exitus melior quam ortus*. Copulativum *et* idem est quod *sic* : copulat enim similia, uti passim accipitur in *Proverbiis*. Unde Vatablus unica sententia hanc gnomen sic effert, *præstantius est nomen unguento redolente: sic dies mortis die quo natus est ille*. Et Campensis, *gratior est fama bona post mortem die quo quis nascitur*. Comparatur ergo nomen bonum morti, unguenta pretiosa nativitati, illudque his præfertur, quia nomen bonum, maxime post mortem, splendescit; per mortem roboratur et confirmatur, cum in vita sit dubium et anceps : multi enim famam, quam initio vitæ acquisierant, in fine perdiderunt. Unde *Eccli.* cap. XI, 30, monet ne quis ante mortem laudetur : « Ante mortem, inquit, ne laudes hominem quemquam. » Unguenta vero comparantur nativitati, quia unguenta sunt symbola deliciarum, quibus enutriuntur pueri et puellæ, præsertim regum et principum. Hinc et eosdem unguentis pretiosis perungebant Hebræi aliæque gentes, ut satis colligitur ex illo *Ezech.* XVI, 9 : « Lavi te aqua, etc., et unxi te oleo. » Sic et prisci Romani pueros recens natos in testudineis alveis calida aqua abluebant, mox oleo et butyro perungebant, ait Alexander ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. XV; sic et infantes christiani in Baptismo oleo, in Confirmatione chrismate inunguntur. Quin et S. Bernardus in *Sententiis* asserit tres magos Christo infanti obtulisse aurum, thus et myrrham : aurum ejus paupertati sublevandæ, thus ad pellendum stabuli fœtorem, myrrham ad consolidanda infantis membra; licet S. Hieronymus, Leo, Augustinus, Rabanus, D. Thomas et alii passim mysticas magisque sublimes horum trium donorum causas afferant. Rursus in nativitate infantium fiebant convivia et hilaria, in quibus de more convivæ unguentis pretiosis ungebantur.

Prisci ungebantur.

Sensus ergo est quasi dicat : Sicut nomen bonum præstat unguentis pretiosis, etiam balsaminis, sic dies mortis, qui justis affert bonum nomen, præstat die nativitatis, quo unguentis fuere delibuti. Rationes tres affert S. Hieronymus : « Ostendit, inquit, melius esse exire de sæculo, et carere tribulationibus atque incerto vitæ statu, quam ingredientem mundum hæc omnia sustinere; vel certe quod in morte quales simus notum sit, in exordio vero nascendi qui futuri sumus ignoretur; aut quod nativitas alliget corpori libertatem animæ, mors resolvat (1). »

Hinc et Chaldæus, cum nomen bonum justorum comparasset unguento regum et sacerdotum, subdit : « Et dies quo moritur homo, et vadit in domum sepulturæ in nomine bono, » *q. d,* Vir justus et sanctus variis virtutum meritis fragans non minus redolet apud Deum, angelos et sanctos, quam rex vel pontifex sacro chrismate inunctus, idque maxime feliciter peracto mortis agone, cum jam securus victor et triumphans pergit ad coronas et gaudia cœlestia : tunc enim virtutum suarum odore, fama et laude perfundit Ecclesiam militantem et triumphantem, totumque cœlum et terram, juxta illud : « In memoria æterna erit justus. »

Proprie ergo dies mortis hic præfertur diei nativitatis ob nomen et gloriam æternam, quam justo conciliat in cœlis æque ac in terra : hoc enim significat τὸ « melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa; et (id est, *sic et* dies mortis » melior est « die nativitatis. » Hinc sanctorum gloria incipit in morte, sicut fletus et gemitus in nativitate. Quantam post mortem gloriam adepti sunt S. Paulus, S. Athanasius, S. Chrysostomus, S. Basilius, S. Gregorius, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus cæterique sancti, qui miraculis coruscant, ac templis, altaribus, officiis, hymnis, canticis, organis, votis, statuis, concionibus, totiusque populi invocatione et cultu publice coluntur, honorantur, celebrantur? Quin et Romani prisci, ut significarent defunctum post se suavem suarum virtutum memoriam famamque posthumam relinquere, in ejus rogum mel et unguenta pretiosa ex cinnamomo, cedro cæterisque aromatibus confecta infundebant, uti dixi *Eccli.* XLIX, 2. Rursum in funus spargebant flores et coronas, uti etiamnum faciunt christiani. Addebant ludos funebres, pugnas gladiatorum, comœdias, etc. Accedebant elogia, encomia et orationes in laudem defuncti. Denique regibus, principibus cæterisque de republica bene meritis summos honores decernebant, imo eos in deorum numerum per apotheosin (cujus ritum describit Herodianus, lib. IV) referebant, eisque aras,

Gloria Sanctorum incipit a morte.

(1) Hic versus duas sententias seorsas, quæ sententiarum nexu inter se non cohærent, habet. Ratio posterioris sententiæ est, quia dies mortis vitæ miseriis et peccatis finem affert. Maurer aliter : « Sensus, ait, hemistichii posterioris : Dies vitæ supremus die natali præstantior est, quia homo cogitatione diei supremi incitatur, ut de morte, quæ omnes homines manet, meditetur eoque impellatur, ut in vivendo severitatem adhibeat, et vitæ suæ tempore brevi bene utatur : quæ res diei natalis cogitatione non efficitur. »

templa, hostias et sacerdotes dicabant sacrabantque; unde vocabantur divus Augustus, D. Antoninus, D. Adrianus, etc. In cujus locum Pontifices christiani substituere canonizationem sanctorum, qua vita functis velut sanctis publicus invocationis honos ab Ecclesia defertur.

Porro Olympiodorus non tantum sanctis, sed et impiis meliorem esse censet diem mortis die nativitatis. Sic enim hanc gnomen explicat: « Natalitius dies in turbulentum hujus vitæ pelagus nos inducit, ubi draco latibulum suum posuit; transitus vero dies e stadio nos abducit. Et si quidem peccator fuerit, qui decedit, peccare ultra jam desinit; qui vero fuerit justus, vita perfruetur æterna. »

Sic Thraces, teste Herodoto, fletu prosequebantur suorum natales, risu vero diem obitus. Audi Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. XXV: « Siquidem apud Thraces Trausosque, ac Cesias et Causianos assuetum erat ut, puero in lucem edito, circumdati cognati, affinesque puerum lamententur, et afflicti jaceant. Ac recentes calamitates et vitæ incommoda cui tantum restet malorum quæ mox ille passurus advenit, plangant. Iidem in funere exsultantes jubilant, scilicet cui defuncto omnibus incommodis et infortuniis, quæ vita fert, ex hac luce et imminentibus malis, atque omnis sævitia fortunæ tandem excedere datum sit. Quod ab Indis quoque servari meminimus. Nam Gymnosophistæ et Brachmanes caste et pie viventibus diem natalem vitæ mortem ducebant. »

Vers 3. 3. MELIUS EST IRE AD DOMUM LUCTUS (Syrus, *flendi*) QUAM AD DOMUM CONVIVII : IN ILLA ENIM (quisque) FINIS CUNCTORUM ADMONETUR HOMINUM, ET VIVENS COGITAT QUID FUTURUM SIT. — Hebræa, *in qua est* (Tigurina, *cernitur*) *finis omnis hominis, et vivens ponet ad cor suum*; Symmachus, *attendet mente*; Vatablus, *et vivens perpendet mortem, cum illuc venerit*; Septuaginta, *eo quod hic est finis omnis hominis, et qui vivit dabit bonum ad cor suum. Bonum*, scilicet cogitatum et consilium de agenda pœnitentia et mutanda in melius vita, uti explicat Chaldæus; Syrus, *et qui vivus est dat bonum* (Arabicus, *bonitatem*) *cordi suo*; Olympiodorus, *utilius est ire ad domum funebris luctus, quam ad domum convivii, propterea quod hic est futurus finis omnium hominum, et vivens affert bonum in mentem suam*; Campensis, *in illa enim videtur quem finem sit habiturus omnis homo*; Thaumaturgus, *et satius fuerit lugere, quam convivari; et adesse mœrentibus, quam vino se obruentibus. Qui enim finem suum recte secum cogitarit, non tanto studio, quæ hujus vitæ sunt, complexabitur.*

Porro Chaldæus paraphrastice fuseque sic vertit : « Melius est hominem molestia affectum, ut eum consoleris, adire, quam ad domum convivii et poculorum, in quo susurrones adsunt, contendere; luctuosa enim domus omnibus in scopum et finem, ut eo proficiscantur, proposita est: omnibusque mortis decretum statutum est. Igitur in ærumnosam domum se recipiens vir justus, ad pœnitentiam adducetur, et mortis sermones in animum inducet suum : et si aliquo in errore versetur, illum deserens, ad Deum faciet conversionem. » Pro *convivii*, Arabicus vertit, *compotationis;* et hoc proprie significat Hebræum משתה *miste*, et Græcum συμπόσιον. Unde Cicero, *De Senectute* : « Bene, inquit, majores nostri occupationem epularum, quod amicorum et vitæ conjunctionem haberet, *convivium* nominarunt melius quam Græci (potuit addere et *quam Hebræi*) qui hoc idem tum *compotationem*, tum *concœnationem* vocant, ut quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur. »

Hæc gnome parallela est et subalterna præcedenti : « Melior est dies mortis die nativitatis. » Huic enim recte subnectas : « Melius ergo est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. » Jam Chaldæus censet hic suaderi ut eatur ad domum luctus, ad consolandum lugentem; alii, ad celebrandum exequias et funus defuncti. Hoc enim est ultimum opus pietatis amico præstandum, juxta illud *Tobiæ* IV, 18 : « Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue. »

Rursum alii hanc gnomen nectentes præcedenti exponunt, *q. d.* Dies funeris et luctus melior est die convivii : quia in illo laudantur virtutes defuncti, nomenque et fama ejus celebratur et propagatur, quæ potior et præstantior est omni voluptate, quæ ex deliciis convivii percipitur.

Verum ratio, quam subdit Ecclesiastes, alio nos ducit, quam ita in *Comment.* reddit S. Hieronymus : « Quia ibi recordatione conditionis nostræ et fragilitatis humanæ, ex præsenti cadavere commonemur; » nam quisque sibi a defuncto tacite dici censet : « Memor esto judicii mei : sic enim erit et tuum : mihi heri et tibi hodie, » *Eccli.* cap. XXXVIII, 23.

Funus præstat convivio, cur? Sensus ergo est, *q. d.* Quia melior est dies mortis die nativitatis, hinc consequenter melius est ire ad domum funebris luctus, quam ad domum convivii natalitii, quod scilicet celebratur ob natum infantem et filium : quia in illa ex spectaculo funeris et defuncti homo admonetur mortis suæ, ut cogitet se propediem simili modo moriturum et funus futurum, ideoque ad illud honeste vivendo et bonis operibus incumbendo sese præparet et disponat; in hac vero deliciis, vinis et gaudiis sermonibusque vanis dissolvitur animus, et ad crapulam omnemque levitatem, dissolutionem et intemperantiam impellitur. Porro convivia in natalitiis festiva celebrare ob gaudium nati filii commune fuit Hebræis, Romanis, Græcis cæterisque nationibus, ut patet ex convivio Abrahæ in ablactatione Isaac, et ex Plutarcho, Cicerone, Athenæo, lib. IV, et aliis.

Exempla. Hujus sententiæ veritatem expertus est noster B. Franciscus Borgia tertius Societatis Jesu Generalis, qui cum esset dux Gandiæ, jussu Caroli V, ducens corpus Isabellæ imperatricis defunctæ ad locum sepulturæ, aperto sarcophago, corpo-

ris; dum viveret pulcherrimi, fœditatem horroremque intuitus, compunctus statuit ducatui mundoque valedicere, ac religiosam vitam complecti.

Sic S. Bruno in funere Doctoris Parisiensis, audiens eum e feretro surgentem et proclamantem: « Justo Dei judicio accusatus, judicatus et condemnatus sum, » in eremum secessit et ordinem Carthusianorum instituit. Sic Josaphat rex, visis senibus et ægris brevi morituris, ab iis discens sibi quoque esse moriendum, a Barlaam ad veram fidem et vitam eremiticam est traductus, ut narrat Damascenus in *Histor.* cap. v. Auctor serm. *ad Fratres in eremo,* apud S. Augustinum, *serm.* 48, asserit se, viso Cæsaris cadavere putri et verminoso, mire fuisse commotum et compunctum. S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandriæ sepulcrum sibi fieri curavit, sed imperfectum, et monitorem constituit, qui quotidie sibi in aurem suggereret: « Monumentum tuum usque hodie est imperfectum, domine, jube ergo illud perfici; incertum est enim qua hora fur ingrediatur, nempe mors. » Ita Leontius in ejus Vita. Carolus Quintus quinque annis ante mortem sarcophagum sibi fieri jussit, eumque cum funebri supellectili secum quocumque pergeret, deportari, ut eum quotidie intuens jugiter sibi mortis memoriam repræsentaret, quæ eum a peccatis cohiberet, et ad opera sancta instigaret, uti refert Lipsius, lib. II *Monit.* cap. XIV, ubi simile narrat de Maximiliano I avo Caroli Quinti. Vide Climachum, *gradu* 6, qui inter cætera ait: « Probatus quidem ille est, qui mortem singulis diebus exspectat; sed ille sane sanctus, qui hanc singulis horis desiderat. »

Hinc Ægyptii in conviviis, ut eorum luxum, mentis dissolutionem et gaudia temperarent, circumferebant cranium mortui convivis insusurrantes: « In hanc figuram respice; similis enim illius eris, » teste Herodoto, lib. II. Porro mira est hominum cæcitas, ut cum eant ad domos luctus, ac videant alios quotidie mori, sciantque se pariter morituros, tamen de morte sua non cogitent, nec ad eam se præparent, quasi illa longe absit, cum sæpe sit vicina. Causam dat S. Ephrem, serm. *De Recordat. mortis*: « Negligentes, ait, et contemptores, obcæcati cum sint peccati fraude, diebus suis procedentibus, existimant procul abesse mortis horam, nihil de suo hinc exitu laborantes; verum annos multos et tempora longa sibi præscribunt. Similes autem sunt eorum qui nocte intempesta iter suscipiunt, qui quidem arbitrantur procul abesse ab imminenti præcipitio et prærupto loco donec, præcipitatis ipsis, experientia dubitationem solverit. Qui igitur vitæ hujus fallaciam mundo mentis oculo perspexerit, et sublimior his effectus qui in hujus vitæ rebus studium atque operam ponunt, intelliget omnino quod, sive edat, sive bibat, sive dormiat, sive laboret, sive contempletur, omni die ac hora ad senium et finem temporalis vitæ a natura impellatur; unde tanquam stercora atque quisquilias quæcumque despicit, studetque ab hujus vitæ affectione seipsum avocare, ut nullam cum rebus humanis societatem habeat. »

Hic est paralogismus diaboli, qui plurimos seducit, nimirum quolibet anno persuadet homini illum hoc anno non moriturum: dicit enim illi: Facile potes adhuc per annum vivere; ad hoc tibi suppetunt vires sat validæ; ergo hoc anno non morieris. Idem dicit persuadetque homini anno sequenti, et tertio, et quarto, ac singulis sequentibus, quo fit ut homo nunquam se ad mortem paret, putans se illo anno non moriturum: ita fit ut annus morti a Deo decretus adveniat, ac mors hominem imparatum et incogitantem invadat. Remedium hisce assignat S. Ephrem, tract. *De Vita Spirit.* num. 40, ubi suadet omnibus vivam præsentemque memoriam mortis: « Beati, ait, qui lugent, quia consolabuntur. Inclinemus nos ad sepulcra et conditionis nostræ occulta perspiciamus. Ex cadaveribus permixtos ossium acervos, craniaque carnibus exuta cum reliquis ossibus cernemus. Et hæc considerantes, nos ipsos in illis velut in speculo quodam contemplabimur. Ubi juventutis flos et pulchritudo? ubi venustus ille genarum color? Hæc nobiscum cogitantes carnis desideria fugiamus, ne in resurrectionis ac judicii die confundamur. » Et num. 15: « Quotidie diem mortis tuæ exspecta, et ad ingrediendum illud iter te para: qua enim hora minime putas, veniet mandatum horribile, et væ tunc imparatis! Bona est compunctio cordis, quoniam animis hominum medetur. Qui luctum sectatur, non facile peccabit, et qui cordis compunctione tangitur, non cogitat mala: nam ex compunctione oritur fletus; in fletu autem a peccatis declinamus. » Paralogismus diaboli.

Ex hac gnome colligit S. Hieronymus, Olympiodorus et S. Gregorius, IV *Dialog.* IV, Ecclesiasten, cum superius cibum et potum laudavit, id fecisse, non ut voluptatem gulamque commendaret, sed ut temperantiam honestumque ejus usum avaritiæ et nimiæ parcitati præferret. Pulchre S. Chrysostomus, homil. 62 *ad Populum,* duplicem domum, scilicet luctus et gaudii, depingit: « Et si vultis, inquit, duas domos describamus, hanc quidem nubentium, hanc vero lugentium; mente utramque ingrediamur, videamus utra melior. Invenietur enim lugubris sapientiæ plena, nuptialis autem plena confusionis. Nam vide turpia verba, incompositos risus, incompositiores locutiones, et vestis et incessus deformitate plenus; verba multæ fatuitatis et stultitiæ plena, et aliud omnino nihil; risus omnia et derisio, quæ sunt illic: non nuptias dico, absit, sed quæ sunt in nuptiis; tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus fiunt præsentes: hi quidem ut equi hinniunt; hi autem ut asini calcitrant, multa effusio, nihil studiosum, generosum nihil;

diaboli pompa, cymbala et tibiæ, et cantica fornicationis et adulterii plena. At non ita illic ubi luctus : omnia composita, multa requies, silentium multum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompositum; si quis aliquid locutus fuerit, omnia sunt verba philosophiæ plena. » Vide eumdem, homil. 15 *ad Populum*.

Domus luctus passio Christi.

Mystice, domus luctus est passio Christi, hujus enim meditationi utilius est se dare, quam quibusvis gaudiis non solum carnalibus, sed et spiritualibus : Christi enim passio sopit tentationes gulæ, libidinis, iræ, superbiæ omniumque vitiorum; animat ad patientiam in cunctis adversis, excitat ad fortitudinem, charitatem cæterasque virtutes. Unde martyres stimulo et exemplo passionis Christi excitabant se ad superandos equuleos, ignes, bestias omniaque diaboli tormenta, ut Christo vicem rependerent, et amorem amori, vitam vitæ, mortem morti redderent. Rursum domus luctus est contritio et compunctio cordis, qua nihil est melius, id est nihil utilius, nihil sanctius; et quod mirum est, nihil jucundius,

Et compunctio.

uti norunt experti : suavissimus enim animæ est contritionis dolor, suavissimæ compunctionis lacrymæ superantes omnes mundi delicias, de quibus Christus *Matth.* v : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.» Vide Climachum, *gradu* 7, et S. Basilium *De Gratiarum actione*, ubi pulchre combinat luctum sanctum cum gaudio, ostenditque beatos esse eos qui lugent, et tamen eosdem mire quoque gaudere. Causam affert, asserens sanctorum luctum et lacrymas a fervore charitatis prosilire, qua toti erga Deum flagrant; simul et de conservorum peccantium damno, sed citra propriæ damnum lætitiæ, ut contingit lætis de sua in littore salute, qui dolent simul jacturam eorum, quos marinis fluctibus immergi conspicantur. Igitur luctus hic exhilarat, tum quia manat ab amore; tum quia signum est puræ sanctæque conscientiæ, quæ semper læta est quasi juge convivium; tum quia certam dat fiduciam promissæ a Christo consolationis et gloriæ æternæ.

Et monasterium.

Hinc S. Chrysostomus, in I *ad Timoth.* hom. 14, docet domum luctus esse monasterium, ubi est jugis meditatio mortis, cinis, cilicium, solitudo, jejunia, chameunia, luctus sine risu. Idem, serm. 20. *ad Populum*:« Vere, ait, lugendi domus est monasterium, ubi saccus, et cinis, et solitudo; ubi risus non est, neque sæcularium turbella negotiorum; ubi jejunium, et stratum humi cubile, omnia pura a nidore, cruoribus, tumultu, perturbatione et vexatione; portus est tranquillus; sunt tanquam faces ab excelso loco procul advenientibus lucentes : in portu sedentes, et omnes ad suam trahentes tranquillitatem, neque sinentes fieri naufragia ad se respicientes eo contuentes in tenebris non permittentes versari. Ad eos abi, hospitare, accede, sanctos tange pedes. Multo namque honestius est illorum pedes tangere quam aliorum caput. »

4. MELIOR EST IRA RISU : QUIA PER TRISTITIAM VULTUS, CORRIGITUR ANIMUS DELINQUENTIS.— Ex ratione subjecta patet sub ira intelligi tristitiam. Hæ enim duæ passiones sunt, imo sorores ex eadem matre, scilicet odio mali nascentes ac se mutuo comitantes. Unde Campensis vertit, *melior est tristitia quam risus*. Unde et Septuaginta, *bona ira super risum, quia in malitia* (pro κακίᾳ, id est *malitia*; Aquila legit κακώσει, id est *afflictione*; vetus translatio, *mœrore*) *vultus bonum fiet*, vel *bonificabitur cor*, id est *jucundabitur*, vel *emendabitur cor*, uti legit vetus translatio. Complutenses, *honorificabitur cor*; Thaumaturgus, *anima ad rectum honestumque componitur*; Campensis, *cor admonetur officii sui*. Pro *ira* Hebraice est כַּעַס *caas*, id est *indignatio*, fervens *ira*. Unde Syrus vertit, *melior est furor risu, quia per malitiam faciei melius efficietur cor*; Arabicus, *nam per malum faciei sanatur cor*; Tigurina, *melior est indignatio risu, quia tristitia pariet lætum cor*; alii, *exhilarabit cor*. Jam ad sensum Vers. 4.

Ira præstat risu. Primo.

Primo, Chaldæus hanc gnomen accipit de ira non hominis, sed Dei. Unde vertit, *melior est indignatio qua indignabitur Dominus mundi adversus justos in sæculo hoc, quam risus quo ille deridet improbos. Dum enim contristatur vultus majestatis, venit penuria et vindicta in sæculum, ad beandum cor justorum, qui orabunt ante Dominum mundi, et ipse miserebitur ipsorum.*

Secundo.

Secundo, Symmachus vertit, *melior est ira risu, quia per tristitiam melior fiet animus*, scilicet ejus qui afficitur tristitia propter Deum, quique aliorum suffert iras, juxta illud : « Quasi tristes, semper autem gaudentes, » II *Corinth.* VI, 10. Et Thaumaturgus : « Sed et risui, ait, præferenda est ira prudens, et tempestiva indignatio : quandoquidem severitate vultus corrigitur anima. Et hæc causa est, ob quam sapientum animæ contractæ sunt ac tetricæ, insipientium vero elatæ et effusæ. » « Et S. Hieronymus : Risus, ait, dissolvit sapientem, ira corripit et emendat, irascamur et nobis, si quando peccamus, irascamur et aliis : per tristitiam quippe (ira mixtam) melior fiet animus. »

Tertio.

Tertio, Hugo Victorinus physice hanc gnomen explicat, *q. d.* Melior est ira et tristitia risu, quia tristitia calorem et spiritus revocat ad cor, itaque illud roborat, attentumque et vegetum efficit ad omnem honestatem et virtutem : lætitia vero et risus calorem, et spiritus a corde ad partes extimas avocant, itaque illud dissolvunt, enervant, debileque et languidum reddunt, ut ad opera fortia sit impotens et ineptum.

Quarto.

Quarto, noster Pineda per *iram* accipiens tristitiam, hanc gnomen nectit præcedenti, quasi ejus det causam, *q. d.* Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; quia domus luctus salutarem injicit homini tristitiam, quæ risu et gaudio longe utilior est. Cadaver enim est quasi mutus doctor docens hominem sapere, vanam vitam contemnere, meditari mortem, vitia

carnis fugere, studere continentiæ. Sua enim tabe, putore, vermibus, viventium mores carnales et fœdos arguit et objurgat. Qua de causa prisci solebant cadaver, gravi pulloque habitu vestitum, ante ostium in vestibulo domus collocare, teste Suetonio in *Augusto*, ut omnibus transeuntibus salutarem luctum veramque morum mutandorum philosophiam ingereret. Verum Hebræum כַּעַס *caas* proprie significat *iram, indignationem, furorem*, ut vertunt Septuaginta, Syrus, Arabicus et cæteri; non *tristitiam*.

Quinto, genuine. *Quinto* ergo, proprie et genuine Noster vertit, *melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis*, vel subditi, vel socii: loquitur enim de ira, non qua quis sibi, vel dæmoni, sed delinquenti irascitur, illique vultum severum, tristem, iratum ostendit, ut ejus delictum castiget et emendet, *q. d.* Melius est indignari peccanti, quam arridere. Satius est delinquenti irasci, ejusque delictum vultu, verbisque gravibus, severis, mordacibus instar lixivii castigare et eluere, quam risu illud fovere et augere. Ita S. Hieronymus, Salonius, Olympiodorus, Lyranus et alii passim. Occasione enim domus luctus, de qua vers. præced., pergit ostendere tristitiæ luctusque commoda. Hanc gnomen esse veram patet in detractione; hanc enim dissipat vultus tristis, fovet lætus, juxta illud *Proverb.* XXV, 23: « Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. » Idem patet in educatione filiorum et filiarum, de qua *Eccli.* cap. VII, 26: « Filiæ, ait, tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas; » et cap. XXX, 9: « Lude cum filio, et contristabit te. » Hunc esse sensum liquet ex eo quod se explicans mox subdit Ecclesiastes: « Melius a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi; quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti (1). »

Hinc Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 338, docet iram subinde esse bonam et cotem virtutis, ut cum quis peccatis et peccatoribus irascitur, eosque arguit et punit, ut fecit Moses, *Exodi* XXXII, occidens adorantes vitulum aureum; et S. Petrus occidens Ananiam et Sapphiram votifragos, *Act.* V; et Paulus fornicarium tradens Satanæ, II *Corinth.* II: cum ex adverso Heli filiis delinquentibus non irascens, sed dissimulans et arridens, cum filiis a Deo punitus sit morte, I *Reg.* cap. IV. Prælati ergo, qui carent ira ad arguendum peccantes, inepti sunt ad regimen, dum omnibus se placidos exhibent, uti docet S. Gregorius, III parte *Pastor.* cap. XVII, ubi pulchre ostendit in regendo mansuetudini jungendam esse severitatem, ut una alteram temperet et frenet, vel acuat. Hinc illud: « Qui bilem non habet, cor non habet. » Ita Paulus cum increpasset Corinthios quod in cœtu suo tolerassent fornicarium, hujus increpationis iræ et tristitiæ fructum ostendit, dicens, II *Corinth.* VII, 8: « Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet; etsi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam: in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. »

Moraliter, disce hic sapientes et sanctos mente vultuque esse gravi ac severo, ac abdicare a se omnem levitatem et risum. Sic de S. Martino legimus: « Faciem ejus non fuscavit mœror, nec levigavit risus. S. Bernardus in formula honestæ vitæ ita sancit: « Risus tuus sit, aut indicans levitatem animi, aut provocans, rarus tamen. Et ipse sit quidem eductus interdum, effusus nunquam. » Idem, *De Inter. domo*, cap. LXV: « Ubi risus et jocus abundant, ibi perfecta charitas non regnat. Si sanctimonialis perfecte Christum diligeret, non rideret, sed cum desiderio illius indesinenter ploraret: quia qui perfecte Christum diligit et timet, non ridet, sed amore ejus luget. » Idem, serm. 4 *De Adventu*: « Christum super Lazarum et super civitatem flevisse, et in orationibus pernoctasse legimus, risisse vero aut jocatum nusquam. » De ipsomet S. Bernardo scribit Auctor Vitæ ejus, lib. III, cap. II: « De risu dicimus, quod ex ore ejus frequenter audivimus, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, non meminisse se a primis annis suæ conversationis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret; et risui suo stimulum magis adhibere quam frenum. »

Sapiens est vultu severo.

Gnomæ.

5. COR SAPIENTUM, UBI TRISTITIA EST, COR ET STULTORUM UBI LÆTITIA. — Hebræa, *cor sapientum in domo luctus, et cor inconstantium*, sive *stultorum, in domo gaudii* (2); Arabicus, *in domo lætitiarum*; Campensis, *in domo convivii*. Hæc gnome sequitur ex præcedentibus. Cum enim melior sit domus luctus domo gaudii, et tristitia risu, sequitur sapientem, qui vere cognoscit eligitque quod est melius, malle domum luctus, velut scholam sapientiæ: stultus vero domum gaudii, velut ludum dissolutionis et stultitiæ; quare hæc gnome sat clara est ex dictis paulo ante, et cap. II, 1. Jam

Vers. 5.

Primo, Chaldæus uti præcedentem gnomen, ita et hanc explicat de compassione et consolatione

Primo.

(1) Hebr. est, *melior est tristitia quam risus, nam in tristitia faciei bonum est cor*, vultu habituque austero et severo, qualis decet virum gravem et sapientem, bene se habet animus, est tranquillus, nec pravis libidinibus affectibusque exagitatur.

(2) Intellige, *assidua meditatione versatur.*

lugentium, illamque arctat ad luctum eversi templi. Sic enim habet, *cor sapientum triste propter destructionem domus Sanctuarii, et propter captivitatem populi domus Israel, et cor stultorum in gaudio domus divisionis eorum; comedunt, et bibunt, et deliciis affluunt, et non ponunt in corde suo afflictionem fratrum suorum.*

Breviter ergo sensus erit, *q. d.* Sapiens vadit ad lugentes, ut bene de eis mereatur, eos solando, instruendo, juvando; stultus vero vadit ad gaudentes, ridentes, comessantes, ut se deliciis et gaudiis oppleat.

Secundo. *Secundo,* Olympiodorus asserit sapientes lugere ob instantem mortem, stultos vero in vanis vitæ voluptatibus exsultare. Sic enim ait: « Vir sapiens est funebri luctu, secum animo deputans sese natum de corruptibili carne brevi ex hac vita migraturum : mortales cæteros, qui eadem sunt nati conditione, affectu pio prosequitur. Contemnit autem quæcumque suis oculis obversantur, ut casui mortique subjecta. Stultus autem cum mentis hebetudine solida putet esse quæ sunt in mundo, neque illorum mutationem intelligat, proptereaque futuri exitus sit securus, deliciis affluit, voluptatibus indulget. »

Tertio. *Tertio,* S. Hieronymus accipit de his qui gaudent agere cum iis qui se delinquentes corripiunt, eorumque delicta lugent, uti Samuel lugebat casum Saulis, I *Reg.* cap. XV, vers. 35 et 36. Paulus lugebat eos qui non agebant pœnitentiam, II *Corinth.* cap. XII, 21; cum ex adverso stultis magis placeant assentatores et irrisores. Audi S. Hieronymum : « Cor igitur sapientis vadat ad domum talis viri, qui se corripiat delinquentem, ut adducat ad lacrymas, qui provocet propria lugere peccata, et non eat ad domum lætitiæ, ubi doctor adulatur et decipit; ubi non conversionem audientium, sed et plausus quærit et laudem. Talis præceptor plangitur, dives in sermone, non dives in opere, qui quia saturatus est, propterea recipit consolationem suam. Denique huic oppositioni etiam sequentes versiculi concordant. »

Quarto. *Quarto,* plene et adæquate Thaumaturgus hanc gnomen generatim de quovis pio luctu et quavis lætitia vana accipit; ait enim : « Et hæc causa est ob quam sapientum animæ contractæ sunt ac tetricæ, insipientum vero elatæ et effusæ, » scilicet quod severitate vultus corrigatur anima, uti præcessit, risu vero dissolvatur.

Igitur melior est luctus lætitia, sive lugeas tua peccata, cupiditates, passiones et miserias; sive aliena, quibus totus mundus plenus est : quare sapiens in hac valle lacrymarum lugendum potius censet, quam vane gaudendum, præsertim quia vidit plurimos in infidelitate et sceleribus vivere, ac ruere in gehennam et damnari. Contra stultus ineptæ se dat lætitiæ, risibus, jocis, conviviis, tripudiis, etc. Breviter universa stringendo sensus est, *q. d.* Sapiens gaudet reprehendi de erratis suis, gaudetque severitate vitæ, gravitate vultus, maturitate verborum et actionum, atque studet compunctioni et austeritati : stultus vero gaudet adulationibus, deliciis, omnique voluptate et dissolutione. Sapientia enim non « invenitur in terra suaviter viventium, » ait Job, cap. XXVIII, sed insipientia et stultitia; quia, ut explicat S. Gregorius : « Qui in hoc mundo suaviter vivunt, » ita adhuc « stulti sunt, ut hoc ipsum quoque nesciant, unde ceciderunt. »

Sic S. Arsenius jugiter lugebat lacrymisque diffluebat. Sic et S. Ephrem, cujus omnes tractatus non nisi pium luctum et lamenta resonant. Ratio a priori est, quod sapiens in domo luctus discat sapientiam, id est gravitatem, modestiam, continentiam, refrenationem concupiscentiæ, patientiam, constantiam, charitatem omnemque virtutem : stultus vero in domo gaudii discat suam stultitiam, id est dissolutionem, levitatem, gulam, crapulam, luxuriam omnemque intemperantiam. Audi S. Chrysostomum, homil. 62 *ad Popul.* : « Ubi namque tristitia, ibi prorsus et philosophia. Qui antea dives erat et multum tumidus, post luctum quemlibet se sustinebit alloquentem : postquam timor et tristitia, quasi quidam acrior ignis in ipsius inciderit, animam et duritiam emollierit, tunc humilis fit, tunc exorabilior, tunc mundanam sentit mutationem, tunc ad omnia patiens erit. In theatro autem omnia contraria, risus, ineptitudo, diabolicus fastus, effusio, temporis impendium et superflua dierum consumptio, malæ cupiditatis inductio, adulterii meditatio, fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, risus materia, inhonestatis exempla. At in carcere non ita, sed illic humilitas, supplicatio, philosophiæ profectus, sæcularium contemptus, omnia conculcata sunt et contempta, et tanquam infanti pædagogus adest timor, ad omnia congrua dirigens eum. » Ratio priori.

Symbolice, ibidem S. Chrysostomus ex hac gnome colligit domum luctus et consequenter sapientiæ esse adversitates et tribulationes, ut sensus sit, *q. d.* Sapiens gaudet adversis, in iisque quasi in domo sua commoratur; stultus vero lætis et prosperis, quia « gaudet adversis agitata virtus : » per adversa enim firmatur, roboratur, crescit, perinde ac arbores ventis agitatæ magis se firmant, altioresque agunt radices, natura id eas docente, ut contra hostem suum, puta ventum sese muniant et arment. Hoc est quod ait S. Jacobus, initio *epist.* : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet : ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. » Vide ibi dicta.

Tropologice S. Gregorius, libro XVIII *Moral.* cap. LXXXIV, ait justos lugere, quia nullam sæculi lætitiam admittunt, anhelantes ad Deum et gaudia cœlestia, ideoque gemere ac dicere cum Psalte : « Renuit consolari anima mea; memor

fui Dei et delectatus sum, » *Psal.* LXXVII, 3. « Hæc ost igitur, ait, amaritudo sapientum, quia dum spe in alta erecti sunt, nullis hic gaudiis animum sternunt. Hinc enim scriptum est : Cor sapientum ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia. » Rursum S. Bernardus, *De Gradibus superbiæ*, tertium gradum ponit ineptam lætitiam : « Proprium, ait, superborum est læta semper appetere et tristia devitare, juxta illud : Cor stultorum ubi lætitia. » Ejus deinde hæc dat indicia : « In signis scurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in incessu ; pronus ad jocum, facilis ac promptus in risu. Cunctis quippe, quæ in se contemptibilia et ideo tristia noverat, a memoria rasis, bonisque si qua sentit in se adunatis, vel simulatis ante oculos mentis, dum nil cogitat nisi quod libet, nec attendit, si licet jam risum tenere, jam ineptam lætitiam dissimulare non valet. Ut enim vesica collecto turgida vento, punctoque perforata exiguo, si stringitur, crepitat dum detumescit; at ventus egrediens non passim effusus, sed strictim emissus, crebros quosdam sonitus reddit : sic monachus, ubi vanis scurrilibusque cor suum cogitationibus impleverit, propter disciplinam silentii non inveniens ventus vanitatis qua plenius egrediatur, inter angustias faucium per cachinnos excutitur. Sæpe vultum pudibundus abscondit, claudit labia, dentes stringit, ridet non volens, cachinnatur invitus. Cumque os pugnis obstruxerit suis, per nares adhuc sternutare auditur. »

Vers. 6. 6. MELIUS EST A SAPIENTE CORRIPI, QUAM STULTORUM ADULATIONE DECIPI. — Hebræa, *melius est audire increpationem sapientis, super virum audientem canticum stultorum*. Ubi notat Thaumaturgus unum sapientem opponi et præponi omnibus stultis, *q. d.* Increpatio una unius sapientis præstat omnibus canticis omnium stultorum. Pro *canticum* Septuaginta vertunt, *carmen* ; Syrus, *cantum* ; Arabicus, *cantilenas* ; Campensis, *qui patienter audit objurgationem sapientis, melior est quam is qui audit assidue cantillantem stultum.*

Igitur *primo*, Thaumaturgus et Olympiodorus carmen vel canticum stultorum accipiunt proprie pro suavi cantilena, quæ animum dissolvit et effeminat. Unde Thaumaturgus vertit, *hinc etiam longe optabilius est increpationem et castigationem unius sapientis ferre, quam totius chori improborum hominum cantu aures demulcentium fieri auditorem* ; et Chaldæus, *melius est sedere in domo doctrinæ et audire increpationem viri sapientis in lege, quam vir qui ambulat ad audiendam vocem tripudii stultorum.*

Verum Noster recte per *carmen* vel *canticum* accipit *adulationem*, tum quia hæc directe opponitur increpationi ; tum quia ipsa est canticum sirenum compositum ad decipiendum audientem ; tum quia carmina et cantica sæpe sunt meræ adulationes fictæque laudes audientium, præsertim divitum et potentum. Gnome hæc pertinet ad illam vers. 4 : « Per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. » Sapiens enim severo vultu et verbis arguit amicum, vel proximum delinquentem, ut eum emendet ; stultus vero delinquenti adulatur et arridet, itaque eum in delictis fovet, præsertim dum vitia ejus vocat virtutes. Nam, ut ait Seneca, *epist.* 45 : « Temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur ; in his magno periculo erratur. » Unde de talibus Isaias queritur, cap. III, 12 : « Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant ; » et *Ezech.* cap. XIII, 18 : « Væ qui consuunt pulvillos sub cubito manus : et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. » Nam, ut pulchre ait Cassiodorus : « Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit : prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos et graves ; hæc sagitta leviter volat, cito infigitur. »

Igitur correptio sapientis est quasi sal, vel nitrum eluens animæ morumque maculas, aut sicut absinthium, quod ori amarum est, sed stomacho suave, dum eum purgat, stringit et confortat. Ejus ergo amarities et fel desinit in mel suavitatemque virtutis, consolationis et gaudii ; stultorum vero adulationes sunt in aure mel, sed desinunt in fel peccati, mortis et gehennæ : eo enim audientem deducunt, idque videntem et scientem ; sæpe enim scit eos adulari et mentiri ; videt enim in se non esse illas dotes quas illi adulantes attribuunt. Quocirca S. Augustinus in *Psalm.* LIX : « Plus persequitur, ait, lingua adulatoris, quam manus persecutoris. » Et Cicero, epist. 1 *ad Quintum fratrem* : Lanista, inquit, clemens adulator est, adulatio lethale mulsum, mellea præfocatio. Vide quæ de correptione et adulatione dixi *Proverb.* XXVII, 6, ad illa : « Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici ; » et alibi sæpius. Adulatores ergo sunt velut sirenes, quæ suavi cantu audientes incantant et necant ; sunt sicut lamiæ et sagæ, quæ suis laudibus, velut veneficiis, hominem fascinant et dementant ; sunt sicut retia et laquei, quibus capiunt pisces et aves ; sunt sicut vulpes, quæ cauda blandiuntur gallinis, ut incautas capiant et vorent.

Melior ergo est increpatio sapientis cantico et adulatione stultorum, « quia hæc effeminat animum, illa colligit et confirmat, » ait Olympiodorus. Illa docet sapere, hæc desipit, et in errorem, scelus, mortem et gehennam inducit ; quin et reipsa decipit, dum quos a fronte laudat et veneratur, a tergo vituperat et irridet. Audi S. Hieronymum *ad Rusticum* : « Ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui cum te adulationibus foverint, et quodam modo impotem mentis effecerint, si subito

respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. »

Apologus adulationis et appetitus laudes.

Hanc gnomen festivo corvi et vulpis apologo, bellis parabolarum gnomis sententioso, venustat Cyrillus, lib. II *Apol. mor.* cap. XXVII, cui titulus : *Contra eos qui appetunt adulatione laudari* : « Corvus, inquit, reminiscens priora facinora sua, subtiles fraudes et magnas calliditates suas, hinc fastu tumidus et adulationis avidus, cœpit auram laudum quærere. Cum igitur adulationis cupidus invenisset vulpem sub umbræ refrigerio quiescentem, post salutationis officium, interrogatus ab ea quid quæreret, respondit : In bonis meis laudum præconem mearum ob inimicam invidiam non inveni; cui illa ingenii sui calliditate subtili, quid vellet percipiens, amentem deridens sic dixit : Satis video, quod ubi superbia tetra vecordiæ nube mentem obnubilat, cuncta sagacitas parum juvat. Nimirum factus es vacuus, postquam suscipere cupis ventum. Hunc enim folles, cum inanes sunt, attrahunt, et eo vacui mox replentur : jam certe mortis factus es hospitium, quoniam vanæ laudationis pestiferum sitis flatum. »

Emblemata.

Deinde variis emblematibus adulationis vanitatem et noxam graphice depingit : « Quid enim est adulatio aliud quam astri nascentis aura lucida, septentrionalis procella, melodia sirenica, cantatio lethifera, fallaciæ fistula, et vox hyenæ valde mendax. Siquidem dum suavi sonitu auris tympanum percutit, lucernam rationis exstinguit, flatu draconico serenum virtutis corrumpit, ac brutino dente nihil in anima viriditatis relinquit. Dulciter sonat, suaviter intrat, lethaliter occupat, irremediabiliter totum vastat. Sed crede mihi, deterior est dulcis cantus adulationis, quam amarus morsus detractionis. Nam adulatio bona interiora perdit, detractio vero tantum exteriora; illa substantiam, hæc famam inficit; illa volentem percutit, hæc renitentem ferit; illa semper, cum placuit, nocuit; hæc ad meliorationem sæpe, si est patiens, proficit. » Addit dilemma, quo dicta ratione a priori demonstrat : « Cæterum aut tecum habes laudationis materiam, aut non habes; si hanc habes, cur... cur mendicas cum diversis, et vis a vento habere, quod in te contines a virtute? attamen si indignus laudaberis velut in ironia, laus tibi fiet opprobrium, et commendatio vertetur in confusionem. Mendax enim laus vituperium est. Et eo ipso, quo quis ventosæ laudis concipit appetitum, vera laudatione indignus efficitur; appetere enim laudari, fœdum superbiæ vitium est, quod dum spargi deforis per apparentiam diligit, alienum semper nutum et labium concupiscit. Scio tandem quod magna laus sit, linguatæ vocis laudem spernere; et solida gloria, mundanæ lucis gloriam fugere. Tota namque res veræ laudationis, est virtus. His dictis auditoris appetitum in odium vertit. »

Ratio a priori.

Vers. 7.

7. QUIA SICUT SONITUS (*strepitus, fragor, crepitus*, uti vertit Campensis et alii) SPINARUM ARDENTIUM SUB OLLA, SIC RISUS STULTI : SED ET HOC VANITAS. — Auctor *Catenæ Græc.* : « Nam stultorum hominum risus, expressam præ se fert imaginem spinarum multarum, quæ, dum flammam concipiunt, crepero strident sonitu, hiscuntque totæ. »

In Hebræo est pulchra paronomasia. Ait enim : שיר *schir*, id est canticum sirenum, puta adulatio stultorum, simile est סירים *sirim*, id est spinis, sub סיר *sir*, id est olla crepitantibus, *q. d.* Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla crepitantium molestus est, brevis, fumosus et inutilis : ita blandæ adulantium voces molestæ sunt, cito desinunt, mentem obnubilant, ac mox in dolorem et amaritudinem conscientiæ, atque in tormenta præsentia et æterna gehennæ vertuntur. Ita Olympiodorus et S. Hieronymus.

Adulationis sunt spinæ. Primo.

Igitur cantica et adulationes assentatorum recte comparantur spinis sub olla crepitantibus. *Primo*, quia sicut hic crepitus stridulus est, auresque obtundit, nilque aliud affert commodi : sic prorsus adulantium laudes non sunt nisi streperæ voces, et stridores inanes buccarum adulatione tumidarum et crepitantium, quæ viris cordatis ingratæ sunt et molestæ. Unde sicut ex crepitu spinas, sic ex adulatione stultum agnoscas, ait Olympiodorus. Rursum risus stulti sonorus, effusus et cachinnans similis est sono spinarum stridentium et crepitantium; utrinque ergo nil est nisi inanis vocis strepitus et crepitus.

Secundo.

Secundo, sicut spina tangentem pungit, sic et adulationes animam lædunt et sauciant, dum eam ad curas sæculi spinosas cohortantur, vel futuro eam incendio præparant, ait S. Hieronymus.

Tertio.

Tertio, sicut spinæ implexæ implectunt manum vestesque tangentis, sic et adulationes perplexam reddunt animam, multisque eam difficultatibus et sceleribus involvunt. Unde Symmachus vertit, *per vocem imperitorum vinculis quispiam colligatur*, hoc est, ait S. Hieronymus : « Ad vocem talium præceptorum magis auditor innectitur, dum vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur, » *Proverb.* v. Huc facit illud *Nahum* I, 10 : « Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium : consumentur quasi stipula ariditate plena. »

Quarto.

Quarto, sicut spinæ flamma est subita, atque illico cum sonitu transit, sic et gaudium ex adulatione conceptum cum ea finitur et evanescit. Ita S. Bonaventura.

Quinto.

Quinto, sicut spinæ creant fumum, sic adulatio mentem obnubilat. Ita Olympiodorus.

Sexto.

Sexto et valde apposite, sicut flamma spinarum illico transiens et desinens, ollam et carnes in ea non calefacit, nec ab eis frigus et cruditatem aufert, sed potius per antiperistasim illud auget : sic et adulationes corda audientium dolore scelerum et amore virtutum non accendunt, sed potius in suo peccatorum frigore obdurant.

Septimo.

Septimo, sicut subita flamma spinarum statim in favillas et cineres vertitur, sic adulatio sæpe

vertitur in irrisionem : quem enim adulantes in facie laudant, hunc a tergo vituperant.

Plane contrariæ sunt increpationes sapientum : nam *primo*, modestæ sunt et graves sine strepitu et crepitu; *secundo*, pungunt ut sanent, non ut lædant; *tertio*, sunt candidæ et liberæ, non implexæ; *quarto*, constantes sunt et durant; *quinto*, mentem non obnubilant, sed illuminant; *sexto*, eamdem amore Dei et virtutis accendunt instar carbonum juniperi; *septimo*, nullam post se favillam vanitatis relinquunt, sed semper sui similes sunt in gravitate et ardore.

Denique Chaldæus vertit, *quid enim aliud est vox stultorum risus et jocos agentium, quam spinarum sub aheno ardentium quidam quasi strepitus et sonus? et hoc quoque vanitas est.* Unde S. Basilius, regula 17 in *fusius disput.*, censet hac gnome damnari risum immodicum prorumpentem in cachinnos, corpore subsultante, velut constantiæ et gravitati plane contrarium. Sic et S. Ambrosius, *Exhort. ad Virgin.*, quem audi : « Quid autem idem Ecclesiastes monuerit nos omnes de immoderatione ridendi, consideremus. Sicut vox, inquit, spinarum sub olla, ita risus stultorum. Nempe spinæ, cum ardent, sonant, et cito exuruntur, ut nullus caloris sit effectus. Unde et de Judæis dictum est : Exarserunt sicut ignis in spinis. Exusti sunt enim suo risu, et conflagrarunt in Domini passione, quando in animæ suæ jocabantur incendium, dicentes : Speret in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum nunc, si vult eum. Et deridentes percutiebant calamo caput ejus, et spinis eum coronabant, atque acetum ei ut biberet offerebant. Ille risus Synagogam incendit in æternum. Sic ergo est risus stultorum, qui sine gratia sonat, et ollam sui corporis urit. »

SED ET HOC VANITAS. — Identidem hoc suum thema vanitatis infert et ingerit Ecclesiastes. Sed quid τὸ *hoc?* Campensis accipit increpationem sapientis : huic enim sua quoque inest vanitas vel superbiæ, vel inefficaciæ, dum non corrigitur correptus; vel noxæ, dum sibi accersit odia et damna. Melius referas ad risum stulti : hic enim vanus est et ineptus. Et quia adulatio, ait Hugo Cardinalis, evacuat adulantem, atque illum cui fit adulatio.

Vers. 8. 8. CALUMNIA CONTURBAT SAPIENTEM, ET PERDET ROBUR CORDIS ILLIUS. — Septuaginta, *quoniam calumnia circumfert sapientem et perdit cor uxoris ejus*; Aquila et Theodoretus, *fortitudinis ejus*, Complutenses, *generositatis ejus*. Hoc enim est τὸ εὐγενείας, pro quo nonnulli legunt εὐτονίαν, id est bonum tenorem, vigorem et constantiam cordis illius. Syrus, *quoniam accusatio perdit sapientem et perdit cor dentium illius*; Arabicus, *quoniam stultus convertit mentem sapientis, dissolvit cor fortitudinis ejus*; Thaumaturgus, *summum malum calumnia, quæ sapientum maxime animabus insidiatur, generosam ac densam illam virtutum sylvam exstirpare molitur.*

Pro *calumnia* hebraice est עשק *osec*, id est calumnia, item oppressio, et quævis injuria sive verbis, sive factis, puta vi et fraude fiat.

Pro *conturbat* hebraice est מהולל *meholel*, quod si accipias quasi positum pro מחולל *mecholel* (literæ enim ה et ח sunt affines et charactere et sono ; utraque enim est nota aspirationis) significat, dolore afficit, affligit, cruciat, uti partus cruciat parturientem; alioquin *meholel* proprie significat, dedecorat, inglorium facit, dehonestat, perturbat, obscurat. Radix enim הלל *halal*, in *Piel* significat laudare, celebrare, gloriosum facere; in *Poel* vero significat contrarium, scilicet vituperare, vilem, inglorium, infamem facere. Aquila vertit, *seducet*; Chaldæus, *decipiet*; Pagninus, *insanire faciet*; Tigurina, *ad insaniam adigit*; alius, *errare facit*, ut scilicet per impatientiam aberret a sapientia et virtute, labaturque in vindictam, cædem aliaque scelera, uti insinuat Chaldæus; Syrus, *perdit*; Septuaginta, *circumfert*, circumagit, rotat; vulgo, *volta il cervello*. Varietas hæc versionum gnomen hanc valde illustrat, exaggerat, amplificat. Olympiodorus, *vexat*; Arabicus, *convertit*; Thaumaturgus, *insidiatur*. Pro *perdet robur cordis illius*, Hebraice est, *perdet cor donum* : quod S. Hieronymus, Cajetanus et alii explicant, *q. d.* Donum pervertit cor et mentem sapientis, juxta illud : « Munera excæcant oculos sapientum, » *Deuter.* xvi, 19. Verum hic non agitur de donis, sed de calumnia; quare melius explicat Tigurina, *q. d. Calumnia frangit cor sapientis præclaris dotibus ornatum*; et Campensis, *mali, si objurgantur, perdere conantur eum qui cor habet tam insigni sapientiæ dono exornatum*; Chaldæus, *sermone depravato prudentiam sapientis animi labefactat, quæ a Deo cœlitus homini data est in donum.* Unde Noster, Septuaginta, Arabicus et Syrus, *perdit robur*, vel *vigorem cordis ejus*; hoc ergo est *cor donum* vel *cor doni* (utrolibet enim modo vertas ex Hebræo), i. e. cor donatum a Deo, multisque donis ab eo exornatum.

Hæc sententia uti et sequentes, licet ut disparatæ accipi possint, velut dogmata sapientiæ, tamen cum præcedenti necti potest, hoc modo, ut explicet τὸ *sed et hoc vanitas, q. d.* Increpatio delinquentis facta a sapiente, licet sancta, suam tamen habet adjunctam vanitatem, scilicet quod delinquens ab eo increpitus illi indignetur, utque illi talionem reponat; cum verum illi crimen objicere nequeat, objicit falsum, fingitque in eum calumniam quæ eum affligit et turbat : ita Cajetanus. Unde Campensis vertit, *quia mali si objurgentur quod alios opprimant, affligunt sapientem*; et Chaldæus, *violentus quoque illudit sapienti, ut non ambulet in via ejus.* Alii hanc gnomen referunt ad vers. 2 : « Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa. » Alii, *q. d.* O sapiens, monui te ut caveas adulationem, nunc pariter moneo ut caveas illi oppositam calumniam.

Minus recte Olympiodorus hanc gnomen sic accipit, *q. d.* Etiam sapientes et perfecti pulsantur absurdis, impiisque cogitationibus contra provi-

dentiam Dei, dum vident pios hic ab impiis affligi et opprimi. Melius S. Bonaventura eam accipit de dolore sapientum dum vident proximos innocentes per calumniam vexari. Hic enim est zelus compassionis, quem habebat Apostolus dicens : « Quis scandalizatur, et ego non uror? » II *Corinth.* cap. XI. Optime eam accipias de calumnia et accusatione jacta in ipsum sapientem; hæc enim sæpe eum conturbat, cruciat et affligit. Ita Syrus, S. Hieronymus, Albinus, Salonius et alii (1).

Calumnia turbat sapientem.

Notat S. Hieronymus hanc gnomen accipi de sapiente non perfecto, sed proficiente; hic enim per calumniam conturbatur : « Sapiens quippe perfectus nulla argutione indiget, nulla calumnia conturbatur, » sed eam constanti animo tolerat et superat, uti Apostoli « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, » *Actor.* V.

Exempla.

Vis exempla? Accipe. Mosi irrogata fuit calumnia a Core, Dathan et Abiron, quod ambiret principatum sibi, et pontificatum Aaroni fratri suo, quæ eum pupugit et turbavit, juxta illud : « Vexatus est Moses propter eos : quia exacerbaverunt spiritum ejus, » *Psalm.* CV, 32; præsertim quia per calumniam hanc excitatum est murmur populi; unde Moses questus est Deo magno animi dolore, dixitque : « Ne respicias sacrificia eorum : tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum, » *Num.* XVI, 15. Sic Jeremias prophetans Jerusalem tradendam Chaldæis, a Judæis calumnias juges audiebat, quod esset pseudopropheta, amicus Chaldæorum, proditor patriæ. Unde assidue gemit et luget, uti videre est cap. X, vers. 11 et seq., cap. XX, vers. 8 et seq. Hinc et David orat, *Psal.* CXVIII, 134 : « Redime me a calumniis hominum : ut custodiam mandata tua. » Ubi S. Ambrosius : « Qui opprimitur, ait, calumnia, non facile potest custodire mandata divina; tristitiæ necesse est plerumque aut timori cedat et affligatur, vel metu calumniæ, vel dolore. » Ita S. Basilius calumniam sibi de hæresi impactam valde sensit. Sic enim scribit, *epist.* 82 : « Ad hasce litteras animatus, ut par erat, et ad tam inopinam ac subitam immutationem animo perculsus, nec respondere quidem poteram : palpitabat enim mihi cor, lingua me destituebat, et plane patiebar quod animo solet parum forti accidere : indicandum enim quod verum est, et tamen venia dignum. Deinde parum aberat quin odium erga humanum genus exorbitassem, suspectique mihi fuissent omnes hominum mores, arbitranti in natura humana non esse charitatis bonum, sed verba quædam plausibilia ad ornatum et cultum eorum, quibus uti velis, conficta; affectum vero illorum secundum veritatem non inesse cordi humano. »

Ratio a priori. Prima.

Ratio a priori *prima* est, quod homo ex eo quod sit rationalis, ingenuæ et nobilis naturæ, summe appetat honorem et famam; hujus enim cupido illi intima est, ut qui illam tangit, tangat pupillam oculi, imo pungat medullam animæ; quare multi malunt perdere vitam quam famam. Sapientis autem honor situs est in sapientia et innocentia; quare qui illam tangit per calumniam, pungit intima animæ ipsius. Hinc *Eccli.* cap. XXVI, vers. 6 : « Facies mea metuit calumniam mendacem. » Hinc adagia : « Invidia integritatis assecla; calumnia dira pestis. » Hinc et emblema cujus titulus : *Calumniæ morsui nullum est remedium :*

Natura cunctis prompta est medicina venenis :
Hæc superant linguæ vulnera facta manu.
Quod semel emisit rabiosa calumnia virus,
Ante necat, quam tu fusa venena putes.

Secunda.

Secunda, quod calumnia sæpe homini auferat opes, libertatem et vitam. Calumnia enim violati edicti regii conjecit Danielem in lacum leonum. Calumnia adulterii adegit Susannam ad periculum necis infamis. Calumnia hostilitatis in Assuerum conficta ab Aman, Mardochæum et Judæos omnes addixit morti, ut patet ex libro *Esther*.

Tertia.

Tertia, quod calumnia viri sancti grave creet scandalum, ac impediat fructum concionum, lectionum, omniumque operum ipsius; quare illa tunc refellenda est, uti docet S. Basilius, homil. *De Invidia*, et S. Gregorius, lib. VIII, *epist.* 45. Ita Paulus calumniam pseudoapostolorum, suam doctrinam vitamque carpentium, confutavit, II *Corinth.* X et XI; ac Christus calumnias scribarum et pharisæorum contra se jactatas assidue dissipavit, ut patet *Joan.* V, 5 et seq.

Adde calumniam vix ita elui posse, quin nota remaneat. Quocirca Medius, Alexandri Magni parasitus, impium et diabolicum hoc consilium suis dabat : « Quodlibet crimen in quemvis intendite; ut maxime enim sanet vulnus, qui læsus est, manet tamen cicatrix. » Sicut scelestus ille dux, potius latro, suis militibus dicebat : « Rapite, spoliate tam amicos quam inimicos. Nam ut qui spoliati sunt, sic agant apud principem, ut restituere cogamur, semper tamen aliqua prædæ portio remanebit apud nos. » Hinc Thearidas cum gladium cote acueret, rogatus an esset acutus : « Acutior, ait, calumnia. » Ita Plutarchus in *Lacon.*

Modus refellendi calumniam. Primus.

Porro modi et media refellendi, vel superandi calumniam sunt varii. *Primus* est, si illam contrariis actibus, tuisque moribus refellas : accusaris quod sis superbus, gulosus, luxuriosus, avarus, etc.? esto humilis, sobrius, castus, liberalis, ut omnes ex actibus tuis videant calumniam esse falsam; unde singularis calumniæ confutatio est vitæ innocentia et sanctitas. Quocirca Demosthenes, teste Stobæo, *serm.* 40, dictitabat calumniam aliquantisper quidem audientibus mali suspicio-

(1) Fieri tamen potest, ut sapiens quæstus et lucri illecebris ad prava studia pelliciatur, *nam oppressio*, seu cupiditas per vim et oppressionem aliorum corradendi opes, si detur occasio, *ad insaniam redigit sapientem, perditque cor* ejus *donum.*

nem ingerere; progressu vero temporis nil ea imbecillius esse.

Secundus. *Secundus*, si Deo tuam innocentiam resignes, ejusque judicium, quo tuam innocentiam declaret, efflagites, uti fecit David in Psalmis, ut *Psalm.* XLII, 1 : « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso eripe me; » et *Psalm.* VII, vers. 9, et *Psalm.* XXV, 1, et *Psalm.* XXXIV, 1 et 2, et *Psalm.* XXXV, 3. Deus enim innocentiæ est tutor et vindex; unde multis in hac vita, sed omnibus in die judicii innocentibus, diffamatis quasi nocentibus, innocentiæ famam restituet. Dicito ergo cum Apostolo: « Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die : qui autem judicat me Dominus est, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo, » I *Corinth.* IV.

Exempla. Ergo Deus innocentibus per calumniam læsis, vel etiam occisis famam restituit, uti restituit Danieli, Susannæ, Joseph, Mardochæo. Legimus in Vita S. Irenes virginis et martyris Portugalis, quod ob calumniam fornicationis sit occisa, sed post mortem Deus ejus virginitatem revelaverit, eamque multis miraculis testatam fecerit. Adscripta est Sanctis in Martyrologio Romano die 20 octobris. B. Marina virgo, inter viros monasticen professa, ac Marinum se nuncupans, a filia ab alio violata, fornicationis secum commissæ falso accusata, ac prole ei quasi patri tradita, ab Abbate monasterio ejecta, publicam egit pœnitentiam; sed post mortem per sexum agnita fuit ejus innocentia, ac calumniatrix correpta a dæmone, non nisi calumniam confessa, ac ad sepulcrum Marinæ veniam petens, ab eo liberari potuit; quin et Deus pluribus miraculis ejus castitatem et sanctitatem comprobavit, uti habet ejus Vita sane admirabilis.

Tertius. *Tertius*, si magno et infracto animo opiniones et dicteria hominum despicias, dicasque cum S. Augustino epist. *ad Secundinum* : « Senti de Augustino quod libet, sola coram Deo conscientia me non accuset. » Vis enim et noxa calumniæ non in calumniantis, sed in patientis sensu consistit. Ostende ergo te eam non sentire, sed ridere, atque eam depueris. Audi S. Chrysostomum, homil. 2 *ad Popul.* : « Sicut, ait, voluptas non in ciborum apparatu, sed in comedentium affectu sita est, hoc et de contumelia dico, quod contumelia non a contumeliantium sententia, sed a patientium affectu constituitur vel destruitur : verbi gratia, multa quidam in te fanda atque nefanda contumeliose egit; si contumelias deriseris, si verba non susceperis et vulnere superior sis, contumeliam non es passus. Et quemadmodum si corpus adamantinum haberemus, etsi innumeris undique telis percuteremur, non tamen vulnera reciperemus; non enim a manu tela torquente, sed a corporibus patientibus vulnera fiunt : sic et hic non a contumeliantium insania, sed a patientium contumelias imbecillitate injuriæ, et injuriarum contumeliæ constituuntur. Si enim philosophari sciamus, nec contumelia affici possumus, nec quidquam grave pati. Ille injuriam intulit : non sensisti, nec doluisti, non es injuriam passus, sed et magis percussisti, quam percussus es; cum enim qui contumeliam intulit, plagam suam ad patientium animam non pervenientem viderit, ipse majorem in modum roditur, et tacentibus contumeliam patientibus, sponte contumeliarum plaga contra mittentem conversa infertur. » Quin et Aristoteles, teste Laertio, lib. V, absens a quodam maledictis lacessitus : « Absentem, inquit, etiam verberet. » Idem loquaci cuidam illi maledicenti, dicentique : « Nonne te satis obtudi? Hercle, inquit, non tibi animum adverti. » Porro M. Antoninus Imperator cognomento Philosophus, lib. IX *De Vita* sua, hoc remedium dat calumniæ et impudentiæ : « Si cujus impudentia offenderis, inquit, statim percontare teipsum an possit fieri ut nulli sint in mundo impudentes; non potest autem hoc fieri, ne igitur postula id quod fieri nequit; est enim iste quoque unus ex impudentibus iis quos esse in mundo oportet. Idem de versuto infideli, omni denique quocumque modo vitioso in promptu sit tibi cogitare. Nam si recorderis necessario id genus hominum esse, singulis æquiorem te præbebis. Id quoque utile est statim cogitare quam homini natura virtutem contra id peccatum dederit. Remedium enim tribuit contra ingratos mansuetudinem; contra aliud vitium, aliud auxilium. Omnino autem licet tibi in viam reducere eum qui erravit; nam omnis qui peccat, eo errat, quod a proposito aberrat. Denique quid inde tibi damni allatum est? Invenies quidem nullum eorum quibus irasceris, tale quippiam fecisse quo mens tua sit futura deterior : atqui in hoc unico situm erat, ut malum tibi atque damnum accideret. Quid vero malum aut novum accidit, si indoctus homo agit suo modo? Vide ne tu tibi ipsi potius sis reprehendendus, qui non præsenseris fore ut ita peccaret. »

Calumnia in sensu patientis consistit.

Calumnias dulcorant Dei solatia. Denique calumniam dulcorant Dei solatia. Experientia enim constat viros perfectos, qui patienter, imo hilariter ferunt calumnias, sui contemptus, falsas accusationes, humiliationes, mortificationes, persecutiones, injurias, miras a Deo haurire illuminationes et consolationes spiritales, iisque ita subinde repleri et obrui, ut nollent calumniis carere, sed in illis quasi in epulis delicientur et exsultent. Ita Abbacyrus apud Climachum, gradu 4 *De Obedientia*, in monasterio per quindecim annos assiduis calumniis et injuriis exercitus, moriens dixit : « Gratias ago Domino, et vobis, Fratres, quod me ad salutem meam tentastis jugiter; hac enim ex causa immunis a tentatione dæmonum hactenus mansi. » Macedonius vero cum similiter exerceri postulasset, et in novitiorum ordinem redigi, idque impetrasset, causam rogatus, hanc dedit : « Nunquam, inquit, ita

me bello omni levigatum sensi, divinique luminis dulcedinem in meipso vidi. » S. Franciscus F. Leoni dixit : « Hæc est vera lætitia, si calumniis, probris et verberibus afflicti, hæc omnia amore Christi libenter toleremus. » S. Ignatius, fundator Societatis Jesu, exsultabat in carcere in quem per calumniam conjectus erat, dicebatque hanc esse veram viam ad sanctitatem et perfectionem, idque diserte docet Regula 11 *Summarii Constit.*

Vers. 9. 9. MELIOR EST FINIS ORATIONIS, QUAM PRINCIPIUM. — Hebræa, Septuaginta, Syrus et Arabicus, *bonum est novissimum verbi præ principio ejus verbi,* id est sermonis, vel rei. Sæpe enim *verbum* metonymice pro re verbo significata sumitur. Unde Chaldæus, *melior est finis negotii, quam principium ejus : quoniam in principio judicari nequit quis tandem exitus consequetur ; at rei optimæ eventus facile homini perspicitur, quam sit auspicatus;* Tigurina, *potior extrema negotii pars principio;* Campensis, *melior est finis rei quam principium* (1). Per orationem ergo non solum precem, ut Lyranus, sed et concionem, lectionem, narrationem, exhortationem, et quemvis sermonem, imo quamvis actionem, quodvis negotium accipe; Thaumaturgus, *sermo non in principio, sed cum ad calcem pervenerit, laudandus est.* Nonnulli hac gnome idem putant dici quod illa dictum est vers. 2 : « Melior est dies mortis die nativitatis : » hæc enim est principium, illa finis vitæ hominis; sed hoc remotum et longe petitum videtur.

S. Hieronymus hujus sententiæ quatuor dat sensus litterales, et quintum mysticum. *Primus* est, inquit, *q. d.* « Meliores sunt in dicendo epilogi, quam exordium. » In his enim dicentis sollicitudo finitur, in illo incipit.

Secundus, q. d. « Qui incipit audire sermonem, et ad præceptorem vadit, in principio est; qui vero extrema audit, consummatus est atque perfectus. » Ita discipuli in scholis, qui finem Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Theologiæ audiunt, doctiores sunt quam qui earumdem principiis aures operamque navant.

Tertius, q. d. « Hebræus, ait, ita hunc locum cum sequenti versiculo disseruit : Melius est te finem considerare negotii, quam principium, et patientem esse, quam impatientiæ furore raptum. »

Quartus, q. d. Melius est finire sermonem et tacere quam proloqui : « Discamus, inquit, ex hac sententiola nullam in hominibus esse sapientiam, cum melius sit tacere quam proloqui; et quia cum finita fuerit oratio, intra semetipsum recogitat auditor quid sit dictum : cum autem cœperimus loqui, necdum quid utilitatis accepit. » Ubi tacite insinuatur vanitas sermonum et rerum, nimirum quod, cum finiuntur et desinunt, optimæ sint, non autem cum sunt aut incipiunt.

Quintum adde, *q. d.* Melior est finis principio, quia finis perficit et coronat opus; finis fructum et præmium operis affert, ideoque illi corona imponitur. Rursum, *q. d.* Melius est in opere bono perseverare, quam illud inchoare; imo præstat non inchoare, quam non perseverare. Unde ex Hebræo vertas, *melius est posterius verbo priori,* sive *principio,* sicque hanc gnomen poteris nectere præcedenti, *q. d.* Sapiens increpans delinquentem, etsi ab eo calumniam patiatur, non tamen ab increpando cesset, sed illam constanter urgeat et prosequatur, quia melior est finis increpationis principio, tum quia perseverantia in bono melior est inchoatione; tum quia falsitas calumniæ in fine patefit; tum quia per perseverantiam increpationis sæpe vincitur duritia delinquentis, fitque ut delicta relinquat et emendet, juxta illud *Prov.* XXVIII, 23 : « Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. » Lyranus vero qui per *orationem* accipit precem, sic vertit, *q. d.* Melior est finis orationis calumniam passi : quia ipse orare et precari cœpit tristis, at in fine succedit Dei consolatio, qua fit constans et patiens, de quo proximo versu. Insuper hæc gnome monet sapientem, ut finem laborum operumque semper intueatur; ideoque patienter et hilariter ferat, vel capessat, agatque media ad finem opportuna spe finis et fructus : sic æger sumit amarum pharmacum intuitu finis, scilicet sanitatis; sic miles laborat spe promotionis ad majora. Sæpe enim initia tenuia et dura sunt, sed finis amplissimus et lætissimus consequitur, juxta illud :

Debile principium melior fortuna sequetur.

Ita Aben-Ezra. Hinc quidam vertit, *melius est cogitare finem rei quam principium,* juxta illud :

Quidquid agas prudenter agas, et respice finem.

Maxime ergo hæc gnome docet perseverantiam in cœpto opere bono; hæc enim sola coronatur, juxta illud Christi : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, » *Matth.* x. Unde Hugo hanc gnomen intorquet in eos qui finem concionis, orationis vel missæ, aut scientiæ quam discunt, non exspectant : hi enim oleum et operam perdunt, præsertim quia solet Deus in fine orationis, ad præmiandam constantiam et perseverantiam magna lumina, magnos affectus, magnas spes rei, quæ petitur, conficiendæ infundere. Adhæc in oratione exaudiuntur, et obtinent quæ postulant, ut promittit Christus *Lucæ* VIII, 11 et seq. Denique S. Hieronymus, lib. I *Contra Jov.* : « Multi, ait, vocati, pauci electi. Incipere multorum est, perseverare paucorum : unde et grande præmium eorum qui perseveraverint; » nimirum magnum, imo summum est perseverantiæ donum, uti docet Concilium Tridentinum

(1) Recte. Initio cognosci non potest, quo res sit deventura, aut opus aliquod; sed ubi finis cernitur, jam consilium iniri potest, quomodo se gerere oporteat.

et S. Augustinus, lib. *De Bono perseverantiæ*. Audi S. Bernardum, epist. 129 *ad Januenses* : « Et nunc quid restat, charissimi, nisi ut admoneamini de perseverantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. »

Perseverantiæ elogia.

Mystice, idem S. Hieronymus : « Dum, ait, in isto sæculo sumus, quod scimus, omne principium est : cum autem venerit id quod perfectum est, in novissimis et consummatis erimus, » *q. d.* in terra bonum inchoatur, in cœlo perficitur. Vide I *Corinth.* XIII.

Tropologice Olympiodorus : « Melior, ait, est finis orationis in qua agitur de virtute, principio : neque enim solum cœpisse pulchrum est, verum multo magis rei cœptæ finem imposuisse. » Sic et Albinus : « Melior est, ait, consummata justitia quam inchoata. » Sic et S. Bonaventura, Hugo et Dionysius.

Symbolice Hugo : Tota, ait, lex scripta unica censetur oratio, cujus principio, qui est timor, melior est finis, puta charitas : timor enim est seta amoris; quia sicut seta, ait S. Augustinus, filum in foramen, sic timor amorem in animam inducit.

MELIOR EST PATIENS ARROGANTE. — Hebræa, *melior est longus spiritu, quam altus spiritu : longus spiritu* est longanimis. Unde Septuaginta, *bonum est longanimis super excelsum spiritu*; Syrus, *melior est longanimitas altitudine spiritus*; Arabicus, *exspectans melior elato in spiritu tribulationis*; Campensis, *melior est homo patiens, quam qui libere alios carpit.*

Gnomen hanc nectas præced. *q. d.* Ideo finis orationis et correptionis melior est principio, quia facit hominem longanimem et patientem, dum longanimiter fert infirmitates et calumnias delinquentis, et patienter ejus emendationem exspectat : patiens ergo melior est arrogante, qui delinquenti irascitur, eumque superbe objurgat, ideoque non emendat, sed in vitio magis obdurat. Nota « melior est patiens, » non quasi arrogans sit minus bonus, sed quod longe illi præstet esse patientem, quam impatientem et arrogantem; imo sicut patiens est optimus, sic arrogans est pessimus.

Vis exemplum illustre? Accipe S. Chrysostomum : homil. 7 *De Fide Annæ*, matris Samuelis, quæ probra Phenennæ æmulæ suæ orando leniter et fortiter tolerabat, sic scribit : « Gubernator clavo assidens servat navim, undarum incursus gubernandi prudentia depellens : sic mulier illa, cum ira et angor in animum ipsius facerent impetum, rationem illius perturbantes, multosque fluctus excitarent, fortiter pertulit tempestatem, nec passa est rationem demergi. Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculis assidens, persuasit eam tempestatem magno animo perferendam esse, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum onere plenam, hoc est uterum pretioso thesauro onustum; » Maximus, serm. *De Ira* : « Ut naves, ait, egregiæ sunt, non quæ sereno cœlo navigant, sed quæ tempestati resistunt, et in portum evadunt : sic homines iræ ac furori resistentes, magni sunt atque fortes. »

Secundo, q. d. Melior est corripiens delinquentem, ideoque recipiens ab eo calumniam, eamque patienter tolerans, quam delinquens arrogans, qui per fastum et impatientiam corripientem respuit et calumniatur.

Tertio, Chaldæus vertit, *melior est ante Dominum vir qui subigit concupiscentiam suam, quam vir qui ambulat in tumore spiritus.* Hinc S. Hieronymus hanc gnomen combinat cum vers. 4, quasi eum limitet : « Quia, ait superius, iram concesserat, dicens : Melior est ira quam risus, ne putaremus iram, quæ in passione est, laudari, nunc præcipit iram penitus esse tollendam : ibi enim pro correctione in peccantes, et eruditione in minores, iram posuit; hic vero impatientiam refrenavit. Patientia autem non solum in angustiis, sed et in lætioribus necessaria est, ne plus quam condecet exaltemur. Videtur mihi, et qui nunc excelsus appellatur, in Evangelio pauperi spiritu esse contrarius, qui in beatitudine ponitur. » Sic et Olympiodorus.

Quarto, Thaumaturgus hanc gnomen ad orationis modestiam sermonisque refert. Sic enim totum hunc versum reddit : « Sermo non in principio, sed cum ad calcem pervenerit, laudandus est. Morum probetur modestia, non fastus aut supercilium. » Sunt enim qui initio orationis modeste demittunt oculos, vultum, vocem, sed sensim ea attollunt ac in fine verba superba, minacia, indignabunda prorumpunt, præsertim dum non impetrant quod postulant.

Primus sensus maxime connexus et genuinus est.

Moraliter, quanta sit dignitas patientiæ docet Tertullianus et S. Cyprianus, tract. *De Patientia.* Vide dicta *Jacob.* I, 4, ad illa : « Patientia autem opus perfectum habet. » Et *Prov.* XVI, 32, ad illa : « Melior est patiens viro forti. » Et cap. XIX, 11 : « Doctrina viri per patientiam noscitur. »

Denique audi S. Gregorium, part. *Past.* admon. 10 : « Per hoc quoque impatientiæ vitium plerumque mentem arrogantiæ culpa transfigit, quia dum despici in mundo hoc quisque non patitur, bona si qua sibi occulta sunt, ostentare conatur; atque sic per impatientiam, usque ad arrogan-

tiam ducitur; dumque ferre despectionem non potest, detegendo semetipsum in ostentatione gloriatur. Unde scriptum est : Melior est patiens arrogante, quia videlicet eligit patiens quælibet mala perpeti, quam per ostentationis vitium bona sua occulta cognosci. At contra eligit arrogans bona de se vel falsa jactari, ne mala possit, vel minima perpeti. »

Vers. 10. 10. NE SIS VELOX AD IRASCENDUM : QUIA IRA IN SINU STULTI REQUIESCIT. — Hebræa, *ne præcipites in spiritu tuo ad excandescendum, quia excandescentia in sinu stulti requiescit;* hebræum enim כעס *caas* significat iram ardentem, excandescentiam. Unde Septuaginta et Syrus vertunt, *furorem.* « Ira enim brevis furor est, » ac parit furorem diuturnum, qui per cædes, rapinas, incendia grassatur, vastatque omnia tam privata, quam publica; Arabicus, *ne curras, ut irascaris in spiritu tuo, quia ira in gremio stultorum requiescit;* Thaumaturgus, *furor et primus indignationis impetus cohibendus est, ne præceps in iram (cui stulti serviunt) feratur;* Symmachus, *noli per verba tua ad iracundiam provocare.* Nam, ut ait S. Ephrem, tract. *De Virtute*, cap. *De ira* : « Iræ *et irati* proprium est vanis rumusculis permoveri, et levicula de causa rixas provocare. »

Cohæret hæc gnome præcedenti, ex eaque velut conclusio educitur, *q. d.* Melior est patiens injuriam arrogante, qui illico injuriam irroganti irascitur, seseque ulciscitur. Ne ergo ob illatam tibi injuriam sis velox ad irascendum : hoc enim est stultorum; sed patienter eam tolera, eamque patientia et prudentia tua non tam verbis, quam factis contrariis refelle et confuta.

Nota : Pro *ne sis velox* hebraice est אל תבהל *al tebahel*, id est, ne percellaris, ne trepides, ne festines, ne præcipites, uti fervent et præcipitant apes, dum illico irascuntur et aculeum infigunt, itaque stulte se exarmant et inutiles reddunt. Indicat hæc vox causam iræ esse mentis levitatem, timorem, trepidationem, præcipitantiam : hæc enim visa vel audita aliqua levi injuria, timet famam vel res suas perdere; ideoque pusillanimes, parvi judicii et animi, quales sunt feminæ, pueri, stulti, cito irasci; graves vero, cordatos magnoque animo et judicio præditos, puta sapientes ægre tardeque irasci, quia gravitate sua et constantia indignum censent cito irasci, atque ob rem levem, nec satis consideratam perturbari.

Vetat ergo hæc gnome non omnem iram, sed citam et subitam, eoque nomine tacite lentam tardamque permittit : hac enim irascimur peccatoribus et peccatis, eosque corripimus, castigamus, plectimus. Unde ira a natura data est homini quasi « cor fortitudinis, » ait Cicero, IV *Tuscul.* « Et quasi bonarum actionum ministra, » ait S. Basilius, orat. *Contra Iram;* ac « virtutis instrumentum et ancilla, » ait S. Gregorius, V *Moral.* cap. XXXI. Tam ergo vitiosum est esse ἀπαθεῖς, quam προπετεῖς, id est, carere omni ira, quam præcipites esse ad iram.

Porro Chaldæus accipit iram, qua peccator irascitur, dum a Deo punitur. Sic enim habet : « Et in tempore, quo veniet super te correctio de cœlis, ne festines in anima tua, ut irascaris, neque dicas verba blasphemiæ adversus cœlestem. Si tu patienter sustines, dimittetur tibi; si tu eris contumax, et irasceris, scito quoniam furor in sinu stultorum requiescet, donec perdat. »

Verum melius alii passim hæc intelligunt de ira, qua irascimur homini, aut creaturæ noxam aliquam inferenti. Nam, ut ait S. Ambrosius, I *Offic.* cap. VI : « Qui cito movetur injuria, facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri. »

Porro sub ira vetatur vindicta, quam parat ira, *q. d.* Ne sis velox ad irascendum, ut in verba aspera, aut facta, verberaque quibus te vindices illico prorumpas. Ita S. Ambrosius, *Exhort. ad Virg.* : « Quam pulchrum, inquit, est illud : Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu stultorum requiescit; hoc est, etsi causa sit, quæ moveat indignationem, non sit festina vindicta, ne immoderatius calor indignationis exæstuet. Non potest igitur auferre quod naturalis est motus, sed moram inserit, ut medicina consilii temperet iracundiam. » Probat ex illo : « Irascimini et nolite peccare, » *Psalm.* IV, 5. Hinc et S. Hieronymus : « Ira, inquit, juncta superbiæ semper desiderat ultionem. » Duo ergo vetat hæc gnome : *primum*, ne cito irascamur; *secundum*, ne irati cito prosiliamus in aspera verba vel verbera, sed os et manus cohibeamus ab iræ et vindictæ executione.

Porro causæ cur cita ira vetatur sunt hæ : *Prima*, quia mora iram vel solvit, vel mitigat. Ira enim est instar flammæ, quæ simul tota exardescit simulque deflagrat et desinit. Unde Seneca, lib. III *De Ira*, cap. I : « Mora, ait, lentum præcipitis mali remedium. » Et S. Hieronymus hic, dum sic explicat : « Non quod concedat tardius irascendum, idcirco nunc dicit : Ne festines in spiritu tuo irasci; sed cum furens et recens fuerit ira, dilata facilius sedetur et possit auferre. » Ira cita vitandi, cur? Ratio prima.

Secunda, quia mora impedit ne ira prosiliat in lites, rixas, cædes cæteramque vindictam; *tertia*, quia mora dat tempus menti, ut rationes excogitet, quibus ira sedetur. Secunda. Tertia.

Salomonem secuti sunt Plato et philosophi. Plato iratos monebat ut seipsos in speculo contemplarentur. Nam cum faciem suam furibundam per omnia phrenetico similem viderent, eo dedecore territi, in posterum ab ira sibi facile temperabant, aut certe eam tardabant. Idem : « Sapiens, ait, cum vituperatur, non irascitur; cum laudatur, non extollitur. » Ita Laertius in ejus Vita. Aristoteles : « Iram, ait, cohibe, quia sicut fumus oculos, sic ira rationem offuscat, ut ve- Gnoma.

rum cernere nequeat.» Ita Stobæus, *serm.* 18. Seneca, lib. I *De Ira,* cap. XV : « Nihil minus, inquit, quam irasci punientem decet, cum eo magis ad emendationem pœna proficiat, si judicio lata est; inde est quod Socrates servo ait : Cæderem te, nisi irascerer. » Cato iratum ob insano nil differre aiebat, nisi mora, sentiens iram esse brevem insaniam. Ita Plutarchus lib. *De Cohibenda Ira.*

Athenodorus hoc monitum dedit Augusto Cæsari cum ei valediceret : « Ira correptus nil dicas aut facias, donec 24 litteras alphabeti Græci percurreris. Ita Plutarchus in *Apophth. Roman.,* qui et addit Augustum approbando respondisse : « Silentii sunt tuta fidi præmia. » S. Ambrosius, Theodosio Imperatori qui ex subita ira jusserat Thessalonicenses ob dejectam uxoris suæ statuam occidi, suggessit ut sanciret sententiam necis ab Imperatore in aliquem latam, non nisi post triginta dies exsecutioni mandari. Sententia enim in innocentem lata revocari potest, at vita innocentis occisi revocari nequit.

Denique S. Jacobus, cap. I, vers. 19 : « Sit autem, ait, omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. » Vide ibi dicta.

QUIA IRA IN SINU STULTI REQUIESCIT. — Hugo Cardinalis τὸ *requiescit* exponit *sedatur,* vacat, cessat, sicut quiescunt fluctus, dum sedatur et tranquillatur mare, atque quiescunt passiones et tumultus dum pacantur, ut sit antithesis ejus, quod præcessit, *q. d.* Ne sis citus ad iram, sed nec nimis tardus, quia illud est præcipitis, hoc vecordis, stulti et stupidi. Qui enim caret ira, caret mente, ait Sapiens. Et Aristoteles, *Ethic.* cap. V : « Iræ vacuitas, ait, minime laudabilis. Nam qui non irascuntur pro quibus oportet, et ut oportet, et cum oportet, et quibus oportet, fatui sunt; nam neque sentire, neque dolere videntur. »

Secundo, Chaldæus : Requiescit, inquit, quia iræ pœna et vindicta in caput stulti irascentis retorquetur, illique incumbit et in eo requiescit, ut eum pessumdet et perdat, dum cogitur subire supplicia ob ea quæ temere in ira dixit et perpetravit.

Verum τὸ *quia* non antithesim, nec pœnam, sed causam notat, *q. d.* Noli cito irasci, quia hoc est stultitiæ et stultorum, Hebraice *kesilim,* id est inconstantium, qui facile mutantur. Ira enim in sinu stulti quiescit, ut ipse statim velut ex sinu eam promat et prodat. Porro sinum non aliud quam ipsam animam appellat, ait Olympiodorus. Causam dat S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. XXX : « Per iram, ait, sapientia perditur, ut quid, quoque ordine agendum sit omnino nesciat, sicut scriptum est : Ira in sinu stulti requiescit, quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit.

Exemplum est in Nabal, qui vere Nabal, id est stultus, stulta indignatione contra Davidem exardescens, eadem enectus et mortuus est, I *Reg.* cap. XXV, vers. 25 et 38. « Ira enim est signum insipientiæ, ait S. Hieronymus, quia quamvis aliquis potens existimetur et sapiens, si iracundus sit, insipiens arguitur. » Unde Campensis vertit, *ne inducas in animum tuum, ut cito irascaris : solent enim fere esse stulti, qui proni sunt ad iram.*

Nota : Τὸ *in sinu* multa notat. *Primo,* quod stultus iram habeat familiarem, et ad manum ut illico eam exerat, *q. d.* Tam facile irascitur, quam quis e sinu chartam extrahit, cum e contrario sapiens iram habeat in corde et cerebro, ut non nisi prævia ratione lente eam educat. Ira in sinu quid? Resp. primo.

Secundo, iram esse in stulti sinu, velut in proprio suo lare et sede, in qua fixe moretur et habitet; unde significat pronitatem et habitum irascendi, *q. d.* Stultus cum minima re tangitur, ex innata, vel per irascendi consuetudinem insita sibi ira continuo irascitur, vociferatur, litigat, pulsat, verberat. Ita Olympiodorus : « Caveto, inquit, ne malum iracundiæ concipias habitum, ita ut transeat in affectum cordis, » ut ait Psaltes. Secundo.

Tertio, iram esse amicam stulto, ab eoque foveri, ut eam ad pectus, quasi in sinu gestet, brachiis complectatur et stringat, ei serviat et obsequatur prætexendo calvas rationes, ob quas videatur juste irasci. Ita Thaumaturgus. « O quam solers est iracundia ad fingendas causas furoris! » ait Seneca, lib I *De Ira,* cap. XVI. Tertio.

Quarto, iram ejus in animæ sinu esse reconditam, ideoque profundam, occultam, intimam, gravem, diuturnam et implacabilem. Huic affines sunt gnomæ sapientum, ut S. Job, cap. V : « Stultum interficit iracundia. » Salomonis *Proverb.* XXVII, 3 : « Grave est saxum, et onerosa arena : sed ira stulti utroque gravior. » *Eccli.* cap. XXII, 17 : « Super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen quam fatuus. » Quarto.

11. NE DICAS : QUID PUTAS CAUSÆ EST QUOD PRIORA TEMPORA MELIORA FUERE, QUAM NUNC SUNT? STULTA ENIM EST HUJUSCEMODI INTERROGATIO. — Hebraice, *quia non a sapientia* (incitatus) *hoc interrogares;* Vatablus, *quia non prudenter interrogares;* Campensis, *non enim est prudentis viri talia interrogare.* « Meliora, » intellige tum physice, id est ditiora, fertiliora, feliciora; tum ethice, id est justiora, pientiora, sanctiora. Sic Daniel, cap. II, vers. 32 et seq. primum Monarchiæ Assyriorum sæculum vocat *aureum;* secundum Chaldæorum, *argenteum;* tertium Græcorum, *æreum;* quartum Romanorum, *ferreum.* Porro ultimum Antichristi sæculum erit *plumbeum,* id est molestissimum, miserrimum et periculosissimum. Jam Vers. 11

Primo, Thaumaturgus hanc gnomen ad sequentem comparationem operum et sapientiæ refert. Unde sic vertit et explicat, *errant autem qui asserunt priscis meliorem* (ditiorem) *vitam concessam, non intelligentes quantum a possessionibus opum sapientia differt* : de hoc enim proxime fiet sermo.

Secundo, Chaldæus hanc gnomen præcedentibus de calumnia, injuria et ira nectit; unde sic vertit, *cum injuriam pateris, ne dicas : Qui fit quod antiquitus res erant in tuto, et prima illa sæcula essent præstantissima, illiusque ætatis homines recte factis nobis præluxerint? quo nomine omnia ad eos prospera et jucunda dimanarent?* Sic et Clarius et Campensis. Porro hoc stultum est interrogare, tum quia omni sæculo fuere multi scelerati, injurii, tyranni; tum quia quisque sui sæculi injurias aspicere, modumque eas prudenter et patienter ferendi, vel superandi excogitare debet, non vero retrospicere ad tempora præterita, quæ ad eum non pertinent, nec injurias sui ævi ab eo auferre queunt.

Huc accedunt illi qui censent hoc esse murmur insipientium et stultorum, divinam Providentiam incusantium, quod priscis dederit sapientiam, probitatem, frugalitatem, ideoque rerum copiam, pacem, vires et robur, quæ posteris subtraxerit : cum constet Deum ex parte sua affatim cuique ætati providisse de bonis, tam animi, quam corporis. Hinc S. Bonaventura censet hæc dici de frugalitate priscorum, qui sine auro et argento vivebant pacifice ex frugibus terræ, cum postea effossa ab avaris metalla omnium fuerint irritamenta malorum.

Tertio, Olympiodorus sic explicat : « Quotidie sic stulti homines loqui solent; dicunt enim : Patrum nostrorum temporibus illis priscis loqui Deus hominibus modo per angelos, modo per prophetas solebat; licebat antiquis patribus uxores multas accipere, multas divitias possidere, quæ tamen nobis Evangelica lex coercuit. Sunt præterea qui dicant : Olim me Deus auxilio suæ gratiæ protegebat, nunc vero me penitus solum dereliquit; ideoque bona operari non possum. Hæc autem omnia sunt insipientium verba. Est et alios ita blaterantes audire : Tempestate nostra mundus hic malis hominibus est refertus, alii sunt boni dies, alii vero mali. » Hosce deinde castigans subdit : « Cæterum qui duce virtute suam moderatur vitam, de vita in vitam transit, ac de fide in fidem proficit operibus bonis, neque apud illum est aliqua dierum differentia, sed congruis rationibus novit evertere, quas paulo ante adduximus, stultorum hominum quæstiones. »

Quarto, S. Hieronymus, quem sequuntur more suo Salonius et Alcuinus, tres affert expositiones, quarum prima est litteralis, secunda tropologica, tertia allegorica; ait ergo : « Nec vetus sæculum præsenti præferas, quia unus utriusque est conditor Deus; virtutes bonos dies viventi faciunt, vitia malos. Ne dicas ergo meliores fuisse dies sub Moyse et sub Christo, quam modo sunt. Nam et illo tempore plures fuerunt increduli, et dies eorum mali facti sunt, et nunc credentes multi reperiuntur, de quibus ait Salvator : Beatiores sunt, qui me non viderunt et crediderunt. » Aliter : « Sic debes vivere, ut semper præsentes dies meliores tibi sint, quam præteriti, ne cum paulatim decrescere cœperis, dicatur tibi : Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? » Et iterum : « Incipientes spiritu, nunc carne consummamini. » Aliter : « Ne dicas meliora tempora olim Moysis quam nunc Christi; legis fuisse, quam gratiæ. Si enim hoc volueris quærere, imprudenter facis, non videns quantum distet Evangelium a veteri Testamento. »

Omnia hæc apposita sunt et eodem tendunt. Summa hæc gnome dirigitur et stringitur in homines otiosos, inertes et querulos, qui inopiam, malitiam et infelicitatem sui ævi desidiose lamentantur, ac præteritos, et præterita sæcula præ suo laudant et celebrant : hoc enim homini innatum est vitium, ut nauseet ad præsentia, amet absentia et præterita, juxta illud Cornelii Galli *de Arte poetica* : « Laudat præteritos, præsentes despicit annos; » et illud Taciti, lib. *De Orat.*: « Vitium est malignitatis humanæ, ut vetera semper in laude, præsentia sint in fastidio; et vetera antiquaque miremur, nostrorum temporum studia rideamus et contemnamus. » Et illud Horatii, lib. II, *epist.* 1 :

> Et nisi quæ terris semota suisque
> Temporibus defuncta videt, fastidit et odit,

Rursum senes solent præterita narrare et extollere, ac præsentia juvenum facinora ex φιλαυτίᾳ parvi pendere, teste Aristotele lib. II *Rhetor.* cap. XIII, et Plutarcho, tract. *De Seipso laudando.* Unde Poeta : « Senectus, ait, difficilis, querula et laudatrix temporis acti. » Nonnulli etiam rudes et plebeii ipsa tempora incusant, quasi ipsa hanc infelicitatem afferant, qua in re stolide errant, cum non temporum, sed hominum otiositas et malitia incusanda sit. Idem enim omnibus fuit et est sol, idem cœlum, eadem sidera et elementa, idem solis et cœlorum motus, eadem temporum series et vicissitudo; nec quisquam ex cœli solisve impulsu, sed ex propria virtute, aut vitio probus est aut improbus. Alii de Deo queruntur, quod priscis meliora dederit tempora, quam sibi suisque, uti paulo ante indicavi. Itaque suos mores improbos, ideoque infaustos et miseros blaspheme in Deum, cœlum vel astra rejiciunt, cum sibi ea imputare deberent : qui insignis est error et stultitia. Adde quod stulti se cruciant de rebus præteritis, quæ revocari nequeunt, ac interim negligunt præsens virtutis studium. Insuper noster Emmanuel Sa stultam ait hanc esse interrogationem, eo quod interrogent rem, quæ in se clara est et manifesta; nam constat res omnes in deterius ruere, ut videmus priscas arbores, homines, animalia olim vegeta et florentia nunc consenescere, languescere, emori. Idem videre est in Ordinibus, Religionibus et statibus Ecclesiæ. Primi enim fideles et religiosi tempore Apostolorum longe sanctiores fuere præsentibus, ut patet de essæis sub S. Marco.

Denique nihil novum sub sole; unde sicut prisci suas habuere virtutes et vitia, sua commoda et incommoda, sic eadem vel similia habent posteri. Nam, ut sapienter ait Plinius Junior, lib. VI, *epist.* 21 : « Sum ex iis, qui mirer antiquos; non tamen, ut quidam nostrorum temporum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa et effœta est natura, ut nihil laudabile jam pariat;» sed sicut nos miramur priscos et prisca, sic posteri nostros et nostra mirabuntur, juxta illud S. Hieronymi, *epist.* 114 : « Ingenium quasi vinum probatur antiquitate. » Unde illud : « Vino veteri utere; » et : « Sapientia est in antiquis. »

Porro constat legem novam meliorem esse veteri et prisca, puta tempus Christi et gratiæ præstare tempori Mosis et judaismi. Adhæc nonnulla sæcula posteriora, sapientiora et meliora fuisse prioribus, quale fuit sæculum tertium, et quartum, quo floruere S. Athanasius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Naziazenus cæterique Ecclesiæ doctores Græci et Latini. Certe nostrum hoc sæculum multa præcedentia superat, tum in doctrina, eaque omnigena, tum in artibus eximie excultis, tum in rebus bellicis, tum in virtute, religione et sanctitate. Sane nunquam ita excultæ fuere artes, disciplinæ et scientiæ universæ, uti hoc ævo; nunquam tot religiosæ familiæ doctrina, religione et zelo floruere, uti hac ætate; nunquam tot navigationes merces et opes etiam Indicæ Orientis et Occidentis exstitere, uti nostro sæculo.

Demum Salomonis ætate stulta erat hæc interrogatio. Salomon enim opibus, sapientia, regno, felicitate et gloria superavit omnes priscos : quare optimum sub eo sæculum egerunt Israelitæ, ideoque falso tunc morosi nonnulli senes et aristarchi dixerunt : « Quid causæ est quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? » Occurrunt et respondent nonnulli Salomonem hæc scripsisse post lapsum et de lapsu pœnitentem, cum jam idololatriam in Israelem invexisset, de qua proinde pii querebantur, dicentes : Quo abiit prisca Abrahæ, Mosis, Davidis fides et religio? Abiit, evanuit. « O domus antiqua, quam dispare domino dominaris! »

Verum valde dubium et incertum est Salomonem hæc scripsisse post lapsum. Nullum enim lapsus, nec pœnitentiæ, toto opere dat indicium. Adde : si pœnituit, et pœnitens hæc scripsit, ergo et priscam religionem abolita jam idololatria restituit : hoc enim exigebat vera ejus pœnitentia. Certe ipse toto hoc libro non aliud facit, quam prædicare idolorum rerumque creatarum vanitatem, ac Dei unius veritatem veramque fidem, timorem et cultum, ut proinde nemo hac de re queri, ac priscam religionem ab eo labefactatam lamentari posset.

Vers. 12. 12. UTILIOR EST SAPIENTIA CUM DIVITIIS, ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM. — Hebræa, *bona est sapientia cum hæreditate* (sic et Septuaginta μετὰ κληρονομίας, id est *cum hæreditatis distributione*, sive hæreditatis parte et sorte), *et amplius*, vel *abundantia*, vel *excellentia est videntibus solem*; Arabicus, *sapientia bona est in immutatione suæ sortis, et bonitas ejus prodest iis qui aspiciunt solem*, scilicet justitiæ, puta Christum per fidem. Ita S. Hieronymus.

Chaldæus addit mansuetudinis præ sapientia et opibus elogium, quasi hæc spectent ad mansuetam calumniæ et injuriæ tolerantiam, de qua vers. 8 et 9. Sic ergo vertit, *bona est sapientia legis cum hæreditate; sed longe melius est ut sit vir in mansuetudine cum viris habitatoribus terræ, qui viderunt bonum et malum sub sole in sæculo hoc.*

Hæc gnome nectitur præcedenti : quia enim ibi in Hebræo sapientiæ facta est mentio, cum ait : « Quia ex sapientia hoc non interrogares, » hinc de more in sapientiæ laudem mox excurrit, eamque cum opibus utilem ac potentem ostendit. Quia enim visus est cap. II, vers. 8, opes vituperare, easque vanas pronuntiavit, hinc earum usum et commoda hic recenset, si nimirum sapientiæ conjunctæ ab ea honeste expendantur. Addit Thaumaturgus responderi hic querelæ conquerentium tempora priora fuisse meliora, id est ditiora (licet Bonaventura contrarie exponat, scilicet « meliora, » id est pauperiora et frugaliora, ideoque probiora et justiora), dicendo : Esto priora tempora fuerint ditiora, posteriora tamen sunt sapientiora. Sapientia autem melior est divitiis. Jam quoad sensum,

Primo, Thaumaturgus censet hic sapientiam opponi et præponi divitiis, *q. d.* Utilior est sapientia cum divitiis, id est præ divitiis, aut potius « cum divitiis, » scilicet collata et comparata, *q. d.* Si sapientiam compares cum divitiis, iis utique utilior deprehendetur. Favet Syrus dum vertit, *melior est sapientia vestibus armorum, magis videntibus solem.* Verum alii passim censent divitias hic non opponi, sed componi et conjungi cum sapientia. Hoc enim significat Hebræum עִם *im*, Græcum μετά, et Latinum *cum*.

Secundo ergo, R. Haccados per sapientiam cum hæreditate accipit sapientiam hæreditariam, *q. d.* Utilior est sapientia a parentibus quasi hæreditarie accepta, quam hæreditas opum; hæc enim sine sapientia parum prodest : at sapientia etiamsi sola sit et inops, opes sibi acquirere et comparare novit.

Tertio Cajetanus, *q. d.* Sapientia cum hæreditate, id est cum divitiis hæreditariis, utilior est divitiis proprio labore et mercatura partis, quia hæ per mille curas impediunt studium sapientiæ; illæ non, quia sine labore per hæreditatem obveniunt.

Quarto et genuine, *q. d.* Sapientia cum divitiis utilior est, quam sint solæ divitiæ, aut subinde etiam sola sapientia divitiis destituta, quia utiles quidem sunt opes, sed utilior est sapientia; utilissima vero est, si opes adjunctas habeat, quia iis sæpe tuenda est dignitas sapientiæ. Si enim

doctor, princeps, Episcopus, Pontifex sit pauper, licet sit sapientissimus et sanctissimus, tamen a vulgo, infidelibus et hæreticis despicitur; sin vero sit dives, timetur et colitur juxta illud : « Dives locutus est, et omnes tacuerunt, etc. Pauper locutus est, et dicunt : Quis est hic? » Rursum opes serviunt beneficentiæ ad juvandum egenos, ad propagandum Dei cultum, fidem et pietatem, uti eum propagavit Constantinus et Carolus cognomento Magni, Theodosius, cæterique sapientes et opulenti Imperatores ac Pontifices, inter quos nuper excelluit Gregorius XIII, qui pontificali munificentia ædificatis plurimis collegiis et seminariis, Dei cognitionem et cultum mire ubique dilatavit; cujus proinde virtus, fama et gloria toto orbe perennat, et perennabit in omnia sæcula. Ita S. Hieronymus, Alcuinus, Lyranus, Hugo Cardinalis et alii. Hinc et Aristoteles, I *Ethic.* cap. x, docet divitias instrumentum esse ad felicitatem acquirendam aptissimum, easdemque materiam virtuti præbere (1).

ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM, — id est viventibus; hi enim vident solem. Innuit divitias tantum prodesse in hac vita, qua solis usura fruimur : in cœlo enim nullus erit earum usus. Unde quidam hac phrasi putat notari longævitatem, *q. d.* Utilior est sapientia cum divitiis, magisque prodest, si diu videat solem, id est si sit longævæ et diuturnæ vitæ. Verum hoc alienum est et coactum, æque ac illud Titelmanni, qui sic vertit, *præcedit* vel *vincit videntes solem*, *q. d.* Sapientia antecessit omnibus creaturis, quæ sub sole sunt, eumque intuentur. Τὸ *solem* notat opes sapientem facere clarum et splendidum, præsertim dum publice in conspectu solis opes in pauperes, vel pios usus expendit.

Mystice Olympiodorus : Sapiens, inquit, contemplando solem in Creatoris ejus contemplationem assurgens, divina luce perfunditur. Sapientia cum hæreditate ergo est fides cum operibus, quæ perducit ad contemplandum solem justitiæ. Sic et S. Ambrosius, epist. *ad Sabinum*, per hæreditatem hoc loco accipit fidem. S. Hieronymus vero hæreditatem accipit pro conversatione bona, per quam fimus hæredes cœli. « Vult igitur Ecclesiastes, inquit, docere quanto differant hi qui solem merentur videre justitiæ, et habent sapientiam cum conversatione bona, ab his qui absque sapientia vitæ tantum et conversationis studium commodarunt. Quod quidem et Daniel ostendit dicens : Intelligentes sermones meos fulgebunt ut luminaria cœli, *Dan.* XII; sive, ut Theodotion interpretatus est, quasi splendor firmamenti; qui vero fecerint sermones meos, quasi stellæ cœli. » Idem S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, docet his verbis innui meliores esse dies posteriores, quam priores, quia in lege sapientiam carnis mors sequebatur, occidens in Evangelio : sapientiam spiritus hæreditas exspectat æterna.

Vigilantius hæresiarcha (quem nostri Lutherani et Calvinistæ sequuntur) hanc gnomen torsit contra religiosos, qui paupertatem vovent : Utilior, inquit, est sapientia cum divitiis; ergo sapientia cum paupertate minus utilis est, egena et sterilis. Respondeo : Id verum est de paupertate involuntaria et coacta, non autem de voluntaria et religiosa, quæ ut totam se Deo dedat, opes sponte abdicat, ac studio perfectionis sequitur consilium Christi : « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me, » *Matth.* XIX, 21. Hæc enim paupertas animum erigit super opes omnesque res terrenas, ut iis expedita et mundo celsior, in cœlo spes et opes suas defigat, totamque se uniat Deo. Opes ergo utiliores sunt ad vitam activam et beneficentiam : paupertas vero utilior est ad studium sapientiæ vitamque contemplativam, uti docent non solum omnes Patres, sed et ipse Aristoteles diserte lib. X *Ethic.* cap. VIII.

Audi S. Hieronymum, lib. *Contra Vigilant.* : « Quod asserit eos melius facere, qui utuntur rebus suis, et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam eos qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur, non a me, sed a Domino respondebitur : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem et naviculam et rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus et tertius gradus est, quem et nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis et tertiis præferenda. »

Vide eumdem, epist. 26 *ad Pammachium*, et 28 *ad Lucinium*, et 34 *ad Julianum*, ubi inter cætera ait : « Unus (Crates philosophus) multarum possessionum pretium projecit in pelagus, dicens : Abite in profundum, malæ cogitationes; ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. Philosophus gloriæ avidus et popularis auræ vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit, et tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex toto offeras? Teipsum vult Dominus hostiam vivam placentem Deo : te, inquam, non tua; quod si teipsum Domino dederis, et Apostolica virtute perfectus sequi cœperis salvatorem, tunc intelliges ubi fueris, et in exercitu Christi, quam extremum tenueris locum. »

S. Hieronymo concinit S. Augustinus, lib. *De Bono conjug.* : « Bene faciebant, ait, qui de sua substantia Christo et discipulis ejus necessaria subministrabant; sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, ut expeditiores eumdem Dominum sequerentur. »

Idem docet Cassianus, *Collat.* XXI, cap. XXXIII, et S. Gregorius, lib. XXXI *Mor.* cap. XVII, et S. Am-

(1) Rosenmullerus : *Bona est sapientia æque ac hæreditas*, id est, bona hæreditario jure accepta. Particula כַּ hic *æqualitatis* vim habet. *Et emolumentum* est sapientia *videntibus solem*, viventibus.

brosius, lib. I *Offic.* XXX. Unica gnome rem tetigit nodumque solvit S. Hilarion, teste S. Hieronymo in ejus Vita, qui opes sibi ab Oriono oblatas respuens : « Nemo, ait, melius erogat, quam qui sibi nihil reservat. » Vide Bellarminum, lib. II *De Monachis*, cap. XLVI, in responsione ad 3. Hæc paupertas ævo Salomonis rudibus Judæis totique mundo erat incognita, quia a Christo verbo et exemplo in orbem est inducta. Christus ergo uti cætera legis dogmata suis præceptis et consiliis complevit et auxit, sic et hanc Salomonis gnomen : « Utilior est sapientia » cum divitiis, sublimi sua sanctione perfecit et transcendit dicens : « Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V, 3. Utilis ergo est sapientia sola, utilior est sapientia cum divitiis et beneficentia; at utilissima et perfectissima est sapientia cum opum mundique totius contemptu, ut tota Deo adhæreat, imo medullitus inhæreat.

Vers. 13. 13. SICUT ENIM PROTEGIT SAPIENTIA, SIC PROTEGIT PECUNIA. — Hebræa, *sicut in umbra sapientiæ, sic in umbra pecuniæ* (1), scilicet confidit vel conquiescit et secure obdormit homo. Unde Chaldæus, *quia sicut custoditur homo in umbra scientiæ, sic custoditur in umbra argenti in tempore, quo facit ex eo eleemosynam*; S. Hieronymus, in *Comment.*, *quia quomodo umbra sapientiæ, sic umbra argenti*; Syrus, *umbraculum sapientiæ, sicut umbraculum argenti*; Arabicus, *sapientia in umbra sua, sicut umbra argenti*. Videntur hi omnes, pro בצל *betsel*, id est *in umbra*, legisse כצל *ketsel*, id est *sicut umbra*.

Sensus est clarus, *q. d.* Utilior est sapientia cum divitiis et pecunia, quia utraque instar umbræ eum protegunt, suntque ei velut umbraculum. *Primo*, ut eum refrigerent in æstu solis, id est tentationis et tribulationis, æque ac prosperitatis et abundantiæ, ne ullum ex rerum inopia vel copia ardoris, puta concupiscentiæ, vel impatientiæ damnum sentiat, sed ab utraque animum intactum servet, eumque ad Deum in cœlum sustollat, idque in hac vita, quæ non nisi umbra est veræ vitæ. Unde sponsa, *Cantic.* II, suspirat dicens : « Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, » ait S. Hieronymus. *Secundo*, ut eum, imo omnes qui ad se confugiunt, abscondant et protegant ab incursu hostium, a quibus eum eruit sapientia, tutatur vel redimit pecunia. *Tertio*, ut eum roborent ad ardua capessenda; sic enim B. Virgini Deum concepturæ ait Gabriel : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » ut in te arduum hoc incarnationis Verbi opus peragat, *Luc.* I. *Quarto*, umbra plantis, animantibus et hominibus ardore solis tabescentibus dat respirationem et vitam : sic eamdem dat quoque sapientia, ut sequitur. Unde mystice, sapientia est Christus de quo ait Jeremias, *Thren.* IV, 20 : « Spiritus oris nostri Christus captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus. » Ubi multa in hanc rem annotavi. Ita S. Hieronymus.

Porro Septuaginta implexe vertunt, *quia in umbra ejus* (græce αὐτῆς, scilicet περισσείας, id est *abundantiæ*, quæ præcessit) *sapientia sicut umbra argenti, q. d.* In umbra abundantiæ protegitur homo a sapientia, sicut protegitur ab argento et divitiis, uti vertit Vulgata et cæteri. Thaumaturgus tamen sic interpretatur, *q. d.* « Sapientia opibus tanto est clarior, quanto umbra sua splendidius appareret argentum, » *q. d.* Tanto præstat sapientia argento, quantum argentum præstat argenti umbra; scilicet sicut umbra argenti tantum est umbra : sic argentum tantum est umbra sapientiæ. Olympiodorus vero sic legit, *in umbra ipsius sapientia, sicut umbra argenti*; sicque mystice explicat : *Argentum*, inquit, significat *disciplinam* et *scientiam;* hujus umbra est sermo doctoris, qui discipulum docendo ad scientiam perducit, sicut umbra perducit ad corpus, quod jacit umbram; umbra sapientiæ vero est practica vita : hæc enim est velut prævia introductio et umbra, quæ nos ducit ad sapientiam, id est ad rerum divinarum contemplationem, *q. d.* Sicut sermo doctoris deducit discipulum ad scientiam, sic vita activa et virtutibus exercita manu ducit hominem ad vitam contemplativam, puta Martha ad sororem Mariam.

HOC AUTEM PLUS HABET ERUDITIO ET SAPIENTIA, QUOD VITAM TRIBUUNT POSSESSORI SUO. — Eruditio et sapientia sunt idem, vel fere idem, ut dixi initio *Proverbiorum*, puta ipsa prudentia et virtus. Unde S. Hieronymus in *Comment.* vertit, *quod amplius est scientiæ sapientiæ vivificabit habentem se*; Chaldæus, *et augmentum cognitionis sapientiæ vivificabit dominum suum*; Hebræa, *et excellentia scientiæ* (quæ est) *sapientia, vivificabit possessores suos*; Septuaginta, *et abundantia scientiæ sapientiæ vivificabit eum qui ab ea*, scilicet sapientiam didicit, et sapiens evasit; Syrus, *et præstantia sapientiæ cognitionis vivificabit dominum suum*; Arabicus, *præstantia cognitionis sapientiæ vivificat illum qui accenditur ab ea*; Campensis, *hoc habet supra divitias sapientia, quod sapientem perducat ad vitam æternam*; Thaumaturgus, *vita hominis non ex caducarum et fragilium opum collectione et possessione, sed ex sapientia provenit.*

Potest tamen eruditio, sive cognitio, vel scientia a sapientia distingui, ut illa sit intelligentia rerum humanarum, hæc divinarum; illa sit in agendo, hæc in contemplando, ita Lyranus et Hugo; illa sit actus sapientiæ, hæc habitus, ita Dionysius.

Porro prudentia et sapientia homini tribuit vitam triplicem : *primo*, corporalem : facit enim ut corpus noxia vitando et sobrie vivendo sit sanum, vegetum, robustum; *secundo*, spiritalem, ut scilicet anima vivat juxta dictamen rationis, pruden- Sapientia dat triplicem vitam.

(1) Rectius, *nam in umbra sapientiæ* est sicut *in umbra argenti; verumtamen præcellentia*, i. e. præcellens est *scientia*, i. e. sapientia. Ratio additur : *Sapientia vivificat* (multa vitæ pericula salutaribus monitis amoliri docens) *possessores suos*. E contra divitiæ.

tiæ, legis divinæ, gratiæ et charitatis; *tertio*, gloriosam, qua perducit hominem ad vitam et gloriam sempiternam. Hoc est quod dicitur *Prov.* IV, 10 : « Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. » Et cap. III, 18 : « Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, » cum ex adverso hoc cap. *Eccle.* vers. 18, dicatur : « Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. » Et *Eccli.* IV, 12 : « Sapientia filiis suis vitam inspirat. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt. » Et *Baruch*, cap. III, 28 : « Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. » Vide quæ hisce locis annotavi.

Quin et Cicero *Tuscul.* III : « Quid, ait, est sapientia? Est sanitas animæ. » Et Comicus in *Trinum* : « Sapientia ætatis condimentum est : sapiens ætati cibus est. » Et alius : « Lux vitæ sapientia. » Et alius : « Ter geminæ sorores sunt : sapientia, sanitas, sanctitas. »

Pro *possessori suo*, hebraice est בעליו *bealau*, quod verti potest *marito* vel *sponso suo*, vel potius *sponsis suis*; est enim plurale, *q. d.* Sapientia viro, qui illam sibi despondet, et velut sponsam conjugio copulat, affert dotem amplam, si non auri et argenti, certe vitæ multiplicis non qualis qualis, sed jucundæ, sanctæ, beatæ et æternæ, quam illi conciliat, juxta illud : « Longitudo dierum in dextera illius, et in sinistra illius divitiæ et gloria, » *Prov.* III, 16. Sic D. Henricus Suso per visum sapientiam sibi velut sponsam desponsit, et cum ea veram vitam in dotem accepit, uti dixi *Eccli.* XV, 2.

Denique sapientia non tantum viventibus vitam conservat, auget, prolongat, sed et mortuos ad vitam resuscitat, cum peccatores per pœnitentiam ad vitam gratiæ revocat, uti Christus, Apostoli, virique Apostolici multos ad vitam tum corporalem, tum spiritalem revocarunt, et in dies revocant.

Vers. 14. 14. CONSIDERA OPERA DEI, QUOD NEMO POSSIT CORRIGERE QUEM ILLE DESPEXERIT. — Symmachus, *imminuerit*; Hebræa, *vide opus Dei, quia quis poterit dirigere*, vel *rectum efficere, quod*, vel *quem ipse curvarit et obligarit?* Nam אשר *ascer* tam in neutro *quod*, quam in masculino *quem*, significat; Septuaginta, *vide opera Dei; quoniam quis poterit adornare quem Deus perverterit?* Syrus, *vide opus Dei; quia quis potest confirmare illum qui est perturbatus?* Arabicus, *considera artes Dei; quis enim potest decorare eum quem mutat Deus?* Tigurina, *quis potest reconcinnare* (alii, *aptare*; alii, *æquare*, vel *ad æqualitatem revocare*; Campensis, *restituere*) *quod ipse depravavit*, id est, ut Vatablus, *quem perverti sinit*; Cajetanus, *quod tortum fecit ille*; Campensis, *quod perdidit ille*; alius, *quod ille deflexit*. Hinc suspicari quis posset vulgatum Interpretem quoque vertisse *deflexerit*, nisi omnes Codices constanter legerent *despexerit*. Jam

Primo, aliqui cum Cajetano hanc gnomen explicant de curvatura cœlorum, elementorum, totiusque globi terræ et mundi, *q. d.* Deus curvavit omnes cœlorum et elementorum orbes, eosque fecit rotundos et sphæricos; quis ergo eos quadrare, vel rectos efficere poterit? Similiter motus, gyros et tramites solis, lunæ et cœlorum Deus fecit circulares; quis ergo eos mutare et rectos facere queat, ut non per Zodiacum, sed recta linea ab Oriente in Occidentem decurrant? Ita David de pomis hæc refert ad obliquationem motuum cœlestium, ex qua subinde provenit obliquatio et pravitas morum humanorum. Sic et Hebræi in *Midras Coheleth*, quos in fine hujus versus citabo fusius.

Secundo, Chaldæus accipit de hominibus curvatis et distortis, vel quoad pedes, vel quoad totum corpus, puta claudis, mutilis vel mancis. Unde vertit, *contemplare opera Dei et potentiam ejus, qui facit cæcum, et gibbosum, et claudum, ut sint mirabilia in sæculo, quoniam quis potest vel unum ex eis corrigere, nisi Dominus qui sic eos contorsit?* Et Olympiodorus, *quis potest corrigere quæ prave sunt obliquata, ut claudos, nisi Deus mundi auctor?* Sic et S. Hieronymus, qui citat illud *Exodi* cap. IV, 11 : « Quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? nonne ego? » Thaumaturgus, *quis poterit reparare quæ juste a Deo videntur neglecta?* Auctor *Catenæ Græc.*, *quis resarcire et instaurare valeat, quæ Deus justa ratione neglexisse et præteriisse videtur? q. d.* Nemo potest corrigere defectus naturales ex peccato Adæ, vel proprio contractos, v. g. Nemo potest cæco dare visum, surdo auditum, claudo tibias rectas. Ne ergo nos misera horum vanitas cruciet et torqueat, quia ei humanitus succurri non potest; illius ergo remedium a Deo, non ab homine petendum est. Ita Clarius, Cajetanus, Arboreus, Moringus. Huc facit priscus apologus : Asellus querebatur se carere cornibus, cauda simius. Talpa hæc audiens : « Qui potestis conqueri, ait, cum cæcitatem meam videatis, malum utique vestris longe majus et acerbius? » Epimythium : « Æquius infortunia nostra perferimus, cum aliorum graviora cernimus. »

Tertio, melius alii hæc accipiunt de curvitate spiritali morum. Cum enim dixerit Salomon sapientiam possessori dare vitam, quam et ipse aliis communicare queat, ne quis objiciat : cur ergo sapientes non convertunt et vivificant omnes sceleratos, qui in mundo sunt? Occurrit et respondet quod nemo possit corrigere eum quem Deus obliquarit et despexerit (1).

Nota *primo*, Deum proprie et positive neminem curvare et flectere ad peccata : hic enim est error non solum blasphemus, sed et stolidus; qua ratione enim Deus, qui est ipsa increata puritas, bonitas, sanctitas, ad peccatum et scelus hominem flectat, ac flectendo peccet? Sapienter et ner-

(1) *Vide opus Dei : nam quis potest rectum facere quod ille curvavit?* Quæ Deus manca et imperfecta esse voluit, quis ea mutare et emendare potest? Ergo, si sapias, vitæ miserias patienti feres animo.

vose Fulgentius *ad Monimum* : « Deus, ait, peccatorum non est auctor, quorum est ultor. » Unde Calvinus, Melanchthon et similes, qui Deum faciunt auctorem omnium operum tam malorum quam bonorum, ut opus Dei sit tam proditio Judæ, quam vocatio Petri et conversio Pauli : hi, inquam, Deum negant esse Deum, et Deum suum faciunt diabolum. Hic enim est auctor et incentor omnis mali.

Deus pervertit impium, quo sensu?

Deus ergo dicitur despicere et pervertere impium eo modo, quo dicitur excæcare, obdurare, tradere in reprobum sensum, scilicet indirecte, permissive et objective, quia scilicet in pœnam præcedentium peccatorum, *primo*, permittit impium sequi cupiditates suas illicitas ut iis totum se dedat; *secundo*, ei gratiæ suæ copiam subtrahit, eumque quasi deserit, unde Noster apte hic vertit *despexerit*; *tertio*, occasiones voluptatum, cæcitatis et duritiei ei objicit, bono quidem fine, sed quibus impium abusurum, seque obduraturum prænoscit, uti fuse ostendi *Exod.* cap. VII, 3, et *Rom.* I, 24.

Igitur proprie peccator seipsum pervertit, obdurat, excæcat; Deus vero improprie, quia scilicet eum in sua perversitate deserit et derelinquit. Quare prius peccator deserit et despicit Deum, quam deseratur et despiciatur a Deo. Nam, ut ait S. Augustinus, *Ad Art. sibi falso imposit.* art. 7 : « Qui (Deus) nisi prius deseratur, neminem deserit, et multos desertores ad se convertit; » et Fulgentius, lib. I *ad Monimum*, cap. XIII : « Juste deseritur a Deo, qui deserit Deum; » et ex utroque Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XI : « Deus sua gratia justificatos non deserit, nisi ab eis deseratur. » Hinc Deus talibus improperat, dicens : « Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum. Ego quoque in interitu vestro ridebo, » *Proverb.* I, 24; et : « Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris, » id est, cum eo qui se pervertit perverse te geres, o Domine, *Psal.* XVII, 27. Et : « Si ambulaverint ad me perversi, et ego ambulabo ad eos perversus in furore meo, » *Levit.* XXVI, 23, juxta Septuaginta.

Nota *secundo*, Deum despicere perversos, non quod omnia gratiæ, etiam sufficientis, et ad peccata vitanda necessaria auxilia iis subtrahat : sic enim necessario persisterent in sua perversitate, et persistendo non peccarent : omne enim peccatum est liberum, non necessarium. Rursum sic perversi non essent in via salutis, sed in termino, uti sunt dæmones, quia scilicet obstinati sunt in sua malitia, et prorsus a gratia Dei deserti et despecti. Dicitur ergo eos negligere et despicere, eo quod rara et exigua eis det gratiæ auxilia, raras illuminationes, terrores, impulsus, ut se convertant, quæ comparata cum eorum perversitate et obstinatione, adeo parva sunt, ut videantur a Deo relicti et despecti, ac traditi peccato et diabolo.

Perversus incorrigibilis, quo sensu?

Nota *tertio*, neminem posse corrigere obdura-tum, vel despectum a Deo, tum quia illa gratiæ auxilia, quæ ei dat Deus, adeo, ut dixi, sunt modica et infirma, ut cum eis solis difficillimum sit eum corrigi, ac moraliter, sive prout communiter accidit, sit quasi impossibile eum converti; tum quia homini id est impossibile, si Deus non concurrat, ac benignioribus gratiæ oculis eum aspiciat et illustret, sed solito more deserat et despiciat. Est ergo impossibilitas hæc non absoluta, sed conditionata et in sensu composito, non diviso. Et hoc proprie non intendit Salomon, *q. d.* In talibus non ad hominis utpote invalidi, sed ad Dei potentissimi opem et gratiam recurrendum est. Deus enim Paulum, Magdalenam, Matthæum, Pelagiam pœnitentem, Mariam Ægyptiacam, quos per multos annos despexerat, benignius aspiciens correxit, et ad magnam sanctitatem evexit.

Hunc esse sensum patet ex cap. I, vers. 15 : « Perversi difficile corriguntur, » ubi difficile vocat, quod hic impossibile : utrobique enim eadem sunt verba in Hebræo. Ita passim Interpretes ac scholastici, ut D. Thomas, I part., *Quæst.* XXIII, art. 3, ad 3; Suarez, Vasquez, Valentia, Bellarminus et Molina, I part., *Quæst.* XXIII, art. 5, in fine. Hoc est quod de Pharaone ait S. Augustinus, propos. 62 *in epist. ad Rom.* : « Non ergo illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, » quia scilicet Deus obduratis non omni hora, vel momento dat gratiam qua mollire possint suam obdurationem, sed certis et statis horis illi placitis; qua si tunc utantur, possunt Deo vocanti et pulsanti obtemperare. Porro licet obdurati non semper habeant auxilium gratiæ, quo obdurationem excutiant, et convertantur, habent tamen semper illud, saltem in actu primo, sibi a Deo præparatum ad hoc, ne novum peccatum committant, utque novæ tentationi resistere valeant : si enim a Deo vires et gratiam resistendi postulent, utique impetrabunt; alioquin enim necessario peccarent, imo consentiendo tentationi non peccarent, quia sine gratia illi resistere nequeunt : nemo enim peccat in eo quod vitare non potest. Nam, ut ait S. Augustinus, peccatum adeo est voluntarium, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum, sicut homo, nisi sit rationalis, nequit esse homo.

Huc facit illud S. Isidori, lib. II *De Summo bono*, cap. XVI : « Deserente Deo, nullus pœnitere potest; nonnulli autem ita despiciuntur a Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint. Consilio immundorum spirituum hoc fit, nam quia ipsis negatum est port prævaricationem regredi ad justitiam, obserare aditum pœnitentiæ hominibus cupiunt, ne ipsi ad Deum revertantur, sed eos habeant socios perditionis; illud quibuscumque fraudibus agentes, ut aut deserantur a Deo, aut flagelli immunitate desperent. Ingemiscendum est jugiter, et excussa omni securitate lugendum,

ne Dei secreto et justo judicio deseratur homo, et perdendus in potestate dæmonis relinquatur. »

An reprobus salvari possit?

Nota *quarto*, nonnullos Theologos velle ex hac gnome probare Deum ante omnem prævisionem demeritorum, reprobos ex mero suo beneplacito reprobasse : per despectionem enim accipiunt reprobationem, sed perperam ; aliud enim significat despectio, ut jam dixi. Nam S. Augustinus, S. Prosper et passim theologi docent Deum neminem reprobasse ante demerita : reprobatio enim est judicium et sententia Dei de demeritis, qua peccatores ob peccata damnat ad gehennam ; nam omne judicium et supplicium irrogatur propter demerita : pœna enim præsupponit culpam.

Nonnulli tamen, ut Suarez, Bellarminus et alii, hanc gnomen extendunt ad reprobationem, idque duplici modo et sensu : *priore*, de reprobatione positiva et completa, *q. d.* Cum Deus aliquem ob scelera reprobavit et damnavit ad gehennam, impossibile est ut quis eum corrigat et salvet. Ratio est, quia impossibile est ut quis mutet Dei sententiam et decretum, ac pariter impossibile est ut scelera, quæ ponuntur jam facta vel futura, non sint facta vel futura. *Posteriore*, de reprobatione permissiva et inchoata, *q. d.* Cum Deus quem collocat in illa serie circumstantiarum et gratiarum, in qua prævidet eum peccaturum, et in peccato moriturum, ideoque a se reprobandum et damnandum, nemo potest eum transferre ad contrariam seriem gratiarum, qua prævidet in ea positos bene usuros gratia, in eaque morituros, ideoque salvandos, in qua Deus collocat omnes prædestinatos et electos, *q. d.* Nemo potest quem constitutum in serie eorum, qui ob peccata prævidentur damnandi, transferre in seriem salvandorum, nec vice versa. Solius enim Dei est has series constituere, et salvandos prædestinare, damnandos vero ob scelera reprobare. Verum, ut dixi, de reprobatione hic proprie, et per se non agitur, sed tantum consequenter, quatenus scilicet obdurati cæterique, qui in peccato usque ad mortem persistunt (qui hic vocantur despecti a Deo), a Deo reprobantur et damnantur. S. Bonaventura affert in exemplum filios Heli, quos pater corrigere non potuit, quia Deus eos, utpote perversos despiciens, voluit occidere. Additque ista opera consideranda esse ad timorem. Quis enim non paveat, ignarus an forte gratia congrua ad resurgendum e suis sceleribus privetur ? Hic ergo usurpare licet illud *Habacuc* III : « Consideravi opera tua, et expavi. » Hæc Bonaventura.

Moraliter Hugo ex hoc loco taxat prædicatores, qui indignantur, si auditores non corrigantur : si autem corrigantur, inflantur, quasi hic sit fructus suæ eloquentiæ ; cum cogitare debeant se duntaxat lucernam exhibere, cibos porrigere, præcones agere, tuba canere, campanam pulsare, Deum vero interius mentes mutare et convertere.

Porro S. Augustinus, *De Corrept. et grat.* cap. XV, docet omnes perversos esse corripiendos, tum quia nescimus an sint reprobi, an vero electi, qui de correptione nostra convertant ; tum quia superioris officium est corrigere subditum peccantem, esto ipse se non emendet ad aliorum instructionem et correctionem.

Audi S. Gregorium hunc locum pertractantem, lib. XI *Moral.* cap. V : « Mutum est os omne quod loquitur, si ille interius non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur. Hinc Salomon dicit : Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit ; nec mirum si a corde reprobo prædicator minime auditur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus in his quæ loquitur resistentium moribus impugnatur. Hinc est enim quod Cain et divina voce admoneri potuit, et mutari non potuit : quia exigente culpa malitiæ, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. » Subdit deinde ex textu Job : « Bene autem subditur : Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Quia omnis homo per id quod male agit, quid sibi aliud, quam conscientiæ suæ carcerem facit, ut hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exterius accuset ? Qui cum judicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam sæpe nonnulli a pravis actibus exire cupiunt, sed qui eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi a semetipsis exire non possunt. »

Denique Hebræi in *Midras Coheleth*, id est in *Expos. Eccles.*, hoc loco, quos citat Hieronymus a S. Fide, ex judeo christianus, lib. I *Contra Judæos*, cap. VII, quem dicavit Benedicto XIII Pontifici (Petro de Luna), cujus erat medicus anno 1412, (extat tom. IV *Biblioth. S. Patr.*) : Hebræi, inquam, inducunt R. Juda narrantem quod Deus Adamum, eadem hora qua illum creavit, circumduxerit per universas arbores paradisi, dixeritque illi : Respice opera mea, quam pulchra sunt ! omne quod creavi, amore tui creavi. Vide ergo ut non pecces, ne causam dissolvendi mundum mihi præbeas : quia si pecces, nemo est qui reparare possit, nisi justus Messias per mortem suam, cujus tu proinde eris causa : quasi hic Salomon ad historiam illam alludat, imo eam refricet. Verum hæc apocrypha sunt, et Judaicas fabulas redolent. Esto eadem ad verbum citet Galatinus, lib. VI *De Arcanis fidei*, cap. X, illaque tribuat R. Azariæ.

15. IN DIE BONA FRUERE BONIS, ET MALAM DIEM PRÆCAVE; SICUT ENIM HANC, SIC ET ILLAM FECIT DEUS, UT NON INVENIAT HOMO CONTRA EUM JUSTAS QUERIMONIAS. — Hebræa, *in die mala vide* (id est gusta, fruere) *bonum, et malam diem vide* (prævide, præcave) : *hanc enim e regione*, vel *ex adverso* (id est congruum, quasi oppositum et antithetum ; Symmachus, *simile*) *illius fecit Deus ad hoc verbum* (hac de causa), *ut non inveniat homo post eum* Vers. 15

(verti potest, *post se*) *quidquam*, quod scilicet Deo quasi post tergum objiciat et occlamet, juxta illud : « O Jane (bifrons) a tergo quem nulla ciconia pinsit. » Forte Noster מאומה *meuma*, id est *quidquam*, accipit quasi derivatum a מום *mum*, id est labes, vitium, macula, de qua quis queri et auctorem culpare valeat. Septuaginta, *in die bonitatis vive in bono, et vide in die mali; vide, et quidem huic congruenter istud fecit Deus de loquela, ut non inveniat homo post eum quidquam.* Syrus, *in die boni esto melior, et in die mali vide : etiam hoc adversus hoc fecit Deus de colloquio, quo nullam rem inveniat filius hominis post se.* Arabicus, *in die ultimo vive in bonis, et considera diem mali, considera cum illo, quod hoc fecit Deus, propterea quod verba quadrant huic, ut ne inveniat homo, neque respiciat post se ullam rem.*

Chaldæus vero per *bonum*, intelligit eleemosynam : unde sic vertit, *in die quo benefecerit tibi Deus, tu quoque esto in bonis, et benefac omnibus qui sunt in sæculo, ut non veniat super te dies mala; vide et contemplare, hanc quoque contra illam fecit Deus, ut arguat homines sæculi, ut non inveniat homo post se aliquod malum in sæculo illo.* Vatablus, *tempore felici sis lætus, et tempore aspero circumspice* (quod nempe Deus immiserit afflictionem : nam hæc cum illis Deus temperat), *ut nihil* (certi) *homo post ipsum* (Deum) *inveniat*, id est, ita ut non possit reprehendere Deum, nec dicere : Aberravi ob nimiam lætitiam, et tamen Deus me non revocavit. Hæc Vatablus. Jam quoad sensum

In die bona fruere bonis. Primo.

Primo, S. Hieronymus : « Scio, inquit, me audivisse in ecclesia ab eo qui putabatur habere scientiam Scripturarum, ita hos versiculos edissertos : Dum in hoc præsenti sæculo es, et boni aliquid operis potes facere, labora, ut postea ipse securus in die malo, id est in die judicii, torqueri alios videas; sicut enim præsens sæculum fecit Deus, in quo nobis fructum bonorum operum possumus præparare, ita et futurum, in quo nulla boni operis datur facultas. Visus est quidem suadere, cum diceret, audientes. »

Hunc sensum probat Alcuinus, Hugo et Dionysius; minus apte Lyranus sic exponit, *q. d.* Diebus festis et solemnibus lautius vive; iis vero qui deputati sunt afflictioni, quales sunt quadragesimales, abstine (1).

Secundo.

Secundo, S. Hieronymus refert hæc ad libertatem arbitrii, ut possit eligere bonum vel malum. Quia enim Salomon dixit multa esse mala tam in natura, quam in moribus, ne quis id miretur, subdit orbem hunc ex contrariis, puta bonis et malis constare, iisque velut antithetis honestari et ornari, ut ex iis homo bona eligat, mala respuat. Audi S. Hieronymum : « Et bona, inquit, et mala prout tibi evenerint sustine. Nec putes vel bonorum tantum, aut malorum in mundo esse naturam, cum ex diversis mundus iste contrariis subsistat : calidis et frigidis, siccis et humectis, duris et mollibus, tenebrosis et lucidis, malis et bonis. Hoc autem fecit Deus, ut habeat sapientia locum intelligendo bonum et vitando malum, et liberum homini relinquatur arbitrium, ne se dicat insensibilem et stolidum a Deo esse generatum, sed eum ideo fecisse diversa, ut homo queri de sua conditione non posset : simulque hoc testimonium consequenter superioribus copulabitur, in quibus ait : Quis poterit adornare quod perverterit Deus ? »

Tertio et genuine, refer hæc partim ad vanitatem mundi, utpote in quo ubique mala admixta sunt bonis, puta tristia lætis, calumnia laudibus, infortunia bonæ fortunæ; partim ad Dei providentiam, quæ adversa prosperis contemperavit, ne si semper homini obvenirent adversa, caderet animo et desperaret, aut si semper prospera, superbiret et insolesceret, atque hac ratione nullam haberet homo justam contra Deum querendi occasionem; partim ad prudentiam, quam docet hic hominem, ut sciat quomodo se gerere debeat in prosperis æque ac adversis. Sensus ergo est, *q. d.* Cum hic mundus vanitate et varietate plenus sit, ideoque in eo mala bonis et tristia lætis sint permixta, tu, o homo, si sapis in die bono, id est prospero, felici et læto, moderate fruere tua prosperitate, sed simul prævide et præcave diem contrarium adversitatis et tristitiæ, atque contra eum te obarma, ut rationes et modos eum declinandi, vel sustinendi, vel superandi adinvenias : Deus enim sapienter hunc cum illo composuit et opposuit, tum ut mundum his quasi antithetis ornaret; tum ut homini lapso continentiæ, pœnitentiæ, patientiæ cæterarumque virtutum continuam exercitationem præberet. Unde non habet homo, quod juste contra eum queratur; si enim id faciat, ingratus erit Deo in prosperis, iniquus in adversis : quare se in Dei providentiam resignet, illam laudet, et in omnibus gratias agat, itaque semper læte et sancte vivat. Ratio a priori est, tum vanitas et varietas rerum sublunarium; tum quod homo post lapsum perdiderit mentis perfectæ constantiam et æquilibrium; ideoque nunc nimis attollitur, hilarescit et superbit, nunc nimis deprimitur, tristatur, et fit pusillanimis, ut vix unquam in medio virtutis et æquanimitatis consistat : quare ad hoc ejus vulnus sanandum Deus nimis sese attollenti adversa quæ eum deprimant, nimis vero depresso prospera quæ eum erigant, immittit. Rursum hæc vicissitudo non sinit eum torpere, esseque desidem in studio virtutis, cum nunc prospera, nunc adversa eum

Mundus contrariis constat.

Cur ?

(1) Maurer : « *Die boni*, felicitatis, *esto in bono*, hoc tempore felici fruere, *et diem mali vide*, eum sapienter perferas; nam *etiam hunc pariter atque illum fecit Deus, ideo ut non inveniat homo post se quidquam*, i. e. eo consilio, ut homo ad id, quod e vita excedens, nullam rem secum auferre poterit, animum advertat, et hac re incitetur, ut a nimio bonorum terrestrium animo se abstinens res adversas, quæ hæc bona minuunt et eripiunt, patienter ferat. »

concutiant et exagitent, ut contra illa se obarmet continentia, contra hæc vero patientia. Denique hac ratione discit homo se plene Deo resignare, in eum sperare, ac totus ab eo pendere, ut dicat cum S. Job, cap. II, 10 : « Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? » Et cap. I, 21 : « Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. » Et cum S. Paulo : « Scio abundare, scio et penuriam pati. » Salomonem de more secutus Siracides, cap. XI, 27 : « In die bonorum, ait, ne immemor sis malorum : et in die malorum ne immemor sis bonorum. » Nam, ut idem ait cap. XXXIII, 15 : « Contra malum bonum est, et contra mortem vita, et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, duo et duo, et unum contra unum. » Vide utrobique dicta. Unum enim contrarium temperat et moderatur alterum, illudque ad auream mediocritatem, quæ homini salutaris sit totique mundo, reducit. Nam, verbi gratia, adversa deprimunt inflationem et fastum prosperitatis, prospera extollunt dejectionem et angustias adversitatis : de quo eleganter Olympiodorus : « Consonum est quod videtur dissonum ; et æquale, quod inæquale videtur. » Congruunt ergo, et conspirant mirifice in unicam unius mundi, uniusque hominis sapientissimam providentiam, ait S. Hieronymus, « diversa contraria, calida et frigida, sicca et humecta, dura et mollia, tenebrosa et lucida, mala et bona. » Ita Pineda.

Gnomæ. Idem a Salomone didicere philosophi : « Contrariis rerum æternitas constat, » ait Seneca, *epist.* 108, ex Cleante et Cicerone. Additque : « Optimum est pati quod emendare non possis, et Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec desinamus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quidquid patimur, intextum est, et sic alloquamur Jovem, cujus gubernaculo moles ista dirigitur. Duc me, parens celsique domitor poli, quocumque placuit ; nulla parendi mora est. Adsum impiger ; fac nolle, comitabor gemens, malusque patiar quod pati licuit bono. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt : sic vivamus, sic loquamur, paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus et degener, qui obluctatur et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult Deos quam se. »

Vide eumdem, lib. II *De Benef.* cap. XXIX, hominum contra Dei providentiam querelas recensentem et refellentem. Plutarchus, lib. *De Tranquill. animi* : In lyra, ait, sunt soni acuti et graves : sic in vita nostra res calamitosæ prosperis permixtæ concinnam edunt harmoniam. Scite lyram vitæ nostræ utrinque pulsat Deus ; quare non tantum patienter, sed et hilariter ac jucunde modulos hosce divinos audiamus.

Sapienter S. Gregorius, hom. 19 *in Ezech.*, longiuscule ante fin. : « Discamus, inquit, fratres, non solum in prosperis, sed in adversis quoque gratias agere. Pater enim nobis ex pietate sua factus est conditor noster, nosque adoptivos filios ad hæreditatem regni cœlestis nutrit ; et non solum donis reficit, sed etiam flagellis erudit. » Unde concludit : « Si itaque, fratres charissimi, sic per præcepta Dominica et per sanctorum exempla gradimur, ut nos nec prosperitas elevet, nec adversitas frangat, habere nos ante omnipotentis Dei oculos palmas hinc et inde monstramus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. »

Vers. 16. Justus perit in justitia. Primo.

16. HOC QUOQUE VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEÆ : JUSTUS PERIT IN JUSTITIA SUA, ET IMPIUS MULTO VIVIT TEMPORE (Syrus, *prolongatus est ;* Aquila, *longævus est*) IN MALITIA SUA. — Arabicus, *quod erit justus perditus in justitia sua, et erit impius perseverans in malitia sua. In justitia* et *in malitia* potest accipi *primo*, materialiter, *q. d.* Justus perit, cum sit innocens et mereatur longam vitam ; impius multum vivit, licet sit nocens et mereatur citam mortem. *Secundo*, formaliter et causaliter, *q. d.* Justus perit propter justitiam, uti propterea occisi sunt martyres ob fidem a tyrannis ; impii vero prolongant vitam propter suam malitiam, quia scilicet libere dominantur, rapiunt, epulantur, omniaque ad vitam prolongandam commoda per fas et nefas sibi accersunt (1).

Apte nectitur hæc gnome præcedenti, quia utraque recenset vicariam rerum contrariarum successionem. *Dies vanitatis* vocatur præsens hæc vita, quia vanitati, id est inanitati, mutationi, morti, miseriis, peccatis obnoxia. Perperam Bonaventura, Hugo et Glossa pro *vanitatis* legunt *nativitatis*.

Sensus clarus est, tum ex ipsis verbis, tum ex rerum experientia ; videmus enim non raro justos cito occidere, impios vero esse felices et longævos. Sic Isaias ait cap. LVII, 1 : « Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo. » Idem ait Sapiens, cap. II, 12 et 20 ; Jeremias, cap. II, 21, et cap. XII, 7 et 8. Hebræi apud Galatinum lib. VI, X, per *justum* accipiunt Christum, cujus brevem vitam citamque mortem censent hic prædici, qui mortuus est in justitia, id est justus et innocens, ut peccatores justificaret et vivificaret. « Consummatus ergo in brevi explevit tempora multa, » *Sapient.* cap. IV, ubi vers. 14 et seq. pluribus de causis brevitatis vitæ piorum agetur. Sic Abel cito occisus est a Cain, Manasses vero impius regnavit annos 50, cum Josias pius tantum 31, David 40, Ezechias 29. Accedit quod justi jejuniis, pœnitentiis, vigiliis, orationibus, studiis extenuent corpus, spiritusque vitales consumant, itaque tabescant

(1) *Hæc omnia vidi*, etc. : *est justus qui perit*, etc., *et est improbus*, etc.

et moriantur; cum impii corpus epulis saginent. Subinde tamen justis Deus prolongat vitam, impiis abbreviat, juxta illud : « Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos, » *Psal.* LIV, 24. Et : « Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, *Exod.* XX, 12; *Deut.* V, 16. Ita vices utrisque alternat Deus, ut vitæ hujus vanitatem et futuræ veritatem homines agnoscant, et ad illam anhelent. Adde Deum piis propitium, brevitatem vitæ hujus pensare longitudine majore melioris vitæ in cœlo; impiorum vero longævitatem permittere iratum, ut scelera indeque pœnas acriores in gehenna sibi accumulent. Audi S. Hieronymum : « Huic simile est quod ait Salvator, *Matth.* X : Qui invenit animam suam, perdet eam : et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Machabæi pro lege Dei atque justitia visi sunt in sua perire justitia, et martyres qui sanguinem suum fudere pro Christo. E contrario, qui ex illo tempore suillam carnem comederunt, et post adventum Domini sacrificaverunt idolis suis, hi visi sunt in hoc sæculo vivere, et propter suam malitiam perseverare longævi. Sed Dei in occulto patientia est, et tribulare nunc sanctos, ut recipiant mala in vita sua, et peccatores non visitare pro scelere, et quasi ad victimam reservare, ut et illis possit æterna bona restituere, et his mala inferre perpetua. Hebræi justos pereuntes in justitia sua, filios Aaron suspicantur, quod dum putant se juste agere alienum ignem obtulerint; et impium longævum in malitia sua Manassem dicunt, qui post captivitatem restitutus in regno, longo deinceps vixerit tempore. »

Porro Thaumaturgus vertit, *et ego olim non recte ambulans cognovi quomodo justus in justitia sua perseverans usque ad mortem non excidat, insidiosusque et impius cum scelere suo commoriatur.* At vero S. Cyrillus, *De Adoratione in spiritu,* lib. VII : Fieri, ait, potest ut quamvis id fiat quod lex jubet, tamen lex ipsa violetur, nisi lege quis recte utatur; hocque illud est, opinor, quod ait Salomon : « Est justus qui perit in justitia sua. »

Chaldæus autem : « Omnia vidi in diebus vanitatis meæ, quod a facie Domini decernuntur bona et mala, ut sint in sæculo per causam siderum, quibus creati sunt filii hominum; quod si justus periit in justitia sua in hoc sæculo, justitia ejus servata est in sæculo venturo; et est vir impius cujus dies prolongantur in peccatis suis, et numerus operum suorum pessimorum servatur ei in sæculum venturum, ut ultio sumatur ab eo in die judicii magni. »

Denique Hebræi hic in *Midras,* sive in Glossa, quos citat Hieronymus a S. Fide, lib. I *Contra Judæos,* cap. VII, et Galatinus, lib. VI, cap. X, per justum accipiunt Mosen, de quo hanc narrant historiam, imo fabulam : « Justus perit in justitia sua. Hoc, inquiunt, dicitur de Mose, qui quidem factus est similis filio cujusdam mulieris quæ, cum esset (ex fornicatione) prægnans, ejus criminis causa, posita in vinculis peperit filium, et mortua est : ille filius ejus jam nutritus in carcere remansit; post aliquot temporis spatium, dum rex per ostium carceris transiret, juvenis ille clamavit dicens : Domine rex, hic natus et nutritus sum, cum ego nihil peccaverim; cujus delicto sum hic? Et rex ei : Propter delictum matris tuæ. »

17. NOLI ESSE JUSTUS MULTUM (id est plus æquo et nimis, unde sequitur) : NEQUE PLUS SAPIAS QUAM NECESSE EST, NE OBSTUPESCAS. — Nota : Proprie nullus est nimis justus, aut nimis temperans, nimis fortis, castus, vel prudens, quia quo major est justitia vel virtus, eo est perfectior : τὸ ergo *nimis* significat justitiam et virtutem degenerare in vitium per excessum, sicut calor naturalis, si sit nimius, ut justam complexionis temperiem excedat, degenerat in morbum, fitque febris. Ita nimis fortis dicitur temerarius; nimis temperans, insensibilis; nimis prudens, callidus. Porro Aristoteles, lib. V *Ethic.* cap. IV et V, docet omnes virtutes consistere in medio duorum vitiorum extremorum, excepta justitia : hæc enim, ait, non consistit inter contraria vitia, sed inter duo inæqualia, scilicet inter lucrum et damnum, seu inter injuriam facere et pati, quæritque inter hæc æqualitatem et medium. Potest tamen quodam modo dici etiam justitia versari inter contraria vitia, quia v. g. qui debet alteri centum aureos, si tantum solvat 50, peccat per defectum, facitque creditori injuriam; sin solvat amplius, puta 150, non facit quidem injuriam; sed sibi ipsi iniquus est; imo potest injuriam facere uxori, filiis et familiæ, si opes prodigat, cum eorum detrimento, si nimirum quinquaginta aureos ad illam alendam necessarios det alteri, qui ad hoc non obligatur. Talis ergo proprie erit nimis justus, peccabitque per excessum justitiæ ex una parte, scilicet creditoris, et per defectum ex altera, scilicet familiæ : quia enim excedit dando 50 creditori, hinc deficit in alendo familiam. Ita Franciscus Vallesius, *Sacræ Philos.* cap. LXVII. Jam

Vers. 17.

Patres et Interpretes varias hujus loci dant explicationes, easque appositas et probabiles. *Prima* est : Noli esse, id est apparere nimis justus, ut tuam justitiam vendites, jactes, ostentes instar Pharisæi jactantis et despicientis Publicanum velut peccatorem, *Lucæ* XVIII, 11. Ita Thaumaturgus : « Porro, ait, qui sapiens est aut justus, ne videatur sibi ipsi immodice justus vel sapiens, ne forte, admisso peccato uno consequenter pluribus implicetur. » Et S. Augustinus in *Sententiis,* num. 365 : « Divinitus dictum est : Noli esse justus multum; quoniam, inquit, non est justitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo sic fit nimis justus, ipse nimis fit injustus. Quis est autem qui se facit justum, nisi qui dicit se non habere peccatum? » Quales erant pelagiani, qui dicebant se esse justos suis meritis, per vires naturæ, non Christi; per vires gratiæ, adeoque se posse vitare omne peccatum etiam veniale. Similia habet

Ne sis nimis justus, quo sensu? Resp primo.

S. Augustinus, tractat. 95 *in Joannem*. Sic quoque explicant Olympiodorus, Alcuinus, Bonaventura, Lyranus, Cajetanus et alii.

Secunda: Noli esse justus multum, id est, noli nimis rigide tueri vel prosequi jus tuum vel alterius, quia summum jus summa est injuria. Ita Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 320 : « Hoc sensu, ait, dictum est : Noli esse justus multum, noli justum severe ac rigide prosequi, verum per bonitatem id exsupera. » Additque : Unde ille e septem Græciæ Sapientibus (Bias, vel, ut alii, Solon) « furatus est illud suum μηδὲν ἄγαν, id est, *ne quid nimis, est modus optimus, q. d.* Utere subinde epikia, sive æquitate et discreta moderatione justitiæ; idque *primo*, in justitia vindicativa, sive punitiva, noli esse nimius juris et justitiæ exactor, censor aut ultor: quia tales sunt rigidi et truces, qui nullam fratribus ex infirmitate peccantibus dant veniam, peccantque contra præceptum Christi : « Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini, » *Luc* VI, 37. Ita S. Hieronymus : « Si quem rigidum, ait, et trucem ad omnia fratrum peccata conspexeris, ut nec in sermone peccanti, neque propter naturalem interdum pigritiam moranti det veniam, hunc scito plus justum esse, quam justum est. Nam inhumana justitia est fragilitati conditionis hominum non ignoscens. » Et Bachiarius, epist. *De Recipiendis lapsis ad Januarium*, circa medium, tom. III *Biblioth. SS. Patrum* : « Noli nimium esse justus; quid erubescis, ait, conjungi homini peccatori? respice illum qui dicit : Noli nimium esse justus. Magister noster a latronibus vulneratum non solum cura dignum judicat, verum etiam ad stabulum suum et ovile reducit. » *Secundo*, in justitia distributiva, noli esse nimis justus, id est, cave ne nimis timeas beneficia vel præmia dare indigno, quo fiat ut eadem etiam deneges digno. *Tertio*, in justitia commutativa, *q. d.* Cave tantopere timeas alteri suam mercedem et lucrum non tribuere, ut tibi inferas damnum. Licet enim justitia consistat in æqualitate juris et debiti indivisibilis, ac proinde contra eam proprie non peccetur per excessum, sed tantum per defectum, ut docet Aristoteles loco jam citato; tamen quoad operationem et exsecutionem justitiæ potest peccari per excessum, cum scilicet quis solvit debitum eo tempore quo non obligatur, cum magno reipublicæ vel suo detrimento, ut, cum quis gladium reddit furioso, quo ipse grassatur in civium cædem. Ita S. Augustinus in *Quæstionbus Veteris Testamenti*, Quæst. XV : « Nimia justitia, ait, incurrit peccatum; temperata vero justitia facit perfectos: quia peccantibus ad singula si respondeas, non deerit ubi pecces. Hic ergo justus non est multum, qui Dei imitator est. » Audi S. Ambrosium, lib. I *De Pœnitentia*, cap. I : « Etenim qui studet humanæ infirmitatis emendare studia, ipsam infirmitatem suis debet sustinere, et quodam modo prensare humeris, non abjicere. Nam pastor ille Evangelicus lassam ovem vexisse legitur, non abjecisse; et Salomon ait : Noli justus esse nimium. Debet enim justitiam temperare moderatio. » Causam urgentem subjicit : « Nam quemadmodum se tibi curandum præbeat, quem fastidio habes, qui contemptui se, non compassioni medico suo putet futurum? Ideo Dominus Jesus nobis est compassus, ut ad se vocaret, neque deterreret. Mitis venit, venit humilis. Denique ait : Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Reficit ergo Dominus Jesus, non excludit, neque abjicit; meritoque tales discipulos elegit, qui Dominicæ voluntatis interpretes plebem Dei colligerent, non repudiarent. Unde liquet eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur; et, cum ipsi quærant Domini misericordiam, aliis eam denegant, ut sunt doctores novatianorum qui *mundos* se appellant. » Igitur recte ait S. Hildebertus, *epist.* 23 : « Quisquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit: culpa est totam persequi culpam; magnum quid et divinum sapit offensus clemens; bonus princeps ita crimen insequitur, ut, quem punit, hominem reminiscatur. »

Huc pertinet expositio Ferrandi Diaconi Carthaginiensis, qui S. Fulgentio coævus et familiaris, doctrina et sanctitate floruit anno Christi 480 (exstat tom. IX *Biblioth. SS. Patr.*), scripsitque Paræneticum ad Reginum Comitem, qua ratione dux queat esse religiosus, in quo, *regula* 5, in fine, egregie hanc gnomen pertractat : « Diligere solita, inquit, et horrere vehementer insolita, nimia est justitia, non laude, sed reprehensione dignissima, si placet sapientissimi sententia Salomonis : Noli esse justus multum : neque sapias plus quam necesse est, ne obstupescas, ne remaneas frigidus. Quis remanet frigidus? cui fervor subtrahitur charitatis. Noli ergo multum esse justus. »

Deinde regulam innocentiæ sextam hanc Duci statuit : « Quidquid dixeris, gesseris et disposueris, ut Deo et hominibus placeas, noli esse justus multum. » Casus particulares subjungit : « Incurrit aliquis gravissimam facinoris culpam? meretur judicialem sentire censuram. Tempera, dux optime, impetum severitatis, et dum reo supplicia inferuntur, interioribus auribus pietas dicat : Noli esse multum justus. Amicitiæ alius immemor, debita exhibere neglexit officia, dignus est abjici, meretur sentire asperam læsionem. Cohibe, obsecro, rectum dolorem, noli retribuere similia. Ne æstimes quasi inimicum, sed corripe adhuc velut amicum, respondente tibi sapientissimo Salomone : Noli esse multum justus. Esto ergo justus, sed noli esse multum justus. Esto justus ut corripias inquietos, noli esse multum justus, ut consoleris pusillanimes, ut suscipias infirmos, et patiens sis ad omnes. » Et post nonnulla : « O quanta, dux sapientissime, dissimulanda sunt, quanta toleranda, quanta leviter attingenda!

quanta quoque sacerdotum intercessionibus concedenda ab illo qui sapienter audit : Noli esse multum justus ! » Juxta illud S. Bernardi *ad Eugenium* : «Rector omnia videat, multa dissimulet, pauca castiget. » Subdit deinde Ferrandus : « Inter alia denique detractionis abscondito jaculo neminem vulnerabimus, nec in moribus bene viventium sollicitius inquiremus unde culpentur, si loquatur unicuique nostrum per Spiritum Sanctum fidelis Scriptura : Noli esse multum justus. » Unde concludit : « Nullius onus portans per patientiam fit importabilis omnibus, paulatimque odio crescente, multorum animam primitus seditionibus, deinde publicis aperit prœliis: cupiendo esse multum justus, vere factus injustus, et nomine aut officio ducis indignus. Necessarium proinde sermonem, dux optime, sæpius repeto : Noli esse multum justus. »

Huc facit proverbium Arabum : « Non est justitia celeritas justitiæ, » *q. d.* Non est judici præcipitanda sententia, ne postea deprehendatur injusta.

Tertio. *Tertio*, noster Lorinus et Pineda sic exponunt, *q. d.* Noli divina judicia curiosius scrutari, ut censorem divinæ justitiæ agere videaris, dicendo : Cur Deus permittit justum perire in justitia sua, et impium in malitia prolongare vitam? unde subdit, *neque plus sapias quam necesse est;* Septuaginta, *noli argumentari plus quam oportet,* ut velis disputare cum Deo, juxta illud *Jeremiæ* XII, 1 : « Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur (1) ? »

Quarto. *Quarto*, noli esse nimis justus, id est nimis bonus, nimis lenis, nimis placidus, ut peccata dissimules, nec iis resistas. Ita Chaldæus, *ne sis justus nimium,* ait, *in tempore quo reus est peccator mortis, ut clementer agas erga eum, non occidens eum; nec sapiens fias sic amplius, juxta sapientiam improborum, et ne discas vias eorum : ad quidnam pervertes viam tuam?* Ita quoque Hebræi hic in *Midras* sive Glossa, ac R. Haccados : Nimis justus, id est bonus, inquiunt, fuit Saul, qui pepercit Agag, et melioribus armentis contra præceptum Dei, ideoque regno et vita excidit, lib. I *Reg.* cap. XV, vers. 9.

Quinto. *Quinto*, plane, plene et adæquate, *q. d.* Noli nimius esse et excedere modum in justitia, tum proprie dicta, tum generatim accepta, hoc est in virtute. Virtus enim consistit in modo, et medio duorum extremorum, quæ proinde vitia sunt. Ita S. Gregorius Nazianzenus in *Distichis* : « Cave, ait, ne, vel nimis rigidam justitiam, vel incurvam, vel versutam prudentiam habeas. Optimus enim omnibus in rebus est modus. Animi perfidiam rege, ne alioqui a fortitudine ad temeritatem desciscat. » Idem in præceptis ad Virgines :

> In medio porro virtus est fixa malorum :
> Haud secus ac spinas inter rosa mollis acutas.

Idem, *orat.* 26 : « Ne magnopere justus sis, ait, nec supra modum sapiens. Par etenim justitiæ atque sapientiæ detrimentum affert, acris tam in actione, quam in sermone animi impetus, a bono nempe et a virtute propter excessum excidens. Hanc enim defectus et excessus peræque labefactant, non secus ac regulam additio aliqua aut subtractio. Nemo igitur sapientior sit, quam conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rectior, nec præcepto divino sublimior. Id vero qua tandem ratione consequemur? nempe, si modesti et compositi esse curemus, naturæ leges comprobemus, rationem ducem sequamur, ordinem et disciplinam non aspernemur. » Quin et Aristoteles, I *Ethic.* cap. VI, virtutem definit esse mediocritatem.

Et Horatius :

> Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

Et illud Hesiodi :

> Mensuram serva, modus in re est optimus omni.

Hunc sensum exigit antithesis vers. seq. : «Ne impie agas multum : » Hebræa, *ne pecces multum.* Rursum hoc sensu congrue hæc gnome nectitur præcedenti : « Justus perit in justitia sua, » *q. d.* Noli esse nimis in rigore justitiæ, pœnitentiæ, orationis, contemplationis, cæterarumque virtutum, ne tibi mortem, vel naturalem, vel violentam ab iis qui hunc rigorem justitiæ non ferunt, accersas. Favet quoque causa quam subdit : « Ne obstupescas : » nimius enim rigor mentem hebetat, ac corpori stuporem inducit.

Huc pertinet expositio Aben-Ezræ : *Nimis justus est,* inquit, *qui nimiis jejuniis, orationibus, laboribus corpus extenuat, imo enecat et ad summum stuporem desolationemque adducit.* « Nihil minus expedit quam agrum optime colere, » ait Plinius, lib. XVIII, cap. VI, quia sic omnis ejus succus et vigor exhauritur, ut fiat effœtu sterilis : sic qui nimiis laboribus mentem vel animum excolunt, illum enervant et stupidum efficiunt. Unde S. Bernardus, serm. 4 in Psalm. *Qui habitat* : « Sicut, inquit, iste corporeus sol, licet bonus sit et valde necessarius, tamen et fervor ejus, si temperatus non fuerit, infirmo capiti, et splendor infirmis oculis nocet, nec est solis culpa, sed infirmitatis : sic etiam sol justitiæ est. Unde et dicitur : Noli nimium justus esse, non quod justitia bona non sit; sed quia, dum adhuc infirmi sumus, oportet ipsa bona gratia temperari, ne forte elationis, aut indiscretionis vitium incurramus. » Et S. Ephrem, epist. *ad Joannem monachum, De Patientia* : « Noli esse justus multum : neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas, » hoc est, inquit, ne

(1) Hic sensus genuinus esse videtur. — Sequitur vers. 18 : *Attamen ne sis impius nimis*, etc. Τὸ *nimis* redundat, adhibeturque ob antithesin.

majora te præsumas; noli tentare ea quæ vires tuas, tum naturæ, tum gratiæ superant, ne oneri succumbas et facti te pœniteat. Exemplum affert de monachis quibusdam, qui majoris perfectionis studio cellam relinquentes, contra monita superiorum, in aridissimam solitudinem se contulerunt : sed ibidem fame et frigore confecti, aliqui etiam enecti fuere. Sapientior fuit S. Macarius qui, ut ibidem refert S. Ephrem, a spiritu quodam stimulatus, ut pergeret in interiorem eremum, diu illi restitit, tandemque ei obsequens, egressus in eremum vidit ibidem duos homines nudos, quos compellans : « Quomodo, ait, fieri potero monachus? Et illi ad eumdem : Nisi quis renuntiaverit omnibus qui in mundo sunt, non poterit fieri monachus. Ad quos ille : Ego, inquit, infirmus sum, et non ita valeo, ut vos. Cui illi : Si nequeas ut nos, sede in cella tua, et peccata tua defleas, » *q. d.* Esto cellita, si nequis esse eremita; cœnobitam age, si non vales anachoretam, juxta illud tritum : « Si equum agere nequis, agas asinum. » Hac in re peccant sæpe novitii, qui ex novitio fervore, sed indiscreto, illico volunt esse perfecti et summi in sanctitate, ideoque nimiis jejuniis, orationibus, pœnitentiis se conficiunt, ut ægrotent, indeque fiant tepidi aut scrupulosi.

Igitur *nimium* in justitia omnique virtute cavendum, singulisque modus est adhibendus, excepto amore. « Nam modus amandi Deum est amare sine modo, » ait S. Bernardus; hæc de amore Dei intellige per se : nam per accidens, ne scilicet nimis debilitentur cerebrum et corpus, modus quoque contemplationi et amori adhibendus est.

Denique nonnulli per justitiam accipiunt religionem, *q. d.* Ne sis nimis justus et sapiens, id est nimis religiosus et curiosus in scrutandis divinis; « ne obstupescas, » id est ne fias superstitiosus, vel hæreticus, vel scrupulosus et delirus. Religio enim, si sit nimia, a seipsa degenerat, fitque superstitio. Hinc Plutarchus in *Camillo* : « Pietas, inquit, sive religio medium est inter contemptum numinis et superstitionem. Pietas autem, est quod aiunt : Ne quid nimis, optimum est. »

NEQUE PLUS SAPIAS QUAM NECESSE EST. — Hebræa, *ne tibi sapias amplius quam par est*, vel, *ne te sapientem æstimes excellenter*, sive plus æquo; Arabicus, *ne sapias sapientiam superfluam*; Olympiodorus, *ne nimis sapias*; Campensis, *ne sapias ultra modum*; Tigurina, *ne majorem tibi sapientiam arroges*. Sensus est, *q. d.* Ne nimis sapere velis in invenienda et tuenda nimia tua justitia, qua velut rigidus justitiæ censor judicare et censere præsumas mores, actiones, judicia non solum hominum, sed et Dei, quin et legem ipsam, quasi illa velis esse legalior et justior, uti paulo ante dixi ex Nazianzeno. Unde Septuaginta vertunt, *noli argumentari plus quam oportet*; S. Hieronymus, *ne quæras amplius*. Rursum qua velis plus sapere cæteris, tum in sanctitate, rigore et perfectione virtutis, tum in quavis alia re. Unde Vatablus vertit, *nec plus æquo tribuas tibi*, ut nolis auscultare aliis etiam sapientioribus et superioribus, sed tuum judicium omnibus præferas, teque plus omnibus sapere æstimes, quæ ingens est arrogantia et præsumptio. Unde Apostolus huc alludens : « Non plus sapere, ait, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, » *Rom.* cap. XII, 3. Vide ibi dicta. S. Cyprianus, lib. III *Testimon.* cap. LIII, ex Septuaginta legit, *noli argumentari plus quam oportet*, indeque probat arcana Dei non esse curiose scrutanda, ideoque fidem nostram simplicem esse debere. Chaldæus vertit, *ne sis nimis sapiens in scientia impiorum, qui sunt in generatione sua, ne discas eorum vias, ne forte declines vias tuas*. Filii enim hujus sæculi sapientiores sunt filiis lucis, ait Christus, sed in generatione sua, quia scilicet sapientes sunt in malo, ac mille rationes excogitant, quibus mala quæ machinantur proficiant.

NE OBSTUPESCAS. — Nimia enim sapientia degenerat in insipientiam et stuporem, sicut nimium studium cerebrum fatigat et hebetat, eo quod optimos spiritus consumat : unde nimis studiosi fiunt stolidi, subinde deliri et amentes, aut ægri, citoque moriuntur. Hinc Hebraice est, *ut quid devastaberis*, vel *desolaberis?* qualis est obstupescens, qui a seipso, et ab anima sua quasi desertus et desolatus est; Symmachus, *ut non angaris nimium*; Syrus, *ne admireris*; Arabicus, *ne impie efficias*; S. Hieronymus, *ne turberis*; Thaumaturgus, *ne admisso uno peccato consequenter pluribus implicetur*; Tigurina, *quare teipsum stupidum efficias?* Campensis, *ne forte et tu similiter pereas*. Alius vertit, *ut quid inflabis te?* Chaldæus, *ad quidnam pervertes viam tuam?* Cajetanus explicat quod nimis sapientes, vel justi, utpote parum ad praxim et vitam socialem communemque apti, soleant deseri ab iis qui negotia tractant, vel deliberant et consilium quærunt. Verum hoc frigidius est.

Vis exempla? Accipe, philosophi, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, *Rom.* I, 22. Adam et Eva insipientes et stupidi facti sunt, dum nimis sapere voluerunt, ideoque comederunt pomum arboris scientiæ boni et mali. Sic Festus ait Paulo : « Multæ te litteræ ad insaniam convertunt, » *Act.* cap. XXVI, 24. Sic Salomon, ipse nimis sapientiæ suæ præfidens, stuporem et stultitiam idololatriæ incurrit. Unde *Eccli.* cap. XLVII, 22, de Salomone ait : « Incitari stultitiam tuam; » et vers. 27 : « Dereliquit post se de semine suo, gentis stultitiam, et imminutum a prudentia Roboam. » Vere Isaac presbyter, lib. *De Contemptu mundi*, cap. LI : « Qui, ait, de sapientia elevatur, tenebrosos ignorantiæ laqueos patietur. »

Denique perperam Hugo Cardinalis hæc verba refert ad versum sequentem, *q. d.* Ne impie agas multum, ut peccata peccatis addas, ne obstupescas, id est fias stupidus et durus, ut excitari nequeas ad meliora. Sic et Bonaventura : Prohibet, ait, præcipitium impietatis, quia hæc reddit ho-

minem stupidum in affectu, durum et crudelem in actu, et cæcum in intellectu, atque, ut Lyranus, facit hominem desperare.

Vers. 18. Ne impie agas multum, quid?

18. NE IMPIE AGAS MULTUM : ET NOLI ESSE STULTUS, NE MORIARIS IN TEMPORE NON TUO. — Syrus, *ne odiosus efficiaris multum, ne sis stultus, ne forte moriaris sine tempore tuo;* Thaumaturgus, *noli esse audax vel temerarius, ne te mors ante diem abripiat;* Auctor *Catenæ Græc., ne immatura mors intempestivam tibi manum injiciat;* Chaldæus, *ne ambules post cogitationes cordis tui, ut impie agas, neque longe facias viam tuam a domo doctrinæ legis, ut sis stultus, ne forte causa mortis sis animæ tuæ, ut succidantur dies vitæ tuæ, ut moriaris, antequam perveniat tempus tuum. Ut moriaris,* Hebraice אל תרשע *al tirsa,* id est, *ne sis inquietus,* vagus, turbulentus, ut concupiscentiis variis abripiaris, æstibusque animi, instar maris procellosi fluctues. R. David et R. Abraham, *ne te multum occupes in negotiis mundanis, ne te distrahas, ne vageris;* Campensis, *ne esto nimis justitiæ tenax, neque esto exlex, ut nec in minutissimis scrupulose crucieris, nec maxima temerarius transilias.* Hæc gnome est antithesis præcedentis, ut patet conferenti utramque, præsertim in Hebræo.

Sensus clarus est, *q. d.* ait S. Hieronymus : « Noli peccatis addere peccata, ne provoces Deum etiam hic tibi inferre judicium, » citamque mortem. Peccata maxime gravia et atrocia intellige, hæc enim significat Hebræum רשע *rasca*, et Latinum *impie agere* : quæ duplicis sunt generis, scilicet *primo*, impietas in Deum per superstitionem, hæresim, blasphemiam, idololatriam, etc. Ita Olympiodorus. *Secundo*, sævitia et crudelitas in proximum. Ita Bonaventura, Lyranus et alii. Hæc enim duo, utpote noxia reipublicæ et hominum societati, solet Deus punire in hac vita, et castigare morte, uti castigavit totum orbem idololatria et injustitia plenum diluvio, tempore Noe; Pentapolim igne cœlesti; Core, Dathan et Abiron hiatu terræ, *Numer.* XVI; Absalonem patri Davidi rebellantem suspendio. Nam, ut dicitur *Psalm.* LIV, vers. 24 : « Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos : « ergo » ne impie agas multum, » hoc est, sicut te docui ne nimis sis justus, sic te moneo ne nimis sis injustus. Cave ergo a peccatis gravibus præsertim Deo vel proximo injuriis. Nam omne peccatum, etiam veniale et minimum, in hac fragili vita vitare est impossibile, scilicet, ut ait Poeta : « Quisque suos patitur manes; felix qui minimis urgetur. »

ET NOLI ESSE STULTUS. — Stulte inhærendo vanis voluptatibus, et addendo peccata peccatis, nec pœnitendo cum periculo mortis et gehennæ, quæ peccatores non cogitant, nec prævident, sed libere et secure peccant quasi non esset mors et infernus, ideoque improvidi subito in eum corruunt. An non hæc summa est stultitia? « Si enim, ait S. Hieronymus, novit hirundo pullos de succo oculare chelidoniæ, et dictamnum capreæ appetunt vulneratæ, cur nos ignoremus medicinam pœnitentiæ propositam esse peccantibus? » Unde Septuaginta vertunt, *noli esse* σκληρός, id est *durus;* Arabicus, *ne sis inurbanus, scelestus;* Hugo, *ne sis divinorum ignarus.*

Mori in tempore non suo quid? Expositio prima.

NE MORIARIS IN TEMPORE NON TUO, — id est, ne moriaris intempestive, præmatura et anticipata morte, eaque sæpe violenta, puta vi ab hominibus, vel a Deo vindice tibi illata. Homines valde scelerati, ait S. Hieronymus, moriuntur in tempore non suo, quia vel judicum, vel Dei vindicta de vita tolluntur ante naturalem vitæ terminum, quem attigissent, nisi is incisus et præreptus fuisset, scilicet, *ante fatale tempus,* ait Tigurina : nam, ut vertit Campensis, *tales ut plurimum pereunt male.* Adde, inquietudines et passiones, et perturbationes iræ, invidiæ, superbiæ, etc., quibus assidue agitantur impii, vitam eorum abbreviant. Sic filii et posteri Heli mortui sunt in tempore non suo. Audi S. Scripturam : « Non erit senex in domo tua omnibus diebus : et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit, » I *Reg.* II, 32, 33, juxta illud *Prov.* X, 27 : « Timor Domini apponet dies : et anni impiorum breviabuntur. »

Secunda.

Secundo, « in tempore non suo, » quia impios imparatos, utpote destitutos virtutibus et meritis, subita et repentina invadit mors : ita Olympiodorus. Dicitur hoc tempus *non suum*, quia sibi incongruum, animo noxium, et saluti æternæ damnosum : hoc enim est tempus peccati et diaboli, quo ipse peccatorem possidet, ut rapiat ad tartara.

Tertia.

Tertio, « in tempore non suo, » quia impii nullo tempore exspectant mortem, putantque ab ea se longissime distare; ergo incogitantes et pavidos improvisa mors aufert. Vide Pererium in cap. XXV *Genes.* disput. 7.

Mystice Auctor *Catenæ Græcor.* exponit, *q. d.* « Ne immoretur in corde tuo cogitatio impia, ne forte in impietatem anima prolapsa ignoratione moriatur. »

Tropologice, disce hic quod summum bonum est mori in tempore suo, hoc est, quando quis constitutus in gratia paratus est ad mortem, ut per eam transeat ad beatam immortalitatem. Hanc Deus concedit iis qui solliciti sunt et strenui, ut se in gratia conservent, eamque augeant. Vice versa summum malum est mori in tempore non suo, hoc est, quando quis degit in peccato mortali, præsertim in consuetudine et statu peccati. Hic enim imparatus est ad pœnitentiam, et ad bonam mortem, ideoque per eam tendit ad mortem secundam in gehenna. Hoc Deus infligit iis qui in impietate crescunt, et peccata peccatis accumulant. Hos enim Deus despicit, obcæcat, obdurat, ac tandem reprobat. Quare prædestinationis signum, imo effectus, est mori in tempore suo, id est in statu gratiæ; reprobationis vero mori in tempore non suo, id est imparatum in statu peccati. Quam multi reprobi salvarentur,

si morerentur in tempore suo, id est cum sunt in statu gratiæ! jam autem damnantur, quia moriuntur in tempore non suo, id est in statu peccati. Quam multi vicissim prædestinati et electi damnarentur, si Deus eos raperet in tempore non suo! verbi gratia, si Petrum rapuisset, illico ut negavit Christum; si Paulum, cum persequeretur Ecclesiam; si Magdalenam, cum voluptatibus indulgeret: jam autem per gratiam, qua eos prædestinavit et elegit, sinit eos vivere in tempore non suo, ut rapiat eos in tempore suo, cum scilicet per gratiam sunt amici et filii. Hæc ergo summa est gratia, utpote gratia prædestinationis et electionis divinæ. Hinc disce summe cavendam esse consuetudinem peccandi, ut si in peccatum aliquod lapsus sis, non in eo jaccas, sed illico per pœnitentiam resurgas. Hoc est quod monet Ecclesiasticus, cap. XXI, vers. 1: « Fili, peccasti? non adjicias iterum: sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. » Vide Bellarminum, *De Arte bene moriendi*. Viri quidam timorati nuper sodalitatem instituerunt hac de re, in qua quisque quotidie certas pro se cæterisque sodalibus Deo fundit preces, ut sibi suisque felicem sanctamque in tempore suo concedat mortem; quæ sane pia et utilis est praxis ad assecurandum sibi ultimum et decretorium illud vitæ momentum, ex quo pendet tota æternitas; ideoque sodalitas hæc per plures provincias sparsa est, multaque hominum millia, qui pro se mutuo ac felici sodalium omnium morte quotidie obsecrant, complectitur. Horum illud axioma est: « Sic vive quasi quotidie moriturus. Cum mane surgis, cogita te illo die moriturum. »

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Quod fuit dictamen S. Marcellæ, teste S. Hieronymo in ejus epitaphio ad Principiam ejus filiam.

Vers. 19. 19. BONUM EST TE SUSTENTARE JUSTUM, SED ET AB ILLO (impio, de quo sermo præcessit) NE SUBTRAHAS MANUM TUAM: QUIA QUI TIMET DEUM, NIHIL NEGLIGIT. —Pro *justum* Titelmannus et Vatablus censent legendum *istum*, quia sic legunt Hebræi et Chaldæi. Verum omnes Codices, etiam Sixtini, legunt *justum*, quia per *istum* intelligit *justum*. Hebræa ergo sic habent, *bonum est quod apprehendas in hoc* (id est *hunc*, scilicet justum), *et etiam ab hoc* (id est *alio*, puta impio) *ne quiescere facias manum tuam, quia timens Deum egredietur ad omnia hæc*. Septuaginta, *bonum est inhærere in hoc, et quidem ab hoc ne contamines manum tuam; quoniam timentibus Deum egrediuntur omnia*. Ubi pro μιάνῃς, id est *contamines*, per diæresin videtur legendum μὴ ἄνῃς, uti legit Scholiastes, id est, *ne dimittas*. Sic enim legunt Hebræa, Chaldæa, Latina. Arabicus vero de more Septuaginta secutus legit, *ne contamines*. « Res bona est, inquit, ut amplectaris hanc concionem, et teneas eam, et propterea ne macules manum tuam hoc. » Nonnulli per *hoc* et *hoc* accipiunt justum in neutro genere, id est justitiam, *q. d.* Bonum, imo optimum est ut sustentes justum, id est, ut justitiam et sanctitatem supra te tollas, humerisque et capiti tuo imponas, nec ab ea manus amoveas, sed ambabus eam amplectaris, exerceas, tuearis: hoc enim unicum est negotium tibi a Deo impositum et commendatum. Alii per *hoc* et *hoc* accipiunt duo, quæ præcesserunt, *q. d.* Sustenta *hoc*, scilicet, ut non sis nimis justus et severus, nec subtrahe manum ab *hoc*, id est a secundo, ne scilicet impie agas multum, id est ne sis nimis indulgens et laxus, severitatem clementia temperes: sic Dei sanctam providentiam, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, imitaberis. Verum pro *hoc* hebraice est זֶה *ze*, id est *hic* vel *iste*, in masculino genere, puta justus, nisi alio puncto legas *zo*, id est *hoc*, *istud*; quocirca Sustenta justum.

Primo, Thaumaturgus per *justum* accipiens Deum, sic apte præcedenti de justo et impio hanc gnomen connectit, dum vertit, *bonum maximum est Dei adjutorio niti, et sic omne cavere peccatum. Exsecrabile etiam immaculata pollutis contingere manibus. Atqui obedienti et timenti Dominum omnia adversa licebit effugere*. Et Auctor *Catenæ Græcorum*: « Cæterum, inquit, maximum illud est: si succurrentem Deum, manumque jacenti porrigentem vicissim tu apprehendas, ut ab illo pendens nusquam peccato manum tuam porrigas; nam incesta manu contingere, quæ ab omni sunt labe aliena, scelestum plane est et abominabile; at qui timore Dei confixus, Deo subditus est, is adversa omnia facile vitat. » Primo.

Secundo, Olympiodorus, *q. d.* Bonum est justum, id est justitiam apprehendere et virtutem comparare, nec manus scelere contaminare; qui autem id facit, Deumque timet, evadet tentationum certamina. Vel, ut Cajetanus: Egredietur ad omnia, id est ad omnes virtutes, quas studiose exercebit, nec erit una alterave duntaxat contentus. Rursum Midras, sive Glossa Hebræa, hic per *hoc* et *hoc* accipit diversa, imo universa legis præcepta, *q. d.* Ita serva unum præceptum, ut non omittas aliud, sed universa simul exacte observes: sic non morieris in tempore non tuo, sed universa mortis præmaturæ discrimina tutus evades. Secundo.

Tertio, Hugo Cardinalis, *q. d.* Bonum est sustinere justum, qui sæpe te corripit et castigat, nec ab illo subtrahere obsequium, vel subsidium, sed tanto alacrius illud exhibere, quanto ille diligentior est in corripiendo, et curando salutem tuam. Tertio.

Quarto, S. Hieronymus asserit *sustentare* accipi posse pro sustinere: « Ut justi animus præparetur, ut quodcumque evenerit librata mente sustentet, » *q. d.* Justus æquo fortique animo sustinet omnia tam adversa quam prospera; ideoque implorat Dei opem; si enim eum habeat proteo- Quarto.

torem, nec elevabitur prosperis, nec deprimetur adversis.

Quinto. *Quinto*, Vatablus : *Bonum est ut hoc*, inquit, *teneas*, ita nempe, quod non sis nimium justus; *nec manum tuam ab isto retrahas*, id est *a justitia et sapientia, quas non debes spernere, sed utrique operam diligenter dare, namque timens Deum expediet se ab universis his*, id est, « facile cavebit ne sit nimium justus, aut ne non nimium studeat justitiæ, recedatque ab extremis. »

Huc accedunt Hebræi, qui exponunt, *q. d.* Bonum est apprehendere partem sapientiæ et stultitiæ, quia qui timet Deum utraque viriliter utitur. Una ergo manu apprehendere unam, altera alteram, id quod timor Dei edocebit; cujus ductu tutus incedes, et evades extrema pericula. Et clarius, quasi dicat, *ut hæc pericula* (nimiæ justitiæ, sapientiæ, impietatis, stultitiæ) *vites*, nihil melius est quam ut firmiter credas, et perpetuo in memoria habeas, quod qui reverentur Deum, omnia hæc mortifera mala effugient.

Sexto. *Sexto*, Chaldæus : *Bonum est*, inquit, *te adjungi negotiis mundi hujus, ut retribuas beneficentiam animæ tuæ in via negotiatorum; et etiam ab hoc libro legis, ne dimittas partem tuam : etenim qui timet Dominum, exit de manibus omnium dilectorum illorum.* Unde aliqui per *hoc* et *hoc* accipiunt theoricam et practicam, *q. d.* Ita vaces theoricæ et contemplationi, ut non omittas actionem et praxim, sed manus operi et beneficentiæ admoveas. Contemplatio enim dirigenda est ad actionem et exercitium virtutum.

Septimo. *Septimo* et genuine, S. Hieronymus, Alcuinus, Glossa interlinearis, Titelmannus et alii, *q. d.* Bonum est sapientes et justos ope et opibus sustentare, sed et a stultis quoque impiisque peccatoribus ne subtrahe manum et beneficentiam, quia, qui timet Deum, nihil negligit, sed omnes occasiones bene agendi et bene faciendi capessit et captat, ut imitetur Deum, « qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, » *Matth.* cap. v, 45, *q. d.* Quibus, et quotquot potes benefacere, benefacito : qualesque illi sint, sive sapientes et justi, sive stulti et impii; sic non eris justus nimis, nec nimis impius. Eleemosyna enim corrigit nimiam justitiam et severitatem, atque expiat, si quid impie gesseris. Videtur huic gnomæ contradicere illa *Eccli.* cap. XII, 5 : « Da bono, et non receperis peccatorem; benefac humili, et non dederis impio; » sed ibidem respondi, et locum explicui. Verum, ut candide dicam quod sentio, non videtur hic agi proprie de eleemosyna corporali, sed spiritali, ut sensus sit, *q. d.* Sustenta justum ne velit esse nimis justus, itaque limites justitiæ excedat fiatque injustus; manum quoque ne subtrahas ab impio, ne impie nimis agat et stulte operetur; sicque nihil boni negligas, quod tam in justo in justitia sustentando, quam in impio ab impietate prohibendo et revocando efficere possis. Hunc esse sensum liquet primo, quia eum exigit connexio hujus sententiæ cum præcedenti; atque τὸ *justum* plane respicit refertque justum, de quo versu præced. dixit : « Noli esse justus multum. » Similiter τὸ *sed ab illo ne subtrahas manum* plane refert impium, de quo dixit : « Ne impie agas multum, et noli esse stultus. » Rursum idipsum arguit, quod dicit : « Sustenta, » non da eleemosynam. Hebraice, *apprehende justum* scilicet nutantem et labantem, ne in injustitiam propter nimium fervorem prolabatur. Denique id convincit ratio, quam subjicit vers. 21 : « Non enim est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet, » *q. d.* Ideo sustenta justum, quia non est justus quisquam adeo sanctus, qui non aliquando cespitet et peccet (1).

Timen Deum nil negligit.

QUI TIMET DEUM, NIHIL NEGLIGIT. — Hebræa, *exibit ad omnia*; Syrus, *sequitur omnia*, *q. d.* Non est tardus et piger, sed sedulus et alacer, ut aggrediatur omne bonum omnemque beneficentiam, item omne opus arduum, *q. d.* Justus forti est animo, ideoque difficultates, tentationes et tribulationes non fugit, sed intrepide iis procedit obviam, easque vincit et superat : sicut Deus Jacob « certamen » forte (cum Esau) « dedit, ut vinceret, » *Sapient.* x. Unde S. Hieronymus explicat, *q. d.* « Qui timet Deum, nec elevatur prosperis, nec opprimitur adversis. » Rursum ex Hebræo vertas, *qui timet Deum, exibit cum omnibus*; vel, ut Pagninus, *de omnibus*, id est *evadet omnia mala.* Ita Thaumaturgus, Olympiodorus et alii; vel omne bonum opus ad optatum finem perducet; aut, ut Septuaginta, *exhibunt omnia*, id est omnia feliciter succedent timenti Deum. Unde Arabicus vertit, *qui timet Deum, exit ab omnibus rebus justificatus*; Symmachus, *timens Deum pertransibit omnia*; Tigurina, *expedit se ex universis istis*; Vatablus, *facile recedet ab extremis.*

Moraliter. Moraliter disce hic quod, sicut negligentiæ mater est securitas, sic timor est industriæ et diligentiæ. Hoc vero consistit in quatuor, ait Hugo, scilicet in studio, labore, sumptu, tempore. Diligens enim nulli parcit studio, labori, sumptui, tempori, sed omne, quod res poscit, illi impendit. Rursum timens Deum nihil boni vel mali negligit, sed omne bonum capessit, et omne malum evitat, quantum scilicet humana fragilitas patitur. Nam non est justus, qui non peccet venialiter, ut subdit vers. 21. Justus tamen satagit venialia fugere quoad potest, nihilque vel minimum præterit, vel negligit. Nam, ut sapienter ait S. Augustinus, lib. *De Decem chordis*, cap. XI : « Sic et modica peccata attendite, quia modica sunt, et cavete, quia plura sunt. Quam minutissima sunt grana arenæ! si arenæ amplius in navim mittatur, mergit illam, ut pereat; quam minutæ sunt

(1) Sensus est, ***bonum est quod apprehendas hoc*** (monitum vers. 18); ***et etiam ab illo*** (monito vers. 17) ***ne dimittas manum tuam : nam timens Deum egredietur omnia illa***, evadet omnia illa et juncta iis pericula.

guttæ pluviæ! nonne flumina implent et domos dejiciunt? Ergo ista nolite contemnere. » S. Bernardus autem sic inquit : « Non solum gravia, sed et levia cavenda sunt peccata. Multa enim levia unum grande efficiunt, sicut solent de parvis et minimis guttis immensa flumina crescere. » Ita S. Bernardus, lib. *Meditat.* cap. XLV; quod intellige non formaliter, sed dispositive : venialia enim peccata disponunt ad mortalia : sunt enim sicut pulvis in oculos injectus, qui eos in principio obnubilat, deinde excæcat penitus; sunt sicut seminatores discordiæ, qui affectuum rempublicam turbant, et animam totam inquietant; sunt imbres, qui non quidem charitatem exstinguunt, at robur ejus et fervorem consopiunt; sunt ægritudines, quæ mentem debilitant; sunt fœtores, qui spiritum Dei contristant, et nos a bono ejus familiaritatis avertunt.

Qui ergo Deum timet, nihil negligit; sed majora peccata ut majora fugiet, et minora ut semina majorum vitabit. Temerarium enim est unum pedem hostis intra domum admittere, qui post unum alterum ponet, et miserum habitatorem ex ea cum injuria expellet. Ita diabolus solet a parvis incipere, et ad majora procedere, et postquam ab anima timorem leviorum peccatorum depulit, metum etiam graviorum ablegare. Vide dicta *Eccli.* cap. XIX, vers. 1, ad illa : « Qui spernit modica, paulatim decidet. » Ex adverso stultus, qui Deum non timet, audacter transilit de peccato in peccatum, velut equus exoculatus, qui nihil timet, quia nihil videt; unde vulgo dicitur : « Nullum animal audacius equo cæco, » ait Hugo.

Vers. 20 Sapientia dat robur.

20. SAPIENTIA CONFORTAVIT SAPIENTEM SUPER DECEM PRINCIPES CIVITATIS. — Hebræa, *sapientia validabit sapientem præ decem dynastis*, vel *dominantibus in urbe*; Syrus, *sapientia roborat sapientem, melior decem principibus, qui sunt in urbe*; Tigurina, *sapientia plus virium suppeditat quam decem potentes*; Campensis, *plus juvat, quam possint decem primates*; Thaumaturgus, *nec tantum valent in civitate potentissimorum virorum præsidia, quantum sapientia; ea solet nonnunquam etiam omittentibus facere quæ oportebat, ignoscere.* Laborant hic interpretes in nexu hujus sententiæ cum præced. S. Hieronymus sic nectit, ut occurrat tacitæ objectioni. Dicet enim quis : Sum tenuis fortunæ et pauper, quomodo ergo opibus meis sustentabo justum? Huic respondet : « Quos non potes opibus, consilio adjuva, solatio fove. Plus enim potes in angustia constituto præstare sapientia, quam quilibet maximæ potestatis. Atque hoc ipsum cum prudentia facito. Grandis quippe libra justitiæ est, et cui, et quantum, et quamdiu, et quali, vel in re, vel in consilio tribuere. »

Planius et plenius sic nectas, ut det causam, unde tantum robur sit sapienti, ut sustentare queat tam justum, quam impium nutantes et labantes in peccatum, curque ipse nihil boni negligat, sed validus vegetusque sit ad omne bonum. Causa nimirum est, quod sapientia confortet sapientem, ut plus efficere queat unus sua sapientia, quam decem principes suis opibus et potentia in civitate; hæc enim corporea est, fragilis, infida et incerta : sapientia vero spiritualis est stabilis, fida et certa. Exemplum est in Joseph, de quo hunc versum explicat Chaldæus : « Sapientia Josephi, inquit, filii Jacobi, plurimum ei præsidii et prudentiæ coram fratribus suis decem justis attulit, qui cum in timore Domini multum posset, nihil in illos molitus est mali, quo tempore in Ægypto essent; neque etiam violenter in fratrem irruerunt, qui tum eorum animos exasperarat. » Ita habet Chaldæus Complutensium et Costi, licet in Bibliis Regiis habeat : *Sapientia auxiliabitur sapienti, qui subegerit concupiscentiam malam.* Rursum exemplum est in Jacob patre Josephi, de quo ait Sapiens cap. X, 10 : « Hæc (Sapientia) profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, etc. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. » Ratio a priori est, quod sapientia mille excogitet et suggerat rationes, quibus sustentet justum æque ac impium, ac quodlibet opus arduum aggrediatur et perficiat. Rursum quod sapiens, id est justus et sanctus, sit Dei os et organum, per quod loquitur Spiritus Sanctus ad movendum audientium corda, quocumque ei libuerit, uti patuit in S. Petro et S. Paulo, cæterisque Apostolis et viris Apostolicis, qui orbem converterunt, et ex impio fecere pium. Quare, ut dicitur *Eccle.* cap. IX, 18 : « Melior est sapientia, quam arma bellica. » Et : « Vir sapiens, fortis est : et vir doctus, robustus et validus. Quia cum dispositione initur bellum : et erit salus ubi multa consilia sunt, » *Prov.* XXIV, 5; et cap. XXI, 22 : « Civitatem fortium ascendit sapiens, et destruxit robur fiduciæ ejus. » Vide ibi dicta.

SUPER DECEM PRINCIPES, — id est primores, dynastas, qui sunt in civitate. Hebraice enim est *Schallitim*, unde sultan sive soldanus, id est princeps et imperator, qualis fuit Soldanus Ægypti, Babylonis, Syriæ, etc.; *decem*, id est multos, imo universos. *Denarius* enim est complementum numerorum simplicium, qui *articuli* vocantur, eosque primo componit et combinat. Unde δεκὰς dicitur, quasi δεχὰς a δέχεσθαι, quod omnia contineat et comprehendat. Sic Job cap. XIX, 3, ait : « En, decies, » id est multoties et continuo, « confunditis me. » Alludit tamen ad decem primores urbis, de quibus dicitur *Ruth* cap. IV, vers. 2 : « Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis; » hosce enim non tantum ut testes cessionis hæreditatis adhibitos fuisse, uti volunt Lyranus et Abulensis, sed etiam ut seniores, id est senatores et judices, patet ex eo quod subdit : « Dixitque ad eos : Sedete hic. Quibus sedentibus locutus est ad propinquum, » etc. cau-

sam cessionis cum eo coram decem senatoribus peragens, uti recte ibidem observavit Fevardentius; esto Josephus, quem citat et sequitur Carolus Sigonius lib. VII *De Republ. Hebr.* cap. VII, innuat apud Hebræos septem fuisse civitatis principes : varii enim in urbe sunt magistratus, variis rebus causisque præpositi; unde in uno septem, in alio decem senatores. Sic apud Romanos erant septemviri, erant et decemviri, sed in diversis tribunalibus, adde et in diversis temporibus. Audi Livium, lib. III : « Anno trecentesimo altero, quam Roma condita erat, iterum mutatur forma civitatis ab consulibus ad decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad consules venerat. » Porro nugatur R. Salomon, dum explicat de Josia, *q. d.* Josias rex sapiens et pius ob suam sapientiam et pietatem, potentia et robore superavit decem reges antecessores suos.

Mystice Salonius per sapientem accipit Christum, qui robustior est, majusque auxilium fidelibus præstat, quam decem principes, id est omnes angeli : « Decem enim, inquit Salonius, fuerunt ordines angelorum; sed unus cecidit per superbiam, et idcirco boni angeli semper ad hoc laborant, ut de hominibus numerus adimpleatur, et perveniatur ad perfectum numerum, id est *denarium.* » Hoc cum grano salis accipe. Nam Ecclesia tantum agnoscit novem choros cœlestium spirituum, e quibus nonnulli cum Lucifero ceciderunt, factique sunt dæmones : cæteri, duce S. Michaele, in fide et gratia perstiterunt, factique sunt angeli. Unde hic locus a censoribus in Salonio notatus et castigatus est. Excusandus est tamen Salonius, quod decimum chorum separaverit a novem choris sanctorum angelorum, feceritque eorum qui prolapsi sunt et facti dæmones, *q. d.* Novem chori sunt sanctorum angelorum, decimus est dæmonum.

Vers. 21. Omnis justus subinde peccat.

21. NON EST ENIM HOMO JUSTUS IN TERRA, QUI FACIAT BONUM, ET NON PECCET. — Hebræum, *et non peccabit*, i. e. qui nunquam sit peccaturus; Thaumaturgus, *et quis est qui non impingat alicubi?* Cajetanus hanc gnomen nectit præcedenti dupliciter : *Primo*, referendo eam ad decem « principes civitatis, » *q. d.* Hisce robustior est sapiens, quia hi ut homines subinde errant et peccant : at sapiens confortatus a sapientia, dum eam sequitur, errare et peccare nequit. *Secundo*, referendo eam ad τὸ *sapientia*, *q. d.* Sine sapientia, vel seclusa sapientia non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet, *q. d.* Quod justus faciat bonum et non peccet, id habet a sapientia : quare si eam secludas, vel si justus eam deserat, illico bonum deseret et peccabit. Hoc est quod dicitur *Sap.* IX, 19 : « Per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio. »

Planius eam referas ad vers. 19, ut ibi dixi. Cum eo enim optime cohæret, ejusque dat causam, *q. d.* Sustenta justum ne labatur, vel ut lapsus [illegible] quia non est justus, qui ita constanter bonum faciat, ut ex innata fragilitate aliquando non peccet. Eget ergo sustentatore, qui eum fulciat ne cadat absolute, aut certe ne in peccatum gravius cadat, vel si in illud corruerit, lapsum erigat. Hoc est quod ait S. Jacobus cap. III, vers. 2 : « In multis offendimus omnes; » et : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus : ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est, I *Joan.* cap. I, 8. Vide utrobique dicta (1).

Excipe ex communi totius Ecclesiæ sensu et consensu, Christum et B. Virginem : hi enim nunquam peccaverunt, sed semper bonum operati sunt. Quocirca ex hoc loco docet Concilium Milevitanum, Tridentinum, totaque Ecclesia justos non posse vitare omnia peccata venialia : esto enim singula seorsim sumpta vitare queant, non tamen universa simul sumpta. Quare necessarium est ut aliquando venialiter peccent, non definite hic et nunc, sed indefinite. Sicut sagittarius licet peritissimus sit, non potest centies continuo sagittando scopum configere, sed necessum est ut fatigatus, deficiente attentione, aliquando ab eo aberret.

Porro impia et stolida est explicatio Calvini et novatorum, qui ex hoc loco contendunt hominem etiam justum, eo quod concupiscentia sit infectus, in omni opere bono aliquid concupiscentiæ et peccati admiscere, ut in omnibus emineat quædam ἀταξία, inordinatio, labes et confusio. Hoc enim dogma adimit homini mentem, consilium, prudentiam, bonitatem, virtutem, sanctitatem et omne bonum, atque hominem non tantum in bestiam, sed et in dæmonem transformat. Solus enim dæmon cum damnatis, ex desperatione, et odio ac furore, quo flagrat in Deum, non potest velle quidquam boni, adeoque nihil potest agere nisi superbire, irasci, invidere, furere et peccare. Vide Bellarminum, lib. IV *De Justificatione*. Argute Hugo cardinalis asserit non esse qui faciat bonum simul et non peccet, quia pueri, inquit, non peccant quidem, sed non faciunt bonum; adulti vero, esto faciant bonum, tamen aliquando peccant. Solidius S. Athanasius, tract. *De Incarnat. Verbi* contra Paulum Samosatensem et S. Hieronymus, cap. II *ad Ephes.* hanc gnomen accipiunt de peccatis, non tantum venialibus, sed et mortalibus, quod scilicet ea omnia nemo suis viribus vitare possit, ut vere sit justus. Indeque evincunt necessariam fuisse Christi incarnationem, ut Christus suis meritis nos justificaret, ac gratiam ad vitandum omne peccatum mortale nobis impetraret et conferret.

22. SED ET CUNCTIS SERMONIBUS QUI DICUNTUR, NE ACCOMMODES COR TUUM : NE FORTE AUDIAS SERVUM MALEDICENTEM TIBI; Vers. 22

23. SCIT ENIM CONSCIENTIA TUA, QUIA ET TU CREBRO Vers. 23

(1) Hujus versus, si cum præcedentibus connectatur, sensus erit : Quoniam nullus homo a delictis prorsus liber sit, ne in Deum querelas effunde, quod tibi in malis justus esse videatur. Eumdem alii cum sequentibus non male jungunt : *idcirco etiam cunctis*, etc.

MALEDIXISTI ALIIS. — Septuaginta vers. 23 ita reddunt, *etenim frequenter malignabitur in te, et multis modis male afficiet cor tuum, nempe quia tu etiam maledixisti aliis*; Aquila, *quia frequenti tempore male habebit cor tuum*, si nimirum attenderis et curaveris quid quisque dicat. Hebræum קלל *kalal* significat *vilem facere*, extenuare, deprimere, detrahere, maledicere, exsecrari, mala imprecari, similiaque dicere et facere, quæ suggerit animi amaritudo, turbatio, impatientia, ira et odium. S. Hieronymus hanc gnomen præcedenti nectens sic explicat : « Sapientiæ auxilio confortatus, vel ad bona, vel ad mala præpara cor tuum, et non cures quid de te loquantur inimici, qualis foris opinio sit. Quomodo enim prudentis viri est murmurantem famulum non audire, sic et sapientis hominis est sapientiam præviam sequi, et vanos non considerare rumores. » Thaumaturgus, *ne maledicta de te jactata commordeant animum, ne in multis postea actionibus, ad referenda convicia ipse quoque abducaris.*

Sapientia ergo roborat cor sapientis, ut ad animi pacem et generositatem tuendam non curet rumores, nec quid de se servi aliive dicant et maledicant, imo ad ea non attendit, nec audire vel scire cupit; quia si attendat, audit subinde mira et indigna, ideoque ab iis, de quibus nunquam cogitasset : quare surda aure omnia præterit, despicit et spernit, sciens hominum plebeiorum, præsertim servorum genus esse vile, impatiens, garrulum, parvi animi et judicii, dicax et procax; quare magno celsoque animo illa dissimulat et negligit. Unde Olympiodorus in Septuaginta pro *multis modis male afficiet cor tuum*, legens, *descensibus plurimis affliget cor tuum*, sic explicat : *Convicium persæpe, cum auditur, animam turbat.* « Si igitur quispiam in conviciantem ira succendatur, in multos cadit labiturque descensus, a sublimi sede rationis detractus in iracundiæ passionem, atque ita tristi turbulentia implet cor suum. »

Convicium surda aure excipe.

Sic David Semei et cæterorum maledicta surda aure præteriit. « Factus sum sicut homo non audiens : et non habens in ore suo redargutiones, » ait ipse *Psal.* XXXVII, 15. Verba enim non sunt verbera, aerem feriunt non hominem : nisi qui iis attendit mordetur, sauciatur. Idem ex Salomone docuere philosophi. Augustus Cæsar conviciis in se jactis non irascebatur, sed arridebat, ait Seneca, lib. *De Clement.* cap. X. Fabius Maximus sequens Annibalem, a suis Annibalis pædagogus vocabatur. At ille more suo perrexit, itaque Annibalem fregit; unde dicebat : « Qui dicteria conviciaque metuit, timidior est iis qui fugiunt hostes. » Ita Plutarchus in *Apophth.* Tiberius Cæsar convicia dissimulabat, dicens, « in libera civitate liberas esse linguas, » ait Suetonius in ejus Vita. Aristippus maledicum insequentem fugiens, cum ab eo rogaretur : Cur fugis? « Quia, inquit, tibi facultas est maledicendi, mihi vero non est audiendi. » Titus Imperator : « Nihil ago, inquit, ob quod reprehendi merear; ea vero, quæ de me falso dicuntur, prorsus negligo. » Ita Xiphilinus in ejus Vita. Plutarchus, lib. *De cohibenda ira* : « Accurate, inquit, scrutari inquirendo omnia, atque in medium protrahere omnia servi negotia, omnes amici actiones, omnia filii studia, omnes uxoris susurros, ea vere res iras gignit multas, atque continuas et quotidianas, quarum summa eo redit, ut morosi intractabilesque reddamur. Euripidis esse : Deum res magnas curare, exiguas feminæ dimissas sinere. » Philippus Macedo primoribus sibi obtrectantibus : « Gratias, inquit, iis habeo, quia eorum obtrectatione fio melior, dum factis conor illos mendacii convincere. » Ita Plutarchus in *Apophth.* Unde Seneca, lib. III *De Ira*, cap. XXIV : « Dicat itaque, inquit, quisque sibi quoties lacessitur : Numquid potentior sum Philippo? illi tamen impune maledictum est. Numquid in domo mea plus possum, quam toto orbe terrarum divus Augustus potuit? ille tamen contentus fuit a conviciatore suo secedere. Quid est, quare servi mei hilarius responsum, et contumaciorem vultum, et non pervenientem usque ad me murmurationem flagellis et compedibus expiem? Qui sum cujus aures lædi nefas sit? ignoverunt multi hostibus, ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primum offendit? cogitemus quamdiu placuerit. Sæpe et alias offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit : inimicus est? fecit quod debuit. Prudentiori credamus, stultiori remittamus. »

QUIA ET TU CREBRO MALEDIXISTI. — Remedium suggerit, tum ad tolerandam, tum ad fugiendam maledicentiam. Solent enim illi qui superioribus aliisve sunt molesti et maledicunt, subditos pariter experiri fastidiosos, et ab iis maledictis impeti. Hæc enim est justa talionis pœna, qua Deus qui nullum peccatum sinit impunitum, tales congrue punit et ulciscitur, juxta illud Christi : « In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, » *Matth.* VII, 2. Et : « Sicut feci, ita reddidit mihi Deus, » *Judic.* I, 7. Et : « Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur, » *Sap.* XI, 17. « Qui dicit quæ vult, audit quæ non vult, » ait Comicus.

Gnomæ.

24. CUNCTA TENTAVI IN SAPIENTIA. DIXI : SAPIENS EFFICIAR : ET IPSA LONGIUS RECESSIT A ME (1). Vers. 24.

25. MULTO MAGIS QUAM ERAT : ET ALTA PROFUNDITAS (Hebræa, *profundum profundum*, id est, sum- Vers. 25.

(1) *Omnia hæc tentavi per sapientiam*, sapienter exploravi. *Dixi*, cogitavi mecum : *Sapio*, jam ad fastigium sapientiæ adscendi; *sed ea* sapientia *remota erat a me.* Vers. 25 : *Remotum est id*, scil. esse sapiens, seu sapientia, *et profundissimum : quis inveniet illud?* Recte monet Geierus, verba hebræa sic esse ordinanda, *quis inveniet illud quod est remotum et valde profundum?* Maurer, *remotum est id, quod*, id *est*, difficile exploratu est, quid id sit.

ma profunditas sapientiæ) QUIS INVENIET EAM? — Arabicus et Syrus, *profunditatem profunditatum ejus quis inveniet?* Salomon hic sermonem reflectit ad seipsum et sapientiam, ejusque profunditatem admiratur : quo enim magis sapientiam indagavit, eo magis ejus profunditatem deprehendit : uti nautæ quo magis mare ingrediuntur, eo illud profundius experiuntur; et mons eminus intuenti demissus, cominus vero excelsus videtur. Quare fatetur se, cum ad summum sapientiæ apicem contenderet, quo plus in ejus scrutinio progressus est, profecit et perrexit, eo magis ab ejus comprehensione defecisse, quia quo plura in sapientia cognovit, eo plura in ea obscura, scrutanda et pernoscenda conspexit, uti sæpe superius dixit et confessus est : quare hic plura non addam. Ita S. Hieronymus qui asserit Salomonem « ultra omnes homines quæsisse sapientiam, et ad finem illius tentasse pervenire, » sed frustra, cum illa instar abyssi fundo et fine careat, sitque immensa atque in divinitatis oceano, puta in intimis divini pectoris visceribus latissime diffusa, et profundissime abscondita. Thaumaturgus hæc refert ad pœnitentiam Salomonis; unde vertit, *omnia hæc mihi jam olim comperta : sapientiam enim a Deo consecutus eram; sed eam, heu ! quanto damno meo abjeci : ad similem enim illi pristinæ amplius pertingere non valeo.*

Sapientia est profunda.

Porro S. Hieronymus sapientiam hanc accipit scientiam divinitatis, *q. d.* Tentavi scrutari Dei majestatem; sed quo magis eam penetravi, eo profundiorem et magis impenetrabilem reperi; alii, ad curiositatem vestigandi et sciendi ea quæ humanum captum superant; Chaldaice, *ad scrutinium legis divinæ, adventus Messiæ, ac diei mortis et diei judicii.* Planius et aptius ad sequentia referas, scilicet ad scrutandum creaturarum vanitatem, ut nosset ubi esset vera voluptas et felicitas, *q. d.* Scrutatus sum res omnes, et in omnibus vanitatem reperi, nec quidquam, quod animum hominis inexplebilem explere et beare posset : quo plus veram satiem et felicitatem in iis quæsivi, eo minus reperi, et longius a vera sapientia et felicitate me elongavi, ac præsertim dum inter feminarum complexus et voluptates eam quæsivi. Hunc esse sensum patet ex sequentibus.

Hanc profunditatem sapientiæ graphice depingit Baruch III, 15; Salomon, *Prov.* XXX, 4; *Eccli.* I, 2, et XXIV, 7 et seq.; *Job*, XI, 7 : « Forsitan, inquit, vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari. » Idem facit toto cap. XXVIII. Sic studiosi Theologiæ, initio, ut principia ejus intelligunt, videntur sibi multa scire, et valde esse sapientes; at ubi pergunt fiuntque professores, vident ubique difficultates, ac cernunt se longe plura ignorare quam scire.

Tropologice S. Gregorius, XXXII *Moral.* cap. I, asserit quod sancti viri, « quo apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos esse se deprehendunt; quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in ipsis latebat, inveniunt, et tanto magis foris sibi deformes apparent, quanto magis pulchrum est quod intus vident. » Citato deinde hoc loco *Eccles.*, sic explicat : « Quæsita enim sapientia longe recedere dicitur, quia appropinquanti altior videtur; qui vero hanc nequaquam quærunt, tanto se ei propinquos æstimant, quanto et ejus rectitudinis regulam ignorant, quia siti in tenebris mirari lucis claritatem nesciunt, quam nunquam viderunt. »

26. LUSTRAVI UNIVERSA ANIMO MEO, UT SCIREM, ET CONSIDERAREM, ET QUÆREREM SAPIENTIAM, ET RATIONEM : ET UT COGNOSCEREM IMPIETATEM STULTI, ET ERROREM IMPRUDENTIUM. — Hebraice הוללות *holelot*, id est *insanientium*, vel potius *insaniarum*. Ubi in Hebræo eædem voces sunt, quæ hic Septuaginta, *actationem*, vel *circumlationem*; Symmachus, *cogitationem tumultuosam*; q. d. ait S. Hieronymus : « Quotidie mecum uniuscujusque rei rationem ponens, nullum invenire cogitatum potui, qui non cogitatione perversa extrinsecus turbaretur (1). » Vers. 26

Pro *lustravi* Aquila vertit, *circumambulavi*; Hebræa, *circuivi*; Symmachus, *pertransivi universa sensu meo*, q. d. Omnia circumspexi et circumlustravi. Contrarie, ideoque non ad litteram Olympiodorus : « Vir sapiens, ait, cum ad intelligendum aliquid vires intendit, collecta mente omnia in circuitu rationibus lustrat; neque item recta linea fertur ad sensibilia prospectanda, sed clausis sensuum fenestris, ac recedens in suæ mentis penetralia deambulat in circuitu. Ibi arcano reflexu in se rediens intellectus sese speculatur ipsum, et quod intelligendum objicitur. »

Pro *stulti* Noster legit כסיל *kesil*; jam alio puncto legunt כסל *kesel*, id est *stultitia*, eodem sensu; aut potius legens *kesel*, id est *stultitiæ*, vertit *stulti*, quia vere censuit abstractum de more poni pro concreto. Hæc gnome patet ex dictis, cap. I, vers. 17, ubi in Hebræo eædem voces sunt, quæ hic. Ait ergo : Circumlustravi omnia ut scirem scilicet rerum naturam et vanitatem, ac præsertim impietatem stulti, ut mox explicat : ibi enim pro *cognoscerem* in Hebræo est idem verbum, quod hic, scilicet דעת *daat*, id est *scirem*, ut scilicet ex hac vanitatis et stultitiæ

(1) *Converti me ego et cor meum*, omni animi mei studio me contuli, *ad cognoscendum et ad investigandum* (scil. res mundanas), *et* ad *quærendum sapientiam et intelligentiam, et ad cognoscendum improbitatem stultitiæ et stultitiam insaniæ*; alii, *stultitiam* et *insanias* per ἀσύνδετον; Maurer, ... *cognoscendum improbitatem* esse *stultitiam*, et *stultitiam* esse *insaniam*. Vers. 27. *Et inveniens ego*, deprehendi aliquid quod *magis amarum* est, *quam mors*, scil. *mulierem*, etc.

scientia considerarem, et quærerem veritatem, veramque sapientiam, in qua scilicet sita sit vera hominis beatitudo et felicitas; simul et rationem, id est, modum et media, eam assequendi, qui est scopus et argumentum totius hujus libri; ideoque laboravi, ut cognoscerem impietatem stulti et errorem imprudentium, qui vanis, caducis et exilibus voluptatibus, præsertim venereis mulierum (ut sequitur) illecti, a sapientia, salute et felicitate aberrant, ac stulte in certum mortis præsentis et æternæ periculum se conjiciunt. Ita S. Hieronymus, Alcuinus, Lyranus et alii, qui censent hic significari quod summum sapientiæ impedimentum sit luxuria et amor mulierum. Addit S. Hieronymus Salomonem quæsisse quodnam in rebus humanis summum esset malum, ac deprehendisse esse mulierem : hanc enim caput esse malorum omnium. Thaumaturgus vero censet Salomonem ex desperatione sapientiæ, cum illam videret adeo profundam et quasi fugientem a se, tradidisse seipsum concupiscentiæ mulierum, et in luxuriæ volutabrum incidisse.

Chesbon Hebraice quid?

Pro *rationem* Hebraice est חשבון *chesbon*, id est *cogitationem*, numerum, summam, rationem, ait S. Hieronymus. Septuaginta, λογισμὸν et ψῆφον, i. e. *suffragium*, vel potius summam, computum, et supputationem. R. David accipit rationem disputandi, quam docet Logica. S. Bonaventura sapientiam tribuit appetitibus, rationem operibus. Hugo Cardinalis sapientiam dat rebus occultis, per rationem accipit causam et probationem. Plane per rationem accipias viam et modum assequendi sapientiam et felicitatem, ut dixi. Minus recte Olympiodorus per rationem accipit Arithmeticam, et scientiam eorum quæ per numeros computantur; vel vestigantur, præsertim in genethliacis observationibus et conjecturis. Posset quoque ratio pro computu accipi, *q. d.* Dum omnes res creatas ad numerum et calculum revoco, dum earum pretium et valorem expendo, invenio in omnibus esse vanitatem, errorem et stultitiam. Ita S. Hieronymus.

Denique *chesbon* significat ingenium, excogitationem, inventionem, artem, industriam, *q. d.* Ut excogitarem et invenirem artem et industriam recte et feliciter vivendi : hæc enim summa est ars. Sicut enim summa est ars bene moriendi, sic et summa est ars bene beateque vivendi; hæc enim illam parit et gignit. Septuaginta, et ex iis S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. VII, ex correctione Sixtina, sic legit : « Circuivi cor meum, ut considerarem et quærerem sapientiam et numerum, et ut scirem impii lætitiam, et molestiam, et jactationem, et inveni ego eam amariorem morte. » Chaldæus : « In tantum tamque immensum spatium profundi (sapientia) aufugit, ut nulla sit eamdem arripiendi facultas. Denique in eam deductus sum desperationem, ne amplius requirerem, neque cogitarem quam vanæ impiorum lætitiæ, quam frivola consilia, quamque misera vita. Cumque sic haberem, lethali concupiscentia irretitus, in hoc ipsum volutabrum incidi. » Vere Hugo : Errant, ait, mortales, dum verum arbitrantur, quod est falsum; bonum, quod est malum; magnum, quod est parvum; seque res possidere, a quibus potius possidentur : magni autem refert, si quis id cognoscat, ut damnet et caveat.

Vers. 27. 27. ET INVENI AMARIOREM MORTE MULIEREM, QUÆ LAQUEUS VENATORUM EST, ET SAGENA COR EJUS, VINCULA SUNT MANUS ILLIUS : QUI PLACET DEO, EFFUGIET ILLAM; QUI AUTEM PECCATOR EST, CAPIETUR AB ILLA. — Per *mulierem* Chaldæus accipit *uxorem viro molestam*; Olympiodorus, *adulteram*; alii, *meretricem*. Melius cum S. Hieronymo et Thaumaturgo accipias quamvis *feminam illecebrosam, et ad luxuriam illicem*.

Sensus est, *q. d.* Lustrans omnes mundi vanitates et voluptates, nullam inveni vaniorem, fallaciorem et amariorem muliere, quæ juvenes virosque ad se trahit et illicit : errorum insaniarumque maximum, « et quod universa antecedat mala, quodque impietatis, stultitiæ, erroris, vecordiæ teneat principatum, atque omnium malorum caput est mulier, » ait S. Hieronymus. Hæc enim *primo*, amarior est morte, quia mors semel enecat; at mulier quotidie, imo singulis horis et momentis, ita amasium importunis suis postulationibus, querelis, clamoribus, litibus, rixis cruciat, ut videatur eum enecare, sed ita ut ille mortis dolores, agones et angores jugiter sentiat, nunquam vero moriatur, sed vivus semper in longa et viva morte persistat. Expertus est id Salomon tum post lapsum, tum ante lapsum, cum mulieres deperire et multiplicare cœpit. Experto credendum est, ait S. Hieronymus. Denique femina viro sæpe est causa mortis, uti Dalila fuit Samsoni. Notus est Medeæ furor in Jasonem, prius adeo a se amatum. Graphice describit et exaggerat quantum malum sit mulier, dum eam componit et præponit morti, quæ omnium terribilium est terribilissimum, ait Aristoteles. Hoc est quod de femina dicitur, *Proverb.* II, 18 : « Inclinata est ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius. » Vide ibi dicta, et *Proverb.* V, 12, ubi ostendi luxuriam parere paralysin, apoplexiam, phthisin, morbum venereæ luis, et mille alios quibus torquetur et strangulatur luxuriosus. Unde gentiles Libitinam, id est Venerem coluerunt, quasi præsidem mortis et deam exequiarum, ait Plutarchus in *Numa*. Et Athenienses Venerem adorabant, quasi Parcarum maximam, eique cognomen dederunt ἀνδροφόνος, id est *virorum homicida*, teste Pausania, lib. I.

Femina amarior morte, cur?

Secundo, femina est « laqueus venatorum, » quia quot in ea sunt corporis ornamenta, tot sunt juvenum laquei, et mentis irretiendæ irritamenta. Rursum, ut ait Comicus in *Asin.*, femina similis est aucupi : « Esca, inquit, est meretrix, lectus illex est, amatores aves. » Hinc Venus a *venando*,

Est laqueus.

vinciendo et *vinculis* dicta est, ait Varro : unde et Venus vinculis circumdata pingebatur, eo quod omnes amore sibi devinciret, irretiret et illaquearet, teste Lucretio, lib. IV.

Est sagena. *Tertio*, « sagena cor est illius, » *primo*, quia toto corde, mente, animo meditatur mille meretricias artes et dolos, quibus amasios illiciat, capiat et perdat. Rursum cor, id est intentio illius, est viros illaqueare. *Secundo*, cor accipe non solum, sed cum oculis sive oculatum, in oculis enim radiant cor et amor : quare oculi feminæ illices sunt et pestiferi instar basilisci, ait S. Basilius in cap. III *Isaiæ*, qui solo visu enecat intuentes se. Hinc vulgo dicimus oculum feminæ esse spiculum, illudque ignitum :

> Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
> Femina,

ait Virgilius.

Hinc Complutenses vertunt, *retia et scandala habet in corde suo*. Vere Bucchides alloquens feminas : « Viscus merus, ait, vestra est blanditia. » Et Comicus in *Trucul.* : « In melle, ait, sunt linguæ vestræ, sed corda in felle ; » uti Lamia illa inescavit Menippum, ut eum deinde devoraret, de qua mira narrat Philostratus, lib. IV, cap. VIII. Quare sapienter Ovidius, lib. I *De Arte amandi* :

> Fallite fallentes, ex magna parte profanum
> Sunt genus : in laqueos, quos posuere, cadant.

Porro damna omnia meretricis ac libidinis, Poeta hisce duobus versibus complexus est in emblemate, cui titulus : *Libido vetita*. Sic enim de ea respective canit :

> Corpus, opes, animam, consortia, fœdera, famam,
> Debilitat, perdit, necat, odit, destruit, aufert.

Helinandus apud S. Antoninum, lib. VI *Histor.* tit. XIII, cap. VI, 54 : « Mulier, ait, dicitur a *molliendo*, ut et malleus, quia sicut faber per malleum mollit ferrum, sic diabolus per mulierem mollit et malleat universam terram ; de quo *Jerem.* L, 23, in sensu mystico : « Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ? » additque casto vitanda esse hæc undecim, quæ sunt :

> Otia, segnities, somnus, caro, femina, vinum,
> Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

Unde legitur in Vitis Patrum non habendam familiaritatem cum femina, puero, vel hæretico. Vide dicta *Proverb.* VI, 24 et sequent.

Quarto, « vincula sunt manus illius ; » Aquila, *vinctæ sunt manus ejus* ; Chaldæus, *ligatæ sunt manus ejus, sic ut non faciant opus* ; Hebræum *asurim* et vincula et vinctos significat. Unde vertas, *vincti sunt in manibus ejus, q. d.* Multi capti sunt ab ea, perinde ac si colligati essent in carcere, juxta illud *Prov.* VII, 22 : « Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorat quod ad vincula stultus trahatur ; » quam proinde S. Basilius, lib. *De Virgin.*, comparat magneti. Sicut enim ferrum trahit magnes, sic virum sua trahit Agnes. Unde Thaumaturgus vertit, *si vel manum tantum manui connexuerit, non minus stricte retinet, quam si vinculis constrictos traheret*. Hinc tactus mulieris est ignitus et pestifer. Audi S. Hieronymum, lib. I *Contra Jovinianum* : « Joseph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, et quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat abjecit. »

Quinto, « qui placet Deo, effugit illam ; » Chaldæus accipit de adultera. Unde vertit, *vir qui dimiserit eam libello repudii, liberabitur ab ea*. In lege enim veteri non licebat viro tenere adulteram, ut dixi *Prov.* XVIII, 22. Vide dicta *Prov.* XXII, 14, ad illa : « Fovea profunda os alienæ : cui iratus est Dominus, incidet in eam. » Ergo : « Quid aliud est mulier, nisi mali natura boni colore depicta? » ait S. Chrysostomus, homil. 19 *in Matth.* Magnum ergo Dei donum est ab ea liberari, quod Deus suis sanctis concedit. Præmium enim sanctitatis est castitas.

Porro unicum remedium hujus mali est fuga. « Fugite fornicationem, » ait Apostolus, id est fugite aspectus et colloquia feminarum. Nam, ut ait Tertullianus, *De Veland. Virg.* : « Ejusdem libidinis est videri et videre. Tam sancti viri est suffundi si virginem viderit, quam sanctæ virginis si a viro visa sit. » Idem, *Apolog.* cap. IV : « Democritus, ait, excæcando semetipsum quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, et doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. »

Porro Lyranus : Sicut, ait, qui expeditus est a vinculis, facile currere potest : sic qui femineos effugit laqueos, facile potest rectum virtutis iter percurrere. Ex adverso, qui cum mulieribus versatur sibi nectit retia, quibus implicatur, ne in via Dei pergere queat, uti docet S. Ambrosius, lib. I *De Pœnit.* cap. XIII et XIV. Vide quæ de malitia mulierum dixi *Proverb.* toto cap. VII ; *Eccli.* cap. XXI, cap. XXV et cap. XXVI. Vide et Tiraquellum, Leg. IX *Connubiali*.

Mystice, mulier est voluptas et concupiscentia, quæ amarior est morte, quia hominem totaliter cruciat, ac mortem parit tam temporalem in hac vita, quam æternam in gehenna. Ita S. Ambrosius, Bonaventura et alii.

28. ECCE HOC INVENI, DIXIT ECCLESIASTES, UNUM ET ALTERUM, UT INVENIREM RATIONEM (1). Vers. 28.

29. QUAM ADHUC QUÆRIT ANIMA MEA, ET NON INVENI. VIRUM DE MILLE UNUM REPERI, MULIEREM EX OMNIBUS NON INVENI. — « Mille, » id est plurimis, ponitur enim numerus definitus pro indefinito. « Ecce hoc inveni, » id est invenire volui, vestigare Vers. 29.

(1) *Hoc* ad vers. 27 referendum videtur. Alii tamen ad ea quæ sequitur, referunt. Vers. 29 : *Quam*, scil. rem, id est *quod*.

et reperire disposui. Significatur actus inchoatus, non perfectus : nam mox subdit se non invenisse quod quærebat. Ita Glossa interlinearis. Aut τὸ *inveni* pertinet ad id quod sequitur : « Virum de mille unum reperi, » *q. d.* Cum satagerem, ut invenirem rationem et modum, quo quis beatus in vita evadat, quam adhuc quæro et non invenio; hoc unum tamen inveni et agnovi, quod vix unus e mille rationem hanc et modum cognoscat et attingat. Vatablus per rationem accipit resolutionem dubii, quod Salomon quærebat. Olympiodorus accipit fortem virilemque mentem et animam, *q. d.* Quæsivi viriles animos, atque inter viros tales paucos, inter feminas nullos reperi, quia omnes enervi et effeminato ingenio esse comperi. Locus obscurus variis varie explicandi, et ad mysticos sensus confugiendi ansam dedit. Dico breviter hanc gnomen ad præced. spectare de vanitate, malitia et noxa mulierum, *q. d.* Dum universa in orbe lustro et circumspicio, ecce hoc inveni, « unum et alterum, » Hebraice *unum ad alterum* inter se conferendo, quasi dicat : Rebus omnibus a me sigillatim consideratis, et exacte inter se collatis ad hoc, « ut invenirem rationem, » id est modum et methodum recte, sapienter et feliciter vivendi in quolibet statu et sexu, puta tam inter viros quam inter mulieres, fateor me, considerando virorum et feminarum vitam, illam necdum invenisse, sed adhuc investigare et quærere, eo quod in omnibus videam deficere prudentiam, castitatem, virtutem : nam inter viros vix unum inter mille inveni vere virum cordatum, sapientem, fidum et constantem, hoc est, inter multos viros paucos aliquos cordatos reperi : inter mulieres autem nullam rectam, ait Chaldæus, virilem, cordatam, fidam, castam et vere sapientem inveni. Habuit enim Salomon mille uxores et concubinas, e quibus nullam reperit viraginem castam, prudentem et sapientem, sed omnes illices ad luxuriam et idololatriam. Intellige ergo hæc de mulieribus Salomonis, quod scilicet ipse, spectata et deprehensa femineæ naturæ mollitie, inconstantia, imprudentia, pronitate ad luxuriam, aliisque vitiis femineis, inter suas nullam invenerit viraginem sapientem, pudicam; constantem; non negat tamen alios alibi tales invenisse, vel inventuros esse, præsertim in lege nova. Nam si naturam femineam non in se nudam, sed gratia sanatam et roboratam consideres, uti fuit in Catharina, S. Agnete, S. Lucia cæterisque sanctis virginibus, utique invenies viragines, quæ Christi gratia roboratæ viros virtute, castitate et fortitudine superarunt, et instar angelorum in terris vixerunt. Adde hic latere secretum, quod a nemine animadversum est : pro *virum* enim Hebraice est אדם *Adam*, de quo paulo post dicit, « quod fecerit Deus hominem (Hebraice, *Adam*) rectum. » Alludit ergo ad Adam in puritate, innocentia, sanctitate et sapientia conditum a Deo, *q. d.* Quæsivi virum similem Adæ in sinceritate, castitate, rectitudine, et e plurimis paucissimos, imo e mille unum duntaxat inveni : nam cæteri a rectitudine Adæ defecerunt, suntque hypocritæ, impuri, fallaces, scelerati : licet enim nullus post lapsum ad rectitudinem justitiæ originalis, in qua creatus est Adam, ut liber sit ab omni concupiscentia et peccato veniali, assurgere possit, nonnulli tamen assurgunt ad rectitudinem simplicitatis, gratiæ et sanctitatis Adæ, sed pauci. Ad utramque vero assurrexit Christus de quo mox plura. Ita Thamaturgus : « Equidem, inquit, diligenter perscrutatis mulieribus omnibus, ne in una quidem inveni pudicitiam (alii vertunt, *sapientiam* : utrumque enim significat σωφροσύνη), et in multis millibus virum quis noverit pudicum, mulierem non item. Et S. Hieronymus : « Mulierem bonam, ait, omnino invenire non potui : omnes enim ad luxuriam, et non ad virtutem me deduxerunt. » Et post nonnulla opponit eis paucos viros, « qui non appropinquarunt ad mulierem et purissimi permanserunt. » Sic et Olympiodorus, Salonius, et Auctor *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, homil. 19 *in Matth.*, ubi explicans illud *Matth.* cap. XIX : « Si ita est causa viri cum uxore, non expedit nubere. » Feminam ita definit : « Quid est autem aliud mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta. » Huc facit versio Campensis : « Laboravi, ait, usque in hanc horam, ut conferendo officium femineum cum ingenio et moribus, bonam et prudentem aliquam invenirem, sed nihil successit : ex mille viris unum inveni tolerabilem, ex mille autem feminis nullam. »

Sapiens vix unus vir, mulier nulla.

Hinc nonnulli prisci feminas non esse homines, sed hominum prodigia et monstra censuerunt. Unde et Plato aliam a viris eis dat originem. Sic enim ait in *Convivio* : « Masculum genus ipso rerum primordio solis fœtus erat, femineum telluris; utriusque vero sexus particeps (Androgyni) lunæ : utrique enim luna est particeps. » Addit Auctor *Catenæ Græc.*, *q. d.* « Cum homines universos perlustrassem penitusque inspexissem, in omnibus pene reperi ea quæ muliebre potius decerent ingenium; sed fortem in ipsis mentem virilemque rationem non inveni, ut non in mulieribus solum virilis mens non inveniatur, sed ne in iis quidem, qui homines cum sint, in muliebres mores degenerarunt, quantumvis homines videri velint. » Est hyperbole qua utitur Salomon, acriterque feminas perstringit, ut ab iis animum sapientis abstrahat, ne eis se effeminate subdat mollitie feminam superans, sed sese virum præstet memor suæ conditionis et virilitatis. Expertus enim ipse quam dulce venenum sit mulier, ab ea omnes absterret. Itaque hæc gnome mulierum taxat vitia, sed maxime lenocinium et impudicitiam, quod scilicet facillimæ sint, ut castitatem suam prostituant, si a viris sollicitentur, imo quod ipsæ

Gnomæ. viros illiciant et sollicitent. Salomonem secuti sunt cæteri sapientes et philosophi; unde Diogenes Cynicus, media die lucerna accensa ambulans per urbem, rogatus quid quæreret : « Hominem quæro, » scilicet virum prudentem, sapientem, virtute præditum. Ausonius in *Epigram.* :

> Vir bonus et sapiens, qualem vix repperit unum
> Millibus e multis hominum consultus Apollo :
> Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
> Securus : mundi instar habens, teres atque rotundus,
> Externæ ne quid labis per devia sidat.

Herodotus in *Polyphymnia* : « Multi, inquit, sunt homines, viri pauci. » Multi habent humanam naturam, pauci virilem fortitudinem. Isaias, cap. LIX, vers. 16, ait : « Vidit Dominus quia non est vir. » Et Jeremias cap. V, 1 : « Circuite vias Jerusalem, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum ; » quia, ut ait Chrysostomus, hom. 23 *in Genes.* : « S. Scriptura hominem vocare solet, qui virtutem colit, cæteros autem neque esse putat (1). »

Denique alludit Salomon ad illud Davidis patris sui, *Psal.* XIII, 1 et 4, quo post lapsum Adæ ait omnes homines esse peccato corruptos et depravatos : « Corrupti sunt, inquit, et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. »

Porro Bonaventura refert hæreticos quosdam ex hac gnome docuisse nullam feminam salvari, eo quod Christus virilem, non femineum sexum assumpserit, dixeritque : « Qui (non quæ) crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. » Armeni vero censuerunt in cœlo nullas fore feminas, sed omnes sanctas resurrecturas in sexu virili, teste Gabriele Prateolo in *Catalogo Hæres.*, quos diu ante confutavit S. Augustinus, XXII *De Civit.* XXVII. Vide quæ dixi *Ephes.* IV, 13, ad illa : « Donec occurramus in virum perfectum. »

Chaldæus vero hæc refert partim ad sidera, partim ad homines, qui fuerunt ab Adam usque ad Abraham. Sic enim vertit : « Contemplatus sum sidera unum cum altero, ut invenirem rationem filiorum hominum, et quid erit in fine illorum. Et est alia res quam adhuc quæsivit anima mea, et non inveni virum perfectum et justum a diebus Adam, usquequo natus est Abraham justus, et inventus est fidelis et justus inter mille reges, qui congregati sunt, ut facerent turrim in Babylone, et mulierem rectam in omnibus his mulieribus regum non inveni. »

Hic igitur est sensus grammaticus sive superficialis corticis litteræ, sub quo arcana latet medulla, puta sensus reconditus et sublimis de Christo, isque non tam mysticus, quam litteralis, sed parabolicus, quem tetigit Albinus. Est enim hæc parabola, sive ænigma et ænigmatica prophetia de Christo. Plane enim ænigmatis speciem habet τὸ *virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Unde addit se laborasse, « ut inveniret rationem quam adhuc, inquit, quærit anima mea et non invenit, » uti solet ænigmatis explicatio et solutio quæri. Huic et subdit : « Et quis cognovit solutionem verbi? » puta hujus ænigmatis de Verbo Dei incarnando. Denique hac de causa tam fuse et operose omnia lustrando, se summam hanc sapientiam, puta Verbi incarnati vestigasse connumerat, quæ scilicet nos verbo et exemplo veram sapientiam, et viam ad salutem doceret, atque a vanitate rerum et voluptatum ad veritatem veramque beatitudinem perduceret. Hanc eamdem vocat חשבון *chesbon*, id est ingeniosam excogitationem, inventum, artem et industriam, quam scilicet Deus miro consilio excogitavit et adinvenit, ad ostendendam magnificam suam prudentiam, potentiam et beneficentiam erga homines. Quid enim ingeniosius Verbi incarnatione, in qua stupenda et divina arte æternus Pater Verbum carni, Deum homini, cœlum terræ, clementiam justitiæ associavit? Sicut ergo Salomon de Christi incarnatione, passione, redemptione et resurrectione ænigma proposuit, *Proverb.* XXX, 4, dicens : « Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti? » Et vers. 18 : « Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia, » Hebraice, *viam viri in virgine* : sic idem hoc loco simile ænigma de Christo proponit dicens : « Virum de mille unum reperi. » Hoc enim proprie soli Christo competit : Christus enim solus est unus vir, cui nullus in natura, persona, gratia et gloria æquari, vel assimilari potest. Ipse enim est Deus homo : quare ejus humanitas subsistit in persona non humana, sed divina Verbi. Hoc enim est « magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, » etc., I *Timoth.* III, 16.

Christus novus Adam.

Ipse ergo solus est alter, et novus Adam, ut habent Hebræa, sicut docet Apostolus, *Roman.* V, 14 et I *Corinth.* XVI, 41. Idque *primo*, quia sicut primus Adam nomen accepit ab *adama*, *q. d.* homo ab *humo*, ex qua formatus est : sic Christus in terra, et ex terra carnem accepit, sed mentem et deitatem detulit ex cœlo, juxta illud : « Primus homo de terra, terrenus : secundus homo de cœlo, cœlestis, » I *Corinth.* XV, 47; et illud : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » *Joan.* cap. I.

(1) Simili modo apud poetas græcos de mulieribus male existimatur : conf. *Poetar. Græc. gnom.* p. 172 seq. (edit. Tauchn.), ubi inter alias sententias de mulieribus hæ inveniuntur :

> Θάλασσα καὶ πῦρ παὶ γυνὴ κακὰ τρία.
> Μεστὸν κακῶν πέφυκε φορτίον γυνή.
> Ὅπου γυναῖκές εἰσιν, παντ' ἐκεῖ κακά.
> Θηρῶν ἁπάντων ἀγριωτέρα γυνή.
> Οὐδὲν γυναικὸς χεῖρον, οὐδὲ τῆς καλῆς.
> Ἐν γὰρ γυναιξὶν πίστιν οὐκ ἔνεστ ἰδεῖν.
> Γυναικὶ μὴ πίστευε τὸν σαυτοῦ βίον,

Secundo, sicut Adam non a parentibus generatus, sed a Deo immediate productus et creatus est: sic et Christus non ex generatione patris et matris, sed ex virgine formatus est inoperante Spiritu Sancto.

Tertio, sicut Adam rectus et integer quoad gratiam et justitiam originalem creatus est : sic et Christus, qui Adamum longe superavit, eo quod hanc rectitudinem et immunitatem ab omni labe et peccato adeptus sit ex vi nativitatis suæ, quia scilicet conceptus est ex Spiritu Sancto, cujus operatione humanitas ejus unita fuit personæ Verbi; ac proinde nullius peccati, sed solius gratiæ fuit capax, imo illam omnigenam omnisque generis jure suo exegit.

Quarto, sicut Adam fuit parens generis humani, in illudque justitiam originalem propagasset, si Deo obediens in illa perstitisset : sic multo magis Christus parens est Ecclesiæ, puta omnium fidelium et justorum, imo eorum peccato Adæ perditorum et damnatorum liberator est et redemptor, atque in eos suam gratiam et justitiam per universa sæcula propagavit, et in dies propagat, uti fuse docet Apostolus, *Rom.* v, 14 et sequent.; et I *Corinth.* xv, 45 : « Factus est, ait, primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. »

Denique Christus solus est unus e mille, id est electus ex omnibus hominibus ad omnium salutem, ut sit Salvator mundi. Unde sponsa ei accinit *Cant.* v, 10 : « Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. »

Nihil horum ulli alteri competit quam Christo, imo nec B. Virgini. Unde addit Salomon : « Virum de mille unum reperi, puta Christum; mulierem ex omnibus non inveni, » quæ scilicet instar Adæ immediate a Deo creata rectitudinem et sanctitatem habeat ex vi nativitatis suæ, ut eam in alios transfundat, sitque omnium redemptrix, justificatrix, salvatrix; nulla enim talis est mulier, ne quidem B. Virgo. Huc pertinet explicatio D. Thomæ in cap. III *ad Galat.* lect. 6, ad illa verba : « Quasi in uno, et semini tuo, quod est Christus, etc. Ipse, inquit, solus et singularis, qui non subjacet maledictioni culpæ. Unde *Eccle.* VII : Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ omnino a peccato immunis esset, ad minus originali vel veniali. » Verum in editione S. Thomæ Veneta anni 1555, et altera Parisiensi anni 1539, et alia anni 1532, additur hæc exceptio : « Excipitur purissima et omni laude dignissima virgo Maria. » Sed esto ea omittatur, uti eam alii Codices omittunt, verba Doctoris angelici prius citata, si B.Virgini applicentur, cum grano salis accipienda sunt, scilicet de debito contrahendi peccatum, non de ipso reali peccato. B. Virgo enim ex communi lege, qua statutum erat omnes ex Adamo carnali generatione propagatos, ab eo peccatum originale contrahere, peccatum hoc contrahere debuisset (generata enim fuit ab Anna et Joachim), nisi singulari privilegio, tanquam futura Dei mater a Deo prævenia, ab hac lege exempta fuisset. Eximi autem omnino decebat eam quæ mox futura erat mater Dei et Christi, id est salvatoris et sanctificatoris omnium. Quis enim credat matrem Dei aliquando fuisse servam peccati, imo mancipium diaboli?

Rursum adverte : Non negat Salomon aliquam mulierem esse omnis peccati expertem, sed tantum asserit nullam talem se reperisse, quia scilicet Salomon ignoravit quæ, qualis et quanta futura esset Messiæ mater, an scilicet a parentibus generanda, an a Deo instar Evæ ex homine formanda, an virgo opera Spiritus Sancti conciperet, an alio modo generaret Messiam. Hoc enim primum *Isaiæ* cap. VII revelatum legimus, dum ait : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Ignoravit ergo Salomon an eadem a peccato originali foret eximenda; unde ait se non invenisse, id est non cognovisse ullam mulierem omnino rectam ab omni peccato immunem; alioquin B. Virginem viraginem fore eximiam, quæ suum et sapientum omnium captum superaret, sat indicat *Prov.* XXXI, 10, dicens : « Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. » Sensim enim procedente tempore Deus uti mysteria fidei, sic et B. Virginis dotes et privilegia Ecclesiæ revelavit et patefecit.

Tropologice S. Hieronymus : « In multis studiosis, inquit, et quotidiana meditatione sudantibus vix invenitur cogitatus purus, et viri dignus vocabulo. Possumus et cogitatus pro viris accipere, mulieres pro operibus, et dicere quod difficile cogitatio alicujus pura inveniri queat. Opera vero, quia per corpus administrentur, aliquo semper errore commixta sint. » Sic et Salonius. Tropologice.

30. SOLUMMODO HOC INVENI, QUOD FECERIT DEUS HOMINEM RECTUM, ET IPSE SE INFINITIS MISCUERIT QUÆSTIONIBUS. QUIS TALIS UT SAPIENS EST? ET QUIS COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI? — Pro *solummodo*, hebraice est, *tantum vide*, quæ vox attentionem lectoris excitat. Vox *rectum* significat rectitudinem non tantum naturæ, ut vult Cajetanus, sed et gratiæ sanctificantis ac justitiæ originalis; utraque enim dotatus fuit Adam. Unde Olympiodorus habet, *prorsus rectum*. Vers. 30.

Pro *quæstionibus*, Hebraice et Chaldaice est חשבונות *chisbonot*, id est *cogitationibus*; Græce λογισμοῖς, id est *ratiocinationibus*; Complutenses, *considerationibus;* alii, *cogitationibus variis*, hoc est, ut ait Olympiodorus, obliquis vivendi rationibus, in quas se dissecant homines, dum hic avaritiæ, ille superbiæ, alius gulæ, etc., se addicit. Symmachus vertit, πολυπραγμοσύνην, id est *curiositatem*, vel *variam negotiationem*. Thaumaturgus disputationes leviculas circa dictiunculas, vel res levis momenti, quibus subinde tempus terunt sapientiæ studiosi vel professores. Hugo Cardinalis

explicat tum de his quæ scire studemus, nec sciri possunt definite in hac vita; tum de curis ac sollicitudinibus et concupiscentiis, quas et quærimus, et de illis ratio quæritur in judicio. Carthusianus proprie quæstiones intelligit non utiles ac licitas tantum, sed curiosas ac superstitiosas. Titelmannus vult *quæstionum* nomine contineri omnem difficultatem, perplexitatem, miseriam, in quas homines post primum parentem, qui naturam ipsam involvit, se quoque ipsi involvant. Alii vim facientes in voce *quæstionum*, rixas accipiunt pugnasque carnales.

Omnia hæc nomine *quæstionum*, Hebraice *chissebonot*, id est *cogitationum*, accipi possunt; qua de re rursus dicam inferius. «Infinitis;» nam, ut ait S. Bonaventura, nihil explere potest hominis cupiditatem, nihil stabilire ipsius instabilitatem, quia cecidit a veritate in ignorantiam, a bonitate in malitiam, a potestate in impotentiam. Chaldæus plane vertit: « Verumtamen vidi quid invenerim. Creavit enim Dominus Adamum illum primum fortitudine et justitia præstantem; sed serpens et Eva eum fefellerunt, ut fructu arboris vesceretur, quem edentes in sapientes evaderent, et habentes notitiam boni et mali; ex quo effectum est ut in se et posteros occasionem mortis adsciscerent. Et hunc solum in perquirendis quæstionibus illis fructum sunt consecuti, ut mortem in omnes terræ incolas inveherent. » Causam dat versus præcedentis, *q. d.* Causa cur ex omnibus hominibus et feminis vix ullum invenerim per omnia rectum et sapientem, qui veram ad felicitatem viam iniret, est quod Deus quidem fecerit Adam rectum, sed ipse a rectitudine hac desciscens, se et posteros inquinavit peccato et concupiscentia, quæ infinitas ei cogitationes, desideria, curiositates et quæstiones suggerit, ut nunquam animo conquiescat; quia enim ab uno Deo descivit, hinc in diversa et plurima distractus est, et mens ejus post creaturas varias vaga abit; cumque in nulla reperiat requiem et satiem, aliam semper et aliam cogitat et concupiscit, ubique quærens quietem et nusquam inveniens; quare mille cogitationum et quæstionum, id est curarum, cupiditatum, curiositatum, passionum, tumultuum fluctibus et æstibus, instar Euripi assidue jactatur et fluctuat, et, ut ait Lucretius, lib. V:

Semper et in curis consumit inanibus ævum.

Adam creatus est in justitia originali.

Nota: Ex hoc loco liquet Adamum creatum esse in gratia et justitia originali. Idem liquet ex iis quæ dicit Sapiens, cap. II, vers. 23 et 24; et *Eccle.* cap. XVII, vers. 1 et 2; et Apostolus, *Ephes.* IV, 23, et *Coloss.* III, 10. Quare perperam censuerunt pelagiani Adamum a Deo conditum esse talem, quales nos nascimur et sumus. Minus quoque recte Alexander ab Alexandro, Marsilius Altisiodorensis, Bonaventura, Scotus in II, distinc. 29, opinati sunt Adamum creatum esse in puris naturalibus, deinde dotatum gratia, quam mox peccando perdiderit. Igitur tacite Salomon hic refellit hæreticos, qui Deum faciebant peccati et depravatæ naturæ auctorem; atque gentiles, qui naturam censebant homini esse novercam, quod eum tam parvum miserumque formasset, cum hoc vitium non sit naturæ, sed culpæ, uti passim docet S. Augustinus *Contra Pelagianos*, qui lib. IV *Contra Julianum*, cap. X, ait philosophos « rem (corruptionem hominis) vidisse, sed causam ignorasse. » Vide Theodoretum, lib. III *De Curand. Græc. affect.* Præclare S. Cyrillus, *Catechesi* 2: « Plantatio quidem bona, ait, sed fructus ex voluntate malus; atque ideo plantator quidem in culpa non est; vinea autem comburetur, quoniam in bonum plantata est, et in malum fructificavit. Fecerat enim hominem rectum, sed ipse quæsivit quæstiones multas. Et Apostolus dicit: Ipsius enim factura sumus, creati in bonis operibus, quæ præparavit Deus, ut ambulemus in illis. Creator itaque, cum sit bonus, bonos creavit. Creatura vero voluntate propria in amaritudinem conversa est. Ego plantavi vineam fructiferam totam veram, quomodo conversa est in amaritudinem vitis alienæ? » *Jerem.* II.

Nota *secundo*: Rectitudo hæc opponitur curvitati, obliquitati, tortuositati, corruptioni, depravationi, quam post peccatum per concupiscentiam incurrit homo. Concupiscentia enim ejus mentem a rectitudine rationis, legis, virtutis et voluptatis Dei distorquet, ut concupiscat inhonesta, turpia, noxia, vetita, quam in se sentiens S. Paulus: « Video, ait, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, » *Roman.* VII, 23. Hæc est hominis animique distortio et claudicatio, qua uno pede mentis rectus, altero pede concupiscentiæ claudus incedit. Rectitudo ergo sopiebat, imo tollebat concupiscentiam, Adæque mentem adæquabat dictamini rectæ rationis, prudentiæ, honestatis et legis divinæ.

Nota *tertio*: Aliqui per *rectitudinem* accipiunt simplicitatem et sinceritatem: ita Thaumaturgus, *q. d.* Deus creavit hominem rectum, id est simplicem, sincerum, candidum, non falsum, fucatum, fictum, fraudulentum; sed talis per peccatum evasit. Hæc enim est ferrea ætas, in qua, ut canit Ovidius, I *Metamorph.*:

Irrupit in ævum
Omne nefas, fugere pudor, verumque fidesque:
In quorum subiere locum fraudesque doliqne,
Insidiæque et vis, et amor sceleratus habendi.

Qualis hæc justitia?

Noster Pineda per rectitudinem accipit pudicitiam, cujus jacturam paulo ante in mulieribus taxavit, ac quæstiones infinitas refert ad femineas lites et tricas; sed, ut ipse fatetur, hæc arctior et humilior est hominis rectitudo: plena enim et adæquata est mentis per gratiam et virtutem quamlibet, ac præsertim per justitiam originalem integritas, conformitas, justitia et sanctitas. Unde

S. Thomas, I part., *Quæst.* XCV : « Deus, inquit, fecit hominem rectum. Erat enim rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires animæ et corporis. Prima autem subjectio erat causa secundæ et tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur, ut docet S. Augustinus, » lib. *De Natura et Gratia,* cap. XV, et lib. *De Corrept. et Gratia,* cap. XI. « Rectitudo hominis in eo est, ut carni spiritus utpote inferiori superior præsit et imperet, et hæc illi jussa adsit atque obtemperet, » ait Rupertus in cap. I *Genes.*; et S. Augustinus, lib. XIV *De Civit.* cap. XI et XXVII : « Fecit, ait, Deus hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ; non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. » Et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.* : « Cum boni creati simus, et boni a Deo ipsi vitio nostro sumus ad pejora delapsi, et quod in paradiso rectum in nobis fuerat, egredientibus e paradiso depravatum est. » Vide D. Thomam loco jam citato, ac ibidem Suarez, Vasquez, Valentia, Molina, cæterosque scholasticos. Rectum enim dicitur, quod suam regulam adæquat. Adam ergo creatus est rectus, quia rationi et legi Dei per omnia conformis : hæc enim rectitudo efficiebat in eo omnium virium et potentiarum consonam harmoniam, mirumque consensum et quasi concentum, cum jam post peccatum in nobis experiamur rebellionem carnis et spiritus, miramque virium omnium dissonantiam, luctam et pugnam. Deus ergo fecit hominem rectum, quia in ipso creationis momento Adamo gratiam sanctificantem infudit, eumque justitia originali vestivit. Gratia efficiebat deiformem, imo Dei filium, angelorum fratrem, creaturarum dominum. Originalis justitia per jugem Dei assistentiam omnes animæ vires, puta intellectum, memoriam, voluntatem, item sensus et appetitus omnes ita moderabatur, contemperabat, et puras pacatasque efficiebat, ut nulla inter eas esset discordia, nullus ne minimus quidem defectus. Erat ergo Adam tunc memoria tranquillissimus, intellectu perspicacissimus, voluntate rectissimus, sensibus obedientissimus, appetitu subjectissimus, in quo corpus animæ jussum sine ulla contradictione sequebatur, sensus et appetitus rationi parebant, et ratio divini numinis ducebatur imperio. Unde Prosper, lib. II *De Vita Contemplat.* : « Non inquietabat, inquit, molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat invitum, non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securum. Habebat facilem victum, corpus ex omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei. Postremo quid eo felicius fuit, cui erat orbis subjectus, nullus infestus, liber animus, et visibilis Deus? » Jam vero post lapsum soluta hac potentiarum harmonia, homine distemperato corpus animæ imperium subire detrectat, et si illa vult abstinere, hoc manducare; si illa vigilare appetit, istud dormire; si animam laborare, corpus otiari, et socordia consumi delectat. Jam sensus et appetitus rationi non parent, sed tanquam servi rebelles adversus illam insurgunt, et (quod miserabilius est) deceptam et captivam pertrahunt. Jam ratio divinas leges præterit, sui Creatoris jussa contemnit; quæ proinde illud *Jerem.* audit : « Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam. » Quid moror, et hominis morbos enarro? « Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis, usque ad verticem, non est in eo sanitas : vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo, » *Isai.* I, 5.

In quo sita?

ET IPSE (Adam cum posteris, unde Hebræa, Septuaginta, Syrus, Arabicus, S. Hieronymus in *Comment.*, Campensis, Vatablus et alii habent *ipsi* in plurali) INFINITIS SE MISCUERIT QUÆSTIONIBUS. — Hebræa, *et ipsi quæsierunt,* חשבונות *chissebonoth,* id est *cogitationibus;* Symmachus vertit, *curiositates;* Cajetanus, *rationes;* alii, *astutias, artes, affectus pravos.* Apposite per *quæstiones infinitas* accipias plurimas philosophorum de hominis fine, summoque bono ac felicitate, in quo scilicet illa sita sit, opiniones et pugnantes sententias. Thaumaturgus accipit quæstiones nunquam finiendas, quod cum homines ad indagandam sapientiam sint nati, ipsi tamen in verbositate omnem ætatem conterant. R. Salomon per *quæstiones* accipit uxorias lites et rixas, *q. d.* Adam, cum solus erat, rectus erat et pacatus; cum ei addita est Eva, incidit in uxorias lites : verum hoc frivolum est et rabbinicum. Tale est et illud versionis Tigurinæ : « Deprehendi, ait, quod Deus Adamum probum condiderit; ipsi autem plures facti cogitationes vanas persecuti sunt. » Non solum enim posteri Adæ, sed et ipse Adam post lapsum id fecit, et « se infinitis miscuit quæstionibus, » ut habet Vulgatus. Acute Hugo Cardinalis, licet minus genuine ad litteram, per *quæstiones* accipit tormenta : tot enim tormentis et aculeis cruciatur homo, quot cupiditatibus servit, præsertim uxoriis et femineis. Unde illud S. Hieronymi *Contra Jovinian.* : « Qui non litigat, cælebs est. » Et illud Juvenalis :

> Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
> In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo.

Nota : Tò *miscuerit* habet auxesin, ut recte advertit Pineda, *q. d.* Homo adeo quæstionibus, id est cogitationibus, curis, cupiditatibus et litibus immersus, imo absorptus est, ut videatur totus compositus et compactus ex quæstionibus, querimoniis, litibus, rixis, vix aliquid purum et meracum in homine cerni possit, quod non sit confusaneum et miscellum ac perturbatum. Ergo multarum rerum confusionem et perturbationem videtur significare, cum humanorum studiorum

et passionum agitatio cœlum terræ miscet, et omnia confundit.

Homo multis se miscet quæstionibus.

Quæres, cur Noster Hebræum חשבונות *chissebonoth* vertit *quæstionibus*, et non *cogitationibus*? Respondetur, quia τὸ *quæstionibus* multa significat huic loco congrua et opportuna. *Primo* enim, quæstiones significant varias philosophorum de felicitate et summo hominis bono disputationes et opiniones, dum alii illud in honore, alii in opibus, alii in sanitate, alii in scientia, alii in prosperitate, alii in amicitia, etc., collocarunt. Salomon enim totus hic est in describenda rerum vanitate, et inquirenda veritate veraque felicitate, qua scilicet in re homo recte, honeste et beate vivere queat, atque illam vix in ullo mortalium se reperisse commemorat, eo quod homo rectus a Deo conditus rectitudinem et Deum unum, in quo solo ejus felicitas sita est, peccando deseruit, ideoque felicitatem in variis rebus creatis, ad speciem formosis et delectabilibus quærat, et nusquam inveniat, cum in eis non consistat. Homo ergo ab una *chesbon*, id est cogitatione et ratione Deo adhærendi, eaque feliciter vivendi, uti dixi vers. 28, deflexit in *chissebonoth*, id est in multas cogitatiunculas, quæstiunculas, ratiunculas, quas ipse sibi excogitavit et finxit quasi ibi beatam vitam inventurus, sed revera non nisi tricas, spinas et ærumnas invenit, quia relicta vera arte bene beateque vivendi, vanas et fallaces artes beatæ vitæ sibi commentus est.

Primo.

Secundo.

Secundo, quæstiones significant continuas sollicitudines et curas, item lites et rixas hujus vitæ, quibus homo non tantum cum æmulis, vicinis vel amicis, sed etiam secum ipse litigat et rixatur, dum mente cœlestia, carne terrena cogitat et concupiscit.

Tertio.

Tertio, quæstiones significant curiositates, quibus plenus est homo, ut omnia præsertim nova, aliena, peregrina et incognita scrutari velit, ideoque infinitis molestiis se implicat. Hinc rursum quæstiones notant difficultates et molestias quaslibet, quibus se homo vel sponte vel coacte immiscet. Accedit Hugo, qui per quæstiones accipit equuleos et tormenta; hæc enim vocantur *quæstiones*, quia per ea veritas criminis in judicio exquiritur et exprimitur a reo. « Quæstio tenet eum qui in jus vocatus est, » ait Papinianus.

Quarto.

Quarto, quæstiones significant cupiditates, quibus scatet homo, per metalepsin : quæstiones enim notant cupiditatum originem et fontem, scilicet quod prodeant ex curiositate quærendi et sciendi, puta ex pruritu sentiendi et experiendi quid in qualibet re sit bonum, jucundum et delectabile. Alludit ad primam quæstionem serpentis, quam movit Evæ dicens : « Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de ligno scientiæ boni et mali? » *Gen.* III. Ad quam quæstionem in curiositatem gustandi pomi exarsit Eva, illudque comedit, ac eodem maritum nosque omnes perdidit, atque suam curiositatem et concupiscentiam in posteros omnes transfudit. Vis ergo excludere concupiscentiam? Exclude curiositatem, claude oculos, aures, mentem, dicitoque cum Propheta : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem, » ne visam concupiscant, et gustare velint instar Evæ.

Quinto.

Quinto, Noster Ludovicus Molina per *quæstiones* accipit perplexitates, cæcitatem et ignorantiam, quam per peccatum incurrit homo; qui enim ignorat, is quærit id quod ignorat et nescit. Quæstio ergo notat ignorantiam, impudentiam, insipientiam hominis in rebus, tum speculativis, tum potius practicis. Omne enim peccatum prodit ex quadam ignorantia, id est, imprudentia, quod scilicet homo non satis consideret peccati damna et pœnas gehennæ, quibus se obnoxium reddit. Nam si has prudenter consideraret et ponderaret, uti debet, utique non peccaret. Sed audi Molinam, I part. tract. *De opere 6 dierum*, disp. 27, sub finem : *Quæstionum* nomine intelligit anfractus, difficultates et ambiguitates, quæ amissa justitia originali per peccatum primorum parentum, eoque ipso recedente a natura humana concentu, rectitudineque illa maxima, qua condita fuerat, atque ignorantiæ vulnere simul suscepto, in humana vita sunt consecuta. Unde sequitur quod homo in justitia originali longeque sublimiori statu, quam sit ille, in quo nunc est, fuerit conditus.

Sexto.

Sexto, quidam per *quæstiones* accipit questus, id est querelas et querimonias, quas pariunt miseriæ et dolores hujus vitæ homini lapso. Verum sic *quæstiones* sine diphthongo forent; jam autem scribuntur cum diphthongo.

Rursum accipit *quæstiones* non tam active, quam passive pro rebus quærendis ab homine, ad quas scilicet interroganti Deo, homo in die judicii respondere debebit, ut quæstio hic per catachresin responsionem significet. Interrogabit enim Deus quemque, et quæret : Cur tot beneficiis meis ingratus fuisti? cur sanguinem Christi mei profanasti? cur gratiam ejus et vocationem respuisti? cur hoc peccatum perpetrasti? cur proximum læsisti? cur adulterium commisisti? cur furatus es? cur occidisti? cur concupiisti tot tantaque illicita? Atque ad singula respondere debebit homo pavidus et anxius; et quia justam responsionem dare non poterit, audiet sententiam damnationis ad gehennam, cui proinde infelix in hac vita, dum peccat, se immiscet, et obnoxium reddit.

Insuper alius per *quæstiones* accipit tentationes, sophismata et captiones diaboli, quibus quasi laqueis animam irretit, convincit et capit, sicut Sphinx suis quæstionibus implicatis transeuntes illaqueabat, capiebat et occidebat. Verum hæ *quæstiones* accommodatitiæ et mysticæ sunt potius quam litterales et genuinæ.

Denique *quæstiones* Salomon opponit rectitudini et homini recto, qua scilicet in statu innocentiæ mens ejus erat recta sine ulla culpa, æque ac

corpus sanum ab omni pœna liberum; quare per *quæstiones* significat tum culpas et peccata, tum pœnas et tormenta, quas peccando et desciscendo a primæva rectitudine homo sibi ascivit; qua de causa necesse fuit invenire virum unum electum ex mille, puta Christum, qui illum a quæstionibus et distorsionibus hisce expediret, eumque primæ rectitudini et æquitati restitueret. Unde subdit :

QUIS TALIS UT SAPIENS EST? ET QUIS COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI? — Hebræa, Chaldæus, Hieronymus, Vatablus, Campensis cæterique hebraizantes hanc gnomen referunt ad initium capitis sequentis. Unde ab ea inchoant caput octavum. Hinc Chaldæus vertit, *quis vero tanta effertur sapientia, ut adversus prudentiam Domini possit consistere, et in Prophetarum sermonibus germanam interpretationem cognoscere?* Septuaginta, Syrus et Arabicus vertunt, *quis novit sapientes?* Cui quæstioni mox respondet cap. VIII, 1, sapientem ex vultu internosci : « Sapientia hominis, ait, lucet in vultu ejus. » Verum melius Vulgata, Septuaginta, Syrus, Arabicus et alii passim hanc gnomen nectunt præcedentibus, idque varie et vario sensu (1).

Primo, Cajetanus, *quis talis est, ut sapiens sit?* quasi dicat : Nullus vel vix ullus est vere sapiens, uti paulo ante dixit. Huc pertinet versio Campensis, *quis conferendus cum eo qui judicium habet de rebus?*

Secundo, Hugo Cardinalis explicat, quasi dicat : Quis talis est, ut sapiat? talis, scilicet rectus, uti dixit paulo ante, qui scilicet sciat non se quæstionibus miscere ac involvere, ex quibus nequeat extricare se; verum eas amplecti ex quibus norit expedire, easque solvere, nec nisi res honestas ac pias sobrie scrutari. Addit antonomastice intelligi vel Christum, vel Salomonem sapientis nomine; per « solutionem verbi, » non solum divinæ Scripturæ; juxta illud : « Quis est dignus accipere librum, et solvere signacula ejus? » sed ejus de quo sumus in judicio interrogandi : quia qui custodierint et viderint justa, invenient quid respondeant, *Sapient.* VI, 11.

Tertio, Titelmannus, *q. d.* Si sapis, attende diligenter ad ea quæ dixi de periculo et malitia mulierum, de paucitate virorum; quodque non Deo, qui rectos nos condidit, sed nobis ipsis depravationis culpa sit danda.

Quarto, plane et simpliciter, *q. d.* Quis æquetur sapienti, qui hæc quæ jam dixi difficilia et a paucis cognita, cognoscit et penetrat, ac præcipue infinitas quæstionum tricas, quibus alii se miscent, devitans, cognoscit « solutionem verbi? » scilicet quæstionis paulo ante a me propositæ, puta de ratione et modo inveniendi vitam beatam et felicem, ait Cajetanus, sequendo unum virum de mille, puta Christum Dominum. Aliter S. Hieronymus, qui per *verbum* accipit S. Scripturam, et Chaldæus, *Prophetam*; alii, *verbi*, id est verborum, id est rerum, problematum, vel quæstionum difficilium. Ita Albinus, Olympiodorus et Vatablus. Est conclusio significans non nisi a sapiente difficultates propositas posse resolvi : hanc enim esse laudem et dotem sapientiæ ac sapientis, ac proinde eum rarum esse et vix unum e mille reperiri. Simili epiphonemate David claudit *Psalm.* CVI, dicens : « Quis sapiens et custodiet hæc? et intelliget misericordias Donmini? » Identidem enim ad sapientiæ elogia recurrit Salomon, ut eam omnibus apprædicet, omnesque ad ejus studium impellat.

(1) Maurer, *quis est sicut sapiens?* quis in sapientum numero habendus est? *Et quis novit explicationem verbi* hujus, sententiæ quæ sequitur : Sapientia hominis, etc. Rosenmullerus,... *et quis scit rerum expositionem.* Hic versus præmittitur iis quæ statim sequuntur sapientiæ præceptis tanquam breve proœmium. « Oblique, ait D. Hieronymus, de se loquitur Auctor, quod nemo ita fuerit sapiens, ut ipse, et nullus sic scierit problematum solutiones, et sapientia ejus a cuncto laudata sit populo. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sapientiæ dat signa et effecta, illam enim lucere ait in vultu, verbis moderatis, juramenti legisque custodia, et opportunitatis observatione : hæc enim præstat et efficit sapientia. Deinde, vers. 9, quædam vanitatis genera recenset, præsertim quod impii tractentur ut pii. Denique, vers. 15, laudat vitam moderatam quæ opibus suis fruitur, et a se anxias curas et curiositates omnia scrutandi ablegat.

1. Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit. 2. Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei. 3. Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo : quia omne, quod voluerit, faciet : 4. et sermo illius potestate plenus est : nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis? 5. Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit.

6. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio: 7. quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio. 8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. 9. Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum. 10. Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum; sed et hoc vanitas est. 11. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. 12. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. 13. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini. 14. Est et alia vanitas, quæ fit super terram, sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant; sed et hoc vanissimum judico. 15. Laudavi igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet et biberet, atque gauderet: et hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole. 16. Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, et intelligerem distentionem, quæ versatur in terra: est homo, qui diebus et noctibus somnum non capit oculis. 17. Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

Vers. 1. 1. SAPIENTIA HOMINIS LUCET IN VULTU (sicut in speculo, ait Hugo) EJUS. — Vatablus explicat de vultus serenitate et hilaritate; Cajetanus de majestate et auctoritate; Clarius de gratia, a qua vocari solet vultus gratiosus et festivus; Olympiodorus accipit vultum animi, non corporis, *q. d.* Sapiens habet animæ suæ faciem luce magna conspicuam, jubare scilicet divinæ sapientiæ illustratam: verum hoc mysticum est. S. Hieronymus hanc gnomen nectens ultimis verbis cap. præced., sic legit, sicque plane clareque exponit: « Quis ita, ut sapiens? et quis novit solutionem verbi? Sapientia hominis illuminabit vultum ejus, et fortis faciem, etc. Supra docuerat difficile bonum hominem inveniri, et venientem contra eliserat quæstionem: a Deo bonos homines conditos, sed sponte sua ad peccatum delapsos. Nunc quid boni homini dederit Deus, quasi gloriabundus enumerat, sapientiam scilicet, atque rationem providentiæ, occulta Dei noscere mysteria, et arcana ejus sensa cordis intrare. Oblique autem de se loquitur, quod nemo ita fuerit sapiens, ut ipse, et nullus sic fecerit problematum solutiones, et sapientia ejus a cuncto laudata sit populo, quæ non solum intrinsecus latuerit, sed et in superficie corporis et speculo vultus eluxerit, ultraque omnes homines prudentiam mentis in facie sua pinxerit (1). »

Porro, sapientia lucet in vultu tripliciter: *primo*, quia, ut ait S. Hieronymus et Albinus, anima seipsam suasque passiones et affectus imprimit corpori, præsertim vultui per naturalem sympathiam, qua forma materiam, puta anima corpus sibi adaptat et adæquat. Animus ergo sapiens sapientiam prodit, imo fingit et pingit in vultu, sicut sigillum sui figuram fingit et pingit in cera. Id patet ex physiognomia. Unde signa physiognomica sapientiæ et insipientiæ, virtutum et vitiorum, quæ in vultu totoque corpore relucent, recenset Aristoteles in *Physiognomicis*. Quocirca Thuanus vertit: Sapientia lucet in vultu. Primo.

> Nempe micat rosea sapientis fronte coruscus
> Fulgor, et ex vultu feritas et ruga facessit.

Vultus ergo est viva imago, imo speculum et simulacrum animi, uti communis habet sapientum sententia. Intellige communiter ita fieri, at non semper; nam, ut ait Comicus: « Multis mortalium facies est ingenua, mens vero intus illiberalis reperitur. »

Secundo et potius, quia sapientia, id est prudentia et virtus, non tantum animum, sed et corpus, præsertim vultum ad omnem honestatem et decorem componit et efformat, facitque ut in eo reluceant gravitas, modestia, comitas, probitas, pietas, scilicet in fronte serenitas, in genis verecundia, in oculis candor, in ore prudentia Secundo.

(1) Est in hebr., *Sapientia hominis illuminat vultum ejus*, facem ei præbet, ut clarissime videat, quæ sibi sint agenda, quæ fugienda; melius alii, serenum hilaremque reddit ejus vultum. *Et robur*, feritas, *faciei ejus mutatur*, scil. per sapientiam. Minus recte Maurer, *ita ut splendor faciei ejus duplicetur.*

et gratia, in toto vultu hilaritas et lætitia, mixta prudenti sanctaque maturitate. Unde Hebraice est, *sapientia hominis illuminabit vultum ejus*; Chaldæus, *sapientia viri sapientis illustrat splendorem faciei ejus inter justos*. Sic et Septuaginta, Syrus, Arabicus et cæteri. Arias :

> Hominis faciem sapientia luce
> Perfundit, mutatque iras vultumque superbum,
> Atque supercilium demit, redditque modestum.

Et alius :

> Namque gravis facies animi est sapientis imago :

si scilicet matura sit, comis, placida et æquabilis. Comes enim sapientiæ est humanitas et modestia.

Rursum sapientia lucet in facie sapientis, quia eam facit omnibus amabilem, juxta illud *Job* XXIX, 24 : « Lux vultus mei non cadebat in terram. » Lux enim symbolum est majestatis et causa venerationis. Sic Esther ait Assuero, cap. XV, vers. 16 : « Vidi te, domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, domine, et facies tua plena gratiarum. » Porro, « residebat ille super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu, » ibidem vers. 9. Sic Judæi viderunt faciem S. Stephani quasi angeli, *Actorum* VI, 15. Sapientia ergo sanctitati juncta est, quasi sol jubar suum in vultum diffundens; unde « inexstinguibile est lumen illius, » *Sapient.* VII, 10.

Tertio, quia Spiritus Sanctus per gratiam animam inhabitans et illustrans, lucem ejus, imo suam diffundit in vultum et corpus, sicut lucernæ lux per vitrum et cornu tralucet; et sicut lumen gloriæ beatorum non tantum mentes, sed et corpora efficit fulgida et gloriosa. Adde : Spiritus Sanctus eximiis viris in quorum mentibus, velut in templis angustis habitat, specialem vultus claritatem et fulgorem sæpe aspirat : sic in vultu Christi radiabat fulgor divinitatis, teste S. Hieronymo, cujus radios S. Petro, S. Jacobo et Joanni afflavit in transfiguratione; in vultu S. Antonii radiabat splendor sanctitatis, teste S. Athanasio. Sic faciem S. Ignatii fundatoris Societatis Jesu radiantem et splendidam se vidisse asseruit B. Philippus Nerius, aliique viri sapientes et sancti. Sic Deus in Sina colloquens cum Moyse illi cornua, id est radios lucis affixit, *Exodi* XXXIV, 30. Sic facies B. Virginis erat simulacrum probitatis, norma et forma virtutis, teste S. Ambrosio. Unde sequitur : « Et (id est *quia*) potentissimus faciem illius commutabit. » Et *Psalm.* LXVI, 2 : « Illuminet (Deus) vultum suum super nos. » Sicut enim sol creaturas, sic Deus homines sanctos luce sua collustrat. Vide dicta *Prov.* XVII, 24, ad illa : « In facie prudentis lucet sapientia. » Et *Proverb.* XXVII, 19, ad illa : « Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. »

ET POTENTISSIMUS FACIEM ILLIUS COMMUTABIT. — *Primo, q. d.* Princeps aut tyrannus, aut quis alius potens, vel minis, vel præmiis flectet constantiam faciemque sapientis et sancti, ut a sapientia et probitate ad insipientiam et improbitatem deflectat. Rursum sapiens si principi serviat, et ab illius vultu nutuque pendeat, necesse est ut sæpe vultum cum eo mutet, sicut umbra mutato corpore figuram suam mutat et variat; quare si sapit, non principi terreno, sed cœlesti, apud quem nulla est vicissitudinis obumbratio, *Jacobi* cap. I, vers. 17, se mancipet; quod monet Sapientia, dum subdit : « Ego os regis observo. »

Secundo et genuine, per *potentissimum* accipe Deum. Dat causam cur sapientia luceat in vultu sapientis : quia scilicet Deus illam immutat, illique suam sapientiam et lucem aspirat, præsertim in oratione et colloquio cum Deo patre luminum, uti in eadem radios suos aspiravit faciei Mosis. Sic vultus S. Dominici ex oratione prolixa spirabat amorem; S. Francisci contemptum mundi et Christum crucifixum; S. Catharinæ Senensis devotionem et compunctionem, ut solo vultu intuentes compungerent, et ad pietatem Deique amorem inflammarent. Sensus ergo est, *q. d.* Deus potentissimus commutare solet faciem sapientis, ut impudicitia, pervicacia, tristitia, feritas, truculentia, et si quis alius antea in ea erat pravus affectus, in probum, puta in pudorem, modestiam, pudicitiam, lætitiam, pietatem, etc., commutetur; ut qui per naturam, vel exercitium et vitium prius fuerat vultu tetrico, torvo, minaci, vago, lascivo, jam sapientiæ dono eumdem habeat hilarem, serenum, placidum, stabilem, pudicum, sanctum. Sic Deus post orationem mutavit faciem mœstam Annæ matris Samuelis, ut deinceps æquabili semper facie, læta hilarique consisteret, *I Reg.* I, 18; et faciem Esther pallidam ob metum Assueri, *Esther* XV, 10; et Danielis, cap. VII, vers. 28. Porro S. Bonaventura docet Deum mutare faciem exteriorem mutando interiorem, id est animæ seu rationis partem superiorem Dei capacem. Aliter Emmanuel Sa, *q. d.* Deus sapientem ita quandoque mutat et dejicit, ut non videatur esse sapiens.

Moraliter Hugo Cardinalis : Deus, ait, commutat eum qui malus est, ut evadat bonus; qui turpis, ut pulcher; qui debilis, ut fortis; qui viator per gratiam, ut comprehensor per gloriam, secundum quadruplicem statum incipientium, proficientium, perfectorum, pervenientium. Dionysius vero, *q. d.* Sapiens Dei dono subditis faciem commutabit, et pro subditorum rerumque exigentia nunc iratam, nunc blandam, nunc tristem induet, uti Christus induit, cum ementes ejecit e templo, cum Magdalenæ apparuit ut hortulanus, et discipulis in Emmaus euntibus ut peregrinus.

Anagogice Lyranus : Deus, ait, faciem morta-

lem in resurrectione commutabit in immortalem et gloriosam. Legit noster Interpres עז *az*, id est potens, per antonomasiam, id est potentissimus, puta Deus; jam alio puncto legunt עז *oz*, id est potentia, fortitudo, robur, durities, impudentia : durus enim facie vel fronte, ab Hebræis vocatur *impudens*. Unde

Primo, Cajetanus vertit, *et fortitudo vultus illius commutabitur*, quod sic exponit, *q. d.* Nullus etiam dynasta ita sapit, quin aliquando desipiat, ut muneribus, precibus aliave re corrumpi se sinat, ut subditos affligat, etc.; sicque vultus etiam ipsius, id est auctoritas, apud eos mutatur et amittitur. Unde Chaldæus vertit, *et impudens facie, immutantur viæ ejus de bono in malum*. Sic Catilina impudentiam et sævitiam spirabat vultu, etiam jam occisus. « Etiam mortuus Catilina, ait Sallustius, retinebat faciem quam habuerat vivus. »

Secundo, Clarius vertit, *et impudentia* (Vatablus, *duritia*) *faciei illius commutabitur*, quia dum sapientia hominem possederit, abigit impudentiam a mente et fronte. Et Titelmannus sic vertit et explicat, *sapientia hominis lucere faciet vultum ipsius, et fortitudinem, id est impudentiam vel crudelitatem, feritatem et barbariem vultus ejus mutabit*; Campensis, *crudelitatem pellit*.

Tertio, Vatablus, *q. d.* Sapientia fortitudinem et arrogantiam, impudentiamque faciei hominis immutabit, quia faciet ut ipse sibi videatur vilis, abjectus, despectus, quamvis ab aliis plurimi fiat.

Quarto, Septuaginta ישנא *iescunne* legentes per *sin*, i. e. audietur, non ישנא *iescunne* per *schin*, i. e. commutabitur, vertunt ἀναιδής, id est *impudens* (Vaticani legunt, *imprudens*, atque impudentia est imprudentia, puta soliditas) *vultu odietur*; Syrus, *cujus facies audax est, odiosus efficietur*; Arabicus, *qui non habet verecundiam, contumelia afficit faciem suam, q. d.* In vultu sapientis lucent pudor et sapientia, in vultu impudentis insipientia, ideoque ille amabitur et coletur, hic odietur et contemnetur. Unde, ut explicat Olympiodorus, *facie sua punietur*, cum scilicet impudens contentiosis sermonibus sophisticisque captiunculis sese efferens, redargutus, impudentiæ pœnas dabit. Thaumaturgus, *sapientiæ indicium ex hominis vultu appareret, velut et livor impudens, statim ut videtur aliquis, prodit dignum esse, in quo inhabitet*. S. Hieronymus in *Comment.*, *improbus facie sua odietur*: improbitas est audacia et impudentia.

Vers. 2. 2. EGO OS REGIS OBSERVO, ET PRÆCEPTA JURAMENTI DEI. — Septuaginta, Syrus et Arabicus vertunt in imperativo, *os regis observa*, quia pro שמר *scomer*, id est *observo*, legerunt alio puncto שמר *scemor*, id est *observa*. Unde ex Hebræo sic vertendum censuere, *ego*, scilicet moneo vel jubeo, *os regis observa*. Pendet hic versus a præcedenti, ex eoque velut practica conclusio educitur, quasi dicat : Quia Deus potentissimus os et faciem sapientis, sui oris et faciei luce immutat, illique suam sapientiam, virtutem et splendorem aspirat, hac de causa : Ego sapientia, vel ego sapiens os et faciem Dei regis mei observo, tum ut illi os et faciem meam, ab ejus ore et facie illustratus, conformem; unde frequenter in *Psalmis* orat David, ut Deus « illuminet vultum suum super nos, » quia « in lumine ejus videbimus lumen : » sicut enim qui ambulat in sole, luce solis collustratur : sic qui versatur cum Deo luce divina perfunditur; tum ut ab ore ejus divino jussa et præcepta sapientiæ excipiam, quibus meam mentem vultumque imbuam, illustrem, sanctificem, quæque in opus conferam, ut Deum meum per gratiam laborando hic sequar, et in cœlo per gloriam comprehendendo assequar (1).

Porro τὸ *ego* refert ad sapientiam, de qua est omnis sermo, vel ad Salomonem, qui in se typum hic sapientiæ et sapientis exprimit, quod eodem redit, uti liquet ex verbis S. Hieronymi initio vers. 1 citatis. Sæpe enim Salomon, æque ac Siracides, per prosopopœiam ipsam sapientiam loquentem inducit, elegantiæ et energiæ causa.

Igitur *primo* et genuine, per regem accipe Deum, qui est Rex regum. Nec enim Salomon habebat in terra regem superiorem se, cujus os et jussa observaret. Sensus ergo est, *q. d.* Ego sapientia sollicite ambulo cum Deo rege meo ac studiose observo; ac mei studiosos, puta sapientes et sanctos exacte observare jubeo os ejus, id est legem ex Dei ore manantem, et *præcepta juramenti Dei*, quæ scilicet ipse juramento confirmavit, ut testaretur hanc esse intimam suam voluntatem, ut scilicet homines hæc ejus præcepta diligentissime servarent, quæque nos vicissim solemni professione, velut juramento servaturos in circumcisione vel baptismo promisimus, et quasi juravimus.

Nota : Τὸ *observo* significat sedulum et exactum studium divinæ voluntatis, legisque scrutandæ et adimplendæ, ut quid, quantum, quomodo, quibus circumstantiis Deus hoc illudve fieri jubeat, minutim vestigemus, et adamussim omnia et singula compleamus. Sic famuli observant os regis, id est singula ejus jussa et verba, imo singulos ejus gestus et nutus nictusque oculorum, ac ubi perceperunt quid velit, illico ad id explendum non tam eunt, quam currunt et volant.

Mystice S. Bonaventura : Os, inquit, Patris est Christus (sicut Christi os est doctor et prædicator), cujus minima dicta, imo gestus et nutus studiose audire, mente condere, meditari et opere explere debemus. Nam, ut ait Christus : « Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. » Sic Beata

(1) Ad quæstionem quæ præcedit, respondet Koheleth : *Ego*, præcipio tibi, hanc tibi sapientiæ regulam trado : *Os*, i. e. jussum *regis observa, et*, seu *vel*, quidem *propter jusjurandum Dei*, propterea quod jurejurando per Deum interposito regi fidem promisisti.

Virgo « conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, » *Luc.* II, 19. Sic quisque deberet observare os Domini, ut ad minimam voluntatis divinæ significationem totum se fingeret et componeret. Hoc est « sollicitum ambulare cum Deo, » quod unice a nobis requirit Deus, uti docet Michæas VI, 8; ideoque convenit assidue dicere cum Samuele : « Loquere, Domine, quia audit servus tuus; » et cum Paulo : « Domine, quid me vis facere? » et cum Psalte : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. »

Secundo, per *regem* cum Olympiodoro et aliis accipi potest quilibet rex, princeps et magistratus, qui regendi vices, jus et auctoritatem a Deo accepit, *q. d.* Ego sapientia observo, et meos observare doceo os, id est leges et jussa regum ac magistratuum, qui quasi vicarii Dei regunt rempublicam. His enim se obedituros in eorum inauguratione promiserunt, et jurarunt subditi. Ergo par est ut eis juxta juramenta præstita pareant et obsecundent, juxta illud *Prov.* XXIV, 21 : « Time Dominum, fili mi, et regem, » quia Dominus jussit ut regi obedias. Unde Septuaginta et Arabicus vertunt, *os regis custodi;* Syrus, *conserva;* Chaldæus, *custodi os tuum super sententiam regis;* Tigurina, *equidem moneo ut os regis observes, præsertim propter juramentum Dei;* quia, ut ait Vatablus, fidem jurejurando regi præstitimus. Alii, *meum est observare præceptum regis.* Porro nonnulli prius hemistichium a posteriore adversative disjungunt, *q. d.* Observa os, id est præcepta regis, sed magis observa juramenta, quibus obstrictus es Deo; ut, si rex aliquid Deo contrarium præcipiat, dicas : « Obedire magis oportet Deo quam hominibus. » Unde Campensis, *quæ rex mandavit, observet, et præstet si quid Deo in testem vocato juraverit.* Et Thaumaturgus, *magna diligentia verba regis attendenda sunt, sed jusjurandum per nomen Dei omnibus modis fugiendum.*

Tertio, nonnulli hanc gnomen arctant, et attribuunt familiaribus et consiliariis regum et principum, quasi eis indicat hic Salomon fidelitatem et silentium, ne eorum secreta consilia evulgent, uti juramento eis promiserunt, quasi quilibet eorum hic inducatur ut loquens, dicatque : Ego os, id est secreta, quæ ex ore regis mei audivi, secreta servo. Unde S. Hieronymus censet hic Salomonem loqui in persona cujusvis sapientis, qui pareat legibus et regibus. Hic enim est regendi, et rei bene gerendæ nodus et nervus, si consilia serventur secreta. Id norunt Persæ, de quibus scribit Ammianus, lib. XXI : « Nemo consiliorum, inquit, est conscius præter optimates taciturnos et fidos, apud quos silentii quoque colitur numen, » *q. d.* Silentium adeo religiose observant et colunt, ac si illud esset unicum eorum numen, hinc *silentiarii* nuncupabantur, et revera erant. Huc pertinet illud Raphaelis, *Tob.* XII, 7 : « Sacramentum regis abscondere bonum est. » Huc quoque spectat expositio Olympiodori : « Est, inquit, os regis custodire, divina mysteria silentio occultare, neque indignis atque profanis auditoribus illa explicare. » Idem tropologice sic exponit : Bonum est ut non studeamus extra os et faciem Dei ambulare, sed omnia nostra opera sic peragamus, ut Deum vereamur, tanquam præsentem judicem et inspectorem.

ET PRÆCEPTA (Hebræa, *verbum*; S. Hieronymus, *loquelam*) JURAMENTI DEI : — repete, *observo*. Aliter S. Hieronymus in *Comment.*, et Symmachus, qui hæc nectunt cum sequentibus, *ne festines*. Unde Arabicus : *Ne festines*, ait, *in juramento memoriæ Dei;* Symmachus, *transgredi juramentum Dei, q. d.* Ne festines et sis præceps ad juramentum, quia juramentum in Dei æque ac tua memoria inscriptum, et quasi insculptum servatur, ut si illud transgrediare, Deum vindicem sis experturus. Noster vero, Septuaginta et Arabicus *verba* vel *præcepta* vocant *juramenta Dei*, scilicet quibus Deus quasi jurejurando te obligavit, hoc est arctissime et severissime te obstrinxit, minando pœnas æternas et promittendo regnum cœleste, necnon cum pacto et sanguine fœderis, *Exodi* XXIV, 8; quæque te servaturum, cum ad ejus religionem et Ecclesiam accederes, spopondisti et quasi jurasti. Hinc Patres professionem fidei, quæ fit in baptismo, vocant sponsionem, juramentum, votum, eaque acriter urgent fideles ad servandum præcepta Dei. Est catachresis similis illi *Psalm.* CXVIII, 106 : « Juravi (id est firmiter decrevi, proposui, promisi; unde sequitur), et statui custodire judicia justitiæ tuæ. »

Audi S. Chrysostomum, homil. in illud *Sapientiæ : Justorum animæ in manu Dei sunt :* « Unde tu, christiane, delicatus es miles, si putes te sine pugna posse vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce; pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti, » per sacramentum militare, puta per baptismum, et professionem vitæ christianæ in Ecclesia militante, cui ascriptus es quasi miles et athleta Christi. Tertullianus, lib. *De Corona militis*, cap. III : « In Ecclesia, ait, sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompæ et angelis ejus, » *q. d.* Sacramento militari in baptismo renuntiavimus diabolo, et nos addiximus Christo, quasi ejus milites auctorati. S. Basilius, *Exhort. ad Baptismum :* « Tesseram duces sub se militantibus dant, etc. : nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? » Augustinus, lib. IV *De Symbolo ad Catechum.* cap. I : « Huic (diabolo), ait, vos renuntiare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo et angelis ejus conscribentibus dixistis : Renuntio. Renuntiare non solum vocibus, sed etiam moribus; non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ; nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus :

Professio in baptismo est quasi juramentum.

Scitote vos cum callido, antiquo et veternoso inimico suscepisse certamen; non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, non jure vos attrahat in servitutem suam. Deprehenderis enim et detegeris, christiane, quando aliud agis et aliud profiteris; fidelis in nomine, aliud demonstras in opere, non tenens promissionis tuæ fidem : modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli quibus renuntiasti? » Narrat Victor Uticensis, libro III *Wandal.*, duos fratres christianos a Wandalis arianis fuisse suspensos, molibus lapidum ad pedes appensis; cumque unus eorum peteret deponi darique sibi inducias, alter metuens ne fidem negaret, exclamavit : « Noli, noli, frater, non ita juravimus Christo. Accusabo te cum ante thronum ejus terribilem venerimus, quia super corpus ejus et sanguinem juravimus, ut pro eo invicem patiamur. » Unde prior confirmatus constanter edixit : « Adigite suppliciis quibus vultis, et pœnis christianos arctate crudelibus. Quod frater meus facturus est, hoc etiam ego. »

Vers. 3. 3. NE FESTINES RECEDERE A FACIE EJUS, NEQUE PERMANEAS IN OPERE MALO : QUIA OMNE QUOD VOLUERIT FACIET. — Τὸ *ne festines* Arabicus, Olympiodorus et alii nectunt præced., *q. d.* Ne festines in juramento Dei, id est, ne præceps sis ad jurandum; sic enim expones te periculo pejerandi.

Melius Noster, Septuaginta, Syrus et cæteri passim nectunt sequent., *q. d.* Serva juramenta, id est præcepta Dei, quibus solemni professione in circumcisione vel baptismo, quasi jurejurando, summa religione te Deo ad illa servanda obstrinxisti : quare, si quæ ingruat tentatio, adversitas, persecutio, *ne festines,* hebraice אל תבהל *al tebahel,* id est ne trepides, ne percellaris, ne præcipites recedere a facie ejus, *tanquam a conspectu ejus possis aufugere,* ait Campensis, uti ab eo fugit Cain, *Genes.* IV, 16, sed non effugit, *neque permaneas;* Campensis, *ne pertinax persiste in opere malo,* ut contra legem Dei in aliquo scelere, ad quod concupiscentia, socii vel hostes te illecebris vel minis impellunt, persistas, excutiendo metum numinis et vindictæ Dei; quia etsi is eam ad tempus differat, tamen suo tempore omne quod voluerit faciet, ac sibi rebelles et reos puniet, et morte præsenti et æterna mulctabit.

Pro *in opere malo,* Hebræa, Septuaginta, Syrus et Arabicus habent, *in verbo malo,* quod proprie accipi potest de peccatis oris et linguæ, uti est murmur, detractio, oblocutio. Unde Thaumaturgus intelligit de blasphemia; sic enim vertit, *sermonibus Dei, licet molestum quid imperantibus decet obedire, cavereque ab omni in Deum blasphemia. Nam quamvis inferat tibi aliquid, non tamen tuum fuerit reprehendere, neque contradicere decretis monarchæ vel regis.*

Porro Chaldæus vertit, *at in tempore iræ Domini ne desinas orare coram eo, sed cito vade in conspectu ejus et ora, et quære misericordiam ab eo ut non stes in verbo malo : quia Dominus totius sæculi quodcumque voluit fecit,* id est, ut clarius vertit Costus, *ut non luctuosum quippiam eveniat : ipse enim totius mundi Dominus omnia secundum animæ sententiam facere potest.*

Secundo, hæc omnia a vers. 2 ad vers. 9 non tantum de Deo, sed et de rege sive magistratu accipi possunt, *q. d.* Ne opponas te regi ejusque decretis, ut eis obloquaris vel resistas, quia rex potens est, et quodcumque voluerit faciet, ut te sibi adversantem vel bonis, vel civitate, vel libertate, vel vita mulctet et privet. Ita Vatablus, Campensis, Cajetanus et alii. Porro Cajetanus explicat τὸ *ne festines, q. d.* Ne nimis velociter adeas conspectum regis, vel ab eo leviter abeas, ne levitate hac et indecentia regem offendas; sed etsi quid contra eum dixeris, ne persistas in ejus ditione, sed cito ex ea te proripias, ne te comprehendat et plectat. David de Pomis vero, *q. d.* Ne festina adire regem, vel ab eo abire; nec nimis crebro te ejus vultui sistas, nec nimis raro. Nam, ut ait Plutarchus : « Cum rege agendum est quasi cum rogo, » ut nec nimis prope ad eum accedas, ne comburaris; nec nimis longe, ne ab eo non calefias, id est, ejus amorem, favorem et beneficia non sentias. Sidonius quoque Apollinaris, lib. III *Epist.,* reges flammis comparat, « quæ sicut, inquit, paululum a se remota illuminant, ita satis admota comburunt. » Sic enim Alexander Clitum nimis familiarem, Tiberius Sejanum, Nero Senecam occidit. Porro Vatablus sic exponit : Si recesseris a rege, statim redi in gratiam cum eo, ne cogaris permanere in opere malo, cum rex quidquid vult valeat. Alii exponunt, *q. d.* Ne fastidiose, et arroganti, ac philosophico supercilio recedas a rege, nolens eum adire etiam ab eo evocatus, quasi eo superior et sapientior, ac celsior rege et mundo universo, uti Diogenes aspernatus est Alexandrum Magnum. Seneca, *epist.* 103 : « Multis, ait, fuit periculi causa philosophia insolenter jactata et contumaciter. Vitia tibi detrahat, non alii exprobret, non abhorreat a publicis moribus, nec ita agat, ut quidquid non facit, damnare videatur; licet sapere sine pompa, sine invidia. » Vide Plutarchum, libro qui inscribitur : *Cum principibus philosopho esse disserendum.* Denique noster Pineda censet hæc spectare ad familiares et consiliarios regum et principum, ut eis hic Salomon duo salutaria suggerat monita : *primum,* ne in dando regi consilio sententiam præcipitent; sed, præmissa deliberatione, mature eam pronuntient. Nam, ut ait Livius, lib. XXII : « Omnia non properanti clara certaque sunt; festinatio improvida est et cæca; » et lib. XXXI : « Nihil magni discriminis consiliis tam inimicum quam celeritas. » *Secundum,* ut in sententia non sint pertinaces, nec sui cerebri, sed si viderint ab aliis saniora dari consilia, illa probent et sententiam mutent. Sic enim ipsi se, non suo honori

Regem adi quasi rogum.

sed regis et reipublicæ commodis studere ostendent, quæ propria est senatoris et consiliarii laus.

Vers. 4. 4. ET SERMO ILLIUS POTESTATE PLENUS EST : NEC DICERE EI QUISPIAM POTEST : QUARE ITA FACIS? — Hebraice, *in quo verbum regis*, in eo est *potestas*, q. d. Verbum regis et jussum armatum est potestate, adeoque est ipsa potestas, ut instar fulminis statim exsequatur quod jusserit, dictumque ejus sit factum : hinc Seleucus cognominatus est *Ceraunius*, id est *Fulmineus*. Unde Thaumaturgus :

Nam jusserit ille, jubentis
Vel dicto, citius, vocem mox facta sequentur.

Alii vertunt, *juxta dictum regis est potestas*, q. d. Mensura dicti vel jussi regis est potestas : tantum potest quantum dixerit et jusserit; tantum valet quantum volet. Audi Esdram, lib. III, cap. IV, 3 : « Rex super omnia præcellit, et dominatur eorum : et omne quodcumque dixerit illis, faciunt. Et si miserit illos ad bellatores, vadunt, et demoliuntur montes, et muros, et turres. Jugulantur et jugulant, et regis verba non prætereunt : et ipse unus solus si dixerit : Occidite, occidunt, » etc. Et Plutarchus ad principem ineruditum : « Pravitas a potentia, ait, celerem nacta cursum, omnes animi motus in facta expellit. At sicut fulgur tonitru posterius erumpit, prius tamen videtur, sic in imperiis supplicia accusationibus antevertunt, nisi gravitate præpedita ratio compescat reprimatque potentiam (1). »

Imperiosi exempla. Vis ambitiosæ regum potestatis exempla? Accipe : Cyrus Gnyden fluvium navi trajiciens, eo quod periisset unus ex equis suis, ira in fluvium excandescens, illum ut perderet in 360 alveos derivavit, uti fuse narrat Seneca, lib. III *De Ira*, cap. XXI. Impotentior fuit Xerxes, qui Hellespontum, quod oborta tempestate pontes suos disjecisset, conviciis oneravit, trecenta verbera illi infligi, quin et compedes injici jussit, teste Herodoto, lib. VII. Modestior et sapientior fuit Canutus rex Angliæ, qui ad littus maris sedens, mari imperans : « Unda, inquit, jubeo ne pedes meos tangas, » sed ab ea non obediente madefactus Anglos suos docuit, non se, sed unum Christum esse regem, cui venti et mare obediunt. Quare Vintoniæ in Basilica S. Petri et Pauli coronam regiam Christo crucifixo imposuit, nec postea ea coronari sustinuit, teste Polydoro Virgilio, lib. VII *Histor.* sub finem. Stolidior fuit Pharao, dicens : « Meus est fluvius (Nilus), et ego feci memetipsum, » *Ezech.* XXIX, 3; et rex Tyri, dicens : « Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, » *Ezech.* XXVIII, 2; et rex Babylonis, dicens : « In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, etc., similis ero Altissimo, » *Isaiæ* XIV, 13. Annon insanæ sunt hæ regum suæ potestati, etiam elementa et cœlos subjicientium voces?

(1) Hebr. est, *propterea quod verbum regis potens est, et quis dicat ei : quid facis?*

Vers. 5. 5. QUI CUSTODIT PRÆCEPTUM, NON EXPERIETUR QUIDQUAM MALI. — Hebræa, *non cognoscet*, scilicet per experientiam et sensum, *verbum malum*, id est rem malam, puta iram regis et pœnam legis; Arabicus, *verbum immundum*. Aliter Olympiodorus et S. Ambrosius in *Psalm.* XLI, *q. d.* Justus non « cognoscit malum, » culpæ scilicet ut illud faciat, approbet, vel ullo consensu recipiat, aut aliqua societate in se transferat. Hinc disce obedientiæ vim et fructum, quod scilicet obedientem reddat immunem ab omni malo, et quasi inviolabilem, adeo ut etiamsi rex aut superior illi infensus velit eum rigidis strictisque arctare præceptis, obediens tamen, omnia capessens, superet et transcendat magna animi virtute, laude et merito, ideoque Deus omnia illi efficit facilia, utilia et honorifica, etiam illa quæ ad eum deprimendum excogitata videntur; obedientibus enim velut « diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, » *Rom.* VIII. Docet idipsum egregie S. Ephrem, tomo II, parænesi 16 *De Præfecto et Obedientia;* ac S. Chrysostomus, homil. 84 *in Joannem;* et Dorotheus, *doctr.* 5. Licet ergo patiatur vel communes, vel privatas et proprias vitæ ærumnas, tamen illas non pœnas esse censet, sed exercitia virtutis, augmenta meritorum, et exempla intuentium vel posteriorum : quare, cum Paulo sibi placet, imo gloriatur in infirmitatibus et tribulationibus, *Rom.* VIII, 28; II *Corinth.* XII, 5. Igitur obediens et justus flagellantem Deum intuetur, ut patrem; corripientem, ut amicum; castigantem, ut præceptorem; amara propinantem, ut medicum, dicitque cum S. Augustino : « Hic ure, hic seca, ut in futuro parcas. »

TEMPUS ET RESPONSIONEM COR SAPIENTIS INTELLIGIT. — Hebræa, *tempus et judicium*, id est, ut Septuaginta et Arabicus exponunt per hendiadyn, *tempus judicii*. Judicium in Scriptura multa significat : in judicio enim judicum multa fiunt, quæ nunc omnia simul, nunc unum ex omnibus seorsim per synecdochen significat vox *judicium*; unde nunc significat interrogationem et accusationem, defensionem et responsionem; nunc sententiam judicii, nunc pœnam ab eo inflictam. Rursum, quia judicium forense statum est, determinatum, certum et fixum, hinc *judicium* per catachresin significat rem statam et certam item morem, legem, consuetudinem, normam regulam, statum, conditionem, officium, functionem, ministerium (2). Jam

Judicium multa significat.

Primo, Thaumaturgus exponit de die judicii, quem in omnibus actionibus menti suæ proponit sapiens. Unde vertit, *equidem sapiens ante oculos semper habet justum judicium suo tempore futurum, et prænoscit omnia humanæ vitæ opera superne retributionem exspectare.* De S. Hieronymo refertur il-

Tempus observa. Primo.

(2) *Et tempus et judicium novit cor sapiens*, sapientis. *Tempus*, scil. cuique rei opportunum et commodum; *rationem*, scil. modum aliquid apte et decenter expediendi.

lum dixisse : « Sive comedo, sive bibo, sive vigilo, sive dormio, sive quid aliud facio, semper tuba illa insonat auribus meis : Surgite, mortui, venite ad judicium. » Utique qui sapit, id ipsum facit, itaque « disponit sermones (et actiones omnes) suos in judicio, » id est juste, legitime et exacte maturo judicio, ut in die judicii habeat quod Judici pro se respondeat. Sic quoque Olympiodorus, Hugo, Lyranus, Titelmannus et alii.

Secundo. *Secundo*, alii hæc ad consiliarium regis referunt, *q. d.* Si rex illicitum quid jubeat, vir sapiens scit quid prudenter regi respondere debeat, ne vel illicitum quid admittat, vel regis iram incurrat, uti fecerunt tres pueri jussi adorare statuam auream, *Dan.* III; et Daniel ipse, cap. VI, lata lege ne quis per 30 dies adoraret Deum, nisi regem. Cajetanus ex adverso hæc refert ad regem, quem sapiens cognoscit captare tempus et judicium, id est occasionem judicandi contra eum quem plectere destinat, uti Salomon captavit tempus plectendi Semei et Adoniam, III *Reg.* cap. II, 22 et 42. Verum hic sensus dissonat a Vulgata quæ vertit, « responsionem. »

Tertio. *Tertio* et genuine, *q. d.* Sapiens ita exacte præcepto tam Dei, quam regis et magistratus obedit, omnes ejus circumstantias loci, temporis, modi, personarum, etc., observans, ut nil sit quod in eo carpi queat; sed si quis in re a quopiam culpetur, illico habeat quod jure respondeat, quoque suam obedientiam tueatur et demonstret, adeo ut si *in judicium* vocetur, coram judicibus justam facti sui rationem reddere possit. Hinc Noster sagaciter pro *judicium* vertit, *responsionem*. Ita S. Hieronymus : « Præcepit, inquit, regis imperium, id est Christi, conservandum, et scire quid, et quare, et quo tempore jubeat, » ut scilicet omnes imperantis circumstantias, articulos, nutus exacto judicio observemus, ne vel minima elabatur occasio, qua ejus voluntatem integre non exsequamur, sed vocanti, imo innuenti illico nos sistamus et respondeamus cum Samuele : « Ecce ego; » et cum S. Augustino : « Da quod jubes, et jube quod vis. »

Igitur « tempus et judicium » intelligit et observat « sapiens, » quia vocatus, interrogatus vel jussus a Deo sive rege quidpiam respondere, dicere, vel agere, omnia respondet, dicit et agit suo tempore, ac maturo cum judicio, id est magna cum ratione, prudentia et circumspectione. Aut planius, quod tamen eodem redit, sapiens observat *tempus* et *judicium*, hoc est *tempus judicii*, ut vertunt Septuaginta, id est tempus justum, congruum, aptum, opportunum respondendi, dicendi vel agendi. Unde Noster hebræum משפט *mispat*, id est *judicium*, quod hic vertit, *responsionem*, vers. seq. vertit, *opportunitas*. Hæc ergo tria, scilicet *judicium*, *responsio*, *opportunitas* hoc loco idem significant, scilicet tempus justum et opportunum ad respondendum.

Denique noster Pineda censet hic notari formam et ideam perfecti obedientis, ut intelligere judicium idem sit quod studiosi animi voto, promptitudine, consideratione accelerare, ut antevertat præcepti et obedientiæ tempus, utque avide illud exspectet, et quod in se est, advocet, maturet, adducat, ac denique antequam mandata accipiat secum tacitus cogitet, si hoc vel illud grave ac difficile jubeatur, qua fronte, quo animo, qua responsione accepturus sit, ac sæpe illam suo animo responsionem fingat, et paratissimam habeat : « Ecce ego præsto sum, mitte me; » nam, ut ait S. Bernardus : « Verus obediens parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri; et sic se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis. » Ita ipse, serm. *De Obedientia*.

Moraliter S. Bonaventura : Sapiens, ait, observat tempus bene operandi, ut apte respondeat interroganti et ignoranti, ut notat Hugo, vel docendo, vel consulendo, vel obediendo, vel Dei flagella patienter excipiendo, et mores corrigendo, vel accusationes et criminationes humiliter confitendo, vel ad beneficia Dei gratias agendo, vel inspirationi Dei cooperando, et in melius proficiendo.

Rursum et proprie discè hic sapientem observare tempus, id est opportunitatem bene agendi, et implendi id quod præceptum est, ideoque magnam sapientiæ et prudentiæ partem, consistere in captanda opportunitate rei bene gerendæ; dum enim illa se offert, res facile et feliciter conficitur : dum vero illa abest, cum magna difficultate frustra res tentatur, nilque promovetur, sed infeliciter omnia cedunt. Hinc infert magnam habendam esse rationem temporis hujus vitæ, utpote quod breve est, et semel elapsum irrevocabile, et a quo pendet tota cujusque æternitas, eaque vel beatissima vel miserrima.

Narrat Ludovicus Blosius, lib. IV *Spirit. grat.* cap. IV, de S. Mechtilde, quod a Sanctis sibi apparentibus audierit : « Eia, quam felices vos estis qui adhuc vivitis in terris, et quam multa promereri potestis! quia si homo sciret quanta una die promereri possit, mox ut a somno evigilaret, tanto gaudio cor ejus dilataretur pro eo quod dies illa illuxisset, in quo Deo vivere et ex Dei gratia suum meritum ad Dei laudem augere posset, ut tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior et fortior redderetur. Qui enim parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Opera enim illorum sequuntur illos. » S. Bernardus *ad Scholares* : « Nemo, ait, vestrum parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens quid amittat; licet fabulari, dicunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam glo-

riam miseratio conditoris indulget! donec transeat tempus quo divinam debueras propitiare pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. » Et rursum : « Nil pretiosius tempore, et heu! hodie eo nil vilius invenitur. Transivit dies salutis, et nemo recogitat : nemo sibi perire diem et nunquam rediturum causatur; sed sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. » Vis gentilium sensa et gnomas de pretio et brevitate temporis? Accipe Virgilium, III *Georg.*: Gnomæ.

Et fugit interea, fugit irrevocabile tempus.

Idem, *Æneid.* X :

Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Ovidius, *Metamorph.* X :

Labitur occulte, fallitque volubilis ætas.

Et :

Nihil est annis velocius.

Et rursum :

Eunt anni more fluentis aquæ :
Utendum est ætate, cito pede labitur ætas.

Seneca in *Hippol.* :

Volat ambiguis mobilis alis
Hora. . . . . senescimus, effugit ætas.

Seneca, lib. I, *epist.* 1 : « Maxima, ait, pars vitæ elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat se quotidie mori? Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere. Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum est. In hujus rei unius fugacis ac lubricæ possessionem natura nos misit, ex qua expellitur quicumque vult; et tanta stultitia mortalium est, ut, quæ minima et vilissima sunt, certe reparabilia imputari sibi, cum impetravere, patiantur; nemo se judicet quidquam debere, qui tempus accepit; cum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere. » M. Varro censebat nullam jacturam esse graviorem præsertim scienti, quam temporis. Bias apud Laertium, lib. I, cap. VI, dicere solitus erat vitæ tempus ita metuendum, quasi et diu et parum victuri sumus juxta illud S. Hieronymi : « Sic vive tanquam semper moriturus; sic stude tanquam semper victurus. » Democritus pretiosissimum impendium dixit esse tempus. Zeno dicebat nihil magis hominibus deesse, quam tempus, ait Laertius, lib. VII, cap. I; et tamen multi illud alea, ludis, jocis prodigunt, quasi eo abundent. Theophrastus semper habebat in ore : « Nullum sumptum esse pretiosiorem tempore. » Simonides interrogatus quantum temporis vixisset : « Tempus quidem exiguum, inquit, annos autem multos, » ait Stobæus, *serm.* 96. Sic Barlaam apud Damascenum, in *Histor.* cap. XVIII, rogatus a Josaphat regis filio quot annos vitæ haberet, respondit, 45, licet enim sim 70 annorum, tamen tantum ex eis 45 Deo in monastica vita servivi; illud autem solum tempus vitæ computo : quod enim in vanitate et otio transigitur, tempus mortis est, non vitæ. Alius : « Sicut flumen sistere non potest, sic nec tempus. Sicut unda undam perpetuo propellit, ita dies diem trudit. » Uti ciconias nemo advenire sentit, sed advenisse; nemo discedere, sed discessisse, quia noctu clanculumque faciunt utrumque : ita juventutem nemo intelligit discedere, sed discessisse, et senectutem non sentimus advenire, sed advenisse : perinde ac qui nave vehuntur, progrediuntur sensim sine sensu. Vetus adagium est : « Nosce tempus. » Et : « Cum pluit, molendum. Fronte capillata est, a tergo occasio calva. » Ægyptii pro annuo circuitu pingebant serpentem : quia is, ut ait S. Cyrillus, in longitudinem porrigitur, et multis complicatur spiris, quæ sunt multæ dierum annorumque series, taciteque proserpit nullo edito strepitu. Caudam supprimebat serpens, quia omnia tempora nobis incerta sunt. Præsens enim cum instabile sit et velocissime transcurrat, vix percipitur; præteritum intueri non possumus; futurum longe minus, quia nondum est, et ejus finis prorsus est incognitus. Ita Pierius, lib. XIV, pag. 130. Nemesianus, *eclog.* 3 : « Omne tempus abit, tempus rapit, usus in arcto est. » Plura de pretio et cura temporis dixi III, 1, et *Ephes.* V, 16.

6. OMNI NEGOTIO (Hebraice, *voluntati*, id est rei volitæ) TEMPUS, EST ET OPPORTUNITAS (Symmachus, *tempus commoditatis et modus*; Hebræa, Syrus, Arabicus et Septuaginta, *tempus et judicium*), ET MULTA HOMINIS AFFLICTIO. — Dat causam cur cor sapientis intelligat et observet tempus, quia scilicet scit cuique rei suum esse tempus et opportunitatem; quamque ergo captat suo tempore opportuno. S. Hieronymus vero censet hic doceri sapientem sive justum cognoscere quod Deus omnia disponat ad suam cæterorumque utilitatem, etsi scire nequeat quid ei obventurum sit; quare quidquid justo acciderit, id eum æquo, imo lubenti animo excipere, velut ordinatum sibique missum a Deo. Ergo Dei judicia exosculatur, et ex omnibus bene agendi beneque de Deo merendi occasionem captat. Vers. 6.

ET MULTA HOMINIS AFFLICTIO. — Theodotion et Arabicus pro רעת *raath*, id est *afflictio*, legentes דעת *daath*, id est *scientia*, vertunt, *quia scientia hominis multa super eum*; quod Olympiodorus refert ad rerum cognoscendarum multitudinem : » Immensa, inquit, cum sit ipsa sapientia, premit hominem atque obruit. Si enim voluerit omnia scire, vasta mole irruens super eum, angit ejus mentem ac suffocat. »

Idem deinde explicat de ignoratione temporis, loci et modi, quando scilicet, ubi et quomodo

peragendum sit extremum judicium. Verum Septuaginta, Syrus, Arabicus, Chaldæus et cæteri cum Nostro legunt *raath*, id est *afflictio*; Vatablus, *infelicitas*; Clarius, *varia et periculosissima mala*, non tam culpæ, ut vult Cajetanus, quam ærumnæ et pœnæ. Significat cuique tempori, perinde ac rei sublunari inesse suam vanitatem et afflictionem : hoc enim toto libro probare contendit. Porro vanitas et afflictio tempori propria est ea quam subdit : « Quia ignorat præterita et futura, » *q. d.* Omnibus in rebus, locis et temporibus magna est afflictio, præsertim in tractandis et expediendis negotiis arduis; sed tamen sapiens sua sapientia eam prævidet, et evitat vel superat. Proprie et præcise Hugo Victorinus *afflictionem* explicat difficultatem adinveniendi congruam responsionem, qua placari possit iratus rex, cujus voluntati sive justæ, sive injustæ, sapiens consiliarus obstitit. Alii *afflictionem* explicant cruciatum timoris et supplicii, qui invadit inobedientem, qui præcepta Dei vel regis transgressus est. Chaldæus refert ad diem judicii; sic enim habet ex versione Costi, *cujuscumque rei vicissitudo bona est et mala, et sane justa sententia universus orbis judicabitur, quo tempore a Domino statuto est futura toto orbe vindicta propter varia hominum ex malefactis mire sibi placentium peccata.* Clarius Campensis, *statuit Deus tempus pro sua voluntate, quo de omnibus judicaturus est, et antequam illud adveniat, variis et periculosis malis expositi sumus.*

Hic sensus valde appositus est, tum quia Hebr. est משפת *mispath*, id est *judicium*; tum quia hoc sensu omnia optime connexa sunt, omniaque fluunt ex illo vers. 2, juxta Septuaginta, *observa os regis*, etc. *Quia omne quodcumque voluerit faciet, et sermo illius potestate plenus est, q. d.* Observa præcepta Dei, quia ipse in die judicii exactam eorum a te reposcet rationem; quia potentissimus est, acriter te puniet, imo damnabit ad gehennam, idque faciet cum ei libuerit : ipse enim solus est dominus vitæ et mortis : quare cum volet, mortem tibi accelerabit, ut te judicet et damnet : hac de causa potestatis in mortem inducitur mentio vers. 8.

Vers. 7. 7. QUIA IGNORAT PRÆTERITA, ET FUTURA NULLO POTEST SCIRE NUNTIO. — « Magna (inquit Hieronymus) afflictio generi humano, ut Poeta ait : Nescia mens hominum fati sortisque futuræ. Aliud sperat, aliud evenit, de altero loco exspectat hostem, et alterius jaculo vulneratur. » Quævis præterita et futura hic accipi possunt; proprie tamen ea significantur, quæ spectant ad dandam congruam Deo vel regi responsionem, de qua dixi vers. 5, et ad negotia quæ homini incumbunt opportuno tempore prudenter expedienda : licet enim nonnulla præterita sciat homo, tamen illa pauca sunt, et sæpe ad rem non pertinentia, quia longe plura sunt quæ ignorat, præsertim quæ ad rem ejus faciunt. Dionysius accipit præteritam sanctorum patientiam, æque ac supplicia de impiis sumpta.

Pro *præterita* Hebraice est *futura*, et sic vertunt Septuaginta : *Quia*, inquiunt, *non est qui cognoscat quid futurum sit : sicut enim erit, quis annuntiabit eis?* Arabicus, *quoniam non reperitur qui cognoscit evitandum; nam quis ei commemorabit rem ut heri?* Chaldæus Costi, *nullus scire unquam potuit quis eum exitus consequatur. Cum enim ita Domino visum fuerit, ut illum ad supplicium deposcat, quis eum certiorem faciet?* Syrus vero vertit in præterito, *quia non est qui cognoscit ad quid est factus, et quid fiet post se quis ostendet illi?* Quare Syrus æque ac Noster pro שיהיה *sceiia*, id est *quid erit*, videtur legisse שהיה *scehaia*, id est *quid fuit*, vel quid factum et præteritum est; aut potius ex textu nexuque sententiæ sagaciter conjecit prius *iihe* opponi posteriori, ideoque prius vertendum per præteritum (quasi ש includat *vau* conversivum, quod vertit futurum in præteritum), posterius proprie per futurum. Sic ergo ad verbum ex Hebræo vertas, *nam non ipse sciens quod factum est, quia quod erit quis annuntiabit ei?* Sicque sensus recte cohæret, *q. d.* Afflictio magna incumbit sapienti, ut congruam Deo, aut regi interroganti vel examinanti det responsionem, utque actiones et res omnes congrue et opportune peragat, ac negotia quæ illi incumbunt suo tempore prudenter expediat, eo quod ignoret præterita quæ illum edocere queant, quid facto sit opus æque ac futura, quis scilicet suæ actionis vel consilii sit futurus exitus. Prudentia enim consistit in præteritorum memoria, præsentium consideratione, et futurorum prævisione : ideoque sapientis cor potest intelligere tempus, id est differentias temporis, quid scilicet præteritum sit, quid futurum.

Vers. 8. 8. NON EST IN HOMINIS POTESTATE PROHIBERE SPIRITUM, NEC HABET POTESTATEM IN DIE MORTIS, NEC SINITUR QUIESCERE INGRUENTE BELLO, NEQUE SALVABIT IMPIETAS IMPIUM. — Hebræa et Septuaginta, *non est homo potestatem habens in spiritum, ut prohibeat spiritum, et non est potestas in die mortis, et non est emissio in die belli, et non salvabit impietas herum suum;* Septuaginta, *eum qui ab ea*, supple *est* et vocatur *impius;* Arabicus, *eum qui participat eam;* Tigurina, *suos consortes*. Facile est hanc gnomen nectere præcedentibus : potest enim referri ad τὸ *afflictio magna*. Summa enim hominis afflictio est mors, quæ hic describitur; aut ad τὸ *futura* : ignoratur enim futurus mortis locus, dies, modus, ita Thaumaturgus; aut ad τὸ *omni negotio tempus est et judicium*, ut habent Hebræa, *q. d.* Sicut definitum est a Deo tempus judicii, quo ipse a quolibet exiget rationem factorum, sic definitum est et tempus mortis, quod nemo potest sistere vel prolongare; aut ad τὸ *observa os regis*, vers. 1, ut habent Septuaginta, *q. d.* Observa præcepta Dei, ac regis sive principis; quia ipse, si illa violes, habet in te jus necis et vitæ cui obsistere nequis : quare stude illi per omnia pla-

cere, ac quid boni si facere potes, facito, ut in hora mortis a Deo evocatus, lætus confidensque ad eum emigres. Paulo aliter S. Hieronymus, *q. d.* « Non est lugendum si futura scire non possumus, et sæpe ab iniquis potentioribus opprimamur, cum morte omnia finiantur, et superbus ac potens qui cuncta populatus est, non valeat animam suam retinere, cum rapitur. » Aliter quoque Cajetanus, qui censet hic triplici similitudine ostendi, quam homini inutilis sit impietas sua, *q. d.* Sicut nemo potest flatum venti cohibere, nec diem mortis vitare, nec in prælio actu decertans alium pro se substituere : sic nec impietas valet impium liberare (1).

PROHIBERE SPIRITUM.— Quæres, quis hic sit spiritus? *Primo*, Olympiodorus et Cajetanus per *spiritum* accipiunt *ventum*, *q. d.* Sicut nemo potest cohibere ventum, sic nec prohibere vel arcere mortem, ut sequitur. Comparatur enim mors cum vento in efficacitate, quod utrique nemo possit resistere. Primo.

Secundo, Thaumaturgus accipit *angelum*, mortis scilicet præsidem, qui solet animam homini morienti extorquere : « Neque ullus, inquit, tam fortis, qui angelum animam suam extorquentem, et separaturum a corpore prohibere queat. » Angelus hic præses mortis Hebraice vocatur אבדון, Græce *Apollyon*, Latine *Exterminans*, *Apocalyp.* cap. IX, vers. 11. Secundo.

Tertio, Dionysius accipit animam animæque motus et impulsus, quos homo in aliis præsertim potentioribus reprimere nequit, imo sæpe nec in seipso. Quis enim omnes mentis evagationes, desideria, fluctus, impulsus, æstus præsertim concitatiores et ardentiores, uti sunt iræ et indignationis moderetur, vel frenet et comprimat? Unde Campensis vertit, *nemo tam potens est, ut animum suum contineat*, juxta illud *Prov.* XXVII, vers. 4 : « Et impetum concitati ferre quis poterit? » Tertio.

Quarto, Olympiodorus accipit dona et impulsus Spiritus Sancti; licet enim illa prohibere possimus ne in actum exeant, juxta illud : « Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt, » I *Cor.* XIV, vers. 32 : tamen quin illa nobis immittantur, ut illa sentiamus, esto non consentiamus, impedire nequimus. Adde impulsus Spiritus Sancti esse tam copiosos et validos, ut illis resistere, et non consentire perdifficile sit et quasi impossibile, quales fuere immissi S. Paulo in sua conversione, S. Magdalenæ, et S. Matthæo, et similibus. Hinc Idacius contra Varimadum accipit Spiritum Sanctum, quem nemo prohibere potest, quin operetur id quod destinat. Unde S. Hieronymus : « Spiritus, ait, qui universa dispensat, non potest a quoquam hominum prohiberi, et leges accipere spirandi. » Quarto.

Quinto et magis apposite, per Spiritum accipias animam et halitum vitalem, quem nemo in homine cohibere et claudere potest, ne e corpore exeat et homo moriatur, unde explicans subdit : « Nec habet potestatem in die mortis. » Ita S. Hieronymus : « Non est, ait, in potestate anima nostra ne auferatur a nobis, et egredientem ad imperium Domini spiritum prohibere. Nihil prodest ora concludere, et vitam retinere fugientem; cumque interitus, inimicus vitæ nostræ et hostis advenerit, inducias accipere non possumus. Nec reges quondam in sæculo et omnia nostra impietate vastantes, poterunt obvias morti ferre manus : sed in cinerem terramque solventur. » Et Chaldæus : *Nullus est dominus qui dominetur spiritui spiramenti* (spiritui vitali, quo respiramus), *ut prohibeat spiraculum vitæ, ne egrediatur a corpore humano; neque est dominium inde mortis, ut liberet vir proximum suum, neque auxiliatur in bello, neque liberat impietas habentem se in die judicii magni* : solus enim Deus est, qui habet potestatem in corpus et animam, ac jus necis et vitæ, juxta illud : « Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit, » I *Reg.* II, 6; ideoque habet « claves mortis et inferni, » *Apoc.* I, 18. Unde Daniel ex Deo prædicens Balthasari regi mortem, cap. V : « Deum, inquit, qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti; » Deus enim ad libitum « aufert spiritum principum, » *Psal.* LXXV, 13. Quinto, genuine.

NEC HABET POTESTATEM IN DIE MORTIS. — Hebræa, *non est potestas in diem mortis;* S. Hieronymus, in *Comment.*, *non est potens*, id est habens potestatem, ut vertit Noster; quod dupliciter exponas : *Primo*, *q. d.* Non est dynasta, princeps, vel magistratus, qui imperet morti. Ita Chaldæus : *Non est imperator*, ait, *in die mortis, ut eripiat quisquam servum suum.* Magistratus enim præcipit sibi subditis quod vult; sed nullus est magistratus qui possit præcipere morti, ut hunc illumve tangat. *Secundo*, *q. d.* « Non est potens, id est rex vel princeps, qui se liberare queat a morte. Ita S. Hieronymus : « Nec reges, ait, quondam in sæculo et omnia nostra impietate vastantes, poterunt obvias morti ferre manus. » Porro Thaumaturgus per potestatem accipit non vires, sed artes : « Nec, inquit, ars ulla et astutia invenitur quæ mortis tempus repellat, ac velut exceptione submoveat. »

NEC SINITUR QUIESCERE INGRUENTE BELLO. — Hebraice et Græce, *nec est* (Hebraice משלחת *mislachat*, Græce ἀποστολὴ, *missio*, *immissio*, *submissio*, vel *dimissio in prælio*, quod varii varie explicant. *Primo*, Cajetanus, *q. d.* In acie dum confligitur, nemo potest alium loco suo submittere et subtituere, ut ipse immunis evadat : sic nec in horas Missio in prælio. Primo.

(1) *Non est homo dominus in spiritum* suum vitalem, *ut coerceat spiritum*, ut eum contineat apud se, includat in corpore, ac prohibeat quo minus hinc emigret; *nec est dominatio in diem mortis, nec est dimissio in hoc prælio*, in hoc vitæ cum mortis prælio nulla est evadendi spes (Maurer, *in bello*, proprie); neque *eripiet improbitas dominum suum*, eum qui improbitate præditus est.

mortis hero licet servum, aut filium sibi substituere, ut ipse immunis evadat; sed ipse mortis agonem obire compellitur.

Secundo. *Secundo,* Chaldæus vertit, *neque vasa armorum auxiliantur in prælio;* Symmachus, *non est construere aciem in prælio;* Tigurina, *neque telorum emissionem habet in bello;* Olympiodorus, cui consentit Pollux et Budæus, græcum ἀποστολὴ vertit, *non est navigatio,* vel *classis in die belli, q. d.* Moribundo nulli adsunt milites, nullæ classes, nulla suppetunt tela, quibus invadentem mortem, velut hostem, arcere et repellere valeat.

Tertio. *Tertio,* Syrus, *non est liberatio in die belli;* alius, *non est manumissio in bello;* Thaumaturgus, *in medio,* ait, *bello captis fuga omnis præclusa perspicitur;* sed necesse est occumbere et mori.

Quarto. *Quarto,* Arabicus, *neque inveniet epistolam in die belli, q. d.* Nemo accipiet dimissorias litteras, quæ eum immunem a morte faciant, ut mors iis visis illum a se liberum dimittat. Arabicus enim more suo sequens Septuaginta, ἀποστολὴ accepit pro litteris dimissoriis, uti accipiunt Jurisconsulti, de quo Alciates, *De Rerum et Verborum significationibus,* nisi dicas Arabicum pro ἀποστολὴ legisse ἐπιστολὴ, i. e. *epistola.* Omnia hæc eodem tendunt, scilicet grammatice in cortice litteræ significatur subditos, cum a rege evocantur ad bellum, non posse illud subterfugere, sed debere in prælio certare ac mortis periculo se offerre, imo sæpe cadere et mori, quia non est locus effugii.

Sed parabolice (est enim hæc parabola) per hoc significatur neminem posse agonem mortis devitare, vel in eo alium, v. g. servum aut filium sibi substituere, eumque pro se vadem vel prædam morti offerre, sed per se vadimonium hoc obire debere. Unde Campensis vertit, *neque est ulla spes elabendi ex illo prælio, quod nobis cum morte ineundum est.* Atrox enim est hoc prælium cuique stato tempore subeundum, quia in eo non tantum cum morte, sed et cum diabolo, imo dæmonibus omnibus confligendum est: tunc enim agitur summa rei, ac certatur de æternitate, de cœlo et inferno; unde utrinque confligitur acerrime. Huc allusit Thaumaturgus cum pro *spiritu* vertit *angelum mortis præsidem.* Audi S. Chrysostomum, homil. 54, in cap. v *Matth.*: « Quid faciemus, ait, cum minaces angeli, et rescindentes animam a corpore virtutes ac potestates nos invadent? » Et S. Ephrem, serm. *De Vanitate sæculi,* t. III: « Quando, ait, Dominicæ copiæ atque satellites advenerint, quando admirabiles exercitus invaserint atque apprehenderint, quando divini nuntii atque emissarii animam ex corpore migrare jusserint, » etc. Similia habet S. Gregorius, hom. 39 in *Evang.*; S. Basilius, in *Psal.* XXXIII; Cyrillus Alexandrinus, orat. *De exitu animæ,* et alii. Belli, imo duelli hujus cum dæmonibus in agone mortis initi, exemplum illustre in Chrysaorio repræsentat S. Gregorius, IV *Dialog.* cap. XXXVIII. Unde S. Martinus moriens, vidensque diabolum: « Quid, inquit, hic astas, cruenta bestia? nihil in me funesti reperies. »

NEQUE SALVABIT IMPIETAS IMPIUM. — Vatablus, *protervia,* id est, audax et petulans reluctantia; Aben-Ezra, *agitatio, q. d.* Audaces sua protervia hic aliquando discutiunt judicium et sententiam mortis, sed apud Deum nil tale poterunt. Ipse enim proterviam omnem sternet et profligabit. Impius ergo agitet se, ut volet, in omnes partes se vertat, non tamen mortem effugiet. Vatablus, *astutia impia non valet contra Dominum.* Lyranus intelligit artes magicas et superstitiones, quibus impii cupiunt amoliri mortem, aut certe prolongare vitam, sed frustra. S. Bonaventura per *impietatem* accipit hypocrisin; Moringus, tyrannidem, fastum et arrogantiam, quæ adeo mortem non arcet, ut potius eam advocet, eamque tyrannis et superbis accersat: qui enim alios cruciant et necant, exosi sunt omnibus, et ab iis quos læserunt, cruciantur et necantur. Osorius accipit improbitatem opibus stabilitam, qua impii putant se posse mortem effugere, sed incassum. Igitur hæc omnia significant mortem, quam inobedientibus, et præcepta sua transgredientibus infligit Deus, aut rex et princeps, amplam in homines habere potestatem et imperium, a quo nemo ulla vi, pervicacia, arte, dolo, prece, aut pretio se eximere et subducere valeat. Mors ergo est quasi rex et monarcha mundi invincibilis, omnia vincens et sibi subjugans, juxta illud *Job.* XVIII, 14: « Calcet super eum, quasi rex, interitus; » et *Apoc.* VI, 8: « Et ecce equus pallidus: et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame et morte. » Ex his concludendum relinquit Salomon illud quod initio proposuit vers. 2, juxta Septuaginta: « Observa os regis, et præcepta juramenti Dei, etc.: quia omne quod voluerit, faciet, et sermo ejus potestate plenus est. » Non est ergo alia potestas in mortem, nisi Dei et regis. Inde enim sequentia huc usque educuntur et pendent.

Porro, impietas generatim sumpta, est quælibet grandis iniquitas; proprie tamen est infidelitas et numinis violatio. Unde S. Gregorius, XXV *Moral.* cap. X: « Impios, inquit, S. Scriptura proprie infideles appellat. Hac namque distantia peccatores ab impiis discernuntur, quia cum omnis impius sit peccator, non tamen omnis peccator est impius. Peccator enim dici etiam, qui in fide pius est, potest. Unde Joannes ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Impius vero proprie dicitur, qui a religionis pietate separatur. De talibus enim Propheta ait: Non resurgent impii in judicio. »

Vers. 9. 9. OMNIA HÆC CONSIDERAVI, ET DEDI COR MEUM IN CUNCTIS OPERIBUS, QUÆ FIUNT SUB SOLE. INTERDUM DOMINATUR HOMO HOMINI IN MALUM SUUM. — Identidem repetit Salomon se omnia sub sole consi-

derasse, et in omnibus reperisse vanitatem, ut non temere, sed ex certa scientia et longa experientia id pronuntiasse videatur, ac proinde cuncti fidem ei adhibeant, omniaque ut vana aspiciant et despiciant.

INTERDUM DOMINATUR HOMO HOMINI IN MALUM SUUM. — « Suum » intellige vel reciproce ipsius dominantis, vel absolute, puta hominis, *cui dominans dominatur ad male faciendum ei*, aiunt Complutenses; *in ipsius perniciem*, ait Tigurina; *ut ipsum damno molestiaque afficeret*, ait Olympiodorus. Sic et Thaumaturgus, Chaldæus et S. Hieronymus, *q. d.* Subinde qui præsunt, sunt tyranni vel nimis rigidi, qui subditos affligunt, depauperant et mille modis vexant, ideoque vicissim ab illis vel ab aliis, quin et ab ipso Deo affliguntur, vexantur et non raro deponuntur, vel occiduntur, uti contigit Pharaoni, Sennacherib, Antiocho, Herodi, Holoferni, Roboam et aliis pluribus. Atque hac ratione demonstrat id quod vers. præced. dixit : « Neque salvabit impietas impium, » quia tyrannis non salvat, sed perdit tyrannos. Pendet hæc gnome a τῷ *consideravi et vidi*, scilicet inter alias vanitates mundi etiam hanc, quod scilicet « interdum dominatur homo homini in malum suum. » Patet id ex Hebræo, Chaldæo, Aquila, Septuaginta, Syro, Arabico, Vatablo, Pagnino et aliis. Aquila et Syrus vertunt, *consideravi tempus, quo dominatus est homo homini*. Pagninus et alii clare, *totum istud vidi trahens cor meum ad omne opus, quod factum est sub sole tempore illo, quo homo dominium exercet in hominem in malum suum* : quia enim vers. 2 dixit : « Ego os regis observo, » regemque extulit, nunc in regno quoque magnam inesse vanitatem, ærumnas et pericula ostendit. Unde Thaumaturgus vertit, *obstupesco itaque quoties aspicio quot et quanta in proximum damna homines comminiscuntur*. Dominium Adæ in homines et animalia ante peccatum erat plenum, suave, utile tam imperanti, quam iis quibus imperabat : at post peccatum ingressa in utrosque concupiscentia, cœpit utrisque esse molestum, difficile milleque curis et periculis scatens. Hæc justa est pœna peccati hominis, ut qui noluit obedire Deo, sentiat quoque sibi subditos molestos, difficiles, rebelles; præsertim dum ipse in eos imperiosus est et sævus vel severus. Vere Tragœdus :

Dominium molestum.

> Qui sceptra duro sævus imperio regit,
> Timet timentes : metus in auctorem redit.

Et Claudianus ita tyrannum pingit :

> Instat terribilis vivis, morientibus hæres,
> Virginibus raptor, thalamis obscenus adulter.
> Nulla quies : oritur, præda cessante, libido, etc.

Vers. 10. 10. VIDI IMPIOS SEPULTOS : QUI ETIAM DUM ADHUC VIVERENT, IN LOCO SANCTO ERANT, ET LAUDABANTUR IN CIVITATE QUASI JUSTORUM OPERUM; SED ET HOC VANITAS EST. — Pergit describere impietatis et impiorum, præsertim principum vanitatem, *q. d.* Vidi principes impios sepeliri magna pompa funeris et mausolei, qui, dum viverent, partim ob regium splendorem et potentiam, partim ob fucum sanctitatis, quod in Jerusalem urbe sancta, ac in loco sancto, puta in templo et cœtu sacerdotum, scribarum, legis doctorum virorumque religiosorum versarentur; partim ob amicorum et adulatorum assentationem, a populo rudi et imperito, qui externis hisce signis capitur, habebantur et colebantur velut probi et sancti, non tantum in vita, sed etiam post mortem; sed et hoc vanitas est : quid enim prodest regi, vel principi coli a populo, si Deo ob improbitatem sit exosus? Quid juvat corpus tumulari in mausoleo aureo, si anima ardeat in flammis gehennæ? Quid confert ab hominibus laudari in terra, si ab angelis et sanctis universis vituperetur in cœlo, atque a dæmonibus probris omnibus afficiatur in inferno? Vere ait ille : « Alexander laudatur ubi non est, sed cruciatur ubi est. » Divitis epulonis nomen a fratribus celebrabatur in palatio, sed anima cremabatur a dæmonibus in tartaro; quid ergo eum juvat laus, utique non nisi cruciatum ejus adauget? Hinc Chaldæus vertit, *et in veritate vidi peccatores, qui sepulti sunt et exterminati de mundo, de loco sancto, ubi justi habitant, et abierunt, ut comburantur in gehenna, et oblivioni traditi sunt inter habitatores urbis; et ecce, sicut fecerunt, factum est eis. Etiam hoc vanitas.* Adde : Tempus tandem detegit impiorum hypocrisim, ac tum vanissima illa sanctitatis umbra larvaque vanescit, cerniturque veritas et vera simulationis fictio, veraque eorum iniquitas et impietas, quæ majus, imo æternum eis dedecus et infamiam conciliat; qui ergo prius eos, vel errore, vel metu, vel adulatione laudaverunt et coluerunt, hi postea, detecta hypocrisi, acerbius eos insectantur et exsecrantur.

Porro, Hebræi Codices hic variant propter affinitatem litteræ ב et כ : quidam enim legunt ישתבחו *iistabbechu*, id est *laudabantur* vel laudabant seipsos, ac curabant se a parasitis laudari. Alii legunt ישתכחו *iistackechu*, id est *oblivioni traditi sunt*. Priori modo legit Noster, Septuaginta, Arabicus et S. Gregorius, XXXII *Moral.* x vel xi. Posteriori legit Chaldæus, Syrus, Tigurina, Clarius, Cajetanus, Pagninus et recentiores, partim Hebræi, partim Latini. Hinc nonnulli, ut Clarius, Cajetanus, Campensis (1), Vatablus, censent hic esse antithesin; priorem enim versum pertinere ad impios, posteriorem ad pios, *q. d.* Vidi impios gloriosos in vita, et post mortem honorifice sepultos, ac laudatos a posteris velut sanctos; vice versa vidi oblivioni traditos eos qui recta sanctaque

(1) Ita Maurer, *et sic*, tum *vidi improbos sepultos*, sepulturæ honore esse affectos, *et intravisse* in sepulcrum; *sed ex loco sancto*, ex loco sepulcrorum sacro, *ejectos et oblivioni datos esse in urbe* eos vidi, *qui rectum*, recte *fecerunt* : etiam hoc vanum est.

operati sunt; sed et hoc vanitas est, quia impiis non prodest vana et mendax laus hominum, nec piis obest hominum oblivio : nam « in memoria æterna (æque ac gloria) erit justus » apud Deum, et cœlites universos. Unde Pagninus vertit, *et tunc vidi impios sepultos, et qui post eos venerunt, et ambulaverunt in loco sancto, oblivioni tradentur in civitate in qua rectum fecerunt; sed et hoc vanitas est.* Verum totam gnomen ad solos impios spectare liquet ex Septuaginta, Syro, Chaldæo et Arabico; præsertim cum recentiores, qui de piis et impiis accipiunt, inter se non consentiant, sed singuli singulas et diversas ab aliis cudant versiones, quas hic operose recenset noster Lorinus. Tota ergo gnome significat fictionis et hypocrisis impiorum vanitatem.

Porro, sententia hæc generalis pertinet quidem ad omnes hypocritas et impios, magis tamen ad potentes et principes, sive sæculares, sive ecclesiasticos, puta Episcopos et Prælatos, ad quos illam refert S. Hieronymus : « Nemo quippe, inquit, audet accusare majorem, propterea quasi sancti et beati, et in præceptis Domini ambulantes augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum : si enim peccaverit, non creditur; si convictus fuerit, non punitur. » Unde ait : « In loco sancto erant, » id est, versabantur in gradu sacro vel officio sancto, v. g. erant sacerdotes, religiosi, Episcopi, etc. Huc alludens Isaias, cap. XXVI, vers. 10 : « In terra sanctorum, ait, iniqua gessit, et (idcirco) non videbit gloriam Domini. » Vide ibi dicta et Olympiodorum quem audi : Quia sæpe homines scandalizantur, et iniquam rem putant eosdem esse impios, qui et potentes fortunatique sint, ideo profundius, inquit, super hac re contemplatus sum, et vidi demum postremam impiorum ruinam, cum scilicet non tantum corpore, sed et anima moriantur. Quod enim ait hoc loco, in sepulcra inductos, in supplicia et tormenta intelligit. Eis vero qui in sepulcra hæc inducantur, nihil potentia profuit, nihil quod habiti olim justi et sancti fuerint, nihil quod in templo Dei sacra ministeria muneraque obierint. Docet itaque nos Ecclesiastes nequaquam scandalizari, propterea quod in hominum vita enormem statuum conditionumque dissidentiam cernamus, cum contra potius spectare debeamus ad eam, quæ in futuro sæculo est retributionem.» Hoc est quod ait Psaltes *Psalm.* X, 3 : « Laudatur peccator in desideriis animæ suæ:et iniquus benedicitur. » Et *Zachar.* XI, 17 : « O pastor, et idolum. » Hæc denique est abominatio desolationis stans in loco sancto, *Matth.* XXIV, 15. Ita Hugo. Scribit Sulpitius in *Vita S. Martini*, cap. VIII, ipsum, cum videret defunctum quemdam a populo ad altare coli, ut martyrem, cujus nec nomen, nec vita, nec certa memoria exstabat, orasse Deum ut quis esset, vel cujus meriti sepultus, ostenderet. « Tum conversus, inquit, ad lævam, vidit prope assistere umbram sordidam, trucem; imperat nomen meritumque ut loqueretur; nomen edicit, crimen confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum martyribus esse commune, cum illos gloria, se pœna retineret. » Quid profuit illi vanus hic et erroneus populi cultus, nisi ut patefacto scelere, publica illi crearetur infamia, ac martyris decus verteretur in latronis dedecus?

Hypocritæ vanitas.

11. ETENIM QUIA NON PROFERTUR (1) CITO CONTRA MALOS SENTENTIA; ABSQUE TIMORE ULLO FILII HOMINUM PERPETRANT MALA. — Hebræa, Chaldæa, Septuaginta, *ideo plenum est, vel repletum cor filiorum hominis in eis ad faciendum mala;* Aquila, ἐτόλμησαν, id est *audent;* Tigurina, *cor hominum audacia plenum est;* Symmachus, *intrepido corde filii hominum malefaciunt.* Vers. 11.

Pro *sententia* Hebraice est פִּתְגָם *pithegam*, quod Septuaginta vertunt, *contradictio;* Arabicus, *insultatio;* Syrus, *ultio;* Thaumaturgus hunc versum et sequentem ita reddit, *quia enim divina providentia non subito omnes plectit, ob æquanimitatem qua malos tolerat, et non statim in delictis ulciscitur, idcirco vir impius nihil referre putat, si frequenter et graviter peccet, confidens se innoxium evasurum; sed non intelligit quod etiam post multum temporis malum non latebit impunitum. Bonum ergo maximum est pie colere Deum.* Olympiodorus, *quia non sunt qui sedulo ac vehementer contradicant, acrique reprehensione compescant facientes malum, etc.* Potest ergo hæc sententia et contradictio accipi non solius Dei, sed et hominum, præsertim judicum et magistratuum, qui peccata sæpe dissimulant nec castigant. Olympiodorus et alii hanc gnomen, omittentes τὸ *etenim*, quod in Hebræo clare non exstat, nectunt cum eo quod præcessit, « et hoc vanitas est, » *q. d.* Hoc quoque quod subjicio vanitas est, scilicet, quod per longam impunitatem homines audacter perpetrant mala; quia per hoc augendo peccata, augent sibi supplicia, atque abutentes longanimitate Dei, acrius irritant ejus iram et vindictam, eamque ardentiorem in se concitant. Verum aptius dispungit Noster, additque τὸ *etenim*. Hæc enim gnome dat causam, cur impii in sua impietate dominentur, laudentur et celebrentur : quia scilicet Deus eos ad tempus sinit impunitos, quo fit ut nec Deum verentes nec homines, impune et audacter agant quod lubet, grassentur in pios, opes accumulent, Veneri et ventri indulgeant : hinc fit ut ab hominibus velut felices et beati laudentur et colantur. Atque hic unus est modus e multis, quo Deus dicitur peccatores excæcare et indurare, sicut mater nimis indulgens filio, eumque peccantem non castigans, occasio est ut filius deteriora perpetret, tandemque scelus committat, ob quod capite plectatur vel suspendatur. Sic sol suo calore indurat lutum. Ita docet S. Augustinus, serm. 88 *De tempore*, et S. Ba-

(1) Rectius, *efficitur, executioni mandatur, sententia in opus malum.*

silius, orat. *Quod Deus non sit auctor malorum.* Porro Deus differt peccatorum vindictam, ut ostendat suam longanimitatem et clementiam, qua peccatores invitat ad pœnitentiam, uti nonnulli eam agnoscentes de facto pœnitent et vitam mutant : cæteri vero, abutentes Dei patientia, thesaurizant sibi « iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, » ut ait Apostolus, *Rom.* II, 5; et Job cap. XXIV, 23 : « Dedit ei Deus, inquit, locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam. » Qui hoc facit, improbus est, et sæpe reprobus ac filius perditionis et gehennæ; ideoque cum in profundum peccatorum venerit, negat Dei providentiam et numinis vindictam; ac si quid postea mali illi irrogetur, casum æstimat, non peccati vindictam a Deo immissam. Vide Plutarchum, lib. *De Sera numinis vindicta.*

Moraliter, hic disce malos castigari, magnum esse eorum et reipublicæ bonum; non castigari vero, magnum malum : quocirca magistratus, quibus incumbit reipublicæ cura, ex officio eos castigare debent. Deus vero qui nulli obstringitur, sed altiores suæ providentiæ habet rationes, justis de causis castigationem sæpe differt, ac tarditatem supplicii gravitate compensat, juxta illud *Eccli.* V, 2 et seq. : « Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui, et ne dixeris : Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris : Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu (quamvis nondum pœnas dederis); neque adjicias peccatum super peccatum. » Hinc S. Petrus, II *epist.*, cap. III, 2, tales vocat « illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes : Ubi est promissio aut adventus ejus? » Quibus ipse respondet vers. 9 : « Non tardat Dominus promissionem suam sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur, » etc. Et *Malach.* cap. II, 3, impios producit dicentes : « Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : aut certe ubi est Deus judicii? » Quibus respondeas Deum exspectare tempus opportunum ac statum vindictæ tempus, quo juxta quantitatem delicti irrogabit pondus supplicii, vel in hac vita, vel certe in die judicii, juxta illud *Apocal.* XIV, 15 et sequent.: « Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ; et (sine mora) misit falcem suam in terram, et demessa est terra. » Et iterum : « Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ : quoniam maturæ sunt uvæ ejus. Et (statim) misit Angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum. »

Exemplum illustre est in S. Ephrem, serm. cui titulus : *Confessio et reprehensio sui,* ubi narrat de seipso, quod, cum junior ex impiorum licentia et impunitate dubitaret de Dei providentia, eam edoctus fuerit mira visione et experientia, tandemque audierit angelum dicentem : « De iniquitate pœnitentiam age, certoque scias unum esse oculum cuncta pertranseuntem. » Rem totam fusius narravi *Genes.* XLII, 21. Porro quam iniquum et stultum sit Dei patientia abuti ad peccandum, nervose docet S. Leo, serm. *De Quadragesima* : « Abutuntur, inquit, quidam patientia Dei, et qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi, cum ideo differatur ultio, ut tempus possit habere correctio, » non autem ut liberior sit ad peccandum licentia. « Misericordiam igitur Dei nostri non adeo quisquam tardet amplecti, quia quod meruit non recipit : neque enim quidquid differtur, aufertur; aut condemnationem evasit, qui indulgentiam non quæsivit; » et Tertullianus, lib. *De Pœnitent.* cap. VII : « Absit, inquit, ut ita aliquis interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, et ex redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo quoties ignoscitur. Quid enim indignius, quam ex divina misericordia desumere argumentum ad divinam justitiam provocandam? et quia Deus libenter excipit pœnitentes, data opera velle fieri peccatores? » Et S. Ambrosius, lib. II *De Pœnit.* cap. IX : « Proposita, inquit, spe agendæ pœnitentiæ, licentiam sibi delinquendi propagatam putant. Pœnitentia remedium peccati sit non peccanti incentivum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, non vulnus medicamento : quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus desideratur, » *q. d.* Quis unquam ad virtutem balsami explorandam luculentam plagam suo capiti inflixit? quis ad vim antidoti probandam venenum intrepidus hausit? amens esset qui hoc ageret. Ita plane amens censeri debet qui peccat, ut ad divinam misericordiam confugiat, seu qui ex divinæ misericordiæ largitudine inducitur ad peccandum. Idem de damno noxaque impunitatis et tardæ vindictæ, a Salomone didicere et sensere Plato cæterique philosophi. Plato in libro *De Republ.*, passim docet reipublicæ regimen pœna et præmio contineri, quæ si tollas et impunitatem concedas, omnes leges et jura violari et rempublicam everti. Idem docet Aristoteles, X *Ethic.* cap. ult., et in *Polit.* Plutarchus, *De sera Num. vind.* : « Ex impunitate sceleratorum, ait, derogatur fides divinæ providentiæ. » Cicero, *pro Sextio* : « Effrenatus furor, inquit, alitur impunitate diuturna. » Et *pro Milone* : « Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem? » Et lib. III *Offic.* : « Quotusquisque reperiatur, qui impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinere possit injuria? » Vulgus enim hominum magis agitur pœna et præmio, quam amore virtutis, ut si illa cessent, hic elanguescat. Polybius, lib. I, sub finem : « Si

Gnoma de impunitatis noxa.

veniam, inquit, aut impunitatem concesseris, si benignitate improbum fueris promeritus, id omne dolum fraudemque existimando, erga beneficum longe magis fiet infidus.» Cato sentiebat nihil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora invitat: impunitæ enim injuriæ exemplum omnibus minari injuriam. Nam si liceret impune lædere, nullus erit tutus ab improborum violentia; quocirca magistratus, qui maleficos impunitate donant, docet lapidibus esse obruendos, utpote reipublicæ nocentissimos. Ita Plutarchus in *Apophth. Rom.* Fronto consul sub Nerva Imperatore dictitabat male eum imperare, qui nemini quidquam concedit, sed longe pejus, sub quo maxima licentia sit quibuslibet. Inhumanitatis enim est, si princeps nihil indulgeat amicis, sed perniciosissimum est illis licere quidquid libet. Ita Dionysius in *Nerva.*

Vers. 12. 12. ATTAMEN PECCATOR EX EO QUOD CENTIES (est hysterologia Hebraica, sic enim verba transponenda et ordinanda sunt: *Attamen ex eo quod peccator centies*) FACIT MALUM, ET PER PATIENTIAM SUSTENTATUR, EGO COGNOVI QUOD ERIT BONUM TIMENTIBUS DEUM, QUI VERENTUR FACIEM EJUS. — Campensis, *qui Deum reverentur, q. d.* Si Deus tam patiens et benignus est erga peccatores, ut eos diu toleret et exspectet ad pœnitentiam, quanto magis clementior et benignior erit timentibus eum vel innocentibus, qui graviter non peccarunt; vel pœnitentibus, qui de commissis criminibus dolent, et committenda studiose cavent! Hic unus inter multos est finis, et fructus divinæ impunitatis et longanimitatis erga impios, scilicet ut ex illa metiantur pii quantam ab eo clementiam et beneficentiam sperare et exspectare debeant. Ita S. Hieronymus, Albinus, Lyranus, Bonaventura, Hugo et alii. Mutuatus est hoc Salomon a Davide patre suo dicente, *Psalm.* XXX, 20: «Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (1).»

Secundo et pressius, noster Pineda exponit, *q. d.* Deus impiorum peccata dissimulat, piorum statim castigat; attamen ne inferas inde meliorem esse sortem impiorum, quam sit piorum, tum quia ingens Dei beneficium est, levia piorum delicta castigare, ne in graviora proserpant; tum quia pii, sicut equi generosi a semita devii, levi flagello Dei admoniti contremiscunt et in viam virtutis redeunt, cum impii, velut muli pervicaces, flagello recalcitrent: ideoque Deus hanc piorum docilitatem, reverentiam et obedientiam magnis gratiarum donis remunerabitur. Audi Auctorem, II *Machab.* VI, 13: «Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter exspectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita et in nobis statuit ut, peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet, propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis, populum suum derelinquit.»

Denique noster Mendoza, in I *Reg.* cap. IV, vers. 3, censet τὸ *attamen* notare antithesin piorum et impiorum, quod sicut vers. præced. dicuntur impii Dei longamini patientia abuti, et ad peccandum effundi, ita hoc versu dicantur pii eadem recte uti, et a peccando revocari, *q. d.* Filii hominum, hoc est peccatores, absque timore perpetrant mala, quia non profertur cito contra illos sententia. Attamen ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus ex eo quod peccator centies facit malum et per patientiam sustentatur, quasi præcipuo quodam studio et benevolentia a Deo coronentur; qui eum colunt, timent ac venerantur, non quod sit dominus, judex et ultor, sed quod patiens, longanimis et misericors, et videntes humana flagitia tamen divina supplicia non experiantur. Hoc est bonorum ingenium, ut ex hac longanimitate divina, qua peccatores ad pœnitentiam exspectat, et dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, multo magis ad amandum et timendum Deum excitentur.

CENTIES, — id est sæpissime; ponitur enim numerus definitus pro indefinito. Recte vertit Interpres cum Syro: Hebræi enim habent מאת *meath*, id est centies. Septuaginta legerunt מעת *meeth*, id est ex tempore, unde vertunt, *qui peccavit, facit malum ex tunc*, id est a juventute sua, ait Olympiodorus; et Arabicus, *qui peccaverat jam fecerat malum ex eo tempore.* Aquila, Symmachus et Theodoretus legerunt מת *meth*, id est mortuus est: א enim medium in מאת *meath*, cum sit littera quiescens, sæpe omittitur; unde vertunt, *peccans malus mortuus est, longa ætate ei concessa, q. d.* Peccator mortuus est in consuetudine peccati, longo usu cum ætate roborata; qui enim peccata iterat, per longam ætatem non fit melior, sed deterior, ac callum peccati obducit, itaque pene necessitatem peccandi induit, quo fit ut in peccatis plurimis moriatur, et ad ingentia in gehenna tormenta damnetur.

PER PATIENTIAM SUSTENTATUR. — Hebraice מאריך לו *maarich lo*, id est *prolongat ipsi*, scilicet tum suam patientiam Deus: unde Symmachus vertit, *longanimitate præstita ei*; tum peccantis vitam, ætatem et spatium pœnitendi; vel *elongat ab ipso*, scilicet vindictam, dum eam in longum tempus prorogat et differt. « Patientia Dei prædicatur, non in hoc quod malum aliquod patiatur, sed quod exspectet malos, ut convertantur, » ait S. Augustinus, lib. *De Patientia.* Interim eorum malitia utitur, ut per eam piorum levia peccata castiget et purget, eorumque patientiam exerceat, ac merita et coronam adaugeat. Septuaginta vertunt, *ex tunc et ex longitudine eorum, q. d.* Peccator jam tunc, id est ab

(1) Repetit rationem, cur homines in quævis scelera ruere audeant, *quia peccator facit malum centies et producit sibi dies: tamen scio ego*, etc.

olim, scilicet a puero, mox ab ortu, ubi cœpit uti ratione, peccare inchoavit, indeque longa consuetudine peccata quasi in naturam vertit; nam, ut ait S. Gregorius : « Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. » Quantum ergo Deus prolongat patientiam suam et peccatori vitam, tantum ipse prolongat suam culpam et impœnitentiam.

ERIT BONUM TIMENTIBUS, — tum in hac, tum potius in futura vita. Unde Chaldæus vertit, *et in tempore quo peccator operatur malum centum annis a facie Domini, datur ei tempus, ut convertatur. Manifestum est mihi in Spiritu Sancto, et scio ego quod erit bonum in sæculum venturum timentibus Deum, qui timent a facie ejus, et faciunt voluntatem ejus.* Porro Olympiodorus per *bonum* accipit bonas cogitationes et opera, quas Deus se timentibus inspirat : « Cum enim, inquit, vivant in conspectu Dei, caveantque sibi in omni sua actione et cogitatu, tanquam Deo judice cuncta cernente, omnium bonorum operum et conceptuum Deus illis causa existit. » Thaumaturgus de ipso Dei timore interpretatur : « Illud, inquit, præstantissimum bonum, pio Dei timore præditum esse. »

Simplicius *bonum* accipias pro læto et jucundo, *q. d.* Esto Deus piorum levia errata castiget, mox tamen eo longe lætiori et jucundiori sorte eos consolabitur, vel in terra, vel in cœlo, juxta illud *Eccli.* I, 29 : « Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. » Cum ergo a Deo castigaris et affligeris, afflictionem hanc accipe velut pignus et arrham instantis lætitiæ, et proximæ tibi consolationis. Quem enim Deus castigat, mox solatur et mulcet, uti mater puero post castigationem blanditur; quin et Christus « favos post fella gustavit, » ait Tertullianus; nimirum post hiemem succedit æstas, post noctem dies, post bellum pax, post pugnam victoria, post nubila Phœbus, post tempestatem serenitas. Hoc est quod justis promittit Isaias cap. III, 10, dicens : « Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. » Unde de eodem subdit Salomon :

Vers. 13. 13. NON SIT BONUM IMPIO, NEC PROLONGENTUR DIES EJUS, SED QUASI UMBRA TRANSEANT QUI NON TIMENT FACIEM DOMINI — præsentem et omnia intuentem, ut coram ea ambulent magna cum reverentia, metu et tremore, ait Olympiodorus; Hebræa, *non erit bonum;* sed Hebræi sæpe utuntur futuro pro imperativo, vel optativo, unde Noster apte vertit, *non sit bonum,* scilicet quod sustentetur a Deo, et exspectetur ad pœnitentiam, ait Hugo, quia patientia Dei non utitur ad pœnitentiam, sed abutitur ad majorem iniquitatem et culpam (1).

BONUM. — Intellige, tum prolongationem vitæ, uti sequitur, ita S. Hieronymus et Cajetanus; tum bona corporis uti sunt sanitas, robur, opes, prosperitas, filii, familia copiosa, ita Lyranus et Dionysius; tum bona animæ, uti est multiplex Dei gratia in hac vita, et gloria in futura : ita Thaumaturgus, Bonaventura, Hugo.

Summa, *bonum* significat hic quidquid lætum est, jucundum et prosperum. Congrua est hæc impiorum pœna, ut scilicet priventur omni bono, qui a summo bono et fonte omnis boni, puta a Deo sponte et impie se averterunt : sicut qui soli claudit fenestram, meretur ejus luce privari et degere in tenebris.

Quæres, quomodo sapiens hic male precetur, et quasi maledicat impio, cum hoc videatur esse contra vel præter charitatem? Dixi hac de re in Prophetis fuse; nunc breviter. Respondetur *primo,* maledictiones has esse non tam imprecationes, quam prædictiones et prænuntiationes futurarum pœnarum, impio a Deo decretarum. « Non sit » ergo, id est *non erit bonum impio* ut habent Hebræa, Chaldæus, Syrus, Arabicus et alii. Ita S. Hieronymus, Thaumaturgus et Olympiodorus, atque hac ratione recte hæc gnome annectitur præcedenti, *q. d.* Cognovi quod timentibus Deum accident bona ingentia; non timentibus vero, mala. Imprecari licet malisma la, quomodo? Resp. primo.

Secundo, imprecari impio privationem bonorum temporalium, ut per eam ad cor redeat et vitam mutet, vel certe minus peccet, cum bonis, quibus privatus est, jam abuti nequit ad luxum, fastum, gulam, luxuriam, non est præter, sed secundum charitatem. Sic enim impiis imprecatur Psaltes : « Imple facies eorum ignominia : et quærent nomen tuum, Domine, » *Psal.* LXXXII, 17. Sic hodie videmus multos per paupertatem, morbos, adversitates converti ad Deum, qui opibus, sanitate, rebusque prosperis insolescebant et abutebantur ad omne scelus. Talibus ergo imprecari morbum vel inopiam bonum est et salutiferum. Secundo

Tertio, proprie Prophetæ et Apostoli ex zelo justitiæ et honoris divini male precantur impiis in impietate perseverantibus et morientibus, id est, optant eos velut reos læsæ Majestatis divinæ puniri pœnis, tum temporalibus, tum æternis, ut hac ratione satisfiat justitiæ, ac plectantur rei, utque honorem quem peccando Deo abstulerunt, tormenta merita patiendo restituant. Sancti enim conformant se per omnia voluntati divinæ jam certæ, et fixæ circa impiorum punitionem. Cum ergo Deus velit, fixeque decreverit impios punire et damnare, idipsum Sancti quoque volunt, præsertim dum ipsi sunt præcones et administri, imo os Dei, per quos scilicet Deus suas leges promulgat, ac transgressoribus pœnas præsentes et æternas intentat, quales fuere Prophetæ et Salomon hic, qui cum dixisset impios abuti longanimitate Dei, ut diutius et gravius peccent, zelo sancto justitiæ indignans huic eorum abusui, precatur et optat dicens : « Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, » utpote quibus abutitur ad Tertio.

(1) *Bene autem non erit improbo, nec prolongabit dies; sicut umbra evanescet is, qui non timet a facie Dei.*

peccandum, et ad Deum, qui dies ei prolongat ad pœnitentiam, magis offendendum. Sic Sancti, in die judicii assidentes Christo, sententiam damnationis in impios fulminabunt, *Matth.* cap. XXIV, vers. 31 et seq.

NEC PROLONGENTUR DIES EJUS, — ut minus peccent, minusque Deum offendant, *utque statim morte substracti, cruciatus recipiant, quos merentur,* ait S. Hieronymus; *quia æternis suppliciis transmittentur,* ait Olympiodorus. Porro Chaldæus: *Neque erit,* ait, *ei longitudo in sæculo venturo, et in hoc sæculo præscindentur dies vitæ ejus, fugient et succidentur velut umbra.*

Impii dies, ut umbra transeunt

SED QUASI UMBRA TRANSEANT. — Hebræa, *non prolongabit dies, sicut umbra* non prolongat dies suos, sed ante vesperam pertransit. Septuaginta pro כ i. e. *sicut,* legentes affine ב, i. e. *in,* vertunt *in umbra;* sensus est, q. d. *primo,* sicut umbra, abeunte die et sole, sub vesperam evanescit; sic et impii cito transeant et evanescant, ne perveniant ad vitæ vesperam, puta ad senectutem. *Secundo,* sicut umbra abeunte corpore, cujus est umbra, abiit: sic et ipsi abeunte vita et tempore, quod est umbra æternitatis et vitæ beatæ, cum eo pariter abeant. *Tertio,* sicut umbra nihil est tenuius, nihil vanius, nihil fugacius: sic et vita, præsertim impiorum. Plura hac de re dixi superius, et *Isaiæ* cap. XXXVIII, 8 et seq., ubi egi de umbra Ezechiæ crescente per miraculum in horologio Achaz. Causam appositam dat Olympiodorus: « Peccator, inquit, diu non erit in vita, quia totum tempus vitæ suæ, quantumvis longum sit, non reputavit esse umbram, sed sollicito studio comparare sibi studuit, quæ fluxa et temporaria sunt, tanquam essent perpetuo durantia. Vel aliter ita intellige: quanquam peccator in præsenti vita per patientiam Dei (velut umbram) protegi quodam modo defendique videatur, potius quam puniri, paulo post tamen æternis suppliciis transmittetur. » Verum hoc posterius mysticum est. Addit Cajetanus: Sicut umbra non est corpus, sed tenue simulacrum corporis: sic impius non tam est homo, quam inane hominis simulacrum et umbra, quia inanem speciem tantum habet hominis, non veritatem, eo quod non vivat, ut homo ratione præditus, sed ut bestia ratione carens. Verum hoc subtilius est, quam solidius. Sæpe sancta Scriptura vitam præsentem comparat umbræ, quia vere talis est, si comparetur vitæ veræ et æternæ, ad quam proinde suspirans sponsa *Cantic.* II, 16: « Dilectus meus mihi, inquit, et ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies et inclinentur umbræ. »

Gnoma.

Huc facit illud Ausonii in Heroum tumulis in 17: « Pulvis et umbra sumus; » et illud Pindari in *Pythiis,* hymno 8: « Umbræ somnium homines. » Denique audi S. Hieronymum versionem Septuaginta exponentem: « Non prolongabit dies in umbra, hoc est dies vitæ suæ, qui quasi umbra viventibus sunt; non enim hi qui multo tempore vivunt, prolongant dies suos, sed eos qui grandes eos faciunt bonorum operum magnitudine. Unde et Jacob quasi se peccatorem confitens dicit: Parvi et mali dies mei; sicut et in Psalmo confitens: Dies, inquit, mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui. Non quod longam vitam quæsierit in præsenti (in quo omne quod vivimus breve, et umbra est et imago, in imagine enim perambulat homo), sed quod de futuro timeat, ne longitudo vitæ ipsius, ubi vera est vita, brevietur. »

14. EST ET ALIA VANITAS, QUÆ FIT SUPER TERRAM; SUNT JUSTI, QUIBUS MALA PROVENIUNT, QUASI OPERA EGERINT IMPIORUM (1): ET SUNT IMPII, QUI ITA SECURI SUNT, QUASI JUSTORUM FACTA HABEANT; SED ET HOC VANISSIMUM JUDICO. — Τὸ *hoc* refert, vel ad solam impiorum securitatem: hæc enim vanissima et fallacissima est; vel ad alternationem sortis justorum et impiorum, quod scilicet justis obveniant debita impiis, et impiis debita justis. Vox *alia* non est in Hebræo, Septuaginta, Syro, Arabico, sed intelligitur. Alias enim et alias vanitates successive recenset hic Ecclesiastes. Porro hæc vanitas similis est illi vers. 10. Est tamen alia diversa ab illa, eo quod ibi duntaxat dixerit impios laudari, ut pios; hic vero addit impiis bona et prospera quælibet obvenire, piis vero mala et adversa. Unde ait: « Sunt justi quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum. » Hebr., *sunt justi quibus attigit ad eos tanquam opus impiorum; et sunt impii quibus attigit eis, sicut opus justorum, q. d.* Sunt justi quos tangit, vel ad quos pertingit sors adversitatis, qua digni sunt impii; et sunt impii quos tangit sors prosperitatis, quam merentur et qua digni sunt justi. Septuaginta, *est vanitas, quæ facta est super terram, quia sunt justi, quia venit super eos quasi factum impiorum: et sunt impii, quia venit ad eos quasi factum justorum.* Campensis, *eveniunt justis mala, quæ impios ferre decebat.* Porro nonnulli censent hæc dici ex persona non Salomonis, sed imperitorum et impiorum. Ita Thaumaturgus, Lyranus et Olympiodorus quem audi: « Nunc Ecclesiastes personam ejus inducit, qui e scandalo labitur in errorem, aitque: Vidi justos in hac vita ab iis malis corroptos, quæ potius impiis debebantur, ut puta ægritudine, paupertate vel alio difficili casu adveniente. Contraque, inquit, vidi quæ piis deberentur ad impios pervenisse: idcirco talis insipiens tanquam contemptor factus divinæ providentiæ, et hoc, inquit, vanitas est. Sapiens autem eventus rerum prospiciens, et quæ singulis pro dignitate retribuantur plane novit, atque intelligit Deum nequaquam casu hæc permittere evenire, sed ut justi majori præmio coronentur, impii vero graviori pœna torqueantur. Notanter autem hic vanitatem supra terram se vidisse ait, in cœlo siquidem nihil est vani. » Verum melius alii censent hæc, uti et cætera, dici

Vers. 14.

(1) Proprie, *secundum opus,* i. e. meritum *improborum.*

ex persona Ecclesiastæ, puta Salomonis, ut ipsa verba præ se ferunt.

Vanum pios affligi, impios prosperari.

Quæres, qua ratione vanitas sit, quod piis eveniant mala, impiis bona? *Primo*, Symmachus pro *vanitas* vertit ἄπορον, id est, *difficile cognitu;* S. Hieronymus proprie, *dubium perplexum, controversum,* juxta illud Davidis : « Labor est ante me : donec intelligam in novissimis eorum, » *Psal.* LXXII, 16, *q. d.* Vanum est velle scrutari Dei judicia quibus pios affligit, et impios prosperat, quia hæc judicia sunt difficilia cognitu, imo inscrutabilia. *Secundo,* Thaumaturgus vanitatem exponit gravem et perniciosum errorem, eo quod impius habeatur, ut pius; et pius, ut impius : inde enim rudes accipiunt ansam vel accusandi Dei providentiam, vel deserendi probitatem, et impietatem amplectendi. Sic summum vanum vocamus mendacem errorem et fallacem. *Tertio,* Hugo per *vanitatem* accipit partim infelicitatem, quia, ait, nihil infelicius felicitate peccantium; partim fortuitum, quia quasi fortuito casu bona impiis, mala piis obveniunt. *Quarto,* alii per *vanum* accipiunt molestum et asperum : unde Campensis vertit, *certe hoc vehementer molestum est.* Accedit Lyranus : Vanum est, inquit, quia irrationabile. *Quinto,* S. Hieronymus per *vanitatem* accipit inconstantiam rerum humanarum : sunt enim vanitates, quæ vario feruntur eventu. *Sexto,* S. Bonaventura vanum dicit, quando bonis et malis proveniunt mala, quia indignum propter malos : vanius quando bonis et malis bona, quia injustum pariter et indignum; ideo Habacuc hoc adeo indigne tulit, ut videretur Deum arguere, cum diceret : « Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se? » *Habacuc* I, 3 et 13. *Septimo,* Pineda : Hoc vanum est, inquit, quia in talibus eventibus, nihil perpetui, nihil solidi est, cui animam affigere possimus : quare cuique contendendum est ad bona stabilia et æterna. Omnia hæc vera sunt et huic loco congrua : maxime tamen vanitas hic est rei iniquitas, ac iniqua distributionis sors. Iniquum enim videtur piis mala, impiis bona tribui, cum pii bona, impii mala mereantur, si rem spectes in se, et imperitorum rudiumque sensu, qui per hoc sæpe impelluntur, ut impietatem præ pietate colant, sectentur, suscipiant : at si spectes Dei providentiam, non iniquum hoc, sed prudens et sanctum est, ob æquissimas, quas ipse habet, rationes, ac præsertim duas. Prior est, ut impii ob modica, quæ bene agunt, bona hujus vitæ loco mercedis recipiant, cæteroqui malefactorum pœnas gravissimas daturi in inferno : pii vero ob modica, quæ male agunt, ærumnis hujus vitæ castigentur et purgentur, ut purgati, ob multa bona opera quæ fecerunt, beentur in cœlo; aut si plane puri sunt, adversis exerciti splendidiorem patientiæ in cœlo coronam recipiant, uti contigit S. Job. Qua de re vide S. Augustinum, lib. V *Civit.* cap. XV et XVI, ubi felicitatem cœlestem beatorum componit, et anteponit felicitati terrenæ Romanorum. Posterior est, ut Deus nos doceat omnia quæ in hoc mundo sunt, sive adversa, sive prospera, esse vana, id est inania et mendacia, cum adversa piis, prospera impiis, id est indignis eveniant; vera vero bona non esse nisi in cœlo, et vera mala non nisi in inferno, juxta illud Sapientis : « Nullum bonum nisi æternum, nullum malum nisi æternum. » Ita beata Dionysia martyr, inter ictus virgarum, et sanguinem toto corpore fluitantem, filiolum unicum trepidantem, ad martyrii consortium hac voce animabat : « Illa pœna timenda est, quæ nunquam finitur; illa desideranda vita, quæ semper habetur. » Qua ille solidatus martyrium fortiter obiit, uti refert Victor Uticensis, lib. III *Wandal.* Hinc tacite concludendum relinquit Ecclesiastes, sapienti despicienda esse tam prospera, quam adversa hujus vitæ; ambienda vero bona cœlestia, et summe cavenda mala gehennalia. Unde non mirandum si prospera impiis, adversa piis eveniant, quia Deus id facit, ut ostendat quam utraque sint vana, id est parva, exilia, brevia et caduca : quare piis non esse hac de re dolendum, sed potius gaudendum, quia ex hoc velut certo divinæ prædestinationis signo, cognoscunt sibi sortem felicissimam paratam in cœlo. Ita Chaldæus : « Vidi, inquit, in Spiritu Sancto, quia malum quod accidit justis in sæculo hoc, non est propter peccata eorum, sed ad removendum ex eis culpam levem, ut sit merces eorum integra in sæculo venturo; et quod contingit peccatoribus non est meriti eorum, sed ad retribuendum eis mercedem meriti levis, quod fecerunt, ut comedant mercedem suam in sæculo hoc, et ut perdant partem suam in sæculo venturo. » Et Midras, sive Glossa Hebræorum hic : « Felices justi, inquit, quibus accidit juxta facta impiorum, quia amplissima illis merces et gloria est reposita. Contra, væ impiis quibus accidit juxta facta piorum, quia attolluntur, ut gravius corruant. » Et S. Hieronymus : « Inter cæteras vanitates, inquit, quæ in mundo vario feruntur eventu, etiam hoc deprehendi, quod justis ea frequenter eveniunt, quæ impiis evenire debuerant; et impii tam feliciter in hoc mundo degunt, ut eos putes esse justissimos. Docet exemplum evangelicum divitis purpurati et pauperis Lazari. » Subdit S. Hieronymus : « Hebræi justos quibus eveniunt mala, et impios quibus accidunt opera justorum, filios Aaron interpretantur et Manassem, quod illi sacrificantes perierint, et ipse post tanta mala, et captivitatem in imperium restitutus sit. » Verum Hebræi errant : nam filii Aaron injuste egerunt, dum temulenti obtulerunt Deo incensum ignis alieni contra præceptum Domini, *Levit.* X. Manasses quoque in carcere pœnitens gratiam Dei meruit, ac proinde justificatus in regnum restitutus est. Sapienter Philo, lib. *De Confusione linguarum* : « Insignis, ait, pœna et vindicta impietatis est connivere Deum, atque etiam indulgere peccantibus, nec

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

Impii prosperantur pii affliguntur ob duas causas.

solum eis impunitatem, verum magnam et diuturnam prosperitatem concedere.» Hæc enim eos facit quasi ebrios et amentes, ut ultro in sua damna ruant, suamque perniciem sibi accersant. Ex adverso pius et sapiens in adversis æque ac prosperis sui similis est, sobrius, modestus, tranquillus, ideoque magnus. « Ut pumilio, ait Seneca, etiamsi in monte consistat, pusillus est; colossus etiam in puteo magnus : ita sapiens, in quacumque fortuna suis bonis magnus est, stultus et in summa fortuna humilis. Ut apparatus scenæ quia commodato datus est, statim redditur, et sine querela : ita quidquid in vita contigit magnificum, sive serius, sive mox a fortuna repetatur, æquo animo reddemus, si his tanquam commodatitiis utimur.» Idem : « Ut grando illisa tectis dissultat magno quidem fragore, verum nulla noxa : sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem.»

ET SUNT IMPII, QUI ITA SECURI SUNT.— « Securi,» id est prosperi, rebus omnibus abundantes et felices, ut explicat S. Hieronymus : felicitas enim facit securos; magna enim pars felicitatis est de bono, quo te beatum putes, esse securum; unde securitas opponitur curæ et sollicitudini, ac securus dicitur, qui sine cura est, quasi seorsum vel separatus a cura. Opponit enim pios impiis, quod illis infelicia et adversa, his felicia et prospera eveniant. Patet id ex Hebræo, Septuaginta, Syro et cæteris. Verum hæc falsa fictaque est felicitas et securitas; nam, « cum dixerint pax, et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, » I *Thessal.* v, 3. Præclare S. Gregorius, lib. IX *Moral.* cap. XXVII : « Sancti, ait, ita incerti sunt, ut confidant; atque ita confidunt, ut tamen ex securitate non torpeant. » Spes ergo eorum mixta est timori, spes facit magnanimos et hilares, timor humiles et sollicitos. Vide eumdem S. Gregorium, lib. XXIV *Moral.* cap. XII, 7, et lib. VI, epist. 22 *ad Gregoriam*, cubiculariam Augustæ, quæ petebat revelationem, quod sibi remissa essent peccata; cui respondet S. Gregorius hoc votum esse inutile et noxium, quod incertitudo remissionis augeat in nobis studium pœnitentiæ et bonorum operum. Vide et S. Augustinum, *De Corrept. et Gratia*, cap. XIII, et in *Psalm.* CXLVII : Terror, inquit, securitatem parturit; quomodo enim præpostera securitas in terrores impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parturit.

SED ET HOC VANISSIMUM JUDICO. — Hebræa, *et etiam hoc vanitas est*, scilicet per antonomasiam, puta vanitas vanissima, id est summa et maxima, ob causas quas paulo ante dedi.

Moraliter, hic disce quam vana et quam noxia impiis sit prosperitas. Audi Eusebium Emissenum, hom. *De SS. Epiphodio et Alexandro* : « In hoc mundo, prævalente malitia, iniquitate dominante, pauper affligitur, dives multiplicatur. An tu hunc potentem vocas, qui in mortem suam fortis est, cui proventuum fallax umbra præsentium, æternorum congregat causas malorum? Quis beatam dixerit validam in jugulum suum dextram? quis probabiliter laudat velocem ad ardua præcipitia festinantem? quis ejus miretur ascensum, quem de summo prospicit esse casurum? Perinde est si aliquem miraris per impia et iniqua, per opes et divitias operantem, ac si quempiam videas inaurato atque gemmato sibi poculo venena miscentem.» Subdit deinde : « An tu illum felicem vocas, qui infidelis, obscenus, cupidus et cruentus, pro eo quod vias Domini aspernatur, per suas ire permittitur, dexteræ angustiis offensus, et sinistræ latitudine delectatus flagitiis involvitur, sceleribus inficitur, spoliis contaminatur, et inter hæc se beatissimum putat; ex hoc quoque infelicior, quod se non intelligit infelicem. Quid his faciat medicina cœlestium mandatorum, quæ non sanat nisi volentes? Pigri itaque ad curam salutis, alacres ad militiam mortis et captivitatis, ut dictum est; exsultant in rebus pessimis, et de sui perditione lætantur : similes illis qui, forte sumentes exitiabiles herbarum succos, cum risu perire dicuntur.» Seneca, *epist.* 39 : «Magni animi est, inquit, magna contemnere, ac mediocria malle quam nimia : illa enim utilia vitaliaque sunt; at hæc, eo quod superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantum in aliorum injuriam, sed etiam in suam vertuntur.» Plinius, lib. XVI, cap. XXXV : « Hedera, ait, complexu necat arbores, ita fortuna prospera, dum blanditur, strangulat et perdit.» Adagiographus : « Solent arbores, inquit, protinus emori, si quando præter solitum fecundæ fuerint : ita fortuna præter morem blanda ac favens exitium imminere sæpenumero significat. Quemadmodum non raro fit, ut cœlo maxime sereno sævus imber subito cooriatur, ita rebus maxime prosperis ac lætis sæpe gravissima rerum incidit perturbatio.»

15. LAUDAVI IGITUR LÆTITIAM, QUOD NON ESSET HOMINI BONUM SUB SOLE, NISI QUOD COMEDERET, ET BIBERET, ATQUE GAUDERET : ET HOC SOLUM SECUM AUFERRET DE LABORE SUO, IN DIEBUS VITÆ SUÆ, QUOS DEDIT EI DEUS SUB SOLE. — Multi censent hæc dici ex persona non sapientis, sed insipientis voluptuarii, qui pertæsus confusionis rerum humanarum, quod bona impiis, mala piis eveniant, tradiderit se voluptati, uti tandem fecit Salomon. Ita Lyranus, Hugo, Titelmannus, Cajetanus, quin et Thaumaturgus, quem audi, omnia ab hoc versu usque ad finem capitis paucis complectentem : « Putabam autem aliquando bonum summum in cibo potuque situm, eumque Deo gratiorem, qui per omnem vitam iis quam maxime frueretur, et refrigeraretur; eamque lætitiam solam admirabar, atque adeo nihil aliud cogitabam, ne vel nocte vel die ab illa re, ad hominum luxum inventa Vers. 15.

me abducerem. Tandem ex iis unum hoc comperi, neminem hujus farinæ ullo pacto, quantumvis laboret, ad bonum, quod vere bonum est, perventurum. » Verum melius S. Hieronymus, Chaldæus, Olympiodorus, Glossa, Hebræa, Hugo et cæteri censent Salomonem continue hic ex suo sensu loqui. Idem enim hic dicit quod dixit cap. II, vers. 12, et cap. V, 17. Nimirum laudat hic usum opum et deliciarum, sed moderatum, frugalem et honestum. Audi Chaldæum : « Et laudavi ego gaudium legis, quia non est bonum homini in sæculo hoc sub sole, nisi tantum comedere, et bibere, et gaudere de labore suo, et pro parte sua, quæ data est ei ex cœlo; atque non extendere manum suam in rapinas et violentiam; et hoc conducet illum in pacem ad sæculum venturum, et accipiet mercedem perfectam pro labore suo, quo laboravit in integritate omnibus diebus vitæ suæ, quos dedit illi Dominus in sæculo sub sole. »

Beatus qui suis lætatur.

ET HOC SOLUM SECUM AUFERRET. — To *auferre* significat nos bonorum hujus vitæ proprie et plene non esse dominos, sed usufructuarios, ut iis velut alienis et commodatis utamur ad vitam, in morte ea aliis ipsique Deo, qui verus est dominus, resignaturi. Hebræa, *et hoc saltem adhærebit ei* (1); Septuaginta, *et ipsum simul oderit ei;* Campensis, *hoc enim accipiet homo tanquam suum;* Arabicus, *et hoc discedet cum ipso.* Aliter Syrus : *Et ipse*, inquit, *defatigatur sibi in labore suo.* Videtur ipse pro ילונו *iiluennu*, id est *adhærebit* vel *copulabitur ei*, legisse יליאנו *iilennu*, id est *laborabit* vel *fatigabitur sibi*, a radice לאה *laa*, id est *laboravit*.

Vers. 16. 16. ET APPOSUI COR MEUM UT SCIREM SAPIENTIAM, ET INTELLIGEREM DISTENTIONEM, QUÆ VERSATUR IN TERRA : EST HOMO, QUI DIEBUS AC NOCTIBUS SOMNUM NON CAPIT OCULIS. — Per *sapientiam* Chaldæus accipit studium legis; Thaumaturgus, studium quærendi et captandi plures novasque voluptates; Olympiodorus, studium scientiarum naturalium; S. Hieronymus, studium scrutandi divina judicia, v. g. cur Deus justos affligat, impios prosperet: cur hunc eligat, illum negligat. Ample per *sapientiam* accipias studium scrutandi omnes res a Deo creatas: has enim scrutatus est Salomon, tum studio cognoscendi singularum naturam, dotes, causas; tum ut perspiceret num quæ res animum hominis tranquillare, satiare et beare posset. Unde explicans subdit : « Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem. » Hæc omnia ad finem capitis explicata sunt cap. I, vers. 17, cap. III, 7 et 12. Repetit enim Salomon alternantes animi sui motus æstusque, quibus res omnes perscrutatus est, ut inveniret animi quietem et satiem; cumque in nulla eam reperiret, sed meram in singulis vanitatem, hinc unius pertæsus ad aliam et aliam se transtulit, ac præsertim a lætitia et deliciis ad studium sapientiæ, ut honestius et sublimius; sed illico in hoc quoque vanitatis et molestiarum aculeos, spinasque se reperisse testatur.

DISTENTIONEM. — Aliqui legunt *dissensionem*, idque explicant de variis sapientum sententiis et opinionibus inter se pugnantibus. Alii, ut Lyranus, Hugo et Glossa interl. legunt *distinctionem*, idque explicant de differentia inter bonum et malum, sapientem et stultum, prosperitatem impiorum et adversitatem piorum, deque diversis hominum gradibus, conditionibus, moribus.

Verum legendum est cum Romanis *distentionem*; hebraice enim est ענין *inian*, id est *occupatio*, distentio, sollicitudo, afflictio, de qua dixi cap. I, vers. 13 : « Hanc occupationem pessimam (id est molestissimam) dedit Deus filiis hominum ut occuparentur in ea, » dum alii assidue vacant congregandis opibus, alii prædiis excolendis, alii fabricis erigendis, alii honoribus sectandis, alii vanis scientiis, etc., adeo ut nec diu, nec noctu quiescant, aut somnum capiant. Unde subdit :

EST HOMO QUI DIEBUS AC NOCTIBUS SOMNUM NON CAPIT, — id est exiguum capit et quasi nullum (2). Est hyperbole; homines enim sine somno vivere nequeunt, *q. d.* Parum dormit, imo semper sollicitus est, quia totus intendit suæ occupationi, puta suo lucro, suo honori, suæ scientiæ, suæ arti, suo officio, etc. Hinc Demosthenes aiebat se plus olei in lucubrationibus nocturnis, quam per diem vini consumpsisse. Aristoteles dormiens manu tenebat pilam æneam, ut illius e manu dormientis elapsæ, et in subjectam pelvim cadentis sonitu excitaretur, itaque ad nocturnas lucubrationes vigil rediret. Ita habet ejus Vita. Idem fecere nonnulli christiani et religiosi. Celebre fuit in Oriente monasterium Acœmetarum, id est insomnium, et noctu in oratione et meditatione pervigilantium, ac jugiter diu noctuque psallentium, tripartito ordine et tempore, monachis scilicet in tres cœtus divisis, ordineque trino sibi vicissim succedentibus. Primo, erectum fuit hoc Acœmetarum monasterium Constantinopoli, sub Leone I Pontifice, anno Domini 459; vocati sunt iidem *Studitæ*, a Studio viro consulari, qui ejusmodi monasterium erexit, teste Nicephoro, lib. XV, cap. XXIII. Inter eos monasticam vitam egit S. Joannes Calybita. Ita Baronius, anno Domini 459. Simile Acœmetarum monasterium fuit S. Co-

Vigilia Demosthenis et Aristotelis.

Acœmetarum.

(1) *Et hoc* (vitæ bonis læte fruendi facultas) *adhæret ei in labore suo*, seu *per laborem suum*, hoc unum percipiet ex omnibus suis laboribus. Alii, *pro labore suo*, est utilitas certa et stabilis, quam ex laboribus suis capit.

(2) *Quandoquidem noctu diuque somnum oculis suis nullum videt*, scil. homo tot negotiis distentus; Rosenmullerus, *cor meum*, quod ad explorandum dederam (similiter Terentius *Heautont.* III, 1, 82 : Dominum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis). *Et* (pendet hic versus a præced.) *vidi omne opus Dei*, hoc in eo vidi, *quod non possit homo invenire opus quod sit sub sole; quantumvis laboret homo quærendo, non tamen inveniet; atque etiamsi sapiens dicat se scire eas res, non potest assequi.*

lumbani et S. Galli, aliaque plura in Germania, Gallia, Hybernia : nimirum hæ sunt non vanæ, sed sanctæ religiosorum vigiliæ, imo cœlestes angelorum terrestrium Deo psallentium et militantium excubiæ.

Vers. 17. 17. ET INTELLEXI, QUOD OMNIUM OPERUM DEI NULLAM POSSIT HOMO INVENIRE RATIONEM, EORUM QUÆ FIUNT SUB SOLE : ET QUANTO PLUS LABORAVERIT AD QUÆRENDUM, TANTO MINUS INVENIAT : ETIAMSI DIXERIT SAPIENS SE NOSSE, NON POTERIT REPERIRE. — Opera Dei intellige tum omnipotentiæ et magnificentiæ, ut vertit Chaldæus ; tum potius providentiæ circa homines, uti dixi initio versus præcedentis ex S. Hieronymo, quem sequuntur Albinus, Lyranus, Hugo et alii.

ETIAMSI DIXERIT SAPIENS SE NOSSE, NON POTERIT REPERIRE. — Potest clarius ex Hebræo verti, *si dicat* (id est apud se statuat) *etiam vir sapientissimus, dare operam, ut cognoscat, non poterit invenire.* Ita Vatablus et Campensis : *Quin et sapiens ipse*, ait, *si conetur cognoscere, frustra laborabit.* Jam hanc gnomen audivimus cap. III, vers. 11 ; quare ibi dicta hic non repetam. Huc spectat vetus apologus quem recenset noster Pontanus, volumine III *Progymn.* part. 1, cap. XL : Invehebatur in caudam suam canis, quod deses et otiosa, et a reliquo corpore se trahi sineret, neque iter ostenderet ut oculi, nec mandata acciperet ut aures, nec hostem insequeretur ut pedes, nec dimicaret ut dentes, sed esset velut inutilis appendix ad posticam partem corporis. Respondit cauda : Et tamen ego inutilis, ut tu calumniaris, muscas abigo, patrono alludo, pudenda contego, totique corpori sum ornamento. Epimythium : nihil a Deo nisi sapienter factum et provide, quamvis homines multis in rebus id non videant. Exemplum hujus sententiæ clarum est in quadratura circuli, in qua se torserunt tot sæculis mathematicorum ingenia nec veritatem extorserunt, adeo ut hæc eis crux fixa esse videatur. Nam quadraturam circuli mechanice, hoc est, modum practice efficiendi quadratum, quod sit æquale circulo, sive cujus capacitas æqualis sit capacitati circuli cujuslibet, invenit traditque Archimedes, libro *De Circuli dimensione*, theorem. 1, pag. 128, in edit. Paris. Estque hic : Accipe peripheriam, sive circumferentiam circuli, illamque ex curvo in directum extende, sive fac lineam rectam æqualem peripheriæ circuli, eique in fine lineam rectam, quæ semidiametro circuli sit æqualis, ad angulos rectos annecte, ac denique extremitatem utriusque lineæ jam dictæ linea recta transversa connecte, ac habebis triangulum qui sit æqualis circulo. Triangulo autem cuilibet æquale quadratum describi posse mathematice certum est, modumque id faciendi demonstrat Euclides, lib. I, proposit. 42, et lib. II, proposit. 14, et lib. IX, proposit. 33. Vide ibidem Clavium, 301 : quare sic fiet quadratum æquale circulo. Hinc mechanici facile ex hac praxi commensurando lineam rectam cum peripheria circuli, conficiunt triangulos et quadrata, quæ sint circulo æqualia. Verum mathematice idipsum demonstrare, uti suas propositiones demonstrat Euclides, hoc est rationem mathematicam afferre, quæ demonstret modum inveniendi lineam, quæ sit æqualis peripheriæ circuli, nec Archimedes, nec Euclides, nec quis alius huc usque invenit, etsi plurimi in eo annos plurimos desudarint. Quadratura ergo circuli practice et mechanice scitur ; at ejus ratio et mathematica demonstratio ignoratur.

Quadratura circuli mechanice scitur, mathematice nescitur.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex eo quod bona malaque æque accidant pio ac impio, infert neminem scire an amore, an odio sit dignus, sed omnia in futurum servari incerta. Idcirco sapientis esse studere candori et puritati ac bonis operibus, præsertim quia sicut pisces capiuntur hamo, sic homines tempore malo. Denique, vers. 14, ostendit sapientiam præstare fortitudine, et tamen in paupertate non æstimari.

1. Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem : Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit : 2. sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti ; sicut bonus, sic et peccator : ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat. 3. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt ; unde et corda filiorum hominum implentur malitia, et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur. 4. Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam : melior est canis vivus

leone mortuo. 5. Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem : quia oblivioni tradita est memoria eorum. 6. Amor quoque, et odium, et invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur. 7. Vade ergo et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum : quia Deo placent opera tua. 8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. 9. Perfruere vita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ : hæc est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole. 10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. 11. Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus, casumque in omnibus. 12. Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. 13. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam : 14. Civitas parva, et pauci in ea viri : venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. 15. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam : et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. 16. Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine : quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita? 17. Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos. 18. Melior est sapientia quam arma bellica : et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

Vers. 1. 1. OMNIA HÆC TRACTAVI IN CORDE MEO, UT CURIOSE INTELLIGEREM : SUNT JUSTI ATQUE SAPIENTES, ET OPERA EORUM IN MANU DEI, ET TAMEN NESCIT HOMO UTRUM AMORE AN ODIO DIGNUS SIT. — Ita hoc caput ordiuntur Biblia Romana ac pleraque Latina; licet Regia Hebræa, Chaldæa, Septuaginta et Thaumaturgus ordiantur cap. IX a τῷ *sunt justi*, ac præcedentem sententiam jungant fini cap. VIII. Pro *ut curiose intelligerem*, Hebraice est לבור *labur*, id est *ut deputarem*, id est pure clareque perspicerem; S. Hieronymus in priori versione transtulit, *ut considerarem*; Pagninus, *ut declararem*; Tigurina, *ut clare discernerem*; minus recte Cajetanus, *ut eligerem*; melius Symmachus, *ut ventilarem*; Complutenses in *Lexico*, *ut probarem*, vel *examinarem*. Pendent hæc a fine præced. Unde illius fini hæc annectit Cajetanus, et cap. IX inchoat a vers. 2. Continuat enim hic Ecclesiastes, et amplificat id quod dixit cap. præcedenti, scilicet bona et mala tam piis obvenire quam impiis; unde ex eis cæterisque discerni non posse, quis sit pius et amore dignus, quis impius et odio dignus (1).

Pro *opera eorum* Hebraice est עבדיהם *abadehem*, quod Pagninus vertit, *servitia eorum*; Vatablus, *servi eorum*; Chaldæus, *discipuli eorum*, *q. d.* Justi et sapientes, eorum discipuli vel asseclæ, sunt in manu Dei. Verum sic dicendum fuisset עבדיהם *abdehem* : jam autem dicitur עכדיהם *abadehem*, id est *opera eorum*, ut vertunt Noster, Septuaginta, Syrus, Arabicus, Campensis et alii. Septuaginta eleganter vertunt ἐργασίαι, id est opera artificiosa ad lucrum et quæstum affabre elaborata, qualia sunt insignium artificum; talia sunt opera justorum, quæ, licet mundo despecta, Deo tamen sunt pretiosa ac cœlo elaborata, ideoque eis mercedem cœlestem retribuet.

IN MANU DEI.— *Primo*, Hugo : « In manu Dei, » hoc est, ait, in dispositione, conservatione, judicio et voluntate Dei, item ut hostiæ Deo acceptæ. *Secundo*, Dionysius : « In manu Dei, » i. e. ait, oblata sunt et commissa Deo, ut creatori et judici, adde « et remuneratori. » *Tertio*, genuine, » in manu Dei, » id est in protectione, cura et amore Dei. Ita Olympiodorus qui hæc superioribus ita apte connectit : « Dixerat, inquit, superius quarum rerum cognitio sit abstrusa, ut nos averteret ab inutili ac vana percurrendi sollicitudine. Nunc autem proponit qua in re satisfacere sibi possit sapientis

Justorum opera in manu Dei quintuplicitèr. Primo. Secunda. Tertio.

(1) Quomodo quisquam horum Dei operum, quæ sub ole fiunt, rationem se assequi posse putet? *Nam omne hoc dedi ad cor meum*, perscrutatus sum, *et ad declarandum omne hoc*, quod justi et sapientes et facta eorum in manu Dei sunt; quum igitur exspectes bonis Deum pro meritis repensurum esse, ut prospere iis omnia cedant, tamen sæpe aliter evenire videmus, ita ut *tam amorem quam odium ignoret homo*, i. e. ut ex hominis conditione, vel bona, vel mala, judicari non possit, num amet eum Deus, nec ne? utrum, ait D. Hieronymus, ad probationem sustineant quæ sustinent justi, an ad supplicium. *Omne hoc ante faciem eorum*, omnia illa, quæ tam piis quam impiis eveniunt, promiscue oculis suis cernunt homines, neque tamen ex singularum sorte vel felici, vel infelici judicium ferre valent, num a Deo amentur, vel odio habeantur.

intuitus et cognitio, quod videlicet justi sapientesque homines una cum operibus suis sub umbra Dei, et protectione suæ dexteræ conquiescant. Neque enim permittit Deus illos impetentium viribus devastari. Probi namque homines et officiosa opera proteguntur a Deo; ac vero de impiis scriptum est : Et ipsi de manu tua repulsi sunt. »

Sapientes ergo, id est prudentes et justi, licet non sint in prosperitate ut impii, sed in adversitate, ideoque mundo neglecti et contempti, sunt tamen in manu, i. e. favore, cura, custodia et ope Dei, quia adversa eis immittit ex amore, ut eos virtutibus et meritis augeat. Hoc sensu dicit Deus *Isaiæ* XLIX, 16 : « Ecce in manibus meis descripsi te, » ut te velut oculis meis præsentem jugiter intuear, et manibus juvem, protegam, promoveam. Vide ibi dicta. Hinc rursum opera sancta justorum sunt « in manu Dei, » quia a manu, id est ab ope et gratia Dei, promanant (uti docet S. Prosper, lib. I *De Vocat. gent.* cap. XXIV), qui proinde ea copiose remunerabitur et coronabit. Quarto. *Quarto*, opera justorum sunt « in manu Dei, » id est Deo certo cognita et explorata, cum ipsis justis sint incerta et dubia, ut sequitur. Quinto. Ita Lyranus. *Quinto*, « in manu, » id est in pleno arbitrio et potestate æque ac scientia, providentia et gubernatione Dei, ut eos orbi stato tempore ad ejus salutem immittat, sicut ante diluvium immisit Enoch et Noe; post diluvium, Abraham, Isaac, Jacob; Hebræis captivis in Ægypto misit Mosem et Aaronem; in terra sancta misit Davidem et Prophetas; contra Arianos misit S. Athanasium; contra Pelagianos, S. Augustinum; contra Nestorium, S. Cyrillum; contra Eutichetem, S. Leonem; contra Albigenses, S. Dominicum; contra Lutherum, S. Ignatium cum sociis. Sic dicitur *Psal.* XXX, 16 : « In manibus tuis sortes meæ vel ut alii vertunt, *tempora mea*. Et : « Cor regis in manu Domini : quocumque voluerit inclinabit illud, » *Prov.* XXI, 1. Et : « In manu enim illius, et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia et disciplina. » *Sap.* VII, 16; et cap. III, 1 : « Justorum animæ in manu Dei sunt; » ubi hac de re plura. Huic gnomæ affinis est illa Cæcilii poetæ, lib. XXXV : « Deum quis non summum putet, cui in manu sit, quem esse dementem velit, quem sapere, quem insanire, quem in morbum injici, quem contra amari, quem adversari, quem expeti. » Porro manus Dei est mens, voluntas et potestas Dei; in mente est scientia et providentia; in voluntate libertas; in potestate imperium. Hinc Vespasiano prandenti humana manus illata in triclinium, et mensæ supposita protendit imperium, ait Suetonius in ejus Vita. Et Prophetæ pinguntur manu cœlitus immissa, quasi a Deo excipientes prophetiam, uti dixi initio *Prophet.*

Nescit homo an amore, an odio sit dignus.

ET TAMEN NESCIT HOMO UTRUM AMORE AN ODIO DIGNUS SIT. — Hebræa, *etiam amorem, etiam odium non sciens*. Sic et Septuaginta, Syrus, Arabicus et Recentiores. S. Hieronymus in veteri editione vertit, *et quidem charitatem, et quidem odium non est cognoscens homo*. Quæ verba, quia more Hebræo sunt ampla et indefinita, a variis varie definiuntur et explicantur.

Primo, Symmachus vertit, *et insuper neque amicitias, neque inimicitias scit homo*; et Campensis, *nec quisquam novit quos habiturus sit amicos, vel inimicos, q. d.* Nescit homo quis eum amet, quis odiat, ac proinde nescit quem ut amicum diligere, quem ut inimicum odisse, id est cavere et fugere debeat. Ita Chaldæus : *Etiam amor*, inquit, *quo dilexerit eos aliquis, et etiam odium, quo eos prosecutus fuerit, decretum est; omne in providentia decretum est, ut sit ante eos.* Accedit Thaumaturgus, *q. d.* Qui colit gratiam et amicitiam hominum, nescit quamdiu eam conservaturus sit propter inconstantiam voluntatis humanæ, qua fit ut amor levi de causa vertatur in odium. Primo.

Secundo, alii referunt ad objecta amoris et odii, *q. d.* Nescit homo sensualis quid vere sit bonum, quid malum; quid virtus, quid vitium; ac proinde nescit quid amare et sequi, quid odisse et cavere oporteat. Vis est in Hebræo אדם *adam*, id est homo terrenus, qui terrena sapit et cœlestia non capit : hic enim carnis voluptate ducitur, non virtutis honestate; quare ignorat verum virtutis bonum, et fucatum voluptatis bonum cupide amplectitur. Ergo amat odienda, et odit amanda. Ita Olympiodorus. Accedit R. Salomon et Hebræi qui exponunt, *q. d.* Vulgus hominum nescit cor disponere ad amandum Deum, et quæ odio digna sunt odiendum; sed omnia hæc sunt ante sapientes et justos, qui norunt amare Deum et odio habere mala : nimirum nescit amare, qui Deum non amat; nescit hoc impius, scit pius et sapiens. Secundo.

Tertio, Isidorus Clarius explicat, *q. d.* Id quod diligit homo, et odit, est in manu et potestate Dei, ut illud vel tribuat homini, vel neget et avertat, atque homo id sensu percipere nequit. Verum Noster solerter et sapienter intellexit hic agi de amore et odio non hominum, nec creaturarum, sed Dei. De eo enim proxime dixit : « Opera eorum in manu Dei, » *q. d.* Opera nostra sunt in manu Dei; et tamen nescit homo an amore Dei, an odio sit dignus, quia scilicet Deus opera nostra manu sua certo quidem servat, sed clausa et secreta tenet, nec qualia illa sint homini ostendit, verum in futurum judicium patefacienda ea reservat; quare usque ad illud homini sunt incerta et incognita. Tertia.

Dices : In Hebræo est, *et omne* vel *omnia ante eos*, vel *ad faciem eorum*; quomodo ergo Noster vertit, « et omnia in futurum servantur incerta? » Respondeo : Quia τὸ *omnia ante eos* significat omnia opera longe antecedere hominis oculos, id est conspectum et cognitionem, ut ea perspicere nequeat; quia scilicet in cœlo, in mente et præscientia Dei servantur remota et recondita. Ita Chaldæus. Sic Psaltes ait, *Psal.* CXXXVIII, 6 : « Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non po-

tero ad eam; » et vers. 3 : « Intellexisti cogitationes meas de longe, etc., et omnes vias meas prævidisti. » Unde Campensis vertit hic, *omnia hæc hominem latent.* Et Symmachus, *omnia coram eis incerta;* aut certe τὸ *omnia ante eos,* id est omnia *ante eum,* scilicet Deum : quia enim *Elohim,* id est *Deus,* Hebræis est plurale, hinc pariter in plurali ait, *ante eos,* id est ante eum, scilicet Deum, qui in plurali vocatur *Elohim.* Unde Tigurina vertit, *ipsi autem Deo omnia sunt proposita.* Et Chaldæus, *non est qui sciat id quod erit homini. Omne in providentia* (Dei) *est ut sit ante eos.* Quare Noster optime vertit, *et omnia in futurum servantur incerta.* Hunc sensum exigit versio Vulgata, quam per 1200 et amplius annos recepit et probavit tota Ecclesia; quin et probant Novantes, ut Beza, Mercerus, et, ut videtur, Calvinus, lib. III *Instit.* cap. II, § 38. Atque si quis antecedentia et sequentia inspiciat, perspiciet hanc versionem et sensum esse amplissimum. Denique ita explicat S. Hieronymus, vir in exponendis Scripturis eruditissimus, et Ecclesiæ calculo doctor maximus. Eum ergo audi : « Porro hic sensus est: Etiam in hoc dedi cor meum, et scire volui quos Deus diligeret, quos odisset, et inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse, et ambiguos fluctuare utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient; et in vultu eorum sunt omnia, id est, antecedit eos, cum de vita hac decesserint, notitia istius rei; quia tunc est judicium, nunc certamen. Et quicumque adversa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant, ut Job, an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum. » Igitur ex hoc loco patet incertitudo gratiæ contra hæreticos et Ambrosium Catharinum, scilicet homines, etiam justos non esse certos omnino se esse in gratia Dei, sive justos et amicos Dei; etsi enim hujus rei probabilia signa et conjecturas non leves habeant, quæ aliquam certitudinem eis afferant, non tamen habent tantam, quæ excludat omne dubium et formidinem oppositi; licet enim sibi nullius peccati sint conscii, tamen sciunt Deum plura videre, ideoque forte peccatum in conscientia sua cernere, quod ipsi non cernunt. Quare dicunt cum S. Paulo : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum,» I *Cor.* IV. Rursum etiamsi sciant se amare Deum, tamen nesciunt an hic amor sit naturalis, an supernaturalis charitatis, quæ sola justificat. Hæc sententia est de fide : nam ita definitum est in Concilio Tridentino, *sess.* VI, cap. IX, et *Can.* XII. Negat id Lutherus, Calvinus, Bucerus, Kemnitius cæterique Novantes, qui cavillantur hunc locum male esse traductum in versione Vulgata. Docent enim justum fide divina credere debere, non tantum in genere Christum satisfecisse pro nobis, sed etiam in particulari sibi per Christum remissa esse peccata, ideoque se esse justum et sanctum, imo prædestinatum et electum ad gloriam : ac proinde non posse ab ea excidere, nec peccare, ne fides ejus falsa sit, hanc enim fidem specialem esse fidem justificantem, ideoque eam requiri ad cujuscumque justificationem sibi certo persuadent.

Fides specialis hæreticorum, quæ?

Verum hic stolidus est error, et fides summe infida. Nam, ut cætera taceam, hæc fides est impossibilis et falsa. Credit enim certo quod anceps et dubium est, et sæpe falsum. Multi enim apud hæreticos habent hanc fidem, et tamen vivunt in adulterio, odio, injustitia, rapina aliisque gravissimis peccatis; qui licet credant se justos, revera tamen sunt peccatores et scelerati. Rursus multi ab hac hæresi convertuntur ad fidem orthodoxam, tuncque hanc fidem imo perfidiam deponunt, fidem orthodoxam illi contrariam amplectuntur; quomodo ergo in hæresi crediderunt se ab ea non posse excidere, cum de facto excidant? Ambrosius Catharinus vero, licet longe absit ab hac hæresi, tamen ex alio capite cum ea censet hominem justum certum esse de sua gratia et justitia. Utrique urgentur et convincuntur hoc loco Ecclesiastæ : « Nescit homo utrum amore an odio dignus sit. » Sed respondent Salomonem non absolute negare justo certitudinem charitatis et gratiæ, sed tantum negare eam posse cognosci et certo constare ex eventis externis, v. g. quod justo omnia feliciter cedant, injusto infeliciter, cum utraque utrilibet indifferenter obveniant, ut sequitur; aut, ut Catharinus et Vatablus, negare duntaxat id scire posse hominem naturaliter, sive ut homo est; non autem supernaturaliter, sive ut Filius Dei est : sic enim eum scire posse se justum ex testimonio Spiritus Sancti, ut docet Apostolus, *Rom.* VIII, 15.

Refellitur.

Responsio hæreticorum.

Verum hæc frivola et frigida esse probo *primo,* ex eo quod Salomon loquatur non de homine in se quoad naturam, sed de justo quoad gratiam. Ait enim : « Sunt justi et sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo (scilicet justus et sapiens, ut præcessit) utrum amore an odio dignus sit, » *q. d.* Justi opera sunt in manu Dei, et tamen id ipse nescit; ideoque pariter nescit an amore Dei et odio dignus sit. Justus enim non tantum externa sua spectat, sed etiam internum conscientiæ et Spiritus Sancti testimonium, idque multo magis : hujus enim respectu dicitur justus, esseque in gratia Dei. Ergo etiam cum hoc testimonio nescit ipse se esse in gratia, dignumque amore, etiamsi revera sit in gratia et dignus amore Dei.

Refellitur. Primo.

Secundo, quia asserit justorum opera esse in manu Dei, id est in mente, memoria et intellectu divino, qui ut manus ea in se certissime claudit et continet, ne a quoquam alio videantur, ut ea suo tempore patefaciat, laudet et remuneretur; et tamen nescire justum, an odio dignus sit, an amore. Ubi clara est antithesis, *q. d.* Opera justi ita sunt ex mente et scientia Dei, ut absolute non sint in mente et scientia hominis. Alioquin enim si scientiam accipias, quæ ex eventis externis habetur, æque nescit Deus an homo amore, an odio

Secundo

sit dignus, ac idipsum nescit homo. Externa enim illa signa prosperitatis, vel adversitatis, signa sunt gratiæ et justitiæ plane indifferentia et incerta, cum promiscue obveniant impio et pio. Ergo ex iis Deus scire nequit an quis sit amore vel odio dignus, sicut ex iis id scire nequit homo.

Tertio. *Tertio*, quia subdit universaliter : « Sed omnia in futurum servantur incerta; » omnia, scilicet tam supernaturalia, quæ proprie « in manu Dei » sunt, quam naturalia, tam interna quam externa; et consequenter an prospera vel adversa, quæ maxime oculis patent, quæque maxime spectant homines, ex odio, vel amore Deus homini immittat; et hoc tantum vult Salomon in ratione hac inadæquata similis piorum et impiorum eventus, quam subdit, *q. d.* Homo communiter spectat externa, et externos eventus felicitatis vel infelicitatis sibi obvenientes; et tamen nescit an Deus illos sibi immittat ex amore an ex odio. Ergo pariter nescit an ipse amore, an odio sit dignus. Reliqua enim argumenta et signa, quibus idipsum dignosci posset, æque ac hoc jam recensitum homini obscura et ambigua sunt : τὸ ergo *sed omnia in futurum servantur incerta*, significat hæc ignorari ab homine non solum ratione præsentium eventuum, sed simpliciter et absolute : si enim alio modo homini constarent essentque certa, falso dicerentur incerta.

Quarto. *Quarto*, idipsum docent alibi crebro S. Scriptura, Patres et tota Ecclesia. Vide Bellarminum, tom. III, lib. III *De Instut.* cap. IV et seq., et tom. I, lib. II *De Verbo Dei*, cap. XII, ac ibidem Jacobum Gretserum, qui et valide confutat ineptam expositionem Junii, dicentis quod homo nesciat an amore, an odio dignus sit, non ipsemet (quisque enim novit, inquit, seipsum et suam conscientiam), sed alius quilibet, qui alterius externos eventus prosperos vel adversos conspicit. Nimirum voluit Deus hac incertitudine gratiæ nos continere in humilitate et sollicitudine, ut cum timore et tremore salutem nostram operemur, ut monet Apostolus, *Philip.* II, 12, atque satagamus ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus, ut S. Petrus exhortatur. Ita S. Augustinus, vel quisquis est auctor (sat enim liquet non esse S. Augustinum, lib. *De Spiritu et anima*, cap. LIX : « Væ mihi, ait, misero, qui in regione umbræ mortis nescio finem meum, nescio si dignus sum amore vel odio. » Porro loquitur Salomon proprie de amore et odio, quo justus amatur ob præsentem justitiam, et injustus odio habetur ob præsentem statum peccati in quo degit, uti applicat S. Hieronymus, S. Bernardus, *serm.* 1, Septuaginta, S. Thomas, I II, *Quæst.* XII, art. 5, et alibi crebro, ac Bonaventura, qui negat hic agi de amore prædestinationis et odio reprobationis : quia, inquit, nullus dignus est prædestinatione, nec quisquam meretur prædestinari. Prædestinatio enim præcedit omnem gratiam omneque meritum, imo ipsa omnis gratiæ et meriti est origo et causa. Potest tamen extendi hic amor et odium ad prædestinationem et reprobationem : illa enim summus est amor Dei, hæc summum odium, et utraque in futurum judicii diem servatur incerta, *q. d.* Nemo scit an sit prædestinatus an reprobus, vel potius reprobandus; licet enim prædestinationis gratiam et amorem nemo mereri queat, dici tamen potest eo dignus, non ex merito, sed ex gratia Dei, quia scilicet Deus illum dignatus est prædestinare et asciscere in sortem Sanctorum, illaque eum dignum efficit, ut loquitur S. Paulus. Ita hunc locum de prædestinatione et reprobatione accipit S. Bernardus, serm. 5 *De omnibus Sanctis*, et S. Thomas in cap. VIII *ad Roman.*, sub finem, Hugo, Dionysius et alii. Excipe, nisi cui speciali dono revelata sit sua justitia vel prædestinatio, uti salutis suæ revelationem habuere S. Antonius, teste S. Athanasio; S. Franciscus, teste S. Bonaventura; S. Galla, teste S. Gregorio, lib. IV *Dial.* cap. III, et alii plures, quos eodem libro recenset S. Gregorius.

Denique licet justi non habeant certitudinem scientiæ se esse justos, habent tamen certitudinem conjecturæ et fiduciæ, quæ crescente gratia et bonis operibus pari passu crescit, adeo ut eximii sancti de eo vix dubitent, sintque securi, « ut cum longa mœroris anxietate formido fuerit consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascatur, » ait S. Gregorius, lib. VI *Regist.*, epist. 23 *ad Theotistam*; et S. Cyprianus, lib. *De Moral.*, et lib. *Contra Demetrianum* : « Urget, inquit, apud nos spei robur et firmitas fidei, et inter ipsas sæculi labentes ruinas erecta mens, et immobilis virtus, et de Deo suo semper anima secura. » Et S. Augustinus in illud *Psalm.* CXLIX : *Exsultabunt sancti in gloria*, etc. : « Est quidam modus in conscientia gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, noveris spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse sine simulatione. » Ita S. Antonius fidens aiebat : « Ego Deum meum non timeo, sed amo. » Et pauper ille apud Thaulerum dicebat se securum in Deo conquiescere. Historiam fuse ex eodem enarravi *Rom.* XII, 2. Quin et S. Paulus, *Rom.* VIII, 35, ita exsultans gloriatur : « Quis nos separabit a charitate Christi, etc.? Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc.

Justi quam certi de sua justitia?

Vers. 2. 2. SED OMNIA IN FUTURUM SERVANTUR INCERTA, EO QUOD UNIVERSA ÆQUE EVENIANT JUSTO ET IMPIO. — Hebræa, *omnia ante faciem eorum, omnia sicut omnibus*, vel *quodlibet cuilibet*, id est omnia eveniunt consimiliter omnibus; Tigurina, *omnibus eadem prorsus usu veniunt*; Campensis, *cunctæ res eodem interibunt modo; unus est eventus justo et impio.* Septuaginta pro secundo הכל *haccol*, quod Noster vertit *universa*, alii *omnia*, per affinitatem litteræ ב cum כ aliis punctis legerunt הבל *habel*, id est *vanitas*; unde vertunt, *omnia ante faciem eorum vanitas in omnibus*, id est, ut Syrus, *omne quod est ante eum vanitas est*; et Arabicus, *omnes res ante eorum facies sunt vanæ in omnibus eorum negotiis.* Identi-

dem enim operum hominis, rerumque omnium vanitatem inculcat Ecclesiastes. Verum Biblia Hebr. quasi omnia habent הכל *haccol*, non הבל *habel*. Quare Noster τὸ *omnia ante faciem eorum*, optime cum Symmacho, ut solet, interpretatus est: « Sed omnia in futurum servantur incerta. » Nam, ut dixi vers. 1, τὸ *ante eos* idem est quod, eos loco vel tempore antecedit, ideoque eorum conspectum et cognitionem fugit, ac proinde eis est incognitum et incertum, quale est id quod futurum est; hoc enim quasi a fronte nos in Dei præsentia antecedit, nosque quasi subsequentes, ut ad illud perveniamus, exspectat. Hoc ergo est *ante eos*, id prævertit et præcurrit eorum cognitionem; præcurrit, inquam, tum ad Dei præscientiam et providentiam, tum ad Dei judicium, ut ibi homines reos præstoletur, ac sontes vel insontes ostendat. Unde Chaldæus vertit, *omne in Dei providentia decretum est ut sit ante eos*. Alii repetunt τὸ *non*, quod præcessit, *q. d.* Opera hominum non sunt ante faciem eorum, id est non cognoscuntur ab eis qualia sint, bona an mala. Verum hoc duriusculum videtur. Sic incerta et dubia nobis manet pœnitentia et salus Salomonis, Tertulliani, Origenis, Berengarii et plurium talium. Sic Doctor ille Parisiensis, qui ab omnibus habebatur probus, mortuus ex feretro publice se improbum proclamavit, dicens: « Justo Dei judicio condemnatus sum; » qua voce perculsus S. Bruno cum sociis in Carthusiam secessit. Porro recentiores hic varie ex Hebræo vertunt, et explicant Arias et Guarinus, *amorem et odium nescit homo omnium qui ante eos sunt*. R. Salomon: Justi vident opera sua ante oculos proposita, ex iisque sciunt se esse justos, cum id carnales et impii nesciant. David de Pomis vertit, *omnia in facie eorum, q. d.* Ex facie et vultu liquet et lucet probitas hominis vel improbitas, Alii, *q. d.* Etsi homo omnia habeat ante oculos, tamen nescit discernere inter bonum et malum, odium ab amore, signa probitatis ab improbitate. Alii aliter. Ita nimirum in multa abeunt, qui a Vulgata, id est a veritate deviant.

Eo quod universa æque justo et impio. — Ratio hæc, ut dixi, non plena et adæquata, sed partialis est et inadæquata, communis tamen, et oculis mentibusque hominum obvia, ideoque illam præ cæteris assignat Salomon. Justi enim ex aliis signis, puta ex interno conscientiæ et Spiritus Sancti testimonio, ex bonis operibus, ex affectu pio in Deum conjectant et quasi cognoscunt se esse justos et amore Dei dignos. Verum hæc interna sunt, nec oculis hominum patent, ac ipsis justis sæpe æque incerta sunt atque externa, puta externi eventus prosperi vel adversi. Sicut enim hi impio æque obveniunt ac pio, sic et illi. Impii enim sæpe nullos sibi faciunt peccati scrupulos: sed plane sibi videntur in conscientia tranquilli, ac amant Deum et res pias amore quodam humano et naturali, atque ex eodem dant eleemosynas, suntque benefici in omnes, et tamen sunt in statu peccati mortalis. Unde liquet hæc signa interna, æque ac externa esse incerta, dubia et ambigua. Vide Franciscum Suarez, tom. III *De Gratia*, lib. IX, a num. 14 ad 18, sed maxime num. 18, ubi exacte expendit τὸ *eo quod*. Porro Hebraice est, *unus est eventus justo et impio*; Chaldæus hoc et præced. ita reddit, *omne ex providentia pendet, atque ex cœlo decretum est*; Complutenses, *ex sidere* (sed hoc favet astrologis judiciariis, quos Ecclesia reprobat) *decretum est quod futurum est, ut fiat omnibus eventus unus innocenti et peccatori*.

Dices: Deus, *Levit.* XXVI, et alibi sæpe promittit Hebræis eventus prosperos, puta victoriam, pacem, copiam frugum, si legem suam servent sintque pii; sin eam violent sintque impii, minatur eis bellum, famem, pestem omneque malum; ac utrumque uti promisit, ita reipsa eis præstitit: quomodo ergo unus est eventus justo et impio? Respondeo *primo*: Pro *eventus* hebraice est מקרה *micre*, id est accidens, occursus, eventus, de qua voce dixi cap. I, 14. Jam per accidens, intellige id quod communiter accidit, qualis est mors, morbus, fames, sitis, frigus, æstus, etc. Hæc enim tam piis accidunt quam impiis. Unde Campensis vertit, *cunctæ res eodem interibunt modo, nec quidquam ab interitu liberum est*. Nam per eventum maxime hic intelligi mortem patet ex sequentibus: « Nemo est qui semper vivat, » etc., et ex dictis cap. II, 14, et cap. III, 19. Identidem enim hanc mortis vanitatem et ærumnam extremam, tam piis quam impiis communem, refricat et inculcat. Respondeo *secundo*: Illa promissa Hebræis facta *Levit.* XXVI, et alibi, spectant, non tam singulos seorsim, quam totum populi cœtum, ut si is coleret Deum, non idola, ejusque leges servaret, Deus daret ei pacem et rerum abundantiam; si eas violaret, coleretque idola, puniret eum peste, fame et bello. Quare si major pars populi coleret idola, Deus in totum populum mittebat pestem, famem, vel bellum, quæ tam pios, utpote qui erant pars istius reipublicæ et populi noxii, quam impios affligebant. Itaque tunc quoque unus erat eventus justo et impio: nec enim fames, nec pestis, nec bellum discernit pium ab impio, sed promiscue obvios quosque invadit. Sicut in excidio urbis pii æque ac impii spoliantur, capiuntur, necantur. Sic enim in prælio tam occisus est pius Josias, quam impius Achab, III *Reg.* XXII, 34, et II *Paral.* XXXV, 23. Respondeo *tertio*: Sæpe Deus in lege veteri piis separatim prospera, ut fruges et opes in præmium pietatis largiebatur, eadem impiis negabat in pœnam impietatis, at non semper; sed prospera impiis, adversa piis immittebat, uti Davidi persecutionem Saulis, Danieli Babyloniorum, Susannæ senum, Machabæis Antiochi, Eliæ et Prophetis Jesabelis et idololatrarum, quia tum majoribus bonis patientiæ, martyrii et gloriæ æternæ eos cumulabat. Unde tunc quoque una ex parte idem, sed alia ex parte adversus plane erat eventus pio, quam esset

impio. Porro Hebræi hanc gnomen arctant ad Noe et Pharaonem socerum Salomonis, narrantque eumdem eventum accidisse justo Noe et impio Pharaoni, scilicet claudicationem : Noe enim, cum ex arca exscendisset, casu cecidisse factumque claudum; Pharaonem quoque, cum in throno Salomonis sederet, velletque descendere, prolapsum claudicasse; sed hæc sunt næniæ et fabulæ Rabbinorum.

Minus inepte iidem antitheses sequentes ita secernunt, ut justus et impius spectetur in opere, mundus et immundus in corpore, bonus et peccator in corde, perjurus et verum dejerans in ore, sacrificans et sacrificia contemnens in fide et religione. Verum nimis minutim hæc distinguunt, cum omnia sint quasi synonyma et epitheta justi ac impii. Ex hoc loco S. Thomas, I II, *Quæst.* CXIV, art. 10, probat bona temporalia per se sub meritum non cadere, sed tantum quatenus referuntur et conferunt ad beatitudinem. « Ut sicut jurans, sic et qui juramentum timet, » id est fugit et cavet ne aliquando pejeret : *jurans*, id est pejerans, qui enim crebro jurat, et assuescit ad quidvis jurandum, necesse est ut sæpe pejeret; imo semper pejerat, quia jurando temere quidvis sine discrimine veri vel falsi, semper periculo pejerandi se exponit. Adde Hebræos carere verbis compositis, ideoque pro iis uti simplici; נשבע *nisba* ergo, id est *juro*, significat quoque *pejero, dejero*. Sic *Zachar.* cap. v, 3, dicitur : « Jurans judicabitur, » hoc est pejerans damnabitur. *Dejerat*, id est jurat; *dejerare* enim est per Deum jurare, vel sancte jurare, ait Donatus. Unde illud Comici de Casina : « Per deos omnes et deas dejeravit. » Hinc subinde *dejerare* est jurare ac promittere aliquid cum contestatione, ut I *Reg.* cap. XX, 17 : « Addidit Jonathas dejerare David. »

Vers. 3. 3. HOC EST PESSIMUM INTER OMNIA, QUÆ SUB SOLE FIUNT, QUIA EADEM CUNCTIS EVENIUNT; UNDE ET CORDA FILIORUM HOMINUM IMPLENTUR MALITIA, ET CONTEMPTU IN VITA SUA, ET POST HÆC AD INFEROS DEDUCENTUR. — Thaumaturgus et Olympiodorus censent hæc esse verba stultorum et impiorum. Melius S. Hieronymus et alii censent esse ipsius Ecclesiastis. Iterat enim et confirmat quod dixit vers. præced., *q. d.* Res pessima, id est valde noxia et molestissima est, quod eadem obveniunt piis et impiis, indeque homines impleantur malitia et contemptu, ut pietatem, quin et Deum contemnant, itaque ad inferos detrudantur. *Pessimum* ergo hic proprie accipi potest, *q. d.* Pax piorum et impiorum eventus, multorum scelerum est occasio. Ita S. Hieronymus, Bonaventura, Hugo, Dionysius et alii; vel improprie *pessimum*, id est molestissimum, quod pios valde affligit. Sic *Matth.* VI ait Christus : « Sufficit diei malitia (id est molestia et afflictio,) sua. »

Pro *contemptu* hebraice est הוללות *holeloth*, id est *insania*, ut vertit Pagninus; *vesania*, ut Vatablus; *tricis*, ut Cajetanus. Septuaginta, περιφερείᾳ, id est *circumlatione*, hallucinatione, vita errabunda, erratione ac turbatione mentis ob externas cogitationes et curas, ait Budæus. Thaumaturgus, *erroribus et fraudibus*; Olympiodorus, *huc et illuc in circuitu ambulant, nec desistunt fatigari*; Aquila, πλανῇ, id est *errore;* Symmachus, αὐθαδείᾳ, id est *procacitate*, ait S. Hieronymus. Alii, *vana exsultatione et gloriatione*. Vide dicta cap. I, 17. Notat impietatem et stultitiam hominum usque ad insaniam, qui « lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis, » *Prov.* II, 14, et excusant « excusationes in peccatis, » *Psalm.* CXL, 4; quia procaciter malum operantur, in eoque gloriantur, quasi numinis contemptores.

POST HÆC AD INFEROS. — Hebraice, *post hoc ad mortuos*, id est ad statum locumque mortuorum, puta ad inferos; ad illos enim tempore Salomonis omnes mortui descendebant, *q. d.* Impii vivunt adeo insolenter, ut de morte non cogitent quasi semper victuri, et nunquam morituri; itaque cum minime cogitant, imparati morte abripiuntur, descenduntque ad inferos, ut malitiæ suæ dent pœnas in gehenna. Ita Chaldæus : *Et post*, inquit, *dies hominis servatur ei, ut corripiatur cum mortuis juxta judicium peccatoris.*

4. NEMO EST QUI SEMPER VIVAT, ET QUI HUJUS REI HABEAT FIDUCIAM : MELIOR EST CANIS VIVUS LEONE MORTUO. — S. Hieronymus more suo secutus est Symmachum qui clare vertit, *quis enim in æternum potest perseverare vivens?* « cum, ait S. Hieronymus, subito rapiamur interitu, et dum ignorant homines ad inferna descendant. » Explicat hic eventum piis et impiis omnibus maxime communem, scilicet mortem, quæ ad oculum ostendit rerum omnium vanitatem, nam omnia facit mori et evanescere; unde mortis ideam et effectus hic graphice depingit usque ad vers. 7. Hebræa ad verbum habent, *quia cujus quod sociabitur ad omnes viventes, est spes?* utique nullius, *q. d.* Nullus est qui speret se socium et coævum fore omnibus viventibus, hoc est, ut clare vertit Noster, *nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam.* Pro יחבר *iechubbar*, id est *sociabitur*, nonnulli Codices per metathesin legunt יבחר *iebuchar*, id est *eligetur;* unde cum Pagnino vertas, *quia cui electio inter omnes viventes est spes?* Electus enim in Scriptura vocatur juvenis robustus, cujus electa, id est florida, et vegeta est ætas, *q. d.* Cui juveni est spes, quod semper manebit in flore et robore ætatis juvenilis? utique nulli; cum versetur inter viventes, sed mortales, qui omnes cum tempore senescunt et flaccescunt (1).

Vers. 4.

(1) Maurer, *tamen si quis associatur ad viventes*, si quis in vita est, *est spes*, is spem habere, aliquam rem futuram adhuc exspectare potest; *nam ad canem vivum* quod attinet, *is melior est, quam leo mortuus*. Rosenmullerus, *nam quis* est *qui eligatur* (*iebouchar*), vel, *nam quis* est *quem eligat* (*ibechar*) Deus, ut scil. non ad mortuos abeat, communi mortalium sorte exemptus? *Omnibus viventibus est spes, nam cani vivo melius est, quam leoni mortuo*.

Porro Chaldæus vertit; *etenim quis est vir qui associabitur omnibus verbis legis? ad acquirendam vitam venturi sæculi est illi spes.* Recentiores more suo dum ex Hebræo novas cudunt versiones, a sese invicem et a Vulgata, et a vera Salomonis mente in varia vagaque abeunt. Thaumaturgus censet hæc dici in persona impiorum, qui censent animam interire cum corpore, ideoque viventem, licet obscurus is sit et squalidus, mortuo esse anteponendum. Melius Olympiodorus censet hic agi de impiis, quos paulo ante dixit in morte ad inferos descendere. Causam hic subdit, eo quod nullus sit, qui semper vivat, sed omnes mori debeant, ac post mortem ad inferos descendere. Aut, *q. d.* Impii cum moriuntur inter justos, qui soli, licet mortui, vivere censendi sunt, locum non habebunt in æterna vita. Optime de omnibus tam piis quam impiis accipias, *q. d.* Nemo prorsus hominum est, qui semper vivat, sed omnibus incumbit fatalis eventus, puta mors. Unde S. Hieronymus, Albinus, Bonaventura, Lyranus, Hugo, Dionysius et cæteri censent hæc dici ex persona et mente Salomonis. Hæc meditans S. Hieronymus, et morti S. Paulæ applicans in ejus epitaphio, gemens exclamat : « O mortalium fragilis et caduca natura, et nisi Christi fides nos extollat ad cœlum, et æternitas animæ promittatur, cum bestiis ac jumentis corporum una conditio est, idem occubitus justo et impio ! »

Melior canis vivus leone mortuo, cur?

MELIOR EST CANIS VIVUS LEONE MORTUO. — Hebræa, *melius est cani vivo quam leoni mortuo.* Ita Symmachus. Est parabola, quæ grammatice in cortice litteræ significat animal quodlibet, licet vilissimum, qualis est canis, si vivat, nobilius esse animali præstantissimo, qualis est leo, si mortuum sit. Parabolice vero per hoc significatur hominem vilissimum, si vivat, præstare homini præstantissimo, si mortuus sit; qua ratione dixit S. Augustinus, vivam muscam, vel culicem, aut pulicem unum nobiliorem esse cœlo, quia prædita sunt anima et vita, qua caret cœlum, ut superius dixi. Hinc canis qui metuit leonem vivum, illi mortuo insultat, allatrat, laniat, devorat : sic et vilissimi mortalium mortuos, licet tyrannos et reges potentissimos, dicteriis allatrare et mordere non verentur. Hinc illud : « Leoni mortuo insultant lepores. » Et Comicus : « Mortuus pluris pretii, quam ego sum. »

Quæres, quo nexu hæc parabola cum præcedenti cohæreat? Respondeo *primo,* posse referri ad impios, quos vers. præced. dixit *ad inferos*, Hebraice, *ad mortuos* descendere, *q. d.* Impii, etiamsi in hac vita epulentur et triumphent, tamen mox moriuntur et ad inferos descendunt, tumque eorum vita in mortem, id est felicitas in summam miseriam convertitur; quia sicut canis vivus melior est leone mortuo, ita vilissimus mortalium præstantior est impiis, quantumlibet divitibus et potentibus, si hi moriantur, ille vivat. In morte enim finitur omnis eorum opulentia et potentia : sicut enim leo, generosus licet, moriens in cineres et vermes abit; sic et reges ac tyranni, qui proinde nil post se relinquunt nisi splendidum sepulcrum, vel nisi suam pellem, uti facit leo. Unde illud : « Leoninæ exuviæ. »

Secundo, generalius referas ad vers. 2 : « Universa æque eveniunt justo et impio; » inde enim omnia hæc contexuntur, *q. d.* Summa vanitas rerum humanarum est, quod idem eventus obveniat pio et impio, cujus exemplum clarum est in morte : hæc enim certo utrique obvenit. Nemo enim prorsus est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam. Quanta autem hæc sit vanitas; quantumque vivens præstet mortuo, et vita morte, liquet ex eo quod canis vilissimus, si vivat, melior sit leone, qui rex est animalium, si mortuus sit.

Tertio, hinc educit quam magnifacienda sit vita, ac bene collocanda, et in lætitia bonisque operibus expendenda, cum mors homini omnem lætitiam omnemque operandi facultatem adimat. Unde vers. 10 concludit : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos, quo tu properas. » Canis enim in operando, currendo et venando acer est, solers et providus, adeo ut, cum satur est, futuræ fami provideat, et ossa quæ supersunt recondat, eaque in terra defodiat, quæ esuriens deinde effodit et rodit. Idem faciat sapiens.

Quarto, hinc resolvitur quæstio, qua nonnulli quærunt quis honorabilior sit rex, princeps, Episcopus, Pontifex, præteritus, an præsens; et uter alteri in loco et cultu sit anteferendus? v. g. Si ad vitam rediret Carolus V, an anteferendus foret Philippo IV, regi præsenti? Respondendum enim negative, quia Carolus jam defunctus est uti vita sic et regno; quare amplius non est rex, nec imperator. Rex autem est Philippus IV, ille ergo colendus est ut rex, non Carolus. Mors enim succidit uti vitam sic et regnum, regiamque dignitatem et cultum. Hæc est vanitas regum rerumque omnium in hoc orbe; sic transit gloria mundi : « Melior est canis vivus leone mortuo. »

Tropologice canis est peccator; leo justus.

Tropologice, canis est peccator in hac vita, potens pœnitere et evadere sanctissimus, cujus proinde sors melior est sorte leonis, id est, cui in morte omnis bene agendi tempus et occasio præciditur. Ita S. Hieronymus et ex eo Albinus et Salonius. Canis enim est rixosus, vorax et luxuriosus; unde notat deditos rixæ, gulæ et luxuriæ, qui excitati a Deo, vocationi ejus obsequuntur, et pœnitent, sicut canis hero fidissimus et obsequen-

ratione conditionis. Cani, abjectissimo Hebræis animali, opponitur fortissimum et præstantissimum animal. Alii parenthesi includunt priorem hujus versus partem, ita : (*Nam quis est qui eliget*, ambiet *ad omnes viventes*, id est, semper esse inter viventes, semper vivere? Num talis *confidentia*, spes alicui *inest*). Deinde, quod sequitur referunt ad finem vers. 3 : *Atqui cani mortuo*, etc.

tissimus est. Audi S. Hieronymum, qui in veteri versione aliter vertit, aliterque dispungit, scilicet τὸ *fiducia* vel confidentia combinat cum cane et leone : « Confidentia, inquit, est quoniam canis vivens melior est leone mortuo; » quod sic ad litteram explicat : « Quia supra dixerat, cor filiorum hominum impleri malitia et procacitate, et post hæc omnia morte finiri, nunc eadem complet et repetit, donec vivunt homines, eos posse fieri justos, post mortem vero nullam boni operis dari occasionem. Peccator enim vivens potest melior esse justo mortuo, si voluerit in ejus transire virtutes : vel certe eo qui se in malitia, potentia, procacitate jactabat, et mortuus fuerit : melior potest quis pauper esse et vilissimus. Quare? quia viventes, metu mortis possunt bona opera perpetrare; mortui vero nihil valent ad id adjicere quod secum semel tulere de vita : et oblivione obvoluta sunt omnia, juxta illud quod in psalmo XXX scriptum est : Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde. »

Rursum Olympiodorus exponit, *q. d.* Justus, licet pauper, vilis et abjectus, præstat superbissimis regibus, qui, dum viverent, omni gloria præcelluerunt. Sic Lazarus mendicus, cujus ulcera lingebant canes, melior fuit divite Epulone, quia ille ab angelis in sinum Abrahæ deductus est, hic sepultus in inferno.

Tertio, alii exponunt, *q. d.* Justus vivens, licet minimus et abjectissimus, præstat justis magni nominis et famæ jam mortuis, quia in vita strenue operando eos meritis et fama superare potest. Huc accedit Hebræus interpres S. Hieronymi, qui ipso teste ex Rabbinis sic exponebat, *q. d.* Utilior est doctor, licet indoctus, si adhuc vivat et doceat, præceptore perfecto, si is mortuus sit, etiam Mose : licet hæc ejus expositio minus probetur ipsi S. Hieronymo.

Canis vivus est pœnitens fervens; leo mortuus est justus torpens.

Quarto, optime hæc parœmia adaptatur peccatoribus pœnitentibus, sed ferventibus et innocentibus, sive justis, sed remissis et tepidis; canis enim immundus est, sed acer et fervens : leo vero mortuus typus est remissi et languidi, ut sensus sit, *q. d.* Melior est peccator, sed fervens in pœnitentia, quam justus vel innocens, remissus in sua justitia, et præfidens torpensque in sua innocentia, juxta illud S. Gregorii : « Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia, » uti patet in Paulo, Matthæo, Magdalena et similibus, qui multos innocentes sanctitate longe superarunt; atque universim gentiles conversi ad Christum, Judæos fide et virtute altissime transcenderunt : unde S. Hieronymus sic explicat, *q. d.* Melior est gentilis vivens Christo, quam Judæus mortuus Deo. Jam enim Judæorum, quorum insigne et stemma erat leo, *Genes.* cap. XLIX, 9, religio, fides, lex per Christum mortua et mortificata sunt. Accedit Drogo Cardinalis Ostiensis, serm. 1 *De Sacram. Domin. Pass.*, paulo ante medium, tom. XII *Biblioth. SS. Patrum* : « Melior est canis vivus leone mortuo, hoc est, inquit, melior est canis, id est pœnitens humilis, vivens Deo, mortuus mundo, quam leo, id est, superbus reprobus, mortuus Deo, vivens sæculo. »

Symbolice S. Eucherius, *De Spirital. form.* cap. V : Leo mortuus, ait, est cacodæmon, cui nulla est spes vitæ et salutis; canis vivus est peccator, sed qui converti et sanctificari potest, ideoque spem felicitatis habet. Accedit Lyranus : Canis vivus, ait, est exosus, dicax et mordax, qui dum vivit, monitis metuque mortis corrigi potest. Leo mortuus est superbus et tyrannus defunctus, cui nulla superest spes correctionis et salutis. Petrus Blesensis, *serm.* 30, applicat conversioni S. Augustini, qui cum de philosopho et oratore, ac doctore erroris, evasit doctor veritatis, ac custos Dominici gregis, factus est de leone mortuo canis vivus. Canis enim est vigil, latrans, sagax, fidelis, lingua medicus : talis quoque fuit S. Augustinus. Addit S. Augustinum jam conversum non desiisse esse leonem, licet mortuum, hoc est mortificatum a Samsone, puta a Christo : unde in ejus ore mellis repertum fuisse favum regularis et religiosæ doctrinæ, *Judic.* XIV, 8. Denique S. Augustinus in Quæstionibus ex utroque testamento, *Quæst.* XXXIX, explicat, *q. d.* Melior est gentilis quam apostata a fide. Audi eum : « Melior est canis vivus leone mortuo, quia sicut leo omnibus feris fortior est, ita christianitas omnibus sectis. Si quis ergo ab hac destiterit, amittit salutem, ita ut deterior gentili sit. Potest enim fieri ut credat gentilis et acquirat salutem, quam perdidit apostata; quia deterius est amisisse salutem, quam non habuisse : canem autem gentilem significatum ostendit Salvator dicens : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus, » *Matth.* XV. Porro melior est gallina mortua cane vivo, quia illa in vita despecta, post mortem honoratur : nam infertur mensis regum et principum; hic vero vivus charus est hero, at mortuus in sterquilinium abjicitur. Ita justi in hac vita despecti post mortem honorantur, nam inferuntur aulæ mensæque Dei in paradiso; impii vero in vita honorati, post mortem ab omnibus despiciuntur, et in barathrum tartari præcipitantur. Vicissim leo mortuus melior est cane vivo, puta Christus, qui est leo de tribu Juda, occisus fortior est Cerbero, sive cane infernali, puta diabolo, quia eum catenis alligavit, ac morte sua mortem occidit, infernum clausit, cœlum reseravit, juxta illud *Osee* XIII, 14 : « Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne. » A poetis enim canis in inferno ponitur trium capitum, immanis magnitudinis, ideoque vocatur triceps Cerberus quasi κρεοβόρος, id est *carnem vorans*, quem describit Virgilius, VI *Æneid.* Hinc et sancti defuncti, qui sunt quasi leones et ursi mortui, meliores, feliciores et potentiores sunt canibus vivis, id est hominibus dicacibus et profanis : qua de

Symbolice, leo mortuus est dæmon.

Christus leo præstat Cerbero.

S. Ursi exemplum. re audi exemplum memorabile. S. Ursus Episcopus Fanensis (quæ civitas est insignis in Pentapoli Umbriæ) religiose colitur in ea urbe et diœcesi die 15 maii, quo cum omnes vacent ab operibus, solus bubulcus in agro Fanensi deprehensus fuit arans fundum : unde admonitus cur festum violaret S. Ursi civitatis patroni, cum irrisione respondit impudenter : « Si ipse est ursus, ego sum canis ; » non distulit ira Dei condignum blasphemo inferre supplicium, nam illico ipse velut alter Core, Dathan et Abiron, solo dehiscente, cum aratro et bobus terræ hiatu absorptus est eo loci, ubi nunc dicitur Villa Rosciani, ubi adhuc inexplebilis voraginis monstrantur vestigia. Atque exstat in publicis tabulis hujus miraculi fides, quod et traditione continua a patribus acceptum, usque hodie communi omnium Fanensium ore celebratur. Denique tanta est vis humilitatis, ut humilem qui se æstimat canem non vivum, sed mortuum, præstantiorem faciat leone non mortuo, sed vivo, puta superbo. Hoc opus Dei est admirandum, ita scilicet ut verus humilis, qui se canem mortuum et prorsus inutilem putat, hac existimatione, non in pusillanimitatem cadat, sed magna et mirabilia opera faciat : superbus vero qui se fortitudine jactat, animi pusillanimitate pressus nihil eximium moliatur; et si aggressus fuerit, id nequaquàm perficiat.

Vers. 5. 5. VIVENTES ENIM SCIUNT SE ESSE MORITUROS, MORTUI VERO NIHIL NOVERUNT (Arabicus, *non reperiuntur*) AMPLIUS, NEC HABENT ULTRA MERCEDEM : QUIA OBLIVIONI TRADITA EST MEMORIA EORUM. — Tigurina, *quia memoria eorum deleta est.* Hæc gnome apte nectitur præcedenti, probat enim canem vivum præstare leone mortuo, ac vitam præstare morte, ex eo quod mors homini cum vita adimat omnem cognitionem, omnem gustum et sensum, omnem mercedem et meritum, quibus pollet hæc vita. Est ergo hypotyposis, sive viva descriptio mortis, ejusque effectuum et damnorum, ad hoc inducta, ut homo vivens cogitet se brevi moriturum, ideoque in voluptates se non effundat, sed eas refrenet cogitatione mortis, usque ad mortem et judicium ac cœlestem gloriam, velut finem sibi præstitum honeste vivendo, et sanctis operibus vacando, se præparet. « Quia viventes, ait S. Hieronymus, metu mortis possunt bona opera perpetrare; mortui vero nihil valent ad id adjicere quod semel secum tulere de vita. » Porro Thaumaturgus, et ex eo S. Hieronymus ac Titelmannus, censent ab hoc versu usque ad 11, loqui Salomonem in persona non sua, sed epicureorum et atheorum, qui censent animam hominis cum corpore interire; ideoque dum vivunt in omnes voluptates et scelera se effundunt, dicentes : « Comedamus, et bibamus : cras enim moriemur, » *Isai.* XXII, 13. Verum quia nil tale hic Salomon significat, atque in vers. proxime præced. et sequent. in sua persona loquitur, quibus hic versus et sequens plano tenore respondet, dicendum videtur eum hic ex sua mente loqui, quod etiam mox probat S. Hieronymus; alioqui enim de aliis Scripturis, idem passim dicere liceret, et sic Scripturarum auctoritas passim valde redderetur incerta.

Mortui nil sciunt, quo sensu? Resp. primo. Sed quomodo ait : « Mortui vero nil noverunt amplius? » Cajetanus explicat in sensu formali, puta, mortui nil sciunt, quia cognitio est vita et vitalis actio. Verum hoc nimis subtile est et argutum. Dico ergo *primo*, id verum esse, quia mortui naturaliter sciunt, vel scire possunt ea quæ hic geruntur, v. g. de filiis suis, de domibus, opibus, officiis, etc., quæ hic reliquerunt, cui non repugnat etiam in limbo olim illos ea scire potuisse revelante Deo, vel angelis, vel hominibus, qui hinc ad eos decedunt.

Secundo. *Secundo*, mortui nil noverunt, id est nullum habent sensum, vel gustum voluptatum et rerum hujus vitæ non sentiunt, non experiuntur, non gustant illa quæ senserunt et gustarunt in hac vita; præsertim quia anima corpore soluta jam nec gustum, nec sensum habet, sed instar Angeli tota spiritalis est, nec nisi mente utitur ad intelligendum res spirituales alterius vitæ. Ita S. Bonaventura : « Nesciunt, ait, quæ sunt in hoc mundo, non recordantur vel curant, nec afficiuntur ad ea, neque quod paulo post scribitur, habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur. » Porro, anima separata a corpore magis apta est intelligere, quam dum esset conjuncta corpori, quia corpus hebetat mentis et intellectus operationes. Unde angeli, quia corpore carent, toti sunt intelligentes et perspicaces. His similis est anima separata, juxta illud Christi : « Erunt sicut angeli Dei in cælo, » *Matth.* XXII, 30. Anima enim ex se est substantia spiritualis et intellectualis; cujus operatio propria est *intelligere*, sed retunditur in corpore per sensus et corporeas sensationes, quibus soluta et expedita, libere totam se dat intellectioni. Unde S. Hieronymus, epist. 61 *ad Pammachum*, contra errores Joannis Hierosol. « Non possumus, inquit, incorporalem et æternam animam, in modum glirium immobilem torpentemque sentire. » Quin et Cyrus apud Xenophontem, et Cicero, lib. *De Senectute* : « Mihi, ait, nunquam persuaderi potuit, tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset. » Vide S. Thomam, I part. *Quæst.* LXXXIX, et Scholasticos in IV, dist. 45, ac nostros Conimbricenses, tract. *De Anima separata*, disput. 5, art. 1, ubi docent animam separatam per species, tum in vita acquisitas, tum potius in separatione a Deo infusas, posse distinctim cognoscere omnes res naturales, puta cuncta sensibilia : item seipsam, suosque actus internos ac potentias; ad hæc alias animas, quin et angelos, eorumque naturales proprietates et operationes, exceptis cordium cogitationibus utpote ex suo genere occultis. Hoc enim illius naturæ spirituali connaturale, et quasi debitum videtur. Porro

Anima separata scit omnes res naturales.

Anima damnata scit tantum sua tormenta.

animæ damnatæ in inferno non cognoscunt nisi sua tormenta, et illa quæ tormenta adaugent, uti Dei in se iram, dæmonum furorem, prætéritas voluptates et scelera, quibus has pœnas sibi accersiverunt. Unde Lyranus, Hugo et Dionysius sic explicant, *q. d.* Mortui, id est damnati, nil boni noverunt amplius. Animæ vero in purgatorio cognoscunt suum statum, certæque sunt de sua salute. Unde Deum jugiter amant et laudant: parentum vero vel amicorum in hac vita viventium eventus, pericula, actiones, orationes non cognoscunt, nisi angeli eas illis revelent, vel morientes eis nuntient. Quare ordinarie frustraneum est illas invocare, uti docet D. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXVIII, art. 11, ad 3, et magis diserte Franciscus Victor in *Relect.* Orant tamen pro nobis nostrisque necessitatibus, quas in genere, utpote eas dum viverent experti, cognoscunt. Unde Jeremias degens in limbo Patrum visus est Judæ Machabæo orare pro Judæis, quin et Judæ dedit aureum gladium, promittens ei victoriam contra Nicanorem, II *Machab.* XV, 12; ac anima S. Severini, æque ac Paschasii in purgatorio existens operabatur miracula, quæ recensent S. Gregorius, IV *Dial.* cap. XL, et B. Petrus Damianus, epist. 13, cap. VII. Animæ denique beatæ, quæ fruuntur Deo, in eo res nostras, ac præsertim orationes cognoscunt. Unde utile et sanctum est eas invocare, uti contra Lutherum docet fides Ecclesiæ. Vide Bellarminum, lib. I *De Sanct. beat.* cap. XVIII et XIX.

Animæ in purgatorio non sunt invocandæ, cur?

Animæ beatæ sciunt omnia in Deo.

Mystice Chaldæus sic vertit, *quoniam justi norunt quod, si peccaverint, futuri sunt ut reputentur ut mortui in sæculo venturo; propterea custodiunt vias suas, et non peccant: quod si peccant, convertuntur in pœnitentia; et peccatores nesciunt quidquam boni de sæculo venturo, et non est eis merces bona post mortem eorum: etenim oblivioni data est memoria eorum inter justos.* Huic affinis est explicatio Olympiodori qui tamen de hac vita, non de futura explicat: « Viventes, inquit, quorum intellectus humore vivido irrigatur, cum secum reputant temporarium esse hujus vitæ curriculum, officiose vivunt, confirmati spe vitæ æternæ; qui vero in peccato mortui sunt, ignorantiæ nebula occupati, vivunt sine ratione, pecorum more. » Ubi nota vitam hanc caducam et brevem non aliud esse quam cursum ad mortem, et per eam ad immortalitatem: quare qui id nescit, vel non cogitat aut curat, is non tam vivens, quam vita privatus censendus est. Unde *vivens* hic definitur, *qui scit se moriturum.* Cogitatio ergo mortis homini innata est, et quasi manans ab intrinseco animæ et vitæ, ut proinde jugiter eam homo præsentem habere, imo in sinu mentis gestare debeat, eaque se ad omnem virtutem, et heroica facinora incitare et perurgere. Hinc Plato philosophiam definivit esse meditationem mortis. Idipsum reipsa ostendit noster B. Franciscus Borgia, cujus vita non aliud fuit, quam continua mortificatio et commentatio mortis et inferni.

NEC HABENT ULTRA MERCEDEM. — Tigurina, *præmium*, Campensis, *pretium*, intellige hujus vitæ, *q. d.* Dum viverent, laborabant, laborisque sui mercedem percipiebant in lucris et voluptatibus hujus vitæ, at post mortem nihil eorum habent; habent tamen mercedem alterius vitæ, vel in cœlo, vel in inferno, quam sibi in hac vita bene vel male operando promeruerunt. Hunc esse sensum liquet ex conclusione, quam ex hac gnome infert vers. 7: « Vade ergo, et comede cum lætitia panem tuum, » etc., *q. d.* Utere, fruere laboris tui mercede in hac vita, nam post eam non licebit ea frui. Unde Campensis vertit, *neque sunt apud vivos ullo amplius in pretio.*

Rursum, *non habent ultra mercedem*, id est meritum, puta tempus merendi mercedem gloriæ cœlestis, *q. d.* Mortui non habent ultra tempus merendi, et comparandi sibi mercedem in cœlo. Unde Arabicus vertit, *non eis convertentia*, id est tempus pœnitendi et convertendi se. Est metonymia, ponitur enim effectus pro causa, puta merces pro merito. Meritum enim est mercedis meritum, ac vicissim merces est meriti merces. Hac gnome confutatur error Origenis, dicentis pœnas damnatorum, æque ac gaudia beatorum non fore æterna, ac proinde posse tam angelos demereri et damnari, quam damnatos mereri et beari; et error Lutheri, qui censuit animas in purgatorio, utpote imperfectas, per patientiam et impatientiam pœnarum mereri, vel demereri, quod valide confutat Bellarminus, lib. II *De Purgat.* cap. II. Igitur vitæ finis est merendi terminus. Vita enim est via et stadium, in quo viator decurrit, laborat et meretur; quo emenso, non restat amplius currendi merendique locus et tempus, uti variis similitudinibus docet S. Scriptura *Eccli.* XIV, 17, et XVIII, 22; *Joan.* IX, 4; *Luc.* XVI, 2; II *Cor.* V, 10; *Galat.* VI, 10.

Error Lutheri animas in purgatorio mereri.

In Hebræo pulchra est paronomasia: *Mortui non habent ultra* שכר *sachar*, id est *mercedem*, quia *non habent* זכר *zecher*, id est *memoriam*, *q. d.* Viventes non habent memoriam mortuorum, sed eorum obliviscuntur; unde nullam eis mercedem hujus vitæ persolvunt, habent enim eos velut vita functos et mortuos, et non existentes in hoc orbe. Hinc status et regio mortuorum in Scriptura vocatur דומה *duma*, id est *silentium*; item *terra oblivionis*, *Psalm.* LXXXVII, 13; idque reciproce, quia tam viventes mortuorum, quam mortui viventium obliviscuntur. Unde illud Sibyllæ, VI *Æneid.*:

Lethæi ad fluminis undam,
Securos latices et longa oblivia potant;

λήθη enim Græcis est oblivio; unde Lethæum, id est, *obliviosum flumen*, apud inferos statuunt poetæ, cujus latices cum quis gustarit, omnium

rerum præteritarum obliviscitur, de quo Lucanus, lib. IX :

> Quem juxta Lethes tacitus perlabitur amnis,
> Inferni (ut fama est) tradens oblivia venis.

Lethi etyma. Hinc et mors Latinis dicitur *lethum* a *leo*, inquit Priscianus, quo veteres usi sunt pro *deleo*, quia mors omnia delet; vel, ut Varro et Festus, a λήθης, id est oblivione quam inducit.

Vers. 6. 6. AMOR QUOQUE, ET ODIUM, ET INVIDIÆ SIMUL PERIERUNT, NEC HABENT PARTEM IN HOC SÆCULO; ET IN OPERE QUOD SUB SOLE GERITUR. — Pro *invidia* hebraice est קנאה *kina*, quod cum Septuaginta verti potest *zelus;* Arabico, *zelotypia;* Thaumaturgo, *æmulatio*. Sensus clarus est, *q. d.* Mortui sunt in terra oblivionis et oblivioni traditi, quia non moventur ultra amore, odio, invidia erga viventes, uti neque viventes erga mortuos; itaque utrique obliviscuntur alterorum, juxta illud : « Pascitur in vivis livor, post fata quiescit; » unde Campensis vertit, *nec amicos amplius habent nec inimicos, neque qui æmulentur, etc.* Porro hæc gnome docet monetque affectus et passiones, quorum radices et duces sunt amor et odium, viventi esse frænandos metu mortis, quæ omnes illos exstinguit; unde plene et pathetice sic exponit Titelmannus et ex eo Pineda : Sicut mors finem amori atque odiis imponit, id est, sicut defunctus jam nec ullo erga viventes amore tangitur; nec facere quidquam potest, unde ametur; præterea ut defunctus frustra odio habebitur a viventibus, utpote a quo nihil sibi timere debent, neque ipse ullo odio in viventes fertur; denique ut idem ipse defunctus nihil facit, quo viventes ad æmulationes provocare possit, neque ulla in illos invidia ducitur : ita sane mortis imminentis cogitatione facile quis aliena odia, amorem, invidiam contineat; facile etiam ab amando, invidendo revocabitur.

NEC HABENT PARTEM IN HOC SÆCULO. — Campensis, *nihil amplius eis commune est cum hoc mundo, quem reliquerunt cum omnibus quæ in eo sunt.* Hugo Cardinalis, Lyranus et Dionysius exponunt de mortuis per peccatum, *q. d.* Mortui in peccatis, puta damnati, non participant vivorum suffragia, quibus orant pro defunctis : hæc enim solum prosunt defunctis in statu gratiæ et existentibus in purgatorio, non damnatis in inferno. Verum hoc mysticum est. Ad litteram ergo sensus est, *q. d.* Quicumque vita functi et mortui sunt, nihil jam habent commune cum hac vita et mundo, ut rebus suis more viventium hic utantur comedendo, bibendo, amando, odiendo, eleemosynas faciendo, nobiscum familiariter, uti solebant, versando; sed huic mundo, omnibusque ejus officiis et negotiis defuncti, in alium orbem plane a nostro diversum translati sunt, ubi alios inveniunt socios, alios mores, alios affectus, aliam vitam. Hoc prorsus, non aliud vult S. Augustinus, lib. *De Cura pro mortuis*, cap. XV et XVI. Hunc esse sensum liquet ex vers. sequenti, ubi ex hoc infert : « Vade ergo, et comede in lætitia panem tuum, » etc. Quare inepte Novantes hunc locum torquent contra purgatorium et suffragia pro defunctis, ut probent pro iis non esse orandum, et orationes nostras iis non prodesse. Non enim contra eos, sed contra avaros hæc dicuntur, qui opes continuo coacervant usque ad mortem, quasi post mortem iis usuri; quibus aperte respondet Salomon mortuos nullam habere partem nec opes in hoc sæculo; quare avaros nullum habere opum suarum fructum sive in vita, sive in morte : quia in vita eis uti nolunt, in morte non possunt : atque hanc magnam esse vanitatem.

Vers. 7. 7. VADE ERGO, ET COMEDE IN LÆTITIA PANEM TUUM, ET BIBE CUM GAUDIO (Hebraice, *in corde bono*, id est jucundo et hilari, et Septuaginta, Syrus, Arabicus) VINUM TUUM : QUIA DEO PLACENT OPERA TUA. — « Tuum, » id est tuæ naturæ et sustentationi debitum; *secundo*, « tuum, » i. e. tuo labore, vel industria comparatum; *tertio*, « tuum, » i. e. tibi a Deo assignatum et attributum. Est conclusio, quam ex ante dictis infert, *q. d.* Noli avare congerere opes, iisque parcere, sed iis modeste, moderate, honeste et læte utere, dum vivis, quia post mortem iis uti non licebit. Idem superius iterum et iterum inculcavit. Panis et vinum quemlibet cibum et potum, sed moderatum et frugalem significant.

Allegorice Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech. 4 Mystagog.*, per panem et vinum accipit Eucharistiam, quam velut epulum divinum, imo Deum ipsum incarnatum summa lætitia, æque ac reverentia et devotione sumere debemus. Consequenter per oleum quod sequitur, accipit sacramentum Confirmationis, cujus materia est oleum balsamo mixtum. Per vestes candidas accipit baptismum : illas enim induebant baptizati. Sic et Olympiodorus, S. Hieronymus, Albinus et alii per panem et vinum accipiunt Eucharistiam.

Anagogice, Chaldæus : « Dixit, inquit, Salomon in spiritu prophetico : A conspectu Domini futurum est ut Dominus mundi dicat singulis justis in facie uniuscujusque : Vade, gusta in lætitia panem tuum qui repositus est tibi propter panem tuum, quem dedisti pauperi et humili qui erat esuriens; et bibe in corde jucundo vinum tuum, pro vino tuo, quod miscuisti pauperi et humili, qui fuerunt sitientes : ecce enim hæc jam beneplacita fuere ante Dominum. »

QUIA DEO PLACENT OPERA TUA. — Hebræa, *quia jam vult*, id est amat, probat, rata et grata habet *Deus opera tua* (1); Syrus, *quia Deus acquiescit in operibus tuis;* Arabicus, *in artibus tuis;* Thaumaturgus, *an non vides hæc omnia a Deo concessa?* Tigurina, *jam enim Deus propitius largitur tibi frui operibus tuis*. Aliqui censent esse ironiam, *q. d.*

(1) Quia Deus hæc bona tibi dat veluti mercedem, ut ea fruaris.

O voluptarie, o Epicuree, indulge tuis voluptatibus, quia tu tibi stulte persuades te in hoc ipso cæterisque operibus tuis placere Deo. Ita noster Prado in *Ezech.* cap. XXIII, 42. Melius alii censent simpliciter serioque hæc dici, *q. d.* Honeste et modeste utere tuis opibus ad tuos et proximorum egentium usus, quia hæc sunt temperantiæ et eleemosynæ opera, quæ placent Deo. Ita Chaldæus, cujus verba jam recitavi. Aut ut Isidorus Clarius, *q. d.* Vive hilaris, si piam habes fiduciam de operibus tuis, quod ea Deus approbet, eo quod conscientia non remordeat, nec ullius culpæ te arguat. Aut, ut sit concessio, *q. d.* Lætus vive, quia ut præsuppono et tibi concedo, placent Deo opera tua. Unde S. Ambrosius, *Exhort. ad Virgines:* « Vis, inquit, bonam lætitiam sequi? fac ut Deo placeant opera tua. » Hinc aliqui censent τὸ *quia* dare conditionem lætitiæ, *q. d.* Fruere tuis opibus, hac tamen lege et conditione, ut Deo placeas per bona opera, præsertim benedictionis mensæ ante cibum, et gratiarum actionis post eum, quo testeris te omnia a Deo accepisse, illique accepta referre, et in ejus honorem expendere, uti faciebant primi christiani, præsertim in Agape, id est convivio fidelibus omnibus communi post sacram Synaxim. Omnes hi sensus eodem redeunt, ac significant causam veræ lætitiæ esse studium placendi Deo, ubique et in omnibus actibus per puram sanctamque vitam. Celebre est illud S. Bernardi : « Vis nunquam esse tristis? bene vive. Bona vita semper gaudium habet, conscientia rei semper in pœna est; » et illud Salomonis : « Secura mens quasi juge convivium, » *Proverb.* cap. XV, 15. Et illud S. Pauli : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, » II *Corinth.* I, 12. Et illud Psaltis : « Lux orta est justo, et rectis corde lætitia, » *Psalm.* XCVI, 11. Nam, ut ait Apostolus, *Galat.* V, 22 : « Fructus spiritus est gaudium. » Unde S. Bonaventura in *Spec. disc.* part. I, cap. III : « Maximum, inquit, inhabitantis gratiæ signum est spiritualis lætitia. » Plura hac de re dixi cap. III, 12, et alibi sæpius.

Causa gaudii est placere Deo. Gnomæ.

Vers. 8. 8. OMNI TEMPORE SINT VESTIMENTA TUA CANDIDA, ET OLEUM DE CAPITE TUO NON DEFICIAT. — Pro *candida* hebraice est לבנים *lebanim*, id est alba; unde luna vocatur לבנה *lebana*, id est alba, serena, lucida; græce λευκὰ, id est alba, item nitida, limpida, splendida. Hinc aqua, ver, æstas, fluvius, sermo, versus vocantur λευκὰ, id est alba, hoc est serena, nitida, lucida. Albedo enim est color, qui multum habet lucis. Unde vestis alba Christi in passione a S. Luca, cap. IX, 29, vocatur λαμπρὰ, id est refulgens et splendida. Quod secutus Campensis vertit, *omni tempore sint splendidæ vestes tuæ, et sit caput tuum assidue delibutum unguento.*

Vestes candidæ tria notant.

Candore vestium et unctione olei tria notat et suadet, scilicet vestitus honestatem, epularum jucunditatem et mentis lætitiam. *Primo* ergo sensus est, *q. d.* Honesto, nitido et decoro, scilicet candido, splendidoque utere vestitu, ut tuam dignitatem tuearis, nec ob avaritiam sordido vilique amictu incedas, ut parcus, vilis et abjectus habearis. Hinc sancti viri honestam curam vestium habuere, ut essent mundæ. Unde S. Bernardo et nostro S. Ignatio paupertas in vestitu semper placuit, sordes nunquam.

Secundo, q. d. In balneis et conviviis jucunde epulare, et candidatus oleoque unctus, more gentis, mensæ accumbe, ibique fruere bonis, ac quam suavissime cum timore Dei vitam transige, nec futuro incertoque hæredi opes tuas asserva et coacerva. Vestes enim candidæ et oleum sunt symbola balneorum et conviviorum, quia olim convivæ, a balneis exeuntes, ad mensam veste alba amicti accumbebant, quam triclinariam vel cœnatoriam vocabant, quod cum ea cœnarent.

Tertio, q. d. « Esto omni tempore lætus, » ut vertit Vatablus : lætitia enim notatur candidis vestibus et oleo, id est unguentis odoratis (oleum enim est basis unguentorum) quibus prisci non tantum Græci et Latini, sed et Hebræi cæterique orientales frequenter uti solebant, præsertim in conviviis; idque tum sanctitatis, tum temperantiæ, ne vino inebriarentur; tum deliciarum, fragrantiæ et mollitiei causa. Nam, ut docet Plutarchus in *Convival.* odores grati, quia calidi, cerebrum frigidum et contractum suo calore et lenitate calefaciunt, resolvunt, roborant, sensusque exsiccant et purificant; quo fit ut facilius fortiusque vaporibus vini indeque ebrietati resistat, præsertim quia odores cerebri meatus laxant, ut per eos vini halitus difflentur et evaporent : quædam etiam unguenta frigida sunt, unde calorem vini hebetant. Denique omnia puros et pellucidos capitis spiritus fovent et nutriunt. Quocirca veteres dixere Palladem sapientiæ deam, cui dicata est olea, natam e cerebro Jovis : quo significarunt capiti, id est menti et sapientiæ multum conferre olei, id est unguentorum, unctionem; et unguentis non solum caput perungebant, sed et subinde ea vino mixta bibebant. Unde Martialis : « Luxuriose bibas, si foliata sitis. » Unde et Juvenalis, *satyr.* 6 : « Cum perfusa mero spument unguenta Falerno. » Hæc omnia pertinent ad præcedentia et sequentia fruitionis opum signa et modos. Salomon enim post recensitas rerum opumque vanitates, more suo hoc remedium et consilium subjicit : Fruere tuis opibus. Idem fecit cap. VIII, 51.

Unguentorum triplex usus.

Nota : Alludit ad vestem priscorum, *primo*, communem et vulgarem, quæ Romanis aliisque veteribus erat alba, sive quod color albus, ut vult Plato, lætitiæ sit proprius; sive potius quia rude illud sæculum, agrestis et simplex illa prima gens, incognitis vel spretis accersitis coloribus, nativum lanæ retinuit, id est album. Porro hanc vestem albam usu sordidam subinde, maxime in festis eluebant nitoris causa.

Vestis priscorum alba, cur?

Secundo, alludit ad vestem priscorum non com-

munem, sed festivam et honoratam, præsertim *cœnatoriam*, quam convivæ mensæ accumbentes induebant lineam et albam, tam apud Romanos quam apud Judæos, uti docet Philo, lib. *De Vita theoretica* (λευκειμονοῦντες, ait, id est, « albati festorum convivia agitabant »). Nam color albus, teste Plutarcho in *Probl.* cap. XXVI, maxime est naturalis, simplex, purus, perspicuus et lucidus, ut qui lucis plurimum habeat. Hinc veste alba, sed splendidiore, quam quæ communis et quotidiana erat, utebantur in conviviis, in sacris, in magistratuum petitione (unde eos ambientes incedebant, et vocabantur *candidati*), in manumissionibus, in militia, in festis, in spectaculis, in triumphis, in nuptiis. Vestis enim alba significat, *primo*, mores simplices; *secundo*, puros et ingenuos; *tertio*, lætitiam; *quarto*, libertatem; *quinto*, victoriam; *sexto*, felicitatem. Audi Prudentium *Contra Symmachum* :

Et cœnatoria.

Et festa.

> Exsultare patres videas, pulcherrima mundi
> Lumina, conciliumque senum gestire Catonum
> Candidiore toga, niveum pietatis amictum
> Sumere.

Et Horatium, lib. II *Serm.* satyr. 2 :

> Ille repotia, natales, aliosve dierum
> Festos albatus celebret.

Tertullianus, lib. *De Resurrectione carnis*, cap. LVII : « Si famulum tuum, inquit, libertate mutaveris, vestis albæ nitore, et aurei annuli honore, et patroni nomine ac tribu mensaque honoratur. » Cicero, lib. *De Legib.* : « Color albus, ait, præcipue Deo decorus est, cum in cæteris tum maxime in textili. » Hinc prisci albis induti orabant. Unde illud Persii :

> Negato
> Jupiter hoc illi, quamvis te albata rogaret.

Reges vestiebantur candida.

Rursum vestis regum et principum erat candida et pretiosa. Talis fuit Salomonis, de qua Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. II : « At Salomon, inquit, regio curru sublimis invectus, amictus veste candida; » unde ei inspersa fuisse lilia insinuat Christus, *Matth.* VI, 28 et 29; et docet Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. VI. Candidus enim fulgor repræsentat majestatem quamdam cœlestem, estque in Deo velut divinitatis ornamentum, *Daniel.* VII, 9. Lucanus, lib. X, Cleopatræ vestem ita pingit :

> Candida Sidonio perlucent pectora filo.

Et Martialis, lib. VIII, cap. XXVIII, vestem pretiosam et candidam sibi a Parthenia donatam cum liliis comparat :

> Lilia tu vincis, nec adhuc dilapsa ligustra,
> Et Tiburtino monte, quod albet ebur,
> Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ,
> Cedet Erythræis eruta gemma vadis.

Denique S. Jacobus, cap. II, 2, vestem divitis et nobilis describens : « Si introierit, inquit, in conventum vestrum vir, aureum annulum habens in veste candida. » Pluribus idipsum ex Platone, Tertulliano, Lactantio, Plauto, Persio, Cicerone et aliis probat Auctor *Convivalium*, lib. II, cap. XXVI, et Lipsius, lib. I *Elector.* cap. XIII, ubi docet Romanorum vestes olim fuisse albas. Hinc Sisinius Novatianorum Episcopus homo mollis et delicatus, cum bis in die lavaretur, et candida semper veste uteretur, atque ob id reprehensus esset a quodam, excusavit se hac sententia Ecclesiastæ, ac exemplo Mosis et Eliæ, quos albis vestibus usos dicebat, uti refert Socrates, lib. VI, cap. XXII. Verum perperam. Nam Ecclesiastes hic non suadet mollitiem, delicias et vitam epicuream, sed moderationem et honestatem decentem in amictu. Unde Hieronymus lib. II, *Epist.* 14 : » Vestes pullas, inquit, æque devita ut candidas. Ornatus et sordes pari modo fugienda, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. « Extrema ergo vitanda sunt, ut vestis nec nimis atra et sordida, nec nimis candida et splendida sit, sed medium inter utrumque teneat. Unde idem Hieronymus *ad Eustochium* : « Vestis, ait, nec satis munda, nec sordida, et nulla diversitate notabilis sit; » et Seneca : « Non splendeat toga, nec sordeat. » Hic est sensus litteralis, sub quo alius symbolicus et moralis, isque potior latet.

Vestis candida est virginitas.

Tropologice ergo sensus est, *q. d.* Corpus et membra, æque ac opera (utraque enim sunt quasi vestes animæ) sint alba, id est pura, sincera, nitida, ut per ea fiamus candidati purissimæ et felicissimæ immortalitatis, idque « omni tempore, » *q. d.* Nulla ætas, nulla dies, nulla hora, nullum momentum, officium nullum, actus nullus, nullum otium et negotium, toto vitæ tempore sint vacua sinceritate et innocentia, sed utraque semper et ubique in te tuisque actibus et gestibus resplendeat. Ita S. Gregorius, IX *Moral.* cap. XIX; et S. Hieronymus : « Habeto, ait, corpus mundum, et esto misericors. » Idem, lib. I *Contra Jovinianum* : « Candor vestium sempiternus, ait, virginitatis est puritas; » sic et S. Ambrosius, *Exhort. ad Virgin.* : « In omni, inquit, tempore sint vestimenta tua candida. Quid candidius virginitate? quid nitidius intacti vestimento pudoris? Bona quidem castitas conjugalis et castitas viduitatis. Munda omnis castitas, sed forte non omnis candida, aut non candida in omni tempore. Non candida, quando non habet quis sui corporis potestatem, quando ad tempus sequestratur oratio. De virginitate ergo pulchre dicitur : In omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum in capite tuo, ut faces tuæ semper possint lucere, nec exstinguantur, cum cœperit sponsus ille cœlestis venire. Quam autem unctionem in capite tuo Ecclesiastes dixerit, de aliis locis colligimus. Quia oculi hominis in capite ejus, id est sapientiæ tuæ sensus. » Porro Philo Carpathius *in Cantica*, tom. I *Biblioth. SS. Patrum*, pag. 671,

Et præsentia.

A : « Sint omni tempore vestimenta tua candida: dum fidelis anima, inquit, a peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie minora peccata cum lacrymis lavat, et a majoribus sibi cavet, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam perpetuo servat. » Hoc semper verum, sed maxime eo tempore quo sumenda est Eucharistia : tunc enim mens omni candore et puritate vestienda est, eamque exteriore vestium nitore repræsentare decet. Unde olim christiani communicaturi lavabant manus, ut lotis purisque manibus excipierent Eucharistiam ; illa enim olim non in os, ut modo, sed in manum communicantium dabatur, quam ipsi deinde ori admoventes, Eucharistiam sumebant; feminæ vero candido linteo manum obvelabant, eaque Eucharistiam excipiebant. Audi S. Augustinum, serm. 252 *De Tempore* : « Omnes viri, inquit, quando communicare desiderant, lavant manus, et omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant. Non est grave quod dico, fratres ; viri lavant aqua manus suas, sic eleemosynis lavant conscientias suas. » Similiter et mulieres, quando « nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant, sic corpus castum et cor mundum exhibeant, ut cum bona conscientia Christi Sacramenta suscipiant. Rogo vos, fratres, numquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et si in arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in anima quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur? » Candor ergo munditiem, oleum misericordiam notat, æque ac lætitiam spiritualem. Hæc enim se invicem comitantur ; candor enim vestium, id est splendor gratiæ, fovetur oleo misericordiæ. Ita Olympiodorus, Salonius, Albinus hic. Unde Chaldæus vertit, *in omni tempore sint vestes tuæ lotæ ab omni contagione peccati, et nomen bonum, quod assimilatur unguento, tibi acquire, ut contingant benedictiones et benedictiones* (id est multæ benedictiones) *super caput tuum, et bonitas tua non deficiat.* Hinc Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.*, velut pædagogus instruens Ægypti Ecclesias, suadet ut fideles candidis vestibus utantur, cujus quidem institutione christianos in Ægypto candidis usos fuisse vestibus existimamus, ait Baronius, anno Christi 256. Hinc illud accidit, cum S. Antonius martyrii cupidus ad tribunal prodiret, alba induit vestimenta, ut ex eis cognosceretur esse christianus. « Candente præcinctus veste procedentem judicem suo provocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrii, » ait S. Athanasius in ejus Vita. Hinc et « essæi, » qui sub S. Marco mira sanctitate floruere Alexandriæ, « veste alba semper induuntur, » ait S. Eusebius, lib. IX *Præp.* cap. I. Cæteris tamen in locis christiani usi sunt veste atra ad modestiæ, gravitatis et pœnitentiæ significationem. Rursum S. Gregorius, II *Moral.* XXVII : « Oleum, ait, in capite, est charitas in mente, et oleum deficit a capite, cum charitas discedit a mente. »

Olim in manus dabatur Eucharistia.

Christiani in Ægypto olim candidis vestiebantur.

Allegorice, Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech. 4 Mystagog.*, per vestes candidas censet notari Baptismum; per oleum, Confirmationem, *q. d.* Puritatem purasque vestes, quas in Baptismo accepisti, illibatus per omnem vitam conserva, æque ac robur gratiæ in confirmatione tibi infusum, ut omnibus contra fidem legemque Dei tentationibus viriliter resistas. Hinc olim adulti, qui Baptismum expetebant, cum quadragesimæ initio nomina sua Ecclesiæ dedissent, et toto illo quadraginta dierum spatio atris vestibus, promisso capillo, in sordibus et squalore jacuissent, paulo ante Pascha lavabantur (quod S. Augustinus, epist. 118 *ad Januarium*, baptismum ante Baptismum vocat); tandemque loti, candidisque induti vestibus ad Baptismum accedebant. Idem infantium quoque baptizandorum habitus fuit, de quibus eleganter Pontius Paulinus :

Vestis candida est Baptismus, oleum Confirmatio.

> Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
> Infantes niveos corpore, corde, habitu.

Hos tamen versus Pierius Fortunato tribuit. Et Lactantius, in carmine *De Resurrectione Dominica* :

> Rex sacer, ecce tui radiat pars magna trophæi,
> Cum puras animas sacra lavacra beant.
> Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
> Atque vetus vitium purgat in amne novo.
> Fulgentes animas vestis quoque candida signat.
> Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Hasce candidas vestes gestabant per totam octavam Paschæ, easque sequenti Dominica deponebant, quæ proinde *Dominica in albis* dicta est, ac tum vestium loco accipiebant agnum ex cera candida et virginea benedictum, quem ad collum appenderent, ut ejus intuitu monerentur agninam Christi innocentiam, quam in Baptismo acceperant, studiose servare et tueri. Cujus ceremoniæ certum indicium est, quod etiamnum Romanus Pontifex agnos cereos a se benedictos familiaribus et Prælatis distribuit ipsa Dominica in Albis, acolyto alta voce occinente : « Domine, Domine, Domine, isti sunt agni novelli, quia annuntiaverunt, Alleluia; modo venerunt ad fontes, et repleti sunt claritate, Alleluia. » Ita Josephus Vicecomes, lib. V *De Ritibus Baptismi*, LI; Guillielmus Durantus, lib. VI *Ration. divin. Offic.* cap. LXXIX; Vincentius Bonardus, tract. *De Agno Dei*. Hinc et agni cerei jam dicti confici solent ex cereo Paschali puræ ceræ admixto, et sacro chrismate delibuto, uti notat Cardinalis Baronius, ad annum Christi 58. De veste alba baptizatorum plura vide apud Josephum Vicecomitem in *Observ. Eccles.*, lib. V, cap. IV, V, VI, VII, VIII, XII, ubi ostendit Ægyptios vestem candidam in Baptismo acceptam gestasse tota deinceps vita, uti paulo ante dixi.

Origo agni benedicti.

Murita facinus.

Memorabile est quod narrat Victor Uticensis, lib. III *Wandal. persec.*, de Murita diacono, ipsum scilicet, cum coram judice Elpidophoro, qui a fide apostatarat, damnandus consisteret, albas vestes, quibus eum in Baptismo vestierat, palam ostentasse, omnesque ad lacrymas commovisse; exclamasse enim : « Hæc sunt linteamina, Elpidophore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum majestas venerit judicantis, custodiente diligentia mea, ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerunt de fonte surgentem; hæc te acrius persequentur, flammantem gehennam cum cœperis possidere, quia induisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri Baptismatis et fidei sacramentum, » etc.

Albis utuntur sacerdotes, cur?

Rursum, sacerdotes in albis celebrant. Hinc et Isidorus, epist. *ad Redemptum*, docens corporale, cui sacra hostia imponitur, debere esse ex puro lino, non ex serico : « Sed forsan objicies, inquit, pannum sericum pretiosiorem esse lineo, et idcirco magis divinis usibus aptum. Ad quod nos in utroque Testamento dicimus candorem vestium maxime approbari, eo quod in eo mentis sinceritas requiratur, quam constat inter cæteras virtutes Deo esse gratiosiorem, ad quam pervenire cupienti charitati vestræ, ut pateat clarius, sacræ Scripturæ testimoniis ostendamus. Dicit enim : Omni tempore sint vestimenta tua candida; et Domini sacerdotes ephod lineo excellentiæ causa erant superinduti. Evangelium etiam in transfiguratione Dominica, quod apparuerunt vestimenta Domini tanquam nix, evidenter testatur. Et in Apocalypsi, qui in conspectu Agni stabant, et qui sequuntur ipsum quocumque ierit, stolis albis perhibentur amicti, et quam plurima alia. Quis inter pannos mundus ut lineus, cui ex ablutione frequenti candor augetur, cum in sericis magis in eadem offuscari videatur? »

Alba vestis corpus est gloriæ cœlestis.

Anagogice, vestis alba, sive splendida, notat candorem et splendorem gloriæ cœlestis, ad quam anhelamus, quamque ambimus, velut ejus candidati, ut illa semper nostris oculis et menti obversetur, itaque ineamus vitam sanctam et cœlestem. Hinc Christi gloriosi vestis apparuit candida sicut nix, *Matth.* XVII, 2. Angeli quoque annuntiantes Christi non nativitatem, ut notat S. Gregorius, homil. 45 *in Evangel.*, sed resurrectionem, candidati apparuere Magdalenæ. Hinc et *Apocalyps.* cap. III, vers. 5, Christus promittit beatis vestes albas : « Qui vicerit, inquit, sic vestietur vestimentis albis; » et cap. VII, vers. 9 : « Amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum; » et cap. XIX, 8 : « Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido; byssinum enim, justificationes sunt sanctorum. » Vide quæ illis locis annotavi. Hinc essæi incedebant albati, ut quasi candidati æternitatis, certam fidem et spem beatæ felicitatis vestium candore repræsentarent. Quocirca S. Chrysostomus moriturus communes vestes deposuit usque ad calceos, et candidas indult tanquam martyr candidatus vitæ æternæ. Pridie enim eo invitarat et evocarat eum in visione S. Basiliscus martyr, dicens : « Joannes frater, crastinus dies nos loco conjunget. » Quocirca ipse lætus canensque : « Gloria sit Deo omnium causæ, » in ejus manus spiritum efflavit Dei visione beandum, anno ætatis suæ 52, Christi 407. Ita ex Palladio Baronius, tomo V, p. 255.

S. Chrysostomus moriens vestes albas induit.

Et martyres.

Hinc denique in Vita S. Montani martyris cum sociis, discipulis S. Cypriani, ab ipsismet spiritu martyrii conscripta, uti refert Surius ad diem 24 februarii, legimus ipsum omen martyrii per vestem candidam a Deo ostensam accepisse. Sic enim ipse de se suisque narrat : « Visum est mihi venisse ad nos centuriones. Cumque nos deducerent per viam longam, pervenimus in campum immensum, in quo occurrunt nobis Cyprianus et Leutius. Pervenimus autem in locum candidum, et facta sunt vestimenta nostra candida, et caro nostra commutata, candidior facta est vestimentis nostris candidis. Ita autem perlucida fuit caro nostra, ut oculorum visum ad intima cordis admitteret. Et respiciens in pectus meum, video quasdam sordes, et experrectus sum in visione. Et occurrit mihi Lucianus, et retuli illi visionem, et aio illi : Scis quoniam sordes illæ, illud est quod non statim concordavi cum Juliano? » Subdit deinde visum Flaviani, qui martyrii socius erat Montano : « Ostensum mihi est, inquit, quasi Cyprianum ipsum (qui paulo ante martyrio erat coronatus cum S. Cornelio Pontifice) interrogarem, an pati ictus doleret martyr futurus, qui de passionis tolerantia consulebat, dicens : Alia caro patitur (non caro ipsa martyris), cum animus in cœlo est, et nequaquam corpus hoc sentit, cum se Deo tota mente devovit. »

Vers. 9.

9. PERFRUERE VITA CUM UXORE, QUAM DILIGIS, CUNCTIS DIEBUS VITÆ INSTABILITATIS TUÆ, QUI (1) DATI SUNT TIBI SUB SOLE OMNI TEMPORE VANITATIS TUÆ : HÆC EST ENIM PARS IN VITA, ET IN LABORE TUO, QUO LABORAS SUB SOLE. — Hebraice est, *vide vitam*, id est sæpe gusta vitam, fruere vita, vitæque suavitate et commodis, honeste tamen et modeste cum conjuge et socia tua. Unde Olympiodorus : *Conjugalis castitas*, ait, *nobis est vitæ æternæ conciliatrix.*

Vers. 10.

CUNCTIS DIEBUS VITÆ INSTABILITATIS TUÆ. — Hebræa, *vanitatis tuæ*. Unde liquet vanitatem hujus vitæ esse vitæ instabilitatem, quod scilicet instabilis sit, brevis, varia et evanida, eo quod illico in morbo et morte evanescat. Unde Aquila vertit, *vapo-*

(1) Minus recte Rosenmullerus vertit *quam*, scil. uxorem, *dedit tibi* Deus. Sequitur, *nam hoc est pars tua in vita et in labore*, etc. id est, fructus tuæ vitæ et laboris, seu tui in vita laboris.

ris tui; Vatablus, *frivolæ vitæ tuæ*; Scholiastes, *juventutis tuæ : vanissima vanitate omnes dies tui pleni sunt.* Thaumaturgus censet hæc omnia dici ex mente non Salomonis, sed epicureorum. Unde causam addit : *Præter hæc enim nil tibi reliquum nec in hac vita nec post mortem.* Verum videtur omnino Salomon ex sensu suo loqui, uti dixi.

Mystice, uxor est sapientia et virtus; huic uni tota vita jucunde vacandum est, quia illa sola nos comitabitur post mortem, ac beabit, cœloque locabit. Ita S. Hieronymus : « Sapientiam, inquit, sequere et scientiam Scripturarum, et hanc tibi in conjugium copula, de qua in *Proverbiis*, cap. IV, dicitur : Ama illam, et servabit te, amplexare illam, et circumdabit te. » Et mox : « Non enim poteris sine tali uxore solus videre vitam, etc. Hæc enim pars nostra est, et fructus hic laboris, si in hac vita umbratili vitam veram (in cœlis) invenire valeamus, » per sapientiæ et virtutis doctrinam et ductum.

Vers 10. 10. QUODCUMQUE FACERE POTEST MANUS TUA, INSTANTER OPERARE : QUIA NEC OPUS, NEC RATIO, NEC SAPIENTIA, NEC SCIENTIA ERUNT APUD INFEROS, QUO TU PROPERAS. — « Manus, » id est facultas et potentia operativa : hæc enim, licet quoad inventionem, conceptionem et dispositionem sit in capite et cerebro, tamen quoad exsecutionem et operationem est in manu, *q. d.* Quidquid potes operari, instanter operare. Thaumaturgus, quem sequuntur Cajetanus et Arias, censet hæc quoque dici ex mente epicureorum; unde vertit : « Fruere ergo præsentibus; neque ab inferno tibi metuendum, in quem omnes proficisci dicimur : expers enim est sapientiæ sensusque. Hæc quidem nugantur vani. » Verum melius S. Hieronymus, Albinus, Lyranus, Bonaventura, Hugo et alii passim censent hæc dici ex mente sapientiæ et sapientis. Sapientissimum enim hic suggerit dogma et consilium, ut, cum vita nostra sit vana et brevis, ac mors nobis instet, quidquid possumus boni operemur, dum vita suppetit, quia, ea exacta, post mortem apud inferos (ad quos illo ævo omnes descendebant, utpote cœlo necdum per Christi passionem et ascensionem reserato) nil boni, quo cœli gloriam et gloriæ augmentum mereamur, operari licebit, juxta illud Christi : « Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari; » et illud Pauli : « Dum tempus habemus, operemur bonum, *Galat.* VI, 10; et : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, » II *Corinth.* VI, 2. Huc pertinet proverbium Arabum, *Cant.* II, num. 13 : « Opes et mundus transibunt, et durabunt opera bona; et num. 41 : Operare bona, quotiescumque potes, domesticis tuis et extraneis; et bona verba loquere tam bonis quam malis; » et num. 42 : « Mundus transibit tanquam scriptura delebilis, sapientia stabilis est ut sculptura; » et num. 44 : « Provide animæ tuæ bona in operibus bonis. » Quæ sententiæ depromptæ videntur ex hac Salomonis, et ex illa *Eccli.* XIV, 17 : « Ante obitum tuum operare justitiam : quoniam non est apud inferos invenire cibum; » ubi plura hac de re dixi. Addit hoc Salomon, ne quis ex dictis putet hæc suaderi ut quis agat vitam jucundam duntaxat, et voluptatem instar Epicuri. Addit ergo jucundæ vitæ jungendum esse studium bonorum operum, felicitatem enim hujus vitæ superius definivit in eo consistere.

Pro *facere* Hebraice est, *invenire ad faciendum*, non casu et fortuito, ut videtur velle Thaumaturgus, sed studio et destinato consilio. *Invenire* ergo idem est quod quærere, excogitare et excogitando invenire; est catachresis. Chaldæus restringit ad eleemosynam, *q. d.* Injecta in crumenam manu, quidquid in ea inveneris adducito, et dato pauperibus; unde sic vertit, *omnem eleemosynam, quam potest manus tua distribuere pauperi, fac, quoniam post mortem non est viro opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia in domo sepulturæ ad quam tu vadis; et non adjuvabunt nisi sola opera bona et eleemosyna.* Verum generalis hæc sententia ad omnia opera bona pertinet, *q. d.* Quidquid boni, quidquid virtutis potes excogitare, illud facito, quia brevi finietur vita tua, post quam nil excogitare, nil facere, nil mereri poteris. Unde Nazianzenus ait vitam nostram esse mercatum, in quo omnis generis merces venum prostant, ut cuique quantum volet, emere liceat; finito vero hoc vitæ mercatu, merces alio avehi, ut nec hilum ultra quis emere possit. Quidquid ergo operis, charitatis, patientiæ, humilitatis, orationis, mortificationis et cujuslibet virtutis adinvenire potes, protinus facito, quia brevi nil ultra facere valebis. Quam vellent beati in cœlo habere adhuc spatium merendi! quam vellent damnati habere vel horam pœnitendi et bene operandi! et si haberent, quid non agerent? sed clausa est eis janua vitæ et meriti. Qui vivis et sapis, omnem bene agendi occasionem ambabus manibus amplectere, imo novas et novas assidue quære et excogita. Potes enim hic lucra non decem millia, sed multorum millionum quotidie, imo singulis horis et momentis tibi in cœlo comparare, si heroicis virtutum actibus insistas. Unde Symmachus vertit, *omnia ad quæ manus tua pervenit*, id est ad quæ pervenire seseque extendere potest, *facito*.

Instanter operari potest.

INSTANTER OPERARE. — Hebraice בכחך *becochacha*, id est *in virtute tua*, id est totis viribus, tota potentia, toto conatu operare. Hæc ergo vox notat et exigit, *primo*, voluntatis omniumque potentiarum et virium studium, conatum et contentionem in operatione virtutum multarum et magnarum; *secundo*, assiduitatem et perseverantiam; *tertio*, fervorem; *quarto*, sollicitudinem et celeritatem, ait Bonaventura et Hugo, ut a mane ad vesperam, ab infantia ad senectam studeas bonis operibus, in iisque sedulus sis et sollicitus, ut heroica opereris, easque de virtute in virtutem;

donec videas Deum deorum in Sion. Hinc Syrus vertit, *omne quod potest manus tua facere, in fortitudine tua facias*; Arabicus, *fac secundum vim tuam*; Complutenses, *secundum potentiam tuam*; Olympiodorus, *quantum patitur facultas tua*; Tigurina, *quantumcumque potes, agito pro virili tua portione*; Campensis, *fac fortiter*. Ita S. Cassius Narniensis Episcopus, teste S. Gregorio, IV *Dial.* cap. XVI, et hom. 37 *in Evang.*, paulo ante mortem a Deo audivit : « Age quod agis, operare quod operaris, non cesset manus tua, non cesset pes tuus, natali Apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam. »

QUIA NEC OPUS (id est, operandi et merendi locus et tempus) NEC RATIO.— Hebræa, *nec cogitatio, q. d.* Non erit tempus cogitandi, et quærendi modum ac rationem operandi. Unde Campensis vertit, *nihil consilii*; alii, *nulla computatio, nec sapientia* divina vestigandi, Deumque novis artibus actibusque cognoscendi, amandi, colendi et promerendi. « Nec scientia, » artes et virtutes exercendi. Unde Campensis vertit, *nec prudentia erunt apud inferos*. Hæc est ratio a priori, cur in vita sit instanter operandum, quia post eam nemo poterit operari, non deliberare, non dignoscere, non diligere, inquit Bonaventura; non operari, non allegare, non rationem nosse laborandi et contemplandi, inquit Hugo Cardinalis; non exterius operari, non mente meditari, non res humanas scire, non divinas, inquit Lyranus. Unde S. Gregorius, hom. 13 *in Evang.* : « Quia, inquit, et venturæ mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim mors ipsa cum venerit vincetur, si priusquam venerit semper timeatur. » Similis gnome acris R. Tarpon in *Pirke Avoth*, cap. II : *Dies brevis est, et opus prolixum; operarii tardi et pigri, merces ampla; pater familias autem compellens ad finem operis instat et urget.*

Exemplum memorabile est apud Thomam Cantipratensem, lib. I *Apum*, cap. XIX, num. 6, quod recensent quoque Genebrardus ac Albertus Magnus, lib. *De Sacramentis* : Philippus, inquiunt, Cancellarius Parisiensis, post mortem apparuit velut umbra tetra Guilielmo Parisiensi Episcopo, dixitque se damnatum ob luxuriam et pluralitatem beneficiorum, quodque eorum fructus superfluos in pauperes non erogasset, atque ab Episcopo quæsivit : « Estne, inquit, finitus mundus? » Et Episcopus : « Miror, ait, te litteratissimum quondam virum hoc quærere, cum me adhuc vivum cernas, et omnes nos viventes adhuc mori necesse sit, antequam mundus instante judicio finiatur. » Et ille : « Non mireris, inquit, quia nec scientia, nec opus, nec ratio est apud inferos venienti. » Et hæc dicens umbra ab oculis mirantis evanuit.

QUO TU PROPERAS — Addit Chaldæus, *et non adjuvabunt te nisi opera bona et justitia tantummodo.* Hinc Job cap. VI, 25, vitam nostram comparat cursori, navibus et aquilis, quæ sunt velocissimæ et fugacissimæ : « Dies mei, inquit, velociores fuerunt cursore : fugerunt, et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes (hæ enim celerrime pertranseunt, ne poma putrescant), sicut aquila volans ad escam. » Eamdem Sapiens, cap. V, 11, comparat avi volanti, nuntio percurrenti, sagittæ emissæ. « Unde et sancti viri, ait S. Gregorius, lib VII *Moral.* cap. XIV, quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt; et tanto se solidius mansuris præparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait : Adhuc pusillum, et non erit peccator, *Psal.* XXXVI, 10. Hinc iterum dicit : Homo, sicut fœnum dies ejus, *Ps.* CII, 15. Hinc Isaias ait XL, 6 : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus sicut flos agri. Hinc mentes præsumentium Jacobus IV, 15 sic corripit : Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens, » Ex dictis liquet hæreticos inepte hunc locum torquere contra purgatorium. Tantum enim negat hic Salomon propria merita, non aliena suffragia, aitque nulli apud inferos esse locum tempusque operandi et merendi, non autem negat animas in purgatorio expiandas, aliorum viventium precibus bonisque operibus sublevari, quia ipsæ, dum viverent, suis virtutibus id meruerunt ut post mortem possent vivorum suffragiis adjuvari, ait S. Gregorius, IV *Dialog.* XXXIX. Adde animas quæ in inferno proprie dicto, id est in gehenna sunt, nullis vivorum operibus posse liberari. Ita S. Hieronymus.

Cur multi non lucrentur indulgentias?

Porro nonnulli sibi blandiuntur de indulgentiis plenariis, quas in hora mortis per medallia benedicta aliave ratione consequuntur, ideoque liberius vivunt, et multa venialia committunt spe hujus indulgentiæ, quasi per eam sine purgatorio recta ad cœlum ituri; sed hi falluntur seseque decipiunt, tum quia abutuntur indulgentiis ad liberius peccandum, ideoque merentur ut Deus Indulgentiis eos privet; tum quia ex historiis et apparitionibus constat paucissimos post mortem evadere purgatorium. Ratio est, quod indulgentiæ non tollant culpam, sed pœnam duntaxat culpæ jam remissæ debitam. Jam in multis morientibus hærent culpæ veniales, in iisque multi moriuntur, sive quia moriendo, dum a dæmone vel concupiscentia tentantur facile in impatientias culpasque veniales, in quas sani crebro incidere solebant, consentiunt, et sic in affectu actuque peccati venialis moriuntur : hos autem certum est nulla indulgentia purgari; sive quia sani multa venialia perpetrarunt, in quorum reatu et culpis hærent et moriuntur; nam veniales culpæ subinde difficilius remittuntur, quam mortales, quia utræque non nisi per seriam detestationem, sive contritionem, et efficax deinceps ab iis abstinendi propositum delentur : facilius autem est

serio conteri de mortalibus ob claram eorum turpitudinem, et proponere efficaciter deinceps ab iis abstinere, ob metum gehennæ, quam a venialibus, præsertim tam multis et frequentibus, tamque obviis et consuetis, in quibus non est metus gehennæ, nec apparet tanta turpitudo. In his enim sæpe deesse seriam contritionem et propositum abstinendi liquet, ex eo quod multi post eorum confessionem statim et perpetim in illa relabantur: contritio ergo seria et efficax, quæ se communiter extendere solet ad peccata mortalia et venialia graviora, ea delet; sed quia eadem se non extendit ad peccata venialia leviora et quotidiana, quæ multa sunt, idcirco ea non abolet; manet ergo horum culpa, ideoque et reatus pœnæ luendæ in purgatorio, ubi animæ, culpas veniales in ipsis reliquas, seriam contritionem eliciendo, abstergunt, ac deinde pœnam earumdem purgatorii igne exsolvunt. Ad has igitur abolendas nulla sufficit indulgentia. Cum metu ergo et tremore salutem nostram operemur, ut monet Apostolus; studiose singula venialia vitemus, ac si in aliqua incidamus, seriam illico de eis contritionem eliciamus, qua culpam deleamus, atque tunc reatum pœnæ remanentem tollet indulgentia.

vers. 11. 11. VERTI ME AD ALIUD, ET VIDI SUB SOLE, NEC VELOCIUM ESSE CURSUM, NEC FORTIUM BELLUM, NEC SAPIENTIUM PANEM, NEC DOCTORUM DIVITIAS, NEC ARTIFICUM GRATIAM; SED TEMPUS CASUMQUE IN OMNIBUS. — Breviter sensus est, *q. d.* Veloces non semper habent in potestate velocem cursum, nec fortes fortitudinem, qua hostem superent in prælio, nec sapientes facultatem comparandi sibi victum, nec doctores comparandi sibi opes, nec artifices gratiam; sed in omnibus hisce valet et prævalet sæpe tempus et casus, qui hæc crebro retardat et impedit, aut incitat et promovet; ac maxime Deus, qui est dominus temporis et casus. Notat hic vanitatem velocitatis, roboris, sapientiæ, prudentiæ, artis; ac velocium, fortium, sapientium, prudentium, artificum, quod eis sæpe dominetur tempus et casus. Jam

Primo, Moringus et David de Pomis censent hæc adhuc esse verba tum atheorum et epicureorum, divinæ providentiæ oblatrantium, eamque negantium; tum ignavorum laborem fugientium, *q. d.* Ut quid laborabo, Deumque colam, cum videam labori sæpe fructum non respondere? Crebro enim qui in agone velociter decurrit, casu aliquo antevertitur a tardiore, qui ei bravium præripit: fortiter pugnantes, imbelles subinde in bello superant: doctis honores, officia et opes auferunt indocti: artificibus eximiis operis gratiam adimunt rudes, loquaces et captatores auræ popularis. Casu ergo omnia aguntur, non certa numinis providentia. Hæc athei.

Secundo, e contrario Thaumaturgus censet hic corrigi epicureorum voluptatibus inhiantium sensa et dicta, *q. d.* Errant hi qui per voluptates decurrunt ad scopum felicitatis, in iisque omne robur, omne ingenium, omnem sapientiam, omnem artem expendunt, ut novas et majores semper adinveniant, quia per omnia hæc felicitatem et satiem, quam quærunt, non adipiscuntur.

Tertio, planius Olympiodorus, Bonaventura, Lyranus, Cajetanus, Titelmannus censent hic Salomonem de more ad aliam vanitatis speciem transire, nimirum quod eventus rerum sæpe non pendeant a robore, sapientia, arte operantium, sed ab occasione, casu et fortuna, quæ in cursu et bravio sæpe præponit lentos velocibus; in bello et victoria, imbelles bellicosis; in opibus et honoribus, indoctos doctis; in gratia et victoria, inertes artificibus. Hisce quatuor complectitur omnes hominum in republica status, ut ostendat omnibus sæpe dominari casum: per veloces enim, notat mercatores, qui ad negotia discurrunt, obeuntque terras et maria mercium lucrique causa; per fortes, notat milites, qui rempublicam propugnant; per sapientes, doctores, jurisperitos, causidicos, medicos, consiliarios, qui moderantur rempublicam; per artifices, opifices, qui artes omnes, ut lanificium, pistoriam, sutoriam, sartoriam, fabrilem, etc., exercent ad omnes civium usus. In his omnibus ergo ostendit plus sæpe valere casum, quam consilium, artem et industriam; hoc fine, *primo*, ut ostendat omnibus in rebus inesse vanitatem. *Secundo*, ut doceat homines non mirari, si in hac vanitate labori et industriæ sæpe non respondeat fructus, nec præmia meritis, imo opes et dignitates dignis debitæ dentur immeritis et indignis, idque arcanis et inaccessis Dei judiciis, ait Olympiodorus: quare cuique exspectandam esse mercedem justam in altera vita, ut ab hac vanitate ad veritatem, veramque vitam et felicitatem in cœlis anhelet. Ita S. Hieronymus. *Tertio*, ut moneat industrios et sapientes non confidere suæ industriæ, robori, sapientiæ, arti, sed Deo, Deique providentia niti, Dei enim est cuique operi felices dare successus et exitus; Dei est regere casum et fortunam. Deus enim omnes causas secundas, etiam contingentes et liberas, ita ordinat, combinat, disponit, dirigit, ut licet fortuito, quantum est ex parte sua, concurrant et operentur id quod reipsa evenit, tamen quantum est ex parte Dei, certo consilio et sapienti providentia diriguntur, eo quod omnia a Deo prævisa, provisa, præordinata et disposita sint, ut hoc quod fit, non aliud eveniat: quare reipsa fortuna fortunans, hoc est res omnes dirigens, ordinans, prosperans, non alia est quam Deus, Deique providentia. Casus ergo et fortuna, quæ non semper quidem, sed sæpe tamen rebus et operibus hominum intervenit, manifeste ostendit Dei providentiam, a qua dirigitur sicut navis in mari fluctuans a nauclero, sine quo mergeretur millies. Sic enim pariter mundus hic, ex tot casibus contrariis et pugnantibus inter se conflatus, everteretur et rueret, nisi a Deo regeretur, qui omnia illa in ordi-

Casus ostendit Dei providentiam.

nem redigit, et discordia concordat, ac fortuita coordinat; itaque ex omnibus harmoniam pulchram, et quasi concentum quemdam musicum efficit. Ita docet D. Thomas, I part., *Quæst.* LXXV, art. 6, ad 1. Huc facit vetus dictum : « Rotæ admota manu fortunam esse implorandam; » quo significatur frustra Numinis opem peti, nisi addas industriam et manum operi admoveas. Ita Plutarchus in *Lacon.*

NEC VELOCIUM ESSE CURSUM. — Hebræa, *non est levium cursus* (1); Campensis, *raro veloces adhibentur ad currendum*; Tigurina, *celeritas currendi nil affert commodi ad salutem*; Symmachus, *non est velocium perficere cursum*, sive in stadio, sive in prælio, sive in itinere, sive quo alio loco et modo. Thaumaturgus, *neque qui pedibus pernicissimi sunt, cursum hunc magnum perficiunt*, ut pertingant ad vitam felicem. Chaldæus, *nec viri qui veloces fuerint, ut aquilæ, adjuti sunt currendo, ut eriperentur a morte in prælio*, juxta illud *Amos*, cap. II, 14 : « Peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam : et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam : et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus. » Et illud *Isaiæ*, cap. XXX, 16 : « Dixistis : Ad equos fugiemus : ideo fugietis. Et super veloces ascendemus : ideo velociores erunt, qui persequentur vos. » Tradunt astrologi, ac inter eos Julius Firmicus, lib. VIII *Matheseos*, cap. XV, eos qui sub sidere Delphini nascuntur, esse veloces : « Erit, inquit Firmicus, innata cursus agilitate perspicuus. » Rursum Plinius, lib. XI, cap. XXXVII, tradit animalia quibus minor est pulmo esse velociora : « Quibus minor, inquit, hic corporibus, tanto velocitas major, » quia scilicet minus respirant : crebra enim respiratio impedit cursum. Addit, « peculiare cursus impedimentum » esse lienem; « quamobrem inuritur cursorum laborantibus, et per vulnus etiam exempto, vivere animalia tradunt. » Unde nonnulli opinati sunt cursoribus exscindi lienem, ut sint velociores, sed id non dicit Plinius. Vulgus asserit cursoribus secari eximique lienem, ut velocius et sine defatigatione currant, ac totos dies continue proficiscantur. Sed rem veram male intelligit. Cursoribus enim, et splene laborantibus non eximitur, nec exscinditur lien, sed secatur, id est cultro ligneo ad id idoneo tunditur et contunditur, ut ejus inflatio detumescat, ipseque fiat minor arctiorque, ac minus sanguinis capiat : quo fit ut jam minor, strictior et levior, minus impediat pulmones vicinos quin libere lateque moveantur, exspirent et respirent, itaque juvatur velocitas ambulandi et currendi : hanc enim impedit difficultas respirandi, quæ in pulmonibus oritur ex tumore lienis vicini, qui eos arctat et gravat; quo sublato leviores sunt, ac libere facileque respirant, ideoque expeditum faciunt hominem ad ambulandum et currendum. Ita Romæ mihi asseruerunt medici et chirurgi, qui idipsum se factitasse, itaque spleneticos curasse, affirmabant. Adjungunt medici lienis morbos cursu sanari. Exemplum hujus gnomæ est apud S. Hieronymum in *Vita S. Hilarionis* : hic enim aquam lustralem præbens Italico, ipsi in cursu circensi contra æmulum maleficum, victoriam dedit : « Igitur, inquit, dato signo hi advolant, isti præpediuntur; sub horum curru rotæ fervent, illi prætervolantium terga vix cernunt; clamor fit vulgi nimius, ita ut ethnici quoque ipsi concreparent : Marnas victus a Christo est. Indubitata ergo victoria et illis et Circensibus plurimis fidei occasio fuit. » Huc facit adagium Hispanorum : « Claudos æque ac sanos in peregrinatione ad S. Jacobum currere, imo claudos cito pervenire, celeres et præproperos tarde, aut nunquam. » Huc pariter pertinet priscus apologus, quem recenset noster Pontanus *Progymnas.* vol. III, part. I, cap. XL. Testudo certamen cum aquila decreto spatio conficiendum suscipiebat. Constituta est meta, ad quam uter ex illis pervenisset prior, ab illo staret victoria. Provolat aquila, ob tarditatem contempta testudine, fretaque suis alis sæpe desidet, sæpe divagatur alibi et segnius agit, quandoque totam noctem quiescit, et multo jam die volatum init. At testudo laborem nec ad momentum intermittit. Dies noctesque iter facit, et ad locum destinatum prorepit. Vincit aquilam sedulitate sua, non celeritate, metasque tenet, cum adhuc ab iisdem longius distare putaretur.

Lienis contusio juvat cursum.

Mystice, id verius est in cursu spirituali viæ virtutum salutis et felicitatis, juxta illud Pauli : « Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, » *Rom.* IX, 16; et illud *Habacuc* III, 19 : « Deus Dominus fortitudo mea : et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem; » et illud *Isaiæ*, XL, 31 : « Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. » Vide quæ illis locis annotavi.

NEC FORTIUM (*qui validi et terribiles existimantur* ait Thaumaturgus) BELLUM. — Symmachus, *vincere prælium;* Septuaginta, *nec potentibus prælium;* Syrus, *et non gigantis bellum*, juxta illud : « Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ, » *Psal.* XXXII, 16. Sic Goliath gigas superatus et occisus est in duello a parvo Davide, I *Reg.* XVII, 49; Holofernes a femina. Chaldæus, *neque robusti adjuvantur dum ineunt prælium robore suo*, juxta illud : « Non in fortitudine equi voluntatem habebit : nec in tibiis viri beneplacitum erit ei, » *Psalm.* CXLVI, 10. Minus recte vertit Campensis, *neque robusti adhibentur ad gerenda bella;* melius Tigurina, *nec fortitudo bellica potest eripere quemquam.*

(1) Id est, non gaudent semper felici cursu, nec metam ubivis assequuntur optatam, ob defectum *temporis* opportuni, aut ob *casum* contrarium. Nam æque peritis atque imperitis aliquando adversatur *tempus* aut *casus.*

Per *fortes* ergo hic accipe corpore potius quam animo et fortitudine bellica; nihil enim tam anceps, quam belli exitus: minima enim res, ut ventus secundus vel adversus, victoriam dat vel aufert. Unde in Scriptura dicitur Dei esse victoria, juxta illud Judæ Machabæi: « Facile est concludi multos in manus paucorum: et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, » I *Machab.* cap. III, 18; et illud Davidis: « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum, » *Psal.* CXLIII, 1. Quin et Ovidius, VII *Metamorph.*:

> Inter utrumque volat dubiis victoria pennis,
> Mars dubius.

Et Livius, lib. II: « Nusquam minus quam in bello eventus respondet; propterea nihil tam leve est, quod non magnæ rei momentum faciat; » imo subinde solo metu, et terrore panico hostibus casu, imo cœlitus immisso, parta est victoria inermium, uti fuit illa Gedeonis, *Judic.* VII 12: et illa Josaphat, IV *Reg.* III, 22. Similia exempla perplura exstant in libro Judicum, Regum et Machabæorum.

NEC SAPIENTIUM PANEM. — Symmachus, *prœbere alimentum.* In Hebræo pulchra est allusio et paronomasia: לחכמים *lachacumim,* id est sapientibus, congruens לחם *lechem,* id est panis sæpe deest. Aliqui per *sapientes* accipiunt agricolas, quibus licet industriis, ob sterilitatem, expilationem, vastitatem subinde deest frumentum et panis. Melius accipias litteratos et eruditos, uti sunt philosophi et theologi, qui sæpe sunt pauperes, quia toti intendunt speculationi et sapientiæ quæ præstat opibus, non auro congerendo, quod faciunt illiterati et mechanici. Unde Rabbinorum adagium: « Fames exstitit, et non transiit per ostium artificis, » quia arte sua sibi victum facile parant artifices. Audi S. Hieronymum: « Non est, inquit, sapientibus panis; id multorum quotidie probatur exemplo, qui cum sapientissimi sint, necessariis indigent. Chaldæus, *neque sapiens adjuvabitur a sapientia sua, ut saturetur pane in tempore famis;* Campensis, *quin et sapientibus sæpe deest unde vivant.*

NEC DOCTORUM DIVITIAS. — Pro *doctorum* Hebraice est נבנים *nebonim,* id est *intelligentium,* ut vertunt Septuaginta, prudentium, solertium, vidimus enim non raro industrios et solertes depauperari; Campensis vertit, *industrios;* Cajetanus, *intellectiones.* « Aristophanes in comœdia Plutum inducit cæcum. At Demetrius dicebat, non solum Plutum, i. e. divitias, esse cæcum, verum etiam Fortunam Pluti ducem; ut jam illud sit Proverbii: Cæcus cæco dux. Fortuna sæpe largitur indignis sua munera. » Ita Laertius, lib. V, cap. V. Hinc Thaumaturgus vertit, *neque sapientiæ cum divitiis aliquid commune esse solet;* Pagninus pro *nebonim* legens נכנים *nechonim,* vertit, *non sunt rectorum divitiæ,* juxta illud: « Dives iniquus, aut iniqui hæres: » divitiæ enim per multas fraudes et vitia parantur.

NEC ARTIFICUM GRATIAM. — Syrus, *neque cognoscentibus gloria;* Vatablus, *non semper gratiosos esse qui in aliqua arte periti sunt.* Pro *artificum* hebraice est ידעים *iodeim,* id est *scientium,* ut vertunt Septuaginta, per quos Olympiodorus et Vatablus intelligit eos qui norunt artes captandi hominum favorem et gratiam, favor enim sæpe fugit favoris cupidos, æque ac honor fugit sequentes, sequitur fugientes; Chaldæus, *prudentes;* Thaumaturgus, *sagaces;* Clarius, *expertos* et rerum peritos. Verum quia hi intelligunt nomine *nebonim* quod præcessit, hinc apte Noster vertit, *artifices,* scilicet mechanicos, vel mathematicos et similes. S. Bonaventura censet duo prima, scilicet velocitatem et fortitudinem esse dona corporis, cætera tria esse animæ, nam sapientiam esse in corde, doctrinam in ore, artem in opere. Solent insignes artifices in gratia et pretio esse tum apud principes, tum apud populum, sed non raro casu aliquo sinistro contrarium accidit, atque hæc est vanitas artium et artificum, quam hic notat Salomon. Plutarchus, lib. *De Fortuna,* narrat Apellem, cum equum anhelantem pingeret, nec anhelitum satis exprimere posset, ira percitum, penicillum in imaginem conjecisse, itaque casu spumæ colorem expressisse, et quod quærebat perfecisse, ut omnium sibi gratiam et admirationem conciliaret.

Apellis casus in pingendo.

SED TEMPUS CASUMQUE IN OMNIBUS. — Hebræa, *sed tempus et occursus occurrit omnibus illis;* Arabicus, *sustinet eos omnes;* Chaldæus, *tempus et casus in sidere eorum accidit omnibus,* Chaldæi enim ad astra referebant cursum et casus rerum humanarum, unde de his ex illis divinabant; Campensis, *tempus et casus omnes de medio tollit;* sed hoc alienum et contrarium videtur.

TEMPUS, — id est occasio commoda vel incommoda ad rem perficiendam, qui enim commodam captat, feliciter rem perficit, qui incommodam, infeliciter: sic qui captat mollia fandi tempora, impetrat quod postulat; qui dura et aspera, repulsam patitur. Tempus ergo et occasio rebus gerendis dominatur, uti dixi cap. III, 1. Occursus et concursus causarum contingentium, quæ, dum fortuito concurrunt, producunt casum et effectum fortuitum. Cajetanus per tempus accipit motum orbium cœlestium, qui efficiunt effectus casuales in rebus sublunaribus; Aben-Ezra per casum intelligit Dei providentiam, hæc enim, ut initio dixi, regit omnes casus eventusque fortuitos, ideoque ipsa est fortuna fortunans. Melius alii per casum intelligunt causam et effectum casualem, qui in omnibus rebus non semper, sed sæpe accidit. Unde S. Thomas, I part. *Quæst.* LXXV, art. 6, ad 1, et Quæst. V *de Veritate,* art. 5, ad 5, notat solerter dici *tempus casumque*: quia, inquit, secundum aliquem ordinem temporis casuales defectus inveniuntur in his rebus, v. g. quod potentiores frequenter succumbant, ostendit quod victor

magis est ex divina providentia, quam ex humana virtute. Præclare S. Augustinus, lib. III *De Trinit.* cap. IV : « Nihil, inquit, fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiori invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica. »

Casus quid?

Nota : Casus sive effectus contingentes proprie sunt ii soli qui fiunt a causa libere, puta a Deo, angelo, dæmone vel homine; alioqui enim pluviæ, venti, fulmina cæteræque res naturales in causis suis determinatæ sunt et certæ; sed dum a Deo, angelo, dæmone vel homine libere causæ hæ immutantur et combinantur, tunc ex eis prodeunt effectus contingentes et casuales. Hinc Romani, Græci cæteræque gentes mire coluere Fortunam, velut deam, imo primam deorum, quæ omnia regat, et hos faciat formosiores, opulentos, felices, illos deformes, pauperes, miseros; hinc tot templa, tot aræ, tot nomina Fortunæ. « Ipsa, ait D. Chrysostomus; *orat.* 63, bella gerentium est victoria, et pacem agentium concordia, et nuptias contrahentium benevolentia, et amantium voluptas, et breviter bonus in omni re successus. » Servius Tullius, ait Plutarchus, *Quæst. Roman.* LXXIV, templum « parvæ fortunæ dedicavit, significans fortunam minimis momentis plurimum posse, multisque usu venisse, ut exiguis plane rebus aut evenientibus, aut contingentibus maxima consequerentur vel perderent, docens animum rebus esse advertendum, nihilque eorum quæ offeruntur, ob parvitatem esse negligendum; » idem rursum : « Sapientiæ, ait, in hunc usque diem templum non est, neque temperantiæ, aut tolerantiæ, aut magnanimitati, aut continentiæ : Fortunæ vero templa sunt splendida et antiqua, ac tantum non cum primis Romæ fundamentis posita. » Cornelius Sylla, inquit idem Plutarchus in *Sylla*, « fortunæ se filium » dicebat. Præ reliquis insignis fuit basilica Fortunæ in urbe Fanensi, quæ inde dicta est fanum Fortunæ, de qua ita scribit Nicolaus Perottus Episcopus Sipontinus in lib. I *Martial.* : « A *fando* fanum deducitur, hoc est templum, quod Pontifex in dedicatione templi certa verba præfari solet; quamvis sint aliqui qui ἀπὸ τοῦ φανεροῦ dictum malint, quod significat *manifestum*, quod e fano responsa dabantur, etc. Hinc Fanum, Piceni urbs dicta, in littore Adriatico inter Pisaurum et Senogalliam, omnium Italiæ urbium amœnissima, sive loci naturam, seu civium ingenia consideres, quod in ea pulcherrimum Fortunæ templum fuerit, cujus adhuc reliquiæ conspiciuntur : hinc Fanenses sive Fanestres appellati. » Hujus fani fortunæ fabricæ præfuit Vitruvius, architectorum princeps, qui libros suos *De Architectura* dedicans Augusto Cæsari, utpote principi ædificationi dedito, ab eo beneficiis et honoribus auctus, ita de hoc fano scribit, lib. V, cap. I, sub finem : « Non minus summam dignitatem et majestatem possunt habere comparationes basilicarum, quo genere Coloniæ Juliæ Fanestri collocavi, curavique faciendum, cujus proportiones et symmetriæ sic sunt constitutæ; » eas deinde exacte fuseque describit, additque hoc fanum fuisse juxta ædem Augusti. Plura de hoc fano vide apud Sigonium et Cluverium in Descriptione Italiæ. Fani fortunæ Episcopus fuit S. Fortunatus, de quo mox. Hoc enim fanum fortunæ profanum a Christianis conversum fuit in sanctum templum in honorem B. Virginis dedicatum, quæ vera est fidelium fortuna, eos fortunans omnibusque donis cumulans et beans, cujus proinde, ac præsertim sacelli unius Virgini assumptæ dicati, magnificentiam æque ac religionem integro carminum libro miris elogiis celebrarunt plurimi et primi Italorum poetæ, quorum unus ita orditur :

Fortuna dea gentium unde?

> Fortunæ fuit hoc fanum, nunc Virginis : ima
> Est numen (*imo nomen*), magni numinis ista parens.

Gnoma de fortuna.

Seneca, *epist.* 14 : « Initium, ait, omnium rerum sapiens, non exitum spectat. Initia enim in potestate nostra sunt; de eventu fortuna judicat. » Idem, *epist.* 38 : « Invadit, ait, temperatissimos morbus, validissimos phthisis, innocentissimos pœna, secretissimos tumultus. Eligit aliquid novi casus, per quod velut oblitis vires suas ingerat. Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit horam momentumque temporis. » Nero, ait Suetonius, cap. XIII Vitæ ejus, « judices, priusquam inciperet, reverentissime alloquebatur, omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse fortunæ. » Plutarchus in *Pseud.* : « Centum doctorum hominum consilia hæc devincit dea Fortuna. Atque hoc verum est, perinde ut quisque fortuna utitur, ita præcellit; atque exinde sapere eum omnes dicimus. » Livius, Decade 1, lib. IX : « Per omnia, inquit, humana, maxime in res bellicas fortuna potens est; » Æmilius, lib. I : « Fortuna arbitrio suo pacem, sed maxime bella gerit. Eadem, inquit ille, mari tranquillitatem imponit, æstatem hiemi, celeritatem tardissimis, vires segnissimis. » Denique Judæi coluere Fortunam, in quos proinde invectus Isaias, cap. LXV, 11 : « Qui ponitis, inquit, Fortunæ mensam, et libatis super eam; » ubi multa de fortuna dixi.

Moraliter docet hic Salomon res omnes sublunares, utpote fortunæ volubili subjectas, esse vanas variasque, ideoque parvi faciendas, ac consequenter contra omnes fortunæ casus etiam adversos, ipsamque mortem sapienti obfirmandum esse animum fortitudine et constantia. Salomonem velut magistrum de more secuti sunt Plato et philosophi. Hinc Bion, teste Stobæo, serm. 103, dicebat « Fortunam divitibus opes dedisse, non dono, sed mutuo. » Crœsus consultus a Cyro de bello contra Tomyrin suscipiendo, in quo deinde occisus est : « Si, inquit, te agnoscis hominem, dis-

cito talem rerum humanarum circulum esse, qui rotatus eosdem semper fortunatos esse non sinat. » Demetrius aiebat illum, qui sinistram fortunam ferre nequiret, nec dextram ferre posse. Unde ipse illud Æschyli dicebat fortunæ : « Tu me extulisti, tu ipsa rursus dejicis. » Ita Antonius in *Melissa*, part. I, cap. LXX. Romuli vox erat : « Fallacia et caduca sunt omnia quæ fortuna in sua habet potestate. » Ita Maximus, *serm.* 18. Fabius Maximus Minutii collegæ sui secundam fortunam magis quam adversam pertimescebat, quod fortuna instabilis variet vices, et a secundis ad adversa desiliat, cumque faciem ostendit, mox tergum obvertat. Ita Plutarchus in *Vita Fabii*. Zeno cum in naufragio omnia amisisset : « Euge, inquit, fortuna, quam probe nos ad hoc palliolum redegisti. » Socrates ad omnes fortunæ procellas immotus eadem mente, eodem vultu persistebat. Unde S. Hieronymus ait in virtute christiana requiri animi robur Socraticum. Seneca, lib. *De Tranquill. animi*, docet sapientem per virtutem vigoremque animi omni fortuna et injuria esse superiorem. Unde cum recensuisset heroes casu iniquo occisos, ut Socratem, Pompeium, Ciceronem, ac « optimos pessima » pati, remedium subdit : « Tanto fortiores, inquit, tanto feliciores, humanos effugistis casus, livorem, morbum; existis ex custodia : non vos digni mala fortuna diis visi estis, sed indigni in quos jam aliquid fortuna posset. » Audi eumdem, *epist.* 92 et 98, ubi inter alia hæc dat vitæ axiomata : « Adversus fortunam valet ad tolerandum obfirmata omnino mens; mortalia omnia morte damnata sunt; inter peritura vivimus; mortale est omne mortalium bonum. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum et invictum est; tam necesse est perire, quam perdere. Dic fortunæ : Cum viro tibi negotium est; quære quem vincas. Dic tibi : Ex istis, quæ terribilia videntur, nihil est invictum. Singula vicere jam multi, ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exsilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato; et nos vincamus aliquid. »

Exempla.

Tacite ergo hic monet Salomon ut a rebus sublunaribus, utpote lunationi, id est variæ per tempora mutationi, casui fortunæ obnoxiis mentem transferamus ad cœlestia, quæ superant omnem fortunæ casum et lusum, nesciuntque ortum et occasum, sed in stabili angelorum et beatorum degunt ævo. Sapiens utique est et felix, qui id præstat. Præstitit id ipsum S. Fortunatus Fanensis (urbs est antiqua in Pentapoli Umbriæ, dicta Fanum Fortunæ, quod illi esset dicata, uti superius dixi) Episcopus anno Domini 592, coævus S. Gregorii. Unde Fanenses hoc ei elogium posuerunt :

Fortunate nimis, qui regnaturus in ævum,
Fortunæ instabilem figis in axe rotam.

Fortunatus ergo fortunæ fuit Episcopus, moderator et rector. Unde iidem addunt heroica hæc virtutum ejus facinora : « S. Fortunatus patriam a spiritibus immundis liberat. Pestem ob ejus derelictam basilicam grassantem pellit. Furtim auferentes ejus sacrum corpus ventorum et pulveris violentia deterret. Manna e mausolæo et ossibus Sancti fluens, piis ægris salutem confert, impiis mortem. Arida Urbinas femina divinitus admonita, invisens ejus corpus sanatur. » Hæc ex publicis Fanensium tabulis accepi, et prægrandi ejus imagini, Romæ cusæ et approbatæ, incisa conspexi. Exstat S. Gregorii epist., lib. VI *Registri*, ordine 13, ad hunc S. Fortunatum Fanensem Episcopum, in qua ei concedit ut venundet sacra vasa pro redemptione captivorum, scilicet a Longobardis, ut recte advertit Baronius : hi enim illo ævo vastabant Italiam. Denique cum anno 1107 Fanenses sacra S. Fortunati lipsana requirerent, invenerunt ea mausoleo inclusa cum lipsanis S. Eusebii et S. Ursi Fanensis Ecclesiæ Episcoporum, instar nivis candida, ut jam in illis futuræ per resurrectionem glorificationis imaginem contuearis; præsertim cum tanta odoris fragrantia manaret, ut myrrhæ et balsami omniumque unguentorum odoramenta incomparabili suavitate transcenderet. Ita Sancti dominantur fortunæ omnibusque fortuitis.

Vers. 12. 12. NESCIT HOMO FINEM SUUM : SED SICUT PISCES CAPIUNTUR (Septuaginta, *illaqueantur*) HAMO, ET SICUT AVES LAQUEO COMPREHENDUNTUR, SIC CAPIUNTUR HOMINES IN TEMPORE MALO, CUM EIS EXTEMPLO SUPERVENERIT. — Pro *finem suum* hebraice est *tempus suum*, id est finem temporis sui. Probat tempus et casum velocibus, fortibus, sapientibus et artificibus dominari, ex eo quod eos capiat, velut pisces hamo et aves laqueo. Capiat, inquam, in fine operis quod moliuntur, ut scilicet veloces capiuntur in cursu suo, fortes in bello sapientes in sua sapientia, prudentes in prudentia, artifices in arte; quo fit ut omnibus suis hisce donis sibi concilient non præmia, quæ sperabant, sed damna infamiæ, vinculorum, famis, paupertatis, contemptus, ac subinde necis et mortis, illaque improvisa, ut vertit Arabicus, et inopina quæ non exspectabant. Per *finem* ergo exitum intellige, tum operis et negotii cujusque, cum Thaumaturgo et Olympiodoro; tum vitæ, puta mortem, cum S. Hieronymo. Vide analogias perplures inter homines et pisces, quas recensui *Habacuc* I, 14, ad illa : « Et facies homines quasi pisces maris. »

Esca hominum oluptas.

Tropologice esca, hamus et laqueus, quo inescantur et capiuntur homines, est voluptas. Audi S. Augustinum, *De Agone Christ.* cap. VII : « Gaudet piscis, quando hamum non videns, escam devorat; sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se esse putant : hamum enim acceperunt, et cum illo sibi vagantur. Veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum

aviditate devoraverint. » Porro voluptas hæc multiplex est, sed maxime triplex, scilicet gulæ, opulentiæ et superbiæ. Aliqua enim harum capitur homo, ac delicians ridensque sibi astringit vincula mortis, ut ait Poeta. Ad laqueum opulentiæ sive avaritiæ spectat axioma, sive apophthegma Pii II Pontificis ; « Litigatores sunt aves, forum area, judex rete, advocati aucupes. Quocirca censebat dignitatibus viros dandos esse, non dignitates hominibus. Grave Pontificis onus esse, sed beatum qui id bene ferat. » Primum enim et summi momenti Pontificis et principis onus officiumque est, constituere Episcopos, magistratus, judices, etc., ab avaritia intactos et tali gradu dignos. Hinc S. Antonius, teste S. Athanasio, in visu totum mundum conspexit laqueis plenum, quos animabus sursum ascendere conantibus tendebant dæmones, illisque eas illaqueabant ac capiebant. Unde dolens oransque : « Domine, quis hos laqueos evadet? » audivit : « Humilitas. » Dæmon enim omnibus in rebus homini tendit laqueos, eosque cujusque indoli et affectui appositos; guloso enim offert epulas et vina, ambitioso honores, iracundo duella, timido pericula, avaro opes, etc. Audi S. Leonem, serm. 7 *De Nativitate* : « Non desinit hostis antiquus deceptionum ubique laqueos prætendere. Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. »

IN TEMPORE MALO (id est misero, difficili, periculoso, calamitoso, exitiali) CUM EIS EXTEMPLO SUPERVENERIT. — Hebraice, *cum ceciderit super eos* ; Græce, *cum supercecideriț in eos* : quæ phrasis significat inevitabilitatem et superioritatem repentini supplicii proficisci a causis superioribus, puta e cœlo et angelis, inquit Cajetanus. Chaldæus, *in tempore mali, quod ruiturum est super eos puncto uno cœlitus*. Magnum quodvis accipe, sed præsertim mortem et gehennam, quæ malorum omnium est maximum, juxta illud Pauli : « Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet ; cum enim dixerint pax, et securitas, repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient, » I *Thess.* v, 3. Et illud Christi : « Erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes ; ita erit et adventus Filii hominis, » *Matth.* XXIV, 38.

Vers. 13. 13. HANC QUOQUE SUB SOLE VIDI SAPIENTIAM, ET PROBAVI MAXIMAM. — Hebraice, *et magna est apud me*, scilicet quam versu sequenti enarro. Identidem Salomon, post recensitas vanitates, sermonem reflectit ad laudes sapientiæ, ut eam omnibus commendet, utpote quæ sit veritas veraque hujus vitæ felicitas. Simul tamen ostendit ei quoque suam adhærere vanitatem, non intrinsecus, sed extrinsecus : scilicet quod illa ab hominibus opulentis parvi fiat, quodque sapiens cum per sapientiam liberavit civitatem obsessam et desperatam, illico in oblivionem veniat, et in pristinum sui neglectum recidat, ut ad pallium philosophicum, id est ad paupertatem et obscuritatem suam cum Socrate redigatur. Igitur novam ingratitudinis vanitatem hic oculis subjicit. Ita Lyranus, Hugo. Alii aliter, sed varie et minus apte hæc nectunt præcedentibus.

Vers. 14. 14. CIVITAS PARVA (Arabicus, *delicata*), ET PAUCI IN EA VIRI : VENIT CONTRA EAM REX MAGNUS, ET VALLAVIT EAM, EXSTRUXITQUE MUNITIONES (Septuaginta, *aggeres magnos* ; Symmachus, *machinam magnam* ; Syrus, *propugnacula* ; Arabicus, *propugnaculum cujus turres magnæ sunt*) PER GYRUM, ET PERFECTA EST OBSIDIO. — Est paradigma per modum exempli, sive historiæ, quæ subinde accidit ævo Salomonis, ut ab eo videri et audiri potuerit. Civitas hic inducitur parva, id est parva habens mœnia, parvas turres et machinas, ut se contra hostem obsidentem tueri non possit, ideoque in ea viri pauci, qui eam propugnare viribus diu nequeant, quin mox animo cadant ac robore deficiant. Unde major apparet vis et virtus sapientis et pauperis, eam sua sapientia tutantis et liberantis.

Vers. 15. 15. INVENTUSQUE EST IN EA VIR PAUPER ET SAPIENS, ET LIBERAVIT URBEM PER SAPIENTIAM SUAM, ET NULLUS DEINCEPS RECORDATUS EST HOMINIS ILLIUS PAUPERIS (1). — Testis Archimedes, quem tantopere verebantur Syracusas oppugnantes Romani, ut, si vel funiculum exiguumve lignum ex muro conspicerent, machinam aliquam in ipsos moveri suspicarentur, et Archimedem vociferantes terga verterent, fugerentque, et cogerentur, conflictu et oppugnatione prætermissa, in obsidione longa spem ponere. Ita Plutarchus in *Vita Marcelli*. Idem de Epaminonda, qui Thebas defendit et imperio auxit, ita scribit : « Ad quadragesimum annum obscurus Epaminondas nulli usui Thebanis fuit. Ut habita est ei fides, suscepto imperio, ruentem civitatem conservavit, ac servientem in libertatem asseruit Græciam, qui in gloria, sicut in sole, virtutem strenuam in tempore præstitit. Refulget enim usu,

> Ubi nobilis more æris, segne quod diu
> Jacuit, resumpsit animum. »

Pauper sapiens salus est urbis.

Sic Judith liberavit Bethuliam, occiso Holoferne ; Jahel Israelem, occiso Sisara, *Judicum* IV, 21 ; æque ac Debora, ibidem vers. 14. Sic David Ceilam urbem tutatus est, et tamen Ceilani eum

(1) *Matsa* impersonaliter positum est. A *miseken, pauper*, quæ vox apud Arabes quoque eodem sensu usurpatur, ortum est gall. *mesquin*.

tradidissent Sauli, ni; Deo consulto, fugisset. Sic Gedeon liberavit Judæos a Madianitis, et tamen Judæi non fecerunt misericordiam cum domo ejus, ut 70 ejus filios protegerent, dum occiderentur ab Abimelech, *Judic.* cap. VIII, 35. Sapiens enim totus intendit bono publico, ut ejus incommoda hostesque dispellat : quare modos urbis salvandæ quærit et invenit, cum insipientes vacant propriis commodis et opibus, ac publica negligunt. Unde Thaumaturgus vertit, *parvam civitatem a paucis habitatam magnam et frequentatam existimem, si vel pauperem unum sapientem civem habeat.*

Uti Christus. Allegorice, Christus sapientissimus et nostri causa pauperrimus liberavit Ecclesiam, quæ urbs parva est respectu totius mundi, a tyrannide dæmonis et peccati : et tamen plurimi ingrati hoc ejus beneficium non agnoscunt, imo ipsum ejusque gratiam aspernantur, seseque suis voluptatibus dedunt. Ita S. Hieronymus.

Et sensus interior. Tropologice : « Aliter Hebræus, ait S. Hieronymus, hunc locum interpretatus est. Civitas parva homo est, inquit, qui etiam apud philosophos mundus minor vocatur. Et viri pauci in ea, membra de quibus ipse homo contexitur. Cum autem venerit adversus eam rex magnus diabolus (diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est primæ suggestioni non resistitur, totus interna cordis dum non sentitur illabitur; tentationum diabolicarum initia flagitia sunt; non est immissor, sed incensor vitiorum. Unde David : Tu fregisti caput draconis), et quæsierit locum per quem possit irrumpere, invenitur in ea humilis et sapiens, et quietus interioris hominis sensus, et eruet urbem, quæ obsessa ab hostibus cingebatur. Cumque homo de periculo sive persecutionis, sive angustiarum, sive cujuscumque adversæ rei atque peccati, fuerit erutus, homo ille exterior, qui inimicus est illius pauperis hominis et sapientis; non recordatur interioris hominis, nec subdit se consiliis ejus, sed rursum sua fruitur libera voluntate. » Accedit Chaldæus, qui per civitatem parvam accipit corpus hominis; per regem obsidentem, concupiscentiam; per virum sapientem et pauperem, inspirationem atque cogitationem bonam, quæ concupiscentiæ resistit, hominemque liberat a peccato et gehenna, cujus deinde homo obliviscitur.

Moraliter, nota hic sapientes amare silentium, quietem et paupertatem. Sapiens, ait Plutarchus, ita vivit ut nemo sentiat eum vivere. Rursum sapientiæ magna affinitas est cum paupertate, sicut insipientiæ cum opulentia. Sapiens tamen, cum opus est, patriaque ejus ope indiget, se dat in lucem, suamque sapientiam ad ejus salutem explicat, ut fecit Jeremias, Isaias cæterique Prophetæ. Sapienter Philo, lib. *De Sacrific. Cain et Abel* : « Omnis sapiens, inquit, stulti est redemptio, mercesque ne minimo quidem tempore duraturi, nisi ille misericordia sua, providentiaque impulsus incolumitati ejus prospiceret. » Unde mox infert : « Equidem quando aliquem bonum virum habitantem in aliqua domo, aut urbe video, et domum et urbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem mansuram perpetuo, tum absentem exspectandam cumulatiorem, Deo ultra modum mensuramque divitias suas in gratiam digniorum, etiam in indignos profundere solito. »

Cur sapientes sunt pauperes? Resp. Porro cur sapientes sæpe sint pauperes, causas varias, easque festinas assignat Aristoteles in *Problem.* sect. XXIX, cap. IV. Quærit enim : « Cur paupertas apud homines bonos potius esse, quam apud pravos soleat? An quia omnibus odio habetur, atque expellitur, ad probos perfugit, rata maxime apud eos salutem permanendique locum se posse assequi? e contrario, si ad pravos venerit, nunquam eos fortuna ista fore contentos, sed vel furta, vel latrocinia actitaturos, quibus rebus futurum ut ipsa amplius apud illos manere nequeat. An quia homines probos optime se usuros existimat, nec sibi petulanter contumelioseque quippiam se facturos? itaque ut nos pecuniarum deposita tute hominibus bonis credimus, sic etiam hæc sibi dispensat et statuit. An libenter se ad viros optimos confert, quia femina est, inopsque proinde et virium et consilii, ut ejusmodi hominibus commendatam se esse magnopere velit atque desideret? An quia mala est, nunquam se malis jungere velit? Nam si ita maluerit, omnino malum irremediabile ipsa ridetur. » Quærit deinde vice versa cap. VIII : « Cur divitiæ magna ex parte ab hominibus pravis potius quam bonis habeantur? An quia fortuna cæca est, ideoque discernere sibi, atque seligere quod melius non potest? »

Rursum nota hic beneficia pauperum parere non tantum contemptum, sed et odium ac invidiam; quare salutem ab eis urbi allatam illis auferunt, et in se vel alios potentes transcribunt. Contemnunt igitur, ait Pineda, et pauperem beneficum, quem pudet fateri beneficii auctorem, et beneficium a paupere acceptum pro injuria æstimant : in hoc plane stulti, in illo perspicue ingrati, in utroque insolenter superbi, quod nolint aliquid deberi pauperi, neque se illius creditores constituere, ullave gratia obstringi ad redamandum pauperem beneficum. Itaque cum illud infestissimum sit, beneficium superbe dare, est et insolentissimum superbe beneficium accipere. Vide Senecam, lib. II *De Benef.* cap. XVII, XVIII, XIX. Hoc est quod ait Job de justo, cap. XII, 5 : « Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. » Denique duces et liberatores patriæ eam ingratam experiuntur, ut expertus est Scipio, Themistocles, Miltiades, Coriolanus et cæteri qui, post victorias civibus partas, ab eis acti sunt in exsilium.

Vers. 16. 16. ET DICEBAM EGO, MELIOREM ESSE SAPIENTIAM FORTITUDINE : QUOMODO ERGO SAPIENTIA PAUPERIS

CONTEMPTA EST, ET VERBA EJUS NON SUNT AUDITA?— *Sapientia,* scilicet jam cognita et explorata per liberationem civitatis, *q. d.* Quænam illa hominum ingrata stoliditas, ut, cum viderint se per consilium sapientis evasisse obsidionem et excidium; jam tamen liberati eum spernant, nolintque salubria ejus monita et consilia, ad urbis conservationem et salutem spectantia; ulterius audire? quia nimirum externum splendorem et pompam duntaxat spectant, eamque in divitibus suspiciunt, ideoque sapientiam in paupere hac pompa destitutam despiciunt. *Fortitudo* hic non animi, sed corporis accipitur, puta in viribus, opibus vel amicis sita; hanc enim significat Græcum δύναμις, Hebraice גבורה *gebura*, Chaldæus, כוח *coach*. Unde Septuaginta, *bona est sapientia super potentiam*; S. Hieronymus, *super divitias et potentiam*; Thaumaturgus, *super popularem potentiam*.

Pro *quomodo* hebraice est *et*, quod hebræo pro quavis conjunctione sumitur. Unde hic nonnulli vertunt, *et tamen* (1); alii, *ergo*; S. Hieronymus in veteri editione vertit, *quamvis* : Et « dixi ego, inquit, meliorem esse sapientiam super fortitudine, etc. quanquam nullus meminerit sapientis pauperis illius, cum læta sint omnia, sed universi divitias et potentiam admirentur; ego tamen secundum omnes interpretationes magis honoro contemptam sapientiam, et verba quæ nullus audire dignatur. » Verum in posteriori Vulgatæ versione nervosius vertit, *quomodo*; hæc enim nota interrogationis continet indignationem cum admiratione, incitatque sermonem ad exaggerandam rei indignitatem. Huic gnomæ affinis est illa *Sapient.* VI, 1 : « Melior est sapientia quam vires : et vir prudens quam fortis. » Unde et illa Phocylidis : « Melior forti est vir sapiens; agros enim et civitatem sapientia, æque ac navim gubernat. » Fortem corpore accipe; nam qui animo fortis est, idem est sapiens. Unde Cicero, III *Tuscul.*: « Docet omnes sapientes fortes esse, et omnes fortes esse sapientes. » Sapientia enim docet vincere metum, moderari audaciam, in periculis rebusque arduis esse animo excelso, firmoque judicio et constantia, vitam virtuti postponere, mortemque contemnere, quæ sunt officia actusque pariter fortitudinis. Hoc est quod dicitur *Proverb.* XX, 18 : « Cogitationes consiliis roborantur : et gubernaculis tractanda sunt bella. » Id liquet in stratagematibus bellicis, quibus utuntur callidi ut hostes subjugant.

Sapientia præstat robore. Gnomæ.

Vers. 17. Verba sapientium in silentio.

17. VERBA SAPIENTIUM AUDIUNTUR IN SILENTIO, PLUSQUAM CLAMOR PRINCIPIS INTER STULTOS. — Hebræa, *in stultis*; Chaldæus, *qui imperat stultis clamantibus*; Septuaginta, *super clamorem potentium in stultitiis*; S. Hieronymus in veteri editione, *plusquam clamor potestatem habentis in stultis*. Pro *in silentio*; hebraice est, *in quiete;* Scholiastes, μετὰ προσοχῆς, id est cum benevolentia, benignitate, suavitate, lenitate, mansuetudine; Syrus, *verba sapientis cum requie audiuntur, plusquam trepidatio potentis stulti;* Arabicus, *cum tranquillitate* (2). Jam

Primo, Aben-Ezra et Osorius sic explicant, *q. d.* Verba sapientium contemnuntur a civibus, dum res sunt prosperæ : at, dum imminent obsidio et excidium, præ metu et dolore silentibus, cupide audiuntur. Primo.

Secundo, Arboreus, *q. d.* Sapiens non clamat in turba et strepitu, sed secretum a turba quærit, ubi in silentio loquatur et audiatur. Accedit Titelmannus, qui per silentium accipit, *submissam et modestam vocem, ut moris est sapientium;* et Campensis, *verba sapientium, etiamsi non multum clament, efficaciora sunt quam principis stulti vociferatio.* Secundo.

Tertio, Clarius et Dionysius censent hic causam dari, cur verba sapientium non audiantur, scilicet eo quod requirant animum silentem, id est quietum, pacatum, liberumque a tumultu passionum, quem populus cupiditatibus æstuans præstare nequit. Tertio.

Quarto, alii censent sapientiam loqui silenter, id est demissa voce vel ex verecundia, eo quod pauper sit, vel ex metu et dolore, eo quod videat se contemni, aut potius ex pietate et gravitate, *q. d.* Cum urbe obsessa gubernator clamose verba facit de urbis periculo ejusque remediis, ac populus tumultuatur, dum hic hoc consilium succlamat, alius aliud, tum sapiens ex sua quiete prodiens, gravitate et sapientia sua populo silentium indicens, omnia sedat, tranquillat, ordinat et componit, ac sanissimum urbi liberandæ remedium proponit. Hic sensus valde est appositus. Quarto.

Quinto et genuine, Salomon solatur hic sapientem pauperem, ideoque contemptum, ac subinde pusillanimem et dolentem, quod ejus consilia et monita non audiantur, ut dixi versu præcedenti. Solatur autem ex eo quod eadem audiantur in silentio, *q. d.* Etsi vulgus obstreperum et tumultuans verba sapientiæ non audiat, ea tamen audiunt viri cordati et prudentes, eaque excipiunt magno oris silentio, et cordis quiete, atque majore applausu, approbatione et reverentia, quam clamosi principes vel divites audiantur a stultis adulatoribus, qui coram eis plaudunt, sed eis absentibus plodunt, eosque explodunt et exsibilant. Nota verba sapientis prodire ex animo dicentis silenti, id est quieto, sereno, gravi, pio, prudenti, ideoque ab audientibus cordatis audiri in silentio, id est animo sedato, tranquillo et attento. Sicut, vice versa, clamor principis auditur cum clamoso applausu stultorum illi adulantium. Opponitur ergo silentium et quies tam sapientis docentis, Quinto, genuine.

(1) Recte.

(2) Nihilominus *verba sapientum cum quiete audita,* id est, quæ animo quieto et attento audiuntur (Rosenmullerus, quæ modeste et placide prolata audiuntur), *præstant clamori* incondito et inconsiderato *imperantis* qui est *in stultis,* id est stulti; alii ob parallelismum, *clamori regis cives stultos alloquentis.*

quam populi audientis, clamori et tumultui tam principis clamantis quam stultorum ei acclamantium.

Silentium præstat loquelæ. Porro silentium oris sapientis prodit ex quiete et silentio cordis, ac notat ejus modestiam, mansuetudinem, benevolentiam, gravitatem, prudentiam, constantiam æque ac efficaciam : quod scilicet ipsius oratio prudens, cordata et nervosa, etiamsi modesta, lenis et submissa, efficacior sit clamosis principum concionibus, mandatis, edictis, eo quod silentium omnibus cordatis indicat, quin et in obsidione et periculis, cum omnia metu et perturbatione sunt plena, pacem et salutem conciliet. Unde aliqui sic vertunt et explicant, *efficacius est silentium sapientis clamore dominatoris cum stultis suis asseclis*, id est plus valet ad reipublicæ salutem una vox sapientis, quam mille clamosæ magistratuum cum populo tumultuantium, quæ tumultum populi compescat, seditiones sedet, unionem efficiat, noxia consilia dissipet, ac sana suggerat et persuadeat : sapientes ergo in voce, æque ac mente sunt moderati et submissi, insipientes clamosi et tumultuarii. « Anima, inquit Olympiodorus, quæ stultitia repleta est, cum clamore et turbulentia sermones profert sine quiete, ordine et constantia ; » et S. Hieronymus : « Quemcumque videris in ecclesia declamatorem, et cum quodam lenocinio ac venustate verborum excitare plausus, ac risus excutere, audientes in affectus lætitiæ concitare, scito signum esse insipientiæ tam ejus qui loquitur, quam eorum qui audiunt. Verba quippe sapientium in quiete et moderato audiuntur silentio ; qui vero insipiens est, quamvis sit potens, et clamorem sive suæ vocis, sive populi habeat acclamantis, inter insipientes computabitur. » Hoc est quod de Christo sapientissimo ait Isaias, XLII, 2 : « Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris, etc. Non erit tristis, neque turbulentus ; » et cap. VIII, vers. 6 : Aquæ « Siloe, quæ vadunt cum silentio. » Sicut enim aquæ leniter fluentes et quasi silentes sunt profundissimæ, sic et homines modesti et taciturni profundi sunt consilii et judicii.

Anagogice, justi et oppressi et silentes in judicio clamabunt contra impios oppressores suos, juxta illud *Sapientiæ*, V, 1 : « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. » Unde Thaumaturgus vertit, *hic tacet et contemnitur sapientia, cæterum postea audietur altiorem vocem edens, quam principes et tyranni malorum cupiditate flagrantes.*

Vers. 18. 18. MELIOR EST SAPIENTIA, QUAM ARMA BELLICA : ET QUI IN UNO PECCAVERIT, MULTA BONA PERDET. — Thaumaturgus, *sapientia enim ferro ipso fortior est* ; Olympiodorus, *melius est consilium cujuscumque prudentis, quam omne auxilium quod ab armis sperari possit.* Sapientia enim est instar ignis, qui omnia transcendit, domat, inflammat et in se convertit. Apposite Franciscus Vallesius, *Sacr. Philos.* cap. V, 74, corpus naturale politico, hoc est, hominem reipublicæ comparans, tria utriusque membra primaria ita adæquat : Agricultura, ait, respondet jecori, quia sicut hoc sanguinem membris, sic illa alimenta reipublicæ suppeditat ; bellica ars respondet facultati irascibili quæ est in corde, quia repellit si quid infertur violentiæ et impedimenti ; sapientia et scientia respondent cerebro, in quo est mens et tota cognitio ; mercatura deinde respondet cruribus, quia proficiscendo exteras merces advehit ; mechanicæ artes respondent manibus quibus conficiuntur : quantum ergo cerebrum præstat irascibili cæterisque membris, tantum sapientia antecellit artem bellicam cæterasque omnes.

Peccans in uno multa perdet. ET QUI IN UNO PECCAVERIT, MULTA BONA PERDET. — Ex Hebræo τὸ *uno* varie verti potest. Hebræa enim ad verbum habent, *peccator unus* ; Septuaginta, *peccans* ; unde Thaumaturgus, *stultitia unius* ; et Chaldæus, *vir peccator unus, qui est in generatione, est causa ut pereant multa bona ab hoc sæculo* ; S. Hieronymus vero in veteri editione, *qui peccat unum* ; Syrus, *et unum peccatum perdit bona multa* ; Arabicus, *cum peccaverit unus, peribit bonum plurimum.* Est antithesis sapientiæ et insipientiæ, sive sapientis et stulti, *q. d.* Sapientia prævalet armis, quia integras urbes etiam arcte obsessas servat et liberat, omniaque vincit et subjugat : e contrario insipientia vel unica multa bona perdit et corrumpit, adeo ut urbes et regna subvertat. Ita Cajetanus, qui illud adagium apposite hic citat : « Unus stultus projicit lapidem in puteum, et mille sapientes non extrahunt. » Unde Thaumaturgus vertit, *stultitia unius multis periculum accersit, etiamsi multis videatur levis et contemptibilis.* Alii sic exponunt, *q. d.* Parvus error in principio, nisi statim corrigatur, in multos deducit, ac longe lateque serpit, juxta illud : « Clavus unus perdit equi soleam, solea equum, equus equitem, eques castra, castra rempublicam. » Nonnulli hanc gnomen referunt ad bellum et civitatem obsessam, de qua sermo præcessit, quasi dicat : Error unus in bello et civitate obsessa, etiam parvus, non raro castra urbemque perdit. Unde illud tritum : « In bello nihil vel minimum negligendum. » Aut sic, quasi dicat : Melior est sapientia quam arma bellica : si tamen sapientia sit exacta, ut in nullo erret ; si enim vel in uno peccat, perdet multa bona, scilicet famam et existimationem suam, ac opes et salutem sibi commissorum. Verum hic sensus arctior est. Etsi enim occasione civitatis obsessæ hæc dicantur, ideoque bellum proprie respiciant, tamen generalis sententia tam in pace, quam in bello locum habet, et ubique vera est. Exempla sunt : Adam unus homo, uno inobedientiæ peccato totam posteritatem perdidit, æque ac Achan tota castra Israel, *Josue* VII. Stulta duritia unius Roboam perdidit decem tribus. Una Jezabel, unus Achab, unus Manasses quot quantaque perdiderunt ?

Mystice (quod tamen multi putant esse litterale), qui in uno peccat, ut ab uno vero bono, puta a sapientia recedat, hic perdit bona multa, vel, ut ex Hebræo cum Septuaginta verti potest, *bonitatem multam,* id est qui unum peccatum mortale committit, perdet gratiam, charitatem cæterasque virtutes; ut hic idem fere dicatur, quod *Jacobi* II, 10 : « Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. » Ita S. Hieronymus : « Sic, ait, sentiendum est, quod propter unum peccatum multæ justitiæ retro pereant; et invicem se virtutes sequi, et qui unam habuerit, habere omnes; et qui in uno peccaverit, eum omnibus vitiis subjacere. » Sic et S. Bonaventura, Hugo, Lyranus, Dionysius et Olympiodorus, quem audi : « Unus, quicumque is demum sit, dum sese peccati sorde commaculat, et bona corrumpit, quæ sibi ex acquisitis virtutibus insidebant, et multos etiam malo exemplo ad imitationem inducit. » Sic et Rabanus in Glossa : « Unus stultus, inquit, plurimos corrumpit. »

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Componit et anteponit sapientiam stultitiæ. Inde, vers. 8 *usque ad finem cap., varia sapientiæ documenta assignat, præsertim ne quis alteri struat insidias, aut detrahat maxime regi aut potenti.*

1. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia. 2. Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius. 3. Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. 4. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris : quia curatio faciet cessare peccata maxima. 5. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis : 6. positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum. 7. Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos. 8. Qui fodit foveam incidet in eam : et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. 9. Qui transfert lapides, affligetur in eis : et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. 10. Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia. 11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. 12. Verba oris sapientis gratia : et labia insipientis præcipitabunt eum : 13. initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus. 14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit : et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? 15. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. 16. Væ tibi terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt. 17. Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam. 18. In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. 19. In risum faciunt panem, et vinum ut epulentur viventes : et pecuniæ obediunt omnia. 20. In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti ; quia et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam.

Vers. 1. 1. MUSCÆ MORIENTES (*morituræ*; Complutenses, *mortuæ*; Scholiastes, *muscarum mors*) PERDUNT SUAVITATEM UNGUENTI. — Hebræa, *muscæ mortis fœtere faciunt, et emanare,* vel ebullire *oleum pigmentarii,* vel aromatarii sive pharmacopolæ. Muscis enim est gustus omnium saporum, ait Aristoteles, lib. VIII *Histor.* cap. XI, quod cæteris animalibus non est concessum. Rursum muscis, imo omnibus insectis oleum est lethale et mortiferum, teste Plinio, lib. XI, cap. XIX; Galeno, lib. II *De Simplic. facult.*, cap. XX et aliis (1). Jam

(1) Cohæret hic versus cum posteriore hemistichio versus ultimi capitis præced. Nam quod illic dixerat, unum hominem peccantem stultumve multa bona perdere, nunc similitudine quadam confirmat et declarat. *Muscæ mortis,* id est muscarum mortuarum unaquæque *fœtere facit unguentum pigmentarii,* sic *pretiosum ob sapientiam* et *gloriam* virum *stultitia pauca* fœdat et de-

Muscæ perdunt unguentum. Primo.

Primo, Cajetanus sic exponit, *q. d.* Sicut musca unguentum fœdat; sic insipiens, puta detractor et calumniator, fœdat nomen et famam sapientis. Sicut enim muscæ impuræ impuris cadaveribus insident, sic detractor nonnisi vitiis alienis occupatur, ut vera propalet, et falsa confingat. Rursum, quædam muscæ sunt venenatæ, sic venenata est lingua detractoris. Denique nota est muscæ æque ac detractoris improbitas et impudentia; hinc dicta est *cynomyia*, id est musca canina, *Exod.* cap. VIII, vers. 24. Et Diogenes dictus est Cynicus, id est caninus, quod instar canis et cynomyiæ suis dicteriis omnes allatraret et morderet, eisque notam infamiæ aspergeret. Verum nulla hic detractoris fit mentio. Adde τὸ *morientes* non recte congruere detractori; qui vivit vigetque in maledictis. Simili modo, vice versa, possent per muscas accipi parasiti et adulatores, qui principum animos adulatione corrumpunt. Hi enim similes sunt muscis, quia alienas mensas captant, uti muscæ. Unde Parasitus ille apud Athenæum, lib. VI, ait :

Quod invocatus cœnitare amo, musca sum.

Ibidem Hegesander narrat quod, cum Alexander dixisset se morderi a muscis (ita vocabat parasitos) jamque conaretur illas abigere, Cinesias, unus ejus ordinis, qui forte aderat, dixerit: « Profecto aliæ muscæ siticulosæ magis urgebunt, semel gustato tuo sanguine. »

Secundo.

Secundo, R. Haccados et Joannes Ferus per muscas accipiunt exploratores et proditores. Musca enim curiose aliena invadit, omniaque obit et lustrat, ut referantur hæc ad bellum et urbem obsessam, de qua cap. præced. vers. 13, *q. d.* Sicut muscæ perdunt unguentum pretiosissimum, sic proditores qui curiose omnia explorant, et perfidi consiliarii perdunt urbes et respublicas. Hinc Plautus in *Mercatore* ita curiosum pingit :

Musca est pater meus; nihil potest clam haberi illum,
Nec sacrum, nec profanum est, quin adsit ibi illico.

Verum hæc omnia remota sunt, alienaque et longe petita.

Tertio.

Tertio ergo et genuine, *q. d.* Sicut musca, oleo se immergens, se ipsam interimit et oleum fœdat : sic una stultitia unius peccati et peccatoris fœdat et perdit tum se, tum suavitatem gratiæ et famæ; hanc enim repræsentat oleum, id est unguentum odoratum. Nam gnome hæc pertinet ad finem capitis præcedentis, scilicet ad τὸ *qui in uno peccaverit multa bona perdet*) ita S. Hieronymus et Olympiodorus), ubi dixi hæc spectare proprie ad principes et magistratus, ac similes, qui civitates regunt, et ab obsidione liberant; horum enim error unus non tantum sibi, sed et urbi non raro excidium, vel damnum grave affert; generatim tamen extendi ad quoslibet, qui ex una modica imprudentia aut vitio gravia sibi suæque famæ, quin et aliis damna accersunt juxta illud : « Modicus error in principio, magnus in fine. »

Nota τὸ *morientes*, muscæ enim fragrantia et dulcedine unguenti illectæ ad illum certatim advolant, unde illi ceu visco immerguntur, suffocantur, ait Thaumaturgus, et moriuntur. Ita Galenus, lib. II *Simplic. medicam.* cap. XX; « Madefactæ, inquit, oleo apes, muscæ, vespæ, formicæque intereunt. » Hinc muscas pollere odoratu et memoria docent physici, quod ad dulcia et suavia et pinguia advolent, et licet sæpius abactæ, semper tamen eodem revolent.

Pro *perdunt* hebraice est *fœtere faciunt*; Septuaginta, *putrefaciunt compositionem oleo suavitatis*; Syrus et Arabicus, *corrumpunt*; S. Hieronymus, *exterminant*; Thaumaturgus, *reddunt deformem*; alii, *flaccescere faciunt*; Campensis, *corrumpunt, et bullis velut scabie obdormiunt*. Per fœtorem accipe spurcitiem, nauseam et horrorem, quem muscæ morientes in unguento ingenerant intuenti, odoranti et gustanti; nam proprie muscæ non fœtent, uti reipsa experimur. Sic *Exodi* V, 21, aiunt Hebræi Mosi et Aaron : « Fœtere fecistis nomen nostrum coram Pharaone, » id est ingratos, invisos et exosos nos fecistis Pharaoni. Muscarum tamen spurcities retundit fragrantiam et saporem unguenti, ut propter eam minus quam ante sit odoratum et sapidum. Simili enim modo, inquit Vatablus, parva insipientia reddit hominem fœtidum, id est, eum qui bene audiebat, male audientem, hoc est, ut Campensis, *multum æstimationis ei adimit*.

Muscæ symbolum. Primum.

Mystice *primo*, musca notat improbas, vafras et malitiosas cogitationes a diabolo vel carne et mundo suggestas, quæ mentem sapientis instar muscarum circumvolitant, eamque inquinant. Ita S. Hieronymus : « Quia, inquit, sæpe calliditate mixta est sapientia, et habet malitiam prudentia, præcipit ut sapientiam simplicem requiramus, mixtaque sit eum innocentia columbarum, prudentes simus ad bonum, simplices autem ad malum. Justo enim convenit habere parum simplicitatis, et propter nimiam patientiam, dum ultionem reservat Deo, stultum videri, quam statim se vindicantem, sub velamento prudentiæ exercere malitiam. »

Secun dum.

Secundo, muscæ vitiantes unguentum notant improborum societatem pravaque exempla inquinare alios etiam probos. Significat, inquit S. Hieronymus, « per unum stultum multa bona subverti, quod, sic malus mixtus bonis contaminet plurimos, quomodo muscæ si moriantur in unguento, perdant odorem illius et saporem. » Et Scholiastes in *Catena Græc.* : « Nam muscæ, inquit, suffocatæ unguento, inutile ipsum efficiunt : sic

turpat; alii, *gravior est*, plus valet *sapientia et honore stultitia pauca*. Sensus est : Paululum stultitiæ omnia a sapientia et honore profecta perdere valet.

Judæorum hæreticorumque sensus in bonam Scripturarum fragantiam incidentes, et seipsos morte afficiunt, et putre fidelibus unguentum apparant. » Sic et S. Augustinus, lib. *Contra Fulgentium Donatistam*, art. 14, per muscas accipit hæreticos : « Muscæ, inquit, morituræ Donatistæ circumvolant per totius corporis membra, si ubi reperiant vulnera; sana pungunt, ægra lambunt, et eorum ulceribus peccatorum vermes fundunt, quæ nec ipsis cadaveribus parcant. Muscæ morituræ, cum oleum exterminant, oleo perimuntur; neque enim vivitis, qui spiritum sanctum efflatis.» Ibidem confutat S. Augustinus Donatistas, ex hoc loco docentes hæreticorum baptismum esse invalidum, ideoque iterandum; unde hanc gnomen sic ex cerebro suo exponebant : Muscæ perdunt suavitatem unguenti, id est hæretici perdunt sacramentum baptismi, in quo baptizati oleo inunguntur. Porro verius S. Epiphanius, lib. I, cap. III, Archonticis hæreticis hanc gnomen adaptans : « Baptismum, inquit, detestantur, veluti muscæ mortiferæ, et olei odorati compositionem vitiantes. Quemadmodum etiam de his, et horum similibus parabola apud Ecclesiasten dicta est : revera enim sunt muscæ interficientes, mortificantes ac putidum facientes aromaticum et unguentarium oleum, hoc est ipsa sancta Dei mysteria. »

Tertium. *Tertio*, Chaldæus per muscam accipit concupiscentiam : « Concupiscentia mala, inquit, quæ manet juxta portas cordis, est sicut musca, quod causam afferat mortis in mundo; adeo ut tradat sapientem in tempore quo peccat, et corrumpat nomen bonum, quod simile fuerat ante unguento unctionis suavissimo cum aromatibus. » Concupiscentia apte comparatur muscæ, quia instar muscæ vilis est et exilis, mordax, immunda, spurca, pungens, importuna, infesta, improba et putida; musca enim ex putredine nata in putredine vivit et moritur, omniaque secum putrefacit. Idem facit concupiscentia. Unde S. Bernardus, serm. *44 in Cant.*: « Hæ (concupiscentiæ), inquit, prorsus muscæ sordidæ et pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fœdant, mentem curis et sollicitudinibus lacerant, socialis gratiæ suavitatem exterminant. » Rursum musca est brevis ævi, vivit enim paucos dies, imo subinde paucas horas duntaxat, seque in oleo, melle aliaque re dulci suffocat, vel ad lucem lucernæ aut candelæ advolans adurit : idem facit concupiscentia et homo concupiscens; ipsa ergo est musca mortis, id est res vilis et exigua, sed mortalis, brevique moritura et mortifera. Ad hæc musca otiosa est, ideoque vaga et curiosa, aliena invadit. Unde S. Franciscus : « Si quem cernebat otiosum et vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat, eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens vilem et abominabilem omnibus se reddat, » ait S. Bonaventura in Vita ejus, cap. V. Sic et concupiscentiæ et curiositatis, omnisque mali causa et fons est otium. Denique musca est animal insolens, impudens, indocile et indomabile. Cætera enim animalia arte cicurari possunt, musca nunquam. Sic et concupiscentia omnem respuit doctrinam, rationem et disciplinam; quare plane exscindenda et eradicanda est, imo ferro et flamma adurenda instar hydræ; alioqui renascitur et repullulat, imo reviviscit velut muscæ. Nam « muscis humore exanimatis, si cinere condantur, redit vita, » ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVI.

Quarto, S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* XVIII, per muscas accipit leves et importunas cogitationes, quæ suavitatem unguenti, id est puritatem, sanctitatem, dignitatem, pacem (et devotionem, ait Bonaventura, præsertim in oratione) animi licet non tollant, inquietant tamen, fœdant et perturbant : « Ægyptus, inquit, quæ hujus mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens et inquietum animal est. In qua quid aliud, quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur; unde alias dicitur : Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti, quia cogitationes superfluæ, quæ assidue in animo carnalia cogitante et nascuntur et deficiunt, cum suavitatem, qua unusquisque intrinsecus per Spiritum unctus est, perdunt, quoniam integritate ejus perfrui non permittunt. » « Ab his muscis, ait S. Hieronymus, etiam princeps appellatus est dæmoniorum Beelzebub, qui interpretatur aut idolum muscarum (*q. d.* Deus muscarius, quod idolum hoc caput muscæ haberet, aut muscis ad carnes illi immolatas advolantibus, esset refertum), aut vir muscarum, aut habens muscas : » dæmon enim hasce cogitationum inquietarum muscas menti nostræ circumvolantes immittit. Vide quæ de muscarum in Ægypto plaga dixi *Exodi* VIII, 7. Porro Hebræi in *Pirke Avoth*, inter decem Patrum miracula tertium hoc assignant : « Non conspecta fuit unquam musca in domo sanctuarii, » ne ad carnes Deo oblatas et crematas advolans, eas fœdaret.

Quar tum.

Quinto, Lyranus, *q. d.* Sicut musca perdit unguentum, sic unum peccatum mortale perdit cumulum meritorum, æque ac bonam conscientiam; S. Ephrem vero per muscas accipit dæmones : « Dicit Ecclesiastes, inquit, muscas morientes perdere suavitatem unguenti, ut sancti quidem peccati ac dæmonis intelligant vilitatem et impuritatem, negligentes autem insidias atque subtilitates. Inducit enim inimicus iis, qui sibi videbantur securi, perniciem. Et Elias deum Accaron muscam Baal appellavit. Insidet enim in mentibus impiorum tanquam in rosis et candentibus pascuis, hoc est marcescentibus; exprimitque immundam actionem ipsorum, ut ebullitione temulentiæ eorum delectetur. Inter improbos versatur, ut draco; at inter luxu diffluentes, ut musca. Patitur se draco in muscam transformari,

Quin tum.

ut impietatis sanie miseros delectet. In parvis quoque venenata prævalet consuetudo, quæ animæ detrimentum affert ad omnem draconis dispositionem. »

Sextum. *Sexto*, S. Bernardus, serm. *in Feria* IV *Hebd. pœnosæ*, hæc adaptat Judæis Christum crucifigentibus : « Absit, inquit, ut muscæ morituræ exterminent suavitatem unguenti, quod de tuo corpore fluit, quia apud sinum tuum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Muscæ morituræ miseriæ sunt, muscæ morituræ blasphemiæ sunt, muscæ morituræ insultationes sunt, quas tibi reddit generatio prava et exasperans. In ipsa elevatione manuum tuarum, etc., pro reverentia tua clamas : Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Idem serm. *De Triplici custodia manus, linguæ et cordis*, applicat linguæ, quæ res modica est, sed magna dat damna : « Vilis, inquit, res est musca moriens, sed exterminat olei suavitatem. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest; substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum invenitur; modicum membrum est, sed nisi caveas magnum malum. »

Septimum. *Septimo*, muscæ sunt distractiones et sollicitudines negotiorum in oratione occurrentes, quæ cor lancinant, et tam importunæ sunt orantibus, quam muscæ convivantibus. Apte dicuntur « morientes, » tum quia orationis gratiam et devotionem interimunt; tum quia, quamvis utiles, cum occurrunt, futuræ postea videantur, tamen post orationem non magis fructuosæ, quam res mortuæ deprehenduntur. Illa simulacra, quæ in oratione magnæ spem utilitatis offerebant, post orationem sic evanescunt, ut trunca et inutilia cadavera relinquantur. Unde constanter a nobis sunt abigendæ. In cujus rei typum cum aliquando Abraham sacrificium ex animalibus Deo offerret : « Descenderunt, inquit textus, volucres super cadavera, et abigebat eas Abraham, » *Genes.* XV, 11; in quem locum D. Gregorius, lib. XVI *Moral.* cap. XIX : « Sæpe, inquit, in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Unde Abraham, cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic ergo, nos cum in arca cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus et perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat. »

Symbolice S. Eucherius, lib. *De Formis spirit.* cap. V, et Pierius, *Hieroglyph.* 25, per muscam accipit tam cacodæmonem, quam hominem impurum et maleficum. Musca enim Ægyptiis erat hieroglyphicum importunitatis et importunæ vexationis. Musca enim adeo est impudens et improbe pertinax, ut, licet abacta, semper redeat, teque infestet, ac nullam tuarum occupationum rationem habeat, sive loquaris, sive dormias, sive scribas, sive comedas, sive legas, parata semper adstet, ut in faciem insiliat tuam, infesta, incommoda, noxia, nec ulli rei nisi fastidio de se concitando idonea : talis est et dæmon ac homo diabolicus. Hinc Plutarchus, *Sympos.* 3, asserit duo tantum esse animalia domestica, quæ nunquam humano convictu mansuescant, nec tactum, nec consuetudinem, nec disciplinam admittant, scilicet hirundinem et muscam : utramque enim semper indocilem et feram permanere. Sic ergo Pierius hanc gnomen explicat : « Muscæ morientes exterminant olei suavitatem, » hoc est adeo malignum est muscarum genus, ac perinde Beelzebub, puta cacodæmon et homo maleficus, si ut vel, moriendum sit, nocere eligat et optet; quippe qui, dum vel bonos alicujus mores corrumpat, vel virtutem aliquam infringat, se quoque simul perdi pro nihilo habeat.

PRETIOSIOR EST SAPIENTIA ET GLORIA, PARVA ET AD TEMPUS STULTITIA.— Ita legendum cum Romanis : alii enim Codices mire hic variant. Vide Franciscum Lucam in *Notis* ad hunc locum. Sensus videtur planus, scilicet quod sapientia gloriosa præstet stultitia, quæ in se vilis est, parva et ingloria, ut sapientia sit nominativi casus, stultitia ablativi. Verum ut taceam hunc sensum esse exilem et frigidum : quis enim hoc nescit? ex Hebræo liquet contrarium, scilicet τὸ *sapientia et gloria* esse ablativi casus, τὸ vero *stultitia* nominativi. Sensus ergo est, *q. d.* Parva et tempore opportuno congruoque usurpata stultitia præstat rigidæ sapientiæ et gloriæ, quæ subinde in periculis sibi aliisque occasio est magni damni; præstat subinde simulare stultitiam, quam ostentare suam sapientiam et gloriam. Alludit ad pauperem, qui sua sapientia liberavit civitatem obsessam : hic enim a mundanis ob paupertatem ridetur, ejusque sapientia, quia paupertati mixta, videtur stultitia; sed hæc ejus stultitia potior est omni mundanorum sapientia et gloria. Hinc illud Horatii, lib. IV *Carm.* ode 12 :

> Misce stultitiam consiliis brevem,
> Dulce est desipere in loco.

Et illud : Prudens desipit suo loco.

> Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Sic David, simulans stultitiam coram Achis rege, periculum mortis evasit, I *Regum* XXI; quin et Brutus formam stultitiæ assumpsit, ut adipisceretur imperium, ut tradunt Historiæ Romanæ. Sic Christus huic mundo factus est stultus, dum elegit et docuit paupertatem, humilitatem, patientiam, quæ mundus æstimat stulta; sed hæc stultitia summa est sapientia. Unde Paulus : « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. » Et : « Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, »

I *Cor.* I, 21 et 25. Vide ibi dicta. Sic pariter stultitia, qua sancti a mundanis existimantur stulti, pretiosior est omni mundi sapientia et gloria. Unde et Paulus dicebat : « Nos stulti propter Christum : vos autem prudentes in Christo. » Et Noster S. Ignatius : « Desidera stultus haberi ab hominibus, ut sapiens habearis a Deo, ut ipsum lucrifacias. »

Sis populo demens, sic sapis ipse Deo.

Hoc est quod ait Paulus, I *Corinth.* III, 18 : « Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. » Sic ut insipientibus, pueris, rusticis docendo te accommodes necesse est, ut cum iis desipias et quasi repuerascas, juxta illud Pauli : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, » I *Corinth.* IX, 22; magna ergo sapientia est cum rusticis agere rustice, cum pueris pueriliter, cum insipientibus insipienter : qui enim hoc facere nescit, frustra in iis erudiendis laborat. Sic principi et magistratui necesse est ut humori, capacitati et ruditati plebis se accommodet.

Porro Hebræa sic habent : יקר מחכמה מכבוד סכלות מעט *iakar mechachma miccabod sichluth meat*, quod varie a variis vertitur.

Primo. *Primo*, Pagninus, Vatablus, Clarius, Arias; Cajetanus, Campensis aliique hebraizantes hoc hemistichium præcedenti nectentes, totum hunc versum sic apposite nectunt et vertunt, *sicut muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti, sic virum pretiosum ob sapientiam et gloriam perdit parum stultitiæ*; vel sic : *Vir pretiosus ob sapientiam et gloriam fœtet propter parvam stultitiam, q. d.* Parva stultitia perdit totam hominis existimationem et gloriam, quam ob sapientiam et sapientia dicta factaque adeptus erat. Audi Cajetanum : Modica stultitia faciet putere et fœtere hominem quemlibet eximium, qui ipsa videbatur pretiosior sapientia, et omni honore superior : quemadmodum vel musca, sicut est dictum, nobilissimum corrumpit unguentum. Nam bonum consurgit ex integra causa, et mali licet parvi magna contagio est. *Secundo*, Lyranus, hebræum יקר *iakar*, id est *pretiosus*, vertens *ponderosus*, sic transfert : *Ponderosior præ sapientia et gloria est parva stultitia. Ponderosior*, quia hominem deprimit, dejicit et perdit. Verum hebræum *iakar* ubique pretiosum significat, non ponderosum. *Tertio*, Septuaginta verba trajicientes contrarie vertunt, *parum sapientiæ pretiosius est, quam gloria magna stultitiæ.* Ita Olympiodorus, ut sit antithesis cum muscis, *q. d.* Paucæ muscæ perdunt suavitatem unguenti, at multi magnique stulti non perdunt nec corrumpunt sapientem, licet minus sapientia præcellentem. Parva enim sapientia dignior et fortior est magna stultitia omnique ejus gloria, hoc est, omni divitum insipientium honore, opulentia, pompa et splendore. Unde Arabicus, Septuagintæ more secutus, vertit, *exiguum e sapientia pretiosius est magnificentiis stultitiæ plurimæ.* Quarto, Noster optime ex Hebræo vertit, *pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia*, eo sensu quem initio assignavi. Consentit enim Chaldæus, *quantum autem sapientium prudentia et divitum opibus præstat is, cujus mediocris est et levis stultitia?* Et S. Hieronymus in veteri editione, *pretiosa est super sapientiam et gloriam stultitia parva.*

Quadruplex versio.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quæres, quomodo hæc versio cohæret in eodem versu cum muscis perdentibus unguentum? Respondeo per antithesin vel exceptionem hoc sensu, *q. d.* Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti, sic pariter stulta veraque stultitia perdit sapientiæ famæque suavitatem. Dico stulta stultitia, nam sapiens parvaque stultitia, quæ congruo tempore sapienter assumitur, præstat sapienti rigidaque sapientia, adeoque ejus gloriam suffocat, exterit et perdit. Aut magis directe et quasi ex æquo, *q. d.* Sicut parvæ paucæque muscæ perdunt suavitatem unguenti : sic parva stultitia, quæ scilicet a mundanis vocatur *stultitia*, cum revera ipsa coram Deo sit vera meraque sapientia, superat et perdit omnem suavitatem sapientiæ et gloriæ mundanæ, utpote cum ea sit longe pretiosior et potentior, uti patuit in Christo et apostolis, juxta illud : « Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo, » *Isai.* XXIX, 14, et I *Corinth.* I, 19. Alludit enim, ut dixi, ad pauperem sapientem, qui sua sapientia liberavit civitatem, sed ob paupertatem despicitur, et habetur velut musca languida et moriens, id est homo nullius momenti, cum revera ipse sit apis præstantissima, suavissimum sapientiæ mel distillans.

Tropologice S. Hieronymus et ex eo Albinus : Pretiosior et utilior est humilis gloria quam superbi elatio. Melius est ad tempus stultum videri, id est simplicem quam superbum et gloriosum. Et Lyranus : Pretiosior est sapientia cum honore parvo, quam stultitia cum honore magno, juxta illud cap. IV, 13 : « Melior puer pauper et sapiens rege sene et stulto. »

Vers. 2.

2. COR SAPIENTIS IN DEXTERA EJUS, ET COR STULTI IN SINISTRA ILLIUS. — Hebræa, *ad dexteram ejus*, etc., *et ad sinistram ejus*. Cor omnibus hominibus sive sapientibus, sive stultis est in medio, non corporis (hujus enim medium est umbilicus), sed thoracis, sive pectoris, ad lævam tamen vergens, ut docent Hippocrates, Galenus, Aristoteles, cæterique physici et medici.

Cor sapientis in dextera, stulti in sinistra. Primo.

Per *cor* ergo, non cor corporis, sed mentem, puta rationem, voluntatem, affectum, ejusque actiones et operationes accipe. Est catachresis; quod enim est cor in corpore, hoc mens est in anima. Sensus igitur est *primo*, *q. d.* Sapiens cor habet in dextera, id est omnia sua prompte, expedite, agiliter, sapienter, feliciter facit; stultus vero habet in sinistra, id est sua facit tarde, im-

pedite, inepte, stulte et infeliciter. Nam in dextera corporis parte ac manu plus est virium et agilitatis, quam in sinistra : hinc dextera symbolum est roboris, promptitudinis, agilitatis, sapientiæ, felicitatis; sinistra vero debilitatis, tarditatis, hæsitantiæ, imprudentiæ, infelicitatis.

Secundo. *Secundo, q. d.* Sapiens omnia facit cum ratione et judicio, perinde ac si cor, id est mentem, haberet ad dexteram; stultus vero sine ratione et judicio operatur, perinde ac si cor haberet ad sinistram. Ratio est, quod sapiens operetur ex sapientia, id est ex corde, mente, ratione et judicio; stultus vero operetur ex stultitia, id est ex concupiscentia, quasi hæc sit illi ad dexteram, omnia imperans, jubens, dirigens; mens vero et ratio sint illi ad sinistram. Unde Hebraice est, *cor sapientis ad dexteram ejus, et cor stulti ad sinistram illius.* Nam, ut docet Aristoteles, dextera omnia sunt validiora; hinc dextera pars initium præbet incedendi. Dextera enim pars movere, sinistra moveri apta est, ob eamque rem onera non parti moventi, sed mobili imponi debent; ideoque bajuli illa non dextero, sed sinistro humero imposita bajulant. Ita ipse, lib. *De Incessu animal.* cap. III. Quia ergo in sapiente validior est mens et sapientia, utpote quæ movet alias vires, regitque ipsam concupiscentiam, hinc illi cor, id est mens, est ad dexteram, concupiscentia vero ad sinistram. Vice versa in stulto, id est vitioso, validior est concupiscentia, quæ movet cæteras vires ad prosequendum opes, epulas, honores quos concupiscit; hinc concupiscentia est ei ad dexteram, cor vero et mens ad sinistram.

Tertio. *Tertio,* cor sapienti est ad dexteram, id est ad honesta, meliora, saniora et sanctiora tendit, scilicet ad virtutes et bona opera, quibus perveniat ad felicitatem et vitam æternam. Ita Chaldæus : *Cor sapientium,* ait, *incumbit ad acquirendam legem, quæ data est manu dextera Dei, et cor stulti ad acquirendas facultates argenti et auri;* et Thaumaturgus : *Sapiens,* ait, *ad res dexteras et honestas sibi dux est; stultus autem ad res lævas propendet, nec unquam ad res præclaras duce stultitia utitur;* et S. Hieronymus : « Justus, inquit, sinistram in se non habet, sed totum in eo dextrum est. Et cum ad judicandum Salvator venerit, agni stabunt a dextris, hædi vero a sinistris erunt. Et in Proverbiis scribitur : Dextras vias novit Dominus; quæ autem perversæ sunt, a sinistris sunt. Qui ergo sapiens est, semper de futuro sæculo cogitat quod ducit ad dextram; qui vero insipiens est, de præsenti, quod positum est in sinistra. Quæ quidem secutus idem philosophus et poeta ait :

> Dextera quæ magni Ditis sub mœnia ducit,
> Hac iter Elysium nobis, at læva malorum
> Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit;

Firmianus quoque noster in præclaro *Institutionum* suarum opere, *y* litteræ meminit, et de dextris ac sinistris, hoc est de virtutibus et vitiis plenissime disputavit. » Vide dicta *Proverb.* IV, 27.

Quarto. *Quarto,* sapienti cor est ad dexteram, quia circumspecte, efficaciter, ordinate et perfecte sua facit, ut in nullo erret; stultus vero ad sinistram, quia improvide, languide, præpostere, imperfecte sua peragit : hinc semper defectum aliquem operi bono admiscet. Hic sensus recte cohæret cum eo quod præcessit : « Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. » Insuper sapiens cor habet dexterum, validum, robustum et constans in bono, ut in eo contra omnes Satanæ, mundi et carnis insultus immotus persistat; stultus vero habet cor sinistrum, id est invalidum, infirmum, inconstans, quia ubi bonum facere cœpit, mox levi tentatione pulsatus ab eo deficit et resilit.

Quinto. *Quinto,* dextera symbolum est libertatis æque ac liberalitatis; sinistra, servitutis et avaritiæ. Ad dexteram enim incedunt domini, liberales et magnifici; ad sinistram servi, arcti et avari. Stultus ergo sua facit serviliter, arcte, coacte et avare; sapiens vero libere, ample et liberaliter. Hinc Ægyptii, teste Pierio, dictitabant a dextera Dei promanare omnia bona et beneficia, a sinistra vero omnia mala, omnes plagas et supplicia. Hinc rursum quidam vir eruditus sic exponit, *q. d.* Cor justi semper pulsatur et erigitur dextera et felici bonorum spe, at cor impii pulsatur et percellitur sinistra diffidentia, suspicione, metu, pavore et angore.

Denique breviter hæc omnia complectaris sic exponendo : Cor sapientis est in dextera, id est in sapientia, hoc est in prudentia et virtute, illi enim totus intendit, et in ea quasi moratur et habitat; stulti vero cor in sinistra, id est in stultitia, puta in imprudentia et concupiscentia; illi enim totus insidet et incumbit. Hunc esse sensum indicat id quod sequitur.

Vers. 3. 3. SED ET IN VIA STULTUS (male quidam legit *stulti,* licet ita quoque verti possit ex Hebræo) AMBULANS, CUM IPSE INSIPIENS SIT (Hebræa, *deficiat corde,* id est sapientia; Syrus, *cor ejus pusillum,* id est parvi animi et judicii est. Arabicus, *indigere facit eum cor suum,* ut sit inops mentis et consilii), OMNES STULTOS ÆSTIMAT. — Symmachus, *suspicatur de omnibus, quia stulti sunt;* Campensis, *quacumque iverit stultus, vecordia eum comitabitur, et obvios omnes stultos appellabit.*

Cohæret apte hæc gnome præcedenti, *q. d.* Cor stulti adeo est sinistrum, id est stultum, ut cæteros omnes, etiam sapientes stultos æstimet, tum quia ex stulta persuasione et philautia se solum sapere æstimat, reliquos vero desipere, sicut qui palatum habet infectum, saporem dulcem æstimat amarum, et eos qui secus censent, errare et delirare autumat. Hoc est quod dicitur *Prov.* XXVI, 16 : « Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias; » tum quia cæteros ex suo metitur ingenio et affectu : quare quod ipsi

sapit et placet, omnibus sapere et placere judicat, ut si ipse sit gulosus, luxuriosus, superbus, etc., omnes gulosos, luxuriosos, superbos, etc., judicet : qualis enim quisque est, tales et alios judicat, ait Aristoteles, III *Polit.* VI. Sic Nero libidinibus oppletus, certo sibi persuadebat neminem esse castum, aut ulla sui corporis parte pudicum, teste Suetonio in Vita ejus, cap. XXIX. Sic hæretici censent catholicos sacerdotes et religiosos impure vivere et caute, non caste, eo quod illis castitatem servatu putent impossibilem, uti sibi impossibilem judicant. Nam, ut ait Seneca : «Omnis affectus hoc habet, ut in quo ipse insanit, omnes furere putet. » Et, ut ait Cassianus : Qui alicui vitio subjacet, pronus est ut eidem alios subjacere judicet. Hinc infert Seneca signum viri boni esse, si displiceat malis; nondum sat bonum et felicem esse, quem nondum turba derideat.

Pro *omnes stultos æstimat*, Hebræa habent, *dicit omni, quod stultus est;* quæ verba indefinita varie definiri possunt : *primo*, *q. d.* Stultus dicit cuilibet : « Tu es insipiens; » *secundo*, *q. d.* Stultus dicit omnibus se esse insipientem, id est quidquid negotietur et agat, reipsa ostendit, quod cor, id est mens ipsi deficiat, ideo omnibus patefacit suam stultitiam. Hoc secundum secuti Septuaginta vertunt, *etiam in via stultus ambulat, cor ejus deficiet vel retardabitur, et quæ cogitabit, vel ratiocinabitur, omnia stultitia sunt;* Thaumaturgus, *cogitatus ejus vani sunt stultitiaque referti;* Olympiodorus Septuaginta sic explicat : « In hac vita, quam vere viam dixeris, stultus perambulans, cum ad sinistra cor habeat, semper cessat, ac posterior invenitur : in vacuum enim pergit, nequaquam sibi proposito supernæ vocationis bravio. In anteriora itaque sese non extendit, nec properat ad finem; sed quamvis ad hæc ipse pergere videatur, medio in cursu deficiet, omnia imperfecte et sine ratione cogitans et aggrediens. Quod si ipsam adeat viam justificationum, vel, ut verius dicam, adire se simulet, hoc est divinorum observantiam mandatorum, quia tamen illius mens deflectitur ad sinistra, cessabit prorsus atque deficiet, ut neque quid præceptum sit intelligat, neque operetur juxta legislatoris voluntatem. » Chaldæus vero vertit, *etiam in via perplexa tempore quo stultus ambulat, cor ejus caret sapientia, ita ut faciat verba quæ non decet fieri, et omnes dicunt ipsum esse stultum* (1).

Vers. 4. 4. SI SPIRITUS POTESTATEM HABENTIS (Hebraice, *dominantis*) ASCENDERIT SUPER TE (Symmachus, *superveniat tibi*, vel *irruat in te;* Thaumaturgus, *si bellum tibi moveat spiritus adversarius, resistas valide*), LOCUM (S. Cyrillus, in cap. I *Isaiæ* legit *cor :* in corde enim est locus sapientiæ et constantiæ) TUUM NE DIMISERIS (2) : QUIA CURATIO FACIET CESSARE PECCATA MAXIMA. — S. Ambrosius legit, *cura mitigabit delicta magna :* « cura, » i. e. diligentia, ne qua in re desis officio tuo, ait ipse in *Psalm.* XXXVII. Symmachus, *quia pudicitia comprimit peccata magna.* Minus recte Aben-Ezra per *curationem* accipit remissionem animi, otium, item medicinam, qua medicus curat morbos corporis. Septuaginta Hebræum מרפא *marpe*, id est *curatio*, vertunt, *sanitas;* Syrus, *medicatio;* Arabicus, *miseria;* Pagninus, *lenitas.* Pro *locum tuum*, Tigurina vertit, *stationem tuam;* Vatablus, *locum pristinum.* Jam

Primo, Campensis sic vertit, *si cupiditas dominandi animum tuum invaserit, locum priorem ne facile deserueris; nam qui ab hujusmodi cupiditatibus animum suum compescet, multa vitabit et gravia peccata.* Accedit Tigurina quæ vertit, *quoties affectus dominationis* (vel dominii dominationis, aut dominatio) *in te ortus fuerit, ne desere stationem tuam; nam qui affectus sedat, reprimit grandia peccata.* Idque dupliciter exponit Vatablus. *Primo*, *q. d.* Si dominandi obrepserit cupiditas, illam cura, id est reprime et castiga : sic enim vitabis peccata multa arrogantiæ, injustitiæ, rapinæ, etc., in quæ incurrunt ii qui regunt, vel dominari cupiunt. *Secundo*, si regendi potestas tibi offeratur, noli efferri animo, sed modeste et prudenter ea utere : sic vitabis peccata multa. Favent Hebræa, S. Hieronymus, cujus verba mox recitabo, æque ac Pineda. Vere Seneca, *epist.* 84 : « Quæcumque, inquit, eminere videntur in rebus humanis, quamvis pusilla sint, per difficiles et arduos tramites adeuntur. Confragosa in fastigium dignitatis via est. » Primo.

Secundo, Cajetanus, *q. d.* Si dominatum et regimen acceptaveris, eris medicus, qui pro tuo munere facies medicinam peccatis, non omnibus, tamen magnis : « Politica enim, inquit, gubernatio non tollit peccata omnia populi, sed peccata magna; de minimis enim non curat prætor, » nec curare omnia potest : quod si tentat, audiet illud : « Stulti ad cribrum, » hoc est, stulti conantur omnia minima cribri foramina obturare, sed stulto et irrito conatu. Secundo.

Tertio et genuine, *q. d.* Si ira, vis vel impetus potentis alicujus dynastæ te impellat in aliquod peccatum, ne desere locum et officium virtutis, quem requirit status et gradus tuus. Tertio.

QUIA CURATIO. — Hebraice, מרפא *marpe*, id est medicina, sanitas, lenitas, curatio, quia curas, ægritudines et passiones animi, tum tui, tum potentis te impetentis, *multa delicta avertet.* Unde Tigurina vertit, *qui affectus sedat, reprimit peccata grandia.* Alii (3) *marpe* vertunt *remissio*, *demissio*, puta animus demissus, remissus, laxus et solutus, non inflatus, tumidus et superbus.

(1) *Et etiam in via cum stultus ambulat*, quidquid instituit agitque, *cor ejus deficit*, rectæ rationis usus abest, haud aliter ac si corde, sive, ex nostro loquendi usu, cerebro, animæ rationalis officina careret; *dicitque*, sua agendi ratione prodit *omnibus*, quod *sit stultus*.

(2) A tranquillo mentis tuæ statu ne te moveri patiare.

(3) Recte. *Peccata magna*, id est magnas iras. Alii *calamitates magnas.*

Curatio ergo, sive sanitas hæc, est animi stabilitas et constantia virtutis, qua curas tuam infirmitatem, metum et pavorem, juxta cum lenitate, patientia et mansuetudine qua curas et mitigas potentis iram, itaque cessare facis delicta plurima, quæ committeres tu, cedendo et consentiendo improbæ voluntati potentis, sive principis, et quæ ipse committeret te cogendo ad consentiendum, vel te injuste vexando, torquendo et subinde necando. Curatio igitur est tolerantia impotentis et iniqui domini : quam qui retinet, avertit multas rixas, odia, simultates, damna quæ alioqui orirentur. Nam « patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam, » *Prov.* XV, 1, et XXV, 15. Vide ibi dicta.

Vox *curatio* significat in dominando intercurrere animi passiones, ægritudines et vulnera : puta in dominante fastum et iram ; in eo qui dominatur, metum et pavorem ; ac utrumque a sapiente veluti a medico, curandum esse, hunc constantia, illum lenitate et patientia. Unicum ergo remedium tentationum et persecutionum est animi stabilitas, quies et constantia ; ex adverso, eorum fomentum est animi levitas, pusillanimitas et inconstantia. Unde Jeremias, *Thren.* II, 8 : « Peccatum, inquit, peccavit Jerusalem, ideo instabilis facta est. » Vide ibi dicta. Et Salomon, *Prov.* XXVII, 8 : « Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. » Et *Eccli.* cap. XI, 22 : « Confide in Deo, et mane in loco tuo. » Et Paulus : « Sic state in Domino, charissimi, » *Philipp.* IV, 1. Idem a Salomone didicere philosophi. Unde Horatius, libro III *Carm.* ode 3 :

> Justum et tenacem propositi virum,
> Non civium ardor prava jubentium,
> Non vultus instantis tyranni
> Mente quatit solida.

Hic ergo est sanus et validus, imo curans et sanans suas et aliorum animi ægritudines. Ita S. Hieronymus, Titelmannus, Lorinus et alii.

Tropologice, quod tamen nonnulli censent esse litterale, S. Hieronymus, Salonius, Thaumaturgus et alii per spiritum potestatem habentis accipiunt impulsus et tentationes diaboli ac concupiscentiæ, cui resistendum est per mentis et propositi in bono constantiam : hæc enim est curatio et sanitas animi, quæ cessare facit peccata plurima ; ad quæ incitat animam dæmon per motus concupiscentiæ, quos ex ea in ea suscitat. Ita Chaldæus : « Si spiritus appetitus mali, inquit, dominatur tui et confortatur, ut ascendat super te, ne dimittas locum tuum bonum, in quo stare consueveras : quoniam verba legis creata sunt medicina in sæculo, ad dimittenda peccata, et ut oblivioni tradantur coram Domino peccata maxima. » Unde S. Ambrosius, in *Psalm.* XLI : « Et si spiritus, inquit, potestatem habentis in te ascendat, ut habes in Ecclesiaste, locum tuum ne derelinquas. Etenim superiorem te Christus constituit, quem ad imaginem Dei fecit. Tene ergo superiorem fidei et pietatis locum, quem a Deo accepisti, ut superior factus ascendentem de inferioribus, hoc est de terrenis et sæcularibus, spiritum nequam facile repellas, et signa ejus non suscipias in pectore tuo ; non occupet animæ tuæ vestibula, nec introitus mentis tuæ, et quasi in sylva lignorum ignibus suis caduca et fragilia populetur, aut securibus suis januas tui cordis excidat. Sit igitur in nobis non sylva, sed vinea ; sit porta nostri oris et cordis clausa diligentius, ne hostis introeat. Cito dejicit januam, si patentem eam invenerit. » Sic et Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 2, et Cyrillus Alexandrinus, lib. XII *De Adoratione in spiritu*, qui et addit, si vitia non castigantur, serpere in dies ad majora, et cor mentemque corrumpere, atque ad summam perniciem perducere. Nam, ut ait S. Hieronymus citans hanc gnomen tract. *De Virg. servanda* : « Quasi in procinctu et in acie stamus semper ad pugnam. Vult nos loco movere hostis, et de gradu decedere, sed solidanda vestigia sunt, et dicendum : Statuit supra petram pedes meos : petra refugium herinaciis » *Psalm.* XXXIX, 3, et CIII, 18. Jam particulatim

Spiritus potestatem habentis, quis? Resp. primo.

Primo, S. Hieronymus per spiritum hunc accipit spiritum sive impulsum libidinis, quem curat amor castitatis et constantis pudicitiæ. Unde pro *curatio* Symmachus vertit, *pudicitia*. Audi S. Hieronymum ex Symmacho : « Si spiritus principis irruerit tibi, de loco tuo ne recedas, quia pudicitia comprimit peccata magna, id est, si titillaverit mentem tuam diabolus, et te ad libidinem concitaverit, ne sequaris cogitationem pessimam et blandientem voluptatem ; sed sta fortis et rigidus ; frigore castitatis flammam voluptatis exstingue. Hebræus in loco tale nescio quid suspicatus est. Si aliquam in mundo acceperis dignitatem, et ordinatus fueris major in populis, noli relinquere priora opera tua, et antiquarum virtutum ne incipias oblivisci, laboremque pristinum non habere, quia peccatorum tuorum remedium ex conversione bona nascitur, et non ex tumenti et superflua dignitate. » Sic et S. Basilius, lib. *De Virg.*, per potestatem accipit potestativam cogitationem concupiscentiæ, quæ mentem Virginis potenter invadit, et sollicitat ad turpia ; sed illa si sapit, loco suo stet eamque excutiat : « Nullius igitur, inquit, absentis, nullius præsentis hominis speculum sit virginis anima, nisi sancti sponsi sui ; nulla in eo alia, quam sponsi inspiciatur forma. » Et Auctor *Catenæ Græc.* : « Si te, inquit, superiora petentem spiritus fornicationis malus, vel avaritiæ casu adortus fuerit, omnes illi sensus occludito. Quod si peccaveris, pœnitentiæ pharmacum quære : » ubi per curationem, sive medicinam, vides accipi pœnitentiam. Tunc ergo spiritus habentis potestatem ascendit super aliquem, cum animæ morbus illum impugnat, ac miserabiliter

subjicit. Et quod tunc medicamen apponendum? illud certe, ut vitio impugnatus locum suum, id est modum curationis non deserat; quia si uniformis atque assidua curatio peccatis maximis solet mederi, quanto magis minora, aut non nimis radicata curabit?

Secundo. *Secundo*, S. Ambrosius, lib. I *De Offic.* cap. XXI, per spiritum hunc accipit spiritum iræ: « Ergo, inquit, si prævenerit et præoccupaverit mentem tuam iracundia, et ascenderit in te, non derelinquas locum tuum; locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis moverit, et perversitas impulerit ad indignationem: si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est: Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Deinde inquire pacem, et sequere eam. Pacem illam S. Jacob vide. Quanta primum sedatio animi! Si non prævalueris, frenos impone linguæ tuæ: deinde reconciliationis studium non prætermittas. »

Tertio. *Tertio*, S. Gregorius, lib. III *Moral.* XIII, per spiritum hunc accipit spiritum superbiæ: « Ita namque, inquit, malorum locus est superbia, sicut est e contra humilitas locus bonorum, de quo loco per Salomonem dicitur: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris; ac si aperte dicat: Si tentatoris spiritum contra te in aliquo prævalere consideras, humilitatem pœnitentiæ non derelinquas. Qui quia locum nostrum humilitatem pœnitentiæ dixerit, verbis sequentibus ostendit, dicens: Quia curatio cessare faciet peccata maxima. Quid enim est aliud humilitas lamenti, nisi medicina peccati? »

Quarto. *Quarto*, S. Bernardus, serm. *De Quadruplici debito*, per spiritum hunc accipit tentationem dæmonis contra vocationem, ut scilicet ordinem tuum deseras prætextu melioris boni: « Secundum enim impetum, inquit, spirituum vestrorum huic tepido remissiorem, illi ferventi vitam arctiorem proponit, hoc solum expetens et exspectans, ut quoquo modo tollat eum a concilio justorum et congregatione. Profecto spiritus ille qui tibi hoc suggerit, spiritus mendax est, spiritus potestatem habens, qui tibi invidet locum tuum. Unde et Sapiens hujus rei non ignarus: Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, ait, locum tuum ne dimiseris. Absit enim ut spiritus veritatis, qui te huc adduxit, te reducere velit: quia non est in ore ejus *est* et *non*, sed est in illo *est*, sicut irrefragabilis auctoritas testatur: Nemo, ait Apostolus, loquens in spiritu Dei, dicit anathema Jesu. Jesus salvator, sive salus, anathema, separatio interpretatur. Qui vero tibi separationem a salute submurmurat, nec Dei Spiritus est, nec a Deo; quia Spiritus Sanctus non dispergere, sed colligere venit: qui semper revocat dispersos Israel in terram suam. » Idem, *serm.* 48, inter parvos, dupliciter exponit, scilicet de duplici animæ portione: « Duo, inquit, loca sunt animæ rationalis, inferior quem regit, et superior in quo quiescit Deus. De utroque potest recte intelligi quod scriptum est: Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris, vel inferiorem scilicet regendo, vel superiorem quiescendo. » Et inferius: « Dicitur ei ergo ne ascendente super eum spiritu locum suum deserat, hoc est, ne ingruente tentatione membra sua arma iniquitatis peccato exhibeat. Notandum autem quod dicitur: Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis; nihil quippe adversus nos malignus spiritus potest, nisi missus aut permissus. Unde cum ejus sit voluntas semper mala, nunquam potestas est nisi justa. Nam voluntas quidem ex seipso sibi inest, potestatem vero non aliunde quam a Deo habet. Quam tamen potestatem semper moderatur Dominus, ne scilicet ex nequitia voluntatis plus puniat, quam eorum exigunt merita, qui puniuntur. Et hæc de inferiori loco dicta sint. Cæterum de superiori hoc intelligitur, ne quietem mentis, quam in Deo habet, tentante diabolo deserat, sed undecumque illum tentaverit, ipsa in Deo fixa constanter in tranquillitate permaneat. » Et mox: « Hæc, inquam, sententia convenit perfectis, qui jam in sua conversatione quodam modo imitantur statum æternitatis. »

Vers. 5 et 6. 5 et 6. EST MALUM QUOD VIDI SUB SOLE, QUASI PER ERROREM EGREDIENS A FACIE PRINCIPIS: POSITUM STULTUM (repete vidi) IN DIGNITATE SUBLIMI (Hebræa, *positam stultitiam in excellentiis*, vel *celsitudinibus*, id est *magnis*), ET DIVITES SEDERE DEORSUM. — Hebræa, *et divites in humilitate* (in humili loco et sede) *sedebant;* Septuaginta, *datus est stultus in sublimitatibus magnis;* vetus translatio, *dari stultum in sublimitatibus magnis;* Chaldæus, *posuit improbum stultum ut sit in felicitate, et ministret in prosperitate, et cœlo alto, et exercitus ejus sint sublimes et multi, et populus servituti subditus sub eo;* Arabicus, *datus est stultus in altioribus* (locis), *et divites sedebunt in statu contempto.* Apposite hæc gnome nectitur præcedenti, *q. d.* Dixit: « Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: » quia inter alias mundi regumque et aulicorum vanitates, hæc una non minima est, quod sæpe per errorem principis potestatem habentis pauperes, viles et insipientes exaltentur, divites vero honorati et sapientes deprimantur; quare si idem tibi contigerit, locum tuum ne dimitte, patientiam retine, et mentis constantiam conserva (1).

(1) *Sicut error qui prodit a facie dominatoris*, id est, malum in terra animadverti, quod ex errore, quem princeps commisit, ortum est. Alii per *dominatorem* intelligunt *Deum*, vertuntque, *malum* istiusmodi, ut videatur *error Dei*, quasi Deus ipse errasset, illud permittendo. *Divites* hoc loco patet in partem bonam dici de nobilibus et gente et animo. Ita et vers. seq. *servi* sunt homines servili ingenio præditi.

Stulti subinde præsunt sapientibus.

Ingens utique hæc est vanitas et indignitas; cum cauda assurgit in verticem, pedes cum capite locum commutant, stulti imperant sapientibus, cæci oculatis ducatum præstant, juxta illud: « Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem, » *Prov.* XXVI, 8. Vide et Symmachum, lib. I, *epigr.* 29, applaudentem Ausonio: « Cui morum gravitas et disciplinarum vetustas, curulis sellæ insigne pepererunt. » Error proprie est in intellectu, ut cum princeps ex falsis informationibus putat sapientem et probum esse eum, qui est insipiens et improbus, ac vice versa eum qui est probus et sapiens putat esse improbum et insipientem, ideoque illum elevat, hunc deprimit. Unde Aquila et Theodotion pro *error* vertunt, *ignorantia*. Subinde tamen error est in voluntate et affectu, dum ex amore quo insipientem, quia facetus est et adulator, aut suæ cupiditati obsequitur, eum exaltat; atque ex odio quo sapientem, utpote sibi adversum, prosequitur, eum humiliat. Errore ergo principis fit hæc indigna personarum commutatio, et dignitatum officiorumque distributio; at non ex errore Dei, sed ex certa ejus providentia, præsertim qua populum, vel principem, vel ipsos stultos aut divites vult castigare aut probare; cujus rei duo exempla illustria recenset Anastasius Nicænus, Quæst. XV *in Scriptur.* Hoc est quod ait Job XXXIV, 30: « Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. » Ad hæc stulti et impii « tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. » Sapientes et pii ex alto labuntur in imum, ut præsentes honores, utpote instabiles, despiciant, et futuros in cœlis, utpote stabiles et æternos, suspiciant et ambiant: quis enim fidat rebus et soliis humanis hoc uno constantibus, quod nihil sibi constant? Hesternum decus, hodiernum dedecus excludit. Hesternum gaudium hodiernus et repentinus mœror luctusque obruit. Hesternas opes hodierna inopia ignorat, imo ex eis stirpem poscit et mendicat. Hesternam spem et vitam hodierna mors et desperatio strangulat et suffocat. O quantum est in rebus inane! o quam angusti sunt mortalium termini! Porro causam, cur Deus permittat stultos dominari et sapientes deprimi, esse ejus iram, et scelerum vindictam docet S. Chrysostomus, hom. 2 *De Pœnit.*; S. Augustinus, lib. XIX *Civit.* XXI; S. Gregorius, XXV *Moral.* per plura capita; S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 3 et 4; S. Bernardus, *De Convers. Cleric.* cap. XXVII, et alii.

Per stultum accipe pauperem, et vilem cui deest; per divitem vero quem stulto opponit, accipe potentem et prudentem, qui sua prudentia et solertia opes et honores sibi comparavit, quales sunt domini et principes. Unde explicans subdit: « Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos. » Est catachresis. Dives enim ponitur pro sapiente, quia divitiæ sæpe animos addunt, et ingenium industriamque acuunt, quod deprimit sternitque pauperas. Adde: divitiæ tam spirituales sunt, ut virtus et sapientia, quam corporales. Hinc nonnulli cum S. Hieronymo divitem accipiunt, sapientem, qui sapientia, virtute, meritis animique dotibus dives est. Unde Campensis vertit, *qui ad res gerendas vehementer idonei sunt, in humilitate sedebunt*; Thaumaturgus, *prudentiæ opibus affluentes*; Vatablus, *divites sapientia et virtutibus*; alii, *magni in sapientia et scientia*; sed hoc nonnullis mysticum videtur. Prius ergo quod dixi magis litterale est. Unde Aristoteles, IV *Polit.* VIII: « Nobilitatem » definit esse « veterem cum virtute opulentiam; » et S. Hieronymus, *Contra Helvidium*, esse *inveteratas divitias*.

Sors reges facit servos.

Exempla hujus sententiæ sunt: reges 70 qui subditi fuere Adonibezec, sub mensa ejus velut canes sedentes, imo jacentes et micas colligentes. Idem ipse facere coactus est victus et captus ab Hebræis, *Judic.* cap. I, 6 et 7. Valerianus Imperator captus a Sapore, dorso suo scabellum ipsi in equum conscendenti præbuit, uti et Bajazetes Turcarum Imperator, Tamerlano. Sic Diocletianus et Maximianus posito imperio humiles fuere, et subjecti Constantino Magno, imo ab eo ad necem adacti. Chaldæus exemplum dat Israelitas, qui cum essent domini, servire coacti sunt Idumæis aliisque gentibus, ut patet ex lib. *Judic.* Sic Heliogabalus Imperator, ait Lampridius, cap. XI Vitæ ejus, libertos fecit præsides, legatos, consules, duces, omnesque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Præclare Plutarchus, *orat.* 2 de fortuna Alexandri: « Quis, ait, magnus est in potentia constitutus, pravitate et stultitia eum tenentibus? Aufer virtutem a fortunato, prorsum humilem cernes in gratia paranda, ob illiberalitatem: in laboribus, ob mollitiem: erga deos, ob superstitionem: erga bonos, ob invidiam: inter vivos, ob timiditatem: inter mulieres, ob libidinem. Sicut enim inepti opifices, dum magnas bases parvis donariis supponunt, eorum parvitatem hoc ipso arguunt: sic fortuna, cum ingenium vile magnis ac splendidis rebus extollit, ideo magis demonstrat, atque infamiæ exponit, cum præ lenitate labascit atque impingit. »

Tropologice: Stultus est stulta concupiscentia, quæ erigitur dum insipiens ei se subjicit; sapiens vero est ratio et mens, quæ humili loco sedet, dum concupiscentiæ servire cogitur. Ita Olympiodorus et Auctor *Catenæ Græc.*: « Qui serviunt peccato, inquit, admissarii equi facti; qui autem peccato fuerunt dominati, humilem habent sensum. » Rursum princeps est diabolus, qui procurat indignos et impios promoveri ad honores, ut per eos populo dominetur, et sceleribus omnibus viam aperiat. Ita S. Hieronymus, qui et addit Hebræum suum per principem intellexisse Deum, qui permittit impios ad honores evehi.

7. VIDI SERVOS IN EQUIS, ET PRINCIPES AMBULANTES Vers. 7.

(pedibus quasi pedites) SUPER TERRAM QUASI SERVOS, — *q. d.* Vidi servos gloriosos et superbos vehi phaleratis auroque instratis equis, dominos vero sordidatos incedere pedites, imo pedissequos. Hinc equus symbolum est fastigii et superbiæ, homo enim conscendit equum, ut altior incedat, et cervix equi erecta superbum indicat. Unde illud : « Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus, » *Ps.* XIX, 8. Thaumaturgus vertit, *servos peccatorum in equis ferri, et viros sanctos pedibus honeste obambulare, videreque coram se impios superbientes* : repete quod præcessit, opus est tyranni et diaboli. Exempla sunt in Roboam, cui Jeroboam servus decem tribuum imperium ademit; in Aman, qui pedes Mardochæum equitem præire coactus est, ac quasi præco proclamare : « Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare, » *Esther* VI, 9. Præclare Seneca, *epist.* 47 : « Stare, inquit, ante limen Callisti dominum suum vidi, et eum, qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. » Et mox : « Tam tu illum videre ingenuum potes, quam ille te servum. Variana clade multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit : alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit! Contemne nunc ejus fortunæ hominem, in quam transire, dum contemnis, potes. » Et paulo inferius : « Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velles vivere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem tantumdem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum. Bona ætas est; forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? Vive cum servo clementer : comitem quoque, et in sermonem admitte, et in consilium et in convictum. » Hujus rei symbolo apud Romanos in Saturnalibus, famulis domini serviebant, ancillis matronæ Romanæ mense martio, teste Macrobio, lib. I, cap. VII, X et XII. Sapienter Comicus :

> Fortuna quando saltat, insultat simul.
> Regnante servo, vera regnat servitus.

Vide dicta *Proverb.* XXX, 22. Compertum est, ait Victor in *Diocletiano*, « humillimos quosque, maxime ubi alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse. » Hinc Felix ex servo et liberto Claudii Imperatoris ab eo creatus Judææ præses, « per omnem sævitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercuit, » ait Tacitus lib. V *Histor.* cap. II; et Romani, teste Suetonio, cap. LIX, Tiberio occlamabant :

> Regnabit sanguine multo,
> Ad regnum quisquis venit ab exsilio.

Tropologice S. Gregorius, XXXI *Moral.* X : « Equi nomine, inquit, dignitas temporalis accipitur, Salomone attestante, qui ait : Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos. Omnis quippe qui peccat, servus est peccati; et servi in equis sunt, cum peccatores præsentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes vero quasi servi ambulant, cum multos dignitate virtutum plenos nullus honor erigit, sed summa hic adversitas velut indignos deorsum premit. Hinc rursum dicitur : Dormitaverunt qui ascenderunt equos, id est, in morte animæ, mentis oculos a veritatis luce clauserunt, qui in præsentis vitæ honore confisi sunt. »

8. QUI FODIT FOVEAM, INCIDET IN EAM : ET QUI DISSIPAT SEPEM, MORDEBIT EUM COLUBER. Vers. 8.

9. QUI TRANSFERT LAPIDES, AFFLIGETUR IN EIS : ET QUI SCINDIT LIGNA, VULNERABITUR AB EIS. — Est hæc altera pars capitis, qua post encomium sapientiæ et vituperium insipientiæ, utriusque dogmata, actus et effectus de more hic subnectit; insipiens enim dum aliis fodit foveam, id est struit insidias, ipse in eamdem insipienter incidit; quare sapientiæ et sapientum dogma est : « Ne fodito alteri foveam, » quam enim aliis fodis, tibi fodis. Ergo quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris : ita Chaldæus, qui pergit hæc adaptare Idumæis, qui dolo cepere Judæos dolosos; unde ipsi Idumæi dolose a Chaldæis capti sunt : « Respondit, inquit, mensura judicii, et sic ait : Ipsi fuerunt causa ut evenirent eis omnia hæc; quemadmodum vir qui fodit foveam in bivio itineris, reus est, ut cadat in eam, sic gens quæ trangressa est decretum verbi Domini, et qui tenuerunt pugnam sæculi, cecideruntin manu regis impii, qui dolosus fuit eis sicut serpens. » Ita ipse more suo arcte et rabbinice. Vers. 9.

Apte ergo hæc cohærent cum præcedentibus, *q. d.* Stulti sæpe dejiciunt sapientes, ac servi dominorum sedes occupant per dolum, calumniam aut violentiam; sed hæc tandem in eorum caput recidunt, ut ipsi pariter ab æmulis vel hostibus dejiciantur et sternantur. Aliter Thaumaturgus, qui censet hic recenseri opera principis, de quo vers. 5, puta tyranni vel dæmonis. Quatuor hæ parœmiæ ad eumdem scopum collimant, idemque significant, scilicet vanitatem et insipientiam eorum qui per res difficiles, arduas et periculosas, præsertim per fraudem aut vim, similemve injuriam magna moliuntur, ex eo quod illa non nisi cum ingenti labore et periculo perficiant; quo fit ut sæpe periculo ipso lædantur et pereant, atque malum quod aliis parant, licet non semper, sæpe tamen in ipsosmet justo Dei judicio recidat, dum reciprocante justa Dei vel hominum vindicta, clades eadem vel similis in ejus auctores revolvitur : ut qui alteri pauperiem, despoliationem, carcerem, plagas, vulnera, necem injuste machinati sunt, in eadem lege talionis incurrant; idque sæpe in hac vita, semper in futura. Cajetanus subtiliter has quatuor parœmias ita distinguit, ut *prima* fossarum spectet ad insidias aliis parantes; *secunda* dissipantis sepes, ad aliena invadentes; *tertia*

transferentis lapides, ad eos qui congregationes perturbant; *quarta* scindentis ligna, ad eos qui unitatem scindunt, schismaque efficiunt; verum, ut dixi, eodem omnes tendunt, idemque in genere omnium est scopus, ac mens eadem. Ita S. Hieronymus, Thaumaturgus et alii.

Exempla sunt in Saule, cujus insidiæ contra Davidem in ipsummet revolutæ sunt; æque ac Achitophelis, II *Reg.* XVII, 23; item Jezabelis, III *Regum* XXI, 5; Caiphæ, *Joan.* XI, 49, et aliorum. Sic Maxentius pontem dissutilem super Tiberim insidiose struens insequenti Constantino, ex eodem in Tiberim dejectus mersusque est, teste Eusebio, lib. IX *Histor.* cap. VIII, et lib. I *De Vita Constantini*, cap. XII.

Gnomæ. Similes sunt philosophorum gnomæ. Hinc Pausaniæ, Lacedæmonum duci, Plutarchus in *Cimone* hoc datum narrat oraculum :

Pœna luenda tibi est : affert injuria cladem.

Et Pisistrato : « Nemo hominum aliquibus faciens injuriam, pœnam non persolvet. » Rhadamantus apud Aristotelem, V *Ethic.*, pronuntiat « justum esse ut quæ quis fecit injuste, eadem et patiatur. » Unde Pythagoræorum axioma : « Jus rectum fuerit, factis si perferat æqua. » Lex 12 Tabularum : « Si membrum rupit, ni cum eo pacet, talio esto. »

QUI FODIT FOVEAM, INCIDET IN EAM, — id est, qui alteri struit dolum, eodem peribit. Sumpta est metaphora a venatoribus qui feris, et a militibus qui hostibus dolose parant fossas, easque cespite contegunt, in quas incauti hostes et feræ incidunt; sed ipsimet venatores non raro incogitanter in easdem prolabuntur. Eamdem ad verbum gnomen habet Ecclesiasticus, cap. XXVII, 29, ubi eam explicui. Porro Thaumaturgus clare vertit, *at qui alteri insidiatur, nescit quod sibi ipsi primum, et soli parat insidias.* Sic sæpe (quod maxime hic spectat Sapiens, uti dixi initio versus) qui per fraudem et calumniam viros probos statu suo dejiciunt, illumque invadunt et occupant, eodem ab aliis, quos illis æmulos Deus suscitat, dejiciuntur, imo subinde capite minuuntur et vita multantur.

QUI DISSIPAT (Vatablus, *perrumpit*; Tigurina, *demolitur*) SEPEM, MORDEBIT EUM COLUBER, — qui in cavernis vel herbis sepium delitescere solet. Sensus est, quem paulo ante dedi, *q. d.* Qui aliena invadit et irrumpit, in damnum idem et simile incurret. Thaumaturgus, *qui securum alterius demolitur præsidium, in serpentis morsus passim incidet.*

Tropologice, sepes dissipant et lapides transferunt, ut sequitur, qui receptas probasque leges et jura tum publica, tum religionis, tum disciplinæ convellunt, ideoque puniuntur vel ab hominibus, juxta illud *Proverb.* XXII, 28 : « Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. » Et illud *Isaiæ* LVIII, 12 : « Vocaberis ædificator sepium, » id est reformator disciplinæ. Ita S. Hieronymus; et Olympiodorus : Sepes, inquit, est fides Ecclesiæ fundata Apostolica prædicatione, quam subvertunt hæretici; unde et ipsi subvertentur. Rursum sepes est sanctitas animæ, et timor Domini, quem qui dissipat mordebitur a diabolo. Unde Auctor *Catenæ Græc.* totum hunc versum sic vertit, *qui peccat, ipse suam ipsius animam punit : Qui ergo contemnit præcepta, vel etiam in fallacium rerum cognitionem impingit, divina gratia nudatus mordebitur a peccato.* Insuper sepes sunt munimenta animæ, quibus defenditur a periculis peccandi, uti sunt claustra virginum, præsentia parentum, superiorum vel sociorum, quæ qui amovet, facile in diaboli tentationes et morsus incidit.

QUI TRANSFERT (*subtrahit*; Cajetanus, *commovet*; Campensis, *projicit*; Syrus, *mutabit*; Arabicus, *tollit*) LAPIDES (id est materiam aliquam lapidum, præsertim si id facit, ut sepem, vel hortum vel domum alienam diruat aut vastet), AFFLIGETUR IN EIS, — tum labore, quo eos transfert; tum casu vel allisu lapidis cujuspiam, quo lædetur vel obteretur. Pro *affligetur* hebraice est, *dolore afficietur*; Aquila et Symmachus, *dilacerabitur in eis*; Complutenses, *torquebitur*. Sensus est, *q. d.* Qui rem periculosam aggreditur, non raro ipso periculo capitur et læditur. Rursum qui aliis damnum infert, sibi ipsi infert. Sic Samson, concutiens columnas domus ad perdendum Philistæos, seipsum perdidit, dum ejusdem ruina oppressus est, *Judic.* XVI, 30.

ET QUI SCINDIT (secat, findit) LIGNA, VULNERABITUR AB EIS. — Septuaginta, *periclitabitur in eis*; Syrus, *dissipatio ejus fiet*; Arabicus, *claudetur in eis*; alius, *calescet in eis*, id est aduretur et cruciabitur. Jam *primo*, Chaldæus hanc parœmiam et præcedentem accipit de Manasse adorante idola lignea, ideoque capto ab Assyriis : « Dixit Salomon, inquit, propheta : Revelatum est coram me quod Manasses filius Ezechiæ futurus est ut peccet, et ut adoret simulacra lapidea; ideo tradetur in manu regis Assyriorum, et vinciet eum catenis eo quod cessare fecit verba legis, quæ scripta fuerunt a principio in tabulis lapideis; ideo tribulabitur in eis; et Rabsaces frater ejus futurus est, ut adoret simulacra lignea, et ut dimittat verba legis, quæ posita fuerunt in arca lignorum Setim : ideo futurus est, ut comburatur igni per manum angeli Domini. » Verum hæc symbolica, judaica et aliena sunt. *Secundo*, Vatablus et Clarius censent hic significari, citra industriam nil recte fieri posse, ac sine sapientia molestum esse quemvis laborem, ut sive quis lapides transferat, sive ligna findat, nisi adhibeat industriam, multum sit laboraturus, seque defatigaturus, idque sæpe irrito conatu nulloque effectu. *Tertio* et genuine, sensus est, *q. d.* Qui res difficiles et periculosas aggreditur, sæpe earum periculis capitur et obruitur, juxta illud *Eccli.* III, 27 : « Qui amat periculum, in illo peribit. »

Tropologice, qui in Ecclesia vel congregatione facit schisma, eodem affligetur, imo subinde pe-

ribit. Alii referunt ad excommunicationem non temere, sed lente et raro ferendam, *q. d.* Qui temere et cito alium excommunicat et ab Ecclesia abscindit, hic facile ab eodem vel ab amicis velabitur, et male mulctabitur. Rursum S. Nilus in *Ascetico*, circa medium (exstat tom. V *Biblioth. SS. Patrum*) : « Qui rationis, inquit, acie, tanquam securi, res fecerit, et quæ concutienda sunt a conjunctione separans, vera bona a falsis sejungere profitetur, nisi recto undique rationis judicio utatur, periculum addit, ne scandalum audientibus præbeat. » Porro Auctor *Catenæ Græc.* sic totum hunc versum convertit : « Qui insectatur sanctos, vel Scripturæ verba signo adulterino depravat, sibi consciscit interitum. Vel : Qui domum suam virtutibus ædificat, secundum Deum laborat. »

Vers. 10. 10. Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et (sic) post industriam sequetur sapientia. — Pro *retusum fuerit* Hebraice est קָהָה *keha*, id est obstupuerit, stupidum et obtusum sit; *keha* uti litteris, ita et significatione alludit ad כָּהָה *cdha*, id est caligavit, obscuritas est, pertinetque ad oculos et ad visum : quod enim est acies videndi in oculo, hoc est acies scindendi in cultro; unde sicut oculus hebetatus acie dicitur caligare, sic et culter. Hinc Cajetanus vertit, *si obscuratum est ferrum*. Rubigo enim obscurat et hebetat ferrum, a qua dum tergitur, politur, lucescit et splendescit, juxta illud *Ezech.* XXI, 9 : « Gladius exacutus est et limatus, etc. Ut splendeat limatus est. » Pro *et hoc non ut prius*, Hebraice est וְהוּא לֹא פָנִים קִלְקָל, *vehu lo panim kilkal*, quod Pagninus et Tigurina vertunt, *nec facies ejus fuerit tersa*, vel *polita*; Vatablus, *et ipse scindens non terserit utrumque latus*; Syrus, *et ipsum faciem perturbat*. Noster melius vertit, « et hoc non ut prius, » scilicet tersum politumque fuerit (1).

Pro *multo labore exacuetur*, Hebraice est וְחַיָּלִים יְגַבֵּר *vachaïalim iegabber*, quod varii varie vertunt. Septuaginta, *et fortitudines confortavit*; Syrus, *et interfectos multiplicat*; Pagninus, *et vires roborabit*; alii, *vires roborabit scindens*; Tigurina, *exercitum postulat*; Campensis, *quantumvis fortibus multum negotii exhibet*; Vatablus, *tunc vires scindentis evincet ferrum*; Noster optime vertit, « multo labore exacuetur, » S. Hieronymus, in veteri editione, *virtutibus corroborabitur* vel confortabitur; Complutenses, *et potentias confortabit*; Thaumaturgus, *per injustitiam adaugere quærit potentiam brevi duraturam*; alii, *prævalebit exercitus*. « Et post industriam sequetur sapientia. » Septuaginta, *et abundantiâ viro, non sapientiâ*; Syrus, *lucrum prosperis sapientia*; Arabicus, *et sapientia virtus roboris*; S. Hieronymus in veteri editione, *et reliquum fortitudinis sapientia est*; Symmachus, *procedit qui vigorem adhibuit ad sapientiam*; alius, *præstantia rectificandi sapientia*; Pagninus, *excellentia sapientiæ super alta est, quod rectum faciat*; Vatablus, *excellentia rectificationis* (Cajetanus, *rectitudinis*) *est sapientia*; Campensis, *sapientia res difficiles alioqui, faciles reddit*; Tigurina, *exercitus etiam requirit aliquos, qui reddat eos fortiores*; alius, *excellentia dirigit se per sapientiam*. Omnia fere eodem recidunt, *q. d.* Sicut cos acuit rectamque facit aciem ferri, quæ prius torta erat et retusa : sic excellentia, industria, et exercitium sapientiæ, velut cotis, in eo consistit, quod hominem faciat rectum, eumque dirigat in omnibus actionibus, illasque rectas, æquas, justas sanctasque efficiat. Efficit enim ut homo a recto proposito non deficiat, sed in omnibus judicium rectæ rationis, ac divinæ legis et voluntatis velut rectissimam operum regulam sequatur.

Denique Hebræum כִּשָּׁרוֹן *kisron* tria significat, scilicet industriam, rectitudinem et congruentiam. Unde *tertio*, vertas, *et residuum*, vel *excellentia congruentiæ est sapientia*, *q. d.* Excellentia sapientiæ et virtutis in eo sita est, si omnia fiant congrue, honeste, decore, ut in omnibus servetur τὸ πρεπόν; sed hoc opus, hic labor est mentis pervigilis, omnesque circumstantias loci, temporis, personarum attente lustrantis et circumspicientis. Jam

Primo, Chaldæus per ferrum accipit cœlum ferreum, quod recludit aperitque sapientia, id est sapiens pœnitentium oratio : « Quando, inquit, peccavit populus, facti sunt cœli fortes sicut ferrum, ne deducerent pluviam; et quia illa generatio non oravit coram Domino, ideo condemnatum est omne sæculum in fame; et quando conversi sunt, et congregantur per turmas, et prævalent contra concupiscentias suas, et constituunt præpositos, ut quærant misericordiam a Deo cœli, est voluntas ejus propter excellentem rectitudinem sapientiæ eorum : » voluntas, id est favor, benevolentia, beneficentia; unde Costus vertit, *illis cœlum, propter dignitatem et decorem sapientiæ illorum, omnia ex voto tribuit*. Verum nemo non videt hæc mystica esse, imo violenta et coacta.

Secundo, Septuaginta, quos sequuntur Thaumaturgus, Olympiodorus, et S. Cyprianus, lib. V *Testim. ad Quirinum*, cap. LXXXVI, hæc nectunt versui præced. : « Scindens ligna, inquiunt, periclitabitur in eis; si exciderit ferrum, et ipse faciem turbabit, » *q. d.* Findens ligna periculum adit, ne si ferrum quo secat e manubrio excidat, ipsum turbet, dum ipsum vel alium ferit et lædit.

Tertio, Campensis vertit et explicat per antithesin ferri et sapientiæ, quod ferrum deficiat aliquando, sapientia nunquam : « Si retusum, inquit, fuerit ferrum, quo secant ligna, quantum-

(1) *Si hebetatum fuerit* (Maurer, *si quis hebetaverit*) *ferrum, et is* (ligna findens) *faciem*, aciem securis, *non* acuit, tunc *is vires roborat*, et inepte exhaurit; *sed emolumentum prosperandi* (alii, *præstantia directionis*) est sapientia, id est, si sapientia uteretur, securim acueret, et res facile succideret.

vis fortibus multum negotii exhibebit; sapientia vero difficiles alioqui res, sæpe faciles reddit.»

Quarto, Hebræum חיל *chaialim*, quod Noster vertit, *multo labore*, significat quoque vires, copias, exercitus. Unde Tigurina vertit, *cum ferrum hebes fuerit, nec facies ei polita, exercitium postulat; exercitus quoque requirunt aliquem, qui fortiores reddat : sed majore studio optare conveniet sapientiam*, quia, ut superius dixit, plus valet plusque efficit sapientia, quam arma bellica. Sic et Pagninus, Clarius et Vatablus. Aliter quoque Cajetanus, Olympiodorus, Moringus; ac fere tot hic sunt versiones, quot interpretes, tot sententiæ, quot capita.

Verum longe melius et verius Noster vertit per *homiosin*, sive assimilationem ferri cum sapientia, quod sicut ferrum hebetatum per laborem acuitur, sic et sapientia, et virtus per torporem hebetata acuatur per industriam. Unde ait : « Si retusum fuerit ferrum, » puta ferreus culter vel gladius. « Et hoc non ut prius, » id est, et hoc non fuerit politum et acutum sicut erat prius, « sed hebetatum fuerit » per rubiginem vel nimiam sectionem, « multo labore exacuetur; » Hebraice, *in fortitudinibus*, vel *in multa strenuitate*, virtute et robore *roborabit*, scilicet illud faber : « Et (id est *sic*, vel simili modo) post industriam sequetur sapientia. »

Sensus ergo est, *q. d.* Sicut culter vel gladius ferreus rubigine obductus (rubigo enim exedit ferrum), retusus et hebetatus, crebra et laboriosa confricatione cotis vel chalybis, subinde etiam ignitione et malleatione acuitur : sic pariter mentis acies otio, desidia, gula, aliove vitio retusa et hebetata, magno rursus industriæ, studii et virtutis exercitio et labore acuenda est, et ad pristinum rigorem revocanda. Cos ergo, quo retusa torpidaque virtus et sapientia acuitur, est animi corporisque excitatio, confricatio et exercitatio, sicut disputatione et confricatione argumentorum acuitur ingenii et veritatis acumen; ignitio est consideratio ardensque meditatio, juxta illud Psaltis : « In meditatione mea exardescet ignis » charitatis et zeli. Malleatio est mortificatio, pœnitentia, tribulatio. Ita S. Hieronymus : « Si se, inquit, aliquis viderit per negligentiam amisisse scientiam Scripturarum, et acumen ingenii ejus fuerit obtusum, et conturbatus nequaquam manserit qualis esse jam cœperat : evenit quippe interdum, ut cum modicum scientiæ quis habuerit, elatus in superbiam, discere desistat et legere, et paulatim ex eo quod nihil ei additur, subtrahatur, et vacuum disciplinis pectus remaneat, ferrumque quod acutum fuerat hebetetur : otium enim et desidia quasi quædam rubigo sapientiæ est. Si igitur quis hoc passus fuerit, non desperet remedium sanitatis, sed vadat ad magistrum, et rursum instruatur ab eo, et post laborem et industriam sudoremque nimium valebit sapientiam recipere, quam amiserat. Hoc est quod in Hebræo significantius dicitur : Et fortitudinibus corroborabitur, id est, labore et sudore, et industria, et quotidiana lectione sapientiam consequetur; et fortitudo ipsius habebit hunc finem, ut accipiat sapientiam. » Accedunt Albinus, Titelmannus et alii, qui sic exponunt, *q. d.* Sicut si otietur ferrum, obtunditur, nigrescit, rubiginem contrahit, consumitur : sic si ars, scientia, virtus non exerceatur, languet, sordidatur, corrumpitur : quod damnum non nisi magno labore et studio reparari potest. Vere Plutarchus in *Moral.* : « Ut culmus, inquit, primum in altum insurgit impetu, deinde crebris geniculis intersecatur, postremo in summo venti flatibus laborat : sic quidam initio fervent, deinde subinde subsistunt et offenduntur, in extremo deficiunt defatigati. »

Rursum hanc gnomen applices politiæ, puta rectoribus, magistris, parentibus, *q. d.* Sicut ferrum hebetatum non a seipso, sed a fabro per cotem aliudve instrumentum acuitur : sic subditi, discipuli, filii in studio sapientiæ et virtutis hebetes et desides multo rectorum, præceptorum et parentum labore et industria excitandi, acuendi, poliendi, perficiendi sunt. Unde B. Dorotheus, Climachus, Cassianus cæterique rerum spiritualium magistri docent superiores debere subditorum virtutem variis exercitiorum industriis pungere et stimulare, itaque acuere, ne si eam otiari sinant, illa pigrescat, torpescat, hebescat : quare eos qui id facere vel ex metu, vel ex desidia negligunt, perinde facere ac si parens filio panem subtrahat : quo fit ut filius non crescat, sed deficiat et arescat; vicissim subditos non debere id ægre ferre, sed eis gratias agere, quod officio suo, ad quod a Deo obligantur, rite perfungantur ad subditorum bonum. Sicut ergo culter coti non indignatur, sed si loqui posset, eidem gratias ageret, quod ejus confricatione, licet laboriosa et aspera, acuatur, poliatur et splendescat : sic pariter subditos rectoribus gratias agere par est, quod eorum monitis, correctionibus, disciplina, pœnitentiis, etc., in humilitate, patientia, obedientia omnique virtute religiosa acuantur et perficiantur.

Porro, S. Bonaventura hanc gnomen applicat non subditis, sed Prælatis, quorum mores mutarunt honores, *q. d.* Prælati, qui antea erant modesti, humiles, probi, et ad omnem virtutem acuti, per Prælaturam facti superbi, liberi, imperiosi, et honori, opibus, ac deliciis vacantes, hi magno correctionis labore indigent, ut ad primævum splendorem et acutam virtutis aciem revocari queant. Ratio est, quod nemo subditorum illos corrigere audeat, et, si quis audeat, ipsi eum non audiant. Vide S. Gregorium, hom. 18 *in Ezech.*, ubi docet subditos magis oratione et exemplo sanctæ vitæ, quam verbo corrigere debere suos superiores.

Denique hanc gnomen applices quibuslibet sive

superioribus, sive inferioribus, sive æqualibus, juxta illud *Prov.* XXVII, 17 : « Ferrum ferro exacuitur, et homo exacuit faciem amici sui, » *q. d.* Sicut ferrum aciem retinet, dum usu teritur; et dum non teritur, magis atteritur : usu enim ipso acuitur, non usu rubigine consumitur : sic pariter vis animi nostri vel in virtutibus, vel in scientiarum artiumque habitibus concidit, nisi illi in actum revocentur; quare amicus, cum amico dissertans, ejus animi vires expolit et exacuit. Porro ferrum notat naturæ nostræ, per corpus et concupiscentiam depravatæ, duritiem et depressionem, ut instar ferri non nisi magno longoque labore ad virtutem et sapientiam cœlestem expoliri et exacui possit. Hinc Isidorus, lib. XVI *Etymol.* cap. XX, ferri hæc dat etyma : Ferrum, inquit, dicitur a *farre*, quod farra, id est semina frugum terræ condat; alii, quia *feratur* in agros colendi causa; nonnulli, a *ferendo*. Additque versam in opprobrium speciem ferri, quod eo fundatur sanguis humanus, ideoque sanguinem hunc de ferro se ulcisci, cum ferrum sanguine contactum celerius rubiginem contrahat. Audi et Plinium, lib. XXXIV, cap. XIV : « Ferrum, inquit, optimum pessimumque vitæ instrumentum : siquidem hoc tellurem findimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc excutimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia non cominus solum, sed etiam missili volucrique nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato : quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem ut ocyus mors perveniret ad hominem alitem illam fecimus pennasque ferro dedimus. Quamobrem culpa ejus non natura fiat accepta : et tamen potest innocens esse ferrum. In fœdere illo quod, expulsis regibus, populo Romano dedit Porsenna, nominatim invenimus, ne ferro nisi in agricultura uteretur. » Hæc ille.

Ferri etyma.

ET POST INDUSTRIAM (sequitur) SAPIENTIA. — Industria est animi promptitudo et sagacitas, sive habilitas ad aliquid faciendum, puta ars et solertia ingeniosa ad rem conficiendam; inde pro artis sive ingenii exercitatione accipitur. Unde Festus : Industrium, inquit, veteres dicebant indostruum, quasi quidquid ageret initio strueret et studeret domi. Sapientia ergo et virtus paratur industria, id est *primo*, labore et exercitio; *secundo*, sagaci mentis solertia et ingenio. Sic videmus eos qui industrie, id est methodice et artificiose student, parvo labore plus proficere, quam cæteros, qui magno. Ars enim superat naturam et vires. Sic fabri, qui callent artem acuendi ferreos cultros, longe melius et minori labore id faciunt quam cæteri qui artem illam ignorant. Vere Plinius, lib. IX, cap. IV : « Rhombus, inquit, et squatina, et rhaia, et pastinaca cum tardissimi sint piscium, tamen sæpe reperiuntur habentes in ventre mugilem, omnium velocissimum solertia et ingenio capientes. Ita quidam arte superant longe potentiores opibus aut viribus. » Hinc industria in emblematibus pingitur ut matrona amicta veste pretiosa, artificiose opere phrygionico elaborata; dextra tenet examen apum, altera machinam, quæ pondera in altum elevat; pingitur nudis pedibus, in capite gestat statuam Pluti, quia ipsa parit opes, quibus præsidet Plutus. Idem habet locum in virtute, sanctitate et perfectione. Qui enim novit artem contendendi ad apicem virtutis, parvo labore eum adipiscitur, quem alii magna fatigatione post multos annos vix assequuntur. Tales sunt qui toti sunt in jejuniis vitæque rigore et austeritate; item qui toti vacant rebus externis, ut curandis infirmis, pauperibus, hospitibus, etc. At qui vacant charitati et orationi, cito ad perfectionem conscendunt : sanctitas enim in charitate consistit. Rursum industria et praxis accumulandi merita, augendique gratiam et gloriam est, si omnia opera etiam adiaphora facias ex charitate; cui si addas alios aliarum virtutum actus et fines, singulæ eidem actui novum addent meritum; quare viri solertes suos actus faciunt ex imperio charitatis, religionis, humilitatis, obedientiæ, gratitudinis, patientiæ aliarumque virtutum, v. g. dum edunt, student, docent, etc., initio operis idipsum Deo offerunt, dicuntque Domino : Volo edere, studere, docere, simileque opus facere ex tui amore, ut tibi placeam; ex tui cultu, ut te honorem; ex humilitate, ut me despiciam; ex obedientia, ut jussis tuis vel superiorum meorum obtemperem; ex gratitudine, ut tibi pro beneficiis in me collatis gratias agam, teque laudem et celebrem; ex patientia, ut cruci et passioni tuæ me conformem; ex zelo animarum, ut proximos convertam vel in virtute promoveam : quo enim idem actus a melioribus et pluribus virtutibus imperatur, eo est melior, eoque majora gratiæ et gloriæ præmia promeretur. Hoc est quod ait S. Augustinus : « Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major charitas meliorque voluntas auget meritum. » Exstant libri sapientes de praxi et industria virtutes et merita accumulandi, quos operæ pretium est legere et in effectum deducere.

Industriæ emblema.

Industriæ emblema.

11. SI MORDEAT SERPENS IN SILENTIO (Hebr. *absque murmure*, mussitatione, sibilo), NIHIL EO MINUS HABET QUI OCCULTE DETRAHIT. — Pro *qui occulte detrahit*, Hebraice est בעל לשון *baal lascon*, id est *dominus linguæ*, vel *habens linguam*, per quem Septuaginta, Syrus et Arabicus intelligunt incantatorem, qui sua לחש *lachas*, id est mussitatione et murmure, puta suis carminibus vel veneficiis solet excantare serpentes, ne mordeant et noceant. Unde Septuaginta vertunt, *si momorderit serpens in non susurro, et non est amplius incantanti*, scilicet remedium contra morsum : quia serpens incantatur ne mordeat; post morsum enim non prodest incantatio. Unde Syrus vertit, *non est lu-*

Vers. 11.

crum (alii, *utilitas*) in malefico; Arabicus, *non reperietur in malefico bonitas;* Aquila, *absque incantatore;* S. Hieronymus vero in veteri editione vertit, *si momorderit serpens in silentio, non est amplius* (remedium) *habenti linguam;* repete, si habens linguam in silentio maneat, nec lingua utatur : idque exponit de peccatore, qui peccatum commissum silet, nec vult confiteri, cui proinde nullum supersit veniæ remedium : « Si quem, inquit, serpens diabolus occulte momorderit, et, nullo conscio, eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. » Sic et Olympiodorus. Hinc et Thaumaturgus vertit, *occultum autem serpentis morsum incantatores non medicabuntur. Mali itaque vani sunt.* Accedit Cassianus, *Collat.* II, cap. I, ubi Serapion narrat se consuetudinem furandi panem superasse per publicam furti confessionem. Confirmat id ex hoc loco quem sic legit : « Si momorderit, inquit, serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori, taciti serpentis morsum perniciosum esse designans; id est, si per confessionem suggestio seu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, spiritali scilicet viro qui carminibus Scripturarum mederi protinus vulneri, et extrahere de corde consuevit noxia venena serpentis, patefacta non fuerint, succurrere periclitanti periturove non poterit. » Superior ergo et confessarius est excantator peccatorum. Verum optime vertit S. Hieronymus in Vulgata; nam *baal lascon,* id est *dominus linguæ,* est detractor. Sensus ergo est quasi dicat, ait S. Hieronymus : « Serpens et detractor æquales sunt : Quomodo enim ille occulte mordens, venenum inserit, sic iste clam detrahens, virus pectoris sui infundit in fratrem, et nihil habet a serpente amplius. Cum enim lingua hominis ad benedicendum Deum et ædificationem proximi sit creata, ille eam serpenti æqualem facit, dum virtutibus ejus in perversum abutitur. Detractor ergo est serpens (1). »

Detractor est serpens. Primo.

Primo, quia sicut serpens abscondite venenum infundit, et cum advertis, invenis te ab illo percussum, et veneni pestiferi violentia sauciatum : sic detractorem admittens, et fratris peccata aut defectus audiens, subito amorem quem erga illum habebas, aut vulneratum aut penitus exhaustum invenies. Detractio enim in hoc differt a contumelia, quod hæc palam et in facie probrum alteri præsenti objiciat; illa vero furtim, clam et occulte absenti obtrectet.

Secundo.

Secundo, morsus serpentis non unam, sed multas plagas morsu suo homini infligit, quia venenum per omnia membra proserpit, eaque inficit et cruciat. Sic et detractor sua malevolentia et maledicentia fratrem lædit, pacem turbat, charitatem dissipat, unitatem scindit, audientes scandalizat; odia, lites, rixas et bella suscitat, adeoque subinde cœtus, urbes et regna evertit.

Tertio.

Tertio, serpentis lingua est trisulca, ait Plinius, lib. XI, cap. LVII; et Isidorus, lib. I *Orig.* cap. IV : « Tenuissima, ait Plinius, serpentibus (lingua), et trisulca, vibrans, atri coloris, et, si extrahas, prælonga. » Unde mordendo tria vulnera infligit : sic et lingua detractoris detrahentis conscientiam peccato lethali vulnerat, famam proximi sauciat, et audientium aures mentemque malevolentia sua inficit. Unde S. Bernardus, *De Triplici custodia, manus, linguæ et cordis* : « Lingua, ait, maledica illius percutiens conscientiam, et hujus vulnerans charitatem, secum pariter utrumque perimit. Numquid non viperea est lingua ista? ferocissima plane, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? profecto et acutissima quæ tres penetrat ictu uno : Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imo triceps est lingua detractoris. » Addit deinde aliquid magni miri : « Nec vero ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis; fodit enim hæc quoque Christi corpus et membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummatio judaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hujus, quod nunc pungitur et transfoditur, corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus : Levis res sermo, tenera, mollis et exigua caro lingua hominis : quis sapiens magni pendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit; leviter penetrat animum, sed non leviter exit; profertur leviter, sed non leviter revocatur; facile volat, atque ideo facile violat charitatem. »

Quarto.

Quarto, Horus Apollo detractoris hieroglyphicum ponit basiliscum, sive regulum, qui solo visu homines interficit : sic et detractor sola voce. Rursum alii serpentes excantari possunt, regulus vero nequaquam. Unde illud *Jeremiæ* VIII, 17 : « Ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio. » Sic et detractor, quia occulte detrahit, ab eo qui detrahit impediri nequit, cum ipse purgare nequeat seipsum, ignorans crimen sibi objici

(1) Hodierni fere omnes vertunt, *si momorderit serpens in non incantatione,* proprie *susurramine magico* non adhibito (vid. Bochartum, *Hieroz.,* part. III, lib. II, cap. VI), *tum nulla est præstantia possessori linguæ,* id est ei qui linguæ peritia pollet ad serpentes incantandos, ut sententia spectet ad commendationem sapientiæ, quæ sola prodest contra serpentis morsum. D. Hieronymus vero, *si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam,* id est homini linguaci et maledico, ut simplex hic sensus sit : Serpens et detractor æquales sunt.

a detractore. Morsus enim detractoris, æque ac serpentis, est furtivus ac clandestinus, ait Thaumaturgus. Rursum, sicut serpentes, v. g. aspides, contra incantationem se præmuniunt, unam aurem terræ admovendo, alteram cauda obturando: sic detractor cor et aures occludit sua malevolentia, ne quis sermonem ejus interrumpat, aut divertat.

Quinto. *Quinto,* lingua detractoris est serpentina; habet enim serpens sub lingua vesicam plenam veneno, quæ quando mordet rumpitur. Similem habet detractor sive susurro. Unde illud : « Venenum aspidum sub labiis eorum, linguis suis dolose agebant, » *Psal.* CXXXIX, 4. Hac de causa serpentinis Judæorum linguis contra Mosen murmurantibus eique detrahentibus, Deus serpentes ignitos immisit, *Num.* XXI, 5, ad quos alludens hic Chaldæus sic apposite vertit, *sicut immittuntur serpentes igniti, ut vexent et noceant sæculo propter peccata domus Israel, qui non laboraverunt in verbis legis in silentio : sic non erit amplius viro, qui accusator est et susurro, quoniam igne gehennæ succendetur.*

Sexto. *Sexto,* Vatablus sic exponit, *q. d.* Sicut serpens non præventus, nec impeditus incantatione, obvios mordet : sic natura nostra, destituta sapientiæ incantamento, aliis detrahit, et proximorum famam devorat, rodit et mordet, juxta illud Horatii, I *Serm.* satyr. 4 :

Absentem qui rodit amicum, etc.
Hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.

Septimo. *Septimo,* aspidis morsus est lenis, ut vix sentiatur velut punctura acus, sine tumore; virus tamen ejus illico ad sanguinem et viscera pervadit. Unde Cleopatra aspidis morsu se occidit, ut suavissime moreretur, ne cum Antonio marito a Cæsare Augusto post Actiacam de iis victoriam duceretur in triumphum. Sic detractoris sermones lenes sunt, blandi et jucundi : simulat enim asseritque se non ex odio, sed ex amore et studio emendandi vitia proximi recensere; sed illico maledicentia vulnerat famam absentis et conscientiam audientis. Rursum, ex morsu aspidis vix gutta distillat sanguinis clari et rubri, sed obscuri et nigri : sic et detractio nil distillat, nisi famæ et conscientiæ denigrationem; prodit enim ex lingua ejusque vesica, quæ uti serpenti, sic et detractori fusca est et atra, atroque veneno referta.

Octavo. *Octavo,* Syri juxta Euphratis ortus, per naturalem complexionis antipathiam, vel, ut alii volunt, sympathiam, non mordentur, nec læduntur a serpentibus, æque ac Psylli in Africa, Ophiogenes in Cyro et Hellesponto, Marsi in Italia : hi enim omnes, ait Plinius lib. XXVIII, cap. III, « sunt terrori serpentibus, tactu ipso levant percussos (a serpentibus) suctuve modico. » Vide Delrio, *De Magia,* Quæst. IX et XIII. Sic viri sapientia, fama et sanctitate eminentes, detractorum linguas non metuunt; sed omni detractione superiores sunt, quin imo et alios calumniam passos, unico verbo suæ famæ et quieti restituunt.

Denique pro *non minus habet,* Hebraice est לֹא יְתֹרָן *lo iitron,* id est *non amplius habet,* non excellit serpens morsu suo morsum domini linguæ, id est detractoris, sed potius ab eo superatur. Est miosis : minus enim dicitur et plus significatur, *q. d.* Amplius mordet lingua detractoris, quam serpentis. Occultior, dolosior, nocentior est morsus detractoris, quam serpentis. Hic enim corpus, ille famam et conscientiam mordet, et mordendo perimit : quare virulentia linguæ detractricis vincit virus omne anguium et aspidum; nec tam serpentina est, quam gehennalis et diabolica, uti docet S. Jacobus, cap. III, 7, ubi pluribus idipsum ostendi. Quare « dum aures inficit, animas interficit, » ait S. Bernardus, serm. 24 *in Cantica,* ubi ejus mores et gestus hypocriticos, quibus amore ficto celat odium virulentum, ita graphice depingit : « Alii, inquit, simulata verecundia fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate et tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis et voce plangenti egredi maledictionem, et quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde invito, et magis condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quod diligo eum satis, et nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius : Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset; at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico : Revera ita est. »

Vers. 12. 12. VERBA ORIS SAPIENTIS GRATIA (Campensis, *gratiam habent*) : ET LABIA INSIPIENTIS PRÆCIPITABUNT EUM. — Hebræa, *deglutient,* vel *devorabunt eum.* Ita Septuaginta; Syrus, *verba oris sapientis gloria, et labia stulti maculant illum;* Arabicus, *impediunt illum;* alius, *perdunt illum;* Cajetanus, *destruent illum;* Campensis, *subvertent eum;* Tigurina, *ex ore sapientis prodeunt res quæ gratiam conferunt, quam labia stulti velut absorbendo auferunt.*

Pronomen *eum* dupliciter sumi potest : *primo,* absolute, ut referat sapientem; *secundo,* reciproce, ut referat insipientem. Priori modo est antithesis pugnæ insipientiæ et insipientis contra sapientem et sapientiam, *q. d.* Sapiens loquitur verba gratiosa; at stultus superbus et invidens contradicit, ac multis verbis et rationibus contra eum pugnat, ut eum præcipitet, supplantet, vincat, confundat et sibi similem faciat. Ita S. Hieronymus qui et addit : « Et revera præcipitatur vir sapiens, quando in aurem loquitur imprudentis, et verba ejus in profundo, ut ita dicam, gurgite pereunt. Unde beatus ille est qui in aurem loquitur sapientium. » Posteriori modo, nervosior est antithesis stultitiæ et stulti, impugnantis et præcipitantis non sapientem, sed seipsum, *q. d.* Sapiens loquitur cum multa gratia, puta sapienter, mo-

Sapiens loquitur gratiose.

deste, benevole, utiliter, amabiliter, jucunde: quo fit ut audientium gratiam sibi conciliet; at insipiens loquitur insipide, immodeste, arroganter, imprudenter, impudenter, petulanter: quo fit ut odium audientium sibi consciscat, quin et lites et rixas, quæ eum in gravia damna, ac subinde in mortem et gehennam præcipitant. Unde Thaumaturgus, *bonus et sibi et proximo operatur conducibilia: stulto sua garrulitas perniciosa est*; et Olympiodorus, *sermo sapientis neque inhumanus est austerusve, neque mollis et dissolutus; sed gratia multa conditus, ita ut pariter cohibeat, neque sinat auditores diffluere.* Ita S. Bonaventura. Ratio a priori est quod verba oris sapientis prodeunt ex corde gratiis et virtutibus fragrante, quod verbis suam fragrantiam aspirat; verba vero stulti prodeunt ex corde stolido, vecordi omnique gratia destituto, quod suam stoliditatem et vecordiam verbis instillat, juxta illud Senecæ, *epist.* 114 et 115 : « Talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Non potest alius esse ingenio (dictis et factis), alius animo color : oratio vultus animi est; » quare vox sapientis procedit ex affectu cordis, in gratia oris, in magnificentia operis, juxta illud : « Diffusa est gratia in labiis tuis, » *Psal.* XLIV, 3; et illud : « Sapiens in verbis seipsum amabilem facit : gratiæ autem fatuorum effundentur, » *Eccli.* XX, 13; et illud de Christo : « Omnes testimonium illi dabant : et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, » *Luc.* IV, 22; et illud Pauli : « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere, » *Coloss.* IV, 6, et *Ephes.* IV, 29; et illud Mosis : « Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina, » *Deut.* XXXII, 2.

Tertio, Chaldæus gratiam non hominum, sed Dei accipit; unde vertit : « Sapientis hominis verba oris, qui quo tempore vindicta orbi impendet, invenitur in generatione; si orat, avertit sane supplicium, et Dominum ad miserationem adducit. »

Hæ gnomæ sunt disparatæ, æque ac illæ in *Proverbiis* : quare non est necesse unam alteri connectere. Si quis tamen hanc præcedenti nectere velit, dicat detractori omnibus ingrato et exoso opponi hic sapientem, cujus verba omnibus sunt grata et accepta.

Porro Cajetanus, Arboreus, Hugo et Dionysius hanc gnomen ita præcedenti apposite attexunt, *q. d.* Stultus, qualis est detractor, non tantum alteri, cui detrahit, sed et sibi ipsi nocet; seipsum enim in gravia et inextricabilia mala ultro præcipitat, quæ eum, velut balæna Jonam, absorbebunt et devorabunt, ut habent Hebræa.

Stultus verba præcipitat.

Nota : Τὸ *præcipitabunt* notat *primo*, præcipitantiam linguæ in stulto, qua sine consideratione quidquid in buccam venit, præceps eloquitur. Unde S. Bonaventura : « Ratio præcipitationis, ait, est indiscretio; et ratio hujus est, quia non considerat. Unde dicitur *Proverb.* XXIX, 20 : Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. » Hinc Thuanus vertit :

Stultos contra, immoderatâ loquendi
Præcipites tota raptat cervice libido.

Secundo, τὸ *præcipitabunt*, ait Lyranus, notat loquacem dicacitate sua præcipitem volvi, ac instar ejus qui ex alto monte præcipitatur, per prærupta ruere in exitium tum scelerum, tum damnorum et suppliciorum. Unde Olympiodorus legens, *labia stulti demergent ipsum* : Demersio, inquit, de qua hic loquitur Ecclesiastes, ad æterna referenda est supplicia, *q. d.* Loquax præcipitat se in profundum abyssi, puta in stomachum imumque ventrem gehennæ, ut ibi sit cibus et pabulum tam ignis quam diaboli. Aliter S. Hieronymus : « Revera, ait, præcipitatur vir sapiens, quando in aurem loquitur imprudentis, et verba ejus in profundo, ut ita dicam, gurgite pereunt. »

Vers. 13.

13. INITIUM VERBORUM EJUS STULTITIA, ET NOVISSIMUM ORIS ILLIUS ERROR PESSIMUS. — Pagninus, *insania magna*; Tigurina, *vesania perniciosa* (1); Cajetanus, *tricæ malæ*; Campensis, *furia quæ periculo non caret*; Septuaginta, *circumlatio pessima*; Syrus, *pudenda mala*; Arabicus, *perversio incommoda*. « Symmachus, ait Hieronymus, transtulit : Tumultus et quædam verborum inconstantia, dum non manet in sententia, sed putat in multiplicatione sermonum effugere peccatum se posse. Cum enim nec præteritorum meminerit, nec futura cognoscat, et ignorantiæ tenebris volutetur, falsam sibi scientiam repromittens, in eo doctum se putat et sapientem, si verba multiplicet. Potest hoc et de hæreticis accipi, qui prudentium virorum dicta non capiunt, sed se ad disputationes contrarias præparantes, et initium et finem loquendi vanitate cum multo errore convolvunt, et cum nihil sciant, loquuntur plura quam norunt. » Hæc S. Hieronymus. Sub initio et novissimo, sive sub principio et fine, velut sub extremis media interjacentia intellige, *q. d.* Stultus, dum loquitur, incipit stultitiam qua plenus est, eructare; quoque plus loquitur, eo stultiora profert; quo fit ut tandem errores pessimos effundat, quia quod semel insipienter dixit, hoc pertinaciter tueri et prosequi satagit, juxta illud Philosophi : « Parvus error in principio, magnus fit in fine. » Stultus ergo tota oratione sua delirat, nec ulla ejus pars a stultitia immunis est : quin potius crescente oratione crescunt ejus desideria, adeo ut desinant in errores pessimos, v. g. in hæreses, blasphemiam, atheismum. Huc facit illud Cleomenis ad legatos Samiorum : « Quæ primo dixistis non memini; ne media quidem intelligo, postrema non probo. » Ita Plutarchus, in *Apophth.* Aliter Thaumaturgus : Stultus, inquit, dum os aperit, stulte orditur, sta-

(1) Recte. *Perniciosa*, scilicet ipsi et aliis.

tim finem facturus : quia ex amentia non scit prosequi et connectere sermonem. Quare incipit a temeritate, a vana gloria, a voluptatum desiderio, ac desinit in pervicaciam, superbiam, imprudentiam, blasphemiam. Ita Hugo. Rursum alii, *q. d.* Sapientes oratores maximam curam habent exordii ut auditorum gratiam sibi concilient, et epilogi ut persuadeant quod intendunt; at stultus utrumque negligit; nam in exordio insulsa sua dicacitate auditores a se avertit, et in epilogo nil nisi stultitiam omnibus exsibilandam proponit, præsertim dum per stultam mentis inconstantiam facit ut epilogus exordio non respondeat, imo contradicat. Unde Chaldæus vertit, *peroratio pravis motibus scatet.*

Vers. 14. Stultus multiloquus.

14. STULTUS VERBA MULTIPLICAT, — quia rebus et sapientia caret : hinc verba nugacia coacervat, idemque importune et clamose sine judicio cum fastidio audientium millies iterat, juxta illud Apuleii *Apol.* I : « Oratio, quæ rebus flaccet, strepitu viget. » Et illud Threocriti de Anaximene perorante : « Incipit verborum flumen, mentis gutta. » Ita Stobæus, *serm.* 34. E contrario sapiens in verbis brevis est, in sensu multus, nam paucis multa significat. Ita Auctor *Catenæ Græc.* : « Et multis pauca dicens, inquit, obstreperus videtur et nugator. Sapiens ergo est pauciloquus, stultus vero multiloquus. » Rursum stultus verba multiplicat, quia etiam dum de virtutibus loquitur, multa vane de iis effutit, quæ ipse in corde non habet, nec sentit : quare similis est garrienti picæ vel hirundini, aut loquaci graculo, qui cum labiis assidue garriat, cor tamen sensu vacuum est, nec quidquam eorum quæ garrit, intelligit. Hoc est quod ait Ecclesiasticus cap. XX, 21 : « Homo acharis (i. e. sine gratia, cujus sermo gratia non est conditus) quasi fabula vana (fabulas fabulatur quasi fabulo, imo fabula et,) in ore indisciplinatorum assidua erit : » quare « ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo (1). »

IGNORAT HOMO, QUID ANTE SE FUERIT : ET QUID POST SE FUTURUM SIT, QUIS EI POTERIT INDICARE? — Apte cohæret hæc gnome præcedenti, *q. d.* Stulti multiplicant verba, quia de iis quæ præterita sunt multa garrire solent, atque etiam futura curiosa pervestigatione nimium sollicite inquirunt, et prædicere audent, cum paucissima sint, quæ certo sciat homo de præteritis, et de futuris pene nulla habeatur certa cognitio : propter quod omnino vanum videtur super hujuscemodi incertis et incognitis (quod faciunt insipientes) multiplicare sermones. Hanc gnomen audivimus cap. III, 22, et VII, 1, ubi eam explicui. Porro *primo*, Chaldæus vertit, *stultus in inani verborum strepitu, quibus nihil opus erat, totus est, neque scire quisquam potest quid illius diebus, et quid sub ejus exitum eventurum est. Quis enim ei renuntiaturus est? Secundo*, Tigurina vertit, *stultus multis verbis utitur, et ignorat homo iste quorsum eat; quis autem ei indicaret quid secuturum?* Et Campensis, *stultus sic verba multiplicat, ut nemo intelligere possit quid velit, et multo minus de futuris aliquid ex illis colligere. Tertio*, Aben-Ezra censet ultima verba dici ex persona stulti, *q. d.* Stultus verba multiplicat de suis voluptatibus, iisque quæ concupiscit, quia nullo tangitur metu futurorum, puta judicii et gehennæ. Dicit enim : Hæc incerta, imo vana et inania sunt, juxta illud Epicuri :

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Voluptuarii enim, ut suis cupidinibus libere et secure indulgeant, negant animæ immortalitatem, negant cœlum, negant infernum, negant tandem omne numen. Verum primus sensus maxime appositus et genuinus est.

15. LABOR STULTORUM AFFLIGET EOS, QUI NESCIUNT IN URBEM PERGERE. — Difficilis locus est, ex eo quod difficile sit definire quid significet hæc paræmia : « In urbem pergere. » *Primo*, Cajetanus censet hic redargui principem qui viam ad urbem suam facit obscuram, anfractuosam et difficilem, cum recta, patens et pervia esse debeat. Et in hoc, inquit, uno labore stulti, omnes similes labores stultorum indecentes et noxii intelliguntur. Verum hoc longe petitum est, et a Vulgata alienum. *Secundo*, Mercerus, et ex eo Delrio in *Adag.*, autumant per urbem proverbialiter significari negotii culmen et finem, *q. d.* Stulti rem inchoant, et nesciunt eam finire, et ad perfectionem perducere (2). *Tertio*, Isidorus Clarius et Campensis vertunt, *stultus rationem vivendi civiliter ignorat, barbarus est et agrestis, cum sapiens et justus sit comis et urbanus.* Accedit Moringus, qui censet alludi ad rusticos quorum labor est cassus, si tempestive fructus in urbem non convehant, cum est mercatus, ut eos divendant, aut, *q. d.* Inanis est labor stultorum verba multiplicantium, quia nesciunt composite et urbane loqui, uti faciunt urbis incolæ. *Quarto*, Aben-Ezra et Vatablus, *q. d.* Stulti versantur et fatigant se circa arduas quæstiones; cum tamen vulgares et obvias ignorent, quod proverbialiter dicitur : « Nescit viam in urbem; » quid enim notius via regia et trita in urbem? Unde Emmanuel Sa : Nesciunt in urbem pergere,

Vers. 15. In urbem pergere quid? Resp. Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

(1) *Stultus verba multiplicat*, id est, de rebus futuris multa apud se statuit, sibi polliceatur et vane jactat. *Homo* tamen *nescit quid*, etc.

(2) Quem sensum genuinum esse existimo. *Labor stultorum defatigat eum*, quemcumque eorum, *qui nescit ire ad urbem*, id est : Similis est ei qui urbem aliquam aditurus, viamque rectam ignorans, per dispendia viarum iter faciens inani sese labore fatigat, nec itineris sensus assequitur. Maurer, *labor stultorum*, id est vexationes improborum principum, *fatigat eum qui nescit ire ad urbem*, qui malis artibus illorum favorem sibi conciliare, eoque eorum injurias et vexationes prohibere nescit. Pro *ad urbem* gall. diceres *à la cour*. Nimis tamen quæsite.

Quinto. hoc est, inquit, notissima ignorant. *Quinto*, noster Pineda, *pergere in urbem*, vel ut Arabicus vertit, *incedere per civitatem*, accipit pro *perambulare urbem*, id est regere urbem, ut taxentur hic principes, consiliarii et magistratus insipientes, qui urbes sibi subditas et commissas non visitant, ut abusus tollant, jus dicant et omnia recte disponant. *Perambulare* enim in Scriptura est vox notans imperium et gubernationem, uti ostendi *Zachar.* I, 11. Huic expositioni apte cohæret quod sequitur : « Væ, tibi, terra, cujus rex puer est! »

Sexto, genuine. *Sexto*, simplicius dicas esse metaphoram a mancipiis damnatis ad labores, vel in ergastulis, vel in agris, vel in fodinis ad effodienda metalla ferri, æris, argenti, etc., qui cum ibi vitam laboriosam degant, ignorant viam in urbem, ut in ea vitam civilem, facilem et commodam (in urbe enim omnium rerum est commoditas et copia) agant; aut a viatoribus et peregrinis, qui cum viam rectam et compendiariam in urbem, ad quam tendunt, ignorent, per circuitus, anfractus et dispendia viarum vel sero, vel nunquam ad urbem destinatam perveniunt, *q. d.* Simili modo stultus laborat, ut sapienter et feliciter vivat; sed frustra, quia viam in urbem, id est rationem et methodum sapientiæ ignorat, nescit sapienter res suas exsequi, nescit qua in re sit sapientia : quærit enim eam in libertate, gula, luxuria, etc., cum sita sit in prudentia et virtute. Tritum est in Italia exemplum de nobili quodam Transalpino, qui contendens in urbem Romanam, cum in hospitiis vina delicata inquireret, ideoque famulos præmitteret, qui vina hospitiorum explorarent, et ubi melius reperirent, januæ inscriberent, *est*, cum tandem optimum invenissent inscripserunt, *est est;* quare ibi nobilis tantum potavit, ut ex crapula mortuus sit, nec in urbem pervenerit. Unde famuli sepulcro ejus inscripserunt : « Per *est est* dominus noster mortuus est. » Hinc S. Hieronymus per urbem accipit veritatem et sapientiæ civitatem, atque hanc gnomen *primo*, exponit de philosophis : « Lege Platonem, inquit, Aristotelis revolve versutias, Zenonem et Carneadem diligentius intuere, et probabis verum esse quod dicitur : Labor stultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni studio quæsierunt, sed quia non habuerunt ducem et prævium itineris, et humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad civitatem minime pervenerunt. De qua in psalmo LXXII, 20 dicitur : Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Omnes enim umbras et diversas imagines atque personas, quas sibi in diversis dogmatibus induerunt, in urbe sua Dominus dissipabit. De qua alibi scribitur : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, » *Psal.* XLV, 5. Et in Evangelio : Non potest civitas abscondi supra montem posita, *Matth.* V, 14. Et in Isaia : Civitas munita *Isai.* XXVII, 10, quæ oppugnatur; siquidem hanc veritatis et sapientiæ civitatem, cum firma sit et robusta, omnes sapientes sæculi et hæretici impugnare conantur. » *Secundo*, de hæreticis : « Et quod de philosophis diximus, inquit, hoc idem et de hæreticis sentiendum, quod frustra laborent et affligantur in studio Scripturarum, cum ambulent in deserto, et civitatem invenire non valeant, de quorum errore et Psalmista commemorat dicens : Erraverunt in solitudine in inaquoso : viam civitatis habitaculi non invenerunt, » *Psal.* CVI, 4. Huc usque S. Hieronymus. Alludit enim ad urbem Hierosolymam, quæ Judæis erat urbs sapientiæ, doctrinæ, legis, fidei, religionis, templi omnisque boni. Unde ad eam ter in anno ex lege pergebant Hebræi ex tota Judæa, ut Deum in templo colerent et legem audirent; Hierosolyma ergo eis erat urbs sapientiæ, matrix Ecclesiæ, paradisus terrestris et imago cœli : quare qui sapientem, sanctam et felicem volebant agere vitam, pergebant Hierosolymam; qui vero hoc iter nesciebant, vel ruralibus aliisque molestis negotiis occupati extra eam degebant, hi ignorantem vel insipientem, terrestrem, molestam et infelicem vitam degebant. Hisce ergo hic Ecclesiastes stultos comparat, eo quod suis negotiis molestis, vanis tamen et inanibus occupati, quasi in agris laboriose vivant, nec ad quietem sanctamque sapientiæ et virtutis viam, cujus typus erat Hierosolyma (quæ Hebraice idem est ac *visio pacis*), perveniant. Hinc Chaldæus vertit, *fatigatio stulti, qua defatigatur in stultitia, ipsa delassat eum, adeo ut non discat ire in civitatem, in qua sapiens habitat, ad quærendum ab eo disciplinam.* Hac de causa Christus jussit Saulo, dixitque : « Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere, » *Act.* IX, 7.

Allegorice et anagogice stulti nesciunt viam in urbem, id est in Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem, quia hærent in via, id est in terra cupediis et nugis. Nesciunt ergo viam in urbem, id est in cœlum ad æternam felicitatem. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Thaumaturgus et alii. Docet igitur hæc gnome nos in hac vita non esse cives, sed advenas et peregrinos, quorum est pergere ad patriam, puta ad urbem cœlestem, « cujus artifex et conditor est Deus, » *Hebr.* XI, 10. « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, » *Hebr.* XIII, 14. Hinc Thaumaturgus vertit, *cæterum homo, qui in civitatem bonam concedere nescit, et oculorum suorum et faciei afflictionem exspectat.*

16. VÆ TIBI, TERRA, CUJUS REX PUER EST, ET CUJUS PRINCIPES MANE COMEDUNT. — « Puer, » tum ætate, tum potius insipientia, inexperientia et concupiscentia, qui scilicet pueriles habet mores, affectus, conceptus, quales habuit Roboam, cum 40 esset annorum, III *Reg.* XII, 4. Nam aliqui nonnullos reges præclaros electos fuisse pueros legimus, ut Joas, qui septennis creatus est rex, IV *Reg.* XI, 22; et Josias qui octennis, II *Paral.* XXXIII, 1; et Salomon, qui duodennis, uti scribit S. Ignatius ad Magnesian., licet verius sit Salomonem fuisse cir- Vers. 16. Væ terræ cujus rex puer.

citer viginti annorum, cum regnum inivit. Parum ergo ad rem facit ætas juvenilis, æque ac prosapia regalis. Hinc Plato in *Theæteto* ait omnes reges ex servis oriundos, et servos oriundos ex regibus. Quocirca S. Hieronymus, cum puerum interpretatus esset ætate puerum; subdit : « Verum mihi sacratius quid latere videtur in littera, quod juvenes dicantur in Scriptura, qui a veteri auctoritate desciscunt, et cana præcepta parentum contemnunt : qui neglecto Dei mandato cupiunt statuere traditiones hominum. De quibus et in Isaia Israeli Dominus comminatur, eo quod noluerit aquam Siloe, quæ vadit cum silentio, et veterem piscinam averterit, eligens sibi fluenta Samariæ et gurgites Damasci : Et dabo, inquit, juvenes principes eorum, et illusores dominabuntur eis. » Unde pro *puer* Hebraice est נַעַר *naar*, id est puer, juvenis, insipiens; quare a *naar* Germani acceperunt suum *nar*, id est *stultus* : pueritiæ enim vitia sunt inconsideratio, inexperientia, ineruditio, ignorantia, concupiscentia, stultitia, levitas, inconstantia. Quapropter Seneca, *epist.* 4 : « Adhuc, inquit, non pueritia sed, quod est gravius, puerilitas remanet; et hoc quidem pejus est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum; nec puerorum tantum, sed infantium : illi levia, hi falsa formidant, nos utraque. » Hinc illa comminatio, *Isaiæ*, III 4 : « Dabo pueros principes eorum. » Ubi S. Basilius : « Adolescentia, inquit, levissima est, et ad flagitia quæque apprime mobilis, ceu sunt indomitæ et effrenes concupiscentiæ, belluinæ et immanes iræ, linguæ, incontinentia, contumeliæ, arrogantia, fastus ex animi elatione; reliquæ item affectiones juventuti vernaculæ et coalumnæ, invidiæ ob exsuperentam alterius eminentiam, suspiciones propter contractam familiaritatem : examina enim innumerabilium vitiorum se agglomerant et adjungunt juventuti. » Et S. Ambrosius, lib. I *De Interpell.* cap. VII : « Adolescentia, ait, sola et invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis, atque æstu sanguinis vaporantis ignescens. » Accedit Xenophon : « Sicut, inquit, novelli citharædi multas perdunt citharas, sic cupidi juvenes rempublicam sæpe evertunt. » Occasione stultorum, de quorum insipientia et noxa multa dixit, Ecclesiastes, transit ad reges et principes insipientes et stultos, quorum eo major est noxa, quo major est dignitas et potentia. Eorum enim stultitia in totum regnum dimanat illudque pessumdat, præsertim quia, ut ait Claudianus, « Regis ad exemplum totus componitur orbis. » Sapienter Nerbodus Episcopus Rhemensis, epist. (est 80 inter epistolas S. Hildeberti, tom. III *Biblioth. SS. Patrum*) *ad Andegavensem Episcopum*, juvenem, sui male compotem : « Non per ætatem longam, inquit, cœpisti experientiam, nec adhuc mens tua casuum varietate decocta maturuit, nimirum : Exsultat levitate puer, gravitate senectus. » Væ ergo familiæ, domui, urbi, reipublicæ, cujus rex vel rector immaturus est ætate et scientia. Porro Chaldæus hanc gnomen restringit ad Jeroboam : « Væ tibi, inquit, terra Israel, in tempore quo regnaverit super te Jeroboam impius, et cessare faciet a te sacrificium matutinum, et principes tui, antequam offerant juge sacrificium matutinum, panem comedunt. » Huc facit symbolum Pythagoræ : « Puerum aut fœminam stricto gladio vagari, omen malum, id est non defuturum malum si gubernatio imprudentibus, ineptis et levibus tradatur hominibus. »

Tropologice Olympiodorus : Civitas, inquit, est anima, cujus rex est mens et intellectus, qui si levis sit, et gulæ voluptatumque appetens, animam perdet; sin sacris nutriatur disciplinis, eam beabit. Rursum S. Hieronymus : Civitas, ait, est Ecclesia, cujus rex, id est prælatus vel episcopus puer est infirmitate, insipientia, vita. Symbolice S. Hieronymus et S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* XX; per regem puerum accipiunt diabolum insipientem et impium. Verba S. Augustini recitabo vers. sequenti. Tropologice S. Gregorius, lib XVI *Moral.* XXV : « Rursum per mane, inquit, præsentis vitæ prosperitas designatur, sicut per Salomonem dicitur : Væ tibi, terra, cujus rex est puer, et cujus principes mane comedunt. Quia enim mane primum diei tempus est, et vespere extremum, nequaquam reficiendi sumus de hujus vitæ prosperitate quæ prævenit, sed de his quæ in fine diei, id est in mundi termino sequuntur. Mane ergo comedunt, qui de hujus mundi prosperitatibus extolluntur, et dum præsentia vehementer curant, futura non cogitant. »

ET CUJUS PRINCIPES MANE COMEDUNT,—id est intempestive comessantur cum rege puero; pueri enim mane ante ortum solis mox ut e somno evigilant, ob stomachi calorem fament cibumque poscunt. Tota eorum enim sapientia est in palato et sapore, cum tamen regum et principum sapientia sita sit in cerebro et cura sapienter administrandi rempublicam; quare temperantes et sobrii sint oportet : nihil enim sapientiæ et consiliis ita contrarium, ut intemperantia et ebrietas. Mane ergo, dum vigent jejuna mens lumenque rationis, ac vivaces sunt spiritus ex nocturno somno, principes dent consultationibus et negotiis tractandis; meridiem vel vesperam refectioni corporis, uti faciebat Augustus Cæsar, teste Suetonio. Matutinum enim tempus ad consilia et negotia aptissimum est, quia ipsum est lux mentis æque ac corporis. Hinc *mane* dicitur inchoatio diei et luminis, quod inde *manet* in reliquum diem, ait Varro, lib. V *De Lingua Latina*. Adjungunt Servius et Festus *manum* priscis significasse *bonum* : unde *immane* idem est quod *malum*; nihil autem tam bonum quam lux. Hinc Græci, cum lumen affertur, dicunt : φῶς ἀγαθόν. Nonnulli tamen *mane* derivant a *manibus*, quod a locis inferioribus, ubi sunt manes, id est animæ et spi-

Mane agitanda consilia.

Mane etymon.

ritus defunctorum, cum sole lux emergere et oriri videatur. Quocirca Jeremias, cap. XXI, vers. 12 : « Judicate, ait, mane judicium; » *mane*, id est sobrii, ait Vatablus, ne per ebrietatem corrumpatis judicia. Hinc Isaias, cap. V, vers. 11 : « Væ, ait, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. » Ratio a priori est, quod rex et principes debeant esse regula totius reipublicæ. Quare in regendo debent sequi rectam rationem : hanc autem offuscant, imo avertunt gula et ebrietas, fovent autem temperantia et sobrietas, præsertim matutina. Hinc Salomon, *Prov.* XXXI, 4 : « Noli, ait, regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. » Rursum magistratus, convivia agitantes, in iis vectigalia et opes civitatis absumunt, ac populum offendunt et scandalizant.

Ratio a priori.

Exempla regum intemperantium sunt : Sardanapalus totus in epulis et ganeis, ab Arbace præfecto invasus, seipsum cum regio concremare coactus, vitam cum monarchia Assyriorum (hanc enim Arbaces ad Medos transtulit) perdidit. Sic gula intempestiva perdidit Alcibiadem, Lucullum, Caligulam, Ptolomæum Philopatorem, Antiochum Magnum, qui ob vinolentiam totos dies dormire solebat, teste Plutarcho in *Flaminio*, Demetrium Poliorcetem, M. Antonium Triumvirum, cujus tempestivas perpotationes memorat Cicero in *Philip.* Tiberius Cæsar epulabatur quandoque ac potabat biduum continuum; unde a militibus pro Claudius Tiberius Nero, per scomma vocabatur Caldius Biberius Mero, ait Suetonius in ejus Vita, cap. XIII et XLII. Vitellius vomendi consuetudine se idoneum ad omne cibi genus præstabat, utebaturque jentaculo, prandio, merenda, cœna, comessatione, ideoque post paucos menses vita et imperio privatus est. Nero monstrum fuit naturæ, et voluptatis gulæque mancipium; hinc crudelis in alios, damnatus a senatu, in seipsum sævire, seque pugione confodere coactus est. Commodus Imperator cum nimia crapula gustum amisisset, stercus humanum cibis admiscuit, irridens eos qui hanc mixturam exhorrerent, ait Herodianus et Lampridius. Heliogabalus Imperator in conviviis assiduus, pavonum, lusciniarum, phœnicopterorum, phasianorum et psittacorum linguis, ac camelorum calcaneis epulas instruebat; quod de avibus supererat, canibus dabat : ita Herodotus et Lampridius. Hinc oppressus misere periit. Nam, ut sapienter ait Aristoteles, lib. V *Polit.* cap. X : Qui se voluptatibus dant, facile in contemptum veniunt, et multas se opprimendi occasiones præbent. Unde Alexander Magnus rerum gestarum gloriam sua vinolentia obscuravit, adeo ut Antigonus ei dixerit ipsum indignum esse qui imperaret; unde ipsa eum vita et imperio privavit. Hausit hoc vitium a patre Philippo, de quo muliercula : « Provoco, inquit, a Philippo ad Philippum, sed ab ebrio ad sobrium (1). »

17. BEATA TERRA, CUJUS REX NOBILIS EST, ET CUJUS PRINCIPES VESCUNTUR IN TEMPORE SUO, AD REFICIENDUM, ET NON AD LUXURIAM. — Quidam pathetice vertit, *o beatam terram*, etc. Pro *non ad luxuriam*, hebraice est לא בשתי *lo basthi*, quod nonnulli apud Kimchi vertunt, *non in stamine*, id est *non in mixtione*, ut scilicet sapientia non misceatur vino, sicut stamen miscetur et intexitur subtegmini intexendo; aut ne singuli cyathi singulis cibi bolis misceantur, uti faciunt potatores, cum longe parcius sit bibendum, quam comedendum. Verum nova et coacta est hæc expositio. Vers. 17.

Pro *nobilis* hebraice est בן חורים *ben chorim*, vel ut alii pronuntiant, *horim* (*q. d.* Heroum), id est filius candidatorum, hoc est ingenuorum, nobilium, principum (olim enim nobiles et principes candidati, id est candidis vestibus amicti incedebant, ut ostendi cap. VIII et IX), puta ingenuus, nobilis princeps (qualis enim est pater, talis est filius, ac filii nobilium et principum sunt nobiles et principes). Unde Septuaginta vertunt, *filii ingenuorum*; Syrus, *filii libertatis*; Arabicus, *filius liber*; alius, *filius heroum* : חרים *horim* enim sunt heroes; Tigurina, *generosus est*; Campensis, *vir strenuus*. Tales fuere veteres heroes, « Heros, inquit Servius ex Hesiodo, est vir fortis, semideus, plus ab homine habens. » Unde Cicero, lib. I *ad Attic.*; « Heros ille noster Cato. »

NOBILIS. — Intellige nobilitate non tam generis, quam sapientiæ et virtutis, quæ sola vera et solida est nobilitas, puta animi generositas ad magna et præclara audendum et gerendum, quæ suo genere suisque patribus et avis dignum se nepotem præbeat. Nam, ut ait Euripides :

> Beatus mihi vir nobilis videtur.
> Qui vero non justus est, licet a patre meliore
> Quam Jupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi videtur.

Est antithesis versus præcedentis, *q. d.* Sicut misera et infelix est terra, cujus rex est puer, id est puerili et in gulam abjecto, ac projecto in voluptates animo : sic beata et felix est terra, cujus rex est animo nobili et generoso, qui cum suis principibus generosa spectat moliturque, ac proinde voluptates despicit, nec nisi negotiis publicis confectis suo tempore vescitur, non ad luxum et gulam, sed ad necessariam virium refectionem et sustentationem. Porro Chaldæus hanc gnomen restringit ad Ezechiam, quem opponit Jeroboam : « Beata erit terra, inquit, in tempore quo regnaverit super te Ezechias filius Achaz, qui erit de genere domus David regis Israel; qui erit vir fortis in lege, et faciet ad quod obligatum est ex præceptis legis; et principes tui, postquam offe-

(1) Conf. Ciceronem, *Philipp.* II, 40 : « *Ab hora tertia* bibebatur, ludebatur, vomebatur. »

runt juge sacrificium, comedunt panem post quartam diei horam, de labore manuum suarum, in fortitudine legis et præceptorum, et non in infirmitate et cæcitate oculorum, in infirmitate studii et præceptorum. »

NOBILIS. — Ex hoc loco Bartholus in leg. *Honor.* § *De Honor.* ff. *De muner. et honor.*, docet privilegium nobilitatis, ut ex ea potius quam ex plebeiis familiis assumantur ad honores, dignitates et magistratus, conforme esse juri naturæ et divino. Idem docet Tiraquellus, tract. *De Nobilit.* cap. XX, num. 1 et seq. Quin et Plato in *Alcibiade* : « Consentaneum est, inquit, meliores esse naturas in nobili genere, quam in ignobili; ac necesse est ut bene nati, si bene educantur, ita demum ad virtutem perveniant. » Et S. Thomas, in cap. I *ad Hebr.* lect. 3, ut facile quis aliquam dignitatem administret, præter sapientiam exigit ne erret in gubernando, ac virtutis potentiam in exsequendo, generis quoque prosapiam ne contemnatur præcipiendo. Nobilitas enim generis filio nobili dat magnam apud populum auctoritatem; unde Germani nobiles mirifice honorant. Rursum eadem stimulus est filio ut nobiliter vivat, ac digna nobilitate sua avorumque factis gerat. Insuper cum regi vel principi in principatu succedunt filii jure hæreditario, non externi licet aptiores jure electionis, tollitur omnis eligendorum ambitio, invidiæ, lites, rixæ, schismata et bella quæ ex electione consequi solent.

Cæterum, in prælatura ecclesiastica, licet Aaroni in Pontificatu jussu Dei successerint filii et nepotes, in nova tamen lege Christus voluit Pontifices, Episcopos cæterosque Prælatos non nasci, nec jure hæreditario succedere, sed elegi eos qui sapientia, virtute et dotibus cæteris præstarent. Hoc enim exigebat dignitas, utilitas et majestas Pontificum et Sacerdotum Christi, utpote qui quasi homines cœlestes cæteris viam in cœlum præire debeant, ideoque « vivere ut numina, loqui ut oracula. » Unde cum in Pontificis cujusdam electione commendaretur unus a generis nobilitate, respondit alter : « Piscatori Petro successorem quæri, non Augusto, » uti refert Glossa, cap. *Quoniam*, Quæst. I, verb. *Invidia*.

CUJUS PRINCIPES VESCUNTUR IN TEMPORE SUO, AD REFICIENDUM, ET NON AD LUXURIAM. — Hebræa, *in fortitudine et non in potatione*, id est vescuntur ut roborent vires corporis et animi ad laborandum pro republica, non ad compotationem, luxum et crapulam. Hinc Tigurina vertit, *comedunt ob vires reficiendas, non ut certent poculis;* Campensis, *comedunt quantum satis est ad vires conservandas, non comessationibus dediti;* alius, *pro necessitate, non pro luxu et ebrietate.* Unde S. Hieronymus ait, hic *eos judices prædicari, qui nequaquam voluptatem negotiis civium præferant, sed post multum laborem et administrationem reipublicæ, cibum capere quasi necessitate cogantur.* Idem a Salomone didicit sanxitque Plato, lib. II *De Legibus*, ubi vini usum magistratibus non concedit, nisi reficiendi corporis vel morbi causa. Symmachus vertit, *in probitate virili*, id est, ut comparent sibi virile robur, firmamque valetudinem, ait Olympiodorus : qui enim tempestive, scilicet horis statis cibum sumit, idque moderate, is sanior et robustior est, teste Thaumaturgo. Porro Septuaginta vertunt, *principes tui ad tempus comedent in fortitudine, et non confundentur;* Syrus, *cum prosperitate et non in confusione.* Hebræum enim בשתי *basthi*, si puncto *cateph camets* subnotetur, ut *beth* initiale sit, non radicale, sed servile et nota præpositionis, significat *in potatione;* sed eodem redit sensus : potatio enim vocatur *confusio*, quia inducit crapulam, vomitum, ebrietatem, etc., quæ potantem faciunt confusione dignum, ut coram omnibus pudefiat, omniumque risui et ludibrio exponatur. « Quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescunt ! » ait Seneca, *epist.* 83. Quocirca Dionysius tyrannus se suique similes aiebat esse persimiles caponibus et vitulis, qui saginantur non ad salutem, sed ad perniciem, ut videlicet saginati mactentur et comedantur, uti refert Eusebius, lib. I *De Præpar.* cap. V. Tales S. Petrus, II *epist.*, cap. II, 12, vocat « irrationalia pecora, in conviviis suis luxuriantes; » et S. Jacobus, cap. V, 5 : « In luxuriis enutrientes corda sua. »

Exempla principum temperantium sunt : Julius Cæsar vigil et sobrius, non nisi belli consilia agitans, imperium Romanorum obtinuit, imo fundavit. Unde Cato dicebat unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse. Ita Suetonius in *Vita Cæsaris*, cap. LIII. Sobrietate et vigilantia Cyrus Persarum monarchiam adeptus est et stabilivit. Augustus Cæsar cibo subinde abstinebat usque ad vesperam, assiduitate juris unicuiquique reddendi in noctem usque occupatus. Unde ipse in *epist.* : « Nos, ait, in essedo panem et palmulas gustavimus. » Et epist. *ad Tiberium* ait se ex itinere domum redeuntem unciam panis sumpsisse. Vide Suetonium in Vita ejus, cap. LXXIII, LXXIV, LXXVI et seq. Ægyptiorum reges cibo vescebantur simplici, ut quorum mensæ nihil præter vinum et anserem inferretur. Vini potandi certa statuta erat mensura, qua neque farciri venter, neque inebriari possent. Denique adeo erant sobrii, ut vita eorum a peritissimo medico ad sanitatem composita videretur, ait Diodorus, lib. I, cap. VI. Agesilaus Spartæ rex quidquid vel insipidi apponebatur, comedebat et bibebat, inquit Xenophon. Annibal sobrius vigilque fuit, ideoque victor, donec Capuanæ deliciæ eum enervarunt et perdiderunt. P. Scipio Æmilianus pane tantum vescebatur. M. Cato cibo potuque quo nautæ utebatur : ita Valerius, lib. IV, cap. III. Trajanus in vescendo frugalissimus fuit, teste Alexandro, lib. V, cap. XXI. Carolus Magnus cibi potusque parcissimus erat, teste Granzio, lib. II, cap. VIII *Saxon.* Alfonsus, Aragoniæ rex, vino fere abs-

incipes
ecet so-
rietas.

tinebat. Rogatus cur : « Quia, inquit, vino sapientia obscuratur, ideoque non decet regem, ut hoc immodica compotatione exstinguat, sine quo imperatoris ac regis nomen rite tueri non potest. » Rursum rogatus cur adeo ebrietatem damnaret : « Ideo, inquit, quia furorem et libidinem ebrietatis filios esse non ignoro. » Ita Panormitanus, lib. II *De Gestis ejus*. Selymus, Turcarum imperator, adeo fuit sobrius, ut non nisi ex uno ferculo comederet ; unde inter tot bellicos labores prospera semper fuit valetudine. Ita Jovius in ejus Vita. Emmanuel, Lusitaniæ rex, vino semper abstinuit, teste Osorio, lib. XII *De ejus Gestis*.

Allegorice, rex nobilis, sive filius candidatorum est Christus, cujus principes apostoli mire sobrii fuere. Ita S. Hieronymus : « Beata, inquit, terra Ecclesiæ, cujus rex est Christus filius ingenuorum, de Abraham, Isaac et Jacob, prophetarum quoque et sanctorum omnium stirpe descendens : quibus peccatum non fuit dominatum ; et ob id vere fuerunt liberi, ex quibus nata est Virgo liberior S. Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus ejus erupit in florem, loquentem in Cantico canticorum, *Cant.* II : Ego flos campi, et lilium convallium. Principes quoque ejus sunt apostoli et omnes sancti qui regem habent filium ingenuorum, filium liberæ, non de ancilla Agar, sed de Saræ libertate generatum. Nec comedunt mane, nec velociter. Non enim in præsenti sæculo quærunt voluptatem, sed tempore suo manducabunt, cum retributionis tempus advenerit ; et manducabunt in fortitudine, et non in confusione. Omne bonum præsentis sæculi confusio est, futuri vero perpetua est fortitudo. Tale quid et in Isaia dicitur : Ecce qui serviunt mihi, bona manducabunt, vos autem esurietis, *Isai.* LXIII. Et iterum : Ecce qui serviunt mihi, lætabuntur, vos autem pudebit. » S. Hieronymo succenturiatur S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* XX, qui ex hoc loco statuit duas civitates, unam diaboli, alteram Christi, et earum reges diabolum et Christum : « Væ tibi, terra, inquit, cujus rex adolescens, et principes tui mane comedunt. Beata tu terra, cujus rex filius ingenuorum, et principes tui in tempore comedunt in fortitudine, et non in confusione. Adolescentem dixit diabolum, propter stultitiam, et superbiam, et temeritatem, et petulantiam cæteraque vitia, quæ huic ætati assolent abundare ; Christum autem filium ingenuorum, sanctorum patriarcharum, pertinentium ad liberam civitatem, ex quibus est in carne progenitus. Principes illius civitatis mane manducantes, id est ante horam congruam, quia non exspectant opportunam, quæ vera est, in futuro sæculo felicitatem, festinanter beari hujus sæculi celebritate cupientes. Principes autem civitatis Christi, tempus non fallacis beatitudinis patienter exspectant. Hoc ait in fortitudine, et non in confusione, quia non eos fallit spes, de qua dicit Apostolus : Spes autem non confundit. Dicit ei Psalmista ; *Psalm.* XXIV, vers. 3 : Etenim conversi qui te exspectant, non confundentur. »

Vers. 18. Pigritia dat ruinas.

18. IN PIGRITIIS HUMILIABITUR CONTIGNATIO, ET IN INFIRMITATE MANUUM PERSTILLABIT DOMUS. — Campensis, *fiet ut arceri non possit pluvia*. Hebraice est עצלתים *atsalthaim*, nomen duale, *q. d.* Claudicatio in utroque pede, id est duplex pigritia, animæ et corporis ; vel negligentia rerum præsentium et futurarum ; aut socordia tam subditorum, quam superiorum et principum ; vel patris et matris : hi enim sunt duo curatores domus, quorum duplex negligentia illam perdit. Ita Chaldæus ; aut, ut Pineda, una pigritia est regis, altera principum et magistratuum. De utrisque enim sermo præcessit. Aut regis duplex est pigritia, una qua rex est privata persona, altera qua publica, ut significet pigritiam, quæ in plebeio esset simplex, in rege et principe esse duplicem, imo multiplicem. Unde Arabicus vertit, *ob modos negligentiæ inclinabitur tectum* ; Thaumaturgus, *piger et otiosus domum suam minorem faciunt*. Pro *humiliabitur* hebraice est ימך *iimmach*, id est *inclinabitur*, deprimetur, subsidet, corruet ; Vatablus, *propendet* ; Tigurina, *deterior fiet* ; Campensis, *solvetur* ; alii, *marcescet, putrescet* : sic enim hebræum *iimmach* vertunt Septuaginta, *Levit.* XXVII, 8 ; alius, *opprimetur* ; alius, *incurvabitur* (1).

Apposite a comessatione transit ad pigritiam ejusque damna, quia filia gulæ est acedia, ait S. Gregorius ; dum enim stomachus gravatur cibo, et cerebrum vino, totus homo fit gravis, torpidus, piger, somnolentus, iners, ignavus. Parœmia ergo hæc significat domum quamlibet tum privatam, tum publicam, puta regnum et rempublicam dissolvi, ruere et everti per pigritiam principum natam ex comessatione et compotatione, per quam pigri sunt et desides in avertendis parvis noxis et damnis (quot enim sunt rimæ et stillæ, tot sunt pigritiæ in iis avertendis) ; hæc enim neglecta augescunt, et tandem rempublicam perdunt, sicut domus sensim debilitatur et tandem ruit, si piger sit herus in ea reparanda. « In pigritiis » ergo, id est ob pigritiam et negligentiam initio parvam, sed diuturnam et multiplicem reficiendi tegula, tigna, trabes, etc., et sarta tecta servandi ; « humiliabitur, » id est

(1) *Pigritia* (nomen duale Aben-Ezra bene observat esse ad ambas manus referendum, quas pigri otiose in sinu deponunt) *attenuatur*, labefactatur *contignatio*. Eadem, quam hic habemus, similitudine ædium neglectarum utitur Plautus ad describendam segnitiem in *Mostellaria*, act. I, sc. 2, vers. 23 seqq. :

Atque ubi illo immigrat nequam homo indiligensque,
Cum pigra familia immundus, instrennus,
Heic jam ædibus vitium additur,
Bonæ quom curantur male.
Atque illud sæpe fit, tempestas venit,
Confringit tegulas imbricesque : ibi
Dominus indiligens reddere alias nevolt.
Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aer operam fabri.

debilitabitur, marcescet, fatiscet, cadet, corruet et perdetur contignatio, id est, conjunctio trabium in domus fastigio, cujus ruina quassabit parietes subjectos, totamque domum vertet; « et in infirmitate, » id est per remissionem, otium, et ut Septuaginta, *segnitiem*; Syrus, *depressionem manuum* pigrarum et tardarum, non reparantium minutas rimas et foramina, *perstillabit*, stillas pluviæ depluentis recipiet, quæ continuo cadentes putrefacient trabes, ut iis corruentibus corruat tota *domus*, tum privata, tum publica, scilicet respublica et regnum. Pergit enim perversos reges et principes describere, quorum ignavia et vitio ruit respublica. Unde de iisdem subdit: « In risum faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes. » Cum enim toti vacent, imo mergant se deliciis et voluptatibus, obliviscuntur reipublicæ: cura enim ventris parit incuriam et desidiam mentis. Huc facit illud Comici in *Mostell.*: « Venit imber, lavit parietes, perpluunt tigna, putrefacit aer operam fabri. » Apte fabrica domus statuitur hic typus fabricæ hominis et familiæ, vel reipublicæ. Nam ut ait Vitruvius: « Non possunt ædes symmetriæ atque proportionatæ rationem habere compositionis, nisi in se hominis bene figurati membrorum habuerint exactam rationem. »

Minus apposite aliqui hanc gnomen nectunt præcedenti, *q. d.* Cura moderati cibi servat vires corporis, quas incuria destruit, æque ac incuria sarta tecta conservandi destruit domum; et alii qui nectunt sequenti, *q. d.* Qui in risu epulantur, sensim labascunt corpore et animo, perinde ac labascit domus ex heri vecordia. Utrumque enim inconcinnum est et frigidum. Huic gnomæ similis est illa: « Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis, » *Prov.* XVIII, 9. Et illud *Osee* VII, 9: « Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit, « non sentiens, ait S. Bernardus, *De Inter. domo* cap. XI, vermem interiorem (socordiæ et concupiscentiæ) qui interiora corrodit; » ac subdit: « Et ideo pergens totus in ea quæ foris sunt, et ignarus interiorum meorum, sicut aqua effusus sum, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non prævidens. Ingratus sum ad beneficia, pronus ad mala et tardus ad bona. » Quare cum audieris gravem casum viri magni et sancti, noli putare repentinum illum fuisse, sed minora neglecta majora evasisse; ipsumque tandem e culmine in abyssum præcipitasse.

Mystice ergo hæc gnome verissima est in fabrica spiritualis domus et perfectionis animæ: parvus enim defectus, si negligatur, parit majorem et majorem, ut tandem homo cadat in peccata gravia, ac virtutem cum vitio commutet. Ita Olympiodorus et S. Hieronymus. Unde Chaldæus vertit, *in studio legis et mandatorum vir animo fractus, liberis orbatur suis; femina autem si negligentius præcepta, quæ ei imperata sunt, ut a menstruis polluti sanguinis caveret, non servarit, summo animi mœrore afficietur.* Sed audi S. Hieronymum: « Domus nostra quæ cum statu hominis erecta est, et habitatio quam habemus in cœlis, si pigri sumus et ad bona opera tardiores, humiliabitur. Et omnis contignatio, quæ debet culmen portare in sublime, ad terram corruens habitatorem suum opprimit. Cumque auxilium manuum virtutumque torpuerit, omnes desuper tempestates, et nimborum et ad nos turbo prorumpit. » Addit deinde, applicatque Ecclesiæ: « Porro quod in homine uno interpretati sumus, melius potest super Ecclesia accipi, quod per negligentiam principum omnis ejus corruat altitudo; et ibi vitiorum illecebræ sint, ubi tegmen putabatur esse virtutum. » Hucusque S. Hieronymus. Pigritia ergo est justorum socordia, qua nolunt minimis peccatis remedium afferre, et infirmitas manuum est eorumdem vana securitas, qua volunt et minora libenter admittere et in majora non cadere: sed istam pigritiam atque infirmitatem sequetur prius perstillatio domus, deinde ipsius domus misera manifestaque ruina, quoniam vana securitate ædificatio virtutis mollescit, ut cadat, et tandem defectuum leviorum iteratione procumbit; non quia illa sola virtutem destruant animamque dejiciant, sed quia fortitudinis murum aperiunt, ut importunus hostis irrumpat. Hanc namque mentem esse Sapientis, Cassianus alium simul ejusdem locum tractans, evidenter expressit: « Eleganter, inquit, mentis incuriam domati comparavit, tectoque neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum: quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum; et post hæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hiemali, id est tempore tentationis, ingruente impugnatione diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domus propriæ possessione requieverat. » Hactenus Cassianus, *Collat.* VI, cap. XVII.

Porro contignatio, quæ non est aliud quam « tectura trabium ac lignorum, » ut ait Budæus, *primo*, notat sublimiorem Ecclesiæ statum clericorum et regularium, ait Hugo; *secundo*, finem ultimum, ad quem cuncta sunt erigenda et apte nectenda, ait Olympiodorus; *tertio*, virtutum, quæ inter se contrariæ videntur, connexionem, ut spei et timoris, humilitatis et magnanimitatis, paupertatis et beneficentiæ, actionis et contemplationis; *quarto*, virtutum sublimitatem ac soliditatem, ac præsertim charitatis celsitudinem, ait Dionysius. Significat ergo « nobis in ænigmate parabolæ Ecclesiastes, per virtutum robur ac firmitatem non cedere fluxionibus tentationum extrinsecus in cor fluentium, per quas nobis pereant quæ sunt reposita, » ait Nyssenus, *hom.* 4. Dum ergo rimam vel minimam in anima sentis, per quam diabolus stillam tentationis immittit, illico eam obtura; alioquin ex rima fiet fenestra, et ex stilla fiet pluvia, imo torrens et flumen, cui re-

Contignatio mystica. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

sisti non poterit. *Quinto*, contignatio sive tabulatum significat principes et proceres, qui cæteras inferiores reipublicæ partes sibi subjectas tuentur et protegunt. Hi enim comparantur tignis cedrinis et cypressinis, *Cant.* I, uti ibidem explicant S. Gregorius, Bernardus, Rupertus, Anselmus, et alii.

Sexto. *Sexto*, contignatio sunt consiliarii et officiales principum : hi enim, dum per concordiam velut contignationem connectuntur, conservant domum reipublicæ; dum vero per invidiam a sese dissident, tam se mutuo, quam rempublicam evertunt. Denique S. Hilarius, Cant. VI *in Matth.* : « In pluviis, inquit, blandarum et sensim illabentium voluptatum illecebras significat, quibus primum fides rimis patentibus immadescit; postquam torrentium procursus, id est graviorum cupiditatum motus incurrit, atque exinde tota ventorum vis circumstantium desævit, universus scilicet diabolicæ potestatis spiritus infertur. » Stilla ergo est parva voluptas, imo parvus amor rei vetitæ, qui nisi excludatur mentem penetrat, subjugat et perdit, juxta illud *Eccli.* XIX, 1 : « Qui spernit modica, paulatim decidet. » Vide ibi dicta. Porro R. Salomon per domum accipit templum Hierosolymitanum, *q. d.* Quia Judæi nimis fuere negligentes in Dei legibus observandis, hinc accidit ut eorum domus, urbs et templum desolaretur per Chaldæos et Romanos, cum tamen huic excidio in tempore occurrere, illudque sua diligentia et pietate avertere potuissent.

Vers. 19. 19. IN RISUM (ita legendum cum Hebr. et Romanis, non *in risu*, uti legunt alii) FACIUNT PANEM, ET VINUM UT EPULENTUR VIVENTES (male nonnulli legunt *bibentes*) : ET PECUNIÆ OBEDIUNT OMNIA. — Hebræa, *in risu faciunt panem, et vinum* (Septuaginta et Syrus addunt *et oleum lætificat viventes*); Campensis, *ad voluptatem parant cibos*; Tigurina, *apparant convivia cibis magnifica*; alius, *lætitiam vino atque epulis celebrant, ut epulentur viventes*, id est ut epulentur læti, hilares et gaudentes; nam *vivere* est *gaudere*, et vita est gaudium. Ita Nonius :

Vivere est gaudere. « *Viventes*, ait, veteres *gaudentes* dixerunt a bono vitæ commodo, sicut qui nunc est in summa lætitia, vivere eum dicimus. » Sic cap. IX, 9, pro eo quod Noster vertit, *perfruere vita cum uxore*, Hebraice est, *vide vitam*, hoc est vive. Sic *Psal.* LXXI, 15, de Salomone et ejus antitypo Christo dicitur : « Et vivet, » scilicet lætus, hilaris, dives, honoratus, gloriosus. Unde explicans subdit : « Et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper tota die benedicentes. » Sic et *Ezech.* XVI, 6 : « Vive; dixi, inquam, tibi : in sanguine tuo vive. » Vide ibi dicta. Jam

Primo, Cajetanus hanc gnomen refert ad versu 17 : « Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, » etc. *q. d.* Ad beatitudinem terræ pertinet panis, vini et pecuniæ abundantia, quæ omnia rex et principes sobrii et providi comparant, ut de rerum copia reipublicæ prospiciant.

Secundo, Chaldæus hæc refert ad justorum eleemosynas, unde vertit, *hilares panem faciunt justi ad educandos pauperes et fame confectos; vinum quoque quod sitientibus miscent, illis delectationem futuro sæculo afferet; pretium etiam redemptionis, testimonium justitiæ futuro sæculo pro eis in luce omnium reddet.*

Tertio, Thaumaturgus censet hic notari homines pigros, de quibus vers. præcedenti, ideoque viles, sanniones et gulosos : « Piger, inquit, et ignavus domum minuunt. Alios subsannant, ingluvie sua abutuntur omnibus, argento quovis trahuntur, vili pretio nihil non humile et vile facere parati. » Et Auctor *Catenæ Græc.* : « Pigri, inquit, abdomini vacant, inhiantque pecuniæ ad solam voluptatem et lætitiam respicientes. » Vice versa, R. Salomon et Aben-Ezra censent hic dari stimulum pigris ad excutiendam pigritiam, *q. d.* Seposita pigritia, alacriter laborate, sic enim labore vestro parabitis vobis splendidas epulas et opes.

Quarto et genuine, hæc referenda sunt ad vers. 16 : « Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt : » hanc enim comestionem et comessationem hic exaggerat, *q. d.* Rex et principes voluptuarii in risum, id est propter risum et voluptatem, ad luxum et luxuriam, uti dixi vers. 17, curant sibi fieri, et delicata præparari panem et vinum, id est quemlibet cibum et potum « ut epulentur viventes, » id est dum vita suppetit, per omnem vitam; nam post mortem nihil boni sperant, imo animam superstitem esse non credunt. Igitur quamdiu vivunt, convivia agitant, epulis et vino mensas opipare instruunt, et ad hæc sumptibus non parcunt, sed quidquid in urbe deliciosum, rarum et magnificum est, magno ære comparant. « Pecuniæ » enim « obediunt » et comparantur « omnia; » vel, ut ex Hebræo elegantius et nervosius vertas, *pecunia omnia exaudit*, omnibus respondet et annuit. Est prosopopœia. Inducitur hic pecunia quasi regina, quam omnes et omnia sectentur, exquirant et postulent, ac mox sese sistant et offerant ubi intervenerit domina pecunia.

Posset quoque τὸ *in risum* referri ad parasitos, adulatores, histriones et moriones, qui mensas divitum ambiunt, easque quasi emunt, dum eas condiunt suis ridiculis facetiis, dicteriis, scommatibus, gestibus, actibus, quibus convivas ad risum et hilaritatem excitant : qua in re abundabant Palæstini, Syri et Alexandrini, teste Capitolino in *Ælio Vero* (1).

(1) Maurer, *ad risum*, ut se lætitia et voluptate oblectent, *faciunt* principes, vel divites, *panem*, id est convivium (conf. *Dan.* V, 1), *et vinum exhilarat vitam* eorum, *et pecunia præbet omnia*, id est, facit ut omnia quæ aliquis exoptat expleantur, ut omnibus ejus optatis respondeatur. Ita Horatius, lib. I, *epist.* VI, vers. 36 :

Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus et formam regina pecunia donat.

Alii, *qui faciunt panem*, id est, qui victum suo labore

Mystice, S. Hieronymus hæc refert ad Prælatos qui plausum populi captant, ut opes et epulas acquirant. « Accusat eos, inquit, qui loquuntur quidem in Ecclesia et docent populos, sed ea docent quæ populum audire delectet, quod peccatores palpent in vitio, et strepitus concitent audientium. Nonne, quando in Ecclesia lascivit orator, et beatitudinem et regna cœlorum multitudini pollicetur, videtur tibi in risu facere panem, et vinum ad lætitiam miscere viventium? sive quod ipsi, qui docent, divitias et cibos et opes per delectabilia promissa conquirant; sive quod Ecclesiæ panem, qui panis lugentium est et non ridentium (beati quippe lugentes, quoniam ipsi ridebunt), in lætitia gaudioque conficiant. » Pergit deinde : « Quod autem sequitur : Pecuniæ vel argento obediunt omnia, dupliciter accipiendum, vel ipsos doctores postquam adulatione ditati sint, regnum in populos exercere; vel certe quia argentum pro sermone semper accipiatur : eloquia enim Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum; hoc asseverat, quod eloquentiæ et orationi, quæ verborum sit fronde composita, facile vulgus cedat ignobile. » Idem S. Hieronymus rursum contrarie hæc accipit de doctoribus Evangelicis, qui hilariter evangelium, id est lætum nuntium, bonaque, quæ Christus sponsus illi attulit, inter quæ est pecunia, id est talenta cuique ab ipso distributa, *Luc.* XIX, 15, annuntiant. Sic et Olympiodorus eosdem opponit voluptuariis, quod pane vinoque mystico roborati, facile dæmonis insidias rideant, scientes quod orbis universus argento, id est Verbo Dei propter nos incarnato, subjectus sit.

Pecuniæ obediunt omnia.

ET PECUNIÆ OBEDIUNT OMNIA. — Pro *obediunt* hebraice est ענה *iaana*, id est *humiliat et sibi subjicit omnia*, vel *exaudit omnia*, vel *respondet omnibus*.

Primo.

Hinc *primo*, Septuaginta vertunt, *et argento humiliatione obediunt omnia, q. d.* Argento omnes et omnia se humiliant, substernunt et obediunt. Unde Arabicus, *et omnes res humiliantur et obediunt argento*; Syrus, *argentum humiliat et seducit eos in omnibus*; alius, *argento humiliant se omnes*, quasi

Secundo.

adorantes mammonam. *Secundo*, Symmachus vertit, *argentum utile erit ad omnia*; Thaumaturgus,

Tertio.

argento quævis trahuntur. Tertio, Tigurina, *pecuniæ subigunt omnia*; alius, *argentum obtinet omnia*; Vatablus, *pecunia præstat omnia*; Campensis, *pecunia suppeditat omnia*; Marinus, *argentum auxiliabitur*

Quarto.

omnibus. Quarto, alii, *pecunia respondet omnibus*, vel *omnia, q. d.* Si quid cupis, consule pecuniam; hæc si tibi sit, tuæ cupiditati tuisque votis om-

Quinto.

nibus faciet satis. *Quinto*, alius, *pecunia exaudit omnia*, ut per prosopopœiam hic inducatur, velut regina potentissima, imo velut numen mortalium, quod invocatum, omnia quæcumque expetuntur, imperet et præstet. Unde Poeta :

Quidquid nummis præsentibus opta,
Et veniet; clausum possidet arca Jovem.

Similis est phrasis *Osee*, cap. II, vers. 21 : « Et erit in die illa : Exaudiam cœlos, dicit Dominus, et illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum : et hæc exaudient Jezrael, » quasi dicat : Præstabo cœlis votum quod optant, dando eis pluviæ abundantiam; cœli hanc impertient terræ, quæ illam postulat; terra cupiditati tritici, vini et olei, ut copiose proveniant, annuet; hæc Jezrael ditabunt frugum fructuumque copia, ut ibi sit magnus rerum omnium, æque ac animalium hominumque proventus; nulla ergo res est quæ non conficiatur pecunia; nullum scelus, quod non imperet pecunia. Unde Apostolus, I *Tim.* VI, 10 : « Radix, inquit, omnium malorum est cupiditas; » græce φιλαργυρία, id est *cupido argenti*. Nihil est tam absconditum quod divitiæ non eruant, nihil tam carum quod non coemant, nihil tam sublime et inaccessum, quod non obtineant. Ipsæ sunt hujus vitæ firma protectio; ipsæ, quibus regibus et principibus hujus sæculi ad voluntatem eorum obsequimur; ipsæ, quibus tranquillitatem, libertatem et amplissimos honores mercamur; ipsæ tandem nonnunquam homines abjectissimos nobilibus viris similes faciunt, et ad supremum imperium evehunt. *Sexto*, Noster omnia hæc complexus significanter vertit, *pecuniæ obediunt omnia*. Ipsa enim est quasi regina, cui vocanti et imperanti omnes et omnia se sistunt, obediunt et imperata faciunt. Unde Thuanus vertit :

Sexto.

Gnoma.

Et passim potitur regina pecunia rerum.

Hinc Aristophanes in *Pluto*, act., scen. 2, idipsum mutuatus est :

Si quid, *inquit*, præclarum, aut pulchrum aut gratum denique
Inter homines exsistit, per Plutum (deum opum) maxime
Exsistit : nam pecuniæ obediunt omnia.

Et Horatius, lib. I, *epist.* 6 :

Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus et formam regina pecunia donat,
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque.

Hinc et illud Sallustii in *Jugurth.* : « Romæ venalia omnia esse, etiam ipsammet civitatem, si emptorem reperiret. » Vide Senecam, lib. III *De Ira*, cap. XXXII et XXXIII, Cicero in *Verrem*, act. II, queritur pecuniosum, ut sit nocentissimus, damnari non posse. Epicharmus ait auro aperiri omnia, ipsas etiam inferni portas. Hesiodus in *Ergis* pecuniam vocat *hominis animam alteram;* Philosophus, *sanguinem et vitam*. Hinc Jurisconsulti quos citat Tiraquellus, *De Nobil.* cap. III, num. 5, censent omnes divites vocari posse *principes;* inde enim divitiæ nominantur *facultates*, quod ad res omnes facultatem, adeoque facilita-

quærunt, id faciunt *ad risum*, id est gaudent, cum gaudio laboris fructu fruuntur; *et vinum exhilarat vitam* eorum, *nam argentum* labore partum *omnia suppeditat*.

tem præbeant. Imo Plutus et Mammona pro diis habiti et culti sunt. Quin et Judas pro triginta denariis argenti Christum Deum vendidit, prodidit et perdidit. Denique gentiles Jovem ipsum deorum summum vocarunt *pecuniam*. Citat eos et redarguit S. Augustinus, lib. VII *De Civit.* cap. XII, cujus verba recitavi *Eccli.* X, 9 sub initium. Idem, lib. IV, cap. XXI, docet eos coluisse deum Argentinum, et Æsculanum dictum ab *ære*; et Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XXXIII : « Injustitiæ, ait, auctorem, et dominationem totius sæculi, *nummum* scimus omnes. » Unde avaritia a Paulo vocatur idolorum servitus; multi enim aurum ut numen colunt et quasi adorant, *Ephes.* V, 5. Sapienter Seneca et ex eo Dionysius : « Pecuniæ, inquit, imperare oportet, non obedire; » et Cicero, I *Offic.* : « Nihil, ait, est tam angusti animi tamque pravi, quam amare pecuniam » : « talis enim est mancipium aureum, » ait Socrates; et Poeta :

> Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
> Tortum digna sequi potius quam ducere funem.

Denique Julius Cæsar potentiam duabus rebus parari, servari et augeri censebat, pecunia scilicet et militibus, eaque se mutuo consequi. Ita Xiphilinus in *Cæsare*. Hinc Flaminius, apte ludens in Philopœmenem militibus abundantem, sed opibus vacuum, ait : « Philopœmen manus quidem habet et crura, at ventrem non habet; » per manus et crura significans duces et milites, per ventrem pecuniam, quæ milites nutrit, ideoque est belli nervus. Ita Plutarchus in *Apophth. Rom.*

Porro S. Thomas, I II, *Quæst.* II, art. 1, ad 1, quærit an beatitudo hominis consistat in divitiis, ex eo quod pecuniæ obediant omnia, ac respondet : « Omnia corporalia, inquit, obediunt pecuniæ quantum ad multitudinem stultorum, qui sola bona corporalia cognoscunt, quæ pecunia acquiri possunt. Judicium autem de bonis humanis non debet sumi a stultis, sed a sapientibus, sicut et judicium de saporibus ab iis qui habent gustum bene moderatum. » Unde apte poetæ Jovi dederunt imperium cœli, Neptuno maris, Pluton inferorum, quia πλοῦτος, id est opes, ex imis terræ visceribus eruuntur, et avaros ad infernum deducunt ad Proserpinam Plutonis uxorem. Hinc Pluto dictus est Orcus et Uragus ab *urgendo*, ac Dis. Causam dat Cicero, lib. II *De Natura deorum* : « Terrena vis omnis, ait, atque natura Diti patri dedicata est; qui Dis, ut apud Græcos Πλούτων (id est dives) quia et recidant omnia in terras, et oriantur e terris.

Pluti regnum et etymon.

Vers. 20. 20. IN COGITATIONE TUA REGI NE DETRAHAS, ET IN SECRETO CUBICULI TUI NE MALEDIXERIS DIVITI : QUIA ET AVES COELI PORTABUNT VOCEM TUAM, ET QUI HABENT PENNAS ANNUNTIABUNT SENTENTIAM. — Cohæret apte hæc gnome præcedenti, *q. d.* Esto reges et principes conviviis vacent, rempublicam negligant, cives vexent et opprimant, tamen caveat subditus ne eis detrahat : facile enim ejus detractio ad aures principis perveniet, qui eum puniet et plectet. Jubet, inquit S. Hieronymus, « ne ira et furore superati, in maledictum, et in detractionem regum et principum prorumpamus : quia contra spem interdum evenit ut his quibus maledixerimus nuntietur, et incurramus periculum immoderatione linguæ. Quod autem ait : Volucres cœli auferent vocem tuam, et habens pennas annuntiabit verbum, hyperbolice intelligendum, quomodo solemus dicere etiam ipsos parietes, quibus consciis loquimur, quæ audierint non celaturos. »

IN COGITATIONE TUA. — Hebræa, *in scientia tua*; Septuaginta, *in conscientia tua*; S. Hieronymus, *in mente tua*; Syrus, *in intellectu tuo*; Chaldæus, *ne tacitus apud te in intimis et abditis cordis regi prave impreceris*. Ergo « in cogitatione tua, » id est, ne occultissime quidem, vel te solo conscio, ut vertit Thaumaturgus. Unde Arabicus vertit, *in lecto tuo*; Cajetanus, *in separatione tua*. Est catachresis, cogitatio enim sumitur pro summe occulto. Ita Lyranus, Cajetanus et Vatablus. Adde, proprie in cogitatione et mente non esse maledicendum regi, quia quod sæpe cogitamus et mente volvimus, hoc per os, id est, per verba et gestus foras erumpit, ut sentiri, et ab audientibus ad regem deferri possit. Ita Lyranus. Unde Campensis vertit, *ne ausus fueris vel cogitare semel, ut hujusmodi in rege vel principe reprehendas*. Et Thaumaturgus : *Jubet*, inquit, *regni principibus et magistratibus per omnia parendum, ita ut ne dicto quidem quis illis adversetur, aut ad verbulum aliquod triste obmurmuret.*

REGI NE DETRAHAS. — אל תקלל Hebraice, *al tekallel*, id est ne vilipendas, ne extenues, ne leviter loquaris, velut de vili et abjecto, ne vituperes; Septuaginta, *ne maledicas, ne exsecreris*; Symmachus, *ne conviciis incessas*. Alludit ad præceptum Mosis : « Diis (id est judicibus et magistratibus) non detrahes, et principi populi tui non maledices, » *Exod.* XXII, 28.

DIVITI, — id est potenti, principi, præsidi. Ita Vatablus, Cajetanus, Titelmannus et alii, imo et S. Hieronymus. In Scriptura enim sæpe dives notat potentem et principem; quin et apud poetas. Divitiæ enim faciunt potentes et principes, ac quasi deos; unde Deus et Divus dicitur quasi *dives*, quod abundet et det omnibus, sicut pecuniæ obediunt omnia. Audi Horatium, II *Sermonum*, satyr. 2 :

> Omnis enim res
> Divitiis paret, quas qui construxerit, ille
> Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam et rex.

« Deos *æternos* dicimus, divos vero qui ab hominibus fiunt, ait Servius. Divus enim dicitur quasi *dius*, id est ἀπὸ Διός, id est a Jove genus ducens, » aut *divus*, quasi divinus. Hinc ditio, quæ est divitum et ditiorum, vocatur potestas et

imperium. Unde Cicero, II *De Legib.* : « Ditione atque numine deorum geruntur res. » Et act. III *in Verrem* : « Sub imperium ditionemque populi Romani urbes aliquas subjungere. »

QUIA ET AVES COELI PORTABUNT VOCEM TUAM, ET QUI HABENT PENNAS (Aquila *alata*) ANNUNTIABUNT SENTENTIAM, — Hebræa, *verbum*; Tigurina, *maledictionem tuam*; idem dicit posteriori hemistichio per elegantiam, quod dixit priori : aves enim et volatilia habent pennas. Proverbium vulgare est : « Nisi si qua vidit avis, » significans rem esse valde occultam. Unde Aristophanes in *Avibus* :

Nemo vidit meum thesaurum, nisi si qua avis usquam;

et Suidas ex Aristophane :

Nemo me contuetur, nisi prætervolans avis :

est ergo hæc parœmia hyperbolica significans rem occultissimam, puta maledicentiam et detractionem secretam, occulto quodam modo perferendam ad regem, qui multos habet oculos et aures, puta multos corycæos et exploratores. Undeillud :

An nescis longas regibus esse manus?

Simili modo et proverbio dicimus sylvas et sepes habere aures, quia quæ ibidem quasi in loco deserto et secreto dicuntur, sæpe ab aliquo ibidem latitante vel eminus spectante, videntur, audiuntur et cognoscuntur. Rursum cum dicimus « scelus nullis parietibus posse abscondi; » et : « Si tacuerint, lapides clamabunt. » Litterale exemplum est in Ibyco musico, ideoque divite, qui cum a latronibus ob opes occideretur, grues prætervolantes testes et vindices necis suæ appellans, per ipsas auctores necis detecti pœnas dederunt. Unde illud Ausonii in *Monosyllabis* :

Aves revelant secreta. Exempla.

Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.

Unde Proverbium : « Ibyci grues, » in eos qui insolito casu proditi sceleris pœnas exsolvunt. Ita Plutarchus, lib. *De sera Numinis vindicta*, qui addit simile de Besso, cujus parricidium hirundines prodiderunt. De porphyrione ave tradunt nonnulli, ipsam adulterium uxoris marito detegere. Sic picas, loqui doctas, domi maledicta et facta puerorum vel famulorum absenti patrifamilias sua voce et gestu detexisse sæpius audivimus. Notum est ex Porphyrio, Phylostrato et aliis, Melampium, Tiresiam et Apollonium Thyaneum se jactasse, quod voces garritusque hirundinum aliarumque avium intelligerent, et ex iis secreta dicta factaque cognoscerent. Huc facit ille Juvenalis *satyr.* 9 :

O Corydon, Corydon! secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis, et postes, et marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen
E medio, clamant omnes : prope nemo recumbat
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet.

Et Cicero : « Omnis fere sermo, inquit, ad forensem famam a domesticis manat auctoribus. » Quocirca sapienter S. Eucherius, epist. *ad Valerianum*, ita præcipit : « Etiam in secretis tuis, quod velis homines nescire, ne feceris; quod Deum, ne cogitaveris. »

Per *aves cœli* ergo notat *delatores*, ut vertit Vatablus, *et exploratores;* aves enim sunt perspicaces, celeres, garrulæ, leves, inconstantes : tales sunt delatores et curiosi corycæi, qui omnia secretissima explorant; et ut ait Comicus in *Trinum.* : « Id quod in aurem rex reginæ dixerit sciunt; quod Juno fabulata sit cum Jove. » Porro Olympiodorus et ex eo Pineda per aves intelligit famam : « Maledicta, ait, fama excurrens deferet ad illius aures, cui malum imprecatus fueris. » Fama enim a poetis pingitur alata, vigil, loquax, velox. Audi Virgilium, IV *Æneid.*, hoc famæ ænigma vel hieroglyphicum proponentem :

Cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi, subter mirabile dictu!
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes,
Tam ficti, pravique tenax, quam nuntia veri.

Adde (ut ad aves redeam) solere epistolas per aves mitti, cum quid secrete et celeriter absenti et remoto nuntiandum est. De columbis asserit Plinius, lib. X, XXXVII : « Internuntias in rebus magnis fuisse, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi, in castra consulum D. Bruto mittente. Quid vallum et vigil obsidio, atque etiam retia amne prætensa profuere Antonio, per cœlum eunte nuntio? » Qua de re plura dixi in Oseam. Denique veteres auguria et divinationes rerum arcanarum captabant ex avibus.

Porro principi et magistratui expedit habere veraces et probæ fidei exploratores, qui ea quæ ubilibet fiunt, præsertim secreta rimentur : sed cavendi sunt leves et fallaces, qui adulationis, odii vel lucri causa, crimina confingunt, et innocenti impingunt. Unde sapienter Mecænas Augusto Cæsari de iis ita scribit apud Dionem, lib. LII : « Quoniam auscultatores et exploratores habere te oportet, quorum ope omnes imperii tui res cognoscas, ne quid custodia et emendatione indigens te fallere possit, memento non omnino statim, quæ ab eis referuntur credenda, sed diligentem considerationem adhibendam esse. Permulti enim eorum, vel odio aliorum, utpote bona eorum affectantes, vel in gratiam quorumdam, vel irati ob postulatam et non acceptam pecuniam, falso crimine seditionis tentatæ, aut contra imperatorem alicujus facti vel dicti improbi eos onerant. Quod si enim tardius fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno : festinando autem fieri potest ut peccatum aliquod irreparabile admittas. »

Mystice, *aves* cœli sunt angeli (unde Tigurina; *angeli veloces et alati*) boni vel mali, qui res nostras ad Deum et subinde ad homines deferunt, mali ut accusent, boni ut excusent et gratiam impetrent. Angeli enim cognoscunt cogitationes subinde etiam secretas, non ex se, sed ex signis et conjecturis, vel ex revelatione Dei. Minus vere Hugo censet angelos cognoscere quidem cogitationes ab ipsismet nobis immissas, an illis consentiamus, non vero cognoscere eas, quas nobis caro vel mundus suggerit: minus vere, inquam, nam utrasque æque cognoscunt vel ignorant: utrarumque enim eadem est ratio, et idem indagandi motus. Ita Olympiodorus, Thaumaturgus, Hugo et alii. Porro Olympiodorus per *aves* quoque accipit conscientiam propriam, quæ ut vulgo dicitur, est instar mille testium, et Spiritum Sanctum. Sed hæc huic loco incongrua sunt. Porro S. Hieronymus mystice per *principem* accipiens Christum et sanctos, per *aves* angelos, sic exponit: Mandat, inquit, « non solum contra Christum temere nihil loquendum, verum etiam in arcanis cordis, quamvis variis tribulationibus coarctemur, nihil blasphemum, nihil impium sentiendum. Et quia dilectionem, quam Christo exhibemus, debemus et proximo: diliges quippe Dominum Deum tuum, sed et proximum tanquam teipsum; etiam nunc jubemur, ne post regem de sanctis quoque facile detrahamus; et eos quos viderimus sapientia, scientia, virtutibusque ditatos, linguæ mordacitate rodamus, quia angeli, qui terram circumeunt, et sunt administratorii spiritus, et in Zacharia loquuntur: (Circumivimus terram, et ecce omnis terra habitatur et silet) ad instar avium nostra verba et cogitationes ad cœlum perferunt, et quod clam cogitamus Dei scientiam non latere. » Porro Chaldæus per *aves* accipit angelum Razaelem et Eliam. Unde sic vertit: « Tu autem ne tacitus apud te, in intimis et abditis cordis, regi prave impreceris, neque in penetrali thalami tui sapienti maledixeris: Razael enim angelus omni die super montem Horeb clamat, et in universum orbem vox ejus pervagatur. Elias quoque sacerdos magnus, velut aquila summis alis prædita, volans aerem et cœlos perlustrat, et quæ occulte facta sunt omnibus terram inhabitantibus defert et annuntiat. » Verum hæc sunt figmenta judaica et cabalistica.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Per ænigmata hortatur ad largas eleemosynas. Inde, vers. 8, monet ut homo assidue memor sit judicii extremi ideoque concupiscentias mortificet, ac virtutibus et bonis operibus vacet.

1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa invenies illum. 2. Da partem septem, necnon et octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram. 3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. 4. Qui observat ventum, non seminat: et qui considerat nubes, nunquam metet. 5. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus: et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. 6. Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud; et si utrumque simul, melius erit. 7. Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. 8. Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. 9. Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum: et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. 10. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.

Vers. 1. Mitte panem super transeuntes aquas.

1. MITTE (Syrus *projice*) PANEM TUUM SUPER TRANSEUNTES AQUAS: QUIA POST MULTA TEMPORA INVENIES ILLUM. — Τὸ *transeuntes* non est in Hebræo, sed subintelligitur, aquæ enim veræ et vivæ sunt fluentes fluxuque suo transeuntes. Salomonem secutus Ben-Sira, quem Hebræi volunt fuisse nepotem Jeremiæ prophetæ, alphabeto 1, littera *zain*: « Sparge, inquit, panem tuum in superficie aquarum, et in arida, et tu invenies eum in fine dierum, » *q. d.* Sicut agricola jacit semen in terram, nulla habita ratione soli humidi vel aridi, sic et tu disperge tuas eleemosy-

nas in egentes, etiam aridos, id est plane inopes, vel immemores et ingratos, ut tibi gratiam referre non possint aut nolint. Jam

Primo. *Primo*, Cajetanus sic proprie explicat : Mitte panem tuum per maria et flumina ad distantes pauperes. Verum ipse gnomen hanc universalis eleemosynæ ad absentes restringit, nisi sic explices, *q. d.* Ita dilata tuos animos et eleemosynas, ut non tantum præsentibus eroges, sed et eas ad absentes remotosque quaquaversum mittas, uti fecit S. Gregorius. Chaldæus vero per transeuntes aquas accipit pauperes in aquis navigantes : « Porrige, ait, alimentum tuum pauperibus, qui ambulant in navibus super facies aquarum, quoniam post tempus dierum multorum invenies mercedem ejus in sæculo hoc et in sæculo venturo. »

Secundo. *Secundo*, Aben-Ezra contrarie vertit; nam pro *transeuntes* vertit *stantes*, sive *stagnantes aquas*, *q. d.* Sicut in stagnis et vivariis heri projiciunt panem, quem pisces devorant, itaque se impinguant, ut pinguiores facti extractique herum pascant : sic pariter projice panem tuum pauperibus, ut eo pasti vicissim te sua gratiarum actione bonaque precatione reficiant et pascant. Huic sensui affine est hoc proverbium Arabicum : « Bonum operare quod potes, et illud in aquam projice; quia piscis aliquis educet ipsum aliquando foras in tui beneficium. » Exemplum litterale est in *Prato spirit.* Joannis Moschi, capite CLXXXV, ubi narrat quemdam 50 nummos dedisse pauperibus, ideoque eos sextuplicatos recepisse, dum in pisce ex aquis extracto invenit gemmam, quam trecentis nummis divendidit : quare pro 50, piscis reddidit ei trecentos.

Tertio. *Tertio*, Olympiodorus per aquas accipit lacrymas : « Cum lacrymis, inquit, et misericordiæ affectu facito eleemosynam. » Possunt quoque accipi lacrymæ pauperum, *q. d.* Pauperi præ fame et afflictione gementi et lacrymanti dato stipem, ut ea lacrymas ejus soleris et abstergas.

Quarto. *Quarto* et magis apposite, alii censent esse metaphoram a mercatoribus, frumenta et panes per naves transmittentibus in exteras regiones, lucri causa, *q. d.* Sicut mercator panes et grana per naves transvehit in alias oras, ut ibi ea caro vendat, itaque ingens lucrum domum reportet : sic tu mitte panes et opes tuas in pauperes tam urbanos quam forenses, inde enim ingens lucrum, puta Dei hominumque gratiam domum referes. Huc spectat illud *Prov.* XXXI, 14 : « Navis institoris, de longe portans panem suum; » et illud *Gen.* XLIX, 20 : « Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. » Huc facit expositio subtilis et sublimis nostri Sebastiani Barradii, lib. VII *Prolegom.* cap. XIV : « Mitte panem super transeuntes aquas, » id est mitte panem tuum in mare, et in longinquam cœli regionem navibus deportetur, et post multa tempora cum efflaveris animam, invenies illum : quæ sunt naves? pauperes. Hinc ait Christus, *Luc.* XVIII : « Omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, » *q. d.* Onera tuis divitiis naves, id est pauperes; hi in cœlum viles opes deferent, et cum pretiosissimo thesauro commutabunt. Porro naves hæ nunquam patiuntur naufragium, nec spolium, uti patiuntur naves mercatorum, sed certo cursu eleemosynam in cœlum devehunt. Unde S. Chrysostomus, hom. 48 in cap. XXIV *Genes.* : « Facilis, inquit, est hæc transvectio, secure illuc transferimus, et in thesauro indeprædabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmittimus. » Qui ergo sapis, imple tuis panibus opibusque manus pauperum; illæ eas deportabunt in cœlum, ubi pro eis centuplum, imo millecuplum recipies.

Rursum, aliqui per *aquas transeuntes* accipiunt animas in purgatorio detentas, quasi pro eis hic jubeat effundere eleemosynas, preces et suffragia; illæ enim animæ transierunt a præsenti sæculo in alterum alterius vitæ, ac e terra in purgatorium, ubi gravissime igne cruciantur. Quare qui misericors est et sapiens, eis omni ope et arte per indulgentias, Missas, eleemosynas suffragatur, ut a tantis tormentis eas liberet; illæ enim jam liberatæ in cœlum evolabunt, ubi liberatori suo gratæ, ampla a Deo dona eidem impetrabunt.

Quinto genuine. *Quinto* et genuine, *q. d.* Sicut semen copiose seritur in terra humectata, per quam transierunt aquæ vel pluviæ, vel fluviales, ut ex ea succum sugat, quo germinare et segetem copiosam producere queat : sic tu, o fidelis, o christiane, panem, id est eleemosynam tuam copiose dispergito in pauperes, ut ex ea copiosos bonorum temporalium et spiritualium fructus colligas. Nam per « transeuntes aquas, » metonymice intellige terram transeuntibus aquis madentem et humidam, ideoque aptam ad recipiendum semen : seritur enim non in aqua, sed in terra aquis humecta. Aqua enim vivifica est, atque omnis fecunditatis effectrix, ait S. Cyrillus in *Isai.* XXXII, 20 : sic est et eleemosyna. Sensus ergo est, *q. d.* Postquam aquæ pluviæ transierint, terramque ad opportunum satum madentem præparatamque reliquerint, sementem facito : sic pariter ubi pauperum greges ex paupertate aliave afflictione egentes, ideoque ad eleemosynam paratos et anhelantes videris, tu illis eam elargire. Ita S. Hieronymus : « Ad eleemosynam, ait, cohortatur, quod omni petenti sit dandum et indiscrete faciendum bene. Quomodo enim qui super irrigua seminat, fructum sementis exspectat, ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit, fœnore quodam multiplicationem illius præstolans, et cum dies judicii advenerit, multo amplius quam dederat recepturus. » Hebraice est : *Mitte panem tuum super faciem aquarum*, id est super faciem terræ aquis irrigatam:

nimirum feracissima est miseri et calamitosi hominis facies, « aquis, » id est ærumnis, et lacrymis madefacta; in hac semina panem tuum, et ipsa magno cum fœnore semen reddet.

Denique, τὸ *super aquas* posset exponi, *juxta aquas*, uti Christus « stans super (id est juxta) « illam, imperavit febri, » *Luc.* IV, 39. Felicius enim semen jactum juxta aquas, et uberiore fruge provenit (1).

Transeuntes aquæ sunt pauperes. Primo.

Nota, apte comparantur pauperes transeuntibus aquis. *Primo,* quia homines in hac vita transeunt et præterfluunt, ut aquæ et flumina. Unde illud : « Aquæ quas vidistis, populi sunt, et gentes, » *Apoc.* XVII, 15; et illud : « Omnes quasi aquæ dilabimur in terram, » II *Reg.* XIV, 14.

Secundo.

Secundo, aquæ notant pauperum multitudinem, confluxum et transitum, quo ab uno ostio in aliud, ab una urbe et pago in alium mendicando et victum quærendo transeunt. Nec enim certo loco consistunt, sed assidue circumeunt et peregrinantur, ut escam conquirant. Ita Olympiodorus, Bonaventura, Lyranus.

Tertio.

Tertio, transeuntes aquæ notant non esse spectandam in eleemosyna pauperum recompensam, eo quod illi transeant, ut aquæ non redituræ, sæpeque sint ignoti vel impotentes ad retribuendum, imo subinde immemores et ingrati, quare a Deo exspectandam esse mercedem, *q. d.* Licet pauperes sint, aut videantur fore ingrati, ut in eos quasi in aquas jactum beneficium, et periturum videatur; iis tamen benefacito, quia si non ipsi, certe alii, ac inprimis Deus tibi datum magno cum fœnore reddet. Unde Pagninus vertit, *mitte panem tuum etiam ignotis, ac si projiceres super faciem aquarum; quia in multitudine dierum invenies illum.* Et R. Salomon, *benefac homini, de quo corde cogitas fore, ut non amplius illum videas, sicut qui cibum suum in aquas projicit.* Thaumaturgus vero, *justum est panem et cætera hujus vitæ necessaria impertiri egenti, tametsi periturum videtur beneficium, ac si quis in aquam projiciat panem; apparebit autem procedente tempore, non inutilem tibi fore eleemosynam.* Sapienter Seneca, lib. IV *De Beneficiis*, cap. XXV : « Propositum, inquit, est nobis secundum rerum naturam vivere, et deorum exemplum sequi : dii autem quodcumque faciunt, in eo quid præter ipsam faciendi rationem sequuntur? nisi forte existimes illos fructum operum suorum ex fumo extorum, et thuris odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuant, quantis terras fructibus impleant, quam opportunis et in omnes oras ferentibus ventis maria permoveant, quantis imbribus repente dejectis solum molliant, venasque fontium arentes redintegrent, et infuso per occulta nutrimento novent. Omnia ista sine mercede, sive ullo ad ipsos perveniente commodo, faciunt. Hæc quoque nostra ratio, si ab exemplari suo non aberrat, servet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat ullum venale esse beneficium : gratuitos habemus deos. Si Deos imitaris, da et ingratis beneficia. »

Quarto.

Quarto, transeuntes aquæ innuunt copiose dandam esse eleemosynam, quia copiosi et multi affluunt pauperes instar aquarum, et copiosus eleemosynarum erit fructus. Licet enim is modo non appareat, sitque occultus, sicut semen copiose projicitur, et occulitur in terra aquis humida; in messe tamen, puta in die judicii copiosus et splendidus apparebit. Ita S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 19 : « Huc (inquit, scilicet ad lætam largamque eleemosynam) pertinere videtur, quod Scriptura inquit panem in aquam quoque mittendum esse; non enim fore ut distrahatur, aut pereat apud justum harum rerum æstimatorem, sed eo perventurum esse, ubi omnia nostra collocabuntur. » Simili modo Apostolus, II *Cor.* IX, 6, eleemosynam comparat semini producenti magnam messem : « Qui parce seminat, inquit, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus (id est benefice, copiose, largiter) de benedictionibus et metet. » Vide ibi dicta.

Alludit ad Nilum, qui Ægyptum Judææ vicinam exundatione sua pertranseundo oblimat, impinguat, fecundat. Idem facit eleemosyna, quæ dantem ditat et omni bono cumulat. Unde et sequitur : « Da partem septem, nec non et octo. » Ubi alludit ad septem sectiones Nili et rivos (ita ut ipsum Nili corpus sit octavum) quibus totidem ostiis in mare decurrit, idque facit ut melius totam Ægyptum in totidem partes dissectam irriget et fecundet. Hinc a Virgilio, VI *Æneid.*, Nilus vocatur *septemgeminus*, et ab Ovidio, XV *Metamorph.* :

> Perque papyriferi septemflua flumina Nili.

In Ægypto enim non pluit, sed tota agrorum adaquatio fit a Nilo; unde Claudianus, *Epigram.* 6 :

> Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
> Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
> Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Denique, τὸ *mitte super transeuntes aquas* significat eleemosynam faciendam esse, *primo*, liberaliter; *secundo*, non tarde, sed cito; *tertio*, hilari animo, juxta illud : « Hilarem datorem diligit Deus, » II *Corinth.* IX; unde « Fabius beneficium ab homine duro aspere datum, panem lapidosum vocabat, » ait Seneca, lib. II *De Benef.* cap. I et

1) Maurer, *mitte*, projice *panem tuum super faciem aquarum*, in aquarum superficiem, ut earum fluctibus ablatus evanescat : *ne n in multitudine dierum*, post longi temporis spatium *invenies*, recuperabis *eum*, id est, opum tuarum amore et fructu ita abstine, ut eas ad beneficentiam convertas, quanquam inde nulla utilitas oriri videtur; nam in posterum, etiamsi post longi temporis spatium, aliquando accidet, ut opes tuæ largiendo amissæ tibi restituantur. Similem formulam dicendi apud Arabes : « Bene fac, projice panem tuum in aquam, aliquando tibi retribuetur. » Ita et D. Hieronymus : « Ad eleemosynam cohortatur, quod omni petenti sit dandum, et indiscrete faciendum bene. » Videtur *panis* capi pro *semine tritici*, e quo panis paratur.

seq.; *quarto*, prævenientes esse pauperes, ut, antequam rogent, ultro mittamus in eorum sinum eleemosynam. Audi Senecam loco citato : « Illud melius, occupare antequam rogemur : quia cum homini probo ad rogandum os concurrat (alii legunt, *corruat*), et suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit : sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo divinanda cujusque voluntas, et, cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est. »

Quinto. *Quinto*, τὸ *panem tuum* significat eum dandum esse ex tuo, quem scilicet tuo labore comparasti, non ex rapto vel alienum; rursum *tuum*, id est necessarium, non tantum superfluum. Ad hæc *tuum*, id est eodem quo tu vesceris, non ejus micas et crustas decidentes, non panem alterum viliorem et secundarium : « Si non comedit pupillus ex bucella mea,» *Job* XXXI, 17 : « Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, » *Tob.* cap. IV, 17 : « Frange esurienti panem tuum,» *Isai.* LVIII, 7.

Sexto. *Sexto*, eleemosynam transeunti, id est occulte et secreto esse faciendam, tum ut vites inanem ejus ostentationem, tum ne egenum pudore afficias. Unde Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 151, celebrat Timotheum quemdam, « quod cum eleemosynam singulari quodam amore complecteretur, id tamen studiose captabat, ut obscura et incognita esset ea benignitas. Nam si ostentationis particeps est, non benignitatem exhibere videtur, verum eorum qui beneficio afficiuntur calamitates exaggerare, divinumque opus molestissimo morbo labefactare. » Quocirca Timotheum his elogiis ornat : « Revera pudicitiæ ac temperantiæ delubrum erat, prudentiæ sedes, arx fortitudinis, justitiæ metropolis, humanitatis penu, mansuetudinis templum, atque, ut uno verbo complectar, virtutum omnium thesaurus. »

Septimo, non semel et iterum, sed assidue et continuo faciendam esse eleemosynam quibuslibet egenis, quotidie affluentibus. Præclare S. Gregorius Nyssenus, Oratione *De Pauperibus amandis* : « Studium, ait, promerendi de propinquis tibi ab alio præripi non permittas. Cave ne alius rapiat thesaurum repositum tibi. Calamitate affectum, ut aurum amplectere. Infirmam pauperis valetudinem ita fove, ut in ea et sanitatem tuam, et salutem uxoris, et filiorum, servorum, et totius familiæ positam putes. »

Mystice per panem et eleemosynam corporalem accipias spiritualem, qualis est docere ignorantes, solari afflictos, convertere peccatores. Ita S. Hieronymus : « In quocumque homine, ait, illam aquam videris, de qua dicitur : Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, ne te pigeat panem sapientiæ, panem rationis, panem præstare sermonis. Si enim hoc frequenter feceris, invenies te non in cassum doctrinarum jecisse sementem. Tale quid et in Isaia dictum puto : Beatus qui seminat super aquam, ubi bos et asinus calcant. Quod ille magister beatitudine dignus habeatur, qui super irriguum pectus seminat audientium tam ex Judæis, quam ex gentium populo congregatum. » Citat S. Hieronymus Isaiam, cap. XXXII, 20, juxta Septuaginta. Vide ibi dicta.

QUIA POST MULTA TEMPORA INVENIES ILLUM, — quasi rem perditam, vel potius absconditam; sed ut semen mire multiplicatum invenies « illum, » id est illius mercedem et copiosam retributionem, idque sæpe in hac vita, et semper in futura. Ita Chaldæus. Hebraice est : *Quia in multitudine dierum invenies illum.* Vide S. Chrysostomum, homil. *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima.* Alludit ad originem Jordanis (qui est fluvius nobilissimus Judææ). Hic enim, teste Josepho, lib. III *Belli*, cap. XVIII, Hegesippo et aliis, oritur ex Phiala fonte in regione Trachonitide. Hic enim fons miræ profunditatis, aquas copiosas per abditos subterraneos meatus in Dan, sive Paneadem fontem Jordanis ejicit et transmittit. Quare in Paneade intuentibus videtur oriri Jordanis, indeque ex confluxu duorum rivulorum, Jeorset et Dan, Jordanis nomen et flumen conflatum est; revera tamen occulte, ut dixi, oritur longe anterius in Phiala fonte. Deprehensum id est a Philippo tetrarcha Trachonitidis. Is namque, missis in Phialam paleis, invenit eas apud Panum in fontem Dan redditas, unde antea fluvius Jordanis nasci credebatur. Vide Adrichomium in *Descript Terræ Sanctæ*, in *Jordane*. Sicut ergo panis et paleæ conjecti in Phialam fontem, post longos occultosque meatus redduntur in Jordane, sic panes conjecti in sinus pauperum post multa temporum spatia reddentur largienti. Hic ergo quasi in Phialam, spargamus panem in aquas, id est pauperes, ut illæ nobis reddantur in Jordane, id est in fluvio judicii (hoc enim hebraice est *jordan*), hoc est justæ retributionis in cœlo, ubi Deus eos qui miserint panem in transeuntes aquas, et calicem aquæ puræ, vel coctæ in vite aut cerere, puta vinum aut cervisiam, dederint sitienti, fonte vitæ et torrente voluptatis suæ potabit, *Psalm.* XXXV, 9.

2. DA PARTEM SEPTEM, NECNON ET OCTO : QUIA IGNORAS QUID FUTURUM SIT MALI SUPER TERRAM. — Pro *partem*, in plurali *partes* legunt Lyranus, Dionysius et S. Hieronymus in cap. XLI *Ezech.* vers. 1, et S. Gregorius, hom. 16 *in Ezech.*; sed legendum *partem* cum Romanis, Hebræo, Septuaginta, Syro, Arabico, Chaldæo et cæteris : τὸ *partem* notat distribuendam esse eleemosynam pro cujusque necessitate vel merito, et non ita ut esuriat unus, alter ebrius sit, I *Corinth.* XI, 21. Vers. 2.

Primo, Chaldæus hanc gnomen exponit de satione, quasi hic instituatur paterfamilias ut congruo tempore agrum serat, uti de eodem agricolam instruit Columella, Varro, Cato et alii scribentes de *Re rustica*, *q. d.* Sere semen in agro mense septimo et octavo : « Optimam, inquit, partem seminis confer mense Tirsi in agrum tuum; neque tamen et mense Kisleu seminando avoceris, Da partem septem et octo quid? Resp. Primo.

neque exploratum esse potest ipsi terræ imminens malum, prima an secunda sementis superatura sit. » Verum hic sensus alienus est, et ad propositum non pertinet. Agitur enim hic de eleemosyna.

Secundo. *Secundo*, R. Haccados per *septem* accipit septem planetas; per *octo*, cœlum octavum, sive stellatum; per planetas autem et stellas fixas censet denotari viros eminentes et principes, quasi illis hic jubeat dari partem honoris cuique debiti, illosque colere et revereri, ut benigno favoris sui aspectu vicissim nos aspiciant et prosequantur. Verum hoc tam remotum est quam cœlum a terra.

Tertio. *Tertio*, R. Salomon, Aben-Ezra et Clarius per *septem* accipiunt septem dies Septimanæ, et per *octo*, diem octavum, qui est primus sequentis Septimanæ, *q. d.* Quotidie per septem dies hebdomadæ dato eleemosynam, nec ibi desinito, sed dato die octavo, hoc est primo sequentis hebdomadæ, ut denuo novum septenarium cum nova hebdomada inchoes, et cum ea finias, idque assidue et continuo, *q. d.* Continuo per omnes dies cujuslibet hebdomadæ totiusque vitæ facito eleemosynam.

Quarto. *Quarto*, Cajetanus per *septem*, pauperes septem proprie et præcise accipit : « Forte enim, inquit, tunc temporis familiare erat Judæis eleemosynariis pascere pauperes septem, ob reverentiam divinarum actionum, quæ septem diebus describuntur a Moyse, supputato Sabbato quietis. Da itaque partem mensæ pauperibus septem, hoc est decreto numero pauperum, et etiam octo, hoc est, si et alius supervenerit, da etiam ei partem. »

Quinto. *Quinto*, Osorius et alii per *septem* et *octo* accipiunt septimam vel octavam partem opum et proventuum, quasi hanc jubeat dari pauperibus, uti decimam dari iisdem jubet Moses, *Deuteron.* XIV, 28. Alii per *septem* et *octo* accipiunt septuplam et octuplam, id est multiplicem et copiosam eleemosynam, quasi jubeatur, ut homo omnes benefaciendi et bene de proximo merendi occasiones capessat. Ita Osorius et Lyranus qui legit in accusativo : « Da partes septem et octo. »

Sexto. *Sexto*, S. Bonaventura censet senarium significare id quod sufficit nobis : quidquid est ultra, illud dici *septem* et *octo*, *q. d.* Danda est eleemosyna de eo quod superest, ac large quidem pro facultatibus nostris, ut nostra abundantia aliorum inopiam suppleat.

Septimo, nuine. *Septimo* et genuine, *q. d.* Da partem panis, id est cibi et eleemosynæ tuæ *septem*, id est multis pauperibus, imo et *octo*, id est longe pluribus, *q. d.* Esto liberalissimus in dando, da quotquot egentes occurrunt, da plurimis, imo infinitis, si potes. Nota ex S. Hieronymo in *Isaiæ* cap. IV et V, Hebræis septenarium esse familiarem propter Sabbatum, æque ac denarium propter Decalogum. Significat autem septenarius multitudinem et universitatem, eo quod omnes dies Septimanæ semper recurrentes non sint nisi septem : idem significat ternarius; unde illud Aristotelis : « Tria sunt omnia, » scilicet prima; non enim duo, sed tria primo vocantur. Jam, si ad tria addas quartum, vel ad septem addas octo, significatur magna et inusitata multitudo. Unde illud : « O terque quaterque, (id est omnimode) beati. » Sic *Amos* cap. I, vers. 3 et seq., toties repetitur : « Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor, » id est ob plurima et maxima ejus scelera, « non convertam eum. » Vide ibi dicta; et *Proverb.* XXX, 15 : « Tria sunt insaturabilia, et quartum nunquam dicit : Sufficit. » Simile est *Job* V, 19 : « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima (id est in plurima et maxima) non tanget te malum; » et *Michæ.* cap. V, vers. 5 : « Suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines, » id est plurimos et maximos principes, uti ibidem dixi. Sic hic dicitur : « Da partem septem et octo, » id est da multis, imo longe pluribus et innumeris. Hinc Thaumaturgus vertit : « Da liberaliter et divide pluribus, sua tamen cuique, » *q. d.* Noli terreri pauperum filatim affluentium multitudine, ut ultimis neges eleemosynam; quin potius omnibus da, ut, crescente numero pauperum, crescant tibi animus et numerus eleemosynarum. Hinc Nazianzenus, *orat.* 19, laudans patrem suum vita functum ab eleemosynis : « Revera, inquit, tanquam alienorum bonorum procurator de bonis suis cogitabat, pauperum inopiam, quam maxime poterat, sublevans, nec superflua duntaxat, sed necessaria quoque in eam rem sumens, partemque dans, non septem duntaxat, velut Salomonis lex præscribit, verum si octavus etiam accederet; libentius sua profundens, quam alii acquirant. » Qua in re imitabatur Deum, qui liberalis est in omnes, nec ullum indotatum relinquit. Vere Cicero : « Homines, ait, ad deos nulla re propius accedunt, quam dando; nihil habet fortuna melius quam possis, nec natura melius, quam ut velis servare quam plurimos. »

Huc facit vetus proverbium : « Omnia octo, » de quo Collector adagiorum, et Bongus in *Mysteriis numerorum*, cum nihil deesse significatur : sive propter Stesichori poetæ monumentum, inquit noster Lorinus, Catenæ ex omnibus octonis constructum, columnis, gradibus angulisque; sive propter distributos a primo conditore Corinthios in octo tribus; sive propter totidem deos summæ rerum imperantes, per quos jurare solitus Orpheus fertur : ignem, aquam, terram, cœlum, lunam, solem, Mythram (Persæ confundunt cum sole), noctem; sive quia in Ægyptia columna in signum justitiæ inscribantur deorum octo nomina : Saturni, Rheæ, Osiris, spiritus, cœli, terræ, noctis, diei; et totidem Xenocrates, uti prodit Cicero, licet diversos deos faciebat; sive propter octonas certaminum species in Olympiis; sive propter aliam causam. Igitur septem et octo nullum non comprehendunt, valetque sententia ista, idem ac quod præcipit Christus : « Omni autem petenti te, tribue, » *Luc.* VI, 30. Alludit ad ve-

terum comedendi et convivandi ritum, quo, teste Macrobio, lib. I *Saturnal.* cap. VII, et Gellio, lib. XIII, cap. XI, in convivio septem adhibebantur convivæ, et octavus erat rex sive præses convivii. Unde proverbium : « Septem convivium, novem convicium. » Vide Sidonium Apollinarem, lib. I, *epist.* 11, et Rhodiginum, lib. II, cap. VIII. Hinc Heliogabalus imperator, teste Lampridio, ad cœnam invitabat simul octo luscos, octo calvos, octo surdos, octo podagrosos, octo nigros, octo longos, octo præpingues et obesos, ut sibi suisque risum moveret.

Tropologice. Tropologice S. Ambrosius in cap. VI *Lucæ*, explicans octo beatitudines : « Beati pauperes, » etc., iis hunc locum applicat : « Mandatum accipis, inquit, octo illis partem dare, fortasse benedictionibus, » id est beatitudinibus, ut scilicet partem vitæ demus exercendæ paupertati, quæ est prima beatitudo a Christo proposita; partem mansuetudini, quæ est secunda beatitudo; partem luctui et compunctioni, quæ est tertia, et ita de cæteris. Causam subdit : « Sicut enim spei nostræ octava perfectio est, ita octava summa virtutum est, » *q. d.* Sicut spes nostra, id est vita æterna quam speramus, perficietur in octava resurrectionis, cum reipsa vitam æternam speratam adipiscemur : ita octava beatitudinum est summa virtutum, id est octo beatitudines sunt summa perfectio et culmen virtutum omnium. Dato igitur ac stude beatitudinibus, ut eas secteris, connitaris ad octavam, id est perfectionem virtutum, ac per eam assequaris octavam gloriæ in beata resurrectione. Idem S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. XI, alludens ad septem candelabri lucernas, et ad octavum quasi omnium uterum, illas applicans septem Machabæis, quorum octava erat mater : « Quam bonus, inquit, fidei portus, quam tutus portus iste pietatis, quam splendida lucerna Ecclesiæ septeno fulgens lumine, et octavo utre cunctis luminibus oleum subministrans! De quibus pulchre dicitur : Date partem illis septem et illis quidem octo, eo quod in utroque numero consortium gratiæ consequantur in lege nutriti, per gratiam coronati, septem tanquam in Sabbato; octo tanquam in Evangelio. Pia mater supplemento passionis adjuncta, quæ in talibus filiis integram pietatis formam et parturivit et peperit. »

Secundo, S. Gregorius, Prologo in *Psal.* VI *Pœnitent.*, docet dandam esse partem septem, id est vitæ activæ obeundo septem opera misericordiæ; et octo, id est vitæ contemplativæ. « Da mihi, inquit, Domine, partes septem, necnon et octo. Optavit enim ita subditos regere, ut tamen contemplationis divinæ non fraudaretur perfectione. Ipsa namque officii administratoria necessitate constrictus, cogebatur temporali actioni insistere; sed suavis eum contemplationis divinæ dulcedo reficiebat in mente. Potest etiam intelligi, quod ille quindecim gradus ad illud divinæ illuminationis templum ascendit, qui sempiternæ virtutis Dei amore correptus, temporalibus quæ per septenarium numerum designantur, gradatim contemptis, per scalas octo beatitudinum ad sublimia provehitur, donec Deus deorum in Sion mentis videatur. » Similia habet Philippus Solitarius, lib III *Dioptræ*, cap. VIII.

Rursum Olympiodorus per septenarium accipit septem dona Spiritus Sancti. Hugo vero et alii accipiunt tres virtutes theologicas, puta fidem, spem, charitatem, et quatuor cardinales, puta prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam, quasi jubeat illis studere in septenario hujus vitæ, ut per eas pertingamus ad octavam felicitatis æternæ.

Allegorice. Allegorice Hebræi, ait S. Hieronymus, ita hunc locum intelligunt, *et sabbatum et circumcisionem* (hæc enim dabatur octavo die infanti) *serva, ne si forte hoc non feceris, inopinatum tibi superveniat malum.* Melius Christiani nonnulli sic explicant, *q. d.* Serva septem, id est Pascha, et octo, id est Pentecosten. A Paschate enim ad Pentecosten numerantur septem hebdomades, quarum quasi octava est quinquagesima, puta Pentecoste, quo alludens S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 43, quæ est in S. Pentecosten, sub initium : « Da partem septem et octo, » id est, inquit, da partem S. Pentecostæ et futuræ beatitudini. Sic enim habet : « Hic eximius septenarius Pentecostes honorem invexit. Septenarius enim in seipsum ductus quinquagenarium gignit uno die excepto quem ex futuro sæculo assumpsimus, octavum eumdem et primum, vel, ut rectius loquar, unum et sempiternum. Illic enim præsens animarum nostrarum sabbatismus desinat necesse est, ut detur pars septem atque adeo octo, sicut jam nonnulli majorum nostrorum hanc Salomonis locum exposuerunt. »

Rursum S. Hieronymus, lib. *Contra Luciferum*, per septenarium accipit Vetus Testamentum, per octo Novum : « Ecclesiastes, ait, jubet dare partes septem, dare partes octo, id est utrique credere Testamento. » Et S. Isidorus, lib. I *Offic.* cap. XXIV, legens : « Da partem illi septem et illi octo, » sic explicat, *q. d.* Judæi celebrant diem septimum, puta Sabbatum, quod erat requies mortuorum; at christiani celebrant diem octavam, puta Dominicam, quæ est dies resurrectionis, ac proinde vivorum, non mortuorum. Eodem modo explicat S. Augustinus, *epist.* 119, cap. XV, et Olympiodorus ac Salonius : « Præcipit, inquit, tam Veteris quam Novi Testamenti servari præcepta. » Denique S. Hieronymus scribens in hunc Ecclesiastæ locum : « In Ezechiele, inquit, septem et octo gradus ad templi leguntur ascensum. Et post ethicum illum psalmum, id est centesimum octavum et decimum, quindecim graduum Psalmi sunt, per quos primum erudimur in lege, et septenario numero expleto, postea per ogdoaden ad Evangelium scandimus. Præcipitur ergo ut in utrumque Testamentum, tam Vetus scilicet quam Novum,

pari veneratione credamus. Judæi dederunt partem septem, credentes Sabbatum; sed non dederunt octo (non suscipientes Evangelium et) resurrectionem diei Dominicæ denegantes. E contrario hæretici Marcion et Manichæus, et omnes qui veterem legem rabido ore dilaniant, dant partem octo suscipientes Evangelium, sed eamdem septenario numero non tribuunt, legem veterem respuentes. Nos igitur utrique Testamento credamus. Non enim possumus dignos cruciatus, dignamque pœnam jam nunc mente comprehendere, quæ reposita est his qui versantur in terra, judæis atque hæreticis, e duobus alterum denegantibus. »

Porro Cassianus, lib. II *De Instit. renunt.* cap. IX et X, sic explicat, *q. d.* Die Sabbati, puta septima, serva jejunium ex prisco Ecclesiæ ritu : die octava vero celebra festum, puta Dominicam resurrectionis Christi.

Anagogice. Anagogice, S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.* cap. VII, per septenarium accipit præsentem vitam ejusque bona, per octonarium futuram, quasi dicat : Sic dispensa temporalia, ut accipere merearis æterna. « Septenarium quippe, inquit, cum adhuc alius sequitur, ex ipso ejus argumento exprimitur, quod finienda temporalitas æternitate concludatur. Hinc est enim quod Salomon admonet dicens : Da partem septem, necnon et octo. Per septenarium quippe numerum, hoc quod septem diebus agitur, præsens tempus expressit; per octonarium vero vitam æternam designavit, quam sua nobis Dominus resurrectione patefecit. Dominico scilicet die resurrexit, qui dum diem septimum, id est Sabbatum sequitur, a conditione octavus invenietur. Bene autem dicitur : Da partem septem, necnon et octo, quia ignoras quid mali futurum sit super petram, ac si aperte diceretur : Sic dispensa temporalia, ut appetere non obliviscaris æterna. Oportet namque ut in posterum bene agendo provideas, qui de venturo judicio quanta tribulatio sequatur, ignoras. Hinc est quod quindecim gradibus templum ascenditur, ut ex ipsa ejus ascensione discatur, quatenus per septem et octo et temporalis sollicite dispensetur actio, et provide mansio æterna requiratur. Hinc et etiam quod dum monas in denarium surgit, centum quinquaginta Psalmos Propheta cecinit. Propter hunc septenarium numerum temporalia, octonarium vero æterna signantem super centum viginti fideles in cœnaculo residentes Spiritus Sanctus effusus est. Per septem quippe et octo quindecim componuntur, et si ab uno usque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, usque ad centesimum et vigesimum numerum pervenimus. Qua scilicet effusione Spiritus Sancti didicerunt, ut et temporalia tolerando transirent, et æterna inhianter appeterent. »

Symbolice. Symbolice idem S. Gregorius, hom. 16 *in Ezechiel.* : « Partes, ait, simul septem et octo damus, quando sic ea quæ septem diebus evolvuntur, disponimus, ut per hæc ad bona æterna veniamus. » Ætates enim hominis septimo quoque anno variantur, et per septenarios ad metam decurrunt; puta ad octavam resurrectionis, ait Hugo. « Septimus quisque annus ætati notam imprimit, » ait Seneca. Audi Hippocraten apud Philonem, lib. *De Mundi opificio* : « In hominis vita septem sunt tempora, quas ætates vocant : infans, puer, adolescens, juvenis, vir, senior, senex. Infans est usque ad septennium, intra quod dentes emittit; puer, usque ad secundum septennium, quoad genituræ emissionem sit tempestivus. Adolescens, usque ad tertium septennium et barbæ lanuginem. Juvenis, usque ad quartum septennium, et accretionem totius corporis. Vir, usque ad annum undequinquagesimum, et septimum septennium. Senior, usque ad quinquagesimum sextum, et octavum septennium. Senex, toto quod reliquum est tempore. » Et nonnullis interjectis : « Præter ea quæ dicta sunt, manifestissime vim perfectionis designativam in septenario repræsentant ætates ipsæ ab infantia ad senectutem usque, quæ mensurantur septenario; ac *primo* quidem septennio enascuntur dentes. In *secundo*, tempestivitas est ad genituram emittendam. In *tertio*, barbæ accrementum. In *quarto*, roboris accessio. In *quinto*, tempus nuptiarum. In *sexto*, vigor intelligentiæ. In *septimo*, utriusque augmentum, intelligentiæ et eloquentiæ. In *octavo*, utriusque perfectio. In *nono*, æquitas et mansuetudo, affectibus majori ex parte mansuefactis. In *decimo* denique, vitæ exitus optabilis, adhuc integris sensuum instrumentis. Solet enim alioqui senectus longa supplantare et affligere. »

Hinc sequitur septenarium esse ætatum et vitæ definitorem : in eo enim fit sanguinis, humorum, spirituum, calorum et complexionis mutatio. Quocirca nonus septenarius annorum, puta annus vitæ 63, est climactericus, multisque vitæ finem affert. Unde 63 ætatis anno mortui sunt Aristoteles, Cicero, Chrysippus, Bocacius, Cardinalis Cusanus, S. Benedictus, S. Bernardus et alii permulti. Unde et Augustus Cæsar annum 63 velut fatalem extimuit, eoque exacto quasi periculo defunctus sibi gratulatus est. Abraham mortuus est anno ætatis 175, qui 25 septenarios complectitur : Jacob anno ætatis 147, qui 21 : David 70, qui decem septenarios in se concludit : eodem permulti decedunt. Nam, ut idem ait *Psalm.* LXXXIX, 10 : « Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni, » qui octo denarios complectitur, juxta id quod hic dicitur : « Da partem septem, necnon et octo. » Simili modo reipublicæ status per septenarios sæpe mutatur. Hebræorum captivitas in Babylone desiit anno 70, qui est decimus septenarius; omnium monarchiarum series desiit in 70 hebdomade, *Danielis* cap. IX, in qua natus est Christus monarcharum monarcha. Porro 70 hebdomades annorum faciunt annos 490, qui est quasi cubus septenarii et denarii : septies enim decem faciunt

Annus climactericus, quis et qualis?

70; septies 70 faciunt 490. Atque circiter eumdem annum 490 facta est crebra reipublicæ Hebraicæ, uti et aliarum mutatio, puta prima a Mose et judicibus in Saulem et reges, secunda a regibus in Zorobabel et duces tempore captivitatis Babylonicæ, tertia a ducibus in Christum. In qualibet enim harum invenies circiter annos 490, uti colligere licet ex tabula chronologica, quam præfixi Pentateucho. Juxta hunc sensum monet Sapiens ut memores simus septenarii, id est decursus et finis ætatis, tum nostræ, tum reipublicæ, in eoque agnoscamus utriusque vanitatem, dicamusque : «Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis, » *Psalm.* CXVIII, 96. Sicut enim septenario dierum, puta septem diebus initio mundi Deus omnia creavit, ita septenario annorum eadem variat et finit. Rursum, ut cuique ætati (quæ numero sunt septem) suam demus partem, officium scilicet cuique ætati debitum, puta infantiæ demus innocentiam, pueritiæ obedientiam, juventuti castimoniam, adolescentiæ studium sapientiæ, virili ætati robur virtutis, senectuti maturitatem, apathiam et perfectionem, decrepitæ meditationem instantis vitæ æternæ.

Virtutes ætati cuique propriæ.

Denique nonnulli, uti superius indicavi, per septenarium accipiunt pauperes viventes, per octonarium defunctos degentes in purgatorio, *q. d.* Da eleemosynam pauperibus viventibus in septimana hujus vitæ, da et defunctis qui ex hac vita transierunt ad purgatorium, ubi exspectant octavam felicitatis æternæ. Rursum nonnulli sic exponunt, *da partes septem, nec non et octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* Hoc est, neminem a commercio laborum tuorum excludas, cum nescias mala, scilicet tentationes hominibus eventuras, quæ si divitem forte prostraverint, pauperculum in bono perseverantem habebis per tui laboris industriam in quo tanquam in filio sapiente glorieris.

QUIA IGNORAS QUID FUTURUM SIT MALI SUPER TERRAM. — *q. d.* Multæ calamitates, eæque improvisæ et quasi inevitabiles imminent terræ; ut ergo ab iis te liberes, multas facito eleemosynas : « Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam,» ait Raphael, Tobiæ, cap. XII, vers. 9. Tales calamitates sunt furum, latronum et hostium incursus, sterilitas agrorum, venti, procellæ, ærugo, pestis, fames, bellum, morbi, mors: hæc sunt mala pœnæ; mala culpæ sunt peccata et peccandi occasiones ac tentationes : contra utraque antidotum est eleemosyna, uti ostendi *Daniel.* IV, 24; *Deuter.* XXVI, ubi 22 eleemosynæ fructus recensui. Vere S. Hieronymus *ad Nepotianum* : « Nunquam, ait, memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit. »

Rursum S. Hieronymus hic, et S. Gregorius, homil. 15 *in Ezechielem,* malum hoc referunt ad examen, sententiam, damnationem et gehennam impiorum in die judicii, a qua misericordes eximet Christus, *Matth.* XXV. Sic et Olympiodorus : «Modeste age, inquit, quæ ad hujus vitæ pertinent officia, cogitans assidue et de futuro sæculo : neque enim nosti quam gravia reposita sint tormenta iis qui neque septenariis partem suam dederunt, neque octonariis. » Addit deinde alium sensum, dicens : « Vel eleemosynam omnibus confer in cordis tui simplicitate; neque enim nosti quis hominum vere indigeat, quisve simulata paupertate per avaritiam petat. » Verum primus sensus, quem dedi, est litteralis et genuinus. Didicit hic Salomon a patre suo Davide, qui *Psalm.* XL, 1, ita canit : « Beatus vir qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala (Symmachus *in die afflictionis*, Eusebius *quandocumque urget calamitas*) liberabit eum Dominus. »

3. SI REPLETÆ FUERINT NUBES, IMBREM SUPER TERRAM EFFUNDENT (Hebr., *evacuabunt, exinanient*). SI (Hebraice, *et si*) CECIDERIT LIGNUM AD AUSTRUM, AUT AD AQUILONEM, IN QUOCUMQUE LOCO CECIDERIT, IBI ERIT. — Sensus est, ait Olympiodorus, quasi dicat, *sicut nubes jussu divino imbrem super omnes homines spargunt, ita convenit eleemosynam cunctis hominibus impartiri* : nimirum cor plenum uti divitiis, ita et charitate, eleemosynam copiosam det oportet, sicut nubes aquæ turgidæ copiosam effundunt pluviam. Unde illud *Ose.* VI, 4 : » Misericordia vestra quasi nubes matutina; » et *Eccli.* cap. XXXV, 26 : « Speciosa misericordia Dei in tempore tentationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. » Vide dicta utrobique. Vers. 3. Prognostica pluviæ.

Porro nubes densæ certum sunt signum pluviæ, æque ac multa alia, quæ physici assignant. Nam pluviam præsagiunt canes gramina comedentes, eorumque ventres murmurantes; muscæ et vespæ equos acrius compungentes; fumus per camini gulam spissius subvolans; crebriores atrocioresque morsus pulicum. Sunt insuper argumenta pluviarum, grues silentio per alta cœli involantes; boves aerem olfactantes, seque contra pilum lambentes; hirundo lacum circumvolitans, summisque alis aquæ superficiem verberans; ranæ insuetum coaxantes; formicæ e cavernulis ova efferentes; arcus cœlestis; corvi et cornices crocitantes; terrestres volucres adversus aquam clangores edentes, seseque perfundentes; oleum lucernæ scintillans, et fungi se inde tollentes; luna crescens obscurior; sol exoriens concavus et maculosus; item sub ortum solis nigræ nubes, rubentibus intervenientes.

Eleemosyna similis nubi. Primo. Secundo. Tertio.

Apte eleemosyna comparatur nubi, quia *primo*, sicut nubes a cœlo formata non alium habet finem et scopum nisi pluviam, sic opum a Deo datarum non alius est finis quam ut erogentur in egentes. *Secundo*, sicut Deus pluit indifferenter et æqualiter super omnes, sive bonos sive malos, sive amicos, sive inimicos : sic et eleemosynarius omnibus benefaciat sine exceptione personarum. *Tertio*, sicut nubes a pluvia nullam gratiarum actionem

exspectat, sic nec dives quidpiam exspectet a paupere, juxta illud Christi : « Mutuum date, nihil inde sperantes. » *Quarto*, sicut pluvia grata est nubi, ac nubem nubi rependit, dum in terra a se humectata et radiis solis calefacta vapores excitat, qui in aerem elevati, in nubes rursus concrescunt : sic pariter eleemosyna ditat dantem, adeoque eleemosynarius certat liberalitate cum Deo; unde quo liberalior est in pauperes, eo liberaliorem in se Deum experitur, uti se experiri atebatur S. Joannes Eleemosynarius, teste Leontio, Episcopo Neapoleos in Cypro, in ejus Vita, qui et addit eum confidenter dicere solitum Deo : « Videbimus quis vincat, an tu mittendo, an ego dispergendo. » Hinc Chaldæus vertit, *si repletæ fuerint nubes pluviæ, super terram effundent aquas suas propter merita justorum. Et si non fuerit justus in illa generatione, in mari et in deserto descendent, ut non sit utilitas ex eis filiis hominum.* Et sic explicat S. Hieronymus quasi dicat : « Serva mandata, quæ tibi superius sunt præcepta, ut nubes super te effundant imbrem suum. Ubicumque enim tibi locum præparaveris, futuramque sedem sive ad austrum, sive ad boream, ibi cum mortuus fueris, permanebis. Aliter : propterea supra diximus : Mitte panem tuum super faciem aquæ, etenim petenti te tribue; quia et nubes, cum plenæ fuerint, divitias suas mortalibus largiuntur. » Nubes ergo misericordiæ nostræ in pauperes elicit et provocat nubem misericordiæ divinæ, ut in nos gratias et dona sua pluat et effundat, juxta illud : « Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* v, 7.

Quarto.

Mystice Olympiodorus : « Nubes, ait, sunt viri sancti, quorum unus fuit Moses, qui dicit : Exspectetur ut pluvia eloquium meum, *Deuter.* cap. XXXII. Sancti ergo repleti divino verbo, quale *scilicet* factum est ad Osee aliosque sanctos, effundunt fecundam (doctrinæ) imbrem non super solam Judæam, sed et in omnem terram, in quam exivit sonus eorum. » Sic et S. Hieronymus et S. Ambrosius, lib. III, epist. 19 *ad Constantium*, quem audi : « Quicumque colligit de montibus aquam atque ad se trahit, vel haurit e fontibus, et ipse rorat sicut nubes. Imple ergo gremium mentis tuæ, ut terra tua humescat et domesticis irrigetur fontibus. Ergo qui multa legit et intelligit, impletur; qui fuerit impletus, alios rigat, ideoque Scriptura dicit : Si impletæ fuerint nubes, pluviam in terram effundent; sint ergo sermones tui proflui, sint puri, dilucidi, ut morali disputatione suavitatem infundas populorum auribus, et gratia verborum tuorum plebem demulceas, ut volens quo ducis sequatur. » Vide dicta *Ezech.* x, 4, ubi proprietates nubium recensui, easque apostolis et prædicatoribus applicui. Igitur nubes fecundæ et secundæ sunt sancti prædicatores, ait Hugo, quorum est sublimari a terra, pluere doctrinis, tonare minis, coruscare miraculis vitæque exemplo; nubes vero sine aqua, ventisque circumlatæ, ut ait S. Judas, sunt illi qui gratia vacui plausum auditorum captant, non planctum.

SI CECIDERIT LIGNUM (Arabicus *trabs*) AD AUSTRUM, AUT AD AQUILONEM, IN QUOCUMQUE LOCO CECIDERIT, IBI ERIT. — Tigurina, *in eo permanebit;* Campensis, *erunt qui colligent illud.* Hebræa, Septuaginta, Syrus et Arabicus præponunt copulam *et, et si ceciderit*, etc., ex quo patet hanc gnomen copulandam esse cum hemistichio præcedenti, *si repletæ fuerint nubes*, cum eoque eodem versu cohærere, sive per similitudinem, sive per dissimilitudinem. Unde

Primo, Thaumaturgus vertit, *non est arbor ulla quæ semper stet, licet enim eamdem homines non succidant, vento tamen olim subvertetur, q. d.* Sicut arbor omni casu, sic et homo, qui est arbor inversa, morte subvertitur : quare si sapit, antequam succidatur, benefaciat, ut succisus præmium benefactorum recipiat vitam æternam.

Secundo, Aben-Ezra, Clarius et Campensis per lignum sive arborem accipiunt fructus arboris, qui maturi ex ea decidunt, *q. d.* Fructus arboris, v. g. poma et pyra, in quamcumque arboris partem latusque cadant, non pereunt, cum non desint, qui ea colligant : sic hominis liberalis eleemosyna, in quemcumque locum cadat, non perit, cum nusquam desint pauperes, qui eam colligant, ac eleemosyna ubique suum apud Deum et homines inveniat præmium. Hic sensus satis videtur appositus, cui adde et hunc illi affinem, *q. d.* Sicut pluvia et fructus arboris decidens, non considerat quo cadere debeat, an in terram bonam, an in malam; an ad aquilonem, an ad austrum, sed naturali pondere cadit in quamcumque partem sibi proclivem et obviam : sic pariter faciunt viri liberales, in danda eleemosyna, scilicet in quamcumque partem, locum et sortem inciderint, ubique sunt munifici, hos et illos et alios quam plurimos alunt, beneficentiam suam in omnes obvios exerunt; nec curiose scrutantur an digni sint, an indigni, an grati futuri vel ingrati, an bene eleemosyna usuri, an male, an eleemosyna sibi futura sit utilis, an damnosa; quia in quemcumque tandem illa collata fuerit, ibi erit, danti non perierit, sed ibi illam suo tempore inveniet. Simile est de pane projecto in aquas præterfluentes, vers. 1. Huc accedit R. Salomon, qui τὸ *ceciderit* accipit non de casu, id est lapsu, sed casuali sorte, quasi dicat : Sicut arbor, ubicumque ejus sors ceciderit, ut plantetur et subsistat, sive in australi regione, sive in aquilonari, ibi fructus suos profert ad incolarum commodum : sic vir liberalis ubicumque collocetur, et quocumque eum sors casusve tulerit, omnibus indigenis et advenis beneficum se exhibet.

Tertio, R. Haccados, *q. d.* Sicut nubes depluunt pluviam in omnem locum, etiam aridum et sterilem, ubi scilicet ligna exaruerunt, et casu aliquo prolapsa sunt : sic pariter beneficus sua

beneficia dispertit in omnes, etiam indignos et ingratos, qui ob ingratitudinem exaruisse, et ad omne bonum inutiles esse videntur.

Quarto, Chaldæus hæc refert ad principes immisericordes, qui ob immisericordiam principatu excidunt, sicut misericordes ad eumdem elevantur, vel prolapsi eidem restituuntur, ut patet in Nabuchodonosore, *Daniel.* IV; partim ad rerum copiam vel famem, quæ a Deo nunc huic regioni, nunc illi ob virtutes et vitia, ac præsertim ob misericordiam vel crudelitatem immittitur. Unde sic vertit, *si decretum fuerit de cœlo ut cadat rex et consiliarii ejus de principatu eorum, ex auctoritate dicti Domini fiet, et etiam saturitas aut fames in meridiem aut septentrionem, ubicumque decretum fuerit, ut firmetur illud consilium, mittitur eo, ut fiat.*

Quinto, Noster Pineda, *q. d.* Da eleemosynam pauperi, dum vivit, quia si moriatur, illam amplius ei dare non poteris. Nam quocumque tandem ceciderit et ubicumque fuerit, non amplius illum revocabit tua beneficentia ad vitam; maturanda igitur, et non procrastinanda eleemosyna indigenti. Qua fere ratione divinam misericordiam allicere conabatur Job VII, 7, dicens : « Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona; » et vers. 21 : « Ecce, nunc in pulvere dormiam : et si mane me quæsieris, non subsistam. »

Sexto, nonnulli hanc gnomen attexunt præcedenti, quasi illam probet et confirmet, ut prius ejus hemistichium respondeat priori hemistichio præcedentis, posterius posteriori, *q. d.* « Da partem septem, necnon et octo, » id est da eleemosynam multis, imo plurimis; quia sicut nubes repletæ copiosum super terram imbrem effundunt, sic liberales, opibus et liberalitate abundantes et quasi turgidi, copiosas dant eleemosynas, adeoque multis, imo omnibus quibus possunt, benefaciunt. Rationem subdit : « Quia ignoras quid mali futurum sit super terram. » Hoc ergo malum omne satage prævenire, et evitare per eleemosynam : quia « si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, » *q. d.* Ubicumque et in quamcumque plagam ceciderit malum, id est clades et strages a Deo immissa, ibi damna sua infliget, ut illa declinare vel amoliri sit impossibile, nisi per eleemosynam illa a te avertas.

Mystice. *Septimo*, magis plane, congrue et proprie, S. Hieronymus : « Propterea, inquit, supra diximus : Mitte panem tuum super faciem aquæ, et omni petenti te tribue, quia et nubes cum plenæ fuerint divitias suas mortalibus largiuntur; et tu quasi lignum, quamvis longævus sis, non eris in perpetuum, sed subita vi ventorum, ita mortis tempestate subversus, ubicumque ceciderit, ibi jugiter permanebis, sive te rigidum et trucem, sive clementem et misericordem ultimum invenerit tempus. » Hunc sensum exigit antithesis austri et aquilonis. Nam, ut notat S. Hieronymus, auster in Scriptura dum opponitur aquiloni, in bonam partem, aquilo in malam partem accipitur, juxta illud : « Dominus ab austro veniet, » *Habac.* III, 3. Australis enim plaga est mundi dextera, lucida et calida; aquilonaris vero est sinistra, caliginosa et frigida. Adde, Babylon, quæ per Nabuchodonosor evertit Jerusalem et Judæam, eidem erat aquilonaris. Unde illud : « Ab aquilone (id est a Babylone) pandetur malum, » *Jerem.* I, 14. Auster ergo notat statum misericordiæ, gratiæ et salutis; aquilo statum immisericordiæ, peccati et damnationis, quod scilicet post casum, id est mortem, ab uno statu ad alterum non sit transitus, ut qui decedunt in statu gratiæ et salutis, non possint transire in statum peccati et damnationis; nec hi vicissim in illum commeare : magnum enim chaos inter utrumque firmatum est, quod nulli est penetrabile aut permeabile, ut aiebat Abraham diviti epuloni, *Luc.* XVI. Huic sensui optime inhæret communis Patrum et interpretum expositio, qui ligni casum interpretantur hominis mortem : homo enim est arbor inversa, quia radices, puta caput cum capillis mittit sursum, ramos vero, puta pedes deorsum. Unde illud cæci a Christo illuminati : « Video homines velut arbores ambulantes, » *Marc.* VIII, 24. Sensus ergo est, *q. d.* In quemcumque locum et statum homo in morte ceciderit, sive ad austrum, id est ad statum electorum et beatorum, propter opera misericordiæ, quæ fecit in vita; sive ad aquilonem, id est ad statum damnatorum, propter opera immisericordiæ, ibi manebit in æternum, ut in alterum et contrarium aliorum statum commigrare et transgredi nequeat. Cura igitur ut eleemosynas et merita accumulando cadas ad austrum, non ad aquilonem, dum tibi brevi moriendum erit; vide ergo quo inclinat mens tua, an ad avaritiam, an ad virtutes, an ad vitia; et si videris eam propendere ad aquilonem, omni studio reflecte eam ad austrum, ut ad illum cadat, non ad aquilonem. Tota ergo vita tua disce quomodo semel bene moriaris; disciplina autem bene moriendi est sancta vita; sancte ergo vive, si vis sancte mori, ut cadas ad austrum.

Cadunt ad austrum sancti, ad aquilonem impii.

Apposite *auster*, utpote cœli regio dextra et calida, repræsentat felicitatem cœlestem; *aquilo* vero, quia sinister et frigidus, damnationem gehennalem. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Albinus, Salonius et S. Gregorius, XII *Moral.* IV, quem audi : « Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. In die autem mortis suæ justus ad austrum cadit, peccator ad aquilonem : quia et justus per fervorem spiritus ad gaudia ducitur, et peccator cum apostata angelo, qui dixit : Sedebo in monte Testamenti in lateribus aquilonis, in frigido suo corde reprobatur. » Audi S. Bernardum, *serm.* 49 inter parvos : « Sive ad austrum,

Cur

sive ad aquilonem arbor ceciderit, ibi erit. Austri calor et levitas in sacra Scriptura bonam solent habere significationem. Ab aquilone vero panditur omne malum. Porro homines sicut arbores vidit aliquis. Exciditur autem arbor in morte, et quocumque ceciderit, ibi erit, quia ibi te judicabit Deus, ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter et irretractabiliter. Videat quo casura sit antequam cadat, quia postquam ceciderit, non adjiciet ut resurgat, sed nec ut se vertat. Quo vero casura sit arbor si scire volueris, ramos ejus attende. Unde major est copia ramorum et ponderosior, inde casuram ne dubites, si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri desideria nostra sunt, quibus ad austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia, ad aquilonem. Quæ vero præponderent medium corpus indicat, ea namque præponderant quæ secum traxerint corpus. » Idipsum deinde apposita similitudine declarat : « Sic enim est corpus inter spiritum, cui servire debet, et carnalia desideria, quæ militant adversus animam, sive potestates tenebrarum, ac si vacca sit inter raptorem et rusticum constituta. Quidquid ille minetur, quidquid intendat, si vaccam non duxerit, rusticus vicit : sic quantum cumque sæviat malignus, quantumcumque prava desideria crucient, si vas suum sibi vendicat anima, vicisse credenda est, ut, quemadmodum ait Apostolus : Non regnet peccatum in nostro mortali pectore; sed sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitati ad iniquitatem, sic exhibeamus servire justitiæ in sanctificationem. »

Tropologice. Tropologice, Galfridus in tropologia ad hunc locum : In oriente stat, inquit, qui proficit; in occidente, qui deficit; in austro, qui tendit ad cœlum; in aquilone, qui ad infernum. Denique *auster*, utpote dextra pars mundi, repræsentat dexteram Christi judicis, ad quam in die judicii a Christo statuentur omnes electi, ut beentur; *aquilo* vero, utpote sinistra pars mundi, repræsentat sinistram Christi judicis, ad quam collocabuntur omnes reprobi et damnati.

Auster et aquilo includunt purgatorium. Primo. Objiciunt hæretici : Ecclesiastes hic tantum nominat duo loca post casum, id est mortem, scilicet austrum et aquilonem, id est cœlum et infernum : ergo non est medius inter hæc duo locus, puta purgatorium. Respondeo : Nego consequentiam; qui enim nominat duo extrema, media quæ inter extrema intercurrunt non excludit, sed potius includit : sicut hic sub austro et aquilone Ecclesiastes includit orientem et occidentem, qui medii sunt inter austrum et aquilonem; nominat autem hos duos potius quam *orientem* et *occidentem*, quia hi duo duos respiciunt mundi polos, scilicet aquilo polum arcticum, auster antarcticum. Illi ergo qui sunt in purgatorio pertinent ad austrum; quia certi sunt, peracta purgatione, se ituros in cœlum. Sic pariter patres, qui tempore Salomonis erant in limbo, pertinebant ad austrum, qui exspectabant reserationem cœli per Christum. Rursum, auster et aquilo significant duo loca ultima, in quæ post mortem concedunt animæ, ut ibi perpetuo maneant; talia autem sunt tantum duo, scilicet cœlum et infernus. Nam purgatorium non est locus ultimus, sed mediatus, quia ex eo omnes animæ transeunt in cœlum. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Salonius et alii passim. Hinc Franciscus Suarez hanc gnomen exponit, *primo*, de duobus locis ultimatis, in quibus ultimo terminatur via viatorum; *secundo*, de loco consolationis et tristitiæ : purgatorium autem est locus consolationis; vel optime, *q. d.* Post hanc vitam non est locus amittendi vel recuperandi Dei amicitiam; sed si homo decesserit ad austrum, id est in divina amicitia, ibi perpetuo manebit : si ad aquilonem, id est in Dei ira, inimicitia, ibi perpetuo erit. Ita Suarez, III part. tom. IV, disputatione 45. Accedit Salonius : « Per lignum homo designatur, inquit, quoniam unusquisque est quasi lignum sylvæ generis humani; per austrum, qui est ventus calidus, requies paradisi designatur; per aquilonem, qui est ventus frigidus, designatur inferni supplicium. » Vide Bellarminum, lib. I *De Purgatorio*, cap. VIII. Secundo.

Moraliter. Moraliter, disce hic ingentem stimulum ad eleemosynam, et omnem virtutem esse considerationem æternitatis stabilis et immutabilis, quæ eleemosynariis felicissima, immisericordibus miserrima accidet. Unde hunc stimulum crebro adhibet Ecclesiastes, ut vers. 9 et seq.; cap. IX, vers. 10; cap. XII, vers. 5. Discant ab eo nostri Ecclesiastæ in suis concionibus crebro eodem stimulare auditores. Quid enim æternitate majus, longius, terribilius, felicius vel infelicius? Quare qui ea non movetur, aut saxum est, aut dæmon desperatæ salutis. Vere Beda in *Collectaneis* : « Tres, ait, mansiones principales constituit Deus, cœlum, terram et infernum; et in illis tribus tres res principales, in cœlo constituit pacem et æternitatem; in terra constituit fidem, pœnitentiam et remissionem peccatorum; in inferno constituit timorem et æternam pœnam. De terra autem quæ in medio est, replebitur cœlum et infernus. »

Vers. 4. Observans ventos non seminat quid? 4. QUI OBSERVAT VENTUM, NON SEMINAT : ET QUI CONSIDERAT NUBES (Arabicus, *aerem*), NUNQUAM METET, — *q. d.* Qui terretur difficultatibus, et parcit eleemosynæ ob eventus dubios, v. g. quia timet depauperari, vel ne pereat fructus eleemosynæ, hic omittit opera bona fructifera et necessaria. Solent enim prudentes agricolæ observare ventos et nubes, teste Columella, Varrone et Virgilio in *Georgiis*, sed moderate : nimia ergo eorum observatio, anxietas et pavor panicus duntaxat hic carpitur; nam alioqui semen nunc requirit ventum frigidum, ut profundas agat radices in terra; nunc calidum, ut foras in copiosum germen erumpat; sic nunc requirit pluviam ut crassescat, nunc siccitatem ut se consolidet. Est

parœmia parabolice significans nimis meticulosos et anxios de futuro rei successu, otiosos desidere, torpere, nihilque boni agere, *q. d.* Sicut agricola nimis anxie observans ventos, seminare non audet, cogitat enim secum : Si vento flante seminavero, ventus meum semen difflabit et dissipabit, ut extra agrum, vel in alias agri partes quas seminare nolo, feratur; aut ventus nunc frigidior semen enecabit, vel calidior in nimium germen effundet, itaque frustra et sine spe messis seminabo; quo fit ut nunquam seminet, et consequenter nunquam metat : semper enim aliquis est ventus, præsertim in hieme, cum tempus est seminandi; qui ergo ventum timet, nunquam seminabit; cum nunquam aer in hieme sit expers venti. Simili modo, qui considerat nubes, nunquam metet : sibi enim anxie persuadet dicitque : Si nunc metam, nubes depluent imbrem, qui segetem a me demessam sua humiditate inficiet et putrefaciet; exspectabo ergo dum nullæ sint nubes, tempusque omnino serenum et securum; quo fit ut nunquam metere audeat, sed seges in agro desiccetur et perdatur. Nam semper in cœlo sunt aliquæ nubes; qui ergo eas timet, nunquam seminabit. Sic prorsus qui nimis anxie timet publicam annonæ caritatem, aut ne quid domi sibi suisque desit, dicendo : Si dedero panes pauperibus, frumentum meum non sufficiet alendæ familiæ per totum annum; exspectabo ergo rerum copiam, ac securitatem quod mihi nihil deerit, ac tum large erogabo superflua in pauperes : hic, inquam, nunquam dabit eleemosynam, quia semper metu aliquo instantis, vel futuræ necessitatis percelletur, qui illum a dando retrahet, manusque ejus claudet; unde fiet subinde ut frumentum in horreo putrescat, cujus rei exemplum est apud Moschum in *Prato spirituali*, cap. LXXXV. Significat ergo hæc parœmia, non nimis anxie cogitanda et metuenda esse pericula et difficultates quæ occurrunt in exercenda virtute, præsertim eleemosynæ, sed illa committenda et resignanda esse divinæ providentiæ, ac magno animo magnaque in Deum confidentia liberaliter benefaciendum esse cuilibet egenti; sic enim liberalem vicissim erga nos Deum experiemur. Vere Seneca, *epist.* 13 : « Plerumque, inquit, suspicionibus laboramus, etc. : non coarguimus illa quæ nos in metum adducunt, nec excutimus; sed trepidamus, et sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus fuga pecorum exuit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit. Nescio quomodo magis vana perturbant : vera enim modum suum habent; quidquid ex incerto venit, conjecturæ et paventis animi licentiæ traditur. Nulli itaque tam perniciosi, tam irrevocabiles, quam lymphatici metus sunt : cæteri enim sine ratione, hi sine mente sunt; » quia, ut idem subjicit, « nonnunquam, nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid pronuntient, animus sibi falsas imagines fingit; » et nonnullis interjectis remedium metus assignans : « Hic, inquit, prudentia prosit, hic robore animi evidentem quoque metum respue; si minus, vitio vitium repelle, spe metum tempera. Nihil tam certum est ex his quæ timentur, ut non certius sit, et formidata subsidere, et sperata decipere. Ergo et spem ac metum examina, et, quoties incerta erunt omnia, tibi fave; crede quod mavis : si plures habebis sententias metus, nihilominus in hanc partem potius inclina, et perturbare te desine. Ac subinde hoc in animo volve, majorem partem mortalium, cum illi nec sit quidquam mali, nec pro certo futurum sit, æstuare ac discurrere. Nemo enim resistit sibi, cum cœpit impelli; nec timorem suum redigit ad verum. Nemo dicit : Vanus auctor est, vanus est, aut finxit, aut credidit, Damus nos referentibus; expavescimus dubia pro certis; non servamus modum rerum; statim in timorem venit scrupulus. » Paulo aliter S. Hieronymus : « Qui considerat, inquit, cui benefaciat, et non omni petenti se tribuit; sæpe præterit eum qui meretur accipere. » Olympiodorus : « Tu quoque ne tantopere sis sollicitus, curiose quærendo cui sis eleemosynam daturus, cui non daturus, ut puta fidelisne sit ille aut infidelis, justusne aut injustus; etenim si pendebis animo ista disquirens, amittes sationis tempus, neque invenies in tempore messis quid metas. Sine ulla itaque dilatione temporis, in simplicitate cordis eleemosynam confer. » Denique Thaumaturgus censet hæc dici contra astrologos, qui ex astris de futura fertilitate vel sterilitate et conjectant et divinant; unde sic vertit : « Multi quæ e cœlo eventura sint præscire gestiunt, nec deest qui in nubes intuens ventumque exspectans, a messe aut ventilatione abstinuerit, re inani confisus; nec eorum quæ divinitus futura sunt, quidquam cognoscens. » Huc accedit S. Athanasius in *Synopsi*, qui ex hoc loco arbitratur prosterni a Salomone « Ægyptiorum religionem circa divinationem ex hominis nativitate. » Accedit Chaldæus : « Qui, inquit, observat divinos et ariolos, vix temere hac vita res præclaras aget, et qui a sideribus sensum aucupatur, non augebit mercedem; augures enim vento perquam similes sunt, qui hominis palma concludi non potest; at planetæ nubibus cœli comparantur, quæ semper eunt, neque unquam redeunt. » Verum primus sensus, quem dedi, est genuinus.

Tropologice Albinus per ventos accipit eos qui nobis adversantur; per nubes, qui nobis blandiuntur : sic et S. Hieronymus : « Qui tantum, inquit, eo tempore Dei verbum prædicat, quo populus libenter auscultat, et secunda aspirat aura, tumoris sator negligens et ignavus agricola est : in ipsis enim prosperis, dum nescimus adversa consurgunt. Sed opportune, importune Dei sermo est prædicandus : nec fidei tempore adversariorum nubium consideranda tempesta. De qua in Proverbiis dicitur, *Proverb.* XXVI, 3 et 4 : Si- Tropologice.

cut pluvia vehemens et inutilis, sic qui derelinquunt sapientiam, et impietatem laudant. Absque consideratione ergo nubium et timore ventorum, in mediis tempestatibus seminandum est, nec dicendum illud tempus commodum, hoc inutile, cum ignoremus quæ via, et quæ voluntas sit spiritus universa dispensantis. »

Mystice. Porro S. Gregorius, III part. *Pastor.* cap. XVI, per ventos accipit suggestiones dæmonum; per nubes, persecutiones hominum : « Qui observat ventum, inquit, non seminat, et qui considerat nubes, nunquam metit. Quid enim per ventum, nisi malignorum spirituum tentatio exprimitur? Et quid per nubes, quæ moventur a vento, nisi adversitates pravorum hominum designantur? A ventis videlicet impelluntur nubes, quia immundorum spirituum afflatu pravi excitantur homines. Qui ergo observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, nunquam metit : quia quisquis tentationem malignorum spirituum, quisquis persecutionem pravorum hominum metuit, neque nunc grana boni operis seminat, neque tunc manipulos sanctæ retributionis secat. » Similia habet XXVII *Moral.* cap. V. Rursum noster Alvarez de Paz, lib. V, part. II, cap. XX *De Mediis perfectionis*, per ventos et nubes accipit commoditatem et amorem proprium, virtuti inimicum : « Qui observat ventum, inquit, non seminat, et qui considerat nubes, nequaquam metet; » est ac si dixisset : Qui in omnibus quod sibi commodissimum est exquirit, et quod jucundissimum est explere nititur, is profecto semen non seminat, ex quo præmium æternum metat. Seminat enim opera vitio propriæ voluntatis et inordinati amoris infecta, quæ dum soli homini operanti placent, fructum æterni præmii non ferunt.

Vers. 5. 5. QUOMODO IGNORAS QUÆ SIT VITA SPIRITUS, ET QUA RATIONE COMPINGANTUR OSSA IN VENTRE PRÆGNANTIS; SIC NESCIS OPERA DEI, QUI FABRICATOR EST OMNIUM. — Pertinet hæc gnome ad eleemosynam, ut patet ex præced. et seq. Ne quis enim timidus vel avarus se ab ea excuset, metu ne forte ipse rebus suis omnibus in alenda familia indigeat, occurrit dicens : « Qui observat ventum, non seminat : et qui considerat nubes, nunquam metet, » *q. d.* Non oportet tam anxie futuros ventorum flatus et nubium pluvias extimescere, ut propter eos a serendo et metendo congruo tempore avocemur. Deus enim est qui regit ventos et nubes, facitque eos servire hominum usibus, itaque eos moderatur et dispensat, ut sationem et messem non impediant, sed juvent et promoveant, etsi hominibus id initio non appareat, sed potius contrarium, puta quod obfuturi sint, non profuturi. Deus enim occultos modos et rationes novit quibus efficit ut prosint, non obsint. Id probat nunc exemplo formationis hominis dicens : « Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, » etc., *q. d.* Sicut ignoras qua ratione embryoni et corpori exanimi in utero matris a Deo inseratur anima, quæ corpus embryonis animet et vivificet, ac singulis membris intime sese uniat, et quasi incorporet. Rursum, sicut ignoras quomodo ossa tot tantaque embryonis tam connexe et apposite a Deo formentur et compingantur in ventre matris : sic pariter nescis cætera Dei opera, ac præsertim qua ratione Deus eleemosynariis succurrat, ut cum omnia sua liberaliter erogent, nunquam tamen exhauriantur aut depauperentur, sed potius rebus affluant et abundent instar fontium et fluminum, quod sane opus est mirabile divinæ providentiæ et munificentiæ, cujus effectum vides, sed causam et modum non vides. Illi ergo securus te crede et committe, nec metu futuræ inopiæ, eleemosynæ parcito, quia Deus tibi copiose de omnibus providebit. Unde Auctor *Catenæ Græcor.* : « Oportet, inquit, semper bonis operibus esse intentos, nec attendere opportunitates ac tentationes. Ignoramus enim quas dispositiones habemus, quemadmodum et quæ in utero sunt ossa embryonum. Huic gnomæ similis est illa *Prov.* XXII, 2 : « Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus, » *q. d.* Deus fecit hunc divitem, illum pauperem, ut dives pauperi succurrat, et pauper pro divite precetur, ut illi opes semper ad erogandum suppeditet. Unde Deus exoratus reipsa idipsum facit et præstat. Dives ergo pauperem alit, ac pauper vicissim divitem ditat, dum ei opes majores a Deo precatur et impetrat.

QUÆ SIT VIA SPIRITUS. — *Primo* per *spiritum* multi probabiliter accipiunt ventum, uti vertit Symmachus de quo sermo præcessit; utrobique enim in Hebræo eadem est vox רוח *ruach;* ventorum enim viæ, motus et gyri sunt occulti, ac hominibus impenetrabiles, quia ex arcana providentiæ Dei dispensatione prodeunt, juxta illud Christi ad Nicomedum, *Joan.* III, 8 : « Spiritus ubi vult spirat; et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat, » quia, ut explicat S. Dionysius, *Cælest. Hierar.* cap. XV, venti habent « divinæ actionis imaginem, propter celerem insuperabilemque discessum, et propter principiorum atque fontium incognitas nobis, atque invisibiles latebras. » Ita Thaumaturgus, Olympiodorus, Hugo, Arias et alii. Vis spiritus. Primo.

Secundo et aptius, per *spiritum* accipias animam quæ corpus informat : agitur enim hic de compagine et formatione hominis in utero matris, ut patet ex seq. Unde Chaldæus vertit : « Sicut non potest tibi omnino esse perspectum, qua tandem via anima spirabilis, et vitæ capax in corpus infantis infunditur, et in fœtum, qui visceribus utero gerentis matris continetur, et ignoras plane, donec in lucem edatur, masculusne sit, an femina : sic nec judicare potes opera Domini, qui omnia summa prudentia perficit. » Ita S. Hieronymus : « Sicut nescis, inquit, viam spiritus et animæ ingredientis in parvulum, et ignoras ossium et venarum varietates in ventre prægnantis, Secundo.

quomodo ex vili elemento corpus hominis in diversas effigies artusque varietur; et de eodem semine, aliud mollescat in carnibus, aliud durescat in ossibus, aliud in venis palpitet, et aliud ligetur in nervis : ita Dei opera scire non poteris, qui factor est omnium. Ita quoque explicant Lyranus, Hugo, Cajetanus, Clarius, Vatablus et alii, qui *viam spiritus* interpretantur viam, qua anima intrat in corpus hominis, dum vivere incipit, ac viam qua ex eodem egreditur, dum moritur. Porro quam occultus et obscurus sit animæ humanæ ortus, ejusdemque in corpus, singulaque ejus membra introitus, ostendunt variæ, imo contrariæ hac de re philosophorum sententiæ. Democritus enim censuit animam, æque ac res cæteras, ex fortuito atomorum concursu conflatam. Plato in *Timæo*, quia rerum principia numeros fecit, animam quoque ex numeris compositam pronuntiavit. Heraclitus, qui ignem rerum naturalium principium statuit, animam exhalationem calidam etiam opinatus est. Diogenes, et qui ex aere omnia composuere, aerem; Thales, humorem; Critias, sanguinem; Empedocles, harmoniam quamdam et temperaturam elementorum; Hippocrates dixit animam esse spiritum tenuem per corpus omne dispersum. Plura vide apud Theodoretum, lib. IX *De natura hominis;* Nyssenum, disp. *De Anima;* Lactantium, *De Opificio Dei*, cap. XVII; Plutarchum, lib. IV *De placit. philos.* cap. II et III; Aristotelem, lib. *De Anima*, cap. II Ciceronem, I *Tuscul.*

Denique S. Augustinus, vir acerrimi ingenii, usque ad mortem dubitavit de animæ origine, an scilicet singulis infantibus singulæ animæ a Deo creentur, an vero sint ex traduce, ita scilicet ut anima filii traducatur ex anima parentis, sicut lumen unius candelæ traducitur et accenditur ex lumine alterius, ut patet ex lib. I *De Origine animæ*, cap. XV, et lib. I *Retract.* cap. I. Hoc enim posterius videbatur ei arguere traductio peccati originalis, illud enim cum anima videtur traduci in prolem ab anima parentis : sed contrarium jam definivit Ecclesia, animas hominum scilicet, in nativitate vel potius conceptione cujusque, a Deo creari et creando infundi. Hinc sapienter mater septem Machabæorum ipsismet ait : « Nescio, inquit, qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi : sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, » etc. II *Machab.* VII, 22.

Tertio. *Tertio*, S. Bonaventura per *spiritum* accipit Deum et Spiritum Sanctum, *q. d.* Ventos et nubes, de quibus sermo præcessit, Spiritus divinus occulte per omnia permeat, format, cogit, movet, dispensat. Rursum idem Spiritus ossa infantis in utero matris, ut sequitur, occulte format, aptat, nectit, compingit. Mystice, idem Spiritus ita occulte per gratiam et operationem intrat in animam, ut homo eum non videat, imo sæpe non agnoscat, juxta illud *Job* IX, 11 : « Si venerit ad me, non videbo eum : si abierit, non intelligam. » Unde B. Isaias Abbas (exstat in *Biblioth. SS. Patrum*) *orat.* 19, in medio, sic legit : « Quemadmodum compinguntur ossa in ventre gerentis, sic est via spiritus; » sicque explicat de Spiritu Sancto : «Nam sicut sancta Virgo gestavit filium Dei in carne, ita qui gratiam Spiritus Sancti accipiunt, concipiunt et gestant illum in corde suo.»

ET QUA RATIONE COMPINGANTUR OSSA IN VENTRE PRÆGNANTIS. — *Prægnans* hebraice vocatur *plena*, scilicet suo fœtu et embryone gravida. Formatio ossium et membrorum embryonis est opus naturæ, vel potius Dei admirabile; unde illud admirantur omnes philosophi et medici, ut Galenus, lib. *De Usu partium;* Lactantius, *De Opificio Dei;* Cicero, lib. II *De Natura deorum;* quin et Psaltes, *Ps.* CXXXVIII, 15 : « Non est occultatum, inquit, os meum a te, quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui, » hoc est, non incognita tibi ossium compactio meorum, membrorumque omnium interiorum in abdito ventris materni (uti vertit Chaldæus) velut in terræ penetralibus, ubi ipse acu pictus sum quasi phrygionico opere, quod attinet ad nervos, carnes, ossa, cutes. Hoc enim est Hebraice רקמתי *ruchamti*, id est velut a phrygione acu pictus sum, quod proinde Itali vocant *ricamo*. Et Job cap. X et seq. : « Nonne, inquit, sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me : ossibus et nervis compegisti me : vitam et misericordiam tribuisti mihi. » Porro præ cæteris partibus et membris, mira est in homine tot tamque variorum ossium compactio, puta formatio, solidatio, nexus, colligatio, articulatio, structura, uti videre est in *Anatomia* Vesalii et cæterorum. Hoc ergo est opus *Elohim*, ut habent Hebræa, id est Numinis omniscii, sapientissimi et summe providi, quod sua efficacitate et vi omnia permeat, penetrat, agitat, alit, vivificat. Emphasis est in τῷ *ventre prægnantis*, *q. d.* Dic mihi, si potes, qua ratione venter unus mollis et tener prægnantis tot ossa dura et solida embryonis efformat? qua arte eadem tot musculis, nervis, tendonibus, cartilaginibus, venis, arteriis, etc., vestit, intexit, compaginat? præsertim cum ipsa prægnans nihil horum sciat, imo non sentiat, quæ tamen tam varia et artificiosa sunt, ut nullus phrygio, licet oculatissimus et peritissimus, ea non dico variegando formare, sed nec acu pingendo exprimere et repræsentare valeat.

Denique hæc parœmia significat quod, sicut Deus ossa diversa et subinde adversa apte in corpore connectit et compingit, ut sese invicem juvent et firment, sic pariter idem dirigat et connectat ventos et nubes etiam contrarias, ut non obsint, sed prosint semini ac messi : item omnia adversa et prospera, ac præsertim illa, quæ minantur

annonæ caritatem et inopiam, omnesque difficultates et pericula, quæ hominem metu percellunt avocantque ab eleemosyna; quod, inquam, hæc omnia Deus dirigat, disponat, combinet; ut non inopiam, sed copiam potius eleemosynario afferant. « Quoniam diligentibus Deum omnia (Deo dirigente) cooperantur in bonum, » *Rom.* VIII, 28 : Deus enim omnes causas secundas regit, contemperat, connectit, ut serviant commodis suorum amicorum et electorum.

Vers. 6. 6. MANE SEMINA SEMEN TUUM, ET VESPERE NE CESSET MANUS TUA : QUIA NESCIS QUID MAGIS ORIATUR, HOC AUT ILLUD; ET SI UTRUMQUE SIMUL, MELIUS ERIT. — Pro *non cesset*, Symmachus vertit, *ne dimittas manum tuam*; Hebræa, *quiescere ne facias*; Septuaginta, *ne remittat manus tua*. Pro *quid oriatur*, Hebraice est יכשר *iichsar*, id est *dirigetur, proveniet*; Aquila, *proficiet*; Symmachus, *reperiet* vel *assequetur*, scilicet manus tua; S. Hieronymus, *rectum erit*, vel *quid placeat*; Tigurina, *quid commodius futurum*; alii, *quid magis conveniat, q. d.* Nescis an matutina eleemosyna, an vespertina sit tibi, æque ac pauperi, utilior Deoque gratior. Chaldæus hanc gnomen accipit de generatione filiorum; unde sic vertit, *juventute ineunte tua, uxorem duc, ut liberos suscipias : sic enim te natu grandiore, illa velut pars tui finem pariendi non faciet. Neque tibi tamen cognitum esse poterit, si unus ex eis ad bonum sit electus, sitne hic vel alter, duove etiam simul recti futuri sint.* Verum hic sensus carnalis est et judaicus, nec ad rem propositam facit. Totus enim hic locus pertinet ad eleemosynam et beneficentiam. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut prudens agricola, dum tempus est seminandi, quovis tempore (nam sub mane et vespere quasi sub duobus extremis, omnia media tempora quæ incurrunt intelligit) seminat tam matutino quam vespertino suum semen, ut si unum parum feliciter, alterum felicius germinet et fructificet; aut si utrumque feliciter, duplicem et copiosam colligat messem : ita tu, o fidelis, omni tempore benefacito, nec ullo ab eleemosyna vel bono opere cessato, quia si unum non succedat, succedet alterum, fructumque speratum afferet : si utrumque, plane fies compos voti. Denique utriusque merces tibi certa parata est apud Deum. Ita S. Hieronymus : « Ne eligas, inquit, cui bene facias, sed et cum bene feceris, nunquam a bono opere desistas. Matutinam justitiam vesper inveniat, et vesperi misericordiam solis ortus accumulet. Incertum est enim quod opus magis placeat Deo, et ex quo tibi fructus justitiæ præparetur. Potest autem accidere ut non unum, sed utrumque placeat Deo. Aliter : Et in adolescentia et in senecta æquus tibi labor sit. Nec dicas : Dum potui, laboravi, debeo in senectute quiescere. Nescis enim an in juventute, an in ætate longæva placeas Deo. Nec prodest adolescentiæ frugalitas, si senecta ducatur in luxu. In quacumque enim die erraverit justus, veteres eum justitiæ a morte liberare non poterunt. » Solet enim senium senibus afferre torporem et tenacitatem, ut quia sunt frigidi et timidi, tunc sibi plus comparent viatici, cum minus viæ vitæque superest. Ita Lyranus.

Semper bene agendum.

Accedit Olympiodorus qui sic exponit, quasi dicat : A principio vitæ stude virtutibus usque ad ejus finem, juxta illud Christi : « Me oportet operari, donec dies est, » *Joan.* IX, 4 : « Virtutem aggressus, inquit, persevera usque ad finem : neque enim novisti quænam ex tuis bonis operibus placitura sint judici, illane quæ juxta carceres peregisti, an ea quæ jam perductus ad metam. Quod si utraque eodem pariter modo approbentur, bonitatis et perfectionis plena censebitur hujusmodi operatio. Aut aliter ita intellige : Ab ineunte pueritia operare virtutem, neque dixeris : Nunc adolescentior cum sim, fruar deliciis quas habet vita, postea vero cum ad senectutem pervenero, ad pœnitentiam me convertam : nequaquam enim nosti quid tibi eventurum sit, aut quando aderit finis vitæ. Est itaque operæ pretium operari semper virtutem, summaque contentione ad hanc assequendam conari. Oportet etiam sæpe Deum precari, ut quæ ipsi operamur, suæ sint majestati placita et bonitati. » Nulla ergo vacatio ab opere conceditur homini in hac vita; nam ut ait Job, cap. V, 7 : « Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. » Et Psaltes, *Psalm.* CIII, 23 : « Exibit homo (mane orto sole) ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum. » Quare crescere debemus in virtutibus æque ac meritis quotidie, usque ad ultimum vitæ halitum. Unde sapienter Damascenus, orat. *De Dormit. Virginis*, ait, morte justos omnino perfici sanctosque effici, quæ id ipsis affert, ut in eorum virtutem nulla jam mutatio cadat.

Moraliter.

Tropologice S. Hieronymus per mane et vespere accipit Vetus Testamentum et Novum, quod est veluti pluvia serotina et matutina. « Unde et nunc admonemur, inquit, ut sic legamus legem veterem, ne Evangelium contemnamus; sic quæramus spiritualem in veteri Testamento intelligentiam, ne in evangelistis et apostolis hoc tantum putemus sonare quod legitur : ignorare enim nos in quo magis scientia nobis a Deo tribuatur et gratia, felicemque eum esse, qui utrumque in commune sociaverit, et quasi unum corpus effecerit. Quod qui fuerit consecutus, videbit lucem, videbit Christum solem justitiæ. »

Tropologice.

Rursum per *mane* et *vespere* accipias prospera et adversa, sive bonæ sortis ortum et occasum, *q. d.* Nec in rebus secundis, nec in adversis cessandum est a virtute : in adversis exerce humilitatem, patientiam, fortitudinem; in secundis, modestiam, temperantiam, gratitudinem, in utrisque, charitatem et beneficentiam; quare nullam bene agendi occasionem præterlabi sinas, ut si priora minus placita sint Deo, posteriora vel postrema magis placeant. Præclare Seneca, *epist.* 12 : « Itaque, inquit, sic ordinandus est dies om-

nis tanquam cogat agmen, et consumat atque expleat vitam. » Et inferius : « In somnum ituri læti hilaresque dicamus :

> Vixi, et quem dederas cursum, fortuna (*potius* Deus alme), peregi. »

MANE SEMINA SEMEN TUUM ET VESPERE. — Noster Delrio, *adag.* 300, pag. 2, per *mane* et *vespere* accipit duo tempora serendi, scilicet tempestivum et serotinum, sicut pluvia tempestiva dicitur quæ semen satum humectat, ut germinet; serotina, quæ grana jam formata maturat. Unde Symmachus vertit, *præcox semina semen tuum, sed et serotinum ne remittat manus tua.* Verum in Scriptura nusquam fit mentio tempestivæ vel serotinæ sationis, sed tantum pluviæ. Proprie ergo accipe *mane* et *vespere*, *q. d.* Cum sole, imo ante solem oriatur nostrum benefaciendi studium; idem non nisi cum sole occidat, ut sol oriens benefacientes inveniat, et occidens benefacientes dimittat. Beneficentia nos mane lecto excitet, vespere lecto reddat. Frigide R. Akiba : *Cum mane*, inquit, *aliquid pauperi dederis, et vespere redierit, vacuum ne dimitte.*

ET SI UTRUMQUE SIMUL, MELIUS ERIT. — Hebræa, *et si ambo ipsa, sicut unum bona, q. d.* Nescis an utrumque futurum sit paris bonitatis, an unum æque bonum erit ac alterum. Verum Noster τὸ *bona* accepit pro *meliora;* Hebræi enim utuntur positivo pro comparativo quo carent; unde clarius et significantius vertit, *et si utrumque simul* (oriatur), *melius erit* (1).

Vers. 7. Lucis oblectatio.

7. DULCE LUMEN, ET DELECTABILE EST OCULIS VIDERE SOLEM. — Lux enim nobilissima, jucundissima, cœlestis, utilissima et vivifica est qualitas; sol quoque est oculus mundi, et « vas admirabile excelsi, » *Eccli.* cap. XLIII, 2. Vide ibi dicta. Vide et Dracontium, lib. I *Hexam.*, ubi lucem inter alia celebrat (exstat tom. VIII *Biblioth. SS. Patrum*) :

> Lux jubar æthereum, lux noctis limes et umbræ.
> Lux facies rebus cunctis, et lux elementis.
> Lux genitis factisque calor, lux gratia solis.
> Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ.
> Lux fulgor cœli, lux et primordia mundi.
> Lux splendor flammæ, lux magni temporis index.
> Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris (2).

Hinc et Varro, lib. V *De Ling. Latina*, diem, qui vehit lucem, *a Deo* dictum putat; vel ut Festus, quod *divini sit operis;* vel a *Jove*, quem Δία nuncupant. Hinc et sol a Cicerone, lib. II *De Natura Deor.* vocatur « princeps siderum »; ab Heraclito, teste Macrobio, lib. I in *Somnium Scipionis*, cap. XX : « Fons lucis et cor cœli; » a Chalcidio in *Timæum* Platonis, ac Plinio, lib. II, cap. VI : « Mundi anima, siderum cœlique rector, naturæ regimen et numen. » *Numen*, id est nutus et potestas, ait Festus, a *nuo, nuis*, quod veteres pro *volo* usurpabant. Hinc denique nonnulli, teste Plutarcho, lib. *De occulte vivendo*, putarunt animam esse lumen quoddam, eo quod ipsa impense lumine gaudeat, et ignorantiam tenebrasque aversetur. Quocirca Anaxagoras, teste Laertio, dixit hominem natum esse ad hoc, ut videret solem ejusque lucem; ac Græci hominem vocarunt φῶτα, id est *lucem*, quod solus luce Solis Verbique divini in mente collustratus, eodem et alios collustret. Ita Nazianzenus. Audi Lactantium, lib. III *De Falsa relig.* cap. XII : « Tanti est (ut Anaxagoræ visum est) contemplatio cœli, ac lucis ipsius, ut quascumque miserias libeat sustinere. » S. Hieronymus ejusque sequaces hanc gnomen referunt ad præcedentia, quasi dicat : Mane et vespere, id est assidue et semper, semina semen eleemosynæ bonorumque operum, quia, si id feceris, consequeris præmium, scilicet dulcissimum lumen gloriæ, in quo videbis solem justitiæ Christum Dominum in gloria cœlesti. Verum hic sensus mysticus est et symbolicus, æque ac ille R. Haccados, qui per lumen accipit filios : hi enim sunt quasi lumina parentum, *q. d.* Semina, id est genera filios; hi enim erunt lux et splendor tibi tuæque familiæ.

Dico ergo hanc gnomen pendere et pertinere ad sequentia : ibi enim expletur, *q. d.* Dulcis quidem est hæc vita et lucis usura, in qua solem fulgidissimum jucunde contuemur; sed tamen illi brevi succedet mors, quæ nos horridis undique tenebris involvet. Mortis ergo instantis memor, noli dulcedine vitæ ad nimias voluptates abuti; sed ea moderate utere ad omnem virtutem et beneficentiam. Itaque dum vivimus, vita fruendum, vel potius modeste et honeste utendum est, ut quam plurimos officiis et beneficiis adjuvemus, memores imminentis mortis et judicii.

Nota, ab hoc loco usque ad finem libri, Ecclesiastes, sive Salomon, amolitur a se omnem suspicionem epicureismi, ac vitæ voluptuariæ, quam superius, sæpius commendando ut quis læte rebus suis utatur, dum vivit, nonnullis ingessit. Unde hic serio nos admonet finis nostri, scilicet ut a vanitate ad veritatem, a tempore ad æternitatem mente et affectu transeamus, qui pariter est finis et scopus totius libri, ut patet ex ejus principio et fine. Huc accedit Thaumaturgus qui hanc gnomen nectens sequentibus, ita omnes a vers. 10 uno nexu apte contexit : « Si autem quis secum ratiocinetur quam pulcher sit sol, quam suavis hæc vita, quam jucundum in summa felicitate longævum fieri, et quam horrendum perpetuumque malum sit mors, nihil omnino afferens commodi, unde sentiat nos frui debere omnibus præsentibus, utcumque videantur suavia. Insuper

(1) *An vero ambo sicut unum*, id est ex æquo *bona*, id est prospere sint successura. Sensus : Cum futurorum ignarus sis, tutissime ibis, si quodvis tempus et quamvis occasionem in usus tuos vertas, agasque quæ tua sunt, cætera Deo linquens.

(2) Conf. Euripidem, *Iphigen. in Aulide*, vers. 1218 : ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς βλέπειν.

et adolescentibus consulat sua ætate abuti, permittere animabus suis omnem voluptatem, indulgere desideriis, vivere ut libet, spectare oblectantia, aversari autem quæ non sunt ejusmodi. Ad quem id tantum dixerim : Insipienter agis, o tu quisquis es, non exspectans futurum in his omnibus Dei judicium. » Similia habet Auctor *Catenæ Græc.*

Symbolice, dulce est videre lumen et solem, id est contemplari Deum, qui sicut est dator munerum, sic et pater « luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, » *Jacob.* cap. I, 17. Hinc Deus dicitur « amictus lumine sicut vestimento, » *Psalm.* CIII, 2 ; et lux dicitur proprie ejus esse « possessio, » *Job* XXXVI, 33. Unde S. Dionysius, cap. IV *De Divin. nom.*, ait solem esse vivum Dei simulacrum. Quocirca Christus : « Ego, inquit, sum lux mundi, » *Joan.* VIII, 12. Quin et Plato, lib. VI *De Republ.*, lucem et solem nuncupat boni prolem et filium. Audi Nazianzenum, *orat.* 40 : « Ac quidem Deus summum et inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans, hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus ; eo se magis contemplandum nobis præbens ; quo accuratius animos purgaverimus ; eo rursus magis amandum, quo magis contemplati fuerimus ; eo denique magis cognoscendum, quo magis amaverimus ; sese ipse speculans et comprehendens, ac perexigue ad externa diffundens. Lumen porro hoc dico, quod in Patre et Filio et Spiritu Sancto consideratur, quorum opulentiæ naturæ identitas est, atque una eademque splendoris prosultatio. Secundum lumen est angelus, primi illius luminis velut rivulus quidam, aut participatio per propensionem ad illud, ac ministerium illuminationem habens, de quo statuere nequeo, utrum pro classis suæ ordinisque ratione splendor ei impertiatur, an potius pro divinæ illuminationis modo hanc vel illam sedem accipiat. Tertium lumen homo est, quod externis etiam perspicuum et manifestum est ; φῶς enim, id est lumen, hominem vocant, propter rationis nobis insitæ vim et facultatem. Quo etiam rursus nomine inter nos appellantur, qui Deo similiores sunt propiusque ad Deum accedunt. »

Lucis eologia.

Tropologice, Olympiodorus : Qui, inquit, solem justitiæ, puta Christi illuminationem mente sua recipit, plane videt quæ ad ejusdem solis voluntatem sibi agenda sint, quæve dimittenda : idemque idcirco magna voluptate lætitiaque perfunditur, eo quod non solum sibi agenda cognoscat, sed etiam ab eodem sole illustratus, pacatissima mente contempletur pulcherrimas illas species, quæ a materia sejunctæ, solo intellectu percipiuntur. Ad hæc animo comprehendit dies tenebrarum perennes, qui in futuro sæculo impios sunt comprehensuri ; atque idcirco omni studio declinat a malo bonumque operatur. Hæc Olympiodorus.

Anagogice, Chaldæus hanc gnomen explicat de lumine gloriæ, quo beantur Sancti in cœlo : *Et suavis,* inquit, *est lux legis, et aptissima certe, quæ oculis caligantibus lumen afferat, ut aliquando dignitatem vultus Domini tueantur, qui divino quodam splendore justorum faciem est illustraturus, ut pulchritudine cum sole comparari queant.*

8. SI ANNIS MULTIS VIXERIT HOMO, ET IN HIS OMNIBUS LÆTATUS FUERIT, MEMINISSE DEBET TENEBROSI TEMPORIS, ET DIERUM MULTORUM : QUI CUM VENERINT, VANITATIS ARGUENTUR PRÆTERITA. — Cohæret hæc gnome præcedenti, ejusque salubrem antithesim suggerit, *q. d.* Dulce quidem est frui lucis usura, solemque contemplari. Dulce est vivere, vitæque voluptates degustare ; at noli illis nimis te oblectare ; noli iis securus incumbere, nec per eas Deum offendere ; noli perpetuas aut diuturnas existimare, quia brevi succedent illis dies tenebrosi et mœsti senectutis et mortis, qui cum venerint, reipsa ostendent quam præteriti vitæ et voluptatum dies fuerint vani, id est breves, pauci, fugaces, evanidi : tunc enim omnis lux desinet in caliginem, voluptas in ærumnas, lætitia in mœstitiam, vita in mortem. Perinde enim ac sol, dum mane oritur, splendidus est et fulgidus, crescitque in meridiem, mox post paucas horas decrescit, declinat, occumbit : sic prorsus et vita nostra, dum nascimur, splendet, crescitque in virilem ætatem ; at post paucos annos decrescit, senescit, occidit. Dum ergo solem orientem et occidentem quotidie intueris, vivum vitæ tuæ simulacrum accipe, in eoque ortum et occasum tuum metire et intuere. Esto annos Mathusalem vixisses, cum illi exacti fuerint, perinde erunt ac si non fuissent, juxta illud : « Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit, » *Psalm.* LXXXIX, 4 (1). Vers. 8.

MEMINISSE DEBET TENEBROSI TEMPORIS, ET DIERUM MULTORUM. — Hebræa, *recordetur dierum caliginis, qui multi erunt.* » Per quos, *primo,* accipi possunt dies senectutis, qui licet pauci, quia tamen multis ærumnis referti, senescenti multi longique æque ac tenebrosi, id est miseri tristesque videntur, sicuti infirmo nox alioquin brevis longa videtur. Adde, senibus caligant oculi, ut eis sol tenebrescere videatur, uti dicetur cap. XII, vers. 2 : ibi enim fuse hosce dies senectutis tenebrosos describit.

Secundo, dies mortis et sepulturæ, hi enim multi sunt, quia durabunt usque ad diem judicii, quo a morte resurgemus. Unde Chaldæus vertit, *quoniam multi sunt dies, quibus dormiet in domo sepulturæ, et pertinet ei judicium suscipere de cœlo omni* Tenebrosum tempus mortis.

(1) *Quod si multos annos vixerit homo,* et *in illis omnibus lætatur, meminerit tamen dierum tenebrarum, quod multi erunt, et quidquid futurum est* in hac vita, si cum diebus æternitatis conferas, *vanum esse.* Rosenmullerus vertit, *lætabitur... recordatur,* hoc sensu : Quod dixerat, jucundam esse hujus vitæ usuram, eo probat, quod si quis et multos annos vivat, tamen non sit vitæ pertæsus.

tempore, quo venerit super eum malum, propter vanitatem quam fecit.

Tertio, dies multi et tenebrosi sunt dies æternitatis, quos impii miserrimos et perpetuos agunt in tenebris gehennæ. Ita Olympiodorus : « Reputat, inquit, animo tenebrarum dies, qui in futuro sæculo sunt impios comprehensuri, peccatoresque post rerum omnium vanitatem ad æterna venturos supplicia. »

QUI CUM VENERINT, VANITATIS ARGUENTUR PRÆTERITA. — Hebræa, *omne quod venit est vanitas*; S. Hieronymus, *omne quod venturum est vanitas*; alii, *omne quod subsequitur, vanum erit*; Vatablus, *omnis qui nascitur est vanitas*, *q. d.* Quidquid venit et evenit in hoc mundo, vanum est : sicut enim præterita evanuerunt, sic præsentia illico transeunt et evanescunt, ac futura transibunt et evanescent. Ex præterita enim rerum vanitate, licet certo conjicere et metiri præsentem et futuram; quod ut indicaret Noster, solerter vertit, *qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*. Sapienter ergo S. Remaclus, Episcopus Trajectensis, moriturus, hoc ultimum suis dedit monitum : « Tota sapientis vita quædam debet esse commentatio mortis. » Quin et Plato ait : « Philosophia (ethica) non est aliud quam meditatio mortis. » Vitam S. Remacli scripsit Notgerus ejus successor. Exstat apud Surium, die 3 septemb.

Vita sapientis meditatio mortis.

Vers. 9. 9. LÆTARE ERGO, JUVENIS, IN ADOLESCENTIA TUA, ET IN BONO SIT COR TUUM IN DIEBUS JUVENTUTIS TUÆ, ET AMBULA IN VIIS CORDIS TUI, ET IN INTUITU OCULORUM TUORUM : ET SCITO QUOD PRO OMNIBUS HIS ADDUCET TE DEUS IN JUDICIUM. — S. Hieronymus hinc inchoat cap. XII. Pro *juventutis* Hebraice est בחורותיך *bechuroteca*, id est, *electionum tuarum*, id est in ætate plane electa et florida; juventus enim est ver, decor et flos ætatum omnium : quare tunc cuique eligendus est status et optima vitæ ratio, ut optimam ætatem optime transigat, Deoque optimo dedicet. Septuaginta addunt ἄμωμος, id est irreprehensibilis, immaculatus, inculpatus. Unde vertunt, *ambula in viis cordis tui immaculatus*. Sic quoque vertit Arabicus. Rursum pro : « Et in intuitu oculorum tuorum, » Septuaginta Romani legunt contrarie, *et non in intuitu oculorum tuorum*. S. Ambrosius vero *Exhortat. ad virg.* sic legit : *Ambula in viis cordis tui sine macula, et in aspectu oculorum tuorum, et non in audacia oculorum tuorum*, hoc est, inquit, « in aspectu spiritali, non in audacia sæculari. » Verum Complutenses legunt eodem modo quo Hebræa, Latina et Syrus, scilicet, *in intuitu oculorum tuorum*. Quocirca S. Ambrosius, Albinus, Olympiodorus, et S. Gregorius, XXIV *Moral.* cap. IV, censent juvenes hic invitari ad gaudium spirituale, ad quod invitat Apostolus *Philipp.* IV, 4, dicens : « Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus prope est. » Hinc et Chaldæus vertit, *lætare, juvenis, in diebus iuventutis tuæ, et sit cor hilare in te in diebus adolescentiæ tuæ, et ambula in humilitate in viis cordis tui, et sta admonitus in visu oculorum tuorum, et non aspicias malum; et notum sit tibi, quod pro omnibus adducet te Deus in judicium.* Verum ambulare in viis cordis et in intuitu oculorum significat gaudium non spirituale, sed sensuale et carnale, juxta illud cap. II, 10 : « Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ præparaveram; et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. » Et hoc quoque non aliud voluisse Septuaginta patet ex interpretatione Thaumaturgi, quam recitavi vers. præced., ex qua liquet eum in Septuaginta non legisse τὸ ἄμωμος, id est, *irreprehensibilis*; aut si legit, ita interpretari, *q. d.* Ambula in viis cordis tui irreprehensibilis, id est vive ut libet, sic ut nemo te reprehendere audeat, utque tu nullius reprehensionem metuas, vel audias et in cor admittas. Est ergo concessio, *q. d.* Læte et jucunde fruere, o adolescens, voluptatibus adolescentiæ, ita tamen ut memineris te earum rationem redditurum Deo in judicio; quod ut recte facias, modeste et honeste iis utere. Huc facit proverbium Arabum, *Cent.* I, num. 69 : « Vive, aselle, quamdiu floret pabulum; » fruere pabulo, quamdiu illud obtines : brevi enim deficiet, nec obtinebis. Vivere enim est ἡδυπαθεῖν, id est *gaudere* et *frui*, quod Galli dicunt *se donner bon temps*. Vel potius est ironia, *q. d.* O juvenis, qui per adolescentiam ardes sanguine, spiritibus et concupiscentiis, age, in bono cor tuum sit, id est cor tuum exhilara (bonum enim sumitur pro hilari et jucundo); unde S. Ambrosius, *Exhort. ad virgin.* vertit, *oblectet te cor tuum, ambula in viis cordis tui*, id est sequere desideria tui appetitus, *et in intuitu oculorum tuorum*, ut quod oculi tui concupiscunt, id prosequaris, indulge tuis desideriis, satia te tuis cupidinibus; sed « scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. »

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Quare si sapis, metu mortis et divini judicii refrena tuas voluptates, resiste tuis cupidinibus, amores vanos mortifica, ut judici, qui concessit eorum usum, sed vetuit abusum, congruam reddas rationem. Ita Thaumaturgus, S. Bonaventura, Hugo, Cajetanus, Titelmannus et alii. Adolescentia enim, ut docet S. Ambrosius, *De Interp. Job* cap. VII, et Aristoteles, VIII *Ethic.* cap. VI : « Calore corporis fervente, æstuque sanguinis vaporantis ignescente, ut invalida est viribus, ita consiliis infirma, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. » Quare acribus stimulis timoris judicii et gehennæ a suis cupidinibus coercenda et refrenanda est. Quocirca S. Anysia Martyr solebat de juventute conqueri dicens : « O insidiosam ætatem, quæ aut lædit, aut læditur! Pulchra res est senectus. Hei mihi! longitudo temporis me mœs-

titia afficit, quæ tamdiu separat a cœlestibus. » Eadem brevissimo somno utebatur, dicens : « Malum est mihi dormire, cum meus inimicus vigilat. » Ita habet ejus Vita apud Surium ultimæ edit. 29 decembr. Porro ironia et sarcasmus, id est hostilis irrisio, frequens est in Scriptura præsertim in Prophetis, ut *Thren.* IV, 21 : « Gaude, et lætare, filia Edom, » cui mox excidium a Nabuchodonosore inferendum intentatur : « Ad te quoque perveniet calix (iræ et vindictæ Dei) inebriaberis, atque nudaberis. » Similia sunt *Dan.* V, 18, ubi insultat Balsasari; et *Ezech.* XXVIII, 12, ubi insultat Tyro, æque ac Pharaoni, cap. XXXI, 18, et cap. XXXII, 19.

ET SCITO QUOD PRO OMNIBUS HIS ADDUCET TE DEUS IN JUDICIUM.— « Cujus judicium, ait Tertullianus, lib. *De Patientia,* non in compede aut pileo vertitur (servi enim mali damnabantur ad compedes, boni vero donabantur libertate, cujus insigne erat pileus), sed in æternitate aut pœnæ aut salutis. » Judicium autem Dei complectitur, *primo,* strictum examen juventutis in voluptatibus exactæ; *secundo,* sententiam judicis; *tertio,* supplicium, puta gehennam. Huic gnomæ similis est parœmia Arabum, *Cent.* I, num. 20 : « Omnis ovis suspenditur e calcaneo suo in macello, » id est, unusquisque judicabitur et punietur super moribus suis, præsertim ultimis et finalibus vitæ, juxta illud *Galat.* VI : « Unusquisque onus suum portabit. » Huc facit aurea gnome R. Achabiæ filii Mahaleel in *Pirke Avoth,* cap. III : « Tria, ait, tibi consideranda sunt, quibus a peccato coercearis : quæ origo tuæ conditionis est, quis finis, et ante quem judicem ratio tibi reddenda est. Unde tibi origo est? e fœtido spermate. Quo tendis? ad vermes et tineas. Cui judici stare debes sententiam excepturus? Regi regum terribili, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ, Deo sancto et benedicto. » Ibidem R. Eleazar ait : « Qui nati sunt, oportet eos semel mori; qui mortui sunt, oportet eos rursus in vitam resurgere; et qui surrexerunt, oportet eos judicari, et scire quod Dominus ipse sit Deus formator hominum, et mundi creator, et gubernator rectorque supremus. Ipse idem et litem movens, et testis ad nos, et judex. Benedictus sit ille sanctus et justus, in quo non est iniquitas, nec oblivio, nec respectus in faciem, nec munerum aut personarum acceptio, propterea quod omnia ejus sunt, ac scito eventura omnia juxta mensuram eorum, quorum tibi ratio reddenda est. Cave autem ne in vanam et stultam spem ascendas, qua futurum tibi sepulcrum refugii locum nequidquam præsumas, et frustra polliceare; inconsulto enim te creatus es, inconsulto iterum te genitus es, et vivis et morieris, et ratio tibi reddenda est Regi regum sancto et benedicto. »

Gnomæ de justitia.

Porro judicii divini exactum et terribile examen graphice depingit, et ad vivum repræsentat S. Cyrillus, orat. *De exitu animæ et secundo adventu,* tom. IV, ubi quinque telonia quasi tribunalia recenset, in quibus anima a dæmonibus, seu sævissimis publicanis, accusatur de singulis, quæ per quinque sensus peccavit : « Tenetur, inquit, animus a sanctis angelis per aerem sublimis præteriens, invenitque quosdam quasi publicanos ascensum custodientes, et ascendentes animos prehendentes prohibentesque. Nam quisque publicanorum propria habet peccata, quæ illis objiciat; alius perperam dicta, quæcumque ore et lingua commissa sunt, mentiendo, jurando et pejerando; quum superflua, nugatoria et vana verba, tum helluationes, vinique abusum et luxum, et immodicos indecorosque risus, levia et inhonesta oscula, et impudica cantica. At sancti angeli, animum ducentes, proferunt et ipsi quæcumque ore linguaque locuti sumus bona, supplicationes, gratiarum actiones, psalmos, carmina, laudes, divinos cantus, scriptorumque lectiones, et quæcumque per os et linguam bona Deo promisimus. *Secundum* telonium est oculorum visus, quæcumque indecoro aspectu, curiosoque et effrenato intuitu et fallaci nutu committuntur. *Tertium* telonium est auditionis, et quæcumque per hunc sensum impuros spiritus accipiunt. *Quartum* est olfactus odoriferorum unguentorum, et suavium odorum, quæ mimas et impudicas decent mulieres. *Quintum* est eorum, quæ manuum tactu perverse et improbe facta sunt, et cæteræ vitiorum tabernæ, invidiæ et æmulationis; inanis gloriæ et superbiæ, acerbitatis et iræ; iracundiæ et furoris; scortationis et adulterii et mollitiei; homicidii et veneficii, cæterorumque impiorum et perversorum factorum, quæ in præsentia minutatim persequi non licet, ut in aliud tempus differantur. Breviter eodem modo deinceps suos quisque animi morbus et peccatum publicanos habet, et tributi quæstores. Animus igitur, qui hæc et his majora pluraque cernit, quanto putas in metu ac trepidatione est, donec sententia feratur, et ejus libertas veniat? Illa est hora doloris, periculi gemitusque plena, atque inconsolabilis, donec videat quid futurum sit. »

Quinque telonia animæ e corpore migrantis.

10. AUFER IRAM A CORDE TUO, ET AMOVE (Hebræa *transire fac*; Syrus *distare fac*, Arabicus *spolia malitia humanitatem tuam*) MALITIAM A CARNE TUA. ADOLESCENTIA ENIM ET VOLUPTAS VANA SUNT. — Ab hoc versu Complutenses et Biblia Regia, Chaldæus, Olympiodorus, Albinus ordiuntur cap. XII. Est conclusio educta ex versu præcedenti, *q. d.* Quia Deus te adducet in judicium, ut judicet te de concupiscentiis cordis et oculorum, aufer et reseca eas a te, præsertim iram et libidinem. Pro *voluptas*, perperam aliqui legunt *voluntas*. Hebraice est שחרות *sacharut*, id est nigredo, crepusculum, aurora, indeque juventus; hæc enim est quasi rosea aurora ætatis et vitæ. Unde Clarius, Vatablus, Cajetanus vertunt hoc loco, *juventus;* Pagninus, *pubertas*; Chaldæus, *dies nigredinis capillorum* : juvenibus enim nigrescunt capilli, se-

Vers. 10.

nibus albescunt; multo magis juvenum mens nigra est, id est obscura, ignorans, cæca, confusa. Septuaginta vertunt, ἄνοια, id est amentia, stultitia. Noster melius vertit *voluptas*, hæc enim sunt duo vitia juventutis, scilicet stultitia et voluptas: stultitia nascitur ex inexperientia et imperitia, voluptas ex fervore sanguinis et flore ætatis. Est catachresis voluptas enim vocatur *juventus*, cujus quasi propria est voluptas, cum qua instar auroræ transit et evanescit juxta illud *Osee* XI, 1: « Sicut mane transit, pertransiit rex Israel. » Hinc Varroni *adolescentiari* idem est, quod *luxuriari*, teste Nonio, cap. I; et Terentius in *Adelph.* « Crede mihi, ait, non est facinus adolescentium scortari. »

Porro hic taxat duo primaria juventutis vitia, scilicet iram in corde, et malitiam, vel, ut Ambrosius legit *nequitiam*, Arabicus *iniquitatem*, id est libidinem in carne. Præcipua enim carnis malignitas est libido, ait Olympiodorus et Thaumaturgus, sub quibus cætera omnia comprehendit: ira enim est filia superbiæ et mater invidiæ; libido filia est gulæ, et mater acediæ; utraque oritur ex calore et ardore ætatis juvenilis: hic enim calor juvenem excæcat, et præcipitem agit in voluptates et vitia, ac præsertim in iram et appetitum vindictæ, ac libidinem. Audi S. Hieronymum: « In ira omnes perturbationes animi comprehendit, in carnis malitia universas significat corporis voluptates. Sic ergo, inquit, bonis sæculi hujus fruere, ne aut desiderio, aut carne delinquas. Relinque antiqua vitia, quibus in adolescentia tua vanitati stultitiæque servisti, quia juventus insipientiæ copulata est (1). »

Similia habent Olympiodorus, Hugo, Glossa et Ferus quem audi: « Ne tristitiis vexetur, neve adversis frangatur, sed assuescat non irasci et indignatione vinci, ubi viderit omnia pessime geri; si quid viderit triste, sciat pertinere ad mundum, sinat alios invidere, ipse nolit perdere jucundam vitam. » Omnes enim passiones sunt in appetitu irascibili, ubi præsidet ira; vel in concupiscibili, ubi præsident amor et libido, atque amor suscitat iram, ut impedimenta quæ eum vetant frui bono amato, disjiciat. Hinc illud Luciani in *Dial. Merc. et Maiæ*: « Iracundi sunt, qui amant; » et illud Aristotelis, II *Rhetor*, cap. XII: « Juvenes, ait, omnia nimis amant, nimis oderunt; ad irascendum apti sunt, acutæque iræ, potentesque appetitiones sequi. » Quocirca, in emblematibus juventus pingitur ut juvenis animosus, diversis coloribus amictus, floribus coronatus, manu spargens nummos; ad latus sinistrum astat ei canis venaticus, ad dextrum equus phaleratus. Nam, ut ait Horatius *De Arte poetica*:

> Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
> Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
> Utilium tardus provisor, prodigus æris,
> Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.

Denique adolescentia et voluptas vana sunt, quia utraque instar floris cito deflorescit, marcescit, corrumpitur, evanescit; unde poetæ adolescentiam vocant *florem marcescentem*, præsertim dum nequiter, id est luxuriose, vivit, juxta illud:

> Nequitia est, quæ te non sinit esse senem.

Per *malitiam* enim nequitia, puta libido accipitur; licet Campensis pro *malitiam* vertat, *molestiam*; melius Tigurina, *vitiositatem*. Unde Thaumaturgus vertit, *mala res est intemperantia, libido autem et spurcitia damnum et injuriam corporibus nostris afferunt. Adolescentiæ comes est insipientia, insipientia vero ducit ad interitum.* Vere Cicero, lib. I *De Legibus*: « Ab ea, inquit, quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem omnium mater. » Et lib. *De Senect.*: « In voluptatis regno virtus non potest consistere. » S. Chrysostomus apud Antonium in *Melissa*, part. II, cap. XX: « Ira, inquit, et cupiditatibus facilius juvenes ducuntur et vincuntur; quare majorem quamdam custodiam requirunt, ac frenum durius. » Ibidem Nazianzenus: « Juventus, inquit, est temporis æstus. » Et S. Basilius: « Juventus est levis, et ad improbitatem proclivis; cupiditas effrenata, belluarum ira, temeritas, injuria et inflationes, magnique spiritus congenita et coalita mala, juventutis hæc sunt; invidiæ adversus rem excellentem, suspiciones de familiaribus. Denique malorum tanquam examen juventuti connexum et copulatum est, quorum omnium fructum necesse est in subjectos redundare, propterea quod magistratuum vitia subjectis importent calamitatem. » Porro de voluptate juventutis illecebra ita censet S. Ambrosius, lib. IV *in Lucam*: « Quasi clavis suffigitur anima corporeis voluptatibus, et cum semel adhæserit cupiditatibus, demersa terrenis difficile in altum potest revolare. » Nervosius S. Augustinus, lib. XIV *De Civit.* cap. XVI: « Hæc (libido) sibi non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vindicat, totumque commovet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto. » Hoc significat illud *Gen.* VI, 3: « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. » In quæ verba scribens S. Chrysostomus, hom. 22 *in Gen.*: « De illis, inquit, dictum est, quod ipsi sint carnes, nam licet animam rationalem haberent potiorem sui partem, perinde tamen vivebant sine ratione, ac si sola carne constarent. » Vide S. Gregorium, lib. VI in I *Reg.*, ubi

Gnomæ.

(1) Maurer, *et amove indignationem a corde*, animo *tuo, et transire fac*, averte *malum a corpore tuo*, et quidquid injucundum, molestum et noxium corpori tuo est, ab eo averte; *nam adolescentia et juventus* sunt *halitus*. Sed præstat sequi D. Hieronymi sensum, ut scil. *ira* sit animi impetus juventutisque effervescentia, *malitia* vero carnis voluptas, seu libido.

de Agag ait : « Caro homo efficitur, quando sensui carnis ratio subjugatur. » Et Cyprianus, *De Bono pudicit.* : « Impudicitia obscenum ludibrium reddit ministris suis, nec corporibus parcens, nec animis, totum hominem suum sub triumphum libidinis facit. » Et Lactantius, lib. VI, cap. XXIII : « Mens inquinatur contagione impudici corporis. » Hanc rationis cum juvenili appetitu, sive spiritus et carnis, vel mentis et concupiscentiæ luctam repræsentarunt veteres per Herculem cum Antheo, id est contrario vel adversario luctantem. Hercules enim rationis, mentis et spiritus est symbolum ; Antheus vero corporis. Herculis pectus sapientiæ est sedes atque prudentiæ, quibus perpetua est cum appetitu et voluptatibus pugna : semper enim appetitus rationi obsistit, nec potest ratio superare, nisi corpus ita in altum et procul ab terrenarum rerum intuitu extulerit, ut pedes, hoc est affectus, nullum amplius fomentum a tellure accipiant, imo cupiditates et affectus, qui terræ sunt filii, prorsus interficiat. Quo de genere mortis loquitur S. Paulus, *Coloss.* III, cum ait : « Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Et David *Psal.* CXVI : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. » Et Servator ipse : « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, » *Joan.* XII, 24. Et hæc est omnium victoriarum præstantissima. Unde in Scipionis Africani tumulo legitur hic elegantissimus versiculus :

Maxima cunctarum victoria victa voluptas.

Et Boëtius hoc ipsum Herculis factum celebrans ait : « Superata tellus sidera donat. » Porro Fulgentius in *Mythol.* et Boccacius in *Genealog. Deor.* lib. I, cap. V, tradunt Antheum fuisse terræ filium, quem sæpius a se prostratum, robustiorem resurgere cernens Hercules, advertens quod e terræ contactu vires recuperaret, jam fessum ulnis in altum extulit, ibique tamdiu tenuit donec exspiraret. Fulgentius per Antheum accipit libidinem, quæ ex sola carne nascitur, quæ tacta, etsi fessa sit, resurgit. Verum ab homine virtuoso castoque, carnis denegato actu superatur. Anthei meminit S. Augustinus, in lib. *De Civit.*, eumque vixisse tradit regnante Argis Danao et Eusebius, in lib. *De Præpar. Evang.*

CAPUT DUODECIM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Graphice et ingeniose per varia symbola et ænigmata depingit ærumnas senectutis et mortis, ut iis impellat juvenes ad spernendas voluptatum vanitates, et sectandam veritatem, verumque Dei cultum, antequam adolescentiam senectute commutent. Unde concludit vers. 13 : Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. *Est ergo hic elegans ænigma senectutis et agoniæ mortis, in quo per* 21 *symbola notantur* 21 *defectus, ærumnæ et vitia senectutis.* Primus *est, vers.* 1, *afflictio ex morbis variis* ; secundus, *displicentia et tædium rerum omnium* ; tertius, *versu* 2, *quod cœlestes motus et influxus destituant senes* ; quartus, *continuæ distillationes et catarrhi* ; quintus, *vers.* 3, *custodum, id est sensuum defectus* ; sextus, *nutatio virorum fortissimorum, hoc est crurum et tibiarum* ; septimus, *minutio molentium, id est dentium* ; octavus, *caligo videntium per foramina, id est oculorum* ; nonus, *versu* 4, *exilitas vocis ex ostiorum in platea, id est arteriarum in pectore constrictione et clausura* ; decimus, *tenuitas somni et nocturna vigilia, ut ad vocem avis evigilent* ; undecimus, *defectus aurium et auditus* ; duodecimus, *vers.* 5, *timor, pavor et stupor* ; decimus tertius, *canities similis amygdalo floribus candescenti* ; decimus quartus, *tumor ventris, pedum et crurum instar locustæ* ; decimus quintus, *fastidium cibi, cujus orexin excitat capparis* ; decimus sextus, *abitus ex vita, quod scilicet mox ibit in domum æternitatis suæ* ; decimus septimus, *funus quod communi amicorum planctu celebrabitur* ; decimus octavus, *vers.* 6, *ruptura funiculi argentei, id est contractio medullæ spineæ dorsi* ; decimus nonus, *recursus vittæ aureæ, id est contractio meningis, sive involucri cerebri* ; vigesimus, *confractio hydriæ super fontem, id est, venarum et sanguinis ex jecore prodeuntium* ; vigesimus primus, *confractio rotæ super cisternam, id est, capitis ex corde spiritus haurientis.* *Ænigmata senectutis numero 21.*

Porro hæc vitia et ærumnæ senectutis in omnibus quidem senibus locum habent ; unde et de omnibus hic agitur, maxime tamen de iis qui in juventute per symposia et libidines juveniles spiritus et vires exhauserunt : hi enim noxas juventutis luunt per morbos senectutis. Unde de iis totum hoc caput accipit Osorius. Hinc et nonnulli illud applicant Salomoni, quasi ipse hic senii sui ærumnas describat, ex libidinibus adolescentiæ. Vere Cicero : Libidinosa intemperansque adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. *Aristoteles quoque, lib. VI* Histor. Animal. *cap.* IV, *et lib.* De Longitud. et brevit. vitæ, *ac Plinius, lib. X, cap.* XXXVI, *docent animalia salacia et in venerem prona brevis esse ævi. Igitur dicas hic gulæ et luxuriæ juvenilis damna*

describi; videmus enim luxuriosorum corpora esse lurida, frigida, macilenta, marcida, morbida, mortifera, cerebro menteque minui, ac laborare epilepsia, oculis obtenebrari, palpebras pilosque defluere, custodes domus, id est sensus omnes hebetari, laborare pituita et catarrhis; iisdem dentes laxantur et decidunt; iidem exsurgunt ad vocem volucris, id est, præ doloribus levis parvique sunt somni, minimoque sonitu evigilant; obsurdescunt filiæ carminis, id est aures et auditus eis obtunduntur; floret amygdalus, id est cito canescunt; impinguatur locusta, i. e. tumescunt cruribus et ventre; dissipatur capparis, i. e. perit omnis appetitus; pleni sunt nausea, tædio, fastidio. Audi Boetium, III De Consol. *prosa* 3 : Quid de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena anxietatis, satietas vero pœnitentiæ? Quantos illæ morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ fruentium solent referre corporibus? Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget. *Et S. Chrysostemus, homil.* Quod nemo lædítur nisi a seipso : Qui in libidine, inquit, vitam ducunt, resoluta quidem corpora et omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta; quibusque ad cumulum malorum, podagræ timor, et immatura senectus succedit, et est eis semper vita cum medicis et medicamentis.

Mystice. *Mystice, senium, agonia et mors hominis repræsentant senium, casum et occasum regni et reipublicæ, vel urbis, aut orbis totius. Unde Hebræi censent hic per ænigmata describi excidium Hierosolymæ illatum per Chaldæos et Romanos. Thaumaturgus vero, S. Athanasius in* Synopsi, *in* Ecclesiaste, *et Richardus de S. Victore, tract.* De Medicandis plagis, quæ circa finem mundi evenient, *censent hic describi excidium orbis, ac plagas mundi ultimas, signaque prævia judicio extremo : imo utrique censent hunc esse sensum litteralem; sed revera est mysticus, ut patet intuenti. Rursum per senium et mortem accipias quamlibet vitæ difficultatem et ærumnam, sive a Deo, sive ab homine immissam, tum publicam, tum privatam, quæ bene operandi facultatem homini adimit; ac proinde suadet hic Salomon, ut ante eam homo operetur quidquid boni potest, itaque sibi suæque æternæ saluti tempestive consulat, et prospiciat.*

Tropologice. *Tropologice, senium et mors naturalis hominis repræsentant senium et mortem spiritalem peccatoris, dum per peccatum spoliatur gratia, quæ lux est et vita animæ, omnibusque animæ potentiis et viribus sauciatur et lædítur : ac multo magis dum per mortem ex hac vita abit in mortem secundam gehennæ, ubi omnibus corporis et animæ membris miserrime excruciatur et dilaniatur. Hoc ergo ænigma est schema animæ peccatricis et damnatæ. Ita S. Hieronymus, Albinus, Olympiodorus, Hugo et cæteri.*

1. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent : 2. antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam : 3. quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina : 4. et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiæ carminis. 5. Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis : quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes. 6. Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam, 7. et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. 8. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas. 9. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et enarravit quæ fecerat : et investigans composuit parabolas multas. 10. Quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. 11. Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. 12. His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis : frequensque meditatio, carnis afflictio est. 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo : 14. et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

Vers. 1. 1. MEMENTO CREATORIS TUI IN DIEBUS JUVENTUTIS TUÆ, ANTEQUAM VENIAT TEMPUS AFFLICTIONIS, ET APPROPINQUENT ANNI, DE QUIBUS DICAS : NON MIHI PLACENT. — Pro *tempore juventutis tuæ*, hebraice est,

tempore electionum tuarum, id est tempore electissimo et florentissimo, puta tempore juventutis, quo proinde optima tibi eligenda sunt. Hebræi totum hoc caput accipiunt de Judæis, eorumque captivitate tum Babylonica, tum Romana, eisque singula sigillatim adaptant. Audi S. Hieronymum avers. 9 cap. præced. hæc et sequentia omnia ex Hebræorum sententia iis adaptantem : « Lætare in juventute tua, o Israel, et fac illa, vel illa, de quibus jam dictum est, antequam captivitas adveniat, et a te tuus honor recedat et gloria, et judices et sancti tui, (quos in sole, et luna, et stellis intelligi volunt) auferantur a te ; antequam veniat Nabuchodonosor, sive Titus Vespasiani filius, accitus a prophetis, et eorum vaticinia compleantur. In die qua angeli templi præsides recedent, et turbabuntur robustissimi quique in exercitu tuo, et otiosa erunt eloquia magistrorum, et prophetæ, qui de cœlis solebant visionum suarum lumen accipere, contenebrescent; quando claudentur templi januæ et humiliabitur Jerusalem, et Chaldæus veniet quasi cantus volucris, ita Jeremiæ vocibus prophetatus; et conticescent filiæ cantici in templo psallentium chori; illo tempore, quando advenientes Hierosolymam, ipsi quoque hostes Dei pertimescent magnitudinem, et in via dubii, Sennacherib interitum formidabunt. Hoc enim dictum putant, et ab excelso timebunt, et formidabunt in via. In illis diebus florebit amygdalus : ille baculus et virga, quam Jeremias in prophetiæ suæ vidit exordio; et impinguabitur locusta, Nabuchodonosor cum suo exercitu; et dissipabitur capparis, amicitia Dei cum Israel. » Et paucis interjectis : « Lætare ergo, Israel, in juventute tua, antequam rumpatur funiculus argenteus, hoc est, donec gloria vestra vobiscum est; antequam recurrat vitta aurea, id est, antequam arca testamenti auferatur; priusquam conteratur hydria ad fontem, et convolvatur rota super lacum, id est, donec intra Sancta Sanctorum præcepta legis, et Sancti Spiritus est gratia, et antequam revertaris in Babylonem, unde in lumbis egressus es Abrahæ, et incipias in Mesopotamia conteri, unde et quondam profectus es, omnisque gratia prophetiæ, qua quondam fueras inspiratus, revertatur ad datorem tuum. » Verum hæc judaica sunt, et aliena a litterali genuinoque sensu.

Explicatur hoc caput de captivit. Judæorum.

Et de excidio orbis.

Rursum Thaumaturgus et Richardus de S. Victore, tract. *De Fine mundi*, putant hoc ænigmate describi excidium orbis, ejusque plagas et signa prævia judicio extremo. Audi Thaumaturgum : « Operæ pretium igitur ut, cum adhuc sis adolescens, Deum timeas, priusquam miseriis abjiciare, veniatque magnus ille et terribilis dies Domini ; quando, neque sol, neque luna, neque stellæ aliæ ultra fulgebunt. Movebuntur autem supernæ virtutes, angeli custodes mundi in tempestate et turbatione illa universi. Ita ut quiescant tunc tam viri potentes quam mulieres operariæ, et fugiant in tenebrosa domiciliorum penetralia clausis januis omnibus; et si qua molendo occupata prohibita fuerit timore nimio, gracili vocula, ut avicula parva clamabit. Omnes autem impuræ mulieres in terram cadent; similiter et civitates, et illarum sanguinarii magistratus vindictam superne exspectabunt, urgente acerbissimo cruentissimoque illo tempore, quod erit ut amygdalum florens. Tunc ita frequentia aderunt supplicia, sicut multitudo locustarum advolantium; et ita e medio abjicientur peccatores, ut nigra despicatissimaque capparis. Et bonus quidem vir in domum suam æternum gaudens proficiscetur; improbi vero omnia suo luctu complebunt, neque illis repositum argentum neque probatum aurum proderit. Magnus enim fons comprehendet omnia, quousque apud puteum stent hydria et vehiculum rotæ, quam continget quandoque confringi. Cum igitur cessabit cursus temporum per rotam, et vitæ per aquam signatus, et præterierit sæculum urnam gerens, et jacuerint homines super terram : tum erit una salus, si agnoverint animæ Conditorem suum, et ad eum revolaverint. » Hic sensus commodus est, sed mysticus; quare eo ut tali uti possunt concionatores in Adventu, cum agunt de fine mundi dieque judicii. Sensus ergo litteralis est de ærumnis senectutis, agoniæ et mortis, uti docent S. Hieronymus, Albinus, Lyranus, Hugo, Dionysius, Cajetanus, Vallesius, *Sacræ Philos.* cap. LXVI, et cæteri omnes, uno excepto Olympiodoro. Plane enim verba significant hic moneri juvenes, ut juventutem recte et sancte in Dei creatoris metu cultuque transigant, antequam obrepat senectus et mors. Sensus ergo est, *q. d.* Adolescens, qui in flore et vigore es ætatis, blanditur tibi voluptas, sollicitat Venus, instigant socii, titillat caro, impellit dæmon : quare ne iis succumbas, et teipsum perdas, memento Creatoris tui, quod scilicet Deus sit tuus creator, tu ejus creatura, quæ totum suum *esse*, quantum quantum est, debet Creatori, ab eoque tota pendet tam in esse, quam in *conservari* : sicut enim radius pendet ab assiduo influxu solis eum assidue producentis, sic et creatura pendet ab assiduo influxu et continua quasi productione Creatoris, adeo ut si Deus hunc influxum subtraheret, creatura in suum nihilum, ex quo a Deo per creationem educta et producta est, illico recideret et relaberetur, sicut radius abeunte sole illico perit et evanescit. Conservatio ergo creaturæ est continuatio creationis, et continua quasi ejus creatio. Si igitur, homo, creatura Dei es, memento te totum, quantus es, Dei esse, non tuum, non parentum, non alterius creaturæ. Redde ergo Deo quod suum est, redde teipsum, ut illum velut creatorem agnoscas, venereris, ames, colas, ejusque voluntati et legi per omnia obedias; ipse enim tuus erit judex, ac si ei servieris, cœlestem conferet gloriam; sin creaturam Creatori præposueris, ipse hanc sui injuriam æternis ignibus in te ulciscetur. Itaque Creatoris nomen habet emphasim; creationis enim titulus a crea-

tura exposcit et extorquet ut Deo creatori suo velut pleno et absoluto sui hero et domino præstet omnem submissionem, reverentiam, amorem, observantiam, timorem, fidelitatem, spem, obedientiam. Quocirca Moses acriter expostulans cum Israele : « Deum, inquit, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est. » *Deuter.* XXXII, 18. Hinc pro *creatoris* Septuaginta vertunt κτίσαντος, id est *ejus qui creavit;* pro quo Complutenses legunt κτήσαντος, id est *possessoris,* juxta illud Mosis ad Israelem : « Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? » *Deuter.* XXXII, 6. Pro *creatoris tui,* hebraice est כרֶאיך *borrecha,* id est *creatorum tuorum* in plurali, id est creatoris tui : Hebræi enim de Deo in plurali loquuntur reverentiæ et honoris causa, utque innuant pluralitatem personarum in eadem numero deitate. Hebræi in *Midras,* sive Glossa, nomine R. Akabia, per metathesin transponendo litteras, cabalistice sic legunt et exponunt : *Primo,* memento בורך *borecha,* id est fossæ tuæ, puta sepulcri tui, quod scilicet in hoc a vermibus sis exedendus : dum ergo laute carnem nutris, memento sepulcri et vermium qui te corrodent. *Secundo,* memento באֵרך *beerecha,* id est putei tui, unde es excisus, quod scilicet in fœtido matris utero ex vili spurcoque semine sis formatus : sic disces te humiliare, carnalia spernere, cœlestia ambire, ac ad Deum anhelare; sic sapientia, virtute et meritis parabis tibi sanctam jucundamque senectam. Nam, ut ait S. Ambrosius, lib. I *Hexam.* : « Senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis subtilior, ad constantiam subeundæ mortis potior, ad reprimendas libidines fortior. Infirmitas corporis, sobrietas mentis est. »

IN DIEBUS JUVENTUTIS TUÆ. — Semper quidem meminise debemus Dei creatoris, sed maxime in juventute, tum quia juventus cæca est, et immemor Dei, utpote voluptatibus addicta; tum quia a juventute pendet reliqua vita : quales enim sumus juvenes, tales erimus et senes; tum quia multi in juventute præmature moriuntur, quia mors ita prævolat, ut alias sæpe ætates antevertat; in quas proinde si memoria Creatoris differatur, prorsus auferetur. Sapienter Seneca, lib. *De Brevit.* cap. IV : « Non pudet, inquit, te ad reliquias vitæ tibi reservare, et id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est! Quæ tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia, et inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt? »

ANTEQUAM VENIAT TEMPUS AFFLICTIONIS TUÆ. — Syrus, *dies malorum;* Arabicus, *dies mali tui;* Tigurina, *tempora periculosa;* Septuaginta, *dies malitiæ;* Thaumaturgus, *priusquam miseriis objiciare;* Campensis, *antequam veniant dies pleni malis,* puta tempus senii et mortis, quando Deo de juventute tua exactam daturus es rationem, et pro meritis, vel præmia, vel supplicia æterna recepturus. Senectus enim est tempus afflictionis, quia mille morbis, tædiis et ærumnis est obnoxia; unde illud : « Senectus ipsa morbus est, » iisque incurabilis, et ut ait Nazianzenus in carmine *De Morbo* : « Siculis gravior est scopulis, » imo Ætna, ait Cicero, *De Senect.* Audi Nyssenum in funere Pulcheriæ Augustæ : « Sed forsitan angit te, quod ad senectutem (Pulcheria) non pervenit. Quid vero, dic mihi, pulchri cernis in senectute? an pulchrum prurire, ac fricare oculos? corrugari genas? et ex ore defluere dentes, et linguæ balbutiem ingenerari? manibus subtremiscere? ad terram incurvari? titubare atque subclaudicare pedibus? ducibus initi? desipere corde ac delirare? voce absurda et inepta pronuntiare? » Et S. Augustinus, lib. *De Catech. rud.* : « Cum homines, inquit, sibi optant senectutem, non aliud optant nisi longam infirmitatem. » Et Innocentius III Pontifex, lib. I *De Contemptu mundi,* cap. IX : « Si quis, ait, ad senectutem processerit, statim cor ejus affligitur, et caput concutitur, languet spiritus, et fœtet anhelitus, facies rugatur, et statura curvatur, et caligant oculi, et vacillant articuli, nares effluunt et crines defluunt, tremit tactus, et deperit actus, dentes putrescunt, et aures surdescunt. Senex facile provocatur, difficile revocatur, cito credit et tarde discredit, tenax et cupidus, tristis et querelus; velox ad loquendum, et tardus ad audiendum; laudat antiquos, spernit modernos; vituperat præsens, commendat præteritum; suspirat et anxiatur, torpet et infirmatur. » Hinc senium a philosophis vocatur *hiems ætatum* et *fæx vitæ.* Solon enim, rogatus « quid esset senectus, » respondit : « Est hiems vitæ. » Et Eratosthenes apud Phavorinum ait ætatis partem vigentem (adolescentiam) esse ver; eam autem partem, quæ vigori et flori succedit (virilem ætatem) esse æstatem et autumnum; senectutem vero esse hiemem. Ita Maximus, *serm.* 41, ubi et citat Gorgiam, qui rogatus qua ratione ad longam vegetamque senectam pervenisset, respondit : « Nihil unquam ad voluptatem edens, neque faciens. »

ET APPROPINQUENT ANNI, DE QUIBUS DICAS : NON MIHI PLACENT, — id est, qui mihi displicent, quia senium adducit tædium, tarditatem, oblivionem, incuriam, molestiam, ut omnia quæ prius erant voluptati, jam fastidium et dolorem creent, ac proinde vere senem segnem et seniorem segniorem vocare queas; quare tunc virtutis et pœnitentiæ labores, quos in juventute neglexisti capessere non voles, nec valebis, imo ob inolitas voluptatum consuetudines a peccatis juventutis tuæ avelli non poteris, uti pulchre docet S. Basilius, homil. 4 *De Pœnit.* Unde Campensis vertit, *antequam veniant anni, quibus nihil licebit boni facere.* Hinc senex omnibus, ac imprimis sibi ipsi est oneri, tædio, fastidio, quia senes sunt morosi, anxii, difficiles, suspicaces, iracundi. « Senium, ait Nonius, est tædium, et odium dictum a senectute,

quod senes omnibus odio sint et tædio. » Audi Hippocratem et Galenum in *Aphoris. Comment.* III, 31, octodecim senectutis ægritudines, singula membra infestantes, enarrantes : « Senibus sunt spirandi difficultates, distillationes cum tussi, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ alvi, oculorum et narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graves. » Addit *Comment.* II, 39, 40 : « Raucedines, nephritis, podagra, morbi articulares, coxendicum dolores, et quæ laxiori intestino, ac spleni frigidæ sunt dispositiones, et præterea crebri anhelitus, quos Græci asthmata vocant, tusses, dorsi curvationes, recurvationes et obliquationes, demum quæcumque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent. »

Gnomæ. Vide Stobæum, pag. 2, *serm.* 117, cujus titulus est : *Vituperium senectutis*, ubi has philosophorum decagnomas citat : Antiphanis : « Senectus est velut ara quædam malorum : ad ipsam enim omnia confugisse videre est; » Philomenis : « Ubi senem videris aut anum aliquam, statim scias quod male habeat; » Euripidis : « Quid aliud est vir senex, quam vox et umbra? Nos senes aliud nihil quam turba sumus, et figura tantum somniorumque simulacra serpimus; mens autem non est amplius, putamur vero non recte sapere. Ætas longa parit ægritudines infinitas; » Herodoti : « Ego vero imbecillis et incurvus sum : senectus enim nos detrahit, et velut umbra assistit; » Menandri : « Molestum est animal senex domi manens; » Sophoclis : « Nihil non mali senectæ longæ inhæret, mens vana, opera inutilia, curæ supervacuæ : senectus morosa est, querula, et pro minimis rebus anxia; » Mimnezeni : Tithono Jupiter malum immortale dedit senectam, quæ vel tristi morte magis est timenda; » Democriti : « Senium commoda imperfectio est : omnia habet et omnibus indiget; » Phavorini : « Longo tempore multum laboris accrescit; » Junci : « Jacet senex resolutus ætate, cibi potusque abstinens, inamabilis, nulla re cum jucunditate fruens : molestias vero nimis percipiens. Si quando autem in forum progredi ausus fuerit, risum videntibus movet, videns obtuse, clamantes non audiens, et dum eundo sustinere se conatur, concidens, de latere in latus titubando transiliens : quin etiam communem civitatis aerem lædere ac inficere dicitur. Nec si in concione sit inter tribules refertur; neque magistratum gerere potest, tum propter impedimenta jam dicta, tum quia gibbosus, rugosus, deformis et invalidus est. Animo autem, ut proverbium habet, repuerascit. In militia vero quid opus est referre, quam sine omni munere et nudus relinquatur? Non pedes, non eques constituitur, neque remex aut miles in navi. Nam vel sedere solum, imo jacere etiam non sine labore potest, cum conjuncta ei mors sit, et jamjam intra fores suas ipsum ducat. » Unde concludit : « Senecta est Ilias malorum. » His adde versus C. Laberii :

> Ut hedera serpens vires arboreas necat :
> Ita me vetustas amplexu annorum enecat.
> Sepulcro similis, nil nisi nomen retineo.

Et Comicus :

> Ad senectam, ut ad cloacam mala cuncta confluunt.
> Senex cum extemplo est, jam nec sentit, nec sapit.
> Senex quoque curis impar est levissimis.
> Senex vivendo multa quæ non vult videt.
> Senex ad rem, quam sat est, attentior.
> Soles duos videre se putat senex.
> Superesse senectus haud potest laboribus
> Suprema vita haud præterit, sed corruit.
> Veteres triremes littus abjectæ occupant.

2. ANTEQUAM TENEBRESCAT SOL, ET LUMEN, ET LUNA, ET STELLÆ, ET REVERTANTUR NUBES POST PLUVIAM. — Vers. 2. Τὸ *et lumen* exegesin habet; explicat enim quomodo tenebrescant sol, luna et stellæ, quia scilicet eorum lumen seni et moribundo obscuratur et tenebrescit. S. Hieronymus hæc refert ad finem mundi et diem judicii : tunc enim « sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur, » *Matth.* XXIV, 29; ac « sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem : antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis, » *Joel.* II, 31. Sic et Thaumaturgus, Olympiodorus, Cyrillus, *catech.* 15, et exactissime Richardus de S. Victore, lib. *De Fine sæculi*, qui singula, quæ hic dicuntur, diei judicii apposite applicat; qui rursum cum Thaumaturgo per siderum observationem accipit pestem, quæ inter alia signa prævia judicio a Christo prædicta est, *Matth.* Verum melius idem S. Hieronymus et cæteri hæc referunt ad tempus senii et mortis, cujus hic et in seq. viva est hypotyposis et repræsentatio : senibus enim caligant oculi, et hebetatur visus, ut eis solis lux, æque ac lunæ et stellarum, obscurari et tenebrescere videantur. Est hypallage, sol enim in se semper lucidissimus nunquam tenebrescit, sed tenebrosis senum oculis tenebrosus videtur : quia ipsi per internas oculorum tenebras internamque caliginem eum vident, ideoque caliginosum censent, et quia solis omniumque astrorum illuminatio ususque eis intercipitur ac perit : imo senes præ debilitate visus, deficientibus spiritibus opticis, sive visivis, eorum lucem amplius non valent sustinere. Ita Hebræi, Lyranus, Dionysius, Titelmannus et communiter alii. Quin et Chaldæus qui sic vertit : « Antequam mutetur splendor gloriæ faciei tuæ, qui assimilatur soli; et lumen oculorum tuorum antequam obcæcetur, et decor maxillarum tuarum antequam obtenebretur; et pupilla oculorum tuorum, qui assimilantur stellis, antequam exstinguantur : palpebræ oculorum tuorum stillabunt lacrymas, nubes post pluviam. »

Gnomæ. Huc pertinet adagium Arabum, *cent.* I, num. 44 : « Accende lucernam tuam ante tenebras, id est,

illumina te operibus bonis antequam superveniat tibi mors. » Et num. 23 : « Nata in aqua ante vesperam, id est, purificare pœnitentia ante migrationem e vita. » Et *cent.* II, num. 45 : « Cogita ingressum tuum in hunc mundum et egressum tuum ex ipso, quia tu de nihilo factus es homo, et momento fies tanquam non fueris. Item considera qui fuerint ante te reges, præfecti et nobiles; considera quomodo migrarint ex hoc mundo : tu vero sicut illi migrabis. » Et num. 33 : « Memento temporis morbi, et senectutis venientis post te : quia sapientia et scientia melior est quam ensis, et scientia excellentior quam opes, » *q. d.* Compara tibi sapientiam ut per eam providere et occurrere possis venienti senectæ, mortis judicio, et æternitati.

Symbolice. Primo. Symbolice, R. Salomon ex Chaldæo *solem obtenebrantem* interpretatur de senili et corrugata facie; *lunam* de naribus, quæ in senectute propter defectum spirituum lucidorum, et duritiem densitatemque cartilaginum, fuliginosæ et obscuræ sunt, ac minime translucent; lumen de anima, seu mente in discurrendo, ratiocinando, meditando, memorando languente et tenebrescente. Denique *stellas* de maxillis fuscis et denigratis, amisso jam vivido illo, et nitido adolescentiæ flore.

Secundo. R. Haccados vero per *solem* accipit cor, quod quasi sol virtutis suæ radios in totum corpus diffundit, sed in senibus tenebrescit et deficit; per *lumen* accipit lucidos et vitales spiritus, qui in cordis ventriculo ex purissimo sanguine elaborantur, et universum corpus pervadunt; *lunam* vero cerebrum, quod rotunditate, candore, fragilitate, humiditate commodissime lunæ imaginem repræsentat; *stellas* denique corporis sensus tam internos quam externos, quibus suum quoque cognitionis lumen inest. Hæc omnia si langueant, si hebescant, si vires, si robur amittant, si deficiant, ac nullum jam aut tenuem homini usum præstent, recte dicas « solem, lumen, lunam ac stellas tenebrescere. »

Tropologice. Primo. Tropologice, senibus tenebrescit et deficit lux mentis et rationis : unde subinde delirant; deficiunt eis quoque doctores et monitores, quia vix

Secundo. ullus audet senem docere vel monere. Rursum Hugo per tenebras accipit adversa et calamitates, item prolapsum ex vita honesta in vitiosam. Sic et S. Bonaventura, quin et S. Hieronymus quem audi : « Ne, cum peccaveris, occidat tibi sol justitiæ meridie, et scientiæ lumen intereat, et splendor lunæ, id est Ecclesiæ, subtrahatur, et stellæ occidant, de quibus scriptum est : Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, rationem vitæ habentes, » *Philip.* II, 15; et alibi I *Cor.* XV, 41 : « Stella a stella differt in claritate. Antequam revertantur nubes post pluviam : ne prophetæ, qui corda credentium suo sermone suisque pluviis irrigant, postquam te imbre suo indignum esse perspexerint, revertantur ad sedem suam, ad eum scilicet a quo missi sunt. » Peccatori enim obcæcato Christus, Ecclesia et sancti, omnisque sapientia, virtus et gratia tenebrosa videntur; quare similis est Harpastæ fatuæ, de qua scribit herus ejus Seneca, *epist.* 50 : « Hæc fatua, inquit, subito desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram; nescit esse se cæcam; subinde pædagogum suum rogat, ut migret, ait domum nigram et tenebrosam esse. Hoc, quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt; nos sine duce erramus, et dicimus : Non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitæ; adolescentia hæc facit! Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malum nostrum, intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus. »

ET REVERTANTUR NUBES POST PLUVIAM (1). — Chaldæus, *palpebræ oculorum tuorum stillabunt lacrymas, ut nubes post pluviam;* Campensis, *et caligo obtegat oculos tuos;* Lemnius, *caligo et nebula oculorum cum lacrymosa lippitudine.* Thaumaturgus et Richardus de S. Victore, tract. *De fine seculi*, per *reversionem nubium* accipiunt inundationem maris et fluminum, quæ erit prævia judicio extremo et fini mundi. Magis ad litteram Franciscus Valesius *Sacr. philos.* cap. LXVI, per *nubes post pluvium* accipit juges catharros, ex jugibus stomachi vaporibus generatos, quibus senes laborant ex defectu caloris : debilis enim calor non valet cibos concoquere. Quare illi in eruditates, vapores et fumos abeunt, qui elati in cerebrum ejus frigiditate, teste Galeno, in pituitam et catharrum resolvuntur. *Nubes* ergo significant vapores, *pluvia* catharros, vapores enim in catharros densantur, et distillant jugiter in senibus, cum juvenes vi roboris, quo abundant, eos desiccent et consumant. Addit Titelmannus per *nubes post pluviam* significari caliginem, et obvolutionem cerebri post multum aqueum humorem fletus, spontanei fluxus oculorum nariumque, phlegmatum excreationis, etc. Sic et Vatablus per *nubes* accipit caliginem oculorum, quæ solet sequi fletum in senibus. Denique moribundi illacrymant, adeoque involuntariæ morientium lacrymæ signum sunt instantis mortis, teste Hippocrate. Pineda, lib. VIII *De Rebus Salomonis*, cap. III, censet Salomonem hic describere suos in senio morbos, quos ex intemperantissima juventutis libidine contraxerat, ac hic notare suos frequentes et molestissimos catharros, alterum alteri succedentem, instar nubium revertentium post pluviam, ideoque, ultore Deo, gravi ex mœstitia diem, obiisse. Verum, ut initio libri dixi, incertum est

Nubes post pluviam sunt catharri.

(1) Id est, antequam continua molestiarum et morborum successio te fatiget, quemadmodum nubes et imbres toti naturæ lugubrem faciem induunt

qua ætate Salomon hunc librum scripserit; præsertim cum in senectute delirarit et luxuriosus idola coluerit, cum tamen hic e contrario Dei unius timorem et cultum ex professo inculcet: quare ante lapsum, qui contigit in senio, hæc dictasse videtur: si enim post lapsum in extrema senectute pœnituisset, utique pœnitentiæ et doloris sui manifesta dedisset signa, quæ tamen nusquam est reperire. Ita multi, licet alii aliter sentiant.

Symbolice, Isidorus Clarius *nubes post pluviam* sic explicat, *q. d.* Serenum quoque post pluvias cœlum senibus, quibus oculi caligant, nubilum videtur. Moringus vero per *nubes post pluvias* accipit varios senectutis morbos, sibi vicissim succedentes. Denique Lyranus accipit tribulationem mortis super tribulationem senectutis.

Tropologice, S. Hieronymus accipit defectum doctrinæ: verba ejus paulo ante recitavi. Rursum nubes post pluviam sunt minæ et supplicia, quæ Deus peccatori cæco et ingrato immittit, eo quod pluviam cœlestium illuminationum, gratiarum et beneficiorum respuerit, imo iis abusus sit ad suas voluptates contra Deum Deique honorem.

Vers. 3. 3. QUANDO COMMOVEBUNTUR CUSTODES DOMUS, ET NUTABUNT VIRI FORTISSIMI, ET OTIOSÆ ERUNT MOLENTES IN MINUTO NUMERO, ET TENEBRESCENT VIDENTES PER FORAMINA. — Pro *commovebuntur*, Pagninus vertit, *commovebunt se*; Cajetanus et Tigurina, *trement*; Campensis, *debilitati fuerint*. Hebræi, qui censent hic describi excidium Jerusalem per Titum, per *custodes* accipiunt angelos, quorum voces paulo ante urbis excidium in templo auditæ, dicentium : « Migremus hinc, » teste Josepho, lib. VII *Belli*, cap. XII. Simili modo Thaumaturgus, qui censet hic describi excidium orbis et signa prævia judicio, per *custodes* accipit angelos mundi præsides, de quibus ait Christus : « Virtutes cœlorum commovebuntur, » *Matth.* XXV, 29. Olympiodorus vero : Custodes domus, inquit, id est prælati et sancti eximii, qui Ecclesiam custodiunt, visis tot plagis, ac præsertim Antichristo, trepidabunt, aliqui etiam a fide deficient. Verum cæteri omnes censent hic describi ærumnas senectutis, prævias morti.

Custodes domus qui? Resp. primo. Quæres quinam sint custodes domus, id est corporis : hoc enim est domus, in qua habitat anima, quæ proinde suos habet custodes, qui illam custodiant, ne morbo aut vi ex ea expellatur. *Primo*, Cajetanus accipit memoriam, vigilantiam, et providentiam, hæc enim suam domum, id est corpus custodit a cœli, morborum et hostium injuriis, atque in senibus vacillat et deficit. Secundo. *Secundo*, Olympiodorus accipit oculos ac vires animæ; Moringus, vires corporis : hæ enim omnes in corpore, quasi in domo sua morantur. Tertio. *Tertio*, Hugo accipit vim nutritivam et appetitivam, item nervos et spiritus; R. Haccados, musculos cum nervis, quibus vestiuntur et quasi custodiuntur ossa. Quarto. *Quarto*, S. Hieronymus, Albinus, Glossa et S. Bonaventura accipiunt costas et ossa : hæc enim ventrem tenerum et intestina custodiunt et vallant, totamque carnem suffulciunt; unde Chaldæus vertit, *contremiscentes coxas*. Quinto. *Quinto*, Dionysius proprie accipit familiares et domesticos, qui senem et moribundum custodiunt. Sexto. *Sexto* et magis apposite, Lyranus, Titelmannus et Vallesius, *S. Philos.* cap. LXVI, accipiunt omnes sensus : omnes enim, sed præsertim oculi et aures, quasi custodes et vigiles excubant, ne quid in corpus noxæ ingrediatur; hi pariter in senibus commoventur, quia hebetantur, læduntur, deficiunt, ut res sensibiles vix percipiant et sentiant, iisque dolore afficiantur et lædantur. Unde Auctor *Catenæ Græc.*: « Tunc, inquit, robusti animæ sensus præ exitus angustiis fluctuabunt. » Audi Plinium, lib. VII, cap. L : « Natura nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius. Hebescunt sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta. » Excipit tamen Xenophium musicum, quem asserit 105 annis vixisse sine ullo corporis incommodo; subditque « senes minime sentire pestilentiam. » Porro sensus omnes maxime vigent in capite; in eo ergo sunt custodes domus, puta corporis; hinc Pineda per commotionem custodum accipit tremorem capitis, quo laborant senes. Verum quia præcipui sensus, puta aures et oculi, notantur vers. 4 per *filias carminis* et *videntes per foramina*. Hinc *septimo* magis distincte, magisque ordinate et congrue cum Clario, Vatablo et Emmanuele Sa, per *custodes* hos corporis accipias manus et brachia : hæc enim recte junguntur viris fortissimis, id est cruribus; hæc pariter custodiunt corpus, tum quia ab eo amovent arcentque omnia noxia; tum quia laborando illi victum, vestitum, domum cæteraque ad ejus incolumitatem, conservationem et custodiam necessaria vel utilia procurant; tum quia pugnando illud ab hostibus defendunt et propugnant. Porro brachia et manus in senibus commoventur, quia fiunt tremula, chiragrica, contracta, ignava, curva, rugosa, macilenta, rigida. Septimo, genuine.

Tropologice, custodes domus spiritalis, puta animæ sanctæ, sunt tum angeli tutelares, qui eam post negligentiam et contemptum suarum inspirationum deserunt dicentes : « Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus eam, » *Jerem.* LI, 9; tum sensus spiritales mentis, qui in justo, tepido et pigro, ac magis in peccatore hebetantur, ita ut nec videat, nec audiat, nec olfaciat, nec tangat, nec gustet res salutiferas, cœlestes et divinas : quod certum est signum ac præ-nuntius instantis illi ruinæ et mortis.

ET NUTABUNT VIRI FORTISSIMI. — Hebræa, *et pervertentur viri virtutis;* Septuaginta, *viri fortissimi;* Symmachus, *perierunt viri fortes;* Aquila, *errabunt viri fortitudinis;* Syrus, *perturbabuntur domini fortitudinis;* Arabicus, *redibunt viri potentiæ;* Olympiodorus, *in obliquum depravati fuerint potentes;* Cajetanus, *incurvabuntur;* Pagninus, *incurvabunt*

se; Tigurina, *vacillabunt;* Campensis, *viribus suis destituentur membra, quibus nunc valemus.* Hebræi id exponunt de fortissimis Judæorum cæsis vel captis in excidio Hierosolymæ. Alii dæmones accipiunt, qui contremiscent in die judicii, damnandi a judice. Alii viros potentes, sapientes et sanctos, qui vel cadent a fide in persecutione Antichristi, vel percellentur signis et plagis terribilibus, quas Deus orbi impio immittet, ut eum deleat et perdat in fine mundi. Verum hæc spectant ad ærumnas senectutis : unde Chaldæus per *viros fortissimos* nutantes accipit brachia, quæ tremunt in senibus; Cajetanus, incurvationem et decrementum corporis; Moringus, virium defectum. Carthusianus proprie ait, viros qui in virili ætate fuerant robustissimi, in senio nutare, et robore destitui. Optime per *viros fortissimos* accipias crura et tibias : hæc enim sunt fortissima hominis membra, quæ in senibus præ corporis pondere vacillant, deficientibus spiritibus animalibus et motivis, ac vigore juvenili siccato. Hinc crura claudi a Petro sanati vocantur *bases, Act.* III, 7. Rursum crura vocantur « columnæ, » *Cant.* V, 15. Ita S. Bonaventura, Albinus, Lyranus, Hugo, Titelmannus et Vallesius, cap. LXVI *S. Philos.* Accedit Aristoteles in *Physiogn.*: Quicumque, inquit, habent crura articulata, nervosa et robusta, fortes sunt secundum animam, referuntur ad masculinum. Item qui habent coxas osseas et nervosas, fortes sunt. Qui habent pedes magnos et nervosos, fortes sunt; qui parvos et strictos, molles : pertinent ad feminas; quibus digiti pedum curvi sunt, inverecundi, referuntur ad aves curvorum unguium; quibus digiti pedum conjuncti, sunt timidi, referuntur ad coturnices. Addıtque : Leo fortissimus animalium crura habet fortia et carnosa, gressum juvenilem; ambulans autem tarde et magnifice incedit, et se in humeris quatit. Hucusque Aristoteles.

Tropologice in justis torpidis et peccatoribus nutant viri fortissimi, deficiunt labantque, id est virtutes, quæ sunt quasi ossa et nervi, id est robur et fortitudo animæ, ac præsertim patientia, magnanimitas, constantia; quorum loco succedit impatientia, pusillanimitas et inconstantia levitasque animi, quia temere a bonis ad mala, a virtutibus ad vitia transiliunt.

ET OTIOSÆ ERUNT MOLENTES IN MINUTO NUMERO. — Hebræa, *et cessabunt molares, quia diminutæ erunt* (1); Symmachus, *et cessaverint molæ;* S. Hieronymus in priori edit., *et cessabunt molentes.* Thaumaturgus et alii hæc referunt ad mulieres operarias, scilicet ad molitrices, quæ juxta morem Palæstinæ fruges ad molam sedendo conterebant, *q. d.* Molitrices cessabunt molere ob defectum frumenti, quia erit summa caritas annonæ, qualis fuit in excidio Jerusalem per Titum, eritque in excidio orbis sub diem judicii.

(1) *Diminutæ*, scilicet numero et viribus.

Mystice Olympiodorus refert ad Judæos, qui quasi in pistrino molentes, grave jugum tum legis, tum servitutis subeunt; in excidio enim ad paucos redacti, sparsique per omnes gentes, ubique tractantur ut servi vel mancipia.

Molentes sunt dentes.

Verum ad litteram notat vitium senectutis, scilicet dentium paucitatem et hebetationem; unde senes vocantur *edentuli* : dentes enim sunt quasi molares, qui masticando molunt cibum; horum multi senibus excidunt, deteruntur vel putrescunt, ideoque minuto sunt numero et pauci. Hinc Chaldæus vertit, *dentes tui hebetiores fient, et ad cibum mandendum infirmi.* Dentes enim in senibus laxantur luxanturque, fiuntque cariosi et corrosi, itaque decidunt, aut ad mandendum fiunt inepti.

Mystice, S. Hieronymus per *molentes* accipit doctores, qui populo doctrinam sacram explicando, velut dentes aperiunt et comminuunt; hi minuentur, quando per mortem molentium, id est magistrorum, « una assumetur, et una relinquetur, » *Matth.* XXIV, 41. Cæteri qui supererunt involventur tenebris, ac quasi per tenebrosa foramina veritatem aspicient. Rursum per *molentes* qui cibum masticant et ruminant, accipias meditationem et ruminationem S. Scripturæ, concionum rerumque divinarum : hæc enim deficit et languet in justo pigro, et magis in peccatore.

ET TENEBRESCENT VIDENTES PER FORAMINA. — Hebraice בארבות *baarubboth*, id est *in foraminibus*, vel *fenestris et speculis;* Syrus, *tenebrescent visiones in fenestris;* Chaldæus, *obscurabuntur oculi tui, qui vident per foramina capitis tui;* Auctor *Catenæ Græc., oculorum pupillæ obscurabuntur;* Campensis, *cum visus deficere cœperit, qui nunc veluti ex cavernulis prospectat;* Tigurina, *speculantes per fenestras.*

Hebræi per *videntes* intelligunt prophetas qui defecerunt in excidio Jerusalem. Thaumaturgus : Sub diem judicii, inquit, omnes metu plagarum perculsi fugient in tenebrosa domorum penetralia, clausis fenestris omnibus; ita ut nemo, ait Richardus Victorinus, audeat ostia domus aperire et per ea aspicere : arescent enim homines præ timore et exspectatione eorum, quæ supervenient universo orbi, *Luc.* XXI, 26; quare tunc hominum commercia cessabunt.

Videntes per foramina sunt oculi.

Verum dico *videntes* esse oculos, vel pupillas oculorum cum suis nervis opticis : oculi enim vident per sua foramina, id est concavitates superciliorum quibus inserti sunt; pupillæ vero vident per tunicam corneam, quæ fenestrata est. Jam, tam oculi quam pupillæ caligant in senibus. Unde Chaldæus clare vertit, *caligabunt oculi tui, qui vident per cancellos capitis tui.* Nam, ut recte docet Vallesius, cap. LXVI, senibus tum ex siccitate, tum ex excrementorum congestione crassescunt succi oculorum, atque membranæ anteriores durescunt et corrugantur; unde accedente præsertim inopia, spirituum fulgor amittitur, nonnullis etiam obturantur nervi optici. Senibus ergo tene-

brescunt oculi; tum quia exiguo spirituum lumine perfunduntur; tum quia humor crystallinus crassescit et obscuratur, ait R. Haccados, albumque ipsum oculorum velut nigrescit et decoloratur. Nam, ut ait Galenus, lib. VI *De Morbis vulgar.* Comment. IV, 28 : *Animalis spiritus* luminosus e cerebro in oculos plurimus proficiscitur; quo deficiente, et ob frigiditatem nigrescente sanguine, nigrescunt pariter et tenebrescunt oculi. Quare rarum et mirum est quod de Mose, moriente anno ætatis 120, dicitur *Deuteron.* XXXIV, 7 : « Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. »

Oculi ultimo formantur.

Porro oculi ultimo formantur in embryone, et primo in homine moriuntur; ex adverso cor est primum vivens, et ultimum moriens : homine enim moriente, sensim vita et vitalis spiritus ab extimis partibus redit ad intima et ad suum principium, puta ad cor; ibique ubi cœpit, emoritur et exstinguitur. Denique in oculis lucent cor, anima et vita; unde oculis connivere, ait Aristoteles, symbolum est timidi; oculis esse fixis, signum constantis et interriti; quibus ab oculis tanquam vesiculæ dependent, amatores sunt vini; quibus vehementer cadunt, amatores somni. Oculi parvi indicant pusillanimes: referuntur ad simiam; sicut oculi valde magni, stolidos : referuntur ad boves; oculi concavi indicant malefícos : referuntur ad simiam; oculi eminentes, fatuos : referuntur ad asinos; oculi parum concavi, magnanimos : referuntur ad leones; quibus vero plus, mansueti. Huc usque Aristoteles in *Physiognom.* Et Plinius, lib. XI, cap. XXXVII : « Oculi, inquit, lucis usu vitam distinguunt a morte; » et rursum : « Profecto in oculis animus inhabitat. Animo cernimus : oculi ceu vasa quædam, visibilem ejus partem accipiunt, atque transmittunt : sic magna cogitatio obcæcat, abducto intus visu. Sic in morbo comitiali, aperti nihil cernunt, animo caligante. » Hisce Salomonis de sene et senectute ænigmatibus similia sunt de homine ænigmata apud B. Alcuinum, sive Albinum Flaccum, *Disp. cum Pipino*, Caroli Magni filio : « Quid, inquit, est homo? mancipium mortis, transiens viator, loci hospes. Cui similis homo? pomo. Quomodo positus est homo? ut lucerna vento. Ubi est positus? intra sex parietes : quos? supra, subtus, ante, retro, dextera lævaque. Quot habet socios? quatuor : quos? calorem, frigus, siccitatem, humorem. Quot modis variabilis est? sex : quibus? esurie et saturitate, requie et labore, vigiliis et somno. Quid est somnus? mortis imago. Quid est libertas hominis? innocentia. Quid est caput? culmen corporis. Quid est corpus? domicilium animæ : quid sunt comæ? vestes capitis. Quid est cerebrum? servator memoriæ. Quid sunt oculi? duces corporis, vasa luminis, animi indices. Quid sunt nares? adductio odorum. Quid sunt aures? collatores sonorum. Quid est frons? imago animi. Quid est os? nutritor corporis. Quid sunt dentes? molæ morsorum. Quid sunt labia? valvæ oris. Quid manus? operarii corporis. Quid digiti? chordarum plectra. Quid est pulmo? servator aeris. Quid est cor? receptaculum vitæ. Quid est jecur? custodia caloris. Quid est fel? suscitatio iracundiæ. Quid est splen? risus et lætitiæ capax. Quid sunt crura? columnæ corporis. Quid est sanguis? humor venarum, vitæ alimentum. Quid sunt venæ? fontes carnis. »

Tropologice, per oculos corporis accipias oculos mentis, qui sunt intelligentia, vigilantia, fides, prudentia, providentia rerum futurarum, quæ ad salutem pertinent, ac præsertim instantis mortis, judicii, gehennæ, etc., quæ omnia tenebrescunt et obscurantur in justo torpido, et magis in peccatore.

Vers. 4. 4. ET CLAUDENT OSTIA IN PLATEA, IN HUMILITATE VOCIS MOLENTIS, ET CONSURGENT AD VOCEM VOLUCRIS, ET OBSURDESCENT OMNES FILIÆ CARMINIS (1). — Septuaginta, *in infirmitate vocis molentis*; Syrus, *per depressionem vocis molentium*; Arabicus, *in imbecillitate vocis molentis.* Hebræi, qui hæc omnia referunt ad excidium Jerusalem, explicant de clausis templi ostiis. Mystice Olympiodorus exponit de obstinatione Judæorum, quibus proinde clausum est salutis ostium, dum versantur in platea, id est in foro præsentis vitæ legisque judaicæ. Thaumaturgus vero et Richardus Victorinus, qui hæc referunt ad diem judicii, accipiunt de timore plagarum ultimarum mundi, quo omnes perculsi claudent ostia domus suæ; aut de fame, ob quam molentes claudent ostia molendini, ne vicini vocem molentis audientes ad rapiendam farinam accurrant. Accedit Hugo Cardinalis, qui accipit de claudendis ostiis domorum, tabernarum ac templorum ob metum Antichristi, ita ut nemo publice docere, et, ut ait S. Bonaventura, fidem profiteri audeat.

Resp. primo.

Verum cæteri hæc congruentius ad litteram accipiunt de ærumnis senectutis et mortis. Unde *primo*, Vatablus per *ostia in platea* et *humilitatem vocis molentis* accipit os, nares, labia et cibum qui moli amplius a senibus nequeat, nec molarum audiri sonus dum masticatur, et dentibus (unde et *molares* vocantur) teritur cibus. *Secundo*, Olympiodorus per *ostia in platea* accipit meatus spirituum vitalium, qui necessarii sunt ad sentiendum et ad movendum corpus : hi enim ob-

Secundo.

(1) Koheleth senectutis molestias ita describere pergit, ut domus imago in membro vers. 4 priore continuetur. *Et clauduntur valvæ in platea*, id est extrinsecus. Valvæ sunt *labia* quæ edentuli senes habent compressa introrsumque reducta, nec ea libenter ad faciendum sermonem aperiunt. *Dum attenuatur sonitus molæ*, id est, vox, quæ ob dentium defectum submissa, mussitans et rauca est; *et assurgit* vox *in vocem aviculæ* : quo describitur vox senum pipiens et exigua (alii, *et surgit*, scilicet senex, *ad vocem aviculæ*, summo mane,) *et deprimuntur omnes filiæ cantus*, id est, concentus musici exiles ei surdo et hebeti sonant; alii, *omnes filiæ cantus*, id est, omnia pronuntiationis adjumenta.

struuntur in senibus; unde sequitur exilis vox, debilis sensus et motus. Unde Chaldæus vertit, *et erunt impediti pedes tui, ne egrediantur foras.*

Tertio. *Tertio*, Hebræi per *humilitatem vocis* accipiunt ructus et murmur stomachi, cujus est molere et digerere cibum : hic enim, cum in senibus sit frigidus et debilis, cibum concoquere nequit, sed eum in flatus ructusque convertit. Sic et Clarius per *humilitatem vocis molentis* accipit debilitatem facultatis digestivæ ad concoquendum cibum; et Chaldæus, *auferetur*, inquit, *a te appetitus cibi* : debilitatem enim sequitur inappetentia. Et Campensis, *ubi claudi cœperint januæ plateæ, per quam it cibus, ubi perierit latratus stomachi, et homo tam debilis factus fuerit, ut excitetur ad vocem aviculæ.*

Quarto. *Quarto*, S. Hieronymus : « Clausas in plateis januas, inquit, infirmos senis gressus accipi volunt, quod semper sedeat et ambulare non possit; *humilitatem* autem *vocis molentis* de mandibulis interpretantur, quod cibum terere nequeat, et vix, spiritu coarctato, vox ejus tenuis audiatur. » Accedit Glossa interlinearis : Juvenes, inquit, in plateis solent ludere; at senes hos lusus fugiunt, et, clauso ostio, mœsti

Quinto. domi desident. *Quinto*, Vatablus accipit de duplici narium foramine quasi ostio, quod senibus sæpe obstruitur pituita, distillante coriza sive catar-

Sexto. rho. *Sexto*, Pineda censet jecur esse *plateam*, aut forum, in quo est universi officina, ex quo universum corpus alimenta capit; *ostia* vero *clausa* esse venas, quæ propter inopiam sanguinis in senibus flaccescunt, et quasi vacuæ et exhaustæ

Septimo. complicantur et comprimuntur. *Septimo*, valde apposite alii *ostia clausa in platea* referunt ad meatus vitalium operationum sensuumque in senio et agonia mortis occlusos, scilicet ad oculos clausos, os clausum, clausas nares et aures. *Platea* vero est facies tota aperta et conspicua, variis sensuum et facultatum, quasi ostiis et officinis

Octavo et genuine. distincta. *Octavo*, præcise et genuine ostia interna sunt arteriæ vocales, externa sunt labia, quæ sunt *ostia plateæ*, id est colli et pectoris, quod metaphorice ob latitudinem foraneam patentem et apertam vocatur *platea*, sicut Plato nomen accepit ab humerorum latitudine, cum antea Aristocles nominaretur: πλατὺς enim græce est *latus*. Pro *ostia* hebraice est דלתים *delataim*, duale, id est duo ostia, per quæ proprie notat duo labia: hæc enim proprie sunt duo capitis pectorisque ostia, per quæ ingreditur et egreditur aer, halitus et vox; notat quoque duas arterias, unam stomachalem, puta gulam qua cibus transmittitur in stomachum; alteram vocalem, qua attrahitur anhelitus : utraque in senio et morte clauditur, *q. d.* Senibus et moribundis constringuntur et clauduntur labia, æque ac arteriæ; clauduntur, inquam, tum ob defectum caloris et spirituum, tum ob pituitam et catarrhum, quo cadente in arteriam et fauces, plerique omnes in morte suffocantur, dum eum ob defectum virium expuere et ejicere non valent, ideoque respirare nequeunt, itaque suffocantur. Denique per *plateam* optime accipias ipsam arteriam, tum vocalem, tum stomachalem, sive gulam, quia per stomachalem, quasi per plateam, cibus ex ore ambulat et transit in stomachum; per vocalem, halitus ex ore transit ad pulmones, ut refrigeret cor : jam *ostia plateæ* erunt orificia, sive extremitates utriusque arteriæ, sive ejus initium, et finis in stomacho vel pulmone; in senio et morte utrumque hoc orificium clauditur : quo fit ut homo nec respirare, nec comedere, nec vivere valeat. *In humilitate*, id est ob humilitatem, vel cum humilitate, hoc est, cum tenuitate et exilitate vocis, quam causat humilitas, id est exilitas molentis, id est pulmonis debilitas et contractio : pulmo enim est quasi respirationis et vocis mola, sed senibus vocem debilem efficit, quia debilitatus eis parum aeris attrahit et inspirat. Ita Cajetanus. Aut *molentis*, id est mandibulæ : mola enim aeris et vocis interior est pulmo, exterior est maxilla sive mandibula, quæ est sedes dentium : ii enim cum senibus sint pauci et debiles, spiritum vocalem non satis repercutiunt; sed sinunt effluere, quo fit ut vox articulate et distincte non sonet, sed effluat et confuse audiatur. Ita Lyranus, Hugo Victorinus, Dionysius et alii. Rursum arteriæ in senibus sæpe, distillante pituita, clauduntur; unde in iis oriuntur raucedines, crebri anhelitus, asthma et tusses, quæ senes comitantur usque ad mortem, teste Hippocrate et Galeno: hæc enim omnia vocem vel raucam, vel exiguam efficiunt. Accedit ad priorem de labiis sensum Vallesius, cap. LXVI *Sacræ Philosophiæ* (qui tamen per *plateam* accipit faciem expansam et obviam omnibus), qui senibus ostia claudi ait, dum ipsi labia, ut loqui possint, comprimunt introrsum, sicque vacua loca dentium obturant, ut spiritum vocalem labiis quasi dentibus repercutiant et collidant; itaque vocem edunt, sed humilem, id est mollem et tenuem ob labiorum mollitiem. Nec longe abit Titelmannus, qui per *plateam* accipit spatium inter labia, puta rictum et hiatum oris per quem, tum cibus, tum aer ad respirandum et loquendum ingreditur et egreditur : hic enim arctatur et clauditur in senibus; hinc sequitur humilitas vocis, nam præ nimio frigore sic constringuntur, inquit, morientis labia, sic obdurantur præcordia ex quibus vox procedit, ut vix tenuem per os vocem emittere queant. Auctor *Catenæ Græc.* vertit, *et omnis vitæ præsentis intercluditur via; ipse vero exsibilante inter dentes voce, loqueris exiliter et obscure.*

Mystice, S. Hieronymus hæc accipit de virginibus fatuis, quæ, cum tardarent accipere oleum, ostia domus nuptialis invenere clausa, *Matth.* cap. XXV, vers. 11.

Tropologice, *ostia in platea*, id est arteriæ et labia clauduntur in justo socorde et in peccatore, quia ambo tardi et segnes sunt ad orationem, ut

Deum invocent, laudent, illique gratias agant, de eoque ac rebus divinis cum aliis colloquantur; hinc colloquia pia fastidiunt et fugiunt, quod signum est mortis animæ imminentis; quod si aliquando ob socios coacti de Deo loquantur, ita invite, frigide, languide, insipide id faciunt, ut quasi molere videantur.

ET CONSURGENT AD VOCEM VOLUCRIS. — Septuaginta, *consurgent ad vocem passeris*; Chaldæus, *vigilabunt à somno propter vocem latronum, qui ambulant in nocte*. Hebræi, hæc referentes ad excidium Jerusalem, exponunt, *q. d.* Judæi surgent, ut eant in captivitatem Babylonicam, excitati voce Jeremiæ eamdem prædicentis et comminantis.

Olympiodorus et Auctor *Catenæ Græc.*, *et* S. Cyrillus, *catech.* 15, referentes ad excidium orbis, exponunt de resurrectione, quæ fiet Archangelo tuba canente : « Surgite, mortui, venite ad judicium; idque jussu passeris, id est Verbi divini, quod carneum corpus assumpsit; qui propter suam solitariam in cruce mansionem de seipso dixit : Factus sum sicut passer solitarius in tecto, » id est in cruce, *Psalm.* CI, 8. S. Bonaventura exponit de iis qui prædicationem Antichristi excipient in nocte infidelitatis; alii de iis qui, ejus voce audita, præ metu effugient. Hic sensus mystice appositus est. Verum ad litteram loquitur Salomon de ἀγρυπνίᾳ et levi somno senum, *q. d.* Senes ob desiccatum cerebrum, ac debilitatem caloris et defectum spirituum, aut ob vaporum ex stomacho ad cerebrum ascendentium, illudque agitantem copiam, levis exiguique sunt somni; unde ad vocem volucris, v. g. galli gallinacei aut passerculi expergiscuntur seseque erigunt, ut naturæ necessitatibus, præsertim ad levandam urina vesicam satisfaciant. Ita Hugo, Bonaventura, Dionysius, Titelmannus, Vallesius, Cajetanus, Arboreus et cæteri. Audi S. Hieronymum : « Porro consurgere eum ad vocem volucris ostendit, quod frigescente jam sanguine et humore siccato, quibus materiis sopor alitur, ad levem sonitum evigilet, noctisque medio, cum gallus cecinerit, festinus exsurgat, nequaquam valens strato sæpius membra convertere. »

Tropologice. Tropologice, S. Hieronymus : Per pœnitentiam consurgit e somno vitiorum peccator, excitatus voce presbyteri, vel Episcopi, ac præsertim Christi qui in peccatoris corde clamat : « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus, » *Ephes.* V, 14. Aptius hæc accipias de justo torpente et peccatore, qui ad vocem volucris, id est rei sensualis, levis et vanæ, excitatur, ut cantilenis, carminibus et fabulis vanis intendat, res veras et salutiferas fastidiens.

ET OBSURDESCENT OMNES FILIÆ CARMINIS. — Syrus, *filiæ gloriæ*; Arabicus, *filiæ divitis*; Vatablus, *filiæ vocis*; Campensis, *organa cantus*; S. Hieronymus in priori editione vertit, *obmutescent*, ut scilicet non possint canere carmina, uti solebant. Hebraice est יִשְׁחוּ *iisschu*, id est *humiliabuntur, deprimentur*, vel *incurvabuntur*; Tigurina, *supprimentur*. Hebræi exponunt, *q. d.* Cessabunt in templo psallentium chori, cum Judæi adducti fuerint in captivitatem. S. Bonaventura vero, *q. d.* Tempore Antichristi veritas non audietur, vel potius audita non exaudietur. Plenius Olympiodorus de die judicii sic exponit : « Tunc humiliabuntur filiæ cantici, hoc est animæ rationales mortalium hominum, quæ in deliciis, et in voce organi, et cantus suavitate musicisque instrumentis oblectatæ nimium fuerint. Aut animas intellige falsa docentium magistrorum ac mendacium prophetarum, quæ sonora volubilitate verborum, quasi dulci quodam cantico, perniciosa voluptate occuparint aures et animum auditorum. Sed et ipsæ Judæorum animæ, quæ filiæ sunt cantici prophetarum, humiliabuntur, quoniam non audierunt canentes prophetas, et vocantes eas ad fidem Christi, sicut cecinit Isaias : Cantabo dilecto canticum dilecti; et quæ sunt generis ejusdem. Omnes itaque prædictæ peccatorum animæ admirabuntur et obstupescent, quando adducentur in viam judicii, et videbunt ex alto venientem in nubibus Filium hominis in gloria Patris sui. » Hæc apte, sed mystice; ad litteram enim loquitur de defectu auditus in senibus.

Filiæ carminis, quæ? Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto, genuine.

Quæres, quænam sint filiæ carminis : *primo*, Thaumaturgus accipit cantatrices, quæ molli dulcique cantilena se suosque oblectant : « Omnes impuræ mulieres, inquit, in terram cadent. » *Secundo*, Cajetanus accipit musicæ instrumenta, quorum sonus senibus obsurdescit. *Tertio*, Vatablus ex Aben-Ezra accipit arterias vocales, guttur et labia, quibus canuntur carmina, *q. d.* Cantus in senibus deficit, quo tamen juvenes pasci delectarique solebant. Unde Chaldæus vertit, *et remittentur labia tua a dicendo cantico*. *Quarto*, filiæ carminis sunt ipsa carmina, sicut filius hominis est homo, *q. d.* Senes non cadent, nec audient cantum, uti solebant, dum essent juvenes. *Quinto* et genuine, filiæ carminis sunt aures : tum quia aures ad hoc unum factæ sunt ut voces et carmina audiant, quare ex eis natæ, earumque filiæ esse videntur : objectum enim delectabile, v. g. cantus efficit in auribus sensationem, puta auditionem delectabilem; quare ejus quasi parens et mater esse videtur. Unde Aquila vertit, *et inclinabuntur omnia quæ ad cantationem faciunt*, *q. d.* Omnis concentus musicus, omnisque harmonia obsurdescit senibus, quia surdæ ipsorum aures eum vix audiunt, nec amplius eo delectantur : auribus enim senum idem contingit, quod de oculis dixi vers. 3 : ac insuper in auribus præ senio tabescit internus et congenitus aer, in quo fit sensatio sive auditio, ait Vallesius. Hinc ergo oritur in senibus musices fastidium. Audi S. Hieronymum : « Obmutescere quoque, sive, ut melius habetur in Hebræo, surdescere filias carminis, aures significat : quod gravior senum auditus fiat, et nulla inter voces valeant scire discrimina,

nec carminibus delectari. Quod quidem et Berzellai loquitur ad David; nolens transire Jordanem, II *Reg.* XIX, 34. Vere Plato in *Axiocho* : « In senectam, ait, quod in natura ruinosum est, se confertim effundit, ut nullis remediis possit averti, etc., et ab aliis visum, ab aliis auditum, sæpe utrumque tanquam pignus exigit. »

Tropologice. Tropologice in justo socorde et magis in peccatore obsurdescunt aures, ut nec monitores, nec Dei inspirationes, nec conscientiæ occlamantis voces de cavendo peccato, de pœnitentia, de emendatione vitæ audiat, quia plane inhiat suis concupiscentiis; quare surdus est ad voces cœlestes angelorum, dum totus intentus est ad cantilenas vanas Sirenum, id est voluptatum, quibus inescatus et dementatus est.

Vers. 5. 5. EXCELSA QUOQUE TIMEBUNT, ET FORMIDABUNT IN VIA, FLOREBIT AMYGDALUS, IMPINGUABITUR LOCUSTA, ET DISSIPABITUR CAPPARIS : QUONIAM IBIT HOMO IN DOMUM ÆTERNITATIS SUÆ, ET CIRCUIBUNT IN PLATEA PLANGENTES. — Pro *timebunt* hebraice est יראו *iirau*, pro quo Septuaginta et Symmachus legentes alio puncto יראו *irui* vertunt, *videbunt*. Unde Symmachus, *super hæc etiam de excelso videbunt, et erit terror in via*; Campensis, *tunc e cœlo metuent malum in se casurum* (1).

Vox *excelsa* ab aliquibus accipitur ut nominativus pluralis, *q. d.* Excelsi quoque et validi timent in senio. Ita Emmanuel Sa. Aut excelsi et magni omnes timebunt præsentiam Antichristi, ac præ timore illum adorabunt, ut S. Bonaventura et Hugo Victorinus : Excelsa, inquit, corporis membra timent, id est efficiuntur tremula, ut jure senex dicere queat : « Timor et tremor venerunt super me : et contexerunt me tenebræ, » *Psal.* LIV, 6, Aut, ut Lyranus et Vallesius, *q. d.* Excelsæ animæ vires, puta mens et ratio timebunt mortem ingruentem, ob metum judicii secuturi, et quia nesciunt quam viam sint ingressuri, an ituri in cœlum, an in gehennam. Verum τὸ *excelsa* est accusativi casus; Hebræa enim habent, *de excelso timebunt*.

Hebræi, qui putant hic prædici excidium Jerusalem, censent hæc pertinere ad trepidationem Judæorum; quia fugientes Chaldæos et Romanos ad excelsa montium se recipient, sed et ibi formidabunt, nullum sibi ab hoste locum tutum æstimantes. Addit S. Hieronymus ex Hebræorum sententia, *advenientes Hierosolymam ipsi quoque hostes, Dei pertimescent magnitudinem, et in via dubii Sennacherib interitum formidabunt*. Thaumaturgus vero, hæc referens ad diem judicii, vertit, *similiter et civitates et illarum sanguinarii magistratus vindictam superne exspectabunt, urgente acerbissimo et cruentissimo illo tempore, quod erit ut amygdalus florens : timebunt* enim *excelsa* (id est excelsam Dei magnitudinem, iram et vindictam. Rursum, ut Richardus Victorinus, timebunt etiam in celsis arcibus et rupibus locisque inaccessibilibus, nullam ibi securitatem sibi fore arbitrantes). *Et formidabunt invia* (ita legit ipse, sed perperam, cum legendum sit disjunctim *in via*, id est in loco plano), *quia hæc pervia erunt Christo judici.*

Senes metuunt *excelsa* quæ?

Hæc opposita sunt, sed mystica; ad litteram enim pergit describere ærumnas senectutis, agoniæ et mortis. Sensus ergo est, ait S. Hieronymus (quem sequuntur Albinus, Glossa, Vatablus et alii), *q. d. Senes ardua ingredi non valebunt, et lassis poplitibus, ac tremente vestigio etiam in plano itinere fluctuantes, offensam gressuum formidabunt.* Accedit Cajetanus : *Senes*, ait, *verentur alta loca ascendere, quia metuunt ne quid ex alto decidens eos lædat.* Clare Campensis, *terrores eos quacumque iverint invadent*; Arias, *et consternati in via*; Tigurina, *altum quoque locum timent et humilia in via*, *q. d.* Non modo timent alta et ardua, sed et plana ac facilia, quasi enerves et elumbes forent. Et Titelmannus : « Dicuntur senes, inquit, jam morientes excelsa timere et formidare in via, quoniam propter debilitatem et defectionem vehementer fiunt pavidi, statimque ubi vel levem rumusculum audierint, sursum respiciunt, quasi aliquid mali eis desuper immineat, et territamenta, quæ de cœlo venire solent, ut tonitrua atque coruscationes vehementer horrent. Habent quoque imaginationem defectu debilitatam; unde fit ut frequenter ex imaginatione desuper sibi mala evenire existiment, aut timeant, cum nihil sit. In via quoque ambulantes semper sunt pavidi. » Rursum senes metuunt *excelsa*, id est res arduas,

(1) *Etiam ab alto timent*, scilicet senes pertimescunt quævis alta loca, ut colles, turres, etc., quia ibi deficiunt vires et ægre spiritus ducitur. Ita fere omnes. Non male quidam : Senes *timent* mortem quæ venit *ab alto*, seu a Deo. *Et terrores in via* sunt illis, timent viam ingredi. *Et floret amygdalus*, id est, cani in capite apparent. Amygdalæ flores, prius rubicundi, albicant cum in eo sunt ut defluant. Floribus amygdalæ in summitate ramorum foliis nudorum pulchre comparantur cani sive albi crines rari in calvo senis vertice. Insuper, ut amygdalæ flores veris prænuntiant adventum, ita canities mortem, imo vitam æternam properare signum est. Alia metaphora Horatius pro canitie *capitis nives* posuit (Maurer, *et floret amygdala*, id est, et senectutis status tristis et desolatus similis est hyemi, qua amygdala sola adhuc floret). *Cum ingravescit locusta*, id est crus. Vox *chagab* et *locusta* et *talus* transferri potest; recte autem vertitur *locusta*, ut servetur ænigmaticus loquendi modus. Ratio denominationis forsan hæc, quod protuberantes in pede utrinque tali sive malleoli aliquam crurum posteriorum locustarum utrinque altius exstantium similitudinem referre videntur. (Maurer, *et* cum *locusta se tollit*, id est, cum senex, morti proximus, similis est locustæ, quæ se ad avolandum tollit). *Et rumpitur capparis*. Sunt capparis baccæ folliculis inclusæ, qui cum baccæ maturitatem suam assequuntur, disrumpuntur et decidunt : imago hominis qui ad exactæ ætatis terminos provectus in eo est, ut sepulcrum ingrediatur. Gesenius, qui in *Thesauro* capparis baccas appetitum provocare, venerisque concupiscentiam incitare creditum fuisse observat, sic interpretatur, *et* antequam *irrita erit capparis*, id est, vim amplius non habebit capparis, neque in cibi desiderio movendo, neque in provocanda veneris concupiscentia.

periculosas, difficiles, quia frigus eos coarctat, facitque timidos et pusillamines, sicut calor juvenes facit animosos, imo audaces et temerarios. Unde Aquila vertit, *tremore timent in via*, id est in loco plano et facili. Septuaginta, *pavores in via*, inde stupores, qui cogunt eos sæpe in via subsistere, ut progredi nequeant ex pavore et constrictione spirituum. Qua in re senes similes sunt animalibus timidis, v. g. anseribus, qui ingressuri per portam aliquam, quantumvis magnam et altam, caput inclinant, ne illud ad postes et superliminaria allidant. Facit id nimius timor, et defectus imaginationis sive virtutis æstimativæ; nesciunt enim comparare longitudinem colli sui cum altitudine portæ, ut æstiment et judicent hanc illam longe superare, ac proinde nullum esse periculum allisionis capitis : quare timor cogit illos eligere id quod securum est, scilicet ut caput inclinent. Simili modo frigus et timor in senibus facit eos pavidos, læditque eorum vim æstimativam, ut non satis metiantur, nec æstiment conferantque vires suas cum excelsis et arduis, quæ prudenter aggredienda forent, sed eas illis infirmiores et impares judicent : qua in re sæpe errant, cum pares, imo majores vires habeant.

Denique S. Bonaventura et Hugo censent hæc pertinere ad tremorem capitis et membrorum omnium in senibus, lassis jam poplitibus, juncturis et ossium ligaturis. Alii, *q. d.* Senes, quia timidi, metuunt excelsa cœli fulgura, ventos, procellas; audito tonitru consternantur. Timent enim præ cæteris ne lapis fulmineus ex tonitrui collisione dissiliens caput ipsorum feriat.

Mystice, senes et moribundi, item torpidi et peccatores, metuunt excelsa, id est judicium cœleste, vel, ut hebraice est, *ab excelso*, id est, Christum judicem venientem ad judicandum e nubibus cœli, et formidant *in via*, scilicet judicii, id est, quando rapientur ad tribunal judicis, ut accipiant mercedem secundum opera sua : cœlestem, si bona sint; gehennalem, si mala. Ita Olympiodorus et Cyrillus Hierosolymitanus, *catech.* 15. Rursum *formidabunt excelsa*, quia videbunt solem, lunam et stellas obscurari, virtutes cœlorum commoveri, angelos et sanctos cum Christo descendere formidabiles, ad judicandum et damnandum impios. Addit Chaldæus quod metuent excelsa, id est jam præterita quæ superbe contra Deum fecerunt; de illis enim Deus exactam ab ipsis reposcet rationem : « Etiam opera, inquit, quæ erant ante hæc, eris timens, an recordatus fueris eorum, et acervus lapidum parvus videbitur tibi sicut mons excelsus in tempore quo ambulaveris in vita. »

FLOREBIT AMYGDALUS. — Symmachus vertit, *obdormient vigilantes*. Verum dissentit ab Hebræo, Septuaginta et cæteris, teste S. Hieronymo. Hebræum שקד *saked*, et vigiliam et amygdalum, quæ prima inter arbores evigilat et effloret, significat. Unde Syrus utrumque complexus vertit, *et emanabit super illum vigilia* (senex enim laborat noctu vigilia, et insomnis est), *et germinabit amygdalus*.

Hebræi accipiunt virgam vigilantem (hebraice שקד *saked*, id est *amygdalinam*; amygdalus enim prima arborum a rigore hiemis in vere evigilat, et flores emittit) quam vidit Jeremias, cap. I, 11, minitantem Hebræis verbera et excidium per Chaldæos. Thaumaturgus accipit graves plagas et supplicia impiis immittenda a Deo sub finem mundi. Richardus Victorinus putat amygdalo florente significari, quod amygdalus cæteræque arbores in fine mundi deflorescent, nec maturescent in fructum, ideoque famem ingentem fore : « Non dicit, inquit, quod fructificabit, sed quod florebit, ut homines sub tanta inopia videant quod sperent, et amplius concupiscant ; et cum postmodum amiserint quod speraverant, profundius ingemiscant. Non ergo fructificabit, ut sustentetur famelicorum inedia. » Hæc apta sunt, sed mystica.

Amygdalus notat canitiem.

Verum ad litteram, *amygdalus* floribus citissime et densissime candescens, repræsentat senectam pilis candidis pluribus subito canescentem, ait S. Hieronymus. Unde Campensis vertit, *canis aspergetur caput*; canities enim senibus oboritur ex pituitosa cerebri humiditate. Canities ergo signum est senectæ et mortis instantis. Hinc conjectores, si puer somniarit se canum, eum cito moriturum conjectant, ait Pierius, *hierogl.* 51, cap. XXV. Sic Galbæ futuro imperatori, dum sacrificaret, accidit ut puero e ministris acerram tenenti capillus repente toto capite canesceret; quod imperatoris mutationem portendere dixerunt aruspices, successurumque juveni senem, ac mox Neroni, qui anno 31 ætatis juvenis sublatus est, successit Galba senex annos natus 73. Ita Suetonius in *Galba*, cap. X.

Primo. Secundo.

Amygdali flos apte repræsentat canitiem : *primo*, colore, qui utrinque est candidus; *secundo*, celeritate : sicut prima amygdalus flore candescit, sic juvenis cito canescit et senescit, juxta illud Poetæ :

> Obrepit properata malis inopina senectus,
> Intempestivi funduntur vertice cani.

Tertio. Quarto. Quinto. Sexto.

Tertio, sicut flos amygdalo proprius est, sic propria est homini canities : « Canities homini tantum et equis, sed homini semper a priore parte capitis, tum deinde ab aversa, » ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVII. *Quarto*, flos amygdali et violæ nuntiat ver, sic canities senectam : « Florum prima ver nuntiantium, viola alba, » ait Plinius, lib. XXI, cap. XI. *Quinto*, flos amygdali cito deflorescens et marcescens, juvenem admonet instantis mortis. Audi Plinium, lib. XXI, cap. I : « Flores odoresque in diem gignit (natura) magna (ut palam est) admonitione hominum, quæ spectatissime floreant celerrime marcescere. » *Sexto*, Plinius, lib. XVI, cap. XXV : « Arborum flos, inquit, est pleni

veris indicium, et anni renascentis, flos gaudium arborum. Tunc se novas aliasque quam sunt, ostendunt : tunc variis colorum picturis in certamen usque luxuriant. » Sic canities, prudentia et sanctitate efflorescens, senem facit venerabilem et maturum cœlo, ut in novum hominem eumque
Septimo. gloriosum resurgat. *Septimo,* amygdalus producens flores, mox ex iis producit fructus : sic senex, producens canos, ex iis mox producit mortem. « Cani ergo, inquit Hugo Cardinalis, sunt flores mortis, illam quasi fructum in propinquo esse denuntiantes, quia sicut flores in fructum, sic cani in mortem desinunt : » mors ergo est fructus canorum ceu florum, per quos senes fiunt candidi et quasi candidati mortis, et per eam beatæ immortalitatis.

Minus recte Chaldæus vertit, *germinabit caput spinæ tuæ præmacie sicut amygdalus.* Unde Rabbini quidam, teste S. Hieronymo, interpretantur sacram dorsi spinam, quod, decrescentibus, inquit, natium carnibus, illa, seu os femoris, succrescat et quodam modo floreat. Et R. Haccados, *caput ossium ex carne, et exsuccum apparebit;* Pagninus vocat *partem coxæ quæ dicitur ancala.* Minus quoque recte Cajetanus pro יבאץ *ianets,* id est *florebit,* alio puncto legens יבאץ *iianats,* vertit, *reprobabitur;* alii, *irritabitur;* alii, *asper erit fructus amygdali, q. d.* Senes laborant cibi nausea et fastidio, quare reprobant amygdala; quia, cum dura sint et duro cortice inclusa, difficulter a senibus edentulis aperiri mandique possunt. Pejus Pagninus et Rabbini nonnulli vertunt, *reprobabitur coitus :* volunt enim amygdalum, quæ prima germinat et floret, esse symbolum generationis; et alii, *reprobabitur vigilia, q. d.* Senex est somnolentus, ideoque odit vigiliam, æque ac custodiam vitæ cujus eum tædium cepit.

Tropologice. Tropologice, senes sunt justi segnes et pigri; item peccatores, qui otio ac mollitie torpidi ac velut elumbes desident, nec quid excelsi vel heroici aggredi audent, juxta illud : « Excelsa stulto sapientia, » quia ipse illam viribus suis altiorem ex ignavia æstimat. Hinc « floret amygdalus, » id est senes subinde concipiunt desideria magnarum virtutum, ac florem, id est spem, præbent magni profectus, sed minima tentatione ceu vento flante, hæc omnia decutiuntur; itaque ipsi ad suam segnitiem relabuntur.

Allegorice. Allegorice Salonius : Florebit amygdalus, id est, « egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, » *Isai.* XI, 1, puta nascetur Christus e B. Virgine, qui instar amygdali habentis corium, os et nucleum, habebit carnem et animam, ac efflorebit, id est coruscabit miraculis. S. Bonaventura vero magis apposite per amygdalum accipit Antichristum, qui florescet signis magnis fictisque miraculis. Unde Dioscorides, lib. 1, cap. XXXIX : « Vulpes, ait, si cum quadam esca eas (amygdalos) voraverint, emorientur. » Ita vulpinus et fraudulentus erit Antichristus cum suis, ac suis fraudibus captus peribit. S. Gregorius vero XXX *Moral.* XX vel XII : « Amygdalum, inquit, florem prius cunctis arboribus ostendit. Et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur, quæ in prædicatoribus suis primitivos virtutum flores aperuit, et ad inferenda poma bonorum operum venturos sanctos, quasi arbusta sequentia prævenit? In qua mox locusta impinguata est, quia sicca gentilitatis sterilitas pinguedine est gratiæ cœlestis infusa. Capparis dissipatur, quia cum gratiam fidei vocata gentilitas attigit, Judæa in sua sterilitate remanens, bene vivendi ordinem amisit. » Similia habet Rupertus in cap. IX *Apocal.*

Anagogice. Anagocice S. Cyrillus, *catech.* 15, per florentem amygdalum accipit resurrectionem corporum futuram post sæculi hujus hiemem, cum corpora nostra instar amygdali, flore cœlesti efflorescent : « Vidit, inquit, hunc Domini adventum Ecclesiastes, et mundi consummationem, dicens : Lætare, juvenis, » etc. Et post pauca : « Et quid fiet, veniente Domino? Florebit amygdalus, et impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis. Quemadmodum vero Interpretes dicunt : Amygdalum florens hiemis transitum significat, sic et corpora nostra post hujus sæculi hiemem florebunt flore supercœlesti. Et dilatabitur locusta, hoc est anima volucris, quæ nunc corpore est circumdata; et dissipabitur capparis, hoc est, iniqui et spinosi dispergentur. Vides quomodo prædicunt adventum Domini? » Vide quæ de virga Aaronis amygdalina dixi *Num.* XVII, 8, et de virga vigilante *Jerem.* I, 11.

IMPINGUABITUR LOCUSTA. — Syrus, *multiplicabitur locusta;* Arabicus, *crassabitur locusta.* Apposite amygdalo subjungit locustam, quia tradunt physici amygdali floribus citius impinguari locustam; sic enim amygdalis valde nutriri hominem experimur : noti sunt marcipanes, qui ex amygdalis conficiuntur, et principibus sunt in deliciis. Simili modo locustæ subjicit capparim, quæ colore, tumore, sapore similis est locustæ, ideoque ejusdem est esca et pabulum.

Hebræi per locustam accipiunt Nabuchodonosor, cum Chaldæis, ac Titum cum Romanis, qui instar locustarum depasti sunt Jerusalem et Judæam, juxta illud Joelis, cap. I, 4 : « Residuum erucæ comedit locusta. » Thaumaturgus per locustas accipit crebras densasque plagas, quæ præibunt diem judicii, ac depascentur homines orbemque universum : « Tunc, inquit, ita frequentia aderunt supplicia, sicut multitudo locustarum advolantium. » Richardus Victorinus proprie accipit locustas, quæ depascentur agros et omnia germina. Unde et S. Joannes, *Apocal.* cap. IX, 3 et 4, locustas judicio prævias fuse describit. Vide ibi dicta.

Impinguabitur locusta, quæ? Verum ad litteram hæc omnia spectant ad ærumnas senectæ, sed locustam varii varie accipiunt. Hebraice est *onerabitur,* vel *oneri erit* והחגב

Resp. primo. *hechagab,* id est *locusta,* vel *cicada,* ut vertit Tigurina. Unde *primo,* Tigurina vertit, *seipsam gestat cicada;* et Clarius, *gravabitur locusta;* Vatablus, *oneri est illi locusta, q. d.* Senex adeo est debilis, ut vel locustam aut cicadam ferre nequeat; Secundo. *secundo,* Cajetanus vertit, *onerabuntur nates,* hæ enim senibus adeo sunt ponderosæ, ut sedentes vix surgere queant. Pagninus vero, *onerabitur* Tertio. *dorsum. Tertio,* Rabbini crasse per *locustam* accipiunt libidinem et insultus venereos, quibus ob copiam humorum et flatuum, non raro agitantur senes : cruditas enim et flatus sunt stimuli libidi- Quarto. nis, teste S. Hieronymo. *Quarto,* Vallesius, cap. LXVI *Sacræ philos., locusta* significari putat callosam senum duritiem in cute, quæ instar locustæ in crustam durescit ob siccitatem : ipse enim per *locustam* accipit *marinam,* quæ e cancrorum est genere, et carabus dicitur sive ostracoderma, hoc Quinto. est crustæ testaceæ; *quinto* et genuine, S. Hieronymus per *impinguatam locustam* significantur, inquit, « crura senum tumentia pituita, et podagræ tumoribus prægravata. » Unde Chaldæus vertit, *inflabuntur tali pedum tuorum.* Moringus notat locustas crassioribus esse femoribus, præsertim in India, ubi ea tres pedes esse longa, ac instar serrarum secare germina, docet Plinius, lib. XI, cap. XXIX.

Sexto, genuine. S. Bonaventura per *locustam* accipit tumidam totius corporis senilis inflationem, ob debilitatem caloris, qui nequit copiam phlegmatum et humorum digerere. Proprie per *locustam* ventrosam et spurco herbarum succo turgidam, ut totum ejus corpus non videatur esse nisi venter, accipias tumidum ventrem senum ex copia cibi indigesti, phlegmatum et humorum crudorum. Unde sequitur alvi mollitudo, humiditas et profluvium : ita Lyranus, Dionysius, Titelmanus, et Lævinus Lemnius, lib. *Similitud. et Parabol.* cap. XLVIII, ubi ænigmaticas hasce senectutis parabolas physice et medice pertractat.

IMPINGUABITUR LOCUSTA, — id est venter, ait Alcazar, *Apoc.* IX, pag. 525; locusta enim est vorax ac pingui ventre, ut tota venter esse videatur, *q. d.* Venter juvenis, qui locustæ instar erat insaturabilis, in senectute tanta satietate afficietur, ut ejus appetentiam nec amygdala excitare possint, nec cappares : hæc enim duo maxime appetitum provocant. Hoc est quod ait : *Florebit amygdalus, q. d.* Esto floreat amygdalus, ac amygdala producat mollia et sapidissima, locusta tamen, id est venter jacens et debilis, ad earum esum nequaquam excitabitur, sed præ fastidio et nausea quasi satiatus jam sit, florem fructumque amygdali respuet. Hinc et *dissipabitur,* id est projicietur, dispergetur ab eo capparis, quæ alias solet provocare et irritare appetitum.

Porro locusta initio gracilis, levis, mobilis, vaga et saliens repræsentat adolescentiam vagam, levem et agilem ad voluptates; eadem vero cibo plena, tumens et turgida repræsentat senium pituita tumidum et cruditate turgidum. Audi Rupertum, in cap. IX *Apocal.* : « Florebit amygdalus, et impinguabitur locusta; quod idem est, ait, ac si dicat : Qui nunc viridis et rectus incedit, et tanquam locusta salit, canescet, et curvus vix incedere incipiet, habensque crura tumentia, nequaquam ut tunc, levis et gesticulosus in saltu sese excutiet : locusta namque impinguatur, dum transacta levi juventute crura tumescunt, ut fieri solet senibus. »

Mystice Hugo : « Florebit amygdalus, » id est, Mystice. inquit, « vis rationalis per fidem, quæ purificando animam floridam facit. » « Impinguabitur locusta, » id est vis concupiscibilis per charitatem, quæ est pinguedo et sagina virtutum. « Dissipabitur capparis, » id est amarities vitiorum in irascibili per zelum, qui omnia vitia dissipat, ut mystice hic describatur senium et mors vitiorum, et juventus virtutum.

Tropolocice, Salonius per *pinguem locustam* Tropologice. accipit copiam bonorum spiritualium; Hugo, etiam temporalium, datam gentilibus per Christum; sic et S. Gregorius cujus verba jam recitavi. Aptius hæc referas ad senes, id est senes justos et peccatores, *q. d.* Sicut locusta ob ventris onus in terram decidit, sic segnes subinde impulsi a Deo, vel a superioribus, aut a sociis animas attollunt, ac desiderio ad cœlestia evolant, sed illico ventris, id est gulæ et luxuriæ, illecebra degravati, ad carnis voluptates recidunt.

Anagogice, Cyrillus, *catech.* 15, per *locustam* ac- Anagogice. cipit animam, quæ in resurrectione impinguata, græce παχυνθεῖσα, id est *dilatata,* ex angustiis corporis, quasi carceris evolabit ad Deum. Rursum amygdalus densa floribus prænuntia est copiosi fructus. Audi Pierium, *hierogl.* 51, cap. XXIII : Amygdalus arbor ante alias omnes floribus induta, non suæ tantum spem ostentat opulentiæ, sed et aliarum frugum annum feracem pollicetur. Unde Maro, cum videret eam primam omnium florere, nihil vel januarii rigore deterritam, ex florum ejus multitudine lætæ identidem feturæ spem in frumentis concipere nos posse, monet his versibus :

> Contemplator item, cum se nux plurima sylvis
> Induet in florem, et ramos curvabit olentes;
> Si superant fetus, pariter frumenta sequentur,
> Magnaque cum magno veniet tritura calore.

Ita Virgilius, *Georg.* lib. I. Simili modo senectus gravida meritis æque ac annis, prænuntia est instantis in cœlo ingentis coronæ et gloriæ; senex enim probus unum pedem habet in solo et sepulcro, alterum in cœlo. Amygdalus ergo symbolum est spei, ac sperati fructus et gloriæ.

Aptius Olympiodorus per locustas accipit corpora damnatorum, gula et voluptatibus saginata, quæ depascetur infernus, adeo ut iis pinguescere videatur.

ET DISSIPABITUR CAPPARIS. — Symmachus, *dissol-*

vetur spiritus fortitudo. Verum dissentit ab Hebræo et a Septuaginta, ait S. Hieronymus.

Hebræi, teste S. Hieronymo, interpretantur dissipationem amicitiæ Dei, ex qua traditi sunt Judæi Chaldæis et Romanis; hebræum enim אביונה *abiiona,* significat amorem et amicitiam, ab אבא, *aba,* id est voluit, amavit; unde אב *ab* et *abba,* id est *pater.* Hinc quidam vertit, *dissipabitur mutua confœderatio.* Thaumaturgus refert ad diem judicii, quod illo impii e medio tollendi sint velut nigræ et despicabiles, atque spinosæ (ait Cyrillus, *catech.* 15) cappares. « Ita e medio abjicientur peccatores, ut nigra despicatissimaque capparis, » ait Thaumaturgus. S. Bonaventura, *dissipabitur,* inquit, *capparis,* id est carnales et luxuriosi, metu tormentorum Antichristi, discedent a fide. Richardus Victorinus dissipationem capparis interpretatur famem et penuriam extremam: capparis enim est vilis esca. Unde proverbium, « cappare victitas qui potes anthia. »

Capparis notat appetitum.

Verum ad litteram hæc spectant ad vitia senum. Unde pro *capparis* hebraice est אביונה *abiiona,* id est amor, desiderium, appetitus, aviditas, concupiscentia, indeque capparis : hæc enim excitat orexin et appetitum cibi, præsertim si cum aceto et melle vel oleo sumatur. ut docet Galenus et medici, ac quotidiana experientia. Sensus ergo est, *q. d.* Senibus perit cibi appetitus, aiunt Cajetanus et Moringus; iisdem perit appetitus veneris et luxuriæ : hunc enim instigat capparis (unde nonnulli *capparim* derivant a καπράω, id est *ad luxuriam concito*), ait Vallesius : « quod senum libido frigescat, et organa coitus dissipentur, » ait S. Hieronymus. Sic et S. Eucherius in *Form.,* S. Bonaventura, Albinus, Hugo, Lyranus et alii. Unde et Chaldæus vertit, *prohibeberis a concubitu;* Pagninus, *dissipabitur concupiscentia;* Tigurina, *appetitus respuet res oblatas;* Vatablus, *dissipabitur,* vel *exstinguetur vis illa concupiscibilis.* Denique perit senibus quivis cujuslibet rei et voluptatis appetitus; laborant enim tædio et fastidio rerum omnium, quia debilis est in iis vis concupiscibilis, uti et quævis alia. Unde R. David : « Solvit, inquit, anima concupiscens fœdus suum cum corpore. »

Paulo aliter Marinus in *Lexico* vertit et explicat : « Labefactabit, inquit, voluntas (scilicet *senem*); remanet enim in sene sola vis concupiscibilis, eumque torquet, cum nequeat perficere quod concupiscit. » Addit Pineda per *dissipatam capparim* accipi florentem et apertam, quæ esui est inepta : nam cum capparis aperitur, videtur dissipari ac veluti dispergi; commode igitur dissipata repræsentat ætatem devexam, quæ neque in deliciis pretiove est, neque opportuna deliciis captandis; ut quæ hominem ad turpes voluptates non stimulat, sicut tenera adhuc capparis et clausa; cum nondum se in florem explicuit, contraria omnia efficit et repræsentat.

Denique Vallesius per *capparim,* quæ nasci solet in locis incultis, parietinis, et sepulcris, accipit mortem et funeralia, *q. d.* Eo tandem senes evadent, ut dissipetur capparis occupans sepulcra, ut scilicet aperiatur sepulcrum, in quo senex jam mortuus inferatur. Verum hæc explicatio incongrua est, imo minus vera, aliena et remota. Agitur enim hic de signis senectutis, potius quam mortis : nam mortis signa dabit vers. 6. Porro quod carnales censent senii esse vitium, id ejus laus est, decus et præmium, quod scilicet in ea sopiatur concupiscentia. Unde Cicero, *De Senect.* ex Platone, lib. I *De Republica* : « O præclarum, inquit, munus ætatis! Siquidem id aufert a nobis, quod est etiam in adolescentia vitiosissimum, nempe voluptas. »

Tropologice, *dissipatur capparis,* cum appetitus cibi cœlestis, puta sanctæ doctrinæ, Eucharistiæ et rerum spiritualium in sene, id est segne justo et peccatore languet, adeo ut etiamsi illi delicatissima illarum fercula proponas, velut nauseabundus omnia fastidiat; quare ipse nauseam movet Deo, ut illum ex ore suo evomat, *Apoc.* cap. III, vers. 16. Tropologice.

Anagogice, Olympiodorus : « Florentibus justis (velut amygdalis cœlestibus), inquit, peccatoribus autem traditis ad æternum supplicium, dissipatur capparis et evanescit, quæ cum amarorem quemdam et salsedinem habeat, anxietatem figurat sollicitudinemque peccati. Ipsum vero peccatum, privatio quædam cum sit, neque revera subsistat, in nihilum redigetur atque cessabit, cum homines, exacto judicio, amplius in hoc mundo peccaturi non sint. » Hinc et Syrus vertit, *dissipabitur capparis, et cessabit malitia,* quam repræsentant spinæ capparis; Arabicus, *dissolvetur superbia.* Capparis enim etsi lienosis, sive splene laborantibus prosit, stomacho tamen et aliis membris obest, teste Plinio, lib. XIII, cap. XXIII, et lib. XX, cap. XV, agens de cappari : « Cavenda, inquit, ejus genera peregrina; siquidem Arabicum pestilens, Africum gengivis inimicum, Marmaricum vulvis et omnium inflationibus, Apulum vomitus facit, stomachum et alvum movet. » Addit Dioscorides, lib. II, cap. CLXIX : « Africa, et præsertim Marmarica capparis vehementer inflat; Apula vomitus facit; et quæ a Lybico, et quæ Rubro mari defertur mirum in modum acris est; siquidem in ore pustulas excitat, gingivasque osse tenus exest : quare in cibis non abs re damnatur. » Apte igitur *capparis* notat impios et maleficos, præsertim gulosos et luxuriosos; gulam enim et luxuriam stimulat capparis. Anagogice.

QUONIAM IBIT HOMO IN DOMUM ÆTERNITATIS SUÆ (1). — Hebraice *quia vadit homo ad domum sæculi sui;* Chaldæus, *etenim declinat homo ad eumdem in domum sepulcri sui;* Syrus, *laboris sui;* Arabicus, *profectus est homo ad habitationem sæculi sui;* Cam-

(1) *Nam abit homo,* in eo est ut abeat, etc.; et circumeunt *in platea plangentes,* et tempus instat, quo, etc.

pensis, *domum alterius sæculi*; Tigurina, *domum perpetuam*. Itaque domus æternitatis in quam it homo moriens, *primo*, est ipse status mortis, ut degat inter mortuos, nec amplius ad vitam et vivos in hoc mundo redeat per omnem æternitatem; *secundo*, est sepulcrum. Ita Chaldæus et S. Hieronymus. Unde *perpetuam sepulturam* nuncupat Ulpianus D. *de Sepultur. violatione*, L, 3. § *Non perpetua*. Trita est vetus sepulcri inscriptio : « Hanc æternam sedem sibi posuit. » Et epitaphium illud Petronii Antigenidis :

It homo in domum æternitatis.

Hæc domus æterna est; hic sum situs; hic ero semper.

Et illud *Psalmi* XLVIII, 12 : « Sepulcra eorum domus illorum in æternum. » *Tertio*, est domus æterna piorum in cœlo, impiorum in inferno pro cujusque merito vel demerito. Hoc enim significat τὸ *suæ*, *q. d.* quam quisque sibi commeruit suisque meritis comparavit. Ita Richardus de S. Victore, qui et ponderat τὸ *æternitatis*, *q. d.* « Cuncta ibi sunt immobilia, nulla transitoria, et sive immobilia bona, sive immobilia mala. » Ergo, si sapis, « in omnibus operibus tuis memorare novissima tua (præsertim æternitatem felicissimam vel miserrimam : alterutra enim te certo manet, imo exspectat), et in æternum non peccabis, » *Eccli.* cap. VII, vers. 40.

Mystice, Hebræi hoc aptant suæ captivitati, et vere, quia hæc æterna est, et semper durabit usque ad finem mundi. Melius Thaumaturgus refert ad diem judicii, ac domum æternitatis tribuit justis et electis, circuitum vero et planctum impiis et reprobis : « Et bonus quidem vir, inquit, in domum suam æternam proficiscitur; improbi vero omnia suo luctu complebunt, neque illis repositum argentum, neque probatum aurum proderit. » Sic et Olympiodorus et S. Bonaventura. Hæc cogitans Theodorus Studita, moriturus, condens testamentum, anno Domini 826, illud ita concludit : « Fratres, valete; iter enim ingredior, unde reditus non patet; quod omnes ab ævo ingressi sunt, quod et vos postmodum, hac vita peracta, ingressuri estis. Ignoro autem, fratres mei, quo pergam, et quale judicium me maneat, aut quisnam me locus excipiet. » Ita Michael Studita in ejus Vita. Quocirca Nazianzenus in *Tetrastichis*, pag. 1339 :

Exempla.

Semper, ait, saluti tu quidem stude tuæ.
Potissimum autem sub diem vitæ ultimum,
Venit senectus, exitum præco canit :
Parentur omnes : imminet judex Deus.

Idem in *Distichis* : « Sempiterno ævo vive; » et, ut Zeuxis, « pinge æternitati. » Æternitatis longitudinem ruminans Theodorus, amplis terræ opibus et gaudiis, quasi caducis et vanis nuntium remisit, ac monasticen complexus est in monasterio S. Pachomii. Ita habet Vita S. Pachomii. S. Antonius moriturus, ita suis valedixit : « Ego quidem, inquit, filioli, secundum eloquia Scripturæ, patrum gradior viam. Jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cœlestia; sed vos, o viscera mea, admoneo ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie religiosum studium vos arripuisse arbitramini, et cœptæ voluntatis fortitudo succrescat. Jesum suspirate, etc. Estote solliciti, ut Domini præcepta servetis, ut post mortem vestram, sancti quique, quasi amicos et notos in æterna vos recipiant tabernacula, etc. Valete, viscera mea : Antonius enim migrat, et jam non erit in præsenti sæculo. » Ita refert S. Athanasius in ejus *Vita*.

Magni illius Simeonis Stylitæ quotidiana concio non aliud quam æternitatem et æternam felicitatem inculcabat, « jubens in cœlum suspicere et evolare, et a terra discedere, et regnum quod exspectatur visione apprehendere, et gehennæ minas timere, et terrena contemnere, et futura exspectare, » ait Theodoretus in *Philotheo*, cap. XXVIII; et cap. XXX, Domninæ admirabilis hoc dogma commemorat : « Oportet conferre futura cum præsentibus, æterna cum momentaneis, cum afflictione gloriam : illa enim habet id quod est momentaneum, hæc vero id quod est æternum. » Denique, æternitas est domus Dei, qui proinde est « sublimis, habitans æternitatem, » *Isai.* cap. LVII, vers. 15. Sicut enim tempus est mensura durationis hominum : sic ævum est angelorum, et æternitas Dei, ut docet D. Thomas, I part., *Quæst.* X, art. 3 et 4. Simeoni Stylitæ concio.

Nuper Reverendissimus Dominus Godefridus, Episcopus Bambergensis (cujus colloquio spirituali Romam veniens Herbipoli fruitus sum), hoc in mente fixum habebat : « Quotidie sto ad ostium æternitatis, » ut in ejus domum mox ingrediar. Idem sibi quisque in mente figat dicatque : Brevi moriendum est tempori pompisque temporaneis; vive ergo æternitati bonisque sempiternis : « Mors, ait S. Bernardus, senibus in foribus est, juvenibus autem in insidiis, ob varios juventutis casus : » « adolescentes enim, ait Macrobius, facilius in morbos incidunt, gravius ægrotant, tristius curantur. »

ET CIRCUIBUNT IN PLATEA PLANGENTES, — *Primo*, parentes, cognati et amici defuncti : hi enim feretrum ambire et circumdare solent, ut ultimum defuncto *vale* dicant, ac funebres lacrymas ritusque persolvant. Circuitus hic, ait Noster Lorinus, innuit mentem irrequietam, anxiam, amore et dolore inter se confligentibus agitatam, corpus quoque varie vexatum usque ad motionem mentis insaniamque præ mœroris acerbitate. Rursum τὸ *circuibunt* pertinet ad feretri portitores et præficarum lamentantium discursus; solebant enim præficæ, tibicines et elegiaci canere elegos et nænias ad tibiam vel tubam circa funus discurrendo cum manuum complosione, genarum pilorumque vellicatione, pectoris vestiumque laceratione. Hæc enim erat pompa funeris, et planctus defuncti.

Secundo, proprie accipias hunc circuitum, quia Priscus

Mos circumeundi funus.

solebant circuire sepulcra, tam gentiles quam christiani; unde S. Hieronymus in cap. XL *Ezech.*: « Dum essem, inquit, Romæ puer, etc., solebam cum cæteris ejusdem ætatis diebus Dominicis sepulcra apostolorum et martyrum circuire. » Xiphilinus de *Severo*: « Honoratus est, ait, filiorum suorum circumcursione; » Appianus, lib. I, in funere Viriati : « Pedites et equites per turmas in orbem decurrentes, cum armis barbarico ritu illum laudabant. » Dio, lib. XLVI, in funere Augusti primum locum circumeundi assignat sacerdotibus, alterum equitibus; et lib. LIX, in funere Drusillæ : « Seorsim, ait, equestris ordo circa illius tumultum obequitavit. » Porro in funere ducum et illustrium virorum, solebant milites cæterique ter rogum ambire clangentibus tubis, ac faces, quin et arma in eumdem projicere, ut amorem erga defunctum luctumque suum testarentur. Audi Virgilium, XI *Æneid.*, in funere Pallantis :

Ritus circuitus.

> Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
> Decurrere rogos, ter mœstum funeris ignem
> Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Apud Lucanum, lib. VIII, Pompeius ait se nolle hanc funeris pompam :

> Totus ut ignem
> Projectis mœrens exercitus ambiat armis.

Valerius Flaccus, lib. VIII *Argonaut.* :

> Inde ter armatos Minyis referentibus orbes,
> Concussi tremuere rogi, ter inhorruit æther
> Luctificum, clangente tuba, jecere supremo
> Tum clamore faces.

Decurrebant autem in sinistrum latus, versis signis, luctus causa. Audi Statium, libro VI *Theb.* :

> Lustrantque, ex more, sinistro
> Orbe rogum, et stantes inclinant pulvere flammas.
> Ter curvos egere sinus, illisaque telis
> Tela sonant : quater horrendum pepulere fragorem
> Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Addit Servius, in lib. VI *Æneid.* : « Populi circumstantis corona ad pyram tamdiu stabat respondens planctibus præficæ, id est principis planctus, quamdiu diceretur novissimum verbum, *ilicet*, quod ire licet significat. » Macrobius, lib. II *In Somn. Scipionis*, cap. III, ex communi ritu asserit : « Mortuos ad sepulturam prosequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt, persuasione hac, quia post, corpus animæ ad originem dulcedinis musicæ, id est ad cœlum redire credantur. »

Symbolice, nonnulli per plangentes in platea accipiunt oculos senum humidos, lippientes et lacrymantes, « in platea, » id est in facie, in qua quasi in platea est omnis sensuum negotiatio et actio.

Mystice, angeli tam boni quam mali circumstant moribundum, ut ejus animam rapiant, ideoque de ea inter se disceptant, ac victores plaudunt, victi plangunt. Ita Chaldæus : *Circumcirca*, inquit, *discurrent angeli, te ad judicium repetentes plorantium instar, qui bivia circumeunt, ut sententiæ tuæ rationem ineant;* et Arabicus : *Et electi*, ait, *jam perlustraverunt plateam.*

6. ANTEQUAM RUMPATUR FUNICULUS ARGENTEUS, ET RECURRAT VITTA AUREA (1), ET CONTERATUR HYDRIA SUPER FONTEM, ET CONFRINGATUR ROTA SUPER CISTERNAM. Symmachus, *antequam incidatur a funiculo argenti.* Pro *rumpatur* nonnulli codices Hebræi legunt ירחק *ierachec*, id est *elongetur*, hoc est distendatur et distensione rumpatur; Complutenses legunt ירתק *ierctec*, quod Rabbini vertunt, *colligatur, constringatur, contrahatur*, id est brevior fiat; melius vertit Noster, *rumpatur*, ut patet ex Septuaginta qui vertunt, *evertatur*; Syrus, *disrumpatur*; Arabicus, *dissolvatur.* Est histerologia, sive hyperbaton, id est perturbatus ordo. Post multa enim ærumnarum senii ænigmata, quæ huc usque recensuit, redit ad scopum et finem vers. 1 propositum, eumque inculcat et urget, quasi dicat : Memento, juvenis, Creatoris tui in diebus juventutis tuæ antequam rumpatur funiculus argenteus. Ita S. Hieronymus, Albinus et alii. Vers. 6.

Funiculus argenteus, quis?

Quæres, quisnam est funiculus argenteus? Hebræi accipiunt gloriam et magnificentiam Jerusalem, quæ rupta et disjecta fuit in ejus excidio per Chaldæos et Romanos. Thaumaturgus et Olympiodorus accipiunt argentum et opes, quæ avaros velut funiculi multis solent irretire peccatis, rumpendas et abolendas in die judicii, ideoque contemnendas. Cyrillus Hierosolymitanus, *catech.* 15, accipit astrorum complicationem futuram sub diem judicii, juxta illud Christi : « Stellæ de cœlo cadent; » et illud Isaiæ, cap. XXXIV, 4 : « Complicabuntur sicut liber cœli; » astra enim sunt alba, nitentque instar argenti. Richardus Victorinus proprie accipit funiculum argenteum, *q. d.* Solent nobiles res pretiosas appendere funiculis argenteis; at in die judicii ex pavore et horrore communis vastitatis, eos rumpent et in sterqui-

(1) Rectius ex hebræo, *et conteratur lecythus aureus.* Duplici imagine *mors* describitur. Altera imago petita est a lampade e materia fragili facta sed inaurata, et funiculo argenteo (serico filis argenteis intertextis) pendente : quemadmodum funiculo abrupto lampas dejicitur et frangitur, sic in morte corpus hominis frangitur et diruitur. Altera imago ducta est a fonte, e quo hydria, quæ e fune circa rotam torto et ab ea se devolvente pendet, aqua hauritur : sicut hydria et rota fractis, aquam e fonte haurire non licet, ita, viribus vitalibus in homine fractis, ejus vita retineri et servari nequit. In prima imagine, corpus hominis cum lampade, ejusque anima cum oleo quod in lampade continetur, et mors cum funiculi, e quo lampas pendet, abruptione comparantur. In altera imagine aqua fontis vita hominis, machinis, quibus aqua e fonte hauritur, vires et facultates, quibus vita sustentatur et conservatur, et machinis fractis illæ vires et facultates morte dirutæ, significantur.

linium abjicient, quia ipsa vita omnibus in tædium et odium veniet.

Resp. Primo. Verum hæc mystica sunt, ad litteram enim notat ærumnam aliquam senii. Unde, *primo*, per *funiculum argenteum* Chaldæus accipit lingulam, sive ligulam linguæ, qua lingua palato colligatur. Unde vertit, *antequam obmutescat lingua tua a loquendo*. Secundo. *Secundo*, Cajetanus accipit humorum concatenationem, in qua vita hominis consistit; Lyranus, *elementorum harmoniam, et contemperationem in corpore humano*. Tertio. *Tertio*, S. Bonaventura accipit involutionem et contractionem nervorum, qui albi sunt et velut argentei, corpusque cingunt et ligant, atque in senio et morte laxantur et solvuntur : quo fit ut senes laborant paralysi, Quarto. spasmo, apoplexia, chiragra, podagra. *Quarto*, Hugo accipit vitæ continuationem; sicut enim funiculus ex continuatione filorum, sic vita ex continuatione dierum et temporum contexitur. *Quinto*, Moringus accipit φιλαργυρίαν, sive studium argenti et pecuniæ, hoc est avaritiam, qua velut funiculo animi hominum avarorum colligantur, qui in morte abrumpitur. *Sexto* et genuine, *funiculus argenteus* vocatur medulla spinalis dorsi cum nervorum, qui ex ea oriuntur, distributione; nervis enim velut quibusdam funiculis alligantur et firmantur omnes corporis partes. Hæc enim medulla candida est, et colore argenteo resplendet; cum rumpitur, resolvitur aut laxatur, fit homo paralyticus (uti multi senes laborant paralysi), et in morte semper dissolvitur; prius autem in senibus flectitur, ideoque curvatur dorsum, totusque homo in terram pronus vergit, ac silices aspicit; unde et *silicernium* vocatur. Huc facit illud Cornelii Galli :

> Contrahimur, miroque modo decrescimus ipsi :
> Diminui, nostri corporis esse putes.

Et illud ejusdem :

> Fitque tripes prorsus quadrupesque ut parvulus infans,
> Et per sordentem, flebile, serpit humum.

Et illud Ovidii, lib. XIV :

> Tremuloque gradu venit ægra senectus,
> Quæ patienda diu est.

Quocirca Hebræi omnes *funiculum* hunc interpretantur, filum spinæ sacræ dorsi, quod a cerebro in occipitio incipiens ad nates usque protenditur, per octodecim juncturas et nodos dorsi. Ita Vallesius *Sacra philos.* cap. LXVI, Hugo et alii. Addit Pineda vocari *funiculum*, eo quod ad dorsi fines pervenit, ac in parvulos quosdam et tenues funiculos, quasi in filamenta caudam equinam referentia, funditur et finditur. Tum etiam nervi, qui per vertebrarum foramina ab illa sacra spina egrediuntur, plurimi atque tenuissimi sunt, et simul per suas conjugationes coeuntes quasi funiculum efficiunt, unicum crassiorem nervum componentes. Refert autem argentum colore albo, tum quia, sicut et cerebrum, exsanguis est; tum propter excellentiam similem cerebri, proptereaque vertebris quasi sepimentis quibusdam includitur, et tenui meninge protegitur; tum etiam ut spiritus animales, qui per eam diffunduntur, limpidissimi sint atque lucidissimi. Hactenus Pineda ex Andrea Laurentio, lib. X *Anatom.* cap. XII. Huc accedit Joannes Vitalis Cardinalis, qui vixit ante trecentos annos, in *Speculo morali S. Scripturæ*, verbo *Mors*, qui censet *funiculo argenteo* denotari continuationem medullæ, quæ ligat ossa spondylia, quæ a quibusdam physicis vocatur *nuca*; et dicitur, inquit, *funis*, quia extenditur ab ultima parte cerebri, et inde descendit ligans ossa spondylia usque inferius; *argenteus* propter utilitatem et nobilitatem : quoniam, ut ait Constantinus, sua caliditate frigiditatem ossium temperat, sua unctuositate et humiditate aridatem eorumdem rigat, sua substantiali proprietate virtutem animalem nutrit atque conservat, mediantibus quibusdam nervis sensum et motum continuum, ad modum argenti vivi, omnibus membris sub collo positis administrat. Hucusque Vitalis.

Symbolice, *funiculus argenteus*, æque ac vitta aurea, est candida hominis vita, aiunt S. Hieronymus et Albinus, ac præsertim candida et rosea juventus, in qua viget floretque homo. Ita et Hugo, Glossa interlinearis et Titelmannus, qui et causam addit : Quia, inquit, sicut et tactu et convolutione fragilis lini fit funiculus, sic vita contexitur ex diebus singulis, sibi mutuo ordine et nexu quodam succedentibus iisque brevibus; *argenteus* est, quia vita est in pretio, fruiturque luce, qua caret damnatorum vita degens in caligine, pice et igne, ideoque piceo similis funiculo. Beatorum ergo vita est *aurea*, quia est pretiosissima; viatorum *argentea*, quia in pretio media; damnatorum *plumbea* et picea, quia vilissima. Vocatur *funiculus*, non *funis*, quia vita exigua est et brevis, juxta illud Job, XIV, 5 : « Breves dies hominis sunt. » Accedit Richardus Victorinus : « Funis, inquit, dicitur corpus, quia quibusdam legibus naturæ animam sibi, ait S. Bonaventura, ligat. » Symbolice.

Anagogice, in morte perit *funiculus argenteus*, id est cessat mundana eloquentia, quæ sonum gratum edit auribus, ac verba verbis nectit et colligat, juxta illud : « Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit, » *Matth.* XXII, 12. Rursum, Olympiodorus accipit doctrinam S. Scripturæ quæ affectus et vitia comprimit et colligat, quam peccator abjicit et rumpit; ac in morte omnis salubris doctrina obsurdescit et evanescit, moribundis enim hebetatur auditus, omnisque sensus, intellectus, cognitio et cogitatio, præsertim sublimis et cœlestis, quæ ad salutem æternam pertinet. Anagogice.

ET RECURRAT VITTA AUREA. — Pro *recurrat*, hebraice est יָרוּץ *iaruts*, quod si a radice רוּץ *ruts*

derives, significat *currat, recurrat*; sin a רצץ *ratsats*, significat *conteratur*. Unde Thaumaturgus interpretatur de auro et opibus in fine mundi disperdendis, et igne conflagrationis mundi liquandis. Alius, *comprimatur rosa auri*; alius, *frangatur fons aureus*.

Pro *vitta*, perperam Hugo et nonnulli legunt, *vita*. « Vitta » est capitis involucrum, sive linea theca, cui mulieres capillos capitis involvunt: hanc enim significat hebræum גלה *gulla*. Septuaginta vertunt, ἀναθέμιον χρύσιον, per quod, licet Cyrillus, *catech.* 15, accipiat *anthemin*, quæ, inquit, nota est herba, habens multa foliorum germina instar radiorum, Plinius tamen, lib. XXII, cap. XXI, ob pomi odorem *chamemelum* vocari scribit, additque « parvis esse floribus, ut rutæ candidis, aut melinis, aut purpureis; » Dioscorides, « in medio floribus esse aureis. » Unde Olympiodorus hic vertit, *flos auri*, ἄνθος enim est flos. Lorinus censet esse illam quam vulgo vocant *carnomillam*. Vide Dioscoridem, lib. III, cap. CLIV. Hesychius in *Lexico* vocat *amaracum*. Suidas et Thaumaturgus vertunt, *electum aurum*. Melius tamen idem Olympiodorus, teste Budæo, censet ἀνθέμιον, sive ἀναθέμιον, idem esse quod ἀναθήκη, id est *repositorium*, et *theca*, qualis est vitta. Unde Vaticani, æque ac S. Hieronymus in veteri editione, sequens Septuaginta vertit, *vitta aurea*. Favet Symmachus qui vertit, *et percussum fuerit, quod circumstat, et convulneratum fuerit*.

Vitta aurea quæ? Hebræorum opinio, Thaumaturgi.

Quæres, quænam est aurea hæc vitta quæ recurret, id est revolvetur et contrahetur in senio et morte? Hebræi accipiunt arcam Testamenti, quæ in captivitate Babylonica perdita fuit, et translata a Jeremia. Thaumaturgus hæc omnia referens ad finem mundi diemque judicii: « Tunc, inquit, sicut argentum reconditum, sic et aurum probum, nil utilitatis habebit. » Sic fere et Richardus Victorinus. Cyrillus vero, *catech.* 15, explicat: « Priusquam sol atteratur. » Olympiodorus interpretatur florem et pulchritudinem auri, aut ejus repositorium et arcam, omniaque pretiosa peritura sub finem mundi, imo cuilibet diviti peritura in morte, *q. d.* Memor esto Dei tui, o adolescens, antequam veniat tempus illud, quo avaritia destruetur, et nihil prodesse poterit aurum vel argentum. Sic et Titelmannus per vittam auri, sive auream, accipit sacculum auri, quo gaudent avari.

Resp. primo.

Verum ad litteram hæc spectant ad ærumnas senii et mortis. Unde *primo*, Hugo per *vittam auream* accipit latum nervum, qui post decoctionem habet aureum colorem, et in morte rumpitur.

Secundo.

Secundo, Cajetanus vertit, *et frangetur fons auri*, id est colligatio elementorum et humorum, quæ est fons complexionis et vitæ, adeoque pretiosa instar auri, dissolvetur, itaque homo morietur.

Tertio.

Ita ipse. *Tertio*, S. Bonaventura per *vittam auream* intelligit involutionem venarum et arteriarum aurearum ob sanguinem, quem continet. Sic et Titelmannus: « Per funiculum argenteum, inquit, intellige protractionem continuam nervorum per omnia corporis membra. Per vittam auream, connexionem venarum et arteriarum, quæ similiter per totum corpus expanduntur. Constat enim ex doctrina physicorum per totum corpus expansos esse nervos, qui omnia ipsius membra ad modum funis colligant, sibique invicem cohærere faciunt. Venas quoque et arterias similiter per omnia membra expandi: ut per venas quidem nutrimentum, per arterias vero spiramen ad singula membra perferatur. Et sicut nervus, ex sua naturali qualitate albus et quodam modo lacteus apparet, argenti colorem aliquo modo repræsentans, sic venæ et arteriæ rubicundæ magis sunt, propter sanguinem, et colore magis auro sunt similes. Disperguntur autem venæ et arteriæ per singulas corporis partes, dispositione et artificio admodum mirabili, ad eum fere modum, quo vittas solent per artificiosam compositionem contexere. Atque hinc fit ut nervorum extensionem vocemus *funiculum argenteum*, venarum autem et arteriarum dispositionem *vittam auream*. Quomodo autem in morte, et funiculus iste argenteus rumpatur, et recurrat aurea vitta, satis manifestum est consideranti, ut omnia statim post mortem in pulverem dissolvantur. » Hæc Titelmannus.

Quarto.

Quarto, Joannes Vitalis Cardinalis per *vittam auream* accipit spiritum vitalem qui est in corde: « Quia sicut vitta mulieris, inquit, continet capillos capitis, ne defluant et dispergantur: ita spiritus vitalis continet omnia quæ sunt in corpore humano, ne corrumpantur: ut proinde aurea nominetur, et ob pretiositatem, et propter perpetuitatem; quia cor semper est in motu perpetuo, quamdiu vivit homo. »

Quinto genuine.

Quinto et genuine, *vitta aurea* est *meninx*, id est membrana tenuis, quæ cerebrum continet, ejusque est involucrum, et quasi vitta illud includens; unde si illa frangatur aut lædatur (uti fit in morte), hominem mori necesse est. Dicitur *aurea*, tum quia refusa est et flava ut aurum; tum quia calida; tum quia pretiosissima est instar auri, adeo ut multi medicorum, inter quos est Franciscus Vallesius, censeant ad illam potius quam ad cerebrum pertinere sentiendi principium. Hinc et ipsa ita indissolubiliter adhæret cerebro, ut eo siccato et imminuto (uti in senibus fit), ipsa quoque contrahatur et corrugetur, itaque a capitis cranio recedat, et in seipsam arctata recurrat. Unde cranium arescit et calvescit, uti, terra arefacta, exarescunt ejus herbæ et germina. Hæc est ergo causa calvitii. Ita Franciscus Vallesius, *sacræ philos.* cap. LXVI. Clarius Chaldæus qui vertit, *et confringatur cerebrum tuum in capite tuo;* et Vatablus, *et diffluat collectio aurei liquoris*; Campensis, *pingue illud aureum*.

Symbolice S. Hieronymus per *vittam auream*, æque ac per funiculum argenteum, accipit animam et vitam: « Funiculus argenti, inquit, can-

Symbolice.

didam hanc vitam et spiramen, quod nobis de cœlo tribuitur, ostendit. Recursus quoque vittæ aureæ animam significat, quæ illuc recurrit, unde descenderit. » Sic et Albinus, Lyranus, Hugo, Dionysius, Glossa et Titelmannus quem audi : « Vittam puto posse vocari animam hominis, quoniam sicut vitta capillos capitis omnes in unum constringit, ne diffluant; ipsa vero ablata, disperguntur illi in suam multitudinem : sic anima in corpore omnia membra, tam multa, tam diversa, quasi intra suæ virtutis ambitum concludens, simul continet, ne diffluant ab invicem : mox vero ipsa ablata dissolvantur omnia. Aurea autem vitta merito dicitur ob excellentiam sui rationalis anima, nimirum quia ad imaginem et similitudinem Dei creata est, magnificam in hac suæ conditionis nobilitate gloriam præ se ferens, formasque omnes corporales præcellens, quemadmodem aurum suo fulgore et nobilitate cæteris omnibus præstat metallis. »

Anagogice. Anagogice, *vitta aurea* est beatorum gloria, ac vita æterna, sive nobilissima harmonia corporis et animæ, quæ tribuetur electis in resurrectione. Ita Dionysius et Lyranus. Accedit S. Bonaventura : « Vitta aurea, inquit, est insigne sacerdotalis, vel regiæ dignitatis, cui diadema tribuitur; quia tunc recurret utraque ad suum principium, puta ad Christum et ad Deum, qui solus tunc dominabitur in beatis, eosque faciet sacerdotes et reges, » I *Corinth.* XV, 25; *Apocal.* V, 10.

Conteretur hydria super fontem, quæ? ET CONTERATUR (Syrus, *frangatur*; Arabicus, *corrumpatur*) HYDRIA SUPER FONTEM. — Cajetanus, *rumpetur urceus ad fontem*; alius, *apud scaturiginem.* Hebræi per *hydriam* accipiunt tabulas Decalogi, contentas in arca fœderis, velut in fonte, quæ contritæ sunt in captivitate. Thaumaturgus accipit de fine mundi : tunc enim tantas fore plagas quaquaversum, ut etiam hydrias stantes juxta fontem evertant. Richardus interpretatur tunc tantam fore hominum malitiam et invidiam, ut hydrias quoque proximorum, quibus aquas e fonte hauserunt, effundant ne habeant quod bibant : simili modo rotam, ut sequitur, super cisternam, id est funem, et situlas quibus e puteo aquam hauriebant, disjiciant, ne aquam haurire queant. Verum ad litteram hic agitur de ærumnis

Resp. primo. senii et mortis. *Primo* ergo, per *hydriam* Aben-Ezra, Hugo et Clarius accipiunt folliculum fellis; per fontem, hepar. Unde Chaldæus vertit, *et confringatur fel tuum in jecore tuo*; vel, ut Costus, *fel*

Secundo. *jecoris tui. Secundo,* Cajetanus et alii per *hydriam* accipiunt anhelitum, per *fontem* pulmones, *q. d.* Antequam per morbum et mortem intercidatur tibi anhelitus, claudaturque pulmo, qui ad ventilandum et refrigerandum cor, halitum aeremque frigidum attrahit : ipse enim est ventilabrum

Tertio. cordis. *Tertio,* multi per *hydriam* accipiunt corpus; per *fontem,* quatuor elementa, *q. d.* Antequam conteratur corpus in morte, diffluatque in sua elementa, ex quibus compactum est. Ita Auctor *Catenæ Græcor.* : « Ut hydria, inquit, ad fontem confracta, aqua rursus in fontem recurrit : sic solutum corpus in terram revertitur, opifici rerum omnium paratum, ut reformetur. » Sic et Titelmannus per contritionem hydriæ super fontem accipit corporis, quod instar fictilis hydriæ, formatum est a Deo e limo terræ, ad capiendam in se vitæ aquam, dissolutionem in partes, ex quibus conflatum compactumque erat, idque juxta fontem, quia non perit aqua animæ rationalis; utpote immortalis; sed fracta hydria, puta corpore, recurrit ad fontem, id est ad Deum, qui dedit illam, scilicet ad abyssum divinæ bonitatis, unde effluxit. Porro hydriæ partes non pereunt, sed manent juxta fontem, quia non annihilatur corpus, sed tantum dissolvitur : unde partes dissolutas Deus in resurrectione rursum uniet et conjunget. Hic sensus appositus est, sed generalis et mysticus : hæc enim ænigmata dispertita dispertitas hominis partes et membra notant. *Quarto,* Quarto. Lyranus per *hydriam* accipit compaginem omnium membrorum, quæ a fonte, id est a corde, hauriunt vitam, id est spiritum vitalem, quæ dissolvitur et conteritur in morte. Alius per *hydriam* accipit cor ipsum, quod habet formam hydriæ, ac spiritus et vitam haurit a fonte, id est ab anima. *Quinto,* R. David per *hydriam* accipit ven- Quinto. trem, qui finditur in fonte, id est in sepulcro : quia sicut homines hydriam deferunt ad fontem, velut ad locum suum, ita ventrem totumque hominem vita functum deferunt ad sepulcrum ut redeat in terram, ex qua prodiit. *Sexto,* S. Bonaventura per *hydriam* accipit vesi- Sexto. cam, « quæ, ait, urinam haurit ab hepate, unde velut ex fonte colamentum sanguinis, et aliorum humorum emanat in corpus universum : vesica autem in moribundis confringitur, » id est dissolvitur. Sic et Vallesius et Titelmannus quem audi : « Sicut hydria vas est, recipiens aquam a fonte exhaustam, sic vesica receptaculum est humorum, procedentium ab hepate, quasi a fonte humorum omnium : inde enim ad cætera membra sanguis, et humores alii derivantur. Conteritur igitur in morte hydria super fontem, quando vesica rumpitur et frangitur, nec ultra accipit humores, ut solet ab hepate. »

Septimo et genuine, per *hydriam* accipe concep- Septimo, genuine. tacula illa sanguinis ac venas, quæ a jecore velut fonte sanguinem recipiunt, quæ in morte confringuntur, id est deficiunt et dissipantur; deficiente enim jecore, deficit pariter sanguis, qui totum corpus rigat, humectat, nutrit, et per spiritus vitales, quos subministrat, vivificat, ac cuique corporis membro vim sensitivam et motivam communicat. Ita Vatablus. In hepate enim est sanguinis et humorum omnium fons et origo; vita autem consistit in humore et calore, mors in siccitate et frigore. Quocirca Ægyptii hydriam præferebant Osiridi deo suo, per eamque significabant humorem, puta aquam et Oceanum, quod

aqua omnium rerum, præsertim viventium, esset effectrix, teste Pierio, *hierogl.* 56, cap. XXI, qui et cap. XXII, addit certamen Ægyptiorum cum Persis : Persæ enim ignem suum dicebant esse rerum omnium principium, ideoque Deum; Ægyptii vero idipsum aquæ tribuebant. Hydriam ergo aqua plenam, fundo perforato, sed cera obturato, igni supposuerunt. Mox ignis vi liquata cera apertisque foraminibus, aqua ex hydria diffluens ignem subjectum exstinxit : itaque se igne potentiorem ostendit : quo actu Ægyptii vicere Persas.

Tropologice. Tropologice, conteritur hydria super fontem, quando opera sancta, ex mente sancta prodeuntia, evertuntur. Rursum, quando gratia, cujus auctor et fons est Spiritus Sanctus, per peccatum mortale deperditur, et ad Spiritum Sanctum, velut fontem, recurrit.

Anagogice. Anagocice, S. Bonaventura accipit evacuationem mundanæ et animalis sapientiæ, quæ hydria curiositatis hauritur; Olympiodorus vero evacuationem sanctæ fidei et scientiæ præsentis vitæ, futuram in gloria cælesti : tunc enim, cum ipsum scientiæ fontem, puta Deum, facie ad faciem videbimus, evacuabitur omnis cognitio obscura et imperfecta hujus vitæ, I *Corinth.* XIII, 10.

ET CONFRINGATUR ROTA SUPER CISTERNAM. — Pro *confringatur* hebraice est נרוץ *narots*, quod et *confringetur*, et *transcurret* verti potest, uti paulo ante dixi; unde Septuaginta vertunt, *et convolvatur rota ad cisternam.* Græce est συντροχάσῃ, id est *concurrat*; jam *concurrere idem est ac rotam collidi et frangi, decidereque in lacum una cum hydria,* ait Scholiastes; Syrus, *et curret* (Arabicus, *gyret*) *rota super puteum*; alius, *coarctetur rota super lacum*; alius, *confringetur*, vel *dissipetur rota in fovea;* Cajetanus, *rumpetur rota ad puteum*; Tigurina, *et rota puteo imposita currat.*

Confractio rotæ super cisternam, quæ? Hebræi confractionem rotæ super cisternam, æque ac hydriæ super fontem, interpretantur confractionem tabularum legis in arca Testamenti contentarum, factam in captivitate Babylonica et Romana. Verum ad litteram hæc spectant ad ærumnas mortis. Unde

Resp. Primo. *primo*, Clarius per *rotam* accipit cranium, quod in sepulcro confringitur, aut vitam, quæ quasi rotis currit fractis, et præceps ruit in foveam sepulcri.

Secundo. *Secundo*, Cajetanus accipit alitum sive anhelitum, quo respiramus, quamdiu vivimus, qui in morte tollitur et cessat deficiente respiratione; apte dicitur *rota*, quia halitus attractio, puta inspiratio et exspiratio, fit

Tertio. quasi circulari motu ad puteum pulmonis. *Tertio*, Joannes Vitalis, in *Speculo morali S. Scripturæ*, verbo *Mors*, per *rotam* accipit volubilitatem appetitus sensitivi, quæ est in toto corpore, immittendi et emittendi istam aquam, scilicet caloris naturalis per omnia membra.

Quarto. *Quarto*, Olympiodorus, S. Hieronymus et alii censent idem significari per confractionem rotæ super cisternam, quod per confractionem hydriæ super aquam, de qua jam

Quinto. dixi. *Quinto*, magis apposite, Vallesius, cap. LXVI *S. philos.*, confractionem tam hydriæ super fontem, quam rotæ super cisternam, accipit de stranguria vel ischuria, id est difficultate urinandi, qua laborant senes : « Fons enim, inquit, est hepar, ejusque meatus et via per quam emanat urina; hydria est vesica, quæ illi superstat; rota est ren, qui aquam urinæ trahit, et transmittit in vesicam; cisterna est vena cava et hepar, unde hauritur serum sanguinis, quod est materia urinæ : quæ omnia in senibus confringuntur, id est debilitantur, luxantur, solvuntur : quare senibus ob debilitatam vim retentricem vesicæ, primo difficulter addunt, deinde omnino non reddunt urinam; itaque sensim aqua urinæ vitalia merguntur et suffocantur, atque homo moritur. » Sic et S. Bonaventura, Lævinus Lemnius et alii. Cum enim renes, qui velut hydria exhauriunt aquosum ex sanguine humorem, calculosi fiunt, et interdum velut testacea fragmenta, decidunt confracti in vesicam lapilli; vel cum etiam in vesica ex siccis excrementis generantur, tunc aut supprimitur urina, aut difficulter excernitur, et guttatim stillat. Titelmannus vero, sicut per confractionem hydriæ super fontem, accipit confractionem vesicæ : sic per confractionem rotæ super cisternam accipit contritionem alvi, per quam egeruntur stercora, sicut per vesicam egeritur urina : « Per confractionem rotæ super cisternam, inquit, intelligi potest destructio meatus impuræ superfluitatis : rota enim instrumentum est per quod de cisterna educitur aqua impura et sordida : cisterna enim plerumque continet aquam lutulentam, et frequenter purgari debet. Ita venter est quasi cisterna quædam impura stercora semper in se continens, quæ debent per secessum emitti, ut purgetur immunda cisterna; rota autem, per quam fit purgatio hæc, meatus, et secessus ipse accipitur. » Igitur duplex ventris spurcities duplici hoc ænigmate, honesta elegantique periphrasi describitur.

Sexto genuine. *Sexto* et genuine, rota est caput, cisterna est cor, a quo caput haurit omnes spiritus vitales per sensus, qui in capite resident : corde enim deficiente in senibus, deficit quoque cerebrum et caput, atque eodem moriente pariter emoritur. Ita Lyranus, Vatablus, Emmanuel Sa, Dionysius et alii. Hinc in senibus videmus caput tremulum, ac cor palpitans et pavidum.

Cerebrum est rota, cor cisterna. Primo. Nota, apte cerebrum et caput comparantur rotæ, cor cisternæ. *Primo*, ob rotunditatem : sicut enim rotunda est rota, sic et caput; hinc a גלגל *gilgal*, id est rota, dicitur גלגולת *gulgoleth*, id est caput. Chaldæi dicunt *gulgota*; unde *Golgota*, id est locus craniorum et capitum eorum qui morte plectebantur; unde ibidem crucifixus est Christus.

Secundo. *Secundo*, ob volubilitatem : sicut enim volubilis est rota, sic et caput, quod per colli vertebras in omnes partes se rotat et gyrat.

Tertio. *Tertio*, ob rotationem cogitationum, imaginationum, desideriorum, volitionum, intentionum, quibus anima hominis in capite assidue rotatur et volvitur.

Quarto. *Quarto,* ob vertigines, quibus in capite laborant senes ob defectum spirituum et copiam humorum, quos cum debilis calor consumere nequeat, agitat et rotat in orbem, itaque vertigines efficit. Denique, caput cordi superpositum est, velut rota cisternæ : cor enim est fons caloris, et vitalium origo spirituum totius corporis, sed præsertim capitis.

Minus apte Clarius per *rotam* accipit cranium, quod cerebrum continet, ejusque est sedes. In morte enim non confringitur cranium, utpote osseum et durum; imo crania cum cæteris ossibus in cœmeteriis collecta, ad plurimos annos integra perdurant, indeque dicitur cranium, a κράνος, id est galea, quod instar galeæ cerebrum (utpote natura sua mollissimum) a læsione tueatur, teste Galeno, lib. VIII *De Usu partium,* cap. IX, ubi cranium vocat immobilem murum cerebro circumdatum.

Symbolice. Symbolice per *rotam* æque ac *hydriam,* accipias animam colligatam fonti vel cisternæ, id est corpori, *q. d.* Sicut rupta hydria ad fontem, et disrupta rota, qua per funem attrahitur aqua ex cisterna, fonte, vel puteo, jam impossibile est haurire ex ea aquam : sic deficientibus et exhaustis in senio facultatibus, viribusque naturalibus et vitalibus, anima et vita retineri non potest; sed anima ad Deum creatorem suum recurrente, corpus cum suis spiritibus et humoribus in suos fontes et cisternas, id est in sua elementa, recurrit et resolvitur. Ita Chaldæus qui vertit, *et decurrat corpus tuum in medium sepulcri tui.* Sic S. Jacobus, cap. III, 6, ait de lingua : « Inflammat rotam nativitatis nostræ, » id est omnem vitæ ordinem, cursum, periodum et circulum. Vide ibi dicta. Sic et S. Hieronymus, qui proinde confractionem hydriæ et rotæ censet esse ænigmata mortis. Et Scholiastes : « Præsens vita, inquit, eo quod volvatur, rota est : igitur antequam nos ad inferos detrudat, curam sui gerat unusquisque. » Olympiodorus legit, *antequam convolvatur rota super lacum;* hoc est, convolvendo infringatur, et decidat in lacum, sive cisternam, una cum aqua ipsa, quam figuli suo operi superinfundunt : « Rota, inquit, accipitur nostra hæc vita, ob ipsas revolutiones ac motus, juxta illud : Vox tonitrui tui in rota. Innuit ergo, antequam rota hujus vitæ nos secum præcipites devolvat in lacum, propriam curemus salutem. » Vide S. Hieronymum.

Quocirca S. Nilus in *Parænesi* : « Ride, ait, rotam vitæ sine ordine rotatam : cave vero foveam, in quam devolvit dormientes in ipsa vita. » Dormit ergo, et desipit, qui vivit huic vitæ; vigilat vero et sapit, qui vivit futuræ et æternæ. Simili

Vita est rota. tropo Phocylides ait : ὁ βίος τρόχος, id est vita est *trochus,* quia instar trochi rotatur. Philosophus ille, rogatus quæ et quantula esset vita hominis, non verbo, sed facto respondit; vertit enim se ipsum in orbem, innuens eam unius gyri duratione metiendam. Quocirca sapienter Agapetus diaconusin *Exhort. ad Justinianum imperatorem,* cap. XI : « Circulus, inquit, quidam humanarum revolvitur rerum, qui modo sic, modo aliter agitat ipsas et circumfert : atque his inæqualitas est, eo quod nihil in præsentibus in eodem statu maneat. Oportet igitur te, potentissime imperator, in hac rerum versatili mutatione immutabilem habere pietatis cognitionem. » Et Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 158 : « Tempus, inquit, rotæ speciem imitatur, utpote quod in sese torqueatur, et convolvatur. »

Tropologice. Tropologice, Thaumaturgus tam per *hydriam* super fontem, quam per *rotam* super cisternam, accipit tempus in hac vita nobis datum ad abluenda peccata, tum baptismo, tum lacrymis, et pœnitentiæ sacramento.

Anagogice. Anagogice, Titelmannus *confractionem rotæ* super cisternam accipit ut symbolum resurrectionis, *q. d.* Quemadmodum rota illa, quæ super cisternam posita est, violenter illic detineri debet inclusa ferramentis et clavis affixa; postea vero quam frangitur illa, aut vincula, sive clavi quibus illa hæret affixa, tum in plenitudinem aquæ ruit, et ibi quietem habet : sic anima hominis in corpore isto mortali et corruptibili, quasi violenter detinetur, nimirum quasi in carcere et ergastulo, compage naturali alligata; quibus ligaminibus confractis in morte, anima ipsa in plenitudinem aquæ, puta in abyssum divinitatis transit, ibique plena fruitur requie. Nec mirum videatur, quod rotæ comparetur anima in corpore, quoniam sicut rota in suis retinaculis assidue movetur et circumvolvitur, sic anima in hoc corpore corruptibili raro quiescit, sed continuo volutatur nimia mutabilitate. Et quomodo rota illa, quæ supra cisternam est, per hoc quod se volvit super cisternam, aquam haurit ex ea; non habet tamen requiem, donec collabatur in ipsam, sic anima etiam pro statu corporis hujus, dum se ad illam abyssum divinitatis convertit, ac circa illam sese occupando volvitur, aquas gratiæ ex ea haurit in consolationem et refrigerium; verumtamen non plenam habebit hic requiem, donec rupta ad illam recurrat, ut plene in illam sese possit immergere. Huc facit illud Platonis, σῶμα dici quasi σῆμα, quod corpus sit quasi lacus et carcer animæ; ex quo proinde anima evolare gestiat ut libertate sua in cœlo potiatur. σῶμα, σῆμα.

Porro omnes ærumnæ senii et mortis, hisce ænigmatibus repræsentatæ, competunt quidem omnibus senibus et moribundis, sed maxime iis qui juventutem in voluptatibus exegerunt, ac naturæ vires libidinibus exhauserunt et corruperunt. Quare Salomon hic maxime monet juvenes, ut ab iis se contineant, dicendo infine capitis præcedentis : « Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam (nequitiam voluptatis et libidinis) a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, » ut te ab ira et rixa, æque ac a voluptate et libidine conti-

neas, « antequam » per ea, citius solito, veniat « tempus afflictionis tuæ, » puta ne tibi obveniat præmatura senectus ærumnosa, ex eaque mors.

Igitur singulas has ærumnas, ab initio capitis usque ad hunc versum recensitas, ex libidine juventutis provenire, ac per eas senium accelerari, ostendi initio capitis in *Synopsi*; nunc idipsum ostendam in quatuor ænigmatibus hoc versu commemoratis.

Ergo salacibus et luxuriosis juvenibus, per gulas et libidines, præmature recurrit *vitta aurea*, id est contrahitur meninx cum cerebro, indeque oritur calvitium, quia semen maxime deciditur a cerebro; quare nimia seminis effusione læditur cerebrum, quo fit ut luxuriosi laborent epilepsia, apoplexia, defluvio capillorum, hemicrania, aliisque cerebri capitisque morbis; sintque obliviosi, tremuli, pallidi, languidi, infirmi, uti medici docent, et experientia quotidiana demonstrat : videmus enim luxuriosos uti liene, sic et cerebro debilitari ac laborare. Quocirca Ætius loco mox citando, asserit libidinem « neque ad animæ ratiocinationes conducere, imo potius congelare et obstupefacere intelligentiam. » Simplicius in *Commentario Epicteti*, cap. XLVII : « Omnis voluptatis corporeæ continentia, ait, animum rationis capacem corroborat. » « Libido, inquit S. Ambrosius, a ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat. » Et S. Hieronymus : « Amor formæ, rationis oblivio est, et insaniæ proximus : fœdum, minimeque conveniens animo sospiti vitium; » et iterum : « Quis enim, cum utatur voluptate, ea attendere animo quidquam potest? »

Inde rumpitur « funiculus argenteus, » id est contrahitur læditurque medulla spinæ dorsi, per quam spiritus vitales a cerebro ad partes inferiores commeant, quia medulla hæc oritur ex cerebro in occipitio; cerebro ergo per libidines læso, necesse est medullam lædi. Unde Plato dicebat semen esse spinalis medullæ defluvium, teste Plutarcho, lib. V *De placitis Philos.* cap. III.

Rursum, ex nimia luxuria et seminis effusione conteritur « hydria super fontem, » id est sanguis jecoris effunditur : semen enim est purissimus sanguis; unde semine per nimiam libidinem effuso, succedit et effunditur sanguis : inde phthisis oritur, et sanguinis sputum. Ita Hippocrates, lib. II *De Morbis vulg.*; Celsus, lib. III, cap. XXII; Ætius, *Tetrab.* I, serm. 3, cap. VIII, quem audi : « Viri multi, ex multa venere sanguinem expuerunt : partim ob violentam spiritus compressionem et intensionem, partim ob venarum et arteriarum, quæ ad genitales partes deferuntur, communionem. » Deficiente sanguine et spiritu, qui multus in semine effunditur, deficit pariter jecur, stomachus et cor; unde sequuntur languores, deliquia, cacochymia, pallor, macies, aliaque sanitatis damna, uti iidem docent. Ad hæc, salacibus conteritur « hydria super fontem, » id est renes et vesica morbos contrahunt : in renibus enim est seminis origo; hi proinde per libidines, semine exhausto, deficiunt et fatiscunt : unde oritur stranguria, flatus, calculus, etc.

Denique, iisdem confringitur « rota super cisternam, » id est læditur caput, dum deficiente corde, jecore et stomacho, ex iis nec alimoniam, nec sanguinem, nec spiritus vitales ad motum et sensationem quamlibet necessarios haurire potest. Quocirca visus, auditus, sensusque omnes hebetantur et deficiunt. Hinc Theotimus, impatiens libidinis, maluit patiens esse cæcitatis, quam medici ei prædixerant, si libidine uteretur. Unde exclamavit : « Vale, amicum lumen, » uti narrat S. Ambrosius, lib. IV *in Lucam*, cap. XVII.

Cur autem caput magis sentiat damna luxuriæ quam cætera membra, duas causas dat Viegas Eborensis, *Artic. med.* cap. XLVII : Prior est, quod cerebrum et caput sit extremum, in quo cessat vis tractoria, quæ ex alia parte non potest trahere; trahunt autem partes infimæ successione continua usque ad cerebrum. Altera, mollities cerebri et medullæ dorsalis, quæ trahentibus partibus facilius cedit quam partes solidæ. Inde salaces et libidinosi sunt imminuti cerebri et exhausti medulla dorsi. Sapienter ergo vereque Galenus, lib. II *De Sanit.* : « Si voluptate esca malorum, ait, ad congressum impellamur, futurum profecto est, ut non corporis modo, sed animi vires frangantur pene omnes, prorsusque cum vita una pereant : frequens enim venus corporis habitum solvit, senectutem accelerat, canos maturat, nervorum incontinentiam, podagras, arthritides, tremores, sensuum hebetudinem, mentis torporem, malum corporis habitum, succorum cruditatem, ac virium corporis omnium, functionumque ab his manantium infirmitatem facit, » etc. Addit hic Ætius, *Tetrab.* I, serm. 3, cap. VIII : « Renum et vesicæ morbos, oris graveolentiam, dentium dolorem, gurgulionis inflammationem, sanguinis sputum, ulcera in membris, febrem, et omnia mala. »

Luxuriosi laborant capite.

Ratio a priori.

Quare vere concludit S. Isidorus, lib. II *Sentent.* cap. XL : « Castitas est securitas mentis, sanitas corporis. » Et Plutarchus in Præceptis *De Sanitate tuenda* asserit « optime dictum saluberrima esse hæc : alimenti citra satietatem usum, alacritatem impigram ad labores, naturæ seminis conservationem. » Subjungit : « Intemperantia enim coitus, eo quod maxime eam facultatem debilitat, qua nutrimentum conficitur, excrementorum gignit copiam. »

Tria saluberrima.

7. ET REVERTATUR PULVIS IN TERRAM SUAM UNDE ERAT, ET SPIRITUS REDEAT AD DEUM, QUI DEDIT ILLUM. — *Pulvis*, id est Adam, sive homo, puta corpus hominis ex *adama*, id est ex terra et pulvere aqua mixto, sive ex limo a Deo formatum juxta illud quod Deus Adæ post peccatum intentavit : « In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis

Vers. 7. Pulvis redit in pulverem.

es, et in pulverem reverteris, » *Genes.* cap. III, 19, et cap. II, 7. Vide ibi dicta.

Exempla. Sic S. Paulus primus eremita, teste S. Hieronymo in ejus *Vita*, Antonium se invisentem salutans: « En, inquit, quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit multa canities; en vides hominem, pulverem mox futurum. » Et mox instantem sibi mortem prædicens : « Sed quia jam dormitionis meæ tempus advenit, et, quod semper cupiebam, dissolvi, et esse cum Christo, peracto cursu, superest mihi corona justitiæ, tu missus es a Domino, qui humo corpusculum meum contegas, imo terræ terram reddas. » Et S. Maria Ægyptiaca ad Zozimam, qui vitam ex ore ejusdem acceptam conscripsit : « Sepeli, abba Zozima, miseræ Mariæ corpusculum. Redde terræ quod suum est, et pulveri adjice pulverem. »

Hinc S. Scriptura mortem vocat *dissolutionem*, scilicet animæ a corpore resolutionem, puta corporis in sua elementa dimissionem, depositionem. Idem imitati sunt Plato et philosophi : unde Plutarchus in *Apol. ad Apollon.* mortem vocat, *discretionem rei concretæ*, citatque illud Epicharmi :

> Concretus est, ac discretus, et rursus abiit, unde venerat :
> Terra quidem in terram, spiritus ad supera.
> Vivens ergo, sæpe morere, ut mortuus vivas :
> Ne moriare, opus est mortem præcurrere morte.

Hinc et Lyricus :

> Pulvis et umbra sumus, pulvis nihil est, nisi fumus :
> At nihil est fumus; nos nihil ergo sumus.

ET SPIRITUS REDEAT AD DEUM, QUI DEDIT ILLUM, — tanquam ad suum uti factorem, sic et judicem (hunc enim significat hebræum *Elohim*), ut illi actionum suarum per omnem vitam exercitarum rationem reddat, et pro meritis, vel præmia, vel supplicia recipiat. Aliter ergo pulvis, sive corpus redit ad terram, aliter spiritus, id est anima redit ad Deum. Corpus enim redit, quia corrumpitur et resolvitur in terram, velut in materiam, ex qua formatum est; spiritus vero, sive anima hominis, non corrumpitur, sed immortalis manens redit ad Deum, velut sui judicem, utpote a quo creata est ad imaginem et similitudinem ejus, puta rationalis, libera, spiritalis, immortalis, ut bene agendo æternam gloriam, male operando perennem gehennam subeat (1).

Animæ immortalitas demonstratur. Hinc ergo, et ex similibus locis clare patet animam hominis esse immortalem, utpote quæ non sit ex traduce et semine parentum producta, sed immediate a Deo creata, qui proinde vocatur pater spirituum. Unde S. Hieronymus : « Ridendi sunt, inquit, qui putant animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est Deum patrem animarum esse, non homines. » Sic et Cassianus, *Collat.* VIII, cap. XXV. Et S. Augustinus, epist. 3 *ad Volusianum* : « Quis nunc est, ait, extremus idiota, vel quæ mulierecula, quæ immortalitatem animæ non credat, vitamque post mortem futuram? » Idem, lib. I *De Genesi ad litteram*, cap. IX, ex hoc Salomonis loco probat animam primi hominis, puta Adæ, a Deo creatam ex nihilo; dubitat tamen de animabus posterorum, an ita dicantur creatæ a Deo, ut tamen propagentur ex traduce Adæ.

Inculcat Salomon juveni in voluptates et libidines prono, animæ immortalitatem, ac judicium ob eas coram Deo subeundum, quia hæc duo acre frenum voluptati et libidini injiciunt. Unde videmus eos, qui voluptati et luxuriæ totos se dedunt, ut id libere sine metu vindictæ faciant, sensim fieri atheos, ac negare animæ immortalitatem, judicium, cœlum, gehennam, imo omne numen. Quocirca Chaldæus vertit, *memento Creatoris tui, ut glorifices eum in diebus adolescentiæ tuæ.*

Rursum, ex eo quod anima e corpore exiens redeat ad Deum factorem suum, refellitur error pythagoræorum, origenistarum, ac similium, μετεμψύχωσις, id est transmigratio animarum ex uno corpore in aliud. Illi enim censuere animam in alia et alia corpora successive transmigrare, aut verti in dæmonem, vel brutum.

Denique S. Augustinus, lib. I *De Libero arbitr.* cap. XII, animas redire ad Deum, ad cœlum animas redire interpretatur; sed illud retractat et explicat, lib. I *Retract.* cap. I : « Alio loco, inquit, cum agerem de animo, dixi : Securior rediturus in cœlum. Iturus autem quam rediturus dixissem securius, propter eos qui putant animos humanos pro meritis peccatorum suorum de cœlo lapsos sive dejectos in corpora ista detrudi. Sed hoc ego propterea non dubitavi dicere, quia ita dixi *in cœlum*, tanquam dicerem *ad eum*, qui ejus est auctor et conditor : sicut Cyprianus non cunctatus est dicere. Nam cum corpus e terra, spiritum e cœlo possideamus, ipsi terra et cœlum sumus. Et in libro Ecclesiastis scriptum est : Spiritus revertatur ad Deum, qui dedit illum. Quod utique sic intelligendum est, ut non resistatur Apostolo dicenti, nondum natos, nihil egisse boni aut mali. Sine controversia ergo quædam originalis regio beatitudinis animi Deus ipse est. Qui eum non quidem de seipso genuit, sed de nulla re alia condidit, sicut condidit corpus e terra. Nam quod attinet ad ejus originem, qua fit ut sit in corpore; verum de illo una sit, qui primum creatus est, quando factus est homo in animam vivam, an semper ita fiant singulis singuli, nec tunc sciebam, nec adhuc scio. »

Ita ipse, sed jam ex Ecclesiæ interpretatione

(1) Conf. Lucretium, II, 998 :

> Cedit enim retro de terra quod fuit ante
> In terram, sic quod missum est ex ætheris oris,
> Id rursum cœli fulgentia templa receptant.

git definitione certum est animas hominum, non a parentibus propagari, sed singulis dum nascuntur, a Deo singulas creari, et creando infundi.

8. VANITAS VANITATUM, DIXIT ECCLESIASTES, ET OMNIA VANITAS.—Syrus, *omnis res vanitas;* Arabicus, *omnes enim res sunt vanæ.* Hoc est thema, quod Ecclesiastes initio libri probandum proposuit, ac nunc velut probatum repetit, et ex dictis, tanquam conclusionem, inductione omnigena firmatum infert et colligit. « Cum enim, inquit S. Hieronymus, cunctus mortalium labor, de quo in toto volumine disputatum est, huc perveniat, ut revertatur pulvis in terram suam, et anima illuc redeat, unde sumpta est; magnæ vanitatis est in hoc sæculo laborare, et nihil pro futuro conquirere, » præsertim cum de his judicandus sit et adjudicandus gehennæ, si illorum amore Dei legem violarit. Est ergo hic epilogus, in quo Salomon colligit summam totius concionis suæ, ut eam profundius lectoris menti infigat, utque lector sciat quid præcipue ex ea memoria retinere, et opere exercere debeat. Idem imitetur doctor et concionator. Porro Chaldæus magis enucleate vertit, *quando contemplatus est Salomon rex Israel vanitatem hujus sæculi, et vanitates quas operantur filii hominum, dixit Ecclesiastes in verbo suo : Omnia sunt vanitas.*

Gnome hæc fuse explicata est initio libri; quare nihil hic addendum occurrit (1).

Vers. 9. 9. CUMQUE ESSET SAPIENTISSIMUS ECCLESIASTES, DOCUIT POPULUM (*scientiam,* ut addunt Hebræa, Septuaginta, Syrus, Arabicus), ET ENARRAVIT QUÆ FECERAT : ET INVESTIGANS COMPOSUIT PARABOLAS MULTAS. — Hebraice est, *adhuc docuit populum, q. d.* Non tantum contenta hoc libro, sed et multa alia eo non contenta docuit populum. Unde liquet Salomonem multoties eum docuisse, tum viva voce docendo et exhortando ad virtutes et Dei cultum, tum scriptis idem factitando per omnia sæcula : nam

Vox audita perit, littera scripta manet.

Simili modo Job docuit populum sibi subditum, cap. XXIX, vers. 20 et seq. Hæc enim insignis est principis dos et laus.

Thaumaturgus censet hic queri Salomonem de auditorum oscitantia et perdita vita, ut concionem hanc et similes respuerent : « Cæterum, inquit, et hic meus, quamvis sapienter concionantis, labor sit supervacaneus apud populum illum, justitiæ negligentem doctrinamque et curam respuentem. »

Hebraice est, *et amplius quia fuit Ecclesiastes sapiens, adhuc docuit populum, q. d.* Quo fuit sapientior Ecclesiastes, eo diligentior fuit in docendo, quia sciebat ideo sibi hanc sàpientiam datam a Deo, ut eam alios, ac præsertim sibi subditos, doceret, itaque eos probos efficeret, et ad felicitatem æternam proveheret. Unde Hugo : « Non suffocavit, inquit, inventa quasi partum in utero; sed in lucem edidit; derivavit fontes suos foras, et aquas suas divisit, sicuti ipsemet docuerat, » *Proverb.* V, 16.

Porro, Thaumaturgus τὸ *et amplius* refert ad id quod præcessit hoc modo : « Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, omnia vanitas, et amplius; » quod sic explicat Thaumaturgus : « Dico igitur, sicut et principio dixi, miram esse vanitatem, qua occupantur homines, tamque superabundantem (hoc illud est, *et amplius*) ut nemo eam totam animo queat complecti. » Verum Noster et cæteri τὸ *et amplius* melius referunt ad sequent., scilicet ad τὸ *sapiens, q. d.* Cum Ecclesiastes esset amplius sapiens, id est sapientissimus.

ET ENARRAVIT QUÆ FECERAT. — Hebraice האזין *veitzen,* id est audire fecit, ut vertit Aquila, id est enarravit; S. Hieronymus, *audire eos fecit;* Syrus, *auscultatus est;* Pagninus, *et fecit auscultare;* Vatablus, *et commovit studium doctrinæ.* Minus recte Cajetanus, *et auscultabat,* scilicet populus Salomonem tanta sapientia et gratia docentem. Chaldæus, *et attendit voci sapientum;* alii apud Pagninum in Lexico, *audiendo perpendit ac investigavit, ponderavit, et libravit verba parabolarum.*

Septuaginta pro אזן *itzen,* alio puncto legentes אזן *ozen,* id est *auris,* vertunt, *et auris* (Salomonis, vel potius populi eum audientis) *investigabit ornatum parabolarum;* Arabicus, *et incrassata auris ejus ornamentum similitudinum.*

QUÆ FECERAT, — tum fabricando, unde fabricam templi a se ædificati, et officia ministrorum in libro descripsit, ut patet II *Paral.* XXXV, 4; tum res a se gestas, uti ea enarravit cap. II et seq., asserens se in omnibus invenisse vanitatem; tum maxime doctrinam, parabolas et sententias, quas meditando invenerat et composuerat, docuerat, dictarat, et amanuensibus scribenda tradiderat : hæc enim enarrare opus est Ecclesiastæ, id est concionatoris.

ET INVESTIGANS COMPOSUIT PARABOLAS MULTAS. — Apposite Noster pro חקר *chicker,* id est *investigabit,* alio puncto in Benoni legit חקר *choker,* id est *investigans,* eo quod desit copula *vau,* id est *et;* eam tamen subaudit et supplet Chaldæus

(1) « Sex postremis quæ supersunt commatibus epilogus continetur, quo ad conciliandum huic libro auctoritatem, Salomonis, tanquam auctoris, laudatur sapientia, atque in concinnandis elegantique stylo tradendis salutaribus præceptis, solertia. » Hæc Rosenmullerus, qui addit, non esse, cur hunc epilogum totius libri auctori abjudicemus, quum dictionis et conceptuum similitudine hoc addimentum proxime accedat ad habitum et ratio nem Ecclesiastæ.

Vers. 9. *Quod reliquum est, quod esset concionator sapiens, docuit homines alia scitu digna, perpendit item et perscrutatus est, multasque composuit sententias.* Alii *izzen* vertunt *enarravit,* cum Vulgato; *iother* vero interpretantur *abundans,* hoc sensu : Et abundans cum esset concionator sapientia, etc.

dum vertit, *et scrutatus est libros intelligentiæ, et parabolas intelligentiæ multas valde.* Hinc liquet Salomonem, non tantum composuisse parabolas et gnomas novas, et a se adinventas, sed et priscorum sapientium æque ac recentiorum sui ævi audivisse, vestigasse, concinnasse, correxisse, et in meliorem formam redegisse. Hæc enim omnia significat hebræum תקן *ticken*, quod proprie est rem dirigere, corrigere, concinnare, pangere, ita ut partes singulæ sibi invicem æque ac toti compositæ harmonice et apta convenientia congruant et respondeant, uti panguntur carmina, rhythmi, odæ. Unde Campensis vertit, *diligenter scrutando omnia, multa invenit ad sapientiam pertinentia, et multa restituit sapienter ab aliis dicta.* Rursum R. David *ticken* vertit, *expendit, ponderavit, res inter se contulit*, sicut solent, qui bilancibus duo pondera expendunt. « Inclinabo in parabolam aurem meam, » *Psalm.* XLVIII, 5, quasi dicat: Salomon, cum alios audiebat, judicium et momentum aurium ad ponderandum adhibebat; cum auditoribus suis aliquid enarrabat, inter dicendum etiam ponderabat rerum momenta, et singularum pondus atque dignitatem; ac Davidem patrem dicentem audiebat: quia ipse quoque inclinabat in suas parabolas aures suas. Vide quæ de parabolis Salomonis dixi initio *Proverbiorum.*

Vers. 10. 10. QUÆSIVIT VERBA UTILIA, ET CONSCRIPSIT SERMONES RECTISSIMOS, AC VERITATE PLENOS. — Septuaginta, *quæsivit Ecclesiastes, ut inveniret verba voluntatis, scriptum rectitudinis, verba veritatis;* Hebræa, *quæsivit verba voluntatis*, id est beneplacita, grata, et, ut Cajetanus vertit, *desiderata*, qualia sunt *utilia*, ut vertunt Aquila et Noster, quæ scilicet vir sapiens et probus velle debet et solet, quæque, ut ait Olympiodorus, *conformia sunt voluntati divinæ*, quæ qui sequitur, adipiscitur gloriam felicitatis æternæ. Hinc Vatablus exponit, *q. d. Quæsivit verba voluntatis,* id est notitias veras de expetendis et aversandis, adeoque de summo bono et malo.

S. Hieronymus per *verba voluntatis* accipit secreta voluntatis et providentiæ divinæ: « Super hæc, inquit, addidit causas naturasque rerum se voluisse cognoscere, et Dei dispositionem et providentiam; quare unumquodque, vel quomodo factum sit, scire voluisse, ut quod David post dissolutionem corporis et animæ ad cœlum recursum se sperat esse visurum, dicens: Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, hoc nunc in præsenti Salomon nisus fuerit invenire: et veritatem soli Deo cognitam, corporis vallata septo mens humana, comprehendere non potest. » Chaldæus vero per *verba voluntatis* accipit secreta cordium: « Quæsivit, inquit, Salomon, qui appellatur Ecclesiastes, in sapientia sua, ut judicaret judicium de cogitationibus cordis hominis, et absque testibus; tunc dictum est ei in spiritu prophetiæ a facie Domini: Ecce jam scriptum est in libro legis per manum Moysi magistris Israel, verba recta et fidelia: per verbum prædictorum testium stabit omnis res. »

Verum hæc aliena sunt et minus vera: solus enim Deus est *cardiognostes*, id est secretorum cordis inspector, idque optime sciebat Salomon: quare non est credibile eum illa voluisse scrutari. Optime ergo S. Hieronymus in Vulgata vertit, *quæsivit verba utilia;* unde et sequitur:

ET CONSCRIPSIT SERMONES RECTISSIMOS. — Hebræa et Septuaginta, *et scriptum rectitudinis* (1), repete *quæsivit*, id est volumen legis, inquiunt Hebræi: hujus enim studium commendatum est regi a Mose, *Deuter.* XVII, 17; et ipsi Josue a Deo, *Josue* I, 8. Melius Noster pro כתוב *catub*, id est scriptum, alio puncto legens כתוב *catob*, id est scribere, vertit, *quæsivit scribere*, id est conscripsit *rectitudinem*, hoc est sermones rectissimos. Omnia enim hæc spectant ad parabolas et gnomas a Salomone dictatas et conscriptas. Unde S. Hieronymus in veteri editione vertit, *ut inveniret verba voluntatis, et scriberet recte verba veritatis;* Aquila, *et conscripsit recte.*

Quod si retinere velis *catub*, id est *scriptum*, expone *scriptum*, scilicet non a Mose, sed ab ipso Salomone. Vatablus vertit: *Scriptura rectitudinis, hoc est*, inquit, *quod recte litteris mandare posset*, vel *stylo æquabili studuit tradere sapientiam.* Melius *verba rectitudinis* exponas *verba recta*, id est rectæ rationi, veritati, justitiæ, legi et voluntati divinæ, velut suæ normæ et regulæ directe conformia, non obliqua, non torta, non perversa, ut sunt verba impiorum, juxta illud quod Sapientia de se ait, *Prov.* VIII, 8: « Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum. » Unde Thaumaturgus *rectum* exponit, gratum Deo: « Ego, inquit, tam grandis natu longumque vitæ spatium emensus, in iis quæ Deo grata et accepta sunt, per veritatis mysteria exquirendis, animum defatigavi. » Recentior quidam clare vertit, *conscripta est rectitudo verborum veritatis.*

Vers. 11. 11. VERBA SAPIENTIUM, SICUT STIMULI, ET QUASI CLAVI IN ALTUM DEFIXI, QUÆ PER MAGISTRORUM CONSILIUM DATA SUNT A PASTORE UNO. — Clare Thaumaturgus: « Comperi animos non minus sapientium admonitionibus excitari, quam si aculei clavique corporibus infigantur. Unde spero futuros, qui doctrinas illas sapientia plenas, sibique a fideli pastore et præceptore creditas, posteris enarraturi sint, multo uberius et ornatius, tamque consonanter, quasi ex uno ore audierint. » Chaldæus: « Verba sapientium comparantur stimulis, et sicut clavi defixa sunt ad docendum scientiam eos qui sunt vacui absque scientia; sicut stimulus docet bovem. Et principes consilii habentes regulas, et doctrinas, quæ datæ sunt per manum

Verba sapientium stimuli.

(1) Proprie, *et scriptum* est *rectitudo verba veritatis*, pro *verba veritatis* sunt *recte scripta.*

Moysi prophetæ, qui solus pascebat populum domus Israel in deserto, in manna, in coturnicibus (1). »

Ostendit Salomon utilitatem, vim et efficaciam suæ sapientiæ et doctrinæ, quod scilicet sapientiæ et sapientum (quorum ipse primus erat) verba animum pungant, ut stimuli vel aculei, ac profunde intimeque menti infigantur, ut clavi. Ita S. Hieronymus : « Ne videretur, inquit, post legem Dei, temerarius subito præceptor erumpere, et sibi vindicare doctrinam, quam Moyses non tam sua sponte, quam Deo irascente primum, dehinc inspirante susceperat; dicit verba sua, verba esse sapientium, quæ in similitudinem stimulorum corrigant delinquentes, et pigros mortalium gressus, aculeo pungente commoveant : sicque sint firma quasi clavi in altum solidumque defixi, nec auctoritate unius, sed consilio atque consensu magistrorum omnium proferantur. Et ne contemneretur omnium sapientia, ait eam ab uno pastore concessam, id est, licet plurimi doceant, tamen doctrinæ hujus auctor unus est Dominus. Facit hic locus adversus eos, qui alium legis veteris, alium Evangelii existimant Deum, quod unus pastor concilium prudentium instruxerit. Prudentes autem, tam prophetæ sunt quam apostoli. »

Deinde apposite annotando subjungit : « Simul et hoc notandum est, quod dicuntur verba sapientium pungere, non palpare, nec molli manu attrectare lasciviam, sed errantibus, et (ut supra diximus) tardis pœnitentiæ dolores et vulnus infigere. Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis. Verba quippe sapientium, ut stimuli : quæ quoniam ad conversionem provocant delinquentem, et firma sunt, et a concilio sanctorum data atque ab uno pastore concessa, et solida radice fundata sunt. Hoc stimulo necdum Paulum, sed adhuc Saulum puto in via confossum erroris, audisse : « Durum tibi est contra stimulum Dei calcitrare. » *Act.* IX, 5. Huic sententiæ affinis est gnome quinque veterum Rabbinorum in *Pirke Avoth*, cap. II : « Ad ignem sapientium incalesce, si potes : incendio autem illorum ne ardeas cave : dentes enim eorum dentibus vulpinis acutiores sunt; pungunt ad instar scorpionum, et verba ipsorum tædarum in modum urunt, ac in cineres solvunt. »

Sic quoque exponit S. Gregorius, hom. *in Evang.* : « Clavis, inquit, ac stimulis sapientium verba comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Huc pertinet illud Dei per Jeremiam; « Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? » *Jerem.* XXIII, 28 et 29. Ubi D. Hieronymus : « Pulchre, inquit, doctrina perversa paleis comparatur, quæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos, sed de manibus stipulis conteruntur. Et statim docet talem esse hæreticorum doctrinam, « qui omnes, inquit, auditores suos adulatione decipiunt. » Contra vero fidelis prædicator igni et malleo comparatur, qui ab omni adulationis specie remotissimus « nuntiat, inquit, futura supplicia, ut deterreat homines a peccando, et paleis peccatorum comminatur incendium, ut hæreticorum corda dura, et instar silicis indomabilia, sermonis sui malleo conterantur. » Intellige pigris, tardis et contumacibus hosce stimulos esse adhibendos; nam cum diligentibus, strenuis et obedientibus oportet sermones esse profluos, puros, dilucidos ac demulcentes, ait S. Ambrosius, *epist.* 19. Illi enim aguntur timore, hi amore. Idem de bobus jubet Columella, lib. II, cap. II, et lib. VI, cap. II : « Voce, inquit, potius quam verberibus bubulcus bovem terreat, ultimaque sint opus recusantibus remedia plagæ; » hæc de veterano bove; at de juvenco : « Nunquam stimulo lacessat juvencum, quod retractantem calcitrosumque eum reddit; nonnunquam tamen admoneat flagello. » Et iterum : « Boves verentes sint plagarum et acclamationum. »

SICUT STIMULI. — Septuaginta, ὡς τὰ βούκεντρα, id est, sicut stimuli boum, quo scilicet boves et asini pigri pungantur ad citius incedendum, fortiusque arandum. Audi Olympiodorum : « Sicut enim stimuli boves pungunt, urgentque aratro sulcum proscindere : ita et theologorum verba excitant nos, qui spe bona aramus, proscindere sulcum spiritualem, ut cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conseramus. Similia quoque sunt clavis ignitis atque candentibus, qui altius ac facilius lignis infiguntur : ita et sapientium verba theologorum in penitissimos sinus intellectus nostri altius figuntur. » Syrus vertit, *tanquam ferulæ*, quarum plagis magistri discipulos exstimulant ad studium.

ET QUASI CLAVI IN ALTUM DEFIXI. — Hebræa, *quasi clavi plantati*; Septuaginta, *pariter* πεφυτευμένοι, id est *plantati*; pro quo Arabicus et Olympiodorus legunt, πεπυρωμένοι, id est *igniti* et candentes : hi enim, inquit, facilius altiusque lignis infiguntur. Aquila et Theodotion addunt πεπηγότες, id est *infixi*, scilice explicant τὸ *plantati* per *infixi*. Hisce sapientium monitis, quasi clavis configimur Christo crucifixo, dum per ea crucifigimus vitia, passiones, omnesque privatarum affectionum et cupiditatum motus : *nam sicut clavus affixus retinet rem cui affigitur, ita doctrina hominem continet*, ait Vatablus. Syrus pro *quasi clavi* vertit, *tanquam vomeres*. Hoc est quod ait Apostolus, *Hebr.* cap. IV, vers. 12 : « Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. »

(1) Rosenmullerus, *dicta sapientium sunt velut stimuli, et velut clavi infixi*, (quod sequitur appositio est vocis *clavi*) *compingentes* (proprie *domini collectionis*, id est, instrumenta res alioquin disjunctas colligentia), *traditi a rectore uno*, Deo Maurero *doctor unus* est Koheleth.

QUÆ PER MAGISTRORUM CONSILIUM. — Hebræa, *per viros*, vel *dominos*, vel *auctores collectionum* vel *congregationum*, qui scilicet colligunt veterum sententias et dogmata, vel potius qui in collectione, id est cœtu, collegio et concilio sedent et præsident. Chaldæus vocat *magistros et doctores viarum*; S. Hieronymus in veteri editione vertit, *habentibus cœtus data sunt*; Septuaginta, *qui a consiliis dati sunt a pastore uno*; Syrus, *qui concavi sunt domini liminum, dati sunt a pastore uno*; Arabicus, *quos intellexerunt ex thesauris operum suorum a pastore uno*; alius, *verba sapientium sunt quasi stimuli, et clavi fortiter fixi, sustinentes collectam supellectilem*. Verum Hebræi cum Nostro genuine vertunt, *auctores collectionum, collectaneorum*, vel *congregationum*, uti dixi. Tigurina, *inter folia collectitia*; Campensis, *velut clari viri studiosi, qui aliis inculcant ea quæ donata* (alii, *tradita*) *sunt ipsis*; R. David, *quasi clavi verba sapientium, qui congregant verba sapientia in libris suis*; alius, *magistri collegiorum*, vel *congregationum*; alius, *domini discipulorum collectorum in schola*, vel *auctores Pandectarum, qui multa hinc inde excerpta in unum volumen conferunt*. Sensus nostræ versionis est, *q. d.* Per magistrorum congregationes, et *consilium* (pro quo multi codices, præsertim manuscripti, apte cum Septuaginta legunt, *concilium*, idque habet S. Hieronymus), id est unanimem consensum, quasi ex uno cuncti loquantur ore, verba sapientium firma et certa sunt tradita, utpote qui omnes ab uno edocti sint pastore et magistro, scilicet Deo et Christo.

Hinc disce dogmata sapientiæ, quæ sunt in Ecclesia, non esse nuper inventa, sed per manus tradita a Deo et Christo primis prophetis et apostolis, ac ab iis successive aliis et aliis communicata, tandem ad nos devenisse. Rursum, quanta fides et reverentia sit deferenda Patribus cæterisque Ecclesiæ magistris. Porro magistros hos enumerat Cajetanus : « Abraham, ait, primus congregationis auctor mediante circumcisione ; Moses auctor congregationis mediante lege; Judices deinde, auctores congregationum ad cultum unius Dei a diversis idololatris: prophetæ deinde congregantes populum a malis moribus ad Deum. Omnes ergo hi ab uno pastore Deo, dati ad pascendum populum verbo divino. »

Sapienter S. Paulus monet, II *Timoth.* cap. II, 2 : « Quæ, inquit, audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus; » nam hi magistri, ut ait Thaumaturgus, « sapientissima illa documenta a bono uno pastore et magistro accepta, quasi ex uno ore omnes, atque inter se concordes dabunt, creditam sibi doctrinam ornatius, et copiosius exponentes. »

CONSILIUM. — Jam dixi alios legere *concilium*. Hebræum אספות *asuppoth* significat *collectiones, collectanea* (uti collectaneas ex philosophis et Patribus sententias collegit Damascenus, Beda, Antonius in *Melissa*, S. Maximus, S. Bonaventura et alii), congregationes, cœtus. Igitur *magistrorum concilium* idem est quod magistrorum cœtus, collectio, congregatio, consensus. Sic concilium regium vocatur ipse Senatus regius, sive Consiliarii regis. Septuaginta vertunt συνθέματα, id est compositiones, compages, coagmentationes, item pacta, signa, tesseræ; aliqui legunt συντάγματα, id est constructiones, constitutiones; unde Olympiodorus, *hæc autem verba tradita sunt nobis ex constitutionibus*; alia vero exemplaria habent, *e compositionibus*. « Constitutiones autem, sive compositiones, intellige opera Dei, quæ admirabili ac supremo ordine et harmonia disposita et constituta sunt, ex quibus proportione quadam ac similitudine ducimur in aliquam Dei opificis cognitionem. Poteris et constitutiones hoc loco accipere pacta utriusque Testamenti, Veteris scili cet ac Novi. »

A PASTORE UNO. — Campensis, *ab unico pastore Deo*; Tigurina, *ab uno pastore Spiritu Sancto*; Chaldæus per pastorem populi accipit Mosen. Melius Salonius et cæteri : Pastor unus, inquiunt, est Deus, magistri sunt prophetæ et apostoli : Deum enim hic apposite vocat *pastorem*, ut persistat in metaphora stimulorum, quibus pastores boves et jumenta ad progrediendum exstimulant, *q. d.* Licet plurimi sint magistri, qui populum doceant, unus tamen omnis veræ doctrinæ auctor, fons et origo est Deus et Christus, qui proinde sui vicarium in lege veteri constituit pontificem, quasi summum Synagogæ doctorem et judicem, cui in omnibus auscultari et obediri jussit, *Deuter.* XVII. Multo magis in lege nova constituit S. Petrum, eique succedentes Pontifices romanos, Ecclesiæ totius doctores et pastores, *Joan.* XXI, 16, ut ab uno pastore unitas fidei et doctrinæ hauriretur et servaretur; nec in varias iretur hæreses et errores, uti solide et eleganter docet S. Cyprianus, lib. *De Unitate Ecclesiæ*. Sic enim hierarchia Ecclesiæ in monarchiam, quæ optimum est regimen, desinit : monarcha enim est Pontifex. Hinc olim σύνθεμα, id est tessera orthodoxi verique christiani, erat, et etiam nunc est, fide sociari, et obedientia subjici romano Pontifici. Unde S. Hieronymus, epist. 57 *ad Damasum Pontificem*, quærens ab eo an in divinis dicendæ sint tres hypostases, an una duntaxat : « A sacerdote, inquit, victimam salutis, a pastore præsidium ovis flagito, etc.; cum successore piscatoris, et discipulo crucis loquor; ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est : si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. »

Pastor unus, quis?

Ex dictis liquet perperam Hunnium, Witackerum similesque novatores, ut longius ab hoc loco arceant romanum Pontificem, per pastorem unum intelligere ipsum Salomonem, quia reges

pastores vocantur; per *sapientes* vero sententiarum Salomonis collectores, pastor enim hic vocatur non rex vel rector, sed doctor et illuminator, qui alios pascit sua doctrina, quorum princeps est Deus, a quo omnes magistri et sapientes, etiam qui ante Salomonem exstiterunt, suam hausere sapientiam, uti hic ait Salomon. Vide Gretserum in *Apolog. Bellarmini*, tom. I, lib. III, cap. IV.

Vers. 12. 12. HIS AMPLIUS, FILI MI, NE REQUIRAS. FACIENDI PLURES LIBROS NULLUS EST FINIS : FREQUENSQUE MEDITATIO ; CARNIS AFFLICTIO EST,—*q. d.* Hoc libro hucusque sat superque tibi, o lector, descripsi viam et rationem bene beateque vivendi; quare non est quod his plura requiras, nec alios libros curiose evolvas; sicut enim faciendi plures libros, sic et eos legendi non est finis. Curiositas enim hominum est immensa, nec habet finem; quare nisi illi modum ponas, limitemque figas, te ab uno vero summoque bono in vana multaque distrahet, et acriter cruciabit, quia frequens meditatio, quam parit frequens lectio, ac magis scriptio, est carnis afflictio.

Rursum, *amplius his*, scilicet quæ tradita sunt a pastore uno per magistrorum consilium et cœtum, puta per prophetas, apostolos, Patres et doctores, ne requiras : quare superfluum est plures inutiles libros conscribere, aut legere. Ita S. Hieronymus : « Exceptis his verbis, inquit, quæ ab uno pastore sunt data, et a concilio atque consensu prolata sapientium, nihil facias, nihil tibi vindices; majorum sequere vestigia, et ab eorum auctoritate non discrepes. Alioqui, quærenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te pertrahat ad errorem, et legentem multa, frustra faciet laborare. Vel certe docet brevitati studendum, et sensum magis sectandum esse, quam verba, adversus philosophos et sæculi hujus doctores, qui suorum dogmatum falsitates conantur asserere varietate ac multitudine sermonum. Econtra Scriptura divina brevi circulo coarctata est, et quantum dilatatur in sensibus, tantum in sermone constringitur. Quia consummatum breviatumque sermonem fecit Deus super terram, et verbum ejus juxta est in ore nostro et in corde nostro. »

Hebræa habent, *et amplius ab his monitus esto*, vel *cave*, scilicet ne plura requiras, uti solerter advertit vertitque Noster et Vatablus. S. Hieronymus in veteri editione vertit, *et amplius ab ipsis, fili mi, cave faciendi libros multos, quibus non est finis, et meditatio plurima labor est carnis.* Sic et Septuaginta ac Syrus. Contrarie vertit Chaldæus : sic enim habet, *et amplius, fili mi, ne requiras; faciendi plures libros nullus est finis, frequensque meditatio carnis afflictio est.* Consentit Latina Vulgata; accedit et Arabicus, *acceperunt*, inquit, *auctoritatem ex eis; o fili mi, conserva hoc, facies libros multos quorum utilitatis non est finis, et in meditatione eorum labor est humanitati.*

Denique Thaumaturgus sic interpretatur, *at quid pluribus? cum multiloquio nulla sit utilitas, sed nec tibi, o amice, consuluerim inutilia, et quæ minus conveniunt describere, cum in eis præter laborem nihil sit reliqui.* Aliter vertit Tigurina : *Postremo, fili mi*, inquit, *cave admonitus, nam libros multos facere infiniti esset operis;* et Campensis : *His paucis, fili mi, te admonitum puta; ut autem omnia perstringantur, nec plurimis quidem libris fieri poterit, et labor multa scribendi corpus defatigat.*

Denique, pro *amplius* Hebraice est יתר *iother*, quod verti potest, *excellentius, præstantius.* Unde nonnulli exponunt, *q. d.* Nil amplius, id est nil excellentius, nil dignius, nil utilius aliunde, quam ex dictis scriptisque sapientium, ac præsertim ex hocce meo Ecclesiaste requiras; abunde ille tibi suppeditabit excellentissima dogmata et consilia ad bene beateque vivendum, ut philosophorum et profanorum magistrorum sermones, vel libros præ illo parvipendere et despicere debeas. Multo enim plura, eaque sanctiora et diviniora ex hoc uno disces, quam ex cæteris omnibus.

Nullus finis scribendi.

FACIENDI PLURES LIBROS NULLUS EST FINIS. — Dicit hoc, non quod taxet scriptores studiumque scribendi, cum post Salomonem omnes prophetæ, evangelistæ et apostoli, item Patres græci et latini, ut alios taceam, plures libros Ecclesiæ et reipublicæ utiles conscripserint; sed *primo*, ut ostendat sicut aliis in rebus, sic et in studio, puta in scriptione et lectione, suam inesse vanitatem et ærumnam, puta afflictionem cordis : sic enim ipse se explicuit, cap. I, vers. 17. Ita S. Hieronymus.

Primo.

Secundo.

Secundo, ut taxet pruritum scribendi : multi enim pruriunt, ut scribant edantque libros, vana duntaxat nominis gloria impulsi, cum libri ipsorum parum sint utiles, aut prælo indigni, præsertim dum continent errores, hæreses, superstitiones, obscenitates, etc. Vere Juvenalis, *satyr.* 7 :

> Tenet insanabile multos
> Scribendi cacoethes, et ægro in corde senescit.

Tertio.

Tertio, ut sapientem moneat pauca legere et scribere, ac omissis profanis studio sacræ Scripturæ se dedere. Nam, ut ait Hippocrates initio *Aphrorism.* : « Ars longa, vita brevis; » brevem ergo vitam brevibus paucisque, sed salutiferis impende. Relinque ergo vanos et prolixos cæterorum libros. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. *De Doctrina christian.* cap. ult. : « Et cum ibi (in Scriptura) invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea quæ nusquam omnino alibi, sed illarum tantummodo scripturarum mirabili altitudine, et mirabili humilitate dicuntur. » Quin et Cicero, *Tuscul.* I : « Mandare, inquit, quemquam cogitationes suas litteris, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. » Hinc Stobæus, *serm.* 19, narrat Socratem, Aristarchum et Phavorinum (qui Plutarchum sibi coæ-

vum taxat quod tam multa scripserit) noluisse quidquam scribere. Et Aristippus Socratis auditor cuidam jactanti se plurima legisse : « Quemadmodum, inquit, non illi qui plurimum edunt, melius valent his qui sumunt quantum opus est : ita non qui plurima, sed qui utilia legerunt, studiosi et eruditi sunt habendi. »

Multorum librorum incommoda.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Rationes eorum erant, *prima*, quod legere, scribereque tot libros ingens sit animi corporisque labor et defatigatio. *Secunda*, quod tot libri minuant ingenii exercitium, cum homines secure scriptis aliorum indormiant. *Tertia*, quod officiant memoriæ, eamque obtundant : dum enim tam varia studiosi legunt, nihil retinent, quia posterius extrudit prius. Unde S. Thomas, rogatus qua via et methodo quis evaderet doctus, respondit : Si unum duntaxat legat librum, uti refertur in *Chron. S. Dominici*, part. I, lib. III, cap. XXXVII. Idem dixit fecitque noster Jacobus Lainez, secundus Societatis Jesu præpositus generalis : ipse enim unum duntaxat in cubiculo habebat librum, eumque a capite ad calcem perlegebat; quo facto, eum referebat ad bibliothecam atque ex ea alium sumebat pari modo evolvendum. *Quarta*, quod in scriptione et lectione tot librorum multum insumatur perdaturque temporis, per tot circuitiones involutæ veritatis, quæ breviter et nude tradita facilius clariusque intelligitur. Hæc tamen non vetant quin utile sit plures libros scribere, cum vel quid novi affertur, vel novo et meliori modo explicatur; aut cum necessitas respondendi hæreticis aliisque adversariis id exigit; aut cum res ab iis fuse et confuse traditæ, brevi, clara et ordinata methodo traduntur, uti fecit Justinianus, qui priscorum jurisperitorum duo librorum millia, in brevem juris moderni codicem redegit.

Quartum.

Præclare Clemens, lib. I *Strom.* : « Filii quidem corporis, animæ autem liberi sunt scripta. » In libris ergo animam sapientis intueris. P. Damianus, lib. I, *epist.* 6 : « Tuli librum meum, quem velut unicum filium, ulnis uterinæ dulcedinis amplectebar. » Petrus Venetus, lib. I, *epist.* 20 : « Plurimi scripserunt, et in divinas litteras edidere commentarios felices; si juvandi studio laborarunt, sudoresque suos divinæ sacrarunt gloriæ, non suæ, vivunt adhuc in suis libris, licet abierint, et operum fructus semper pullulant, dum liber vivit. » Proclus, orat. *in Chrysost.* : « A scribendi munere nos scriptorum copia non avocet, urgeat potius ac provocet, et in exemplum aliorum scriptiones eant. Bonos libros qui conscribit, retia salutis expandit. » Seneca, *epist.* 33 : « Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum est. »

Plurium librorum commoda

Vincentius Lirinensis taxans ex Apostolo profanas vocum novitates adinventas a novatoribus ac hæreticis : « Non dicas nova, inquit, sed nove. » Sane nostro hoc sæculo viri eruditi et religiosi ita suis scriptis illustrarunt poesin, rhetoricam, philosophiam, mathesin, controversias, theologiam scholasticam, et moralem, spiritalem quoque et mysticam, ac præsertim S. Scripturam, ut multa hactenus inaudita evulgarint, multa incognita et clausa reserarint, multos ad scientiarum apicem evexerint; adeo ut a Christo nato, vix ullum sæculum fuerit doctius, subtilius, profundius, idque in omni scientiarum genere.

Primum.

Ratio a priori : est *prima*, scientiarum immensa amplitudo, profunditas et obscuritas, ex qua fit ut una explicata et superata, semper supersit et cernatur alia et alia profundior et obscurior, idque sine fine et termino : quo fit ut semper novas quæstiones explicandi, novosque libros scribendi materia relinquatur. Primæ enim cogitationes aditum patefaciunt, ait Dionysius, posterioribus commentationibus, iisque melioribus, juxta illud : δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Nemo exantlat mare et thesaurum immensum sapientiæ. Quare tam verum est illud Terentii, *Prolog. in Eunuch.* : « Nullum est dictum, quod non sit dictum prius; » quam nihil ex auri argentique venis erui, nihil ex gemmiferis fluviis educi, nihil laticis liquorisve ex fontibus et fluminibus exhauriri denuo, quod non sit erutum, eductum, exhaustum prius, sed aliis et aliis aquis, metallis, divitiis semper affluentibus, aliis, inquam, in individuo, sed iisdem in specie.

Secundum.

Secunda est immensa ingenii humani capacitas, curiositas, studiumque sciendi, quæ semper nova vestigat, ut ubi priores destiterunt, ibi posteriores incipiant ulterius profundiora scrutari, uti videre est in philosophia et theologia scholastica : in dies enim novi doctores novas movent quæstiones, et novas inveniunt distinctiones, divisiones, sectiones, subtilitates; hæretici quoque novos inveniunt errores, et hæreses quas scriptis libris confutare opus est. Quantum lucis, methodi, profunditatis, ordinis, S. Augustino et Patribus addidit S. Thomas et scholastici? « Quotidie aliquid subtilius, aliquid elegantius cogitat luxuriæ furor, usitata contemnens, » ait Seneca, lib. VI *Natur. Quæst.* « Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit amplitudo Platonis, » ait Cicero *De Optimo genere dicendi.*

Tertium.

Tertia est indolum et appetituum diversitas, quæ facit ut huic placeat hic scriptor, alteri alter; perinde ac in mensa, huic placet hic cibus, alteri alter; ac in foro uni placent merces hujus mercatoris, alteri alterius : quare sicut in convivio, ut omnium appetitui satisfiat, oportet plura proponere fercula, et in foro plures merces : sic et in doctrina plures libros etiam de eadem re tractantes, ut cui unus non sapit, sapiat alter, tertius, vel quartus, etc. « Utile est, inquit S. Augustinus, lib. I *De Trin.* cap. III, plures a pluribus fieri libros diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. »

Quartum.

Denique, ad Dei magnificentiam mundique ornatum, et plenam rerum universitatem pertinet, ut sicut singularum rerum et specierum plura va-

riaque exstent individua : sic quoque artium et scientiarum plures et varii prostent tractatus et libri : hoc enim facit ad doctrinæ varietatem et copiam : quodque enim ingenium suum sibique proprium habet genium, acumen, judicium, dicendi scribendique methodum, gratiam, stylum, ac quippiam semper in quo emineat, et cæteros superet.

Quocirca Origenes sex millia librorum in S. Scripturam edidit, teste S. Epiphanio. « M. Varro, ait S. Augustinus, tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur ; tam multa scripsit, ut vix quidquam legere potuisse credamus. » Hinc illæ magnificæ regum et sapientium bibliothecæ, tot in omni arte librorum præstantium millibus instructæ, ac toto orbe celebratæ, Ptolemæi Philadelphi (quæ quingenta millia librorum continebat, ait Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. XI, et Eusebius, lib. VIII *Præpar.* cap. I ; imo septingenta millia, ait Gellius, lib. VI, cap. ult.), Trajani, Vespasiani, Origenis, Pamphili, S. Augustini, etc., ac modernæ in singulis provinciis numerosissimæ ; inter quas, « velut inter ignes luna minores, » emicat Bibliotheca Vaticana, erecta a Nicolao V. Quam jucundum, quam utile, quam eruditum in iis versari, ac tot sapientium sensa manu, oculis mentequeversare? An non hoc est vitam agere inter Musas, in Alcinoi hortis degere, paradisum terrestrem incolere, perpetua in mentis deliciis convivia agitare?

Porro lectoris est meliores sibique utiliores seligere legereque libros, ac lectos ruminare, et in memoriam, velut mentis ventrem recondere, instar convivæ, qui meliores sibique salubriores in convivio seligit, comeditque cibos ; scriptoris vero est, non tantum utilia scribere, sed et eximium quid, sive in re, sive in modo methodoque scribendi afferre, ut rara gratia lectorem mulceat : qui enim trita scribunt, aut gratia scribendi destituuntur, ii in angulum detruduntur, ut nec legantur, nec solem aspiciant. Denique, « qui ascendit pulpitum (ad docendum vel scribendum) incurius, descendit inglorius. » Noli ergo præcox et præceps esse in edendo ingenii tui fœtu. « Sit elephantinus partus, nonumque prematur in annum. »

Mystice, S. Hieronymus : Plures libri sunt, qui discrepant ab uno et vero, scilicet a Christo : unus vero liber sunt omnes Prophetæ, Evangelia, Epistolæ, etc., quia unum Christum loquuntur et sonant : « Quidquid enim dixeris, inquit, si ad eum referatur, qui in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum, unum volumen est ; et innumerabiles libri, una lex, unum evangelium nominantur. Quod si diversa et discrepantia disputaveris, et curiositate nimis huc atque illuc animum deduxeris, etiam in uno libro multi libri sunt. Unde dictum est : Ex multiloquio non effugies peccatum. Talibus igitur libris non est finis. Bonum enim omne et veritas certo fine concluditur ; malitia vero atque mendacium sine fine sunt : et quanto plus requiruntur, tanto major eorum series nascitur. » Sic et Olympiodorus, qui et addit multos vocari libros gentilium et hæreticorum, eo quod in unum non conspirent, sed sibi invicem adversentur, et quod unus statuit, alter evertat. Concludit deinde : « Quod vero, ait, non est finis, intellige sine fine versari circa res vanas, vel quod res vanæ propositum finem fructumque illum non habent, quem consequi possimus illas persequentes ; vel quod infinita est librorum multitudo, qui per orbem terrarum circumferuntur. »

FREQUENSQUE MEDITATIO, CARNIS AFFLICTIO EST. — Pro *meditatio*, hebraice est לַהַג *lahag*, quod vix alibi invenitur : unde a variis varie vertitur. Syrus vertit, *sermo* ; Pagninus, *doctrina* ; Tigurina, *lectio* ; Cajetanus, *eloquium* (1).

13. FINEM LOQUENDI PARITER OMNES AUDIAMUS. DEUM TIME, ET MANDATA EJUS OBSERVA : HOC EST ENIM OMNIS HOMO. — Est anacephalæosis, in qua paucis, imo unica gnome omnia jam dicta summatim complectitur. Unde S. Hieronymus in veteri editione : « Finis, ait, sermonis verbi universi, auditu perfacilis est, ut scilicet Deum timeamus, et ejus præcepta faciamus : ad hoc enim natum esse hominem, ut Creatorem suum intelligens, veneretur eum metu, et honore, et opere mandatorum. Siquidem cum judicii tempus advenerit, quidquid a nobis gestum est, stare sub judice, et ancipitem diu exspectare sententiam, et unumquemque recipere pro opere suo, sive mali quid gesserit, sive boni. » Vers. 13. Finis libri. Deum time.

Pagninus, *finis verbi omnis auditus est* ; Campensis, *finem universæ rei audiamus* ; Vatablus, *in summa omnia audita sunt*, idque sic exponit, *q. d.* Omnia te docui, scilicet cuncta, quæ in mundo sunt, esse vana, imo ipsam vanitatem. Aculeum ergo acremque stimulum metus Dei et judicii divini, hic in fine concionis infigit lectoribus. Idem faciat concionator, ut in epilogo efficacissime et brevissime totam concionem repetat, ac quæ majoris sunt momenti, menti auditorum infigat. Unde Chaldæus partim litteraliter, partim mystice vertit, *finis verbi, quæ facta sunt in sæculo in abscondito, omnia futura sunt ut publicentur, et nota sint filiis hominum ; ideo verbum Domini time, et præcepta Domini custodi, et non pecces in abscondito ; et si peccaveris, esto admonitus, ut convertaris ; quoniam sic debet esse via omnium hominum* (2).

Præclare, S. Ephrem, serm. *De S. Juliano Anachoreta*, tom. III : « Quid, inquit, est perfectio? Perfectio est cujusvis sermonis, et omnis actionis finis. Nam scriptum est : Finis verbi, omne ausculta, Deum time, et mandata ejus observa. Quæ enim accidunt unicuique nostrum in hoc sæculo, sive tristia ac gravia, sive bona ac læta, finem habent : quapropter etiam a tempore consumun-

(1) *Lahag* est *nimia opera*, seu studium, quæ multis hisce libris legendis impenditur.

(2) Hebr. est, *finem verbi*, et simul totius libri *summam*, audiamus.

tur atque delentur : at quæ post vitæ hujus exitum remanent, æterna sunt et immortalia. Diem ergo judicii et retributionis in mente habeamus, ut voluntas nostra perfecta sit in Domino. » Sic Ephrem, tom. III *De Juliano Anachoreta.*

Porro, idem est finis dicendi Salomoni, qui est essendi homini : sicut enim equus nascitur ad cursum, hicque ejus est finis; avis ad volatum, bos ad arandum, canis ad latrandum, ignis ad calefaciendum, aqua ad humectandum, etc. : sic homo nascitur ad Deum cognoscendum, amandum, timendum et colendum, ut ejus tandem visione et possessione fruens beetur. Idem per umbram videre Gentiles, ut Socrates, Plato, Cyrus, Xenophon, quorum sensa refert Cicero, lib. *De Senectute*, in fine. Unde concludit : « Ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo : commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum dedit. O præclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium, cœtumque proficiscar, et cum ex hac turba, et colluvione discedam! »

DEUM TIME. — Campensis, *reverere Deum;* hebraice *Elohim*, id est creatorem, gubernatorem, inspectorem, judicem et vindicem omnium. Hinc S. Clemens. *epist.* 1, nomen *Deus* derivat a δέος, id est *timor*. Nam « primus in orbe deos fecit timor. » Timor autem hic intelligitur, tum initialis et servilis, quo timemus Dei judicium, vindictam, supplicium et gehennam. Unde sequitur : « Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium; » tum potius filialis, quo ex amore et reverentia erga Deum ubique præsentem, eum reveremur, cavemusque ne vel in minimo ejus oculos offendamus, sicut filii reverentur parentes charissimos, caventque ne quid faciant quod eis displiceat. Ita S. Hieronymus et alii. Audi S. Bernardum, serm. 1 *in Cantica* : « Denique universis humanis studiis, ac mundanis desideriis prætulit Deum timere, ejusque observare mandata. Merito quidem, vere etenim sapientiæ primum illud initium, secundum consummatio est, si tamen constat vobis non aliud veram et consummatam esse sapientiam, quam declinare a malo, et facere bonum; itemque recedere a malo, neminem posse perfecte absque timore Dei; nec bonum opus omnino esse præter observantiam mandatorum. » Idem, *serm.* 20 : « Valde omnino, inquit, mihi amandus est, per quem sum, vivo et sapio. Si non amo, ingratus sum et indignus. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit; et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Denique, quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia; et qui esse vult sibi, et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est, inquit, omnis homo. Ergo, si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est omnis homo. Inclina tibi, Deus, modicum, id quod me dignatus es esse, atque de mea misera vita suscipe, obsecro, residuum annorum meorum; pro his vero quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. »

Hinc patet τὸ *mandata ejus observa*, velut effectum pendere a τῷ *Deum time*. Timor enim Dei causat observationem mandatorum Dei; quia enim timemus et reveremur Deum, hinc satagimus mandata ejus studiose observare, ne illi vel in minimo displiceamus, sed per omnia placeamus, ipseque in nobis ubique, et in omnibus sibi complaceat. Qui ergo Deum timet, studet ita opera sua peragere, ut Deo grata et jucunda sint, Deusque iis quasi deliciis suis pascatur, delectetur et fruatur. Audi Cassianum, *Collat.* XI, cap. XIII : « Quem timorem, inquit, non pœnarum terror, nec cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo; quo filius vel indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel conjugem conjux, sollicito reveretur affectu, dum ejus non verbera, neque convicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque fervor dilectionis intepescat. Cujus timoris magnificentiam Isaias unus prophetarum eleganter expressit : Divitiæ, inquiens, salutis, sapientia et scientia; timor Domini ipse est thesaurus ejus, » etc.

Timor Dei causa virtutum.

Qui ergo timet Deum, hic Deum amat, et in omnibus ejus voluntatem facit. « Voluntas autem Dei est, ait S. Cyprianus *De Oratione Dominica*, quam Christus et fecit et docuit : humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina; injuriam facere non nosse, et factam posse tolerare; cum fratribus pacem tenere; Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit; charitati ejus inseparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter et fidenter assistere; quando de ejus nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur; in quæstione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur : hoc est cohæredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere. »

Cur?

HOC EST ENIM OMNIS HOMO. — Syrus, *quoniam hoc est, quod ab artifice uno datum est cuilibet;* Arabicus, *at finem sermonis audi, omne negotium : Deum time, et observa mandata ejus, quoniam cuilibet homini prodest hoc;* Chaldæus, *quoniam sic debet esse via omnium hominum;* Scholiastes, *hoc est enim totus homo;* Vatablus, *quia hoc spectat ad omnem hominem;* Tigurina, *nam in hoc consistit omnium hominum perfectio;* Campensis, *illo enim solo acquiritur, quidquid vere et solide beatum facere potest;* Cajetanus, *hoc duntaxat divinum est, fixum stabileque bonum in omni homine;* Arias, *unum agit, hoc opus,*

hic finis tibi, causaque vitæ; alius, *omnis in hoc hominis consistit vita beati.* Simili stimulo Moses urget populum, dicens : « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, etc., custodiasque mandata Domini? » *Deuter.* x, 12, 13. Jam

Hoc est omnis homo, quid ? Resp. Primo.

Primo, noster Ludovicus Alcazar in cap. I *Apocal.* nota 18, sic explicat : « Hoc est enim omnis homo. » *Hoc,* scilicet ænigma hominis moribundi, quod toto capite proposui; hoc enim totum summatim hisce verbis, quasi in tabella spectandum proponit Ecclesiastes; perinde ac si concionator quispiam de morte concionans, sub finem concionis, ut vivacius mortis schema auditoribus imprimat, proposito cranio defuncti, exclamet : « Hoc est omnis homo, » id est, huc deveniet omnis homo : quisquis ergo es, homo, scito te esse moriturum, ac in cranium et ossa nuda abiturum : quare dum vivis et viges, Deum time et mandata ejus observa. Verum hic sensus coactus videtur et violentus, aut certe symbolicus, ac vim sententiæ enervare. Unde cæteri omnes censent pronomen *hoc* genuine demonstrare non ænigmata præcedentia et remota, sed id quod proxime præcessit : « Deum time, et mandata ejus observa. »

Secundo.

Secundo, noster Cosmas Magalianus in epist. II *ad Timoth.* cap. IV, vers. 5, annot. 2, num. 3, sic exponit : « Hoc est omnis homo, » id est, hæc est definitio hominis, ut si quæras : Quis est homo? respondeat Salomon : Est is qui timet Deum; cæteri enim quidem videntur homines, sed revera sunt leones superbi, harpyiæ tenaces, tigrides truculenti, voraces lupi, etc. Sic Epictetus ait : « Hominis nomine dignus non est, qui virtutis studiosus non est. » Sed audi Cosmam : Symbolicus ille concionator omnia philosophiæ divinæ placita aureo libello complexus, ad extremam operis sui coronidem, perinde ac si ab aliquo interrogaretur quid esset homo, quem Jeremias nusquam vidit, quemque cynicus ille philosophus in Atheniensi foro, circumspectante populi infinita multitudine, præeunte lucerna, non invenit; ita definit : « Deum time, et mandata ejus serva; hoc est omnis homo. » Ubi Septuaginta planius locuti : « In hoc, inquiunt, consistit omnis homo. » Non sunt hominis (palam denuntio) appellatione digni, qui, ut oculis placeant, calamistro utuntur, qui refugos a fronte capillos gerunt, qui holosericati incedunt; qui pallio ab uno in alterum humerum rejecto, protrudere in viis volunt prætereuntes. Qui Deum timet, et mandata ejus servat, hic homo est quem quærimus : hic est qui terram implet; hic non ficti hominis larvam gerit, ut asoti et intemperantes, sed veri speciem, ut modesti et frugales. Hunc sensum indicat quoque S. Bernardus, serm. 1 et 20 *in Cantica,* cujus verba paulo ante recitavi; et S. Chrysostomus, homilia 1 *De incomprehensibili Dei natura* : « Nam sine scientia, ait, id quoque ut homines simus amittemus : Deum enim metue, inquit, et mandata ejus custodi, quoniam hoc quisque homo est; » et S. Hieronymus hic : « Qui adhuc homo est, inquit, et necdum nomen Dei accepit, hanc habet rationem substantiæ suæ, ut in corpore positus Deum timeat. »

Tertio, genuine.

Tertio et genuine : « Hoc est omnis homo, » id est huc natus, fictus et factus est omnis homo, ut scilicet Deum timeat, et mandata ejus observet; quare nemo se ab eis excuset, per ætatem, sexum, infirmitatem, dignitatem; aut aliam qualitatem : sit puer, sit femina, sit æger, sit dives, sit princeps, sit imperator, ea observet oportet; hoc est enim omnis homo, id est ad hoc obstringitur omnis homo, jure naturali, divino et humano.

Rursum, *omnis homo,* id est totus homo, vel integer homo, *q. d.* Quidquid est, quidquid habet homo, huc impendat oportet, scilicet ut timeat Deum, ejusque leges observet : quare omnes sensus, omnia membra, omnes vires animæ et corporis ad hoc unum conferat oportet, juxta illud : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua, » *Deuter.* VI, 5; et *Matth.* XXII, 37. Intellectum ergo tuum impende ad Deum cognoscendum, voluntatem ad amandum, memoriam ut ejus jugiter recorderis, oculos ut legas ejus mandata, aures ut ea audias, manus et pedes ut ea exsequaris, etc. Unde S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* cap. III : « Quid brevius, ait, verius, salubrius dici potuit? Deum, inquit, time, et mandata ejus custodi; quia hoc est omnis homo. Quicumque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei, quoniam qui hoc non est, nihil est : non enim ad veritatis imaginem reformatur remanens in similitudine vanitatis. »

Sæpe enim Hebræi, Græci et Latini per enallagen quantitatis sumunt totum universale pro toto quanto, sive integro. *Omnis* ergo *homo* idem est quod integer homo; unde rursum per motonymiam, qua res sumitur pro adjunctis rei, puta homo pro bono, perfectione et felicitate hominis, sic exponas, *q. d.* Omnis homo, id est omne bonum, omne officium, omnis finis, omnis virtus, omne decus et laus, omnis perfectio, omnis felicitas hominis in hac vita consistit in timore Dei et observantia legum ipsius (1); sive, hoc est, quo spectare debet omnis homo, tantus quantus est, in dictis et factis suis omnibus, ac tota vita, ut sibi semper et ubique ob oculos ponat timorem Dei, ejusque præcepta exsequi satagat. Unde Chaldæus vertit, *talis debet esse via omnium hominum;* S. Hieronymus, *ad hoc natus est homo.* Hinc et Salonius explicat, *q. d.* Qui aliter vivit, exlex scilicet et immemor timoris legisque Dei, non homo est, sed bestia; quia non rationabiliter, quæ est natura hominis, sed bestialiter vivit, scilicet si

(1) Ita Maurer. Minus recte Rosenmullerus : ***Nam hoc*** est officium ***omnis hominis.***

gulose, ut porcus; si dolose, ut vulpes; si arroganter, ut taurus; si rixose, ut canis; si invide, ut simia, etc.

Platonis emblema homo bestia.

Salomonem de more secutus Plato censet hominem in vitia defluentem, non tam hominem esse quam bestiam. Unde lib. IX *De Justo*, figurat animam hominis hunc in modum : Est aliqua congeries capitum plurium belluarum quasi in globum coacta ferinum; ex hac multiplici capitum ferinorum congerie pullulat quasi stipes aliquis ex radicibus, qui stipes hinc leo est, inde draco. Huic stipiti homo aliquis superponitur clavam manu tenens, qua bestias verberat sævientes. Demum corporis humani pellis omnia illa circumdat, per quam animal unum videatur esse quod est simplex animal. Congeriem plurium bestiarum esse vult insatiabilem concupiscentiæ partem. Stipitem leone et dracone compositum, iracundiæ vim : quæ leo dicitur, cum suffragatur rationi; draco, cum refragatur. Homo est ratio. Post hæc jubet Plato ut interiorem illum hominem nutriamus potius quam bestias illas, ne propter famem, deficiente homine, solæ in nobis supersint bestiæ. Per hæc admonemur ut transitum animarum accipiamus non in varias species, sed in habitus. Erit itaque arbor apud Platonem, qui nutritioni deditus, die nocteque torpebit; milvus, qui raptu vivet per concupiscentiam; leo, qui egregie militabit; draco, qui crudeliter in genus humanum sæviet; homo, qui ratione civili vivet; heros, qui naturalia perscrutabitur; dæmon, qui mathematica; angelus, qui divina. Talis enim fit animus, qualem induerit habitum; talis, inquam, in corpore, talis et extra corpus. Hinc et illud platonicum : « Sapienti viro lex Deus est, insipienti vero libido; » et illud : « Beatus ille futurus est, qui humiliter divinæ se legi subjicit; miser vero, qui eam superbe contemnit. »

De officio hominis veri et christiani vide Nyssenum, orat. *Quid nomen et professio christiana requirat*, ubi ait hominem impie viventem, non hominem, sed simiam esse, hominis veste indutam. Tum subdit christianismi definitionem : « Christianismus, inquit, est imitatio divinæ naturæ. » Homo enim conditus est ab initio ad imaginem et similitudinem Dei, quo revocatur per christianismum. Tandem subjicit hominem perverse vivere, ac bestialibus moribus exprimere numen divinum, esse gravem numinis injuriam : quia, inquit, numen illis simile videtur, eo quod ejus imago, id est homo improbus, talis sit. Vide S. Hilarium in *Psalm.* CXVIII, ad illud : « Manus tuæ, Domine, fecerunt me, » sive littera *iod*, initio, et Lactantium, lib. VII, cap. VI, initio : « Idcirco, inquit, mundus factus est, ut nascamur; ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum; ideo agnoscimus, ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus : quoniam maximis laboribus cultus Dei constat; ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus, et simus æternum Dei regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi, a quo sunt alieni, qui sequentes præsentem voluptatem terrestribus et fragilibus se bonis addixerunt, et animas ad cœlestia genitas suavitatibus mortiferis, tanquam luto cœnove demerserunt; » et B. Petrum Damianum, lib. I, epist. 17 *ad Alexandr. Pontificem*, ubi hunc locum pertractans, ait eum qui Deum non timet, aut mandata ejus non servat, ratione carere, ac proinde vocabulum quidem hominis habere, sed hominis *esse* non habere. Exemplum dat S. Chrysostomus, homil. 21 *ad Populum*, S. Job, qui, inquit, cap. I describitur, non ex physiognomia, sed ex timore Dei : « Nec hoc dicit, inquit, quod duos pedes habebat, et ungues latos, sed indicia pietatis illius præbens, dicebat : Simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, demonstrans quod hoc est homo, sicut scilicet et alius inquit : Deum time, et ipsius mandata custodi, quoniam hoc est omnis homo; si autem hoc nomen *homo* tantam ad virtutem præbet exhortationem, multo magis *fidelis*; *fidelis* enim propterea vocaris, quoniam et credis Deo, et ab eo creditam ipse justitiam habes, sanctitatem, munditiam animæ, in filium adoptionem, regnum cœlorum, et hæc tibi commendavit. » Porro, quod Job dicitur *rectus*, Septuaginta vertunt ἀληθινὸς, id est *verus*, eo quod Dei imaginem et similitudinem bonis in se retinuerit moribus, inquit ibidem Origines, ut non pictus, sed verus esset homo, id est vera Dei imago. Philo, lib. *De Abraham*, explicans illud *Genes.* VI, 9 : *Noe homo justus, perfectus in generatione sua, Deo placuit* : « Sciendum est, inquit, quod hominem non vulgari loquendi forma, rationale, mortale animal vocat : sed per excellentiam eum qui vere suo nomini respondet ejectis ex animo immansuetis, rabidis ferinisque vitiorum affectibus, argumento est quod post hominem, addit justum, dicens : Homo justus, quia nemo injustus est homo, sed potius bestia humana forma prædita; in solum autem justitiæ sectatorem nomen hoc competit. »

Hos secutus Seneca, *epist.* 77 : « Omnia, ait, suo bono constant, vitem fertilitas commendat, vapor vinum, velocitas cervum. Quam fortia dorso jumenta sint quæris, quorum hic unus est usus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere et invadere. Id in quoque optimum est cui nascitur, quo censetur. Homo Deo fruendo nascitur, ratione antecedit animantia cætera; virtute ergo et pietate præstare debet. »

Denique, *omnis homo*, id est perfectus homo est (quia *omne* et *perfectum* idem sunt, ait Aristoteles, lib. I *De Cælo*, textu 1), si timeat Deum, ejusque mandata observet : quidquid præterea habet homo, sive opes sint, sive scientiæ, sive

deliciæ, sive infulæ, sive purpura, sive regnum, ventus est, vanitas est, nihil est. Unde Olympiodorus vertit, *hic est sapiens integer, perfectus homo.* Sic et Bonaventura, Lyranus, Moringus et alii. Perfectio enim hominis consistit in adæquatione ejus ad suum exemplar, quod est Deus, ut scilicet Deo, ejusque voluntati et sanctitati per omnia se conformet, quod ille vult velit, quod non vult nolit, quod ille amat amet, quod odit oderit. Timor Dei enim hic *filialis* intelligitur, qui in virtutibus est consummatus, quo solo perficitur et consummatur homo, juxta illud: « Plenitudo sapientiæ est timere Deum, » *Eccli.* I, 20.

Quocirca, S. Chrysostomus in I *Corinth.* cap. IX: « Omnem, inquit, hominem Paulus exhibebat Deo, » *q. d.* Unus Paulus erat omnis homo, id est homo perfectissimus, et instar omnium hominum, utpote qui in se uno exprimeret omnem virtutem et perfectionem, quæ in omnibus hominibus simul sumptis inveniri potest.

Huc facit illud Senecæ, lib. III *Natur. Quæst.*, in *Præfat.*: « Quid, inquit, præcipuum in rebus humanis est? Non classibus maria complesse, nec in Rubri maris littore signa fixisse, nec, deficiente terra, ad injurias aliorum errasse in Oceano ignota quærentem; sed animo omne vidisse, et qua nulla est major victoria, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuere in potestate: paucissimi, qui se. Quid est præcipuum? erigere animum supra minas et promissa fortunæ; nihil dignum putare quod speres: quid enim habet dignum, quod concupiscas? qui a divinorum conversatione quoties ad humana recideris, non aliter caligabis, quam quorum oculi in densam umbram ex claro sole rediere. »

Inde deinde cætera educens, uti Salomon hic ex timore Dei colligit observationem mandatorum ejus: « Quid, ait, est præcipuum? Posse læto animo adversa tolerare: quidquid acciderit sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto Dei fieri. Flere, queri, ingemere, desciscere est. Quid est præcipuum? animus contra calamitates fortis et contumax, luxuriæ non adversus tantum, s ed et infestus, nec avidus periculi, nec fugax, qui sciat fortunam non exspectare, sed facere, et adversus utramque intrepidus, et inconfusus prodire, nec illius tumultu, nec hujus fulgore percussus. Quid est præcipuum? non admittere in animo mala consilia, puras ad cœlum manus tollere: nullum petere bonum, quod ut ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere; optare, quod sine adversario optatur, bonam mentem: cætera magno æstimata mortalibus, etiam si quis domum casus attulerit, sic intueri, quasi exitura, qua venerint. Quid est præcipuum? altos supra fortuita spiritus attollere; hominis meminisse, ut sive felix eris, scias hoc non futurum diu: sive infelix, scias hoc te non esse non putes. Quid est præcipuum? Liberum animum habere, etc. Si tibi ipse dixeris; Quid insanio? quid anhelo? quid sudo? quid terram verso? quid forum viso?» Uti socio suo dicebat aulicus ille Cæsaris, qui lecta Vita Antonii, relicta aula, ejusdem secessum et sanctitatem imitatus est, cujus exemplo conversum se memorat S. Augustinus, lib. VIII *Conf.* cap. VI: « Dic mihi, ait, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? et quamdiu istud erit? Amicus autem esse Dei si voluero, ecce nunc fio. » Subjungit Augustinus sanctum felicemque rei eventum: « Dixit hoc, ait, et turbidus parturitione novæ vitæ reddidit oculos paginis, et legebat, et mutabatur intus ubi tu videbas; et exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit, et volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, et discrevit, decrevitque meliora. Jam jamque tum ait amico suo: Ego jam abrupi me ab illa spe nostra, et Deo servire statui, et hoc ex hora hac in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille adhærere se ei socium tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo jam tui ædificabant turrim sumptu idoneo, relinquendi omnia sua, et sequendi te. »

14. ET CUNCTA, QUÆ FIUNT, ADDUCET DEUS IN JUDICIUM PRO OMNI ERRATO, SIVE BONUM, SIVE MALUM ILLUD SIT. — *Cuncta*, intellige quæ fecimus, vel omisimus: operis enim boni, quod facile facere poteramus, omissionem exiget a nobis Deus. Ita Olympiodorus. Hebræa, *quia omne opus* (Septuaginta, *factum*) *venire faciet* vel *introducet Elohim in judicium* (1) *pro omni abscondito, sive bonum, sive malum sit.* Τὸ *quia* significat hic alteram causam stimulantem ad Dei timorem, et observationem mandatorum ejus, quod scilicet Deus omnes homines, et omnia opera hominum sit citaturus ad judicium universale, quod fiet publice coram omnibus hominibus et angelis, ac a singulis omnium operum, etiam secretissimorum rigidam rationem exacturus, ut bonis cœlestia gaudia, malis gehennæ tormenta retribuat, idque sine acceptione personarum vel munerum justissime et irrevocabiliter; ita ut ab eo nulla sit appellatio, nulla fuga, nullæ latebræ, nulla evasio. *Pro omni errato*, scilicet scrutando, discutiendo, expendendo, judicando, puniendo: hæc verba, quasi parenthesi includenda sunt, ut patet ex eo quod sequitur, *sive bonum*; hoc enim cum errato cohærere nequit, sed cum judicio quod præcessit, cohæreat oportet: ita Dionysius et Titelmannus. Hebraice est, *pro omni abscondito*; Vatablus, *occulto*; alii, *secreto* scilicet *errato*, id est *peccato* ut soleter vertit Noster: hoc enim quia turpe est, oc- Vers. 14.

(1) Quod exercetur *de omni occulto*, etc.

cultat se, quæritque secretum et tenebras, cum virtus, utpote honesta, quærat lucem. Symmachus et Septuaginta, ἐν παντὶ ἀρεωραμένῳ, id est, *de omni contemptu*, vel certe *de omni ignoratu*; *quod etiam de otioso verbo, et non voluntate, sed ignoranter prolato reddituri sumus rationem in die judicii*, ait S. Hieronymus. Complutenses vertunt, *in omni neglecto*, id est de omni præcepto et virtute, quam homo exercere neglexit. S. Augustinus, lib. XX *Civit.* cap. III, legit *in despecto* : « Hoc est, inquit, in omni (homine) etiam qui contemptibilis videbitur (et ideo nec videtur); quoniam Deus et ipsum videt, nec eum despicit, nec eum cum judicat præterit, » *q. d.* Deus judicabit omnem hominem, quantumvis vilem et despectum. Arabicus vertit, *de omni negotio, quo molestiam intulere.*

Mirum videtur Nostrum vertisse, *pro omni errato* (male aliqui legunt, *reatu;* pejus alii, *creato*) : unde suspicatur Franciscus Lucas in *Notis* hic legendum esse, *pro omni celato.* Hoc enim significat Hebræum נעלם *nelam.* Hinc Biblia Regia, Complutenses et nonnulla alia legunt, *pro omni abscondito*, et sic se vertisse ait S. Hieronymus in *Comment.* Et Chaldæus : *Quoniam*, inquit, *omnia quæ fiunt adducet Deus in die judicii magni, et futurum est ut manifestet omne verbum quod celatum a filiis hominum, sive bonum, sive malum.*

Passim tamen Biblia Latina legunt, *pro omni errato;* unde hæc lectio, ait Franciscus Lucas, non facile auferenda est ex versione Vulgata, nec omnino aliena est ab Hebræo *nelam*, id est *celato*, vel *abscondito* : non enim est error, nisi circa occulta aut abscondita. Rursum, error notat ignorantiam, inconsiderationem et inadvertentiam mentis minus attentæ ad opus quod agit, ut dispiciat, an bonum sit, an malum; quin et opus bonum homo subinde agit minus attente, minusque studiose quam par est, imo remisse, negligenter, oscitanter. Rursum, error vocatur vagatio mentis, vel corporis : sic vocantur errores Ulyssis, errores viarum, nemorum et labyrinthorum, errans luna, errantia sidera, quia scilicet non recto, ut stellæ, sed obliquo cursu incedunt : ita errat, id est vagatur mens in oratione et opere bono. Hæc ergo errata discutiet Deus in judicio. Et hoc videntur voluisse Septuaginta dum vertunt : Ἐν παντὶ παρεωραμένῳ, quia παρωρᾶν est incuriose aspicere, vel per incuriam mentis minus attentis oculis præterire, seu per transitum aliquid respicere, negligere et contemnere, quod proinde ab oculis est absconditum et remotum. Hoc sensu hebræum *nelam*, id est *absconditum*; græcum παρεωραμένον, id est *neglectum*; et latinum *erratum*, idem denotabunt, scilicet id quod per incuriam et inadvertentiam ignoranter, negligenter et minus attente factum est, uti sæpe fit ab hominibus fragilibus et incogitantibus : quare Deus hæc omnia adducet in judicium, et dijudicabit an bona vel mala fuerint ea quæ homo non satis dijudicavit, sed incogitanter et inadvertenter egit. Tunc enim Dominus « illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, » I *Cor.* IV, 5;

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Hinc Septuaginta Hebræum עלם *alam*, id est *abscondere*, sæpe vertunt, *præterire, negligere, despicere, contemnere*, ut *Levit.* XX, 4; *Deut.* XXII, 1; *Isai.* LVII, 11; *Nah.* III, 11, et alibi, ac subinde vertunt, *inique agere*, ut *Psalm.* XXV, 4; quod quid est aliud quam errare? Denique, abscondere oculos, aures, mentem, Hebræis idem est quod non attendere, negligere, errare, ut patet locis jam citatis.

Vide et mirare hic profundam solertiam et perspicaciam nostri Interpretis, qui per abscondita intellexit significari errata homini negligenti celata et abscondita. Hinc Psaltes orat, *Psalm.* XVIII, 13 : « Ab occultis (erratis) meis munda me, Domine. » Et *Jer.* cap. XLIX, 10 : « Revelavit abscondita (scelera) ejus. » Sic et *Daniel.* cap. II, 22; *Abdiæ* cap. I, 8; *Habac.* cap. III, 14; et *Job*, cap. IX, 28 : « Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti; » multa enim videt Deus in actionibus hominis, præsertim internis, quæ homo ipse non videt. Quocirca « judicabit Deus occulta (errata) hominum, » *Rom.* II, 16 : « quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere, » *Ephes.* V, 12; ideoque « abdicamus occulta dedecoris, » II *Cor.* IV, 2. Atque hæc est origo et radix incertitudinis gratiæ, et prudentis sanctique timoris : quia enim homo suas actiones, cogitationes, intentiones intime non pervidet, sed tantum obiter, et quasi in superficie, hinc nescit an bona vel mala sint; an Deo placeant, vel displiceant, ideoque timore percellitur, ac cum timore et tremore salutem suam operatur. Esto ergo omne peccatum sit erratum et error, juxta illud : « Errant qui operantur malum, » *Prov.* XIV : *errant*, quia non satis considerant et ponderant, quale, quantum et quam noxium sit malum quod operantur. Si enim hoc profunde perpenderent, uti rei gravitas exigit, utique non peccarent. Tamen non hæc sola Deus adducet in judicium, sed et illa quæ speciem habent boni, hominique videntur bona, imo in se subinde bona sunt : examinabit enim illa, an debita attentione, intentione, contentione et studio ea fecerimus, v. g. orationem, psalmodiam, meditationem, jejunium, eleemosynam, etc., peregerimus, ac multis dicet : « MANE, TECHEL, PHARES; appensus es in statera, et inventus es minus habens, » *Daniel.* V.

Quare, hic insignis est stimulus pungens nos, ut singulis actibus et cogitationibus nostris acriter invigilemus, curemusque ut omni ex parte sint sinceræ, integræ, perfectæ, quia « omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum, » ait Paulus, II *Cor.* V, 10. Porro, de forma, loco, tempore, personis judicandis et judicaturis, cæterisque circumstantiis

judicii, vide exacte disserentem Franciscum Suarez, tom. II, III part. disp. 57, sect. VI.

SIVE BONUM, SIVE MALUM ILLUD SIT. — Hæc verba referri possunt ad τὸ *errato*, eo sensu quo jam exposui. Aptius tamen ex Hebræo referas ad τὸ *cuncta* : unde ex Hebræo, per histerologiam usitatam sic clare vertas, ordines et explices : *Et omne opus*, vel *factum sive bonum, sive malum illud sit, adducet Deus in judicium super omni abscondito*, ut videlicet examinet opus, num in eo occulte absconditum sit aliquid errati, id est negligentiæ, inadvertentiæ, omissionis et culpæ : omnia ergo in opere abscondita rimabitur, deteget et propalabit Deus in judicio, cum scrutabitur Jerusalem in lucernis, *Sophon.* I, 12. Sic scrutatus est occulta Doctoris parisiensis, qui publice habebatur vir probus, dum eum jam vita functum publice in templo, ex feretro proclamare jussit : « Justo Dei judicio accusatus, judicatus et damnatus sum,» qua voce perculsus S. Bruno vanitati mundi valedixit, et in eremum cum sociis se recipiens, Ordinem Carthusianorum instituit, ut veritatem veramque felicitatem sibi assecuraret, anno Domini 1092.

Climachus, *grad.* 7, narrat Stephanum eremitam clarum miraculis, in morte cum dæmonibus se accusantibus disputasse, ac subinde dixisse : « Ita sane, sic revera est; sed pro hoc tot annis jejunavi. Aliquando vero : Non certe, sed mentimini : hoc non feci. Deinde rursus : Ita vere est, hoc ita est; sed flevi, sed ministravi. Ac rursus : Vere me accusatis. In quibusdam aiebat : Ita sane, et quid ad hæc dicam non habeo, ideo misericordia est. » Subdit Climachus : « Et erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum invisibile illud sævissimumque judicium, in quo etiam (quod terribilius est) et quod non fecerat illi objiciebant. » Et post nonnulla : « Hic ipse tamen cum adeo infeste a se ratio reposceretur, carne solutus est; quod judicium, quis terminus, quæ sententia, quis rationis illius finis fuerit incertum penitus relinquens. » Quam sapit ergo, qui cum S. Augustino in *Confess.* ex animo dicit : « Nec me revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. » Idem S. Augustinus in *Psalm.* XLIX, ante finem : « Veniet, inquit, et non silebit, et arguet, quando correctioni nullus locus erit. Statuam te, inquit, ante faciem tuam. Modo ergo tu fac, quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans a factis tuis, et constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi judex, torqueat te timor, erumpat a te confessio, et dic Deo tuo : Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum ante me est semper. Quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea a Deo judice fias ante te, et non sit quo fugias a te, ne quando rapiat sicut leo, et non sit qui eripiat. » Idem in *Psalm.* LXXIX : « In potestate tua est quomodo exspectes venturum Christum; ideo differt venire, ut, cum venerit, non te damnet. Ecce nondum venit, ille in cœlo est, tu in terra : ille differt adventum, tu noli differre consilium. Adventus ipsius durus est duris, mitis est piis. Vide ergo modo tu quis sis : si durus, licet tibi mitescere; si mitis, jam gaude venturum. »

S. Hieronimus raptus ad judicium.

Narrat de seipso S. Hieronymus, epist. *ad Eustochium, De Custod. Virg.*, se ob leve juventutis erratum, quod scilicet Ciceronem avidius legeret quam S. Scripturam, raptum ad tribunal judicis : « Interrogatus, ait, de conditione, christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat : Mentiris, ait, ciceronianus es, non christianus; ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum, *Matth.* VI. Illico obmutui : et inter verbera (nam cædi me jusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum meum versiculum reputans : In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem incepi : Miserere mei, Domine, miserere mei, *Psalm.* VI. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti qui astabant, precabantur ut veniam tribueret adolescentiæ meæ, et errori locum pœnitentiæ commodaret; exacturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi, et nomen ejus obtestans dicere : Domine, si unquam habuero codices sæculares; si legero, te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus, revertor ad superos, et mirantibus cunctis, oculos aperio tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. » Addit deinde : « Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur : testis est tribunal illud, ante quod jacui, testis judicium triste, quod timui. Ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem; liventes fateor me habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram. »

Si ob lectum Ciceronem in judicio vapulavit S. Hieronymus, quantum vapulabunt gulosi, qui ventri et Veneri serviunt; avari, qui per vim vel fraudem aliena diripiunt; superbi, qui proximis invident, indignantur, calumniantur, officium, famam vitamque eripiunt? Igitur ex hoc epilogo Salomonis discamus jugiter mentis oculis proponere diem judicii, ut ejus cogitatione et metu singulas nostras actiones ita honeste, sincere, caute et exacte obeamus, sicut optabimus eas obivisse, cum tribunali Christi adstabimus, ut rigidam judicii earumdem rationem reposcenti reddamus, ne quod ipse in eis erratum inveniat. Ibi enim jacietur alea, imo dictabitur sententia decretoria, eaque irrevocabilis totius æternitatis nostræ, vel beatissimæ, vel miserrimæ. Sive ergo comedas, sive bibas, sive dormias, sive studeas, sive quid aliud agas, semper cum S. Hieronymo auribus

tuis insonet tuba novissima Archangeli : « Surgite, mortui, venite ad judicium. » « Quis enim, inquit S. Clemens, *epist.* 1, peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei judicium ponat, quod in fine mundi certum est agitandum? » Et Boetius in fine *Consolat. Philosoph.* : « Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis. »

Hoc sapiebat qui dicebat :

Linquo coax ranis, cras corvis, vanaque vanis;
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet *ergo*.

O æterna veritas, vera charitas, chara felicitas, felix æternitas, Deus meus, et omnia! Da ut nulla nos moveat mundi vanitas. Da ut qui hæc legunt sapere discant, ut transeant a vanitate ad veritatem, a terra ad cœlum, a morte ad vitam, a tempore ad æternitatem, ab ærumna ad felicitatem, a mundo immundo ad te Dominum Deum nostrum, ut in te quasi in pace in idipsum dormiant et requiescant. Da nobis sapientiam hanc, Domine Jesu, qua vana ut vana despiciamus, vera ut vera sectemur, quia tu es æterna Patris Sapientia; tu via, veritas et vita; donec aspiret dies veræ beatæque æternitatis, et inclinentur umbræ vanæ miseræque mortalitatis. « Tu via sanctæ conversationis, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ. Sequamur, Domine Jesu, te per te, quia tu es via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio, » ut jucundissima tui visione fruentes in æternum vivamus, beemur et glorificemur, ac in abyssum veritatis deitatisque immersi, Trinitati perenne alleluia concinentes, totis cordium medullis jugiter jubilemus : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat, in principio, et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. »

O quantum est in rebus inane!

« Sperne vanitatem, sectare veritatem; sursum veritas, deorsum vanitas. » S. Bernardus, lib. V *Vitæ*, cap. III.

VIVE ÆTERNITATI.

Quidquid in mortali moliris vita, Æternitati geris, vel miseræ, vel beatæ. Hoc ævum horis et diebus fluens, imo fluctuans, cum inani rerum labentium flumine, tendit in vastum Oceanum ÆTERNITATIS.

« Memento te unam duntaxat habere animam, eamque immortalem, ac semel duntaxat te moriturum, nec a morte ad vitam esse regressurum; unam quoque tantum te habere vitam, illamque brevem, nec aliam quam illam qua modo uteris; ac postea unam solum superesse gloriam, illamque æternam : illi ergo vivere sàtage. » B. Teresia.

UNUM NECESSE EST, AUT BENE ÆTERNUM, AUT MALE.

PROOEMIUM

ROSENMULLERI IN SALOMONIS CANTICUM.

I.

LIBRI INSCRIPTIO.

Tertius qui in sacra Hebræorum bibliotheca Salomoni auctori tribuitur liber (1), inscribitur שיר השירים, *Canticum canticorum*, quæ verba non, ut quidam voluerunt, de pluribus Salomoneis carminibus hoc unum superesse significant, nec *catenam* sive speciem carminum (2), nec carmen ex pluribus concinnatum idyllis (3), sed *Carmen præstantissimum,* eodem superlativum exprimendi modo, quo Ezech. XVI, 7, עדי עדיים *ornamentum ornamentorum* denotat *ornamentum pulcherrimum;* Genes. IX, 25, עבד עבדים *servus servorum, servum vilissimum;* Num. III, 32, נשיא נשיאים, et Dan. VIII, 25, שר שרים *princeps principum, principem summum,* et quæ sunt aliæ hujusmodi formulæ. Postrema inscriptionis verba, אשר לשלמה, sunt qui exponunt : *quæ* carmina sunt *Salomonis,* quasi inter omnia Salomonis carmina mille et quinque, quæ scripsisse legitur I Reg. V, 12 (al. IV, 32), hoc omnium præstantissimum sit, ideoque delectum ab iis, qui libros sacros collegerunt, et dignum habitum, quod inter illos censeretur. Alii אשר quidem in singulari capiunt, et ad שיר referunt, sed verba hoc dicere volunt : *quod* carmen respectum habet *ad Salomonem,* id est, de eo, de ejus amoribus, agit, quemadmodum Jesai. V, 1, *carmen amici mei* לכרמו *de vinea sua,* et Jerem. XLVIII, 1, vaticinium למואב *de Moabo.* Plerisque tamen, quibus et nos accedimus, ל nomini שלמה præmissum est nota auctoris Carminis, ut in multis Psalmorum inscriptionibus. Dicit igitur inscriptio, Carmen hoc præstantissimum esse a Salomone compositum.

II.

CONTINETUR HOC LIBRO UNUM CONTINUUM CARMEN.

Contineri hoc libro unum continuum ab eodem poeta compositum carmen, a nemine in dubium vocatum est usque ad Richard. Simonem, qui plura minora variorum poetarum carmina hoc libro collecta perhibuit, quorum vel auctores vel initia internosci et distingui vix commode queant, eo quod nusquam eorum indicia dentur (4). Post illum

(1) De vario quo libros Salomoneos ponunt et Hebræi et Christiani ordine vid. Carpzovii *Introduct. ad libros vet. Testam.* part. II, pag. 239.

(2) Ut Welthusen, שיר collato cum Aramaico שִׁיר *catena, armilla,* in sua hujus libri interpretatione, quam inscripsit *Der Schwesternhandel,* pag. 108.

(3) Ita Jos. Frid. Schelling in *excursu* 1 ad suam interpretationem, pag. 239 : « Quemadmodum, inquit, Theocriti carminibus ab ipso εἰδυλλίων nomen est inditum, quod varia essent in illis poematiorum εἴδη, *genera,* interprete Scapula : sic *Canticum canticorum* hoc nomen acceptum videri possit, quod carmen sit ex pluribus quasi concinnatum canticis. »

(4) *Hist. critiq. du vieux Testam.,* liv. I, ch. V, pag. 30 : « Il y a beaucoup de confusion dans le livre des Cantiques, où l'on a de la peine à distinguer les auteurs, parce qu'ils n'ont pas été marqués. »

recentioribus temporibus plures exstiterunt, qui quum incertas contenderent esse personas mutuo colloquentes in hoc libro inductas, nec posse certum definiri disserentium consilium, sæpe præterea hiare nexum orationis, filumque sermonis e manibus elabi interpretis, nec ita in unum coire singulas libri partes, ut quomodo inter se apte cohæreant, appareat, in eam perducti sunt sententiam, per totum librum plura spargi carmina, nullo inter se nexu conjuncta, sed propter argumenti similitudinem ac analogiam (amatoria enim sunt) in unum quasi fasciculum constipata, uti est in Psalmorum corpore et Salomonis sententiis (1). Verum enim vero unum atque continuum ejusdem auctoris opus esse, totius libri nexus indivulsus et harmonia demonstrat, in quo, utut personæ varient alternis vicibus interloquentes, nulla tamen tumultuariæ congestionis vestigia comparent. Quod ut eo clarius eluceat, age, hunc librum propius consideremus et summa ejus capita ab initio ad finem persequamur.

Exhibet hoc carmen continua juvenis et puellæ sese amantium colloquia. Amator describitur ut *rex* I, 4, 12, *Salomo* dictus III, 11 coll. VII, 9, VIII, 11; idemque ut *sponsus*, cujus nuptiæ memorantur III, 11. Idem ut *pastor* I, 7, II, 16, isque socios habens, I, 7, et agros vineasque colens VI, 1, 2. Complures habet uxores primi et secundi ordinis VI, 7, 8, quibus adjectæ sunt, ut sociæ illarum, innumerabiles virgines VI, 7. Inter uxores illas spectatur una aliqua singularis et præ reliquis omnibus dilecta VI, 8, quæ sponsa dicitur, IV, 8-12, et ipsa illa est, quæ in hoc carmine cum regio sponso colloquens inducitur. Ei cura pastoritia peculiaris gregis I, 8, tribuitur. Eadem præfecta olim fuerat vineis, sed ne suam quidem vineam custodivit I, 6. Pulchra et ornata est VI, 8, 9, 11, IV, 1 seqq. Vocatur VI, 12 (al. VII, 1) *Sulamith*. Inducuntur quoque puellæ Hierosolymitanæ, sponsæ comites, quæ scenæ semper interesse videntur, et suas etiam partes in dialogo gerunt II, 7; III, 5; V, 9; VI, 1; VIII, 4. Sub Carminis finem loquentes inducuntur Sulamithæ fratres VIII, 8, 9, eorumque soror natu minor VIII, 10-12. Fit item mentio juvenum sponsi amicorum I, 7; V, 1; VIII, 13: sunt autem mutæ personæ.

Colloquendi initium facit sponsa, quæ regis amplexum desiderat, eumque se in conclavia sua ducentem velle sequi profitetur, I, 2-4. Puellis Hierosolymitanis excusat formam suam ab æstu solis subnigram, et peccatum suum confitetur, quod negligens officii sui custodiendi vineas fuerit, et ne vineam quidem propriam custodiverit, vers. 5, 6. A dilecto instructionem pascendi sibi expetit, ab illius sociis contemni metuens. Ille jubet eam vestigia parata sequi, laudatque ejus ornatum, vers. 7-11. Pollicetur sponsa, se bene paratam exspectaturam esse sponsam, mentemque in eum prorsus defixam habituram esse, vers. 12-14. Qua mente contentus rex sponsæ pulchritudinem sinceritatemque et probitatem, illius vultu sese prodentem laudat, vers. 15. Sed illa vicissim magis prædicat sponsum, et mente præcipit suavem et splendidam una cum eo habitationem, vers. 16, 17. Comparanti se cum narcisso Saronio et lilio convallium, II, 1, rex ita respondet, ut illud confirmet et amplificet, vers. 2. Sponsa dilectum suum excellentius laudat, et professa quanta ab eo acceperit beneficia ejus accubitum vehementer desiderat, vers. 3-6. Quum obdormivisset, rex adveniens eam excitari vetat, cum obtestatione, vers. 7. Mox ipsa

(1) Horum antesignanus est Jo. Gottfr. Herder, in sua hujus carminis interpretatione, cui titulum fecit hunc : *Lieder der Liebe, die altesten und schonsten des Morgenlands*, Leipz. 1778. Eum primus secutus est Jo. Christoph. Dœderlein in *Scholiis in vet. Testam. libros poeticos* (Hall. 1779), qui pag. 189 hoc libro contineri *erotopægnia* existimat, quæ Græcis laudantur, id est brevia de amore poemata, distincta carmina, urbana et rustica, dialogismos diverso tempore eleganter compositos, a Salomone aut conditos, aut in unum fasciculum constrictos. In illorum duumvirorum sententiam postea concesserunt J. F. Kleuker *(Sammlung der Gedichte Salomons)*; Guil. Frid. Hufnagel in *Repertor. für bibl. u. morgend. Literat.* part. VII, pag. 199 seqq., et in teutonica sua hujus libri interpretatione notis illustrata, Erlang. 1784; H. E. Paulus in *Repert. für b. u. m. Lit.* part. XVII, pag. 108 seqq.; J. B. Gaab, *Beytrage zur Erklar. des Hohen Liods*; J. H. Pareau, *Institutio interpretis vet. Testam.* pag. 559, et nuper Jo. Car. Dœpke in *Commentar.* super hoc libro teuton. edito.

expergiscens agnoscit vocem dilecti. Celeriter deinde per montes collesque obambulantem videt, mox astantem conspicit ad suum habitaculum, vers. 8, 9. Audit ipsam excitantis evocantisque ad res suas agendas vocem, quum jam tempus amœnius advenerit, omniaque in flore constituta et fructibus ferendis propinqua sint, vers. 10-13. Eam in petrarum fissuris latentem vocat dilectus, ut ad ipsum veniat, vers. 14, simulque jubet vulpeculas vineis noxias capi, vers. 15. Jam gaudet sponsa, quod propius dilecto posita sit, qui eodem loco pascat, vers. 16, cujusque adventum ad se sub vesperam exspectat, vers. 17. Sed spe sua, dilectum secum fore proxima nocte, deceptam se ait noctu surrexisse et dilectum suum quæsivisse, rogasseque civitatis custodes, num eum viderint. Paullo post quum eum reperisset, gaudet, non dimissura eum, donec in matris suæ domum eum deduxerit, III, 1-4. Quum iterum obdormivisset, vetat dilectus eam a somno excitari, vers. 5. Tum post interjectum aliquod temporis spatium, Hierosolymitanæ puellæ mirabundæ sponsam conspiciunt in solemni pompa e deserto deductam, vers. 6. Describitur lectus regius ab heroibus Israeliticis optime custoditus, vers. 7, 8, et thronus regius portatilis pretiosissimus, in quo dum rex solemniter portatur, invitantur Hierosolymitanæ puellæ ad contemplandum regem Salomonem nuptiali corona ornatum, vers. 9-11. Nunc rex laudat sponsam suam, ejusque formæ præstantiam prædicat, generaliter primum, deinde per singula membra, atque plures elegantes in ejus commendationem similitudines afferens, IV, 1-15. Sponsæ invitanti dilectum ut ad se veniat, IV, 16, respondet ille, se ejus votis annuere, V, 1. Jam vero narrat sponsa, quantum ipsa officio suo defuerit, quum adveniente dilecto noctu ipsa somno gravis et tædio molestiæ surgendi seque vestiendi, morata fuerit; sed amico manum per ostii foramen immittente, se totam perturbatam fuisse; surrexisse se tandem, foresque aperuisse, sed dilectum interim abiisse, hinc se ferme exanimatam frustra eum quæsivisse et vocasse, vers. 2-6. Tandem se in urbem perrexisse, sed verberatam, vulneratam, et detracto peplo instar impudicæ mulieris ignominiose tractatam esse a custodibus, vers. 7. Quare se obtestatam esse puellas Hierosolymitanas, ut ubicumque reperiant ipsius dilectum, ei dicant, quantopere ipsa ægra amore sit, vers. 8. Illis descriptionem dilecti sui poscentibus eam dedit, vers. 9-16. Rogant Hierosolymitanæ quorsum putet dilectum abiisse? se enim cum ipsa eum quæsituras, VI, 1. Sponsa respondet, eum in suum hortum descendisse, ut floribus pascatur, floresque colligat, vers. 2. Mox conspecto amico totam se ei dedit, vers. 3. Is vero ei occurrens delectatur ejus pulchritudine, quæ in ejus amorem ita abreptum se profitetur, ut inter tot reginas innumerabilesque virgines eam sibi amicam eligeret, vers. 3-10. Inde usque ad caput VII, 10, sponsæ pulchritudo denuo per singula membra a calce ad caput describitur, significatque dilectus, quanto illius amore ardeat. Quo sponsi erga se affectu Sulamith (VII, 1) se beatam ducens, locum et copiam petit promissis ejus amoribus fruendi, suosque illi reddendi, nempe inter visendas secum vineas, ubi ait ad gratam commorationem omnia a se parata esse, vers. 11-14. Tum ardentiori desiderio exoptat propiorem cum dilecto consuetudinem ejusque amplexus, VIII, 1-3. Sponsam, quæ inter desideria obdormiverat, rex vetat excitari, vers. 4. Mox conspicitur dilecto suo innixa sponsa e deserto adducta, quæ illi semper proxime manere cupit, jamque amorem suum ardentissimum esse confirmat, vers. 5-7. Jam in scenam producuntur Sulamithæ fratres consilia inter se agitantes de sorore quadam natu minore, nondum nubili, quid ei faciendum sit, quo tempore ei sit nubendum? vers. 8, 9. Inducitur illa ipsa glorians, se sorori parem esse factam, vers. 10, et promittit, se vineam a Salomone suæ curæ concreditam diligenter custodire velle, vers. 11, 12. Rex cum comitatu sociorum adveniens acclamat sponsæ in hortis habitanti, ut sonora voce ipsum excipiat, vers. 13. Illa respondens preca-

tur, ut dilectus summa celeritate in montes aromatibus fragrantes se recipiat, vers. 14.

Vides omnes et singulas hujus libri partes inter se cohærere, et mutuo sese respicere, easdemque iterum iterumque personas colloquentes redire. Præterea unus idemque per totum librum sonus regnat orationis, idem stylus, eædemque subinde repetuntur loquendi formulæ huic tantum libro propriæ, veluti adjuratio per cervas et capreas ad puellas Hierosolymitanas directa, ne dilectam e somno excitent, II, 7; III, 5; VIII, 4; comparatio oculorum delectæ cum columbarum oculis, I, 15; IV, 1; V, 12; compellatio dilectæ nomine columbæ, II, 14; V, 2; VI, 9 (1).

III.

CARMINIS ARGUMENTUM ET CONSILIUM.

Ex illa, quam supra dedimus, carminis descriptione patet, illud suo in genere plane esse unicum, totque mirą, insolentia et obscura ei inesse, quot carminum quotquot exstant vix ulli alii. In scenam producitur rustica puella in regium gynæceum introducta, quæ sese a rege amari gaudet. Mox vero eadem in rure conspicitur, ubi una cum dilecto greges pascit, I, 7, 8, 9. Thorum suum virentem, id est cespitem, simul vero domus suæ tignos cedros esse ait, tabulataque cyparissea, qualia regi palatio conveniunt, I, 16, 17. Tum dilectum conspicit super montes collesque salientem, II, 8, 9. Noctu in lecto cubans quum dilectum frustra quærat, consurgit, urbis plateas perlustrat, custodes interrogat, an non ipsius dilectum vidissent, quem quum tandem inveniat, in matris domum deducere cupit, III, 1-4. Post aliquod temporis intervallum iterum dilectum in platea quærens a custodibus verbera patitur et vulneratur, V, 1-7. Hæc et plura alia quum nullo modo nec Salomoni regi, nec feminæ in primariam thori sociam ab eo electæ et in sua conclavia deductæ conveniant, varii varios excogitarunt modos, quibus ἀσύστατα inter se conciliare et verisimilia reddere studerent. Qui tamen in eo fere consentiunt, quod puellæ dilectum alium esse a Salomone rege statuunt, eum vero puellam ab amore, quem juvenili cuidam pastori addixisset, ad suos abducere amores et pellicere conantem sisti putant, cujus illecebris puella fortiter resistens datam suo pastori fidem servet. Hi vero omnes alii alia fingere, et ut singulas carminis partes ex sua hypothesi inter se connectant, interpretationi ex suo ingenio plura inferre necesse habent, de quibus poetam cogitasse haud constat. Quod etsi vere monuit qui recentissimus illi interpretum classi sese adjunxit G. H. A. Evald, tamen in eamdem illam vituperationem et ipse cadit. Is enim sibi persuasum habet, Sulamitham, quum aliquando in amœno Engedensi agro exspatiata in regios currus incidisset, jussu regis, ejus amore incensi, in suum gynæceum vi fuisse abreptam. Id quis credat Virum Doctissimum sibi reperisse visum esse in his quæ VI, 11, 12 leguntur,

(1) Alia nonnulla, quæ hunc librum unius ejusdem auctoris opus esse arguant, attulit Ewald in *Prolegom.* ad suam interpretationem, pag. 9 seqq., et pag. 43 seq.

* Hæc Maurer : « Poeta semper ש relativo utitur, ita ut forma pronominis relativi plenior אשר nonnisi in libri inscriptione, quæ a poeta ipso non profecta est, inveniatur. Deinde שך, quod ex ש relativo et ל compositum est, tantummodo in Cantico Canticorum occurrit. Voces et locutiones poetæ propriæ hæ sunt : רעיה (pro qua voce ab aliis vet. Testam. scriptoribus רעות, *Jud.* XI, 37, vel רעה, *Ps.* XLV, 15, ponitur), I, 9, 15; II, 2, 10, 13; IV, 1, 7; V, 2; VI, 4; כפר *cyprus*, I, 14; IV, 13; עפר (quæ vox cum כפיר cohæret), II, 9, 17; IV, 5; VII, 4; VIII, 14; סמדר, II, 13, 15; VII, 13; נגדל, VI, 4, 10; בלילות *noctu*, III, 1, 8; בוא et ירד, sq. ל *intrare, descendere in* locum, IV, 16; V, 1; VI, 2. Præterea id, quod e formis vocis שפה non forma dualis, sed pluralis שפתות ante suffixa semper ponitur, IV, 3, 11; V, 13; quod nunquam terminationes verborum masculinæ, pronomina et suffixa masculina ad nomina generis feminini referuntur, II, 7; III, 5; IV, 2; V, 3, 8, 9; VI, 5, 6, 8; VII, 1; VIII, 4; quod dativus pronominis personalis pleonastice adhibetur, I, 8; II, 10, 11, 13, 17; IV, 6; VIII, 14, et quod in omnibus carminibus idem articuli usus frequens invenitur, monendum est. Peculiaris dicendi formula est מי זות, quæ ad homines accedentes animum advertit III, 6; VI, 10; VIII, 5. Denique poetæ jusjurandum quod per capreas et cervos agri juratur, proprium est II, 6; III, 5; VIII, 3. »

A. C.

quæque Sulamithæ verba esse putat, aliis ea sponsa tribuentibus : « Ad hortum unicum descendi, ut intuerer convallis virorem, ut viderem an germinaret vitis, an flores haberent malogranatæ arbores? Nescio qui — duxit me meum desiderium ad currus populi mei nobilis. » Quibus jungit hæc Sulamithæ verba I, 4 : « Trahe me post te! Curramus! In sua conclavia rex me duxit. Exsultabimus teque lætabimur; amores tuos plus quam vinum laudabimus. Jure merito amore te puellæ prosequuntur. » In quibus omnibus tam nihil est, quod puellam invitam in regium gynæceum raptam arguat, ut potius illam se regis amore gaudere prodant. Verba quibus, I, 9, 10, 11, rex virginis pulchritudinem laudat, Ewaldo sunt blandimenta, quibus rex illam ad se amandum pellicere studeat; vers. 12-14 vero Sulamitham regios amores detrectare, seque juvenis pastoris a se dilecti desiderio teneri testari putat! Quod in verbis illis vix reperiat, qui ea sine præjudicata opinione legat. Porro, II, 8-15, Sulamitham ait in regio gynæceo versatam in mentem sibi revocare felices illos dies, quibus dilectus in vinea ipsam subinde inviseret, et vers. 16, 17, eam optare, ut priusquam vesper adveniat dilectus ipsam e gynæceo eripere velit. Tum III, 1-4, et V, 2 seq., Sulamitham fidenter asserit narrare quæ sibi dormienti per somnia oblata fuerint. Talia si quis alius lectoribus suis persuadere vellet, is procul dubio acrem, qualem ipse exercere amat, viri doctissimi censuram merito experturus esset (1). Cæterum carminis formam quod attinet, illud statuit esse drama, nec tamen tale, quod in scenam esset proferendum. Quatuor illud actibus, quos dicunt, absolvi, quorum tres priores eadem redeunte obtestatione II, 7; III, 5; VIII, 4, terminantur. Verum nihil in carmine reperiri, quod fabulæ dramaticæ argumentum exhiberet, qua res gesta quædam per variam eventuum seriem ad exitum aliquem deducitur, verissime jam Lowthius (2) monuit. A prin-

(1) * Ewaldo in omnibus fere consentit Heiligstedt, qui Maureri Commentarios nuper prosecutus est atque absolvit. Carminis hujus *materiam, argumentum* et *finem* exponit ita :

« Puella quædam rusticana, nomine *Sulamith* (VII, 1), in oppido *Engedi* adulta et educata (I, 14), virtute eximia prædita, quæ a fratribus non germanis inhumane tractatur (I, 6), et quæ juvenem honestum, quocum ab infantia familiariter vixit, amore fideli prosequitur, in gynæceum Salomonis regis abducitur (VI, 12; I, 4). Salomo omni opera animum Sulamithæ sibi conciliare enititur, eam precibus et blandimentis movere studet, omni laude et splendore ornat, eamque omnibus suis mulieribus anteponit. Sed Sulamith nulla re, nulla regis opera et arte potest incitari, ut ei aures præbeat, ejusque precibus et voluntati satisfaciat; ea se constanter gerit, semper simpliciter respondens regis preces et optata repudiat, semper toto animo de amato suo cogitat, se fideli amore eum amplecti affirmat, et vehementer optat, ut ad eum et in locum in quo is versatur, redeat. Postquam Salomo omnia frustra tentavit, ut Sulamitham a fido amore, quem ea erga amatum suum habet, averteret, Sulamith ex gynæceo regis liberata rursus in amati societate commoratur. — Ex hoc argumento carmen a poeta in eum finem, ut *amor verus, purus, innocens et fidelis, qui omnibus splendoris et opulentiæ illecebris et blanditiis repugnat et resistit, atque nonnisi in virtute et animi innocentia conservanda acquiescit*, describeretur et laudaretur, compositum esse sequitur. »

Et infra : « Quod vero ad nexum, quo singula carmina in libro conjuncta sunt, attinet, ea non justo ordine inter se cohærere videmus; nam exstant carmina, quæ res tempore priore gestas exponunt, sed post alia carmina, in quibus de rebus ad tempus posterius pertinentibus agitur, posita sunt. Hujusmodi carmina sunt carmen II, 8-17, quod ad tempus refertur, quo Sulamith, antequam in gynæceum Salomonis abducitur, in solo natali commoratur; et carmen VI, 10—VII, 10, quod ad tempus, quo Sulamith primo in Salomonis conspectum venit, pertinet, quæ carmina post alia ad Sulamitham in gynæceum Salomonis abductam spectantia collocata sunt. Cum poetam ipsum, qui rem unam pluribus carminibus exponere voluit, hæc eo ordine non apte cohærente, qui in libro invenitur, conjunxisse verisimile non sit, ille carminum ordo non a poeta ipso, sed ab alio quodam auctore seriore, qui carminum argumentum, finem et nexum non recte intellexerit, profectus esse videtur. Neque ille carminum nexus, quo res gestæ, quæ iis exponuntur, non secundum justum temporis ordinem conjunctæ sunt, eo potest defendi et probari, quod Canticum Canticorum *drama*, propter cujus formam poetæ rem serius gestam dialogis prioribus exponere, et rem prius factam dialogis posterioribus expedire et explanare licuerit, esse statuitur. Nam poesis dramatica a litteris tam Hebræorum quam cæterorum populorum Semiticorum aliena est. Plures quidem personæ, quæ inter se satis differunt, in Cantico Canticorum colloquentes introducuntur, tamen hic liber propterea, quod singulæ argumenti res actionibus continuis non expediuntur, pro dramate haberi nequit.— Canticum Canticorum in hæc *duodecim* carmina aptissime distribuuntur : *a)* I, 2-8; *b)* I, 9 — II, 7; *c)* II, 8-17; *d)* III, 1-5; *e)* III, 6-11; *f)* IV, 1-7; *g)* IV, 8 — V, 1; *h)* V, 2 — VI, 3; *i)* VI, 4-9; *k)* VI, 10—VII, 10; *l)* VII, 11—VIII, 4; *m)* VIII, 5-14. Quorum carminum tertium II, 8-17, et decimum VI, 10—VII, 10, ad res ante Sulamitham in gynæceum Salomonis abductam gestas; primum et secundum I, 2—II, 7, quartum et quæ deinceps sequuntur usque ad nonum, III, 1—VI, 9, ad tempus quo Sulamith in gynæceo regis commoratur; et duodecimum VIII, 5-14, ad tempus quo illa mulier ex gynæceo liberata rursus domi in amati societate versatur, pertinent. » Hæc ille in *Proœmio in Canticum Salomonis.* A. C.

(2) *De sacra Hebræor. poesi*, pag. 344 edit. Lips., ubi Bossuetum refellit, qui hoc libro pastorale drama, per septem actus, quorum singuli unius diei spatium occupent, distributum, contineri existimavit.

cipio usque ad finem idem esse videtur rerum status, idem color, nisi quod amantium variantur affectus, eo præcipue, quod nunc absentes languent, nunc mutuo consortio fruuntur. Sponsa sponsum absentem desiderat, quærit, invenit, amplectitur, domum deducit; iterum insequitur fugientem, sed frustra; mœret, languet, comitibus mandata dat dilecto perferenda, et splendidam fusamque ejus formæ descriptionem subjicit. Nihil hic justæ actionis simile, nec quod magis accedat ad naturam legitimæ fabulæ, quam quæ habet quodvis e Theocriti aut Virgilii Bucolicis dramaticis, quibus pastores amores suos, lusus, aut certamina exponunt, quæ nemo tenere in eadem classe cum Euripidis aut Terentii fabulis collocabit. Id itaque satis tuto statuere licet, canticum Salomonis ad minorem illam speciem dramaticæ poeseos pertinere, seu formam solummodo dramaticam habere, neutiquam justi dramatis titulo insigniri posse.

Cum, uti vidimus, Salomonis canticum tot tantaque inter se repugnantia contineat, quæ probabili aliqua ratione inter se conciliari non possunt, si nonnisi proprium verborum sensum sequamur; eo deducimur, ut poetam *allegorico* dicendi genere usum esse statuamus. Quod ipsum antiquissimi et Hebræi (1) et Christiani Interpretes agnoverunt. Atque illi quidem, præeunte Chaldaico paraphraste, consentiunt fere, describi in hoc carmine mutuos Dei et populi Hebræi amores ejusdem allegoriæ involucro, quo sæpius sacri vates usi sunt. Eos enim constat Deum ad suum populum eamdem rationem habentem sistere, quam sponsus aut maritus habet ad sponsam aut uxorem. Ita Isaias, LIV, 5 : « Maritus tibi erit Creator tuus, nomen ei Jova exercituum. » Idem, LXII, 5 : « Ut juvenis uxorem ducit virginem, ita te uxorem ducet Conditor tuus. Et ut sponsus sponsa gaudet, ita te gaudebit Deus tuus. » Jeremias, II, 2 : « Reminiscor tibi pietatis juventutis tuæ et amoris sponsaliorum tuorum, cum tu me per deserta, per terram sequerere incultam. » Idem eamdem imaginem varie et paullo liberius, utpote cum aliqua indignatione, persequitur, Judæis defectionem a Dei cultu exprobrans, III, 1-5, ubi inter cætera alia hæc dicit : « Tu vero, quamvis cum multis amatoribus scortata sis, tamen redi ad me, inquit Jova. » Ab eadem imagine tota pendet pars prior vaticiniorum Oseæ, cap. I-III, quam sive ex veritate historica interpreteris, sive pro allegoria habeas, perinde hujus translationis, in hoc argumento quodammodo consecratæ, lex et ratio elucebit. Verum nemo est, qui in hac materia pari cum audacia versatus sit, aut æque licenter sese effuderit, atque Ezechiel, qui binis parabolis bene longis, cap. XVI et XXIII, quibus Judæorum atque Israelitarum ingratum erga Deum animum turpemque a vero ejus cultu defectionem, ductis imaginibus a muliere adultera, et mulierum duarum amoribus meretriciis, fuse exsequitur. Quæ cum ita sint, nequaquam improbabile fuerit, cani poemate illo, quod *Salomonis præstantissimum carmen* inscribitur, *mutuos Jovæ et populi a se dilecti atque fidelis amores*, sub amoris, quo vir et femina invicem flagrant, ita continuata allegoria, ut

(1) Aben-Ezsra in Præfat. ad suam hujus libri interpretationem : « Absit, absit, ut Canticum Canticorum de amore carnali agat, sed omnia figurate in eo dicuntur. Nisi enim maxima ejus dignitas esset, in sacrorum librorum corpus non fuisset relatum, neque de eo ulla est controversia. » Profecto carmen, quod vulgares viri et feminæ amores caneret, inter vet. Testam. libros relatum fuisse, minime fert universa eorum indoles et ratio. *Sacri* enim sunt et habentur illi libri, eoque nomine spectant vel res divinas et cultum divinum, vel necessitudinem quæ Deo cum suo populo intercedit, quo et libri historici pertinent, vel institutionem vitæ, morumque disciplinam. Inter tales gravissimi sanctissimique argumenti libros relatum esse amatorium carmen, eique *præstantissimi* nomen inditum fuisse, mihi nunquam persuadebitur. Afferunt qui et alios minoris momenti libros in vet. Testam. relatos esse contendunt, libellum Ruthæ. Sed ei, cum ad declarandum Davidis originem pertineat, minime postremus inter libros historicos ad theocratiam spectantes locus competit.

* Cæterum notat Herbst, quærenti quomodo hocce carmen, allegorica interpretatione repudiata, inter sacros Judæorum relatum fuerit, esse respondendum, illud contigisse, non quod carminis argumentum sit *amor verus, innocens et fidelis*, sed quod ille qui ibi exhibetur, *Salomonis* sit amor; quemadmodum enim bibliorum collectores Hebræorum regum historiam, impie licet scelesteque factis scatentem, in sacrum canonem referre non dubitaverunt, ita eosdem carmen præstantissimum, in quo filii Davidis amores describerentur, sacræ Scripturæ adscribere potuisse. Hæc ille, *Historisch kritische Einleitung*, etc., ad h. l. A. C.

amantium desiderium, ardor, sollicitudo, cumque his conjunctæ perturbationes vividissimis coloribus repræsententur (1). Hinc Jarchi observat, induci hoc carmine populum Israeliticum in exsilio recordatum pristinum Dei erga se amorem, quo motus ille ipsum præ cæteris populis peculium sibi elegerat, maximisque beneficiis ornaverat. Repudiatum vero ob multa commissa maleficia, jam erroris pœnitentia ductum, ita apud se cogitare : « Referam me ad maritum meum priorem; nam melius tunc mecum agebatur, quam nunc, » *Osee*, II, 7 (al. 9). « Personam, inquit, gens Israelitica gerit mulieris, quæ divortio facto etiam mariti sui desiderio tenetur, dilectoque jungere se cupit, in memoriam revocans adolescentiæ suæ amorem, et defectionem suam confitens. Dilectus vero, illius sollicitudine ipse dolore correptus : *Meminit collata in illam juvenem sponsamque beneficia atque amorem* (*Jerem.* II, 2), inque memoriam revocat decorem pulchritudinis ejus, et recte beneque ab ea facta, per quæ ipse eidem forti amore devinctus est. Testatur igitur, se illam non libenti animo afflixisse, nec repudium ei perpetuum dixisse, sed eam suam uxorem adhuc esse, ipsumque ejus maritum, qui ad eam sit rediturus. » Eamdem allegoriam ab antecessoribus suis acceptam Novi Fœderis scriptores servarunt ad Christi et Ecclesiæ unionem mysticam describendam, præsertim Paulus Apostolus, *Ephes.* V, 23-28; II *Cor.* XI, 2; quibuscum junge *Matth.* IX, 15; *Joan.* III, 29; *Apoc.* XIX, 7; XXI, 2. Quibus locis congruenter antiquissimi Ecclesiæ Patres Canticum de mutuis Christi et Ecclesiæ amoribus interpretati sunt. Inter eos eminet Origenes, qui, teste Hieronymo, Canticum decem voluminibus explicavit, ineunte sæculo tertio (2), eumque secuti sunt Epiphanius, Salamini in Cypro episcopus, Philo, episcopus Carpasi, quæ etiam Cypri urbs est, Theodoretus, Cyri episcopus, Cassiodorus et alii (3). Exstitere quidem jam sæculo quinto qui Salomonis Canticum ad proprium verborum sensum restringerent, nec allegoricum ejus sensum agnoscerent (4), ex quibus tamen solus Theodorus, Mopsuestes episcopus, nomine est notus (5). Sed eorum sententia tantum abest, ut majori doctorum

(1) Opposuit allegoricæ carminis interpretationi J. D. Michaelis in not. 131 ad Lowthii *De sacra Hebræorum poesi Prælect.* (pag. 625), veri dissimillimum esse in tam longo carmine, si allegoricum, nihil omnino repertum iri, quod ad vestigia aliqua allegoriæ ac divini amoris nos deducat. Quod repetierunt Ewaldus (*Das Hohe Lied*, pag. 35), Dopke (*Commentar.* pag. 45), et Hassler (*Tübinger Zeitschr. für Theologie*, III Stück, pag. 172). Verum quo minus poeta disertis verbis indicaret, quidnam sub allegorico involucro lateret, impediebat carminis interna natura et constitutio, forma, dico, quam sibi elegerat, dramatica. Neque enim ipse loquitur, narratve aut describit, quæ ipsi objecta sunt, sed in dramaticam quasi actionem, in qua ipsi, poetæ, nullæ partes essent, versum est totum ejus argumentum.

(2) Ejus operis pars tantum superest, ab Hieronymo latine versa : « Origenes, inquit ille in Præfat. ad Homilias duas *in Cantic. Canticor.*, cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit. Nam decem voluminibus explicitis, quæ ad viginti usque versuum millia pene perveniunt, primum Septuaginta Interpretes, deinde Aquilam et Symmachum et Theodotion, et ad extremum quintam Editionem, quam in Actio littore invenisse se scribit, ita magnifice aperteque disserit, ut vel inde mihi videatur in eo completum esse quod dicitur : Introduxit me rex in cubiculum suum. »

(3) Theodoretus in *Procem.* in suam Cantici interpretationem, non solum Eusebium, Origenem, Cyprianum Carthaginensem, et his antiquiores apostolisque propinquiores (καὶ οἱ τούτων παλαιότεροι, καὶ τῶν ἀποστόλων πλησιέστεροι), verum et qui post eos in Ecclesiis excelluere, librum hunc omnes spiritualem esse censuisse (πνευματικὸν ἔγνωσαν τὸ βιβλίον), tradit.

(4) Theodoretus, l. l. pag. 2 : « Quia nonnulli eorum qui Canticum Canticorum calumniantur, ac spiritualem librum esse negant, fabulas quasdam ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt : alii nimirum, quod sapiens Salomo de seipso deque Pharaonis filia scripserit (ita et Grotius, cui hoc carmen est ὀαριστὺς, inter Salomonem et filiam regis Ægypti, I *Reg.* III, 1, interloquentibus etiam choris tum juvenum, tum virginum, qui in proximis thalamo locis excubabant); nonnulli autem ejusdem classis auctores pro Pharaonis filia sponsam esse Abisai Sunamitidem finxerunt. » De Abisaga, quam Davides senex concubinam sibi junxit, et post ejus mortem Adonia a Salomone uxorem sibi petiit, vid. I *Reg.* I, 2-4; II, 21, 22.

(5) De eo interprete vid. Patris mei *Histor. Interpretum SS. Libr.* part. III, pag. 250 seqq. De ratione, qua ille Canticum interpretatus fuerit, tantum in universum accepimus, quod « piguisse se *scribere*t, Cantica Canticorum perlegere, quoniam neque secundum propheticam speciem exposita sunt, neque secundum historiarum traditionem, sicut scriptura regnorum, neque demonstrativa admonitione studii utuntur, » apud Severin. Binium in *Concilior.* tom. II, pag. 535. Et Leontius Byzantinus (sæculi VII scriptor), in libro *Contra Nestorium et Eutychen*, in Canisii *Lect. antiq.* vol. I, pag. 577, de Theodoro inter alia hoc scribit : « Sanctum sanctissimum Canticum Canticorum ab omnibus Christianis laudatum, et a Judæis inimicis Christi in admiratione habitum, libidinose pro sua et mente et lingua meretricia interpretans, sua supra modum incredibili audacia, ex libris sacris abscidit. »

Christianæ parti probaretur, ut potius tanquam falsa et profana publice damnaretur (1).

Mutuos Dei et populi a se dilecti amores hoc carmine sub allegorico involucro cani, cum argumentis haud improbabilibus, uti vidimus, statuatur (2); nos ipsi olim carmen ita explicare cœpimus, ut duces potissimum Chaldæum paraphrasten, et Salomonem Jarchium sequuti, allegoriam illam per singulas libri partes declarare conaremur (3). Quo minus vero viam, quam ingressus eram, jam persequar, me impedit non solum rei difficultas, quæ tanta est, ut in singulis allegoriæ partibus interpretandis vix quisquam sibi satisfaciat; verum et aliud, quod doctis harum rerum arbitris dijudicandum propono. Considerantibus universam eorum, qui Salomoni regi tribuuntur, librorum indolem et rationem, apparet, eorum argumentum versari in *Sapientia* et commendanda et docenda, cujusmodi libri Salomone, hominum, quotquot Hebræis cogniti erant, sapientissimo (4) digni essent, et quales ab eo exspectari possint. Quid igitur? si ad ejusdem generis libros et nostrum carmen eatenus pertineat, quatenus mutuos Salomonis et sapientiæ amores per allegoriam sistat (5). Ad talem allegoriam eligendam et amplificandam aliquis serioris ætatis poeta Hebræus (6) facile adduci poterat per prosopopœiam illam, qua *Prov.* IX, Sapientia inducitur tanquam regina omnes mortales ad se invitans, suum palatium ædificans et instruens, in quo convivas excipiat, tum lautissimas epulas paret, ad quos per puellas emissas invitat. Ei statim opponitur Stultitia persona meretricis convestita, quæ illecebris suis fascinet, atque ipsa quoque dapes opipare suis convivatoribus ostendat. *Prov.* VII, 4, juvenis ad sapientiæ studium invitatur hisce verbis : « Appella sapientiam sororem tuam, et prudentiam voca cognatam. » *Sororem* Salomo sponsam vocat, *Cant.* IV, 9, 10, 12; V, 2, 3. Ad eos locos respicere videtur auctor libri *Sapientiæ*, qui VIII, 2, Salomonem ita loquentem inducit : « Hanc (sapientiam, in cujus laudibus versantur capp. VII et VIII integra) ego a teneris adamans quæsivi, et mihi sponsam ducere studui, ejus pulchritudinis amore captus. » Et vers. 9 : « Hanc ego mihi ad vitæ societatem adsciscere decrevi. » Atque vers. 16 : « Nihil acerbitatis aut doloris habet ejus commercium atque convictus, sed delectationem ac lætitiam. » Vers. 18 : « In ejus amicitia est jucunda delectatio..... Igitur conabar circumiens eam mihi cooptare. » Carmen nostrum ob oculos habuisse et imitatus esse videtur et Siracides in sapientiæ encomio, cap. XXIV, ubi ipsa loquens introducta sese, vers. 18 et 19, comparat « rosæ Hierichunticæ et eleganti oleæ in amœno campo (7). » « Ut cinnamomum, pergit vers. 20 seqq., et aspalathus aromaticum odorem dedi, et ut eximia myrrha suavi odore fragavi; ut galbanus, et unguis odoratus, et stacte, atque thuris nidor in tabernaculo (8). » Vers 23 : « Ego sum quasi

(1) In concilio Constantinopolitano II, anno 553 habito.

(2) Luthero quoque Canticum est encomium politiæ Judaicæ, quæ Salomone regnante in summa pace floruit, sponsumque Deum, sponsam vero populum Judaicum esse putat. Vid. *Opp. Lat.* tom. IV, fol. 228 b, edit. Jenens.

(3) In Commentatione quam inscripsimus : *Ueber der hohen Lieder Sinn und Auslegung*, in *den Analekten für das studium der exeget. und system Theologie*, vol. I, part. III, Lips. 1813. Cf. Notas nostras ad Lowthii *Prælect. de sacra Hebræor. poesi*, a nobis edit. pag. 628 seqq., 631, 633.

(4) « Et sapientior fuit (Salomo) omnibus hominibus, » I *Reg.* IV, 31, al. V, 11.

(5) Quæ sit librorum Salomonis, qui in vet. Test. canone exstant, inter se ratio, declaravit Theodoretus in *Proœmio* ad h. l. hisce verbis : « Illud etiam præfari necessarium est, tria Salomonis esse volumina, Proverbia, Ecclesiasten et Canticum Canticorum, ac Proverbia quidem utilem de moribus doctrinam complecti; Ecclesiasten autem eorum quæ sensibus percipiuntur naturam indicare, vitæque præsentis docere vanitatem, ut ea fluxa et fragilia cognoscentes, tanquam prætereuntia spernamus, et quæ futura sunt ut permanentia concupiscamus; Canticum vero Canticorum mysticam sponsæ et sponsi necessitudinem et conjunctionem continere : ut adeo universa Salomonis doctrina sit velut scala quædam, quæ tribus gradibus constet, morali, naturali et mystica. » Eadem et Origenis in homil. 1 *in Cantica*, et Hieronymi, initio Commentarii sui *in Ecclesiasten* (tom. III, pag. 384, edit. Vallars.), est sententia.

(6) * Cur non ipsemet Salomo? Vid. quæ ad calcem hujus Proœmii adnotavimus. A. C.

(7) Cf. *Cant.* II, 1, ubi sponsa sese comparat *narcisso Saronio et lilio convallium*; sponsum vero, vers. 3, *malo inter sylvestres arbores.*

(8) *Cant.* I, 12, sponsa dicit : « Mea nardus suum dedit odorem; » cap. III, 16 : « Quid est id quod exhalat..... ex suffitu myrrhæ atque thuris? » Et cap. IV, 11-13, sponsus ita alloquitur sponsam : « Tua vestimenta redolent Libani odorem. Tua plantaria sunt punicorum viridarium, cum pomorum fructibus cypriis atque nardo, nardus, crocus, cin-

vitis, quæ eleganter egerminavit, meique flores sunt gloriæ fructus (1). » Vers. 25-27 : « Accedite ad me omnes mei cupidi, meisque fructibus explete vos. Nam mei memoria melle est mellisque favo dulcior, adeo ut qui me comedunt, adhuc esuriant, et qui bibunt, sitiant (2). » Porro, vers. 40 seqq. : « Ego vero (sapientia) quasi corrugus a flumine, quasique aquæ ductus in pomarium exivi statuens meum præstantissimum hortum irrigare, meamque areolam perfundere(3). » Sapientia, *Prov.* VIII, 17, dicit, « se suos amatores amare, et qui se diligere quærant, ipsam invenire. » Quam sententiam in Cantico dramatica allegoria, in qua Salomo, hominum sapientissimus, amatoris partes agit, cujusque amoribus Sapientia delectatur, amplificatam et exornatam videmus (4). Quod *Prov.* VIII, 19, Sapientia suum fructum prædicat « auro et obryzo meliorem, suosque proventus argento lectissimo præstare, » ansam præbuisse videri possit figmento de vinea Salomonis, pro cujus fructibus singuli custodes mille pensitarint argenteos, *Cant.* VIII, 11, 12 (5). Si quis quærat, quorsum poeta simplicem hanc sententiam, « Salomonem amasse sapientiam, ipsumque sui amoris præmia tulisse, » tam longa allegoria provestitam posuisset, in promptu est responsio, illum voluisse alios ad sapientiæ, suos cultores tantopere beantis, studium et amorem allicere (6). Quod efficere studuit tali carmine, quod mere amatorii speciem præ se fert, sed propius intuenti altius quid occultare haud obscure innuit. Simulque poeta hoc videtur spectasse, ut in sensu illius arcano indagando, tanquam in solvendo quodam ænigmate, solertiores ingenii acumen exercerent. Præclare vero monuit Lowthius (7), carminis hujus explicationem aggredienti cavendum esse, ne allegoriam in omnibus et singulis nimium urgendo, et minutissima quæque in partes pertrahendo, hominibus cordatis, doctis perinde atque indoctis, ludibrium debeat (8).

namomus, myrrha, aloe, una cum præstantissimis quibusque odoribus. » Cap. V, 1 : « Decerpo meam cum odoribus myrrham. »

(1) *Cant.* II, 13 : « Florentes fragrant odore vites. » Cap. VI, 10 : « In nucis hortum descendi, ut viderem an floreant vites. » Cap. VII, 10 (al. 12) : « Mane visemus vineas, visuri an germinaverint, an flores explicaverint vites. »

(2) *Cant.* IV, 11 : « Favo manant tua labella, sponsa ; mellifluam habes lactissimamque linguam. » Vers. 17 : « Intret amicus meus in suum hortum, et vescatur pomorum fructu suorum. » Cap. V, 1 : « Venio in meum hortum, soror mea sponsa ; comedo meum cum melle favum, bibo meum cum lacte vinum. Comedite, sodales, potate et inebriamini amoribus ! » Cf. Sapientiæ verba, *Proverb.* IX, 5 : « Agite, vescimini meo pane, meæque libationis vinum bibite ! » *Cant.* VII, 10 (al. 9) : « Palatus tuus *est* instar vini optimi ; » cap. VIII, 2 : « Ego tibi odoriferum vinum, ego suavem punici succum darem bibere. »

(3) *Cant.* IV, 12, 13, 15 : « Hortus conclusus es, soror mea, sponsa ! scatebra occlusa, fons obsignatus. Plantaria tua sunt punicorum viridarium cum pomorum fructibus pretiosis. Fons es, *o sponsa*, hortorum, puteus aquarum vivarum, de Libano manantium. » Cap. VI, 1 (al. 2) : « Meus amicus ad hortum suum descendit, ad aromatum areolas. » Cap. VIII, 13 : « Quæ sedes in hortis, attendunt socii ; fac ut tuam vocem audiam. »

(4) Quantopere in ejusmodi allegoriis veteres sibi placuerint, argumento est Martiani Capellæ, Afri, sæc. IV p. C. n. scriptoris haud ignobilis, *Satyricon*, cujus libri duo priores *De Nuptiis Mercurii et Philologiæ*, toti Orientalis poetæ ingenium spirant. Ut unum exempli causa afferam, lib. I, pag. 3 edit. Grot. : « Mercurius Sophiam miro quidem cupiebat ardore, quod prudens sanctaque sit intemeratiorque cunctis pulchriorque virginibus ; sed quod sororis ejus (Palladis) collactea et indiscreto amica fœdere videretur, perindeque ad innubas ipsa quoque transiisse, eam in Palladis injuriam non placuit coaptari. »

(5) In iis quos attulimus libri Sapientiæ et Siracidis locis, videmur nobis vetustissmæ Cantici interpretationis vestigia haud obscura deprehendere. Serior Chaldæus Interpres totum carmen populi Hebræi fatis et rebus gestis accominodavit, quod ipsum fecit in libri Coheleth explicatione, cui III, 11 ; IV, 13-16 ; X, 7-9, explicationes historicas satis longas intexuit. Ad *Sapientiam* retulit carminis argumentum Syrus illius Interpres, qui suam interpretationem *Sapientia sapientiarum* inscripsit. — Pro poemate allegorico, quo cœlesti sua pulchritudine splendens sapientia Salomonem, in ejus amore languescentem, ad se reducere studens sistatur, carmen nostrum habet auctor quidam anonymus nobisque ignotus, cujus interpretatio (*Neuest. Uebersetz. des Hohen Lieds u. des Predigers*) prodiit Basileæ 1789. L. Juda Ben-Isaac Abarbenel, *Leo Hebræus* vulgo dictus, Medicus et Philosophus, qui sæc. XVI famam sibi comparavit editis sermone Italico Dialogis tribus *De Amore* (Venet. 1558-1564, in octon. latine conversis a J. Car. Saraceno in Scriptoribus artis Cabbalist., tom. I, pag. 331 seqq.), Dialog. III, pag. 581 hujus syntagmatis, in Salomonis Cantico summam sapientiam summi pulchri, tanquam feminam perfectissimi viri amore irretitam, eo quoque mutua benevolentia ipsam prosequente, sisti voluit.

(6) Quod ipsum volunt verbosa illa sapientiæ encomia, quæ *Sapient.* VII, 7 usque ad VIII, 18, et *Sirac.* XXIV, 1-47, leguntur.

(7) *De sacra Hebræorum poesi*, pag. 353, edit. Lips.

(8) Multæ et variæ tam a nostris, quam ab Hebræis, in hunc librum afferuntur allegoriæ, quarum plerasque recensuit et refellit J. F. Kleuker in libro quem inscripsit : *Sammlung der Gedichte Salomons*, pag. 41 seqq. Nostra

Nostra quidem interpretatio omnis in proprio, sive, quem dicunt, litterali sensu explicando versabitur.

IV.

CARMINIS ÆTAS.

Quod si quæ de hujus carminis conformatione et consilio disputavimus recte se habeant, illud nec a Salomone, nec ab ejus quodam contemporaneo compositum esse credibile est. Carmen enim tantæ magnitudinis dramatico-allegoricum ætatem arguit seriorem, quæ in hujusmodi artificiosis et obscurioribus ingenii lusibus sibi placeret. Nolo quæ Eichor-

ætate J. Leonh. Hug (*das Hohe Lied in einer noch unversuchten Deutung*, Freyb. 1813, et ejusd. *Schutzschrift für seine Deutung des Hohen Lieds*, 1815) novam interpretationem Cantici allegoricam attulit. Sponsæ imagine populum decem tribuum significari putat, cujus pars exigua et tenuis, post regni Samaritici interitum in patria relicta, Judaico regno, Hiskia, altero Salomone, regnante, adsociari cuperet. Nec alienum ab ea re fuisse Hiskiam (coll. II *Chron.* XXX, 1), sed opposuisse se regni Judaici cives, qui fratrum Sulamithæ imagine sistantur, quod Israelitas nondum satis maturos et dignos judicarent, qui cum ipsis in unum coalescerent. Ad quam sententiam confirmandam et commendandam quæ Hug attulit, recensuit refutavitque Bertholdt, *Einleit.* P. V., pag. 2587 seqq. Pro carmine historico allegorico, quo cultus Mosaici a Serubabele, Esra et Nehemia facta restauratio celebraretur, Salomonis Canticum habet Gottl. Ph. Christ. Kaiser, *das Hohe Lied, ein Collectiv-Gesang auf Serubabel*, etc. Erlang. 1825.

* Tertiam Hug Cantici interpretationem ita fuse exponit expenditque Herbst in sua *Historisch-kritische Einleit.*, etc. part. II, sect. II, pag. 234 :

Après avoir montré que le Cantique forme un tout complet, le savant exégète (Hug) remarque d'abord avec beaucoup de raison que l'amour de Salomon pour une bergère, tel qu'il est décrit dans ce poème, est quelque chose qui répugne à la pensée : d'une part, le monarque oriental, qui ne se montre jamais que dans tout l'éclat de sa splendeur et environné de gardes, ne saurait être présenté errant partout pendant la nuit à la recherche de la fille d'un pâtre, parcourant seul et sans escorte les collines et les montagnes; de l'autre, comment supposer à l'amour de Salomon tant d'obstacles et de traverses, comme si, en Orient, tout ne cédait pas à la volonté du souverain, comme s'il avait autre chose à faire qu'à le vouloir pour rendre son épouse une jeune fille libre qui répond à son amour?

Hug remarque, en second lieu, que l'action est censée se passer en songe, que le Cantique est par conséquent un poème en songe. Cette assertion, malgré les contradictions qu'elle a rencontrées, est parfaitement exacte. C'est pendant son sommeil que la fiancée dit les paroles qui ouvrent le poème, pendant son sommeil qu'a lieu le dialogue qui vient après (I–II, 6) : la preuve en est qu'un troisième personnage conjure les filles de Jérusalem de ne pas éveiller la bien-aimée. Cette prière étant renouvelée au chapitre III, 5, tout ce qui suit jusqu'au commencement de ce chapitre, c'est-à-dire l'éloge du bien-aimé, se passe encore en songe. La magnificence de Salomon qu'elle voit et décrit ensuite, elle la voit en songe, et entend de même les louanges qui lui sont prodiguées (IV, 7-15), puisqu'elle-même atteste qu'elle dort (V, 2); et comme ce verset relie le morceau suivant à ce qui précède, ce qu'elle raconte au chap. V, 2-8, elle le raconte en songe. Il est vrai qu'elle semble éveillée quand elle répond aux questions des filles de Jérusalem (V, 9; VI, 1); mais elle ne l'est pas en effet, car la même voix que nous avons déjà deux fois entendue, va, pour la troisième fois, conjurer les filles de Jérusalem de ne pas éveiller la Sulamite (VIII, 4) : d'où il suit qu'à partir du chap. V, 10 jusqu'à la fin, tout se passe en songe.

Mais ce songe, continue Hug, cache quelque chose; ces bergers, ces scènes pastorales doivent couvrir d'autres personnages et d'autres réalités. Lesquelles? c'est aux indications fournies par le poème à nous l'apprendre. Ces indications sont, d'abord, le double aspect sous lequel est décrite la jeune fille, que le poète nous présente tour-à-tour comme grande et comme petite, comme riche et comme pauvre, comme une princesse pompeusement parée et comme une bergère dont le soleil a bruni la figure; ensuite la violation de l'unité de lieu : cette bergère en effet habite les environs de Jérusalem, puis elle est appelée par le roi du Liban; enfin le récit de la jeune fille pendant son sommeil : elle a été saisie par les gardes d'un prince, jetée sur un chariot, et entraînée ignominieusement.

D'après ces indications la bergère représente un peuple, le peuple des dix tribus, dont une partie, la meilleure et la plus riche, avait été emmenée au delà du Liban en Assyrie; l'autre, la plus pauvre, occupait le pays qui fut autrefois le royaume de Samarie. Salomon représente un de ses successeurs sur le trône de Juda, le roi Ezéchias. L'idée du poème serait donc celle-ci : Après la destruction du royaume d'Israël, peu-à-peu se manifesta parmi les restes des dix tribus laissées en Samarie le désir de se réunir à leurs frères de Juda, pour reconstituer sous un seul souverain le royaume de Salomon. Ce qui n'était qu'un désir se changea bientôt en espérance, lorsque Ezéchias, déjà favorablement disposé pour les Israélites, après l'éclatante défaite de Sennachérib aux portes de Jérusalem, eut acquis en Palestine une véritable prépondérance sur les Assyriens. L'amour de la Sulamite serait l'expression de ce désir des restes du peuple d'Israël aspirant à s'unir avec le roi, lequel partage vivement cette aspiration. Mais les habitants du royaume de Juda (les frères de la jeune fille) regardent les circonstances présentes comme peu propices : la population Israélite de Samarie est en petit nombre; les ressources sont trop faibles (la jeune fille est trop jeune et n'a pas atteint sa maturité) : ils veulent donc retarder l'union. Les Israélites restés en Samarie pensent autrement, et font certaines offres, soit pour aider à la réalisation de l'entreprise, soit pour assurer la bonne entente entre les deux parties d'un peuple frère (la jeune fille assure qu'elle a atteint l'âge mûr, et offre au roi sa vigne). — Mais ces vœux pour l'union, ces démarches pour la procurer, doivent encore demeurer secrets pour certains hommes; il faut que le fiancé mette fin à ses avances publiques (le roi doit s'enfuir). Ainsi le voile allégorique, qu'un œil ami pénètre facilement, restera impénétrable aux regards de la malveillance.

L'ingénieux auteur de cette explication nouvelle du Cantique a-t-il toujours donné leur sens véritable à certains

nius (1) aliique temporis post exsilium afferunt argumenta, urgere dictiones nonnullas ad Aramaismum vergentes, cujusmodi et in libris vet. Testam. antiquioribus reperiuntur (2). Sed vox perigrinæ originis פרדס *paradisus* (cap. IV, 13) præter hunc locum nonnisi in duobus libris reperitur, quos post exilium scriptos esse nemo dubitat, *Cohel.* II, 5; *Nehem.* II, 8. Præterea quod cap. III, 7, habetur compositum שלשלמה serioris Hebraismi esse nemo facile neget. Nobis quidem poeta auctori libri Coheleth videtur coævus fuisse (3).

On nous saura gré d'ajouter à la préface de Rosenmuller le passage suivant d'un exégète catho-

passages sur lesquels repose principalement son système? Il est permis d'en douter. Je n'en citerai que trois. Hug traduit le vers. 12 du chap. VI : *Mon âme ne s'attendait à rien, lorsque les hommes d'armes d'un prince me jetèrent sur un char.* Ce sens est très-raisonnable ; mais pour le trouver, il faut altérer le texte, et lire *ammei* au lieu de *ammi;* or aucun manuscrit ne porte *ammei,* et cette leçon ne s'accorde guère avec *Samatheni* qui précède. Au vers. 1 du chap. VII Hug traduit : *Quid videre vis in Sulamitha, quæ castris circumdata est,* faisant remarquer que *machanaim* ne peut signifier *choros saltantium.* Cela est vrai : aussi ne s'agit-il pas de *machanaim* mais de *kimecholath* qui veut dire *danse,* et non *être entouré.* D'ailleurs la magnifique description qui suit, *Quam pulchri sunt gressus tui,* etc. se rapporte évidemment à une danse. Enfin, au chap. VIII, 12, si, comme le veut Hug, la Sulamite offrait sa vigne à Salomon pour en faire l'usage qu'il lui plairait, il me semble qu'au lieu de *lephanai,* on s'attendrait à trouver *le phaneika.*

Ajoutons, pour être juste, que d'autres passages, difficiles et obscurs dans les autres systèmes, s'expliquent avec une merveilleuse facilité dans celui de Hug. Par exemple, nous lisons au chap. VI, 8 : *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus;* vers. 9, *at una est columba mea, perfecta mea, unica genitrici suæ.* Cependant il est dit au liv. premier des Rois, chap. XI, 3, que Salomon avait 700 concubines et 300 jeunes filles. Comment concilier ces deux passages? Hug répond : Les paroles de notre poème étant allégoriques, il n'est pas question ici du harem de Salomon. Ces 140 épouses ne sont pas autre chose que les 140 villes ou districts qui composent son royaume. En effet, ouvrez Josué, chap. XV et XVIII, vous lirez que Juda et Benjamin avaient 140 villes (en nombre rond, car le texte porte 141). Quant à la bien-aimée, *una est columba mea,* etc. que Salomon leur préfère, c'est une autre ville ou un royaume, c'est-à-dire le royaume d'Israël. — Au reste, chez d'autres peuples et à d'autres époques la poésie bucolique a servi de voile, et quelquefois de bouclier, à des compositions littéraires qui cachaient sous une forme pastorale des vérités difficiles ou dangereuses à présenter sans ce déguisement Voir Bocace, livre, XIV, chap. X de sa *Généalogie des Dieux,* et Ginguené, *Hist. litt. d'Italie,* Tom. II, pag. 477 sur lo sens caché des Eglogues de Pétrarque. A. C.

(1) *Einleit. in das A. T.* part V, pag. 219, edit. 4. Cf. Berthold *Einleit.* part. V, pag. 2606.

(2) Veluti דויך cap. IV, 4, pro דוך, quæ defectiva scriptio quamvis in libris ante exilium compositis usitata sit, reperitur tamen et plena illa jam in antiquiori Propheta Amos, cap. VI, 5. De ברותים cap. I, 17 pro ברושים, et נטר cap. I, 6, 8; VIII, 11, 12, pro נצר monet Ewald, iis genuinum esse חרת, quod pro חרש *Exod.* XXXII, 16, legitur. Omnino antiquiorum V. T. librorum nullum chaldaismis carere, ita ut illi soli non valeant ad librum in quo occurrunt seriori ætati adjudicandum, nuper ostendit Lud. Hirzel in Commentat. *De Chaldaismi biblici origine et auctoritate critica,* Lips. 1830 in 4°.

(3) Contra haud longe post Salomonem compositum esse carmen, Ewaldo arguere videtur et exquisita illius vennstas poetica dictioque florida, et illud quod serior aliquis poeta vix sese omnino in Salomoneam ætatem ita transferre potuisset, ut eam tam vividis coloribus, qualibus in Cantico depictam videmus, describeret. Sed ad horum argumentorum prius quod attinet, ingenium poeticum quis nescit nulli ætati ita adstrictum esse, ut non quocumque tempore egregii poetæ nasci possint? Nec plus valebit alterum argumentum, quum nullus habeatur poeta, nisi in alia loca et tempora animo se ita transferre possit, ut iis præsens adesse videatur. Quod vero, cap. VI, 8, poeta Salomoni tribuit sexaginta uxores et octoginta pellices, quum serior fama, I *Reg.* XI, 3, regi illi 700 uxores et 300 pellices fuisse traderet, nequaquam antiquioris, quo compositum sit carmen, temporis argumentum recte videtur constitui posse, quum poetæ quemlibet numerum fingere liberum fuisset. Denique quod cap. VI, 4, poeta Thirzam urbem, regum *Israelitarum* priorum sedem, ut venustam, ante Hierosolymam, quam secundo loco ponit, laudat, Ewaldo poetam regni Israelitici eidem arguere videtur. Quod quam infirmum sit argumentum, non est quod demonstremus. Quare nec Viro Doctissimo, Canticum circiter anno 920 ante Christ. nat. scriptum opinanti, adstipulari possumus.

* Nous n'avons pas besoin de faire remarquer la faiblesse des raisons sur lesquelles s'appuie Rosenmuller pour refuser à Salomon le Cantique des Cantiques, et en rapporter la composition à une époque beaucoup plus récente, c'est-à-dire, à la période qui sépare Néhémie d'Alexandre-le-Grand, car c'est à cette date qu'il place la composition de l'Eclésiaste. Le genre dramatico-allégorique du poëme *lui semble* une chose trop ingénieuse et trop savante pour le temps de Salomon; ajoutez *deux mots,* l'un d'origine étrangère, l'autre d'une forme rare, qui ne passa que plus tard dans l'usage commun : voilà tout. Mais, de bonne foi, ce n'est pas assez pour rompre avec la tradition de vingt siècles. Au reste les exégètes rationalistes se réfutent les uns les autres avec une merveilleuse facilité, et, disons-le, un plein succès. Les raisons de Rosenmuller n'empêchent pas Ewald de placer la composition du Cantique vers l'an 920 avant J.-C. Ce n'est guère que 80 ans après la mort de Salomon. Qui l'empêchait de franchir cette faible distance? Quelques arguments que Rosenmuller à son tour déclare misérables, *quod quam infirmum sit argumentum, non est quod demonstremus* (*a*).

(*a*) *Conf. Proœmium in librum Ecclesiast.,* ad calcem. A. C.

lique de Tubingue, Welte, qui résume la discussion, et justifie l'interprétation traditionnelle du Cantique des Cantiques, avec autant de science que de bon sens.

L'interprétation propre et charnelle du Cantique des Cantiques soulève les plus graves difficultés, entre autres celle d'expliquer comment ce poème ainsi entendu aurait été admis au nombre des livres sacrés. La remarque de Theodoret : τὰ γὰρ τῆς ἀκολασίας συγγράμματα οὐ τοῦ θείου πνεύματος, ἀλλὰ τοῦ ἐναντίου πνεύματος, a toujours servi de guide aux interprètes sensés. On ne doit donc pas beaucoup s'étonner que des savants, peu respectueux d'ailleurs pour l'autorité et la tradition en matière d'exégèse, aient eu plus d'une fois ici recours à l'allégorie. D'un autre côté, il ne faut pas être surpris non plus que la nouvelle et ingénieuse explication de Hug ne soit pas mieux accueillie que ne l'ont été les louables et méritoires efforts de Rosenmuller pour ramener les exégètes à l'ancienne; car une sorte d'instinct naturel avertit les adversaires de l'interprétation catholique, qu'on ne peut rompre tout-à-fait avec elle qu'en rejetant toute allégorie, et que toute concession faite à une explication allégorique quelconque pourrait, à la fin, ramener facilement à l'ancienne allégorie donnée par l'Eglise. C'est qu'en effet l'interprétation catholique du livre qui nous occupe s'accorde pour le fond avec une interprétation plus ancienne encore, et certainement traditionnelle bien avant la naissance de Jésus-Christ. D'après celle-ci, le sujet du Cantique, c'est l'amour de Jéhovah pour le peuple d'Israël; pour les Catholiques, c'est l'amour de Dieu en Jésus-Christ pour l'Eglise, nouveau peuple de l'alliance, Israël selon l'esprit. Même dans l'antiquité judaïque, il est vrai, à côté de l'explication allégorique, une interprétation charnelle semble s'être produite et avoir donné lieu à un grave débat : fallait-il regarder le Cantique comme un livre sacré ou comme un livre profane, et par conséquent devait-on l'admettre dans le canon ou l'en exclure? Car tant que l'interprétation allégorique se maintint seule, une semblable question ne pouvait être soulevée, personne n'ayant regardé comme profane un livre qui chantait l'amour de Dieu pour son peuple. La question fut décidée en faveur du Cantique : R. Siméon le déclara saint, et R. Akiba proclama que le monde entier était moins précieux que le jour où Israël avait reçu le Cantique, et que nul véritable Israélite ne doutait de sa divinité (*vid.* Tr. Jadaim, fol. 157, col. 1). Cette décision, on le comprend, ne pouvait avoir pour fondement que le sens allégorique mentionné plus haut. Dans le fait, il nous serait facile, si la place ne nous manquait ici, de montrer, en comparant ensemble les diverses interprétations allégoriques imaginées jusqu'à présent, et en examinant les difficultés de chacune, que l'ancienne interprétation catholique en tous cas est aussi satisfaisante et aussi rationnelle qu'aucune autre. Les objections les plus récentes ne sont pas d'un grand poids. On trouve, par exemple, une inconvenance à placer dans la bouche de Dieu les paroles prêtées à Salomon dans le Cantique. Mais cette inconvenance apparente n'est vraie cependant que dans la même mesure et au même titre, qu'il serait inconvenant de représenter l'amour de Dieu pour son peuple sous l'allégorie adoptée dans ce poème. Or, qui oserait soutenir cette dernière assertion? Sans doute l'alliance entre Jéhovah et son peuple est ordinairement comparée à l'union du mariage; mais il ne suit pas de là que l'amour de Dieu ne puisse pas, dans une composition poétique, être représenté sous d'autres images, et revêtir d'autres symboles; mais si l'allégorie en question n'a rien en elle-même d'inconvenant (le sentiment et le goût particulier de quelques individus peuvent affirmer le contraire sans que cela importe beaucoup), ce qui en est un développement naturel ne l'est pas davantage. Ce n'est pas à l'esthétique moderne à prononcer ici sur la question de convenance ou d'inconvenance; si elle s'arrogeait cette prétention, nous pourrions lui rappeler des paroles mises par les Prophètes dans la bouche de Jéhovah, plus inconvenantes que tout ce que nous lisons dans

le Cantique. D'ailleurs ce serait un pauvre et faux système d'interprétation de prendre et d'apprécier tout ce que dit Salomon comme des paroles de Jéhovah dans le sens strict. C'est, pour ainsi dire, une affaire d'image et d'allégorie; ce n'est point Dieu qui parle (nulle part il n'est présenté comme tel), mais un pur homme; les sentiments humains, les désirs qui se révèlent dans tel ou tel discours montrent, à l'aide d'images et de comparaisons, mais ne décrivent pas, à proprement parler, l'amour de Dieu pour son peuple et le désir qu'il a d'en être aimé : c'est du même point de vue qu'il faut juger les discours de la Sulamite. Bien plus, l'inconvenance réelle est ici d'autant mieux écartée que la Sulamite ne parle ni n'agit comme une personne individuelle, mais joue le rôle du peuple, qu'elle personnifie. La conclusion du livre, qu'on a quelquefois objectée à l'interprétation catholique, ne saurait faire une grande difficulté. En effet, cette objection ne combat directement qu'une seule chose, la supposition que l'auteur du Cantique a voulu représenter dans sa plus haute réalisation l'amour de Dieu pour son peuple, ou de Jésus-Christ pour son Eglise; et encore cela pourrait-il se soutenir en adoptant l'explication du dernier verset donnée par Théodoret. Mais le sens allégorique traditionnel du Cantique subsiste très-bien sans cette supposition, qui n'est pas non plus le fond même de l'interprétation catholique. Ce que l'Eglise rejette, c'est le sens propre et charnel de Théodore de Mopsueste; ce qu'elle soutient, c'est un sens plus élevé, un rapport d'amour entre Jésus-Christ et son Eglise. Que ce rapport soit troublé de diverses manières par ceux-là même qui appartiennent à l'Eglise, personne ne l'ignore; et l'on sait qu'il le fut aussi bien des fois sous l'Ancien Testament entre Jéhovah et son peuple. Il ne faut donc pas s'étonner que, dans le Cantique, l'union entre Dieu et le peuple de l'Alliance paraisse plutôt à l'état de désir et de recherche, que comme un fait accompli, et que sa réalisation pleine et entière ne soit montrée que comme en perspective.

Concluons : Si l'interprétation catholique s'appuie sur l'interprétation traditionnelle et immémoriale, ou plutôt ne fait que la continuer; si d'ailleurs elle n'a pas à résoudre des difficultés plus sérieuses que toutes les autres interprétations imaginées jusqu'ici, on n'a aucune raison de la rejeter et de lui en préférer une autre.

(*Historisch. kristiche Einleitung in die heilig. Schriften des A. Test. von Herbst und Welte,* part. II, sect. II, p. 238 seqq.)

SALOMONIS CANTICUM.

TITULUS.

CAP. I, VERS. 1. Carmen præstantissimum, quod est Salomonis.

I.

CAP. I, 2—6.

SPONSA.

2. Osculetur me! oscula oris sui (mihi contingant)!
Nam amores tui vino sunt suaviores.
3. Odori grata sunt unguenta tua.
Unguentum effusum est nomen tuum,
Ideo puellæ te adamant.
4. Trahe me post te, curramus (ego et puellæ jam nominatæ)!
Introduxit me rex in sua conclavia (gy næceum suum).
Exultemus et de te gaudeamus.
Celebremus (laudemus) amores tuos plus quam vinum :
Jure te diligunt (dignus es qui ameris).
5. Nigra ego, sed venusta, puellæ Hierosolymitanæ,
Ut tentoria Cedarenorum, ut tabernacula Salomonis.
6. Ne me (curiose) aspicite, quod subnigra sim,
Quod sol me aspexerit (adusserit).
Filii matris meæ ira exarserunt in me;
Constituerunt me vinearum custodem :
Meam ipsius vineam (venustatem?) non custodivi.

NOTÆ.

Vers. 2. Alii, *osculetur me* uno aut altero *ex osculis oris ejus. Amores tui.* Alexandrini et Vulgatus legerunt *daddaiq, ubera tua.* — Vers. 3. Maurer, *ad odorem unguentorum tuorum* quod attinet, *bonus est,* ut *tobim* referatur ad genit. *shemanim, odor* vero is sit, quem res emittit, non *odoratus* aut *olfactus. Effusum,* proprie quod *effunditur* (3 fut. hophal verbi *riq*); alii, sicut *unguentum effunditur nomen tuum,* id est, fama tua late effunditur.— Vers. 4. Rosenmullerus, interstinctionem Masorethicam secutus, jungit *post te* cum *curramus :* non male. In τῷ *introduxit me rex* sponsa indicare vult magnificentiam penetralium, in quæ introducta est. Pro *jure* Rosenmullerus vertit *rectis,* i. e. recte, plane, sincere. — Vers. 5. *Nigra,* scilicet ab æstu solis. *Cedar* est nomen tribus nomadicæ Arabiæ Desertæ, a Cedare, secundo Ismaelis filio (*Gen.* XXV, 13), oriundæ; ponitur autem pro Arabibus nomadibus generatim, quorum tabernacula facta sunt e nigris caprarum pellibus, aut solis ardori semper exposita nigrescunt. Hebræi recte observant, singulas similitudines singulis membris prioris hemistichii respondere in hunc modum : Nigra quidem sum sicut Cedarenorum tabernacula, sed formosa ut pretiosa et splendida Salomonis aulæa. — Vers. 6. *Filii matris meæ,* fratres mei, non germani, ex

eadem solum matre mecum orti, in quorum tutela et potestate Sulamith, post mortuum patrem, posita, aspere et inhumane habebatur. כרם proprie *bonum, nobile, generosum,* hinc sæpe *vineam* significat.

II.

Cap. I, 7—17.

SPONSA.

7. Indica mihi, *o tu,* quem amat anima mea, ubi pascas *gregem?*
Ubi cubare facias *gregem* in meridie?
Quare tanquam velata sim apud sociorum tuorum greges?

SPONSUS.

8. Si istud nescis, o feminarum pulcherrima,
Egredere per ovium vestigia (iis insiste),
Et pasce capellas tuas apud, *seu* juxta tabernacula pastorum.
Equabus in curribus Pharaonis assimilo te, amica mea.
10. Pulchræ sunt genæ tuæ inter ordines, *scil. margaritarum,*
Collum tuum inter monilia *pulchrum est.*
11. Torques aureos faciemus, *id est facio,* tibi,
Cum punctis argenti.

SPONSA.

12. Dum rex esset in accubitu suo *ad mensam,*
Nardus mea dedit odorem suum *sponsum oblectans.*
13. Fasciculus myrrhæ mihi est amicus meus,
Inter ubera mea commoratur.
14. Botrus cypri est mihi amicus meus,
Qui nascitur inter vineas (hortos) Engedi.

SPONSUS.

15. En tu formosa es, amica mea! En tu formosa es!
Oculi tui *sunt sicut oculi* columbarum.

SPONSA.

16. En tu pulcher es, mi dilecte!
Etiam jucundus es!
Est quoque thorus noster virens.
17. Tigna domorum nostrarum cedri,
Laquearia nostra cupressi.

NOTÆ.

Vers. 7. Solent pastores in calidis regionibus pecora horis meridianis ad umbram et aquas subducere, ne lac per æstum corrumpatur, et pecora in periculosos morbos incidant. Cf. Virgilium, *Georg.* III, 331 seqq., *Eclog.* III, 98 seqq. *Velata* verecunde dictum pro *meretrix* (conf. *Gen.* XXXVIII, 15); Maurer, *ignota,* i. e. ne sicut ignota et peregrina apud greges pastorum, vel sociorum tuorum, oberrans te quæram. — Vers. 9. In Hebr. est *equæ* sensu collect. cum *iod* paragog. Equos et currus ex Ægypto

Salomoni adductos esse cônstat I *Reg.* x, 28, 29; II *Chron.* i, 16.—Vers. 10. Tales ordines vel lineas margaritarum mulieres orientales in genis et mento gestant. — Vers. 12. Hæc sponsa ad socias suas ait, exponens, ut sponso gratificari et uni sibi conciliari studeat. Pro *accubitu* Hebr. est *circuitu*, vel *lecto* discumbentium, qui in orbem dispositi erant. *Nardus*, planta indica cum spica spicæ triticeæ viridi simili, ex qua oleum nardi odoratissimum et pretiosissimum conficiebatur. *Nardum*, quæ odorem spargit, hic *amicum* significare vult Maurer cum aliis. — Vers. 13. *Amicus meus*, propr. *amor meus*. — Vers. 14. *Cyprus*, fruticis vel arbustulæ genus, floribus odoratis, subalbis, in racemorum modum crescentibus : quos ob colorum pulchritudinem et odoris suavitatem hodienum feminis Ægyptiacis in deliciis esse, testatur Sonnini in *Itinerar. Engedi* (i. e. fons capri, ob situm in celsis rupibus), oppidum Palæstinæ Australis in deserto Judæ ad mare Mortuum, vitium et palmarum ferax. Æque diceres, in agro Massiliensi ficus inter vineta condensas aspici. — Vers. 15. *En*, i. e. quam. Maurer, *oculi tui sunt columbæ*, id est, tam venusti et hilares quam sunt columbæ. *Jucundus* ad amicitiæ et familiaritatis jucunditatem spectat. Rosenmullerus : « Eleganter sponsa magnifico regis palatio non inferiorem prædicat thorum pastoralem, quem ipsis recubantibus sub patularum arborum tegmine præbent herbæ et flores. » — Vers. 17. Ædes etiam communes laudat sponsa, quod ex pretiosa et solida stabilique materia sint. Nonnulli hoc versu sponsi regii verba contineri censent, invitantis sponsam ad magnificum suum palatium. Non male.

III.

Cap. II, 1—7.

SPONSA.

1. Narcissus ego sum Saronis,
Lilium convallium.

SPONSUS.

2. Sicut lilium inter spinas præstat,
Ita amica mea inter puellas.

SPONSA.

3. Ut malus inter arbores (steriles) sylvæ,
Ita amicus meus inter juvenes.
In umbra ejus libenter sedeo (proprie, *cupii et sedi*),
Et fructus ejus dulcis est meo palato.
4. Introduxit me ad domum vini, *id est convivii et lætitiæ*,
Et vexillum ejus super me *est* amor.
5. Fulcite (recreate) me libis,
Sustentate (reficite) me malis :
Nam ægra amore ego sum.
6. Læva ejus (dilecti) *subdat se* capiti meo,
Et dextra ejus me amplectatur.

SPONSUS.

7. Obtestor vos, virgines Hierosolymitanæ,
Per capreas aut per cervas campi,
Ut non excitetis neque expergefaciatis amorem hunc (meam dilectam),
Donec ipsi libuerit.

NOTÆ.

Vers. 1. Pro *narcissus*, alii cum Gesenio ponunt *colchicum autumnale*. *Saron* est nomen proprium

duarum regionum campestrium, quarum altera a Joppe usque ad Cæsaream se extendit, altera in Palæstina septentrionali inter Thaborem montem et lacum Tiberiadis jacet. Priorem et pluribus florum generibus amœnam esse, et inter flores illis nascentes et narcissum memorat Chateaubriand, *Itiner.* P. II.— Vers. 4. Sensus : Experiri me fecit dilectus meus, quam suavis sit; præfert mihi tanquam vexillum amorem, quo me ad se attrahit, ut vexillo congregantur et attrahuntur milites, ut eo semper oculos conjiciant. Jarchi sensum nominis *diglo* vernacule *attraits*, i. e. attractio expressit. Vulgatus, *ordinavit in me charitatem*, i. e. constituit, proposuit mihi sui dilectionem, cujus sequerer imperium, non secus ac vexillum sequuntur milites. Maurer *domum vini* interpretatur *vineam*. — Vers. 5. Intelliguntur hic *mala cydonia*, quibus inest recreandi vis, teste Celsio *Hierobot.* P. I, p. 261. — Vers. 7. Sponsam voti sui compotem factam obdormiisse, colligere est ex verbis quæ sequuntur sponsi, feminas Hierosolymitanas, obtestantis, ne amicæ quietem et somnum interrumpant.

IV.

Cap. II, 8—17.

SPONSA.

8. Vox dilecti mei!
Ecce hic *est!* Venit,
Saliens super montibus,
Subsultans super collibus.
9. Similis est (quoad celeritatem) dilectus meus capreæ,
Vel hinnulo cervorum.
En! hic *jam est* adstans post parietem nostrum;
Prospicit ex fenestris;
Promicat (repente et furtim prospicit) a clathris.
10. Exorsus est amicus meus et dixit mihi :
« Surge, amica mea, formosa mea, veni (proprie, *ito tibi*)!
Nam ecce hyems præteriit,
Imber abiit, cessavit (propr. *abiit sibi*).
12. Flores in terra hac apparent,
Tempus cantus avium advenit,
Et vox turturis auditur in terra nostra.
13. Ficus rubefacit (maturat) grossos suos,
Et vites flos (id est floridæ) edunt odorem :
Surge, amica mea, formosa mea, et veni!
14. Columba mea latens in rupis fissuris,
In latebris præcipitii,
Ostende mihi faciem tuam,
Fac me audire tuam vocem :
Nam vox tua suavis est, et facies tua venusta.
15. Capite nobis vulpes,
Vulpeculas vinearum corruptrices,
Cum floreant (propr. *et florent*) vineæ nostræ.
16. Dilectus meus est meus, et ego illius,
Qui pascit *gregem suum* inter lilia (in loco amœno).
17. Usque dum spirat dies (vespera describitur), fugiuntque umbræ,
Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ, vel hinnulo cervino,
Super montes præruptos.

NOTÆ.

Vers. 9. Parietem, scil. domus vel cubiculi. Alii, *maceriam vineæ.* — Vers. 11. Ratio additur, qua amicus sponsam ad exeundum urget, adventus veris, cujus elegantissima jam sequitur descriptio. —Vers. 12. Veteres secutus Gesenius *zamir* vertit *putationis*, scil. vitium, non male: licet in pihel *zamar* denotet *canere, modulari.* Turturis vox aliquid gratum habet, quatenus ver adesse significat, quia hyeme turtures non apparent. — Vers. 13. Pro *rubefacit*, de Wette, Gesenius et alii vertunt *condit*, significatu *condiendi* cadaver, i. e. suavi succo et quasi melle implet, hoc est maturat. — Vers. 14. Sulamith, quæ pavore et verecundia ducta e domo (vel vinea) exire non audet, comparatur cum columba fera, quæ aves rapaces fugiens in petræ fissuris nidulatur. Cf. Homerum, *Iliad.* XXI, 494; Virgilium, *Æneid*, lib.V, vers. 213. Pro fissuris alii vertunt *refugiis, asylis.* Legendum *mareaiq*, suffix. singul. tertia radicali servata. — Vers. 15. Cum Sulamith ex vinea non egrediatur, amicus eo, quod fragmentum cantici vinitorii fragmentum canit, illam ad exeundum incitare studet. Hunc versum esse carminis a scriptore Cantici non conditi, inde suadetur, tum quia cum antecedentibus non cohæret, tum quia in eo articulus more illius auctoris non usurpatus est. — Vers. 16. In Judæa et Syria lilia in agris sponte proveniunt: hinc a Christo, *Matth.* VI, 28, vocantur *agri lilia*, aut, ut habet Syriaca versio, *lilia deserti.* — Vers 17. Sensus: Antequam nox instet, verte te huc, amice mi, tam celeriter quam hinnuli super montes saliunt. *Præruptos*, proprie *dissectionis*, i. e. montes vallibus discissi et prærupti; alii, *divisionis*, i. e. montes qui nos invicem separant; aliis cum Vulgato *bether* est nomen proprium loci.

V.

CAP. III, 1—5.

SPONSA.

1. Super cubili meo, noctu,
Quæsivi quem anima mea diligit (ex animo amo):
Quæsivi, neque inveni eum.
2. Surgam, age (dixi), et circumeam in urbe,
In foris plateisque quæram quem anima mea diligit;
Quæsivi, neque inveni eum.
3. Invenerunt me custodes circumeuntes per urbem.
« Vidistisne, inquam, quem diligit anima mea? »
4. Vixdum transieram (discesseram) ab iis, inveni quem diligit anima mea;
Prehendi eum, nec me eum dimissurum dixi,
Donec eum introduxero in domum matris meæ,
Et in conclave genitricis meæ.

SPONSUS.

5. Obtestor vos, filiæ Hierosolymitanæ,
Per capreas aut per cervas campestres,
Ne excitetis, neve expergefaciatis amatam (propr. *amorem*),
Donec ipsi libuerit.

NOTÆ.

Vers. 1. Rosenmullerus: « Narrat sponsa sociis suis quid sibi noctu acciderit, quomodo dilectum frustra in thoro quæsierit, etc. Hoc quoque interpretum plures pro somnio habent, sine idonea ratione. » — Vers. 2. *Urbs* κατ' ἐξοχήν, haud aliter ac Romanis Roma, Hebræis Hierosolyma vocabatur. — Vers. 4. *Vixdum*, proprie *ut parum quod. In domum genitricis meæ.* « Tale quid virginem pudicam inter veteres Hebræos vere facere voluisse, nequaquam est verisimile. Legimus quidem *Gen.* XXIV, 67, Isaacum, cum Rebeccam uxorem duxisset, eam in matris suæ tentorium, i. e. illud quod mater sua,

dum viveret, habitavit, perduxisse. Sed virginem sponsum suum in matris ipsius domum introducere voluisse, illi in mentem ne quidem venire potuit : tantopere illud a veterum Hebræorum et hodiernorum Orientalium moribus abhorret. Hinc satis patet, ἀλληγορικῶς hæc intelligenda esse. » Hæc Rosenmullerus. — Vers. 5. Adjurat sponsus Hierosolymitanas feminas, ne sponsæ quietem somniumve interpellent, cum ea nunc defatigata esset quærendo tota nocte sponso undequaque. Juxta alios, sponsa mulieres Hierosolymitanas obtestatur, ut sibi de amico cogitante otium concedant.

VI.

Cap. III, 6—11.

CHORUS FEMINARUM.

6. Quænam est hæc, quæ ascendit ex deserto,
Sicut columnæ fumi,
Circumfusa suffimento (propr. *suffimigata*) myrrhæ et thuris,
Ex omni pulvere institoris, seu *seplasiarii* (scil. suffita) ?
7. Ecce Salomonis lecticam (sellam gestatoriam) !
Sexaginta viri fortes circa eam *sunt*
E fortissimis Israelitarum :
8. Omnes illi gladium tenentes,
Edocti bellum ;
Cujusque gladius *est* in femore ejus
Propter nocturnas formidines.
9. Gestatorium sibi fecit (parandum curavit) rex Salomo
Ex lignis Libani.
10. Columnas (fulcra) ejus fecit argenteas,
Reclinatorium ejus aureum,
Sedile purpureum,
Medium ejus amabiliter constratum
A puellis Hierosolymitanis.
11. Exite et spectate, Sionitides, Salomonem regem,
Et coronam (seu ornatum *corona*) qua eum mater sua coronavit
Die ejus nuptiali,
Die lætitiæ cordis sui.

NOTÆ.

Describitur pompa solemnis, qua Salomonis sponsa ad ejus palatium deducitur. Loquentes in scenam produci videntur feminæ Hierosolymitanæ, quæ vers. 5 compellatæ fuerant. Quod autumant quidam, non ab omnibus feminis omnia commata recitari, sed alia ab aliis alternatim canentibus, a vero non abhorret.

Vers. 6. Maurer vertit, *quid est hoc quod..... suffitum myrrha et thure*, ut describatur regalis pompæ primus et confusus adhuc aspectus. Non male. Vulgatus, *et aromatibus*, quasi legisset *miqtoreth, ex suffitu*. Conf. Curtium, lib. VIII, vers. 9 : « Cum rex (Indorum) se in publico conspici patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. » — Vers. 10. Maurer, *medium ejus exornatum est amore*, i. e. amata, quod ibi se tenet amata, jam una earum mulierum quæ *filiæ Hierosolymæ* vocantur. Sensus hujus loci haud satis est liquidus. — Vers. 11. Intelligitur, ait Kimchi, non corona aurea regiæ dignitatis insigne, sed e floribus nexa, quali sponsus ornari a matre et redimi solebat. Maurer vero : « Cogitandus est Salomo, qui cum Sulamitha pompa solemni Hierosolymam redit, eadem corona nuptiali ornatus, qua is, cum filiam regis Ægyptiorum uxorem duceret, ornatus erat. »

VII.

Cap. iv, 1.—v, 1.

SPONSUS.

1. Quam venusta es, amica mea, quam venusta es!
Oculi tui quasi columbarum (alii, *columbæ*) e peplo tuo!
Crines tui ut caprearum grex,
Quæ in monte Gilead procumbunt.
2. Dentes tui ut grex tonsarum *ovium*,
Quæ adscendunt e lotione;
Quæ omnes gemelliparæ sunt,
Neque orba (sterilis, seu pullis carens) est inter eas.
3. Sicut filum coccineum labia tua,
Et os tuum decorum;
Ut mali punici segmentum gena tua e peplo tuo.
4. Ut turris Davidis collum tuum,
Exstructa ad *suspendenda* arma,
In qua mille suspensi sunt clypei,
Omnia heroum scuta.
5. Duæ mamillæ tuæ, ut hinnulorum par,
Gemelli capreæ,
Pascentes inter lilia.
6. Dum dies exspirabit, umbræque fugient,
Ibo (seu *eam*) ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.
7. Tota pulchra es, amica mea,
Nec maculæ quidquam in te est.
8. Mecum de Libano, sponsa,
Mecum de Libano veni
Prospecta ex Amanæ vertice,
Ex Seniris et Hermonis cacumine;
Ex leænarum lustris, ex pardorum montibus.
9. Corde me privasti, mea soror, sponsa,
Corde me privasti vel uno tuorum oculorum,
Vel uno colluli tui torque.
10. Quam jucundi amores tui, mea soror, sponsa!
Quam vino suaviores amores tui,
Et unguentorum tuorum odor quovis aromate!
11. Favum stillant tua labia, sponsa,
Mel cum lacte sub lingua tua,
Et vestium tuarum odor ut odor Libani.
12. Hortus clausus *es*, mea soror, sponsa,
Scaturigo clausa, fons obsignatus.
13. Tua plantaria *sunt* malorum punicarum hortus
Cum fructibus exquisitissimis (propr. pretiositatem) cypri cum nardis;
14. Nardus et crocus.

Calamus aromaticus et cinnamomum
Cum omnibus lignis thuriferis,
Myrrha et agallochum
Cum præcipuis quibusque aromatum generibus.
15. Fons hortensis (hortos irrigans), puteus aquæ vivæ,
Et fluenta (salices) e Libano (sunt in hoc horto).

SPONSA.

16. Surge, Aquilo; ades, Auster,
Perfla hortum meum,
Fluant ejus odores (vento excussi).
Veniat dilectus meus ad suum hortum,
Et comedat fructus suos exquisitissimos.

SPONSUS.

CAP. V. 1. Venio (seu *veni*) in hortum meum, soror mea, sponsa,
Decerpo myrrham meam cum balsamo meo,
Comedo meum cum melle favum,
Bibo meum cum lacte vinum.
Comedite, sodales,
Bibite ad satietatem usque, charissimi.

NOTÆ.

Vers. 1. *E*, propr. *ab intra*, vel *pone*. *Tsammah*, a *tsemam*, quod Chaldæis est *tegere, operire*, significat *tegumentum, velum, peplum*. Hæc vox, præter nostrum librum, tantum occurrit *Isai.* XLVII, 2, ubi Græcus Alexandrinus bene illam κατακάλυμμά σου reddidit; sed hic in græca interpretatione exstat ἐκτὸς τῆς σιωπήσεώς σου, *præter silentium tuum*, quod D. Hieronymus *absque eo quod intrinsecus latet* expressit. Illos interpretes *tsammatheq* patet retulisse ad radicem *tsamath*, siluit, ut significetur aliquid *quod taceri debeat præ verecundia*. Sed nostro hoc loco hujusmodi mentio prorsus absona videtur. *Procumbunt* quasi pendentes in latere montis. — Vers. 2. Pro *tonsarum* Rosenmullerus vertit *æqualium*, scil. magnitudine, quod Græcus Venetus expressit voce ἰσοτμητων, *æqualiter cæsarum*. — Vers. 4. Significatur turris aliqua a Davide, cum Sionem arcem muniret, exstructa, forsan illa quæ *Nehem.* III, 25 seqq. commemoratur. Cum tali turri comparatur collum sponsæ procerum, teresque, et monilia ac torques quæ ex collo pendent, cum armis clypeisque splendidis in turri suspensis. — Vers. 6. Maurer, *usque dum spiraverit*, i. e. se refrigeraverit *dies*; idem addit: « Mons et collis odores myrrhæ et thuris spargentes amorem et pulchritudinem Sulamithæ tecte significant. Alii simplicius: ubi myrrha et thus proveniunt. — Vers. 8. Invitatur sponsa cum amico relinquere prærupta montium cacumina, et prospicere, i. e. venire, in subjectas fertiles, amœnissimasque Israeliticæ terræ regiones. Pro *thashouri* Vulgatus legisse videtur *thasiri* per *sin*, a שׂוּר *dominatus est*, hinc *coronatus est*. Amana et Senir sunt montes Libano vicini, aut ejusdem partes. — Vers. 9. Maurer, *cor*, i. e. animum, *mihi addis, soror mea*, etc. quod minus placet. Pro *colluli*, ut ן terminatio sit diminutiva et charitativa, alii vertunt *collarii*. — Vers. 11. Conf. Theocriti *Idyll.* VIII, 82 seq. XX, 26 seq. — Vers. 12. Quod sponsam horto vel fonti obserato comparat, ad quem nemini nisi domino aditus patet, illius illibatam pudicitiam et bene custoditam virginitatem spectare, vix dubium. Quam comparationem egregie illustrant hæc Catulli in *Carm.* LXII, 39 seqq.:

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, tunc chara suis est;
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec grata puellis.

Cap. v, vers. 1. *In hortum*, ad te scilicet, qui hortus es omni plantarum eximiarum genere consitus.

VIII.

Cap. v, 2 — vi, 3.

SPONSA.

2 Dormiebam ego, sed animus meus erat vigil.
Vox amici mei *januam* pulsantis :
« Aperi mihi, mea soror,
Amica mea, columba mea, perfecta (alii, *integra, casta* vel *optima*) mea!
Nam caput meum rore plenum,
Cincinni mei *pleni sunt* noctis guttis (roris nocturni). »
3. Exui, *inquiebam*, tunicam meam : qui possim induere illam?
Lavi pedes meos : qui possim illos inquinare?
4. Amicus meus immisit manum suam a foramine (per fenestram),
Et viscera mea affectu commota sunt in (seu *propter*) eum.
5. Surrexi ego ad aperiendum amico meo,
Et manus meæ stillabant myrrha,
Atque digiti mei myrrha manante super manubria pessuli.
6. Aperui ego amico meo;
Sed amicus meus declinaverat, abierat.
Anima mea exierat eo loquente.
Quæsivi eum, nec inveni;
Vocavi eum, nec respondit mihi.
7. Invenerunt me custodes circumeuntes per urbem,
Me verberarunt, vulnerarunt me.
Abstulerunt mihi velum meum mœniorum custodes.
8. Obtestor vos, virgines Hierosolymitanæ,
Si repereritis amicum meum,
Quid ei indicabitis?
Quod amore sum ægra.

MULIERES HIEROSOLYMITANÆ.

9. Qualis est dilectus tuus præ aliis (propr. *amico*),
Mulierum pulcherrima?
Qualis est dilectus tuus præ aliis,
Ut sic nos obtesteris?

SPONSA.

10. Amicus meus candidus et rubicundus *est*,
Insignis inter myriades.
11. Caput ejus *ut* (alii *est*) aurum purum,
Cincinni ejus rami palmæ (alii *penduli*, eod. sensu), nigri sicut corvus.
12. Oculi ejus velut columbæ ad aquarum rivos,
Quasi in lacte loti, sedentes ad plenitudinem.
13. Genæ ejus sicut areolæ balsami,

Sicut areolæ altiores herbarum aromaticorum;
Labia ejus lilia myrrham sponte fluentem stillantia.
14. Manus ejus annuli aurei, impleti (distincti) gemma Tartessia (chrysolitho).
Venter ejus opus eboris tectum (insitum) sapphiris.
15. Crura ejus columnæ marmoreæ,
Basibus fundatæ aureis;
Forma (aspectus totus) ejus ceu Libanus (vel *Libani*),
Eximia ut cedri (vel *cedrorum*).
16. Palatum ejus dulcedo,
Et totus ille est venustas.
Talis est dilectus meus,
Talis meus amicus,
O virgines Hierosolymitanæ!

VIRGINES HIEROSOLYMITANÆ.

CAP. VI, 1. Quorsum abiit dilectus tuus? Mulierum pulcherrima,
Quorsum se vertit dilectus tuus?
Et quæremus (ut quæramus) eum tecum.

SPONSA.

2. Dilectus meus descendit in hortum suum,
Ad areolas balsameas,
Ad pascendum in hortis,
Ad colligendum lilia.
3. Ego dilecti mei sum, et meus dilectus est meus,
Qui pascit inter lilia.

NOTÆ.

Cap. v, vers. 2. Sponsæ verba sunt narrantis, quid sibi noctu acciderit. Quæ jam narrat sponsa, in somnio ipsi oblata fuisse Maurer cum nonnullis opinatur. Sonmium! Ad vers. 2 conf. Ovidium, *Amor.* II, 19, 21; Horatium, *Od.* III, 10, 2-4; Propertium, I, 16, 23, etc.—Vers. 5. Lucem hæc capiunt ex more antiquo Romanorum et Græcorum, quo juvenes amicarum suarum januis appendere solebant serta, aut unguentis eas conspergere. Lucretius, lib. IV, 1171 seqq.:

> At lacrymans exclusus amator limina sæpe
> Floribus et sertis operit, postesque superbos
> Unguit amaracino, et foribus miser oscula figit.

Mor ober est myrrha sponte fluens, quæ est præstantissima. — Vers. 7. Observa elegantia in hac narratione asyndeta. — Vers. 8. Vehementia affectus abrumpit orationem. — Vers. 10. In facie amici mei rubor jucundus cum candore nitido permixtus est. Pro *insignis* in hebr. est *vexillatus, signatus,* σεσημαιωμένος, ut apud Græcum Venetum. — Vers. 12. *Oculi,* etc. Videtur hæc comparatio ad nitorem et splendorem oculorum pertinere, quod columbæ, aquis gaudentes, in iis sese crebro lavant, ideoque mundæ semper nitent. Τὸ *ad plenitudinem* veteres referunt ad columbas, quæ ad loca aquis plena sedeant. Rectius, ut opinor, Hebræi exponunt: *Sedentes, siti* oculi *super plenitudinem,* id est, velut in pala, qua gemma includitur, collocati et inclusi, quasi dicat: nec nimium prominentes, nec nimium demersi, quorum utrumque in oculis indecorum est et deforme, sed ita in fossis suis collocati, ut lapilli pretiosi in palis suis. — Vers. 13. Genæ ejus tam plenæ sunt, et unguenta tam suaviter olent, quam areolæ herbis odoratis consitæ. *Migdeloth,* proprie turres, hic videntur esse *areolæ altiores. Myrrham,* etc. i. e. ait Maurer, labia suavissime loquentia; Rosenmullerus: Significat fragrantem oris halitum, quem in suis dilectis passim laudant amasii. — Vers. 14. Laudantur manus digiti, pollici molliter innitentes, qui figuram annuli faciunt. Quod vero manus dicit aureas, pertinet ad ea-

rum splendorem et puritatem ab omni labe. Tartessius lapis est veterum chrysolithus, topasus recentiorum. Huic comparantur manus ob ungues variis tinctos coloribus, quales in Oriente etiamnum pro ornatu haberi solent. Sapphirorum mentio facit ad splendorem et nitorem nudi ventris describendum. — Vers. 15. Significatur totius corporis habitus majestatis plenus. Pro *eximia*, seu *præstans*, Maurer vertit *juvenis*, scilicet amicus meus. — Vers. 16. *Dulcedo*, scilicet vocis et sermonis : palatum enim est instrumentum vocis et loquelæ. Proprie, *et totum ejus desideria* sunt. —Cap. VI, vers. 2. *Descendendi* verbo utitur, quod sponsus regius e palatio suo et urbe exiit, quemadmodum iter ad aulam regiam *adscensus* supra III, 6, dictum fuit. Sponsa hoc suo responso significat, dilectum ipsam non prorsus deseruisse, sed tantum in hortum descendisse ad colligendos flores, quos ipsi afferat. Quod versu seq. confirmatur.

IX.

Cap. VI, 4—9.

SPONSUS.

4. Pulchra es, amica mea, ut Thirza,
Venusta ut Hierosolyma,
Terribilis sicut vexillis instructa *agmina*.
5. Averte oculos tuos a me,
Nam me terrent.
Crines tui ut caprarum grex,
Quæ procumbunt *pendentes quasi* de Gilead.
6. Dentes tui ut grex ovium,
Quæ ascendunt e lotione,
Quæ omnes gemelliparæ sunt,
Neque orba (sterilis) est inter eas.
7. Cen mali punici segmenta *sunt* genæ tuæ e tuo peplo.
8. Sexaginta sunt *mihi* reginæ, et octoginta concubinæ,
Et puellæ sine numero :
9. Una est mea columba, optima (perfecta) mea,
Unica est matri suæ,
Electa (dilectissima) genitrici suæ.
Vident eam virgines, et felicem prædicant eam,
Reginæ et concubinæ, et laudant eam.

NOTÆ.

Vers. 4. Jam sponsus dilectæ occurrens ejus venustatem laudat, affectui suo amatorum more indulgens. Thirza, propr. *quod se gratum offert*, nomen est urbis, quæ jam, *Jos.* XII, 24, ut regis alicujus Chananitici sedes commemoratur, postea regni decem tribuum caput fuit (I *Reg.* XIV, 17; XV, 21, 33; XVI, 6, 8, 23, etc.), antequam Omri sibi montem Schomron coemisset, ubi ejusdem nominis urbem excitavit. Quærunt interpretes, quomodo ad commendationem pertinere possit, formidabilem esse mulierem more turmarum cum vexillis? Respondet Mercerus, quia mulier gravitate sua et majestate procis et impuris hominibus terrorem incutit, eosque a se arcet, uno marito fidem servans; Maurer, quia mulier sua pulchritudine exercitus instructi et bellicosi instar animos amatorum omnium capit et vincit; Rosenmullerus : « Solent enim, ait, Orientales poetæ amasiarum, quas carminibus suis laudant, oculos gladiis, telis jaculisque, cilia arcubus comparare, quibus amatores suos non tantum feriant, vulnerent, sed etiam, uti fingunt, nonnunquam interimant. Atque hinc est, quod earum adspectum tanquam formidolosum describunt. Conf. versum seq. — Vers. 8. Exaggerat amicæ pulchritudinem et præstantiam, aliarum comparatione. *Concubinæ* sunt uxores quidem, sed minus solemniter et inferiore conditione adscitæ. Tum earum, tum uxorum numerus hic

non idem est qui I *Reg.* XI, 3, assignatur; hinc inter interpretes alia alii concludunt. Argutiæ! Ponitur numerus certus pro indefinito, ut supra III, 7.

X.

CAP. VI, 10 — VII, 11.

SPONSUS.

10. Quænam est hæc, quæ sicut aurora promicat,
Pulchra sicut luna, pura ut sol,
Formidabilis sicut vexillis instructa *agmina*?
11. Ad hortum nucum descendi,
Ut spectarem virorem vallis (alii, *rivi*),
Ut viderem num germinet vitis,
Mala punica num floreant.
12. Nescio, *quomodo* anima mea (amore commota) me reddidit (propr. *posuit*)
Tanquam currus nobilis mei populi.

CAP. VII, 1. Revertere, revertere, o Sulamithis!
Revertere, revertere, ut te spectemus.

SULAMITHIS.

Quid spectetis Sulamithidem
Tanquam duorum agminum choream?

SPONSUS.

2. Quam pulchri sunt gressus tui in calceis (calceis instructi),
O principis filia!
Femorum tuorum ambitus
Ut monilia, opus manuum artificis.
3. Umbilicus tuus crater rotunditatis (rotundus),
Qui (crater) non caret temperato vino (propr. *mixtione*).
Venter tuus tritici acervus
Liliis circumseptus.
4. Duæ mammæ tuæ ut hinnulorum par,
Gemelli dorcadis.
5. Collum tuum ut turris eburnea,
Oculi tui ut piscinæ Hesbonenses ad portam Bath-rabbim;
Nasus tuus ut turris Libani,
Damascum versus spectans.
6. Caput tuum super te ut Carmel,
Et coma capitis tui ut purpura:
Captus est rex in canalibus (id est cincinnis).
7. Quam pulchra es et quam venusta,
O amor, in deliciis!
8. Statura hæc tua similis est palmæ,
Et mammæ tuæ botris.
9. Ascendam, inquiebam, palmam,

Apprehendam ejus palmites (e quibus fructus pendent);
Sint, quæso, ubera tua ut botri vitis (succulenta, rotunda et mollia),
Et odor nasi (halitus) tui sicut poma (odor pomorum).
10. Palatum tuum *sit, quæso* (alii, *est*), sicut vinum optimum.

SPONSA.

Quod amico meo mollissime *per guttur* defluit,
Irrepens *suaviter* labia dormientium.
11. Ego amici mei sum,
Et super me desiderium ejus.

NOTÆ.

Cap. VI, vers. 10. Loquitur sponsus (vel, juxta alios, mulierum aulicarum comitatus), dilectam eminus prospiciens. Observa in hisce comparationibus gradationem. Quæ comparationes puellæ venustæ cum aurora, luna et sole apud Orientalium, præsertim Arabum et Persarum, poetas frequens est. Similiter Theocritus de Helena, *Idyll.* XVIII, 26 seqq. — Vers. 11. Verba hæc cum iis quæ sequuntur interpretum plures sponsæ esse putant, hoc sensu : Ad hortum nucum descendi..... et me in horto ambulantem inopinato curribus popularium meorum nobilium circumdatam vidi. Non male. — Vers. 12. *Nescio*, vel *nescivi*, id est juxta multos; *inopinato*; Rosenmullerus : Præ animi desiderio et velocitate me non sensi quadrigis similem fuisse; qui addit comparationem a curribus desumptam videri adagialis quid habuisse. Vulgatus post Alexandrinos, pro *populi mei nobilis*, posuit *Aminadab*; videntur de *Abinadab* (*b* et *m* permutatis), II *Sam.* VI, 3, cogitasse. — Cap. VII, vers. 1. *Tanquam duorum*, etc., i. e. tanquam festivum aliquod spectaculum, ut pudoris et modestiæ hæc sit interrogatio. Aliter Maurer cum quibusdam : *Quid spectare vultis in Sulamithide?* Respondent mulieres aulicæ : Spectare cupimus aliquid, quod est *sicut chorea* oppidi *Machanaim*. In Machanaim oppido, ait, ex antiquissima ætate sacro, solemnia, quibuscum saltationes erant conjunctæ, esse instituta verisimile est. Hinc mox Salomo, in Sulamithidis venustate laudanda, primum corporis partes, quæ in saltando maxime in oculos cadant, describit, cum alias (IV, 1 seqq.; V, 10 seqq.; VI, 4 seqq.) semper venusti hominis descriptio a partibus corporis superioribus usque ad inferiores progreditur. Quæ omnia, ne quæsita nimis videantur, timeo.—2. Ad modestam dilectæ, suæ venustatis non consciæ, interrogationem respondet sponsus illius formam per singulas corporis partes describendo. *In calceis*, in soleis vinculis coccineis pedibus alligatis, inter quæ pedum candor niveus apparuit, *Principis filia* videris. *Ambitus* : intelliguntur femora teretia et bene formata. — Vers. 5. Oculi tui tam clari et magni sunt, quam illæ piscinæ amplæ, aquis limpidissimis plenæ, quæ sunt ad illam urbis Hesbon (ultra Jordanem, in sorte tribus Ruben) portam, quæ Bath-rabbim vocatur. Rudera hujus urbis, etiamnum *Hhesban* dictæ, una cum magna piscina in ejus vicinia vidit Burckhardt, *Travels in Syria*. Nasus turri comparatur, quod ille rectus esset, et undequaque æqualis, nihil habens obtorti.—Vers. 6. *Carmel*, mons Phœnices altissimus, et adspectu etiam jucundissimus, utpote arboribus obsitus : sic elatum caput, erectum, densa comarum sylva superbit. *Purpura*, qua comparatione splendorem describit nigrorum capellorum. De purpura scribit Plinius, *Hist. Nat.* lib. IX, cap. XXXVIII : « Laus ei summa in colore sanguinis concreti, nigricans aspectu idemque suspectu refulgens. » Hinc purpureus est splendidus, ἀγλαός. Celebrata est poetis purpurea Nisi coma, velut Tibullo, I Carm. IV, vers. 63; Virgilio, *Georg.* I, 405. Horatius, lib. IV *Carm.* I, vers. 10, *olores* vocat *purpureos*, ob pennarum splendorem et lævitatem. Ad quem locum Porphyrio : « *Purpureum* pro *pulchro* poetæ dicere assueverunt. » Per *canales* significantur nitentes capillorum cincinni, qui canalium seu rivorum instar unus sub altero longa cervice defluunt. — Vers. 7. *O amor*, etc., i. e. charissima omnium quæ in deliciis habentur. Maurer, *o amata in* talibus *deliciis*, i. e. tali venustate prædita.—Vers. 8. *Botris*, scil. uvarum, ait Maurer; dactylorum, ait Rosenmullerus, quod præfero. Sunt in palma *ashcoloth* geminæ elatæ, quæ flores, et mox fructum includunt, et sub coma dependentes ab utroque palmæ latere, duarum mammarum similitudinem utrumque referunt. Similiter Helenam cypresso assimilat Theocritus, *Idyll.* XVIII, 28. *Palmam*, scil. ut ejus fructibus potiar. Vers. 10. *Palatum*, i. e. sermones tui. *Quod amico*, etc., usque ad finem commatis, juxta Rosenmullerum, sunt verba sponsæ absolventis vini optimi laudem a sponso incœptam : hic enim in laudanda, quam ex dilectæ amplexibus capit, voluptate extra se raptus somno occupatur. Quod tamen negat Maurer, aitque vocem *ledodi, dilecto meo*, per antiquum

librariorum errorem ex vers. 11 in vers. 10 irrepsisse. In hebr. est, *quod it*, descendit per guttur, *recta*, i. e. facillime; *irrepit labia dormientium*, i. e. per labia in guttur suaviter et leniter delabens leviter inebriat somnumque placidum affert, scil. *sponso dormienti*.

XI.

Cap. vii, 12—viii, 4.

SPONSA.

12. Age, dilecte mi, exeamus rus,
Pernoctemus in villis (seu pagis).
13. Mane surgamus (nos conferamus) in vineas,
Videbimus num germinet vitis,
An flores ejus se aperuerint,
Floreant mala punica.
Ibi amores meos (amoris mei documenta, amplexus) tibi dabo.
14. Mandragoræ dant odorem,
Et ante fores nostras *sunt* omnia præstantissima (fructus exquisitissimi);
Cum recentes (fructus), tum veteres, dilecte mi, pro te condidi.

Cap. viii, 1. Utinam frater meus esses,
Qui matris meæ ubera suxisset,
Tum inventum te palam exosculari possem,
Nec probro id mihi verteretur.
2. Ducam te, introducam in matris meæ domum,
Ut me doceas *rationem tui bene tractandi*.
Bibendum tibi dabo vinum condituræ (aromatibus conditum),
Et mustum malogranati mei.
3. Sinistra ejus subdat se capiti meo,
Et dextera ejus me amplexetur.

SPONSUS.

4. Obtestor vos, puellæ Hierosolymitanæ,
Ne excitetis, nec expergefaciatis dilectam hanc,
Donec ipsi libuerit.

NOTÆ.

Vers. 13. Describuntur veris signa, similia iis quæ cap. ii. vers. 12 et 13 habentur. — Vers. 14. De voce *dodaim* mandragoras denotante vide Wineri *Bibl. Realworterbuch*, sub voce *Alraun*; Bertolini, *Comm. de Mandragoris*, Bologna 1836. Hic ideo mandragoræ commemorantur, non quia iis inest aliqua ad amores virtus, ut totius fere Orientis opinio est, sed quia earum flores veris sunt signum. *Et ante fores*, etc. *q. d.* Non longius proficiscendum est, ut omnis generis fructus suaves et deliciosi inveniantur. Inter alia amoris documenta apud pastores illud unum erat, ut poma dilectis suis asservarent. Conf. Virgilium, *Eclog.* I, 36; Tibullum, I, *Eleg.* 5, vers. 31; Ovidium, *Metam.* lib. XIII, vers. 812 seqq. — Cap. viii, vers. 2. Maurer vertit, *ducerem, introducerem, doceres*, et ita deinceps usque ad finem commatis. Rosenmullerus autem cum Vulgato, *ducam*, etc. Cohærent enim hæc cum iis quæ præcedunt, hoc sensu: Jam cum mihi non sit concessum, tibi, tanquam fratri, amoris documenta palam dare, in matris meæ domum te introducam. Conf. supra cap. iii, vers. 4. Pro *mustum* hebræa habent *succum*, proprie *pressum*. Vini e malis punicis, *rhoites* dicti, confectionem docet Dioscorides, lib. V, cap. xxxiv.

XII.

CAP. VIII, 5—7.

VIRGINES HIEROSOLYMITANÆ.

5. Quænam est ista quæ ascendit ex deserto,
Innixa amico suo?

SPONSA.

Sub malo ista te excitavi,
Ibi (sub hac malo) te enixa est mater tua,
Ibi enixa est *et* peperit te.
6. Impone me tanquam sigillum cordi tuo,
Tanquam sigillum brachio tuo.
Nam potens mortis instar est amor,
Inflexibilis ut orcus est ardor *amoris*,
Ardores ejus sunt ardores ignis,
Flamma Jovæ.
7. Aquæ multæ non possunt exstinguere amorem,
Nec flumina illum obruere.
Si quis omnes domus suæ facultates pro eo dederit,
Omnino sperneretur (proprie *contemnent eum*).

NOTÆ.

Vers. 5. Ultima aperitur scena, cum desideriis potiti amantes familiari invicem consortio utuntur. Conspicitur sponsa dilecto suo juncta et ab illo e deserto domum deducta. Pro *innixa* sunt Hebræi qui *mithraphegeth* reddunt, *oblectans se*: utrumque expressit Vulgatus. *Excitavi te*, scil. ad mei amorem, ut allusio sit ad II, 3. Maurer: Te in umbra hujus mali meridie quiescentem interdum expergefeci. Cydoniam malum apud alios quoque populos amoribus dicatam fuisse, observat Celsius, *Hierobot.* part. I, p. 263; hinc Venus in statuis cydonium dextra gerit; hinc quoque τὸ μηλοβολεῖν, *malis petere, malum mittere, malum dare*, locutiones frequentes apud Græcos et Romanos. Τῷ *hic* vult Maurer designare alium locum, ad quod perveniens sponsa hæc dicit. Male Vulgatus *corrupta est, violata est*, quod hebraice esset *choubelah*. Maurer post Michaelis proprie hoc accipit: quia, ait, in Oriente non raro accidit, ut mulieres in aperto pariant: conf. *Gen.* XXXV, 16. Aliter Rosenmullerus: Quemadmodum, inquit, fingunt Apollinem sub palma, nobilissima arbore, natum, ita sponsa hic amicum suum sub malo, amori dicata, natum ait, ut significet, jam natali loco præmonstrari, illum sui amorem in aliis excitare. — Vers. 6. Annulus signatorius de manu nunquam deponitur, et in summo est pretio; sensus est: Magni me æstima, charissimam me habe. Deinde amor comparatur tum morti, cui nihil resistere potest; tum inferno, eorum, quos retinet, tenacissimo; tum denique igni. — Vers. 7. *Pro eo*, scil. sibi conciliando aut exstinguendo.

XIII.

CAP. VIII, 8—14.

SPONSÆ FRATRES.

8. Soror *est* nobis parva (non sponsa, sed alia natu minor),
Necdum mammæ ejus sororiant.
Quid hac sorore nostra faciemus,
Die quo eam alloquentur?

9. Si murus est, exstruemus in ea pinnam (seu *arcem*) argenteam;
Si janua, muniemus (propr. *coarctabimus*) tabulis cedrinis.

SOROR (SPONSÆ).

10. Murus ego sum, et ubera mea ut turres.
Tum ero apud eum (regem) tanquam illa (sponsa) quæ pacem (gratiam) invenit.
11. Vinea est Salomoni in Baal-Hamon,
Quam custodibus (colonis) tradidit,
Ut singuli pro illius fructibus mille afferrent argenteos (siclos).
12. Vinea mea quæ mihi *est*, coram me *est* (eam curo ipsa);
Mille (argentei) *sint* tibi, o Salomo,
Et ducenti custodientibus fructum ejus (ironice dictum)!

SPONSUS.

O tu quæ in hortis habitas,
Socii attendunt ad vocem tuam,
Fac ut audiam eam.

SPONSA.

14. Fuge (festina), dilecte mi, capreæ aut hinnulo cervino assimilis,
Super montes aromatum.

NOTÆ.

Vers. 8. Quorumnam et de qua hic sit sermo, interpretes dissentiunt. Multis *soror* est ipsa *sponsa*. Quam sequamur sententiam, versio nostra docet. In matrimoniis virginum antiquissimis temporibus apud Hebræos fratres æque, imo potius quam parentes, consultos fuisse, et omnino fratres sororum suarum tuendarum jus habuisse, colligitur ex *Gen.* XXIV, 50; XXXIV, 13; *Jud.* XXI, 22. *Alioqui* puellam, i. e. eam uxorem petere. Alii vertunt, *quo de ea sermo fiet*, eodem sensu. Conf. I *Sam.* XXV, 39. — Vers. 9. Quod fratres statuunt, verbis mere ænigmaticis exprimitur: Si aditus ad eam procis non patet, si ea pudicitiam servaverit, eam ornabimus, honore et præmio eam afficiemus (Rosenmullerus: Ampla et pretiosa sponsalitia pro ea stipulabimur); si procis facilem præbet aditum, arctius eam concludemus. — Vers. 10. Soror, auditis fratrum verbis, indignabunda dicit, murum ipsam futuram esse, non januam. Tum ego apud regem et ipsa eamdem gratiam inibo quam consecuta est soror major natu. — Vers. 11. Baal-Hamon, idem, ut videtur, locus atque ille de quo *Judith*, cap. VIII, vers. 3, in ditione regni Ephraimitici sita fuit. — Vers. 12. Maurero *vinea* est *innocentia, pudicitia*. Verba *tui Pacifici* in Vulg. sunt genitivi casus, significantia: tibi, o Salomo. — Vers. 13. Sponsa cum aliquantisper conticuisset, interjecto de ejus sorore episodio, jam rogat sponsus amicam, ut carmen canat sibi sociisque. — Vers. 14. Hæc sponsæ responsio quibusdam videtur ipsa cantilena a sponso petita. *Berach* hic valet *sob, celeriter converte te*, scil. ad me, hoc est, veni mecum super montes, etc. Conf. supra II, 17.

IN

CANTICUM CANTICORUM

PROLEGOMENA.

Libri inscriptio.

Hebraice liber hic inscribitur שיר השירים *scir hasscirim*, id est *Canticum canticorum*, sive carmen carminum. Carmina enim suam habent metri harmoniam et quasi concentum, ideoque et voce modulata concini solebant, ut suavius in aures mentesque audientium influerent. Unde S. Dionysius, *Eccles. Hierar.* cap. III, Canticum canticorum vocat *dulcia carmina divinorum amorum*. Nam, ut ait Eusebius, lib. XII *De Præpar.* cap. XIII, ex Platone lib. VI *De Republ.*, carminibus et canticis suaviter instillandus est pueris Dei et virtutis amor; causam addit, dicens : « Ut igitur pueri animus legem ita sequatur, ut una cum ea gaudeat atque doleat, odas perdiscant, crebroque cantitent, quibus laudes atque vituperationes earum rerum contineantur, quas lex laudat atque vituperat. Quoniam enim teneriores anni rationem virtutis non suscipiunt, laude atque cantu præparantur. Jure igitur apud nos prophetarum odæ addiscuntur a pueris. » Hinc et David ignita sua de Deo et virtute dogmata carmine, puta odis Psalmorum conscripsit, ut subdit Eusebius. Patrem ergo Davidem hic imitatur filius Salomon. Quocirca in Bibliis arabicis titulus hujus libri est : *Carmen carminum, et est laus laudum Salomoni sapienti*, hoc est, cujus proprius auctor est Salomon mortalium sapientissimus. In Syriacis vero hic est titulus : *Sapientia sapientiarum, ipsius Salomonis liber*, qui vocatur hebraice *scir basscirim*, id est *hymnus hymnorum*, sive *Canticum canticorum*.

Canticum est carmen divini amoris, cur?

Porro Canticum canticorum hebraice idem est quod canticum præstantissimum et suavissimum, sicut Sanctum sanctorum idem est quod templum sanctissimum. Hoc enim canticum longe superat, non tantum omnia cantica et carmina Moysis, Debboræ, Annæ, Ezechiæ et Isaiæ, ut explicat Origenes, sed et ipsius Salomonis : ipse enim composuit carmina quinque et mille, III *Reg.* IV, 32. Unde Chaldæus vertit, *decem cantica dicta fuerunt in sæculo isto, et Canticum hoc laudabilius est omnibus istis. Primum* canticum fuit Adæ, *secundum* Moysis, *tertium* filiorum Israel, *quartum* Moysis, *quintum* Josue, etc.

Addit Eusebius Cæsariensis, cujus verba recitat hic Cosmas Hortolanus, hoc Canticum dici canticorum, quia canit rem præstantissimam et dulcissimam, eamque velut propheta et vates canendo prædicit, nimirum Verbi incarnationem, « ac per eam Ecclesiæ cum ipso desponsationem. » Audi Eusebium : « Sicut Agnum demonstrante Joanne, velut Joannis gratia sunt lex et prophetæ : sic etiam quæ in Cantico canticorum significantur, finis sunt omnium quæ in divina Scriptura significantur; ac sicut secundum legem erant Sancta, et post Sancta sanctorum nullus præterea erat locus : sic et præter Cantica canticorum, nullam libet exspectare interiorem aut recentiorem promissionem. »

Est de re præstantissima.

Eadem pene ad verbum habet S. Athanasius in *Synopsi*, unde ea deprompsit Eusebius. Porro hæc Verbi cum carne nostra desponsatio fuit beneficiorum miraculum et prodigium sæculorum omnium maximum. Illo enim homo Deo, terra cœlo, caro Verbo associata est arctissimo hypostaticæ unionis vinculo, quo fit ut homo sit Deus, et Deus homo. Adam enim audiens a serpente : « Eritis sicut dii, » appetierat æqualitatem Dei, sed superbe nimis et perperam. Christus ergo, ut hunc hominis excellentiæ appetitum corrigendo expleret, immense se dimisit et exinanivit : « In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, » *Philip.* II, ut hominem exaltaret, ac faceret Deum. « Christus factus est homo, ut homo fieret Deus, » ait S. Augustinus.

Antequam textum aggrediar, quatuor ex more præmittenda sunt : *primum*, de libri auctoritate et auctore; *secundum*, de operis argumento; *tertium*, de modo et stylo; *quartum*, de ejus partitione et partibus.

CAPUT PRIMUM.

CANTICI AUCTORITAS ET AUCTOR.

Canticum rejiciunt hæretici.

Philastrius, lib. *De Hæresib.* cap. CXXXIII, et Jacobus Christopolitanus, *Præfat. in Cant.*, scribunt judæos et hæreticos nonnullos asserere hoc Can-

ticum non esse Scripturam canonicam, nec scriptum esse spiritu Dei, sed cupidinis, eo quod canat amores Salomonis et uxoris ejus, puta filiæ Pharaonis, ideoque profanum esse et carnale. Unde in eo nunquam nominari Deum. Id sensit olim Theodorus Mopsuestanus, et nunc anabaptistæ. Idem Castalioni tribuit Beza Præfatione *in Josue*.

Cur?

Verum errant, quia multa sunt in Canticis, quæ non reginam Salomonis uxorem, sed rusticanam pastoris conjugem indicant. Unde illud cap. I: « Vineam meam non custodivi; » et: « Abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hædos tuos; » et illud cap. V: « Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me. » Quis enim ausus fuisset reginam vulnerare? Multaque talia passim occurrunt.

Imo Spiritus Sanctus, ut ostendat se hoc Cantico per sponsam nullam certam feminam intelligere, nunc eam ut rusticam, nunc ut filiam principis inducit, ut *Cant.* VII: « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! » Nunc eam sponsam vocat, nunc sororem.

Denique, ut ostendat sponsam hanc esse spiritualem, non corporalem, ei dat epitheta, quæ corporalem dedecorent, spiritualem vero decorent et ornent, ut quod dat ei caput instar carmeli, nasum instar turris, oculos instar piscinæ, dentes instar gregum ovium detonsarum; denique quod eam dicat totam esse nigram, sicut tabernacula Cedar. Quare certum est sponsam hic non aliam esse posse quam Ecclesiam, et sponsum Christum, ejusque spirituales nuptias hic cani.

Canticum est liber canonicus.

De fide ergo est hunc librum esse canonicam Scripturam, spiritu non cupidinis, sed charitatis a Deo dictatam: unde hic liber, tam ab hebræis quam a christianis semper habitus fuit canonicus, ut patet ex Concilio Florentino, Tridentino, Carthaginensi III et cæteris, qui catalogum librorum canonicorum texuerunt.

Auctor est Salomon; unde hebraice titulus libri est: *Canticum canticorum, quod est Salomonis,* qui occasione nuptiarum cum filia Pharaonis scripsit hoc Canticum; quare ad eam grammatice alludit, ut cum eam vocat filiam principis, et cum ait cap. I, 9: « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te. » Hinc et a Salomone vocatur *Sulamitis, q. d.* Salomonia, sive Salomonis uxor; Salomonem enim grammatico sensu hic intelligi patet ex illo cap. III, vers. 7: « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt; » et vers. 9: « Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; » et vers. 11: « Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, » etc.

Quocirca Honorius Augustodunensis ait sensum litteralem esse de filia Pharaonis, allegoricum de Ecclesia, ubi per sensum litteralem intelligit grammaticum, per allegoricum vero figuratum et metaphoricum, qui tamen in parabolis est litteralis. Alii per sponsam intelligunt reginam Saba, quæ venit ad Salomonem, ut audiret ejus sapientiam, de qua Æthiopes narrant ipsam concepisse ex Salomone filium, qui factus sit rex Abyssinorum: unde eorum rex, puta Preto Joannes, etiam nunc se scribit filium Salomonis. Verum ad litteram genuino sensu, ut patebit ex sequent., per sponsam neutra harum, vel aliarum feminarum, sed ipsa Ecclesia intelligitur. Ex dictis colligi videtur quod Salomon hoc Canticum scripserit non diu post nuptias suas cum filia Pharaonis, quando donatus a Deo sapientia cœlesti, caste et pie Deum colebat. Unde ab eo vocatus est *Ididia*, id est *amabilis Domino*, II *Regum* XII, 25; licet Delrio, Hortulanus, Bacchiarius et alii hunc librum scriptum velint a Salomone post lapsum, eumque ut signum pœnitentiæ ipsius assignent; sed ante lapsum scriptum esse docent Guidacerius, Almonacirius, Soto Major, Dionysius Carthusianus, Gislerius, Salmeron et Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. V, et alii.

Cur Salomoni a Septuaginta inscribitur?

Porro Septuaginta Complutenses et Regii hunc libro dant titulum: *Canticum canticorum, quod est Salomoni,* in dativo, scilicet vero Salomoni, puta Christo Domino dedicatum, ait Christopolitanus, quodque Salomoni, id est pacifico et a passionibus vacuo congruit; hic enim omnes affectus, totumque amorem transtulit in Deum, ait Philo Carpathius. Vaticani habent: *Canticum canticorum, quod est Salomon,* id est Salomonis; videntur enim Septuaginta τὸ *Salomon* ponere ut indeclinabile, quod proinde cujusvis potest esse casus. Unde Origenes: « Τὸ *Salomon,* inquit, vel *Salomoni*, ostendit hoc opus tantum esse Salomonis. » Hebræi enim, ut Græci, sæpe dativo utuntur pro genitivo, præsertim cum rem alicui propriam esse significant; unde dicunt: Villa, quæ est mihi, id est quæ est mea; liber, qui est illi, id est qui est illius: sic in titulis Psalmorum, pro *Psalmis Davidis* Septuaginta vertunt Τῷ Δαβίδ, id est *Davidi,* in dativo, quia Davidi inspirati et dictati sunt Psalmi a Deo, æque ac Canticum Salomoni. Hinc et arabice hic liber inscribitur: *Carmen carminum, sive laus laudum Salomoni sapienti,* hoc est, cujus unicus auctor est Salomon; Arabes enim dativo personæ utuntur, cum significant rem alicui esse propriam et peculiarem.

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

Argumentum et epithalamium Christi Ecclesiæ.

Salomon in *Proverbiis* fideles quoslibet docet legem Dei et communia virtutis dogmata. In *Ecclesiaste* eisdem mundi vitæque vanitatem demonstrat. In *Cantico* a vanitate avulsos, totos ad veritatem, Deique amorem traducere satagit. In *Proverbiis* ergo instruit incipientes, in *Ecclesiaste* proficientes, in *Cantico* perfectos. Unde S. Hieronymus in *Prologo galeato* (qui quasi galea Bibliis præfigitur, trium librorum Salomonis, puta Proverbiorum, Ecclesiastæ, et Cantici canticorum hoc dat argumentum: « Salomon pacificus et amabilis

Domino mores corrigit in *Proverbiis;* naturam docet in *Ecclesiaste;* Ecclesiam jungit et Christum in *Cantico,* sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium. » *Epithalamium* est carmen super thalamo, ait Cassiodorus, Beda et Haymo. Prior id scripsit Origenes, et post eum S. Gregorius Nyssenus et tres Patres anonymi apud Theodoretum. Quocirca Anselmus: « Salomon, ait, in *Proverbiis* est ethicus, quia tractat de moribus; in *Ecclesiaste* physicus, quia agit de natura; in *Cantico* theologus, quia divinis incumbit. » Vide dicta in *Proœmio* Proverbium et Ecclesiastæ; nimirum prudentissime Deus, ut ostenderet immensam suam in homines charitatem, quamque ardenti amore Christus homo factus Ecclesiam sibi copulaverit, voluit a Salomone 1013 (tot enim anni fluxere a primo anno regni Salomonis usque ad annum quo natus est Christus) annis ante cani hoc carmen Christi nuptiale. Igitur Salomon, quasi typus et parens Christi, ejus per incarnationem cum Ecclesia fidelium desponsationem hoc epithalamio, id est nuptiali Cantico, sive carmine describit, in quo proinde Christi prædicationem, passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritus Sancti, prædicationem apostolorum et gentium conversionem, Ecclesiæ fundationem, propagationem et perfectionem, ac præsertim reciprocos Christi et Ecclesiæ spirituales amores graphice depingit. Ita Patres et doctores græci et latini unanimi consensu, quin et veteres Hebræi, ac thalmudistæ ad litteram intellexere hoc Canticum de Messia, sive de Christo et Ecclesia, teste Isidoro Clario hic. Quare temerarium est hoc negare, atque alium sponsum aliamque sponsam hic fingere.

Prima sponsa Verbi est humanitas ab eo assumpta.

Ubi nota, Christus in incarnatione quasi duplex iniit connubium: *primum* physicum cum humanitate sua, quam physice et realiter sibi univit; *secundum* ethicum cum Ecclesia, totaque natura humana, quam sibi per humanitatem a se assumptam conjunxit; posterius sequitur ex primo. Quia enim Christus humanitatem suam sibi copulavit, et quasi despondit, hinc in ea et per eam totam pariter naturam humanam et Ecclesiam sibi despondit. Ideo enim humanitatem assumpsit, ut per eam omnes homines et fideles quasi membra sibi copularet et adstringeret, utque eorum esset caput et princeps; caput, inquam, homogeneum, ejusdem cum hominibus generis et naturæ. In priori conjugio sponsus est Christus, sponsa est humanitas a Christo assumpta, cui proinde primo et proprie adaptari possunt quasi omnia quæ in Cantico de sponsa dicuntur; in posteriori sponsus est Christus, sponsa est Ecclesia: posterius prioris est finis et terminus: finis enim incarnationis Verbi ex Dei dignatione fuit institutio et sanctificatio Ecclesiæ: quare in institutione Ecclesiæ includitur et præsupponitur Verbi incarnatio, velut in fine medium, et quasi in effectu causa. Quapropter sensu primo, quem de Christo et Ecclesia singulis versiculis assignabo, intelligendum lectori relinquo, eumdem Christo et humanitati ab eo assumptæ, mutato nomine, esse adaptandum, uti subinde suis locis, disertis verbis declarabo, præsertim cap. I, vers. 1. Porro prius conjugium longe nobilius est secundo; hinc et prior sponsa longe nobilior est posteriore. Humanitas enim Christi longe dignior, pulchrior et sanctior est tota Ecclesia, quia omni virtute, gratia et gloria longe excellit omnes homines et angelos etiam conjunctos et simul sumptos; quia ipsa hypostatice unita est Verbo, ac per se primo Deum attingit, ab eoque omnes dotes, virtutes et gratias haurit, quæ Verbum decent, et quas humanitatem Verbo hypostatice unitam habere par est et congruum. Quocirca quæcumque hic dicuntur tam primo sensu de sponsa Ecclesia, quam secundo de sponsa anima, ac tertio de sponsa Deipara, præ omnibus attribue humanitati Christi: ipsa enim uti est caput Ecclesiæ, ita est et caput omnium animarum sanctarum, ipsiusque Deiparæ; quamobrem ipsa prima est sponsa Verbi, quæ animas sanctas ac Deiparam sponsas efficit, Deoque despondet. Hac de causa humanitas Christi sponsa prima est, si cum Verbo quasi sponso comparetur; sin autem cum Ecclesia, anima sancta et Deipara conferatur, jam ipsa non tam sponsa est quam sponsus. Christus enim non tantum qua Deus, sed et qua homo Ecclesiam, animas et Deiparam sibi ut sponso despondet, ut docet Apostolus *Ephes.* IV, 30, et II *Corinth.* XI, 2: « Despondi, inquit, vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Ita docent Cassiodorus, Origenes, Theodoretus, Beda, Nyssenus, Philo Carpathius, Aponius, Rupertus, S. Bernardus, et alii passim in hoc libro, sed præsertim cap. VI, 8, ad illa: « Una est columba mea, perfecta mea, » etc.

Prima ergo Christi sponsa est ejus sacratissima humanitas, *secunda* est Ecclesia, *tertia* est Deipara, *quarta* est anima sancta. Causam dat hoc loco Theodoretus, dum ait: « Hoc est bonorum caput, divinæ benignitatis summa, ineffabilis bonitas, incredibilis misericordia, immensa clementia, inenarrabilis charitas, quod auctor ipse, et effector, et procreator, et Dominus, et Deus, et princeps, atque idem semper luteum hoc animal mortale et corruptibile, et ingratum, atque inutile, a morte et servitute diabolica eripuerit, atque ita libertatem largitus sit, ut non solum nos liberos constituerit, sed in filios adoptarit; neque solum tribuerit adoptionis munus, verum etiam sponsam et vocarit et fecerit, eodemque numero sponsam habuerit, atque innumerabilia dona sponsalia dederit, et cubile, et thalamum adornarit, et nudam induerit, et denique factus ipse sit sponsæ et amicus, et panis, et potus, et via, et ostium, et vita, et lux, et resurrectio. »

Item Christi

Porro, quia singuli fideles et maxime justi sunt membra Christi et Ecclesiæ, hinc de iis singulis

et animæ sanctæ.

Canticum accipi potest in sensu non tam mystico quam litterali, sed inadæquato et partiali. Unde de anima justi ad litteram Canticum explicat S. Justus Orgelitanus, Joannes a Jesu Maria carmelitanus et alii; imo Bellarminus censet hoc epithalamium non tam esse Christi et Ecclesiæ, quam Christi et animæ sanctæ, præsertim eminentis et perfectæ : hæc enim habet sodales quæ crebro hic inducuntur, cum Ecclesia non habeat sodales, sed subditas et filias.

Denique Christi et B. Virginis.

Rursum, hoc Canticum apte congruit Christo et Beatæ Virgini, tum quia ipsa inter justos eminet, sicut luna inter stellas; tum quia Verbi incarnatio, et per consequens desponsatio Ecclesiæ in ipsa et per ipsam perfecta est; tum quia caro Christi assumpta a Verbo fuit caro B. Virginis : quare, cum carnem sibi despondit Christus, quasi B. Virginem sibi despondit. Unde de B. Virgine totum hoc Canticum explicant Rupertus, Guilielmus, Rarvus, Honorius Augustodunensis, Hailgrinus, Cardinalis Alanus, Insulanus Placidus, Nigidius, et Joannes Picus Carthusianus.

Ecclesia est omnium sæculorum.

Jam vero per Ecclesiam cum Theodoreto, Aponio, Beda et aliis hic accipe cœtum fidelium credentium in Christum, tum ex Gentibus, tum ex Hebræis congregatorum, quæ cœpit ab Abel et Adam, propagata est per Abraham, formata per Moysen, ac perfecta est per Christum. Omnes enim veteres patriarchæ et sancti, qui in lege tam naturæ quam Mosaica Deo sancte servierunt, crediderunt in Christum venturum, ac per hanc fidem justificati et salvati sunt : quare pertinent ad Ecclesiam Christi, ut alibi ostendi ex S. Augustino. Hinc patet perperam nonnullos Canticum hoc arctare ad christianos natos post Christum; alios ad Judæos natos ante Christum, uti Chaldæus, R. Salomon et Aben-Ezra illud arctant ad Synagogam, quasi hic describatur desponsatio Synagogæ cum Christo, quæ facta est per Moysen; sed eis venia danda, quia, cum sint Judæi, judaizant.

Igitur hoc Cantico recensentur amores, gratiæ et beneficia a Deo per Christum in Ecclesia collata, a primo justo Abel non tantum usque ad Christi resurrectionem, ut volunt Cassiodorus, Angelomus, Beda, Hailgrinus, Alcuinus et D. Thomas, sed usque ad finem mundi, quando Ecclesia triumphans Christo in cœlesti gloria copulabitur, beabitur et regnabit in omnem æternitatem. Ita Theodoretus, Aponius et alii.

Totus ergo hic liber spirat amores divinos, adeo ut amor ipse hic loqui videatur, nimirum in Salomone Deus, et Spiritus Sanctus, qui vera est charitas, loquitur. Unde S. Augustinus in *Speculo* asserit, Canticum non esse aliud quam carmen amoris et jubilum charitatis : « Sed de illo (*Cantico*), inquit, in hoc opus quia transferre possumus, cum totus amores sanctos Christi et Ecclesiæ figurata locutione commendet, et prophetica pronuntiet altitudine : nisi quod in eo, quamvis sit ad intelligendum difficillimus; possumus tamen facile advertere quantum sit divina illa et divinitus infinita charitas appetenda, quantique pendenda, quandoquidem ibi non semel dicitur, sed alio atque alio loco, iterum ac tertio repetitur : Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, in virtutibus et viribus agri, si levaveritis charitatem quoadusque velit. Ecclesia quippe, in qua utique sumus, his verbis exhortatur filias suas, hoc est, seipsam in plurimis constitutam. Ipsa est ager Dei fructuosissimus, cujus virtutes et vires magnæ sunt, ad quas amando Christum martyres pervenerunt. » Quocirca Hebræi nulli Canticum hoc legere permittebant ante annum ætatis trigesimum, quæ erat ætas sacerdotalis, teste Origene hic, et S Hieronymo, *Præfat. in Ezech.* Sobrium et temperantem ejus lectorem requirit Origenes, *hom.* 1 e duabus, cujus jam passiones deferbuere, avulsaque cogitatio et amor a terrenis desideriis, cœlestium cupidini adhærescit. Nyssenus, *hom.* 1, eos qui lumbos impatibilitate quadam succinxerint, et veterem concupiscentiæ hominem exuti, novum innocentiæ induerint. Bestiales enim (ait Richardus Victorinus in *Præfat.*) nobis affectus exuendi sunt, ne ad sacrum hunc montem accedentes bestiæ, lapidum grandine obruantur, aut cœlesti incendio absumantur. Maxime vero liber hic scriptorem, æque ac lectorem requirit charitate fervente, et amore Dei incensum. Quis enim frigidus, vel tepidus, hæc amorum incendia sentiat, vel capiat? Vere Origenes, *hom.* 1 : « Beatus, inquit, is qui ingreditur Sancta. Beatior, qui ingreditur Sancta sanctorum, etc. Beatus, qui intelligit cantica, et canit ea, sed multo beatior ille qui canit Canticum canticorum. » Addit Gerson, *Præfatione in Canticum* : « Amor, inquit, expositus in Canticis fruitio Dei, vel osculatio oris nominatur aptissime, non solum habitualis et tepida, sed actualis, fervens et exstatica, et præcipue seraphica, cujus est immediate ferri in Deum, quamvis ex parte animæ concurrat multitudo habituum et influentiarum. Omne præterea datum optimum, et donum perfectum descendens a Patre luminum, etc. Quæ omnia tanquam virtus univoca (tradente Dionysio) replent et restituunt animam, eamque convertunt ad congregantis Patris unitatem, et Deificam simplicitatem, ubi tunc apex, vel seraph mentis ineffabili et ignoto Deo ineffabiliter et ignote conjungitur, ignote quidem, quia indefinite et immense, cum virtus cognoscentis et actus, prout et natura, sint finiti.» Hinc Plato, qui a Moyse et Salomone multa hausit, ideoque ab Eusebio et aliis vocatur « Moyses atticus, » adde et « Salomon atticus, » Cantica hæc videtur imitatus in convivio, quod totum est de amore, ubi sic orditur : » Magnus Deus est amor, et apud deos et homines mirabilis; » additque ex Hesiodo : « Post Chaos hæc duo

Amor Seraphicus Canticor.

exstitisse, tellurem et amorem, » citatque illud Parmenidis :

Ante deos omnes primum concepit amorem.

CAPUT TERTIUM.

MODUS ET STYLUS.

Origenes, S. Gregorius Nazianzenus et cæteri Canticum hoc asserunt esse drama sponsale, sive nuptiale carmen. Unde S. Basilius in illud *Isaiæ* v : *Cantabo dilecto meo Canticum dilecti mei,* ait : « Canticum canticorum nuptiale est carmen dramatico opere pertextum. » Drama est rei repræsentatio, actus comœdiarum, sive tragœdiarum fabula. Totus enim liber continua est metaphora, sive allegoria conscripta stylo comico et bucolico, quem post Salomonem secutus est Theocritus in *Idyllîis*, et Virgilius in *Bucolicis*. Inducitur enim hic velut in dramate sponsa, ut virgo pascens oves, quæ pastori suæ sortis desponsata, eum casto amore amat, cum eoque per modum dialogi colloquitur, uti fieri solet in comœdia et tragœdia. Pastoris autem persona hic præ aliis assumitur, tum quia pastorum opus et vita est antiquissima, simplicissima et innocentissima. Unde Abel, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses fuere pastores ovium, æque ac Rachel, cæteræque uxores eorum, imo olim reges et principes erant pastores et agricolæ, uti fuit Job, Romulus, Remus, Camillus, priscique Romani; tum quia pastores repræsentant Christum, qui rure, puta in præsepio bethlehemitico inter pastores natus, primo pastores gregum per angelum ad se evocavit. Denique Christus est pastor pastorum. Unde ipse de se ait : « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam ponit pro ovibus suis, » *Joan.* x. Quocirca ipse impense amat pastores bonos, qui subditos pascunt oratione, verbo et exemplo; hi enim non sibi soli, sed et aliis plurimis prosunt, ac proxime imitantur vitam Christi, atque alios docendo et charitate accendendo, eam in seipsis magis accendunt, sicut ignis ignem accendens, se ipsum magis accendit. Unde Christus ad Petrum : « Petre, inquit, amas me? etc., pasce oves meas, » *Joan.* xxi. Totus ergo hic liber est propheticus, adeoque non est aliud quam continua prophetia de Christo et Ecclesia, ideoque obscura, ænigmatica et symbolica.

Cantîcum est prophetia de Christo.

Hinc sequitur, sicut in parabolis, metaphoris et allegoriis, sic et in hoc Cantico duplicem quasi esse sensum litteralem : unum *grammaticalem,* quem præ se fert ipse cortex, ipsaque superficies litteræ, puta verba; alterum *realem* et *profundum*, qui est de rebus per verba metaphorica significatis, ut cum ait S. Joannes, *Apoc.* v : « Vicit leo de tribu Juda. » Leo grammatice significat animal robustum et invictum quod dicitur leo; realiter vero significat Christum, cujus fortitudinem repræsentat leo. Hi duo sensus se habent, et se mutuo respiciunt, sibique subordinantur, uti verborum sonus et sensus, uti cortex et nucleus, uti umbra et corpus, uti superficies et medulla, uti corpus et anima, uti vestis et homo; unde a nonnullis hisce nominibus vocantur. Vide Canonem quintum, quem præfixi Isaiæ. Sic in Cantico hoc, sponsa grammatice describitur ut virgo pastoritia, sponsus ut pastor; sed realiter per illos intelligitur Ecclesia et Christus : Ecclesia sunt fideles, qui Christo velut sponso per fidem et dilectionem copulantur, sponsi sodales sunt apostoli, virique perfecti, præsertim quia animas Christo lucrantur et despondent, qualis erat S. Paulus dicens : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » II *Cor.* xi. Sociæ sponsæ sunt animæ in fide, virtute et amore imperfectæ, adeo ut necdum sponsæ Christi appellari queant, sed sociæ sponsæ duntaxat, quasi præparantes se et viam virtutis inchoantes, ut ad nuptias Christi sensim provehantur. Sic Abulensis docte conscripsit Paradoxorum emblemata, sive ænigmata quinque, scilicet : *primum,* « Vas mirabile; » *secundum*, « Leo mansuetus; » *tertium*, « Agnus inseparabilis; » *quartum,* « Serpens innoxius; » *quintum,* « Aquila cœlestis, » quorum primum de B. Virgine, cætera quatuor de Christo fuse et erudite explicat.

Sodales sponsi apostoli.

Sociæ sponsæ animæ imperfectæ.

Porro Salomon in hoc Cantico imitatur Davidem qui, *Psal.* xliv et xlvii, simile drama et epithalamium sponsi et sponsæ, id est Christi et Ecclesiæ conscripsit; uterque ergo fuit sacer vates et poeta. Olim enim *poeta* vocabatur, qui carmina non quælibet, sed comica, tragica, dramatica fingebat et componebat; a ποιέω enim, id est *facio, fingo,* dicitur ποιητής, id est *factor, fictor,* effictor; unde illud Horatii, *De Art.* II :

Pictoribus atque poetis,
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas, etc.
Ut pictura poesis erit, quæ, si propius stes,
Te capiet magis, et quædam, si longius abstes.

Et Cicero, *De optimo genere orat.* : « Tragicum, comicum, epicum, melicum, et dithyrambicum poema. » Idem, lib. III *De Orat.* : « Claris coloribus picta poetis. » Et *Tuscul.* IV : « Anacreontis quidem poesis tota est amatoria. »

CAPUT QUARTUM.

PARTITIO ET PARTES.

Duplex sensus Cantici litteralis

Beda Canticum partitur in quadraginta sectiones, sive capita; D. Thomas dividit in tres status Synagogæ, puta Israelis sive Judæorum, primo credentis Christo in apostolis et primis christianis, qui fuere judæi, a cap. I usque ad cap. III, 70; inde autem incipere agi de Judæis excæcatis et persequentibus christianos, usque ad cap. VI, vers. 10; inde usque ad finem libri agi de Judæis credituris Christo in fine mundi. Titelman-

nus alternis capitibus alterne censet loqui sponsum ad sponsam.

Noster Delrio in tres partes dividit, ut *prima* agatur de fidelibus incipientibus, *secunda* de proficientibus, *tertia* de perfectis. Alii censent hic describi fideles vitæ activæ, contemplativæ et mixtæ, ac denique cœlestis.

Georgius Ederus in sua *Biblior. Œconomia*, Canticum hoc in decem dramata dividit, quæ omnia non Ecclesiæ, sed Synagogæ Mosis et Judæorum attribuit.

Gaspar Sanchez opinatur perturbatum fuisse ordinem; caput enim quintum præponendum esse primo, eo quod sponsa non nisi a sponso evocata sponso dicere queat: « Osculetur me osculo oris sui, » evocari autem eam cap. v. Igitur Cantico hoc censet priscos nuptiarum ritus depingi, ac proinde illud velut drama nuptiale in quinque scenas partitur. *Prima* scena, sponsus, cap. v, sponsam invitat, ambit et evocat. *Secunda*, sponsa evocata sollicite quærit sponsum, cap. vi et cap. i, dicens: « Osculetur me osculo oris sui. » *Tertia*, nuptiæ celebrantur, cap. ii, sub geniali thalamo de quo ait: « Sub umbra illius. » *Quarta*, sponsa, cap. iii, in ferculo, id est mobili et geniali lecto componit, movetque pompam currumque nuptialem in sponsi domum. *Quinta* scena, quæ est cap. viii, sponsam sistit ad sponsi fores, ibique sancto amoris complexu matrimonium solemni ritu contrahitur. Verum in hac distributione magna est capitum trajectio ordinisque perturbatio et confusio.

Planius et germanius cum aliis Canticum dividas in quinque partes, quæ sunt: *prima*, nuptiæ Christi cum humanitate per incarnationem, indeque cum Ecclesia hominum fidelium per fidem et charitatem, puta infantia Ecclesiæ: hanc pertractat ab initio cap. i usque ad vers. 8 cap. ii: « Ecce iste venit saliens in montibus; » *secunda*, Ecclesiæ propagatio et incrementa: hanc pertractat a vers. 8 cap. ii, usque ad cap. vi, vers. 6: « Quæ est ista, quæ ascendit; » *tertia*, Ecclesiæ plenitudo, ejusque quasi in culmine positæ summa exaltatio et perfectio: hanc describit a cap. iii, vers. 6, usque ad cap. iv, vers. 2: « Ego dormio, et cor meum vigilat; » *quarta*, Ecclesiæ veterascentis in senium inclinatio: hanc repræsentat cap. v; vers. 2, usque ad cap. vi, vers. 3: « Pulchra es, amica mea; » *quinta*, Ecclesiæ renovatio, et ad summam perfectionem restitutio, ejusque in cœlis glorificatio: hanc oculis subjicit a cap. vi, vers. 3, usque ad finem libri.

Infantia Ecclesiæ fuit ab ortu et prædicatione Christi usque ad Pentecosten; adolescentia a Pentecoste usque ad Constantinum imperatorem; virilis ætas tempore Constantini; senium postea cœpit, grassantibus arianis, nestorianis, eutychianis, pelagianis. Renovatio fieri cœpta est a Basilio, Chrysostomo, Cyrillo, Augustino, Ambrosio, Hieronymo. Continuatur ab eorum successoribus continue usque ad finem mundi, qui Ecclesiæ fidem et sanctitatem contra hæreticos, Judæos, Turcas, schismaticos, tyrannos et quoslibet persecutores sartum tectum tuentur, eamque propugnabunt usque ad finem mundi quando in die judicii fiet plena Ecclesiæ renovatio, consummatio et glorificatio.

Has quinque Ecclesiæ ætates et status dramatice per quinque dramata, sive actus, quasi in scena repræsentat hic Canticorum liber. Cantico repræsentatur,

In *primo* dramate inducitur Salomon in Libano monte vicino, eoque amœnissimo et fertilissimo obambulans, vel venationi indulgens, incidisse in puellam nobilem, sed more ætatis illius pastoritiam, quam ob formam insignem tum corporis, tum animi, ut sponsam sibi despondit; unde nova nupta ad tanti regis nuptias et thalamum aspirans: « Osculetur, inquit, me osculo oris sui; oleum effusum nomen tuum; » mox queritur se sole fuscatam, quod a fratribus coacta sit custodem agere in vineis; solatur, animatque eam sponsus Salomon, pollicens ei equitatum Pharaonis, inde ei quasi novæ sponsæ promittit murenulas et monilia; hinc illa ait sponsum sibi esse quasi fasciculum myrrhæ et botrum cypri, narratque se ab eo introductam in cellam vinariam, ubi amoris vino, quasi ebria indormiens, et quasi deliquium passa petit fulciri floribus et stipari malis, ac sponsus eam excitari prohibet, quæ omnia sunt sponsæ teneræ et novellæ, ac infantiam Ecclesiæ repræsentant. Ecclesia enim nascens, nascente Christo, petit ejus osculum, id est unionem et amplexum per Verbi incarnationem, in qua ipse fuit quasi oleum salutiferum, in circumcisione et passione effusum, ideoque Jesus, id est Salvator, est appellatus; mox ipsa persecutionem passa a Judæis fratribus suis equitatu, id est apostolorum armis et præsidio a Christo fuit obarmata, ab eoque murenulas legum et consiliorum Evangelicorum, ac fasciculum myrrhæ, id est Christi passionem, et botrum cypri, id est ejusdem resurrectionem, et cellam vinariam, id est institutionem Eucharistiæ in ultima ejus cœna accepit, cujus gustu quasi deliquium passa, floribus sacræ Scripturæ et malis bonorum exemplorum stipari se optat, in iisque suaviter indormiens a Christo excitari vetatur. Factum id, cum discipuli ab Ascensione Christi usque ad Pentecosten, in cœnaculo reclusi toti vacabant orationi, Eucharistiæ, et jucundæ contemplationi, nec Judæi a Christo permissi sunt hanc eorum quietem interturbare. primo, infantia sponsæ. Repræsentat infantiam Ecclesiæ sub Christo.

Secundum drama, quod incipit cap. ii, vers. 6, sponsa a sponso, ineunte vere, evocatur in agros et vineas, ut ficuum grossis, et vineis florentibus uterque pascatur; mox jubet capi vulpeculas, quæ vineas demoliuntur; subducit se sponsus, sponsa eum anxie requirit in lectulo, et mox a vigilibus, sed frustra; quare, iis relictis, circumiens vicos et plateas tandem ipsum invenit, nec di- Secundo, adolescentia sponsæ.

mittit, donec introducat eum in domum matris suæ.

Repræsentat adolescentiam Ecclesiæ quæ cœpit in Pentecoste.

Hæc omnia repræsentant adolescentiam Ecclesiæ, quæ cœpit in Pentecoste, quando apostoli, recepto Spiritu Sancto, cœperunt prædicare Evangelium, primo Judæis, deinde gentibus, ac ubique fundare Ecclesias; unde tunc facit, quasi ver Evangelii. Vulpes fuere primi hæresiarchæ, scilicet Simon Magus, Ebion, Menander, Basilides, Carpocras, etc., qui Ecclesiam vastaverunt, quibus restitere S. Joannes cæterique apostoli. Ecclesia quæsivit Christum in lectulo, id est in Judæa, ubi quiete vacabat Deo, et a vigilibus, id est a sacerdotibus et scribis, prædicando Judæis Evangelium, et Messiam in eis natum ab eis requirendo; sed frustra : pauci enim Judæorum in Christum crediderunt; quare, iis relictis, abiit ad gentes totius orbis, ibique, in eorum fide et obedientia Christum invenit, atque Ecclesiam ubique stabilivit, donec ad eam Christum, id est omnes gentes christianas induceret.

Tertio, virilis ætas sponsæ.

Tertium drama incipit cap. III, vers. 6, ubi dicitur sponsa ascendere per desertum, sicut virgula fumi ex omnibus aromatibus suavem odorem exhalantis; rursum sponsi lectulum ambire sexaginta fortissimos ex Israel. Ferculum item, sive gestamen aureum ejusdem describitur, ac diadema, quo coronatur. Denique sponsæ forma celebratur ab oculis columbinis, capillis hædinis, dentibus ovinis, labiis coccineis, collo turrito, uberibus capreæ, etc., per quæ incolas montium Libani, Amana, Sânir et Hermon allicit, evocatque in Sion, quasi in hortum conclusum, et paradisum nardo, cypro, croco, omnique fructu aromatico abundantem.

Repræsentat virilem Ecclesiæ ætatem, qualis fuit sub Constantino.

Hæc omnia adumbrant virilem ætatem Ecclesiæ, quando ex fide omniumgentium velut virgula fumi crevit et ascendit altissime. Lectulus sponsi, id est Christi, est Ecclesia Romana, in qua quasi in lectulo firme et jucunde conquiescit. Ferculum est magnificentia Ecclesiæ Romanæ, magnificentiam Christi et quintuplex ejus diadema repræsentans. Oculi columbini notant Prælatos Ecclesiæ vigiles et sollicitos, capilli Nazaræos, sive religiosos, dentes Doctores, labia Prædicatores, collum Pontifices Romanos, ubera sacerdotes et diaconos. Hi populos Gentium evocant de Libano, Amana, Sanir et Hermon, qui erant montes Gentilium, hoc est, evocant eos a gentilismo, ut veniant in Sion, puta ad Ecclesiam Christi, ubi omnium aromatum, id est virtutum spiritualium genera germinant, et suavissimum sanctitatis odorem exhalant. Id factum est sub Constantino imperatore.

Quarto, senium sponsæ.

Quartum drama incipit cap. V, vers. 2, ubi sponsa dormiens, sponso nocturno rore madido ostium pulsante, cum ei tardaret aperire, luit hanc tarditatem; nam eum abeuntem deinde requirens, a custodibus urbis vulneratur et pallio spoliatur. Mox ejus sociæ sponsum quæsituræ petunt ab ea, quis et qualis sit sponsus? quibus illa respondet esse candidum et rubicundum, capite aureo, comis nigris, genis aromaticis, labiis liliatis, manibus hyacinthinis, ventre eburneo, cruribus marmoreis.

Repræsentat senium Ecclesiæ post Constantinum.

Hæc omnia notant declinationem et senium Ecclesiæ, cum videlicet per pacem ipsi datam a Constantino, nonnulli ejus præsules et fideles dederunt se otio, gulæ, desidiæ; qua occasione ariani, aliique hæretici, suis hæresibus et blasphemiis in Oriente impetiere Christi deitatem, vel humanitatem. Quare Christus fidem suam ex Oriente transtulit in Occidentem. Unde Ecclesia orientalis Christum Christique veram fidem requirens a custodibus, id est a principibus et prælatis hæreticis, quales fuere Valens, Hunericus, Dioscorus, Nestorius, læsa et lacerata fuit, ac pallio integræ fidei spoliata; quare ejus sociæ, i. e. sanctorum angelorum et hominum animæ, ut Christum quærant, et ab Occidente in Orientem reducant, quærunt a sponsa, scilicet ab Ecclesia orientali, qualis sit Christus : quibus illa respondet eum esse candidum per innocentiam, rubicundum per passionem et patientiam; caput ejus esse aureum per divinitatem, capillos, id est consilia ejus esse nigra, id est fortia, virilia et charitate quasi tosta; genas binas habere aromaticas, id est per misericordiam et justitiam spirare omnem sanctitatem; labia liliata, hoc est eloquia castissima; manus hyacinthinas, id est operationes cœlestes, et tornatiles, versatilesque ad omne bonum; ventrem eburneum, id est passiones et affectiones purissimas et fortissimas; crura marmorea, id est in itinere validissima, quibus per se et Apostolos totum orbem evangelizando obiens illum sibi subjiciat.

Quinto, renovatio sponsæ.

Quintum drama incipit cap. VI, vers. 3, ubi sponsa pulchra, fortis et perfecta describitur, ac quasi castrorum acies ordinata. Mox sponsus descendit in hortum nucum : sponsa conturbatur propter quadrigas Aminadab; sed sponsus occurrit, aitque : « Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? » ac rursum ejusdem femora, ubera, collum, oculos, caput, staturam, guttur, etc., depingit et dilaudat. Denique cap. VIII, sponsa optat sponsum deducere in domum matris suæ, eique intime semperque conjungi. Cui sponsus : « Pone me, ait, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Mox sponsa, sorori suæ parvulæ prospicere satagens, a sodalibus consilium accipit : « Si murus est, inquiunt, ædificemus super eum propugnacula argentea : si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. » Quibus soror ita respondet : «Ego murus : et ubera mea : sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. » Utriusque deinde sororis vineam, ejusque fructum et pretium describit. Tandem sponsus ultimam sponsæ vocem, votumque postulans audit ab ea : « Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. »

Repræsentat renovationem Ecclesiæ factam ab ejus doctoribus.

Hæc omnia repræsentant renovationem Ecclesiæ factam sæculo Patrum, quo scilicet floruere doctores Græci, S. Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus; et Latini, S. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, eorumque successores, qui ita Ecclesiam ornant et roborant, ut ipsa instar castrorum omnibus hostibus invicta resistat. Quare Christus descendit in hortum nucum, id est in Ecclesiam ex duobus populis, scilicet Gentibus et Judæis coalitam; hæc turbatur propter quadrigas Aminadab, id est ob conversionem gentilium, vel ob schismata Saracenorum, antipaparum, ac impiorum imperatorum et principum. Sed Christus occurrit, iisque opponit choros castrorum, id est pontifices, reges et imperatores orthodoxos et bellicosos; item Concilia œcumenica et nationalia; ad hæc academias, quas quasi fidei et pietatis nutrices et propugnatrices in singulis provinciis instituit; insuper ordines religiosos S. Benedicti, Romualdi, Bernardi, Dominici, Ignatii, quasi castra veræ religionis validissima.

Denique sponsa Ecclesia sub finem mundi, completo jam electorum numero, cap. VIII, optat cum sponso Christo ire in domum genitricis suæ, id est cœlestis Jerusalem, ut eo fruatur in æternum; cui sponsus Christus : « Pone, inquit, me ut signaculum super cor tuum, » id est mei memoria et amore cor tuum obsignes; instat enim tibi ultima et acerrima Antichristi persecutio, quam non nisi per meam gratiam et charitatem superare poteris, quia aquæ multæ tribulationum non exstinguent charitatem, nec flumina persecutionum obruent illam. Mox Ecclesia gentium sorori suæ parvulæ, id est Synagogæ Judæorum in fine mundi per Eliam et Christum convertendæ, metuens ab Antichristo et antichristianis, ne Christo in die judicii displiceat, consilium petit a sodalibus sponsi, id est a discipulis et asseclis Eliæ qui hoc illi suggerunt : « Si murus est, » *q. d.* Pars Synagogæ, id est plebis Judæorum, instar muri firmo et constanti est animo : quocirca illam instruamus eloquiis S. Scripturæ, quasi propugnaculis argenteis; pars altera instar ostii est animo exili et versatili : ergo illam compingamus et roboremus sanctis fidelium exemplis, quasi tabulis cedrinis. Occurrit soror ipsa, scilicet Synagoga, aitque se satis in fide esse validam : ita enim ab Elia esse corroboratam, ut Antichristo ejusque asseclis fortiter sit restitura. Quocirca utraque hæc Christi vinea, scilicet tam Synagogæ Judæorum, quam Ecclesiæ gentium, in fine mundi amplissimum dabit fidelium et virtutum omnium fructum, qui mille argenteis, id est maximo pretio æstimetur. Tandem Christus extremam Ecclesiæ in fine mundi vocem postulans, ab ea hanc accipit : « Fuge, dilecte mi, » a terra hac fœtida, « in montes aromatum, » id est in cœlum, eoque me tecum abripe, ut ibi te per gloriam fruar in æternum.

Harmonia

Porro Cosmas Hortolanus, ut Vetus Testamentum Novo, hoc Canticum Apocalypsi harmonice adaptet, censet Cantico describi septem status Ecclesiæ, quos per septem sigilla S. Joannes in *Apocalysi*, cap. VI et seq., symbolice repræsentat.

Cantici cum Apocalypsi.

Primo ergo Apocalypsis sigillo *equi albi* et equitis coronam, arcumque gestantis, repræsentatur Christi incarnatio, prædicatio, gentiumque per apostolos subjectio; idem repræsentat Canticum, dicens, cap. I, 8 : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea. »

Secundo Apocalysis sigillo, per *equum rufum* repræsentatur status martyrum Ecclesiæ, qui mox post Christum et apostolos cœpit a Nerone, ac duravit usque ad Constantinum Magnum; eumdem notat Canticum, cap. I, 12, dicens : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; » et magis ordinate cap. II, 12 et 13 dicens : « Tempus putationis advenit, etc., vineæ florentes dederunt odorem suum. »

Tertio Apocalypsis sigillo, per *equum nigrum* repræsentatur secunda Ecclesiæ persecutio per Arium et hæreticos. Eadem in Cantico repræsentatur per vulpes, cap. II, 15 : « Capite, inquit, nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas; » et magis ordinate cap. IV, 4 : « Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. »

Quarto sigillo Apocalysis, per *equum pallidum* repræsentantur hypocritæ, vel potius mahometani et Saraceni, qui validissime Ecclesiam oppugnarunt et etiamnum oppugnant. Unde contra eos dicitur, *Cant.* III, 7 : « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel : omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi : uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos; » et magis ordinate cap. VI, 9 : « Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? » et vers. 11 : « Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab, » etc.

Quinto Apocalypsis sigillo aperto prodeunt *animæ interfectorum propter verbum Dei*, petentes vindictam, audiuntque, ut modicum quiescant. Quietem hanc martyrum Ecclesiæ repræsentat Canticum, cap. V, 1, ubi sponsa sponsum in hortum invitat ad colligenda lilia. Et magis ordinate cap. VIII, 2 : « Dabo tibi, inquit, poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. »

Sexto Apocalysis sigillo repræsentatur Antichristi gravissima persecutio. Eamdem repræsentat Canticum, cap. V, 4, dicens : « Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus; » et magis ordinate cap. VIII, 6 : « Fortis, ait, est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, etc. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. »

Septimo Apocalypsis sigillo repræsentatur Christi

adventus ad Judicium, post quem sequetur Ecclesiæ felicitas et gloria æterna. Idem hic repræsentat Canticum, cap. VI, 12, dicens : « Revertere, revertere, Sulamitis : revertere, revertere ut intueamur te; » et quæ sequuntur usque ad finem libri, et præsertim ultima verba : « Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. »

Analogia Canticorum cum Apocalypsi.

Igitur magna est analogia et similitudo canticorum cum Apocalypsi : *primo*, in materia, quia utraque describitur ortus, progressus, perfectio, inclinatio, renovatio et glorificatio Ecclesiæ; *secundo*, in phrasi et stylo, qui utrobique est symbolicus, atque per ænigmata et symbola Ecclesiæ sacramenta obtegit et obvelat; *tertio*, in modo : sicut enim *Apocal.* cap. VII, a primis quinque sigillis ortum et progressum Ecclesiæ strictim significantibus subito, vers. 12, sigillo sexto salit ad tempora novissima, illaque fuse prosequitur usque ad cap. XV, puta tempora Eliæ et Antichristi: sic prorsus idem facit Salomon in Canticis, uti ostendam cap. VII, 1. *Quarto*, in fine, sicut enim Apocalypsis clauditur descriptione cœlestis Jerusalem, quasi sponsæ Christi felicissimæ : sic et Cantica. Unde noster Alcazar in allusionibus ad Apocalypsim toto lib. III Cantica explicat, ut ostendat eorum cum Apocalypsi affinitatem et similitudinem.

COMMENTARIA

IN

CANTICUM CANTICORUM.

CANONES QUI FACEM PRÆFERUNT CANTICIS.

CANON PRIMUS.

Varia nomina varie Deo tribuit Scriptura.

In aliis libris Veteris Testamenti Deus vocatur *Iehova, Adonai, Elohim, El,* cæterisque decem nominibus, quæ recenset et explicat S. Hieronymus, Epistola 136 *ad Marcellam,* quia in iis Deus agit cum Synagoga quasi cum ancilla, ideoque se Deum, Dominum, Gubernatorem, Fortem, Vindicem, Omnipotentem, Terribilem nominat : in Cantico vero hoc nullum tale nomen Dei est reperire quod terrorem incutiat, quia in eo agit cum Ecclesia, quasi cum sponsa dilectissima; unde se nonnisi Sponsum, Patrem, Amicum, Amantem et Amatum, sive Dilectum nuncupat; quia hæc nomina amorem sponsæ excitant, fovent, acuunt et augent. Ita Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei,* cap. v.

SECUNDUS.

Crebra est hic enallage personarum, qualis solet esse in dramatibus; modo enim loquitur in secunda, modo (idque mox) in tertia persona, etsi una eademque sit.

TERTIUS.

Cum Salomon, hujus carminis scriptor, divini erga homines amoris reseravit arcana, enisus est ex naturali amore universis animis longe notissimo, illius divini vires exprimere, ut inde discamus ex nostri amoris affectibus, in illius quasi augustissima adyta penetrare.

QUARTUS.

Canticum, hoc est carmen, ideoque metro astrictum, quod proinde nonnulli elegiacum esse censent ex hexametris et pentametris versibus conflatum. Verum prisca Hebræorum poesis periit; unde ratio et metrum prisci eorum carminis ignoratur.

QUINTUS.

Sicut in metaphoris et parabolis duplex est sensus : *litteralis,* puta grammaticalis, qui est corticis litteræ; et *metaphoricus* sive parabolicus, qui est rei per metaphoram vel parabolam significatæ, qui verus et genuinus est parabolæ sensus, ideoque litteralis, etsi ab Honorio Augustodunensi, et nonnullis aliis vocetur *allegoricus,* id est metaphoricus et parabolicus.

SEXTUS.

Palæstinorum ritus et mores a cæterarum gentium ritibus et moribus valde differentes effecerunt. ut nonnullæ ex his similitudinibus arcanis ex medio vulgo rureve petitæ, non adeo concinnæ videantur exteris : cum tamen mira sit in illis ad res exprimendas efficacitas, et cum rerum proprietate congruitas.

SEPTIMUS.

In Cantico hoc, æque ac in aliis parabolis, adduntur subinde emblemata ad elegantiam parabolæ, quæ proinde non est necesse, imo subinde est impossibile applicare rei per parabolam significatæ, ut cum Christus, *Matth.* xxv, in parabola *talentorum* ait herum plura vel pauciora talenta cuique famulorum dedisse secundum propriam virtutem : id enim herus facere solet. At Deus, ibi per herum significatus, id non facit: nam gratiam non distribuit secundum dignitatem et merita naturæ, ut volebat Pelagius, sed mere gratis.

OCTAVUS.

Drama, quid? Canticum hoc est drama, in quo multa non verbis et voce, sed actorum gestu et actione repræsentantur, ut cum duellum, pugnam, convivium repræsentant non loquendo, sed duellando, pugnando, convivando in theatro. Quare *actio* hic collocutioni personarum, quæ alioqui obscura et inconcinna videtur, inserenda est, ut eam expleat et explicet. Imo drama sæpe est actio silens in qua mutæ personæ agunt, nec verbis, sed gestibus rem repræsentant. Rursum dramaticum

opus vel poema est, in quo solæ personæ agunt absque poetæ interlocutione. Quocirca in Cantico non exprimitur, nec distinguitur, ubi sit vox sponsæ, ubi vox sponsi, ubi vox adolescentularum; sed omnes indiscriminatim commiscentur: atque hæc res magnam parit obscuritatem, quæ interpreti ex ipsa verborum sententia, et ex antecedentibus et consequentibus solerter elucidanda est, ut cuique suam vocem et loquendi vicem assignet.

NONUS.

Sponsus et sponsa affectibus amoris indulgent: unde non tam concinne et ordinate, quam affectuose loqui satagunt; feruntur enim incendii sui flammis, quocumque eos rapit amor.

DECIMUS.

Totalis et adæquatus sensus litteralis hic est de connubio, sive conjunctione Christi et Ecclesiæ per fidem et amorem; *partialis* litteralis est de conjunctione Christi cum anima sancta, præsertim quæ studet perfectioni: hæc est enim pars et membrum Ecclesiæ; *partialis principalis* est de Christo et B. Virgine: hæc enim est præcipua pars, primumque membrum Ecclesiæ.

UNDECIMUS.

Canticum scriptum est instar dialogi, in quo interlocutores sunt, sponsus Christus, sponsa Ecclesia, sponsi sodales (puta apostoli et animæ perfectæ), adolescentulæ comites sponsæ, id est animæ in virtute necdum adultæ, sed teneræ, adolescentes tamen et crescentes in virtute.

Crebro in Canticis vinearum fit mentio, quia in iis sponsus ut vinitor, pastor et ruricola inducitur. Noster Sanchez probabiliter per vineam et vites in Canticis accipit frutices quæ fundunt balsamum, quales ipse censet esse cypros, aliasque arbores aromatiferas: *primo*, quia hæ florentes suavem exspirant odorem, non vites, nisi paucæ; *secundo*, quia S. Hieronymus, in epitaphio S. Paulæ, ait: « Contemplata est balsami vineas in Engaddi; » et in cap. XXVII *Ezech.*: « Balsamum, inquit, quod nascitur in vineis Engaddi; » *tertio*, quia Septuaginta cum vineas dicunt florere, tuntur verbo κυπρίζω, quod a *cypro* deducitur; *quarto*, quia hebræum כרם *kerem*, id est *vinea*, quemlibet agrum vel hortum significat: unde *Judic.* XV, vocatur *kerem zait*, id est *vinea olivæ* Et *Cant.* V, pro *messui* Septuaginta vertunt, *vindemiavi myrrham meam.* Hinc et Pœni, indeque Hispani in regno Granatensi *carmen* (quod derivatur ab hebræo *kerem*, i. e. vinea, vocant hortum, quibuslibet arboribus consitum. Hinc et cap. VII, 11, pro *commoremur in villis*, hebraice est בכפרים *baccopherim*, id est *in cypris*, quæ abundabant in Jericho et Engaddi; *quinto*, quia cyprus fundens balsamum similis est viti. Audi Plinium, lib. XII, cap. XXV: « Hæc viti similior est quam myrto, malleolis seri dicitur nuper vincta ut vitis, implet colles vinearum modo. » Vineæ ergo sponsi non tam vitis et vini, quam cypri et balsami erant feraces. Hæc sententia vera est, sed partialiter. Vinea enim hæc et cypros et vites et arbores præsertim aromatiferas continebat: sic Romæ videmus in vineis esse hortos, viridaria, pomaria, agros et segetes. Imo in Lombardia idem ager fert segetes, fructus et uvas, adeoque idem campus est ager, pomarium et vinea; segetibus enim immiscentur vites ulmis innixæ, et utrorumque limites circumcirca sunt arbores fructiferæ. Nam Salomon, qui hic grammatice inducitur ut sponsus, et vineas vitium juxta Jerusalem, et vineas cypri balsamique in Engaddi habebat, ut patet cap. I, vers. 13: « Botrus cypri, ait, dilectus meus mihi in vineis Engaddi; » et *Eccle.* II, 4: « Plantavi, inquit, mihi vineas, et sylvam lignorum germinantium. » Porro an cyprus sit frutex balsami ferax, disseram cap. I, vers. 13.

Vinea in Canticis, quid?

DUODECIMUS.

In Canticis subinde membrum corporis significat vestem, qua tegitur aut ornatur, ut cum cap. V, sponsi caput vocatur *aurum optimum, caput* sumitur pro corona capitis; hæc enim erat ex auro optimo. Sic cap. eodem, cum *venter* sponsæ dicitur *eburneus, venter* sumitur pro zona quæ ventrem tegebat et cingebat: hæc enim facta erat ex ebore. Hanc expositionem exigit honestas. Quis enim credat sponsam castissimam, ventrem nudum spectandum aut describendum exhibuisse? *Cant.* VI, pro eo quod Noster habet: « Comæ capitis tui sicut purpura, » S. Ambrosius, serm. 17 *in Psalm.* CXVIII, legit: « Ornatus capitis tui sicut purpura, » ubi per *comam* accipit ornatum comæ, puta coronam comæ infixam. Sic nonnulli per *ubera* et *umbilicum* intelligunt *mammillare*, puta velum tegens ubera et umbilicum, juxta illud Catuli in *Argonaut.*:

Membra corporis in Canticis quomodo intelligenda?

Non tereti strophio lactantes vincta papillas.

Cant. VIII: « Pone me ut signaculum super cor tuum, » id est super bullam, qua tegitur et ornatur cor tuum: huic enim rem summe amatam, v. g. deum vel idolum suum gentiles insculpere solebant, æque ac Hebræi, ut illius intuitu Dei sui semper memoriam refricarent, illumque in corde et mente jugiter cogitarent et amarent. Simili modo apud oratores et poetas sæpe res vestita significat vestem, qua tegitur et vestitur, per metonymiam. Sic *collum* significat collare quo tegitur; *crines* significant crinalia; *femur* femoralia; *thorax*, id est pectus, notat vestem qua tegitur, quæque exinde *thorax* dicitur. Sic *pes* significat calceum, quo pes calceatur. Unde quod *Deut.* cap. VIII, vers. 4, dicitur: « Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vestustate defecit, et pes (id est calceus) tuus non est subtritus, »

clare exponitur *Deut.* cap. XXIX, vers. 5, ubi dicitur : « Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. » Hæc et plura noster Sanchez hic *Proleg.* 9 et 10.

DECIMUS TERTIUS.

Pro diversis et nationibus et temporibus diversi mores.

Actiones, gestus et habitus apud Hebræos olim honesti et decori, apud alias gentes inhonesti et indecori æstimati sunt; et vice versa. Quæque enim gens suos habet mores, ab aliis diversos; et quod olitanis temporibus placuit, posterioribus discipluit. Hinc Hebræorum vestitus, incessus, modus nuptias contrahendi, sacrificandi, adorandi, comedendi, etc., fuit alius plane quam Græcorum et Latinorum, ut patet ex Levitico aliisque Scripturæ locis. Sic et Homerus, III *Iliad.*, scribit Thetim mentum et barbam Jovis manu apprehensa demulsisse, ut eam deliniret, quod jam rusticum et barbarum haberetur. Sic Ulysses deprehensus in Troja supplex Hecubæ reginæ genas tetigit, ut ejus clementia mortem evaderet, teste Euripide in *Hecuba*, quod modo crimen pene læsæ majestatis haberetur. Sic Amazones nuda mamma incedebant, ut liberius depugnarent. Unde Propertius libro III *Eleg.* :

> Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
> Turba.

Idem de virginibus Dianæ comitibus tradit Callimachus in hymno Dianæ. Et de Camilla Virgilius, *Æneid.* XI : « Nudum extra latus. » Idem fecisse Hebræas putant nonnulli, ideoque hic cap. IV, vers. 5, ubera sponsæ nuda dilaudari At jam honestas et castitas omnium pene gentium ab hac nuditate plane abhorret. De uberibus quid sentiendum dicam cap. IV, vers. 5.

DECIMUS QUARTUS.

Hebræi, dum indunt nomina, alludunt ad nominis etymon, illudque personæ vel rei, cui nomen indunt, competere significant, vel optant. Sic *Adam* dictus, quia formatus ex *adama*, id est terra; *Jacob*, id est *supplantator*, quia supplantavit Esau, *Gen.* XXVII; *Nabal*, id est *stultus*, quia superbe et stulte respondit militibus Davidis, I *Reg.* cap. XXV, 25. Sic virgam שקד *scaked*, id est *amygdalinam*, sive *vigilantem* ostendit Deus Jeremiæ cap. I, vers. 11 : « Quia, inquit, ego vigilabo, » etc. Similes allusiones sunt in *prino* et *schino* arboribus, sub quibus Susannæ scelus se deprehendisse mentiebantur senes, *Daniel.* cap. XIII. Simili allusione sponsa hic vocatur *Sulamitis*, id est *Salomonia*, sive Salomonis uxor, quasi a pacifico pacifica. Et cap. I : « Oleum effusum, inquit, nomen tuum, » hoc nomen est Messias, sive *Christus*, id est unctus oleo, ita copiose, ut illud in alios effundat. Crebro hic talia occurrent.

DECIMUS QUINTUS.

Res in Scriptura vocatur talis qualis exterius apparet.

Sæpe in Scriptura vocatur res talis, qualis foris apparet, etiamsi revera in se non sit talis. Sic *Gen.* I, luna vocatur « luminare majus, » quia citima terræ vicinis hominibus major apparet, cum revera omnibus stellis sit longe minor. Sic *Exodi* VII, virgæ a Magis conversæ dicuntur in serpentes; quia hominibus ita videbatur, cum revera, juxta Nyssenum, Justinum, Tertullianum et Rupertum, non essent aliud quam præstigiæ, quibus oculis illudebant, ut faciunt præstigiatores. Sic Joseph vocatur pater Jesu, et idola vocantur dii; et dum cometæ discurrunt, dicuntur stellæ de cœlo cadere; atque extrema pars mundi et cœli dicitur, quæ nobis extrema apparet, cum tamen in globo rotundo (qualis est mundus) revera nulla pars sit extrema, sed omnes eant in orbem. Sic hic cap. V, sponsi caput dicitur simile auro, comæ palmis, oculi columbis, genæ aromatibus, labia liliis, manus torno, venter ebori; sponsæ vero nasus, cap. VII, dicitur similis turri Libani, femora monilibus, umbilicus crateri, ubera hinnulis, venter acervo tritici, oculi piscinis, quia eis similes apparebant, etsi revera tales non essent.

DECIMUS SEXTUS.

Olim uxores a viris nomen accipiebant, ut Caii uxor vocaretur *Caia*, Cornelii *Cornelia*, Dionysii *Dionysia*, æque ac hic Salomonis sponsa ab eo vocatur *Sulamitis*. Rursum a quo insigne quis beneficium acceperat, jus nomen assumebat. Sic S. Cyprianus *Cæcilii* nomen assumpsit a Cæcilio presbytero, qui eum ad Christum convertit; Eusebius Cæsariensis *Pamphili* nomen sibi ascivit a S. Pamphilo doctore et martyre; Josephus historicus *Flavii* prænomen sibi adjunxit a Flavio Vespasiano imperatore, qui eum honoribus auxit. Insuper in Scriptura eidem personæ et rei diversa nomina dantur, juxta varia idiomata. Sic S. Thomas Apostolus, hebraice *Thomas*, græce *Didymus*, latine *Gemellus* dicitur; S. Simon hebraice *Chananæus*, græce *Zelotes* cognominatur; Judas chaldaice *Thadæus* (id est uberalis), hebraice *Lebbæus*, id est corculum nuncupatur, *Matth.* X; Tabitha hebraice, græce vocatur *Dorcas*, latine *Caprea*, *Actor.* IX. Sic hebraice *Salomon* et *Sulamitis*, latine *pacificus* et *pacifica* indigitantur.

DECIMUS SEPTIMUS.

Quis hic sponsus et sponsa?

Sponsus hic est Christus, sponsa est Ecclesia, et anima fidelis, non quælibet, aut peccatrix, sed sancta, imo perfectioni studens, et amore Christi flagrans. Hæc enim sola sponsæ Christi nomen meretur, cujus hic spirituales amores et ardores divini describuntur. Ita esse patet ex ipsis Cantici verbis, ut cum dicitur cap. IV, 7 : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te; » et cum cap. II, 4, ait sponsa : « Introduxit me dilectus in

cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. » Rursum passim sponsus sponsam vocat amicam, dilectam, pulchram ut luna, electam ut sol. Et cap. II, 16, ait: « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia; » et cap. IV, 9: « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; » et cap. VI, 8: « Una est columba mea, perfecta mea; » et cap. VIII, 5: « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? » Denique Canticum non aliud, quam cœlestes amores Christi et animæ sanctæ spirat: peccatorum tamen subinde meminit, cum ab eis persecutionem se passam significat, ut cum ait cap. I, 5: « Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me. » Aut cum eos convertere satagit, ut cum ait cap. IV, 8: « Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. » Audi S. Bernardum, *serm.* 61: « Sponsam nusquam in hoc toto opere adhuc nominarat, nisi modo cum ad vineas itur, cum vino charitatis appropinquatur. Quæ cum venerit, et perfecta fuerit, faciet spiritale conjugium, et erunt duo in carne una, sed in uno spiritu, dicente Apostolo: Qui adhæret Domino, unus spiritus est, » I *Cor.* VI, 17. Idem *serm.* 85: « Quam videris, inquit, relictis omnibus Verbo votis omnibus adhærere, Verbo vivere, Verbo se regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo, quæ possit dicere: Mihi vivere Christus est et mori lucrum, hanc puta conjugem, Verboque maritatam. » Idem docet Bellarminus, lib. III *De Ecclesia militante*, cap. VII, respons. ad 1; ac S. Hieronymus, epist. 140 *ad Principiam*; atque Cassiodorus, S. Gregorius, Beda, Philo, Justus, Anselmus, Rupertus, cæterique Patres et interpretes ad illa *Cantic.* VI, 7: « Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea. »

Quatuor amantis gradus. Primus.

Porro hujus perfecti amoris quatuor sunt gradus et status, qui hoc Cantici libro ordine describuntur. *Primus* status amoris est actuosæ vitæ, in quo anima affectibus nondum edomitis Deum quidem odoratur, et quasi degustat, currens in odorem unguentorum ejus, non eo tamen ad arbitrium et voluptatem suam fruitur. « Et mirabar, inquit S. Augustinus, lib. VII *Confess.* cap. XVII, quod jam te amabam, et insistebam frui Deo; sed rapiebar a te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, et ruebam in ista cum gemitu; et pondus hoc, consuetudo carnalis. » Et infra: « Aciem figere non valui, et repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, et quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem. » Hic amoris status describitur capit. I et II *Cantic.* Unde ibidem sponsa ait sponso: « Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum; » et: « Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum, » etc.

Secundus.

Secundus amoris gradus et status animæ Deum amantis est vitæ contemplatricis. In hoc collocatur anima, facto sibi ad eum gradu vitiosorum habituum demolitione, passionum propriarum compressione, et perfecta rerum omnium suique abnegatione; et in eo constituta non solum sicut in priore statu, Deum aliquando complectitur contemplationis et amoris actu, sed eodem continuato aliquandiu ipsum contemplans amansque pene possidet, magna mentis tranquillitate, fitque suavissimus lectus pacifici Salomonis, et quasi nuptiale ferculum, in quo sponsus requiescit ac vehitur, animam in se quiescentem fovens. Hic amoris gradus describitur cap. III et IV *Cantic.* Unde ibidem post primum sponsæ somnum sponsus adjurat adolescentulas, ne quæ illam a somno hoc amoris excitet.

Tertius.

Tertius amoris et amantis status est conflatus ex actione et contemplatione. In eo anima, sic jubente sponso, a contemplatione divulsa, se conjicit in turbam et gregem pastoris illius qui, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, e sinu Patris in terras descendit, quæsiturus magnis laboribus, et proprio sanguine redempturus oviculas quæ perierant, procellam nullam acerbissimorum temporum, periculum nullum pœnamve subterfugiens, aut dedecus, dum illas recuperaret. Hic amoris status describitur cap. V, VI et VII *Cant.* Unde ibidem sponsus sponsam ad campos et villas invitat: « Ut quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos allevet, revocet errantes, infirmos lucretur, » ait S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima*, cap. VIII. Licet enim ibidem sponsa negligentiæ insimuletur, quod sponso ostium pulsanti non statim aperuerit: tamen mox facti pœnitens ipsa in majorem sponsi amorem exarsit, perinde ac « amantium iræ, amoris redintegratio sunt. »

Quartus.

Quartus status est, cum anima vitam supra humanam, ac pene divinam, supradictis longe superiorem, inexplebili desiderio appetens, tanto flagrat divini amoris incendio, tantaque veluti zelotypia æstuat, ut manere in carne mors illi sit, et peregrinari a Domino alter quasi infernus illi videatur, soleturque propterea exsilium suum, ac perferat uno studio laboreque animarum lucrandarum dilectissimo sponso. De qua re sic S. Gregorius, lib. II *super Ezech.* hom. 15: « Qui sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem sponso invisibili jungantur, ut ejus desiderio mens ardeat, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere. Mens itaque quæ jam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam

quam diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis fit ipsa salus corporis, quia transfixa est vulnere amoris. » Hic status amoris describitur *Cantic.* cap. VIII. Unde ibi post tertium somnum de ea dicitur : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Pone me ut signaculum super cor tuum, etc. Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio : lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. » Ita noster Bernardinus Rossignolius, *De Disciplina christianæ perfectionis*, lib. IV, cap. IX, qui deinde singula capita singulosque versus ex ordine, hisce quatuor amoris gradibus alternative adaptat.

COMMENTATORES

CANTICI CANTICORUM.

HEBRÆI.

Chaldæus. *Primus* est Chaldæus Paraphrastes, qui in Canticum fuit R. Joseph Cæcus, sicut in Pentateucho fuit R. Aquila, qui chaldaice Onkelos dicitur, in Prophetis vero R. Jonathan filius Uzielis. Hi omnes, utpote judæi, judaizant, ac præsertim R. Joseph, qui Canticum non tam vertit quam explicat, ut non tam interpres quam paraphrastes, sive commentator esse videatur. Quare Canticum de Synagoga, deque lege Mosis, tabernaculo, manna cæterisque beneficiis Israeli collatis interpretatur, multaque interserit ex Judæorum fabulis, et Thalmudistarum figmentis, quæ colligit et excusat Franciscus Lucas in Apologia Paraphrasis Chaldææ. Habet tamen suum usum, et veræ interpretationi obsecundat, sicut Synagoga subservit Ecclesiæ, lexque Evangelio, et Moses Christo, eique quasi typus prælusit.

Rabbini. Scripsere quoque in Canticum R. Salomon, Aben-Ezra et R. David Kimchi.

GRÆCI.

Origenes. Primus Origenes in Canticum scripsit homilias sex, in quibus « Origenes vicit seipsum, » ait S. Hieronymus, qui eas ex Græco in Latinum convertit; quare temere et sine causa ultimas quatuor Origenis esse negat novus (imo novator et in fide cacodoxus) Origenis interpres. Finit in capite secundo *Cantic.* vers. 14. Floruit anno Domini 226.

Nyssenus. S. Gregorius Nyssenus, frater S. Basilii, edidit in Cantica homilias 15. Finit in cap. VI, vers. 9. Floruit anno Domini 380.

Philo. Philo Carpathiorum Episcopus constitutus a S. Epiphanio. Exstat tom. I *Biblioth. SS. Patrum;* sed multa illi inserta vel infarta sunt a sciolo quopiam ex S. Gregorio, quæ cum reliqua explicatione parum congruunt. Floruit anno Domini 374.

Theodoretus. Theodoretus docte et genuine Canticum explicat, atque trium aliorum Patrum, quos non nominat, explicationem adjungit. Floruit anno 430.

S. Patres. Censet Hortolanus tres hosce Patres esse S. Gregorium Nyssenum, S. Nilum monachum S. Chrysostomi discipulum, et S. Maximum. Hi enim Theodoreto fuere coævi; et horum trium brevis Cantici paraphrasis, Commentario Theodoreti in Canticum præfigitur.

Psellus. Michael Psellus S. Gregorii Nysseni est compendiator.

LATINI.

Cassiodorus. *Primus* est Aurelius Cassiodorus, consul romanus, ac Theodorici regis Gothorum cancellarius; unde ejus nomine plures scripsit epistolas tanto viro dignas, qui deinde aulæ pertæsus, mundo valedicens, et monasticen in monasterio a se constructo exercens, totum se pietati et Sacris Litteris tradidit, in iisque plane senescens, prope centenarius sancto fine quievit, ait Baronius, anno Domini 562. Hic ergo scripsit in Canticum breviter, sed clare, ac sæpe acu tangit sententiarum difficultatem, sensumque litteræ genuinum assignat : unde ex eo plura deprompsit Beda, Haymo et alii; sed sciolus quispiam nonnulla Cassiodoro attexuit. Nam cap. III, vers. 11, citat Gregorium Papam, qui centum annis eo fuit posterior. Floruit anno Domini 539, coævus et socius Severini Boetii, ac Symmachi consulis romani.

Justus Orgelitanus. Justus Orgelitanus Episcopus scripsit in Cant. Exstat tom. I *Biblioth. SS. Patrum.* Floruit anno 540, sub Justiniano imperatore. Interfuit concilio Toletano II. Vide S. Isidorum *De Scriptor. Eccles.* cap. XIV, et *De Viris illustr.* cap. XXXIV.

Beda. Venerabilis Beda prolixum edidit Commentarium, anno 700, cui et alium subjungit, quem ipse ex variis S. Gregorii locis colligit.

Alcuinus. Albinus, sive Alcuinus Flaccus, Bedæ discipulus, et Caroli Magni magister, anno 750.

Aponius. Aponius docte et graviter scripsit in Cant. anno 800, ait Sixtus Senensis in *Biblioth.*; Possevinus et Bellarminus, *De Script. Eccles.* Sed anterius vixisse videtur. Nam Aponium citat Beda lib. IV *in Cantic.* cap. XXIII. Beda autem floruit anno 700. Finit Aponius in cap. IV *Cantic.* vers. 7, ad illa : « Tota pulchra es, amica mea; » ac deinde Commentarium Aponii continuavit Lucas Abbas S. Cornelii, ex ipsis Aponii verbis, sed succisis et in pauca contractis, unde multi illum citant nomine Aponii.

Angelomus. Angelomus monachus, Aponii est abbreviator. Floruit anno 850, tempore Lotharii imperatoris. Unde in *Præfat.* eum laudat, quod, relicto impe-

rio, monasticen amplexus sit, in eaque pie defunctus vitam stadiumque suum sancte consummarit.

Haymo. Haymo Bedam fere in compendium redigit, ac pene ad verbum transcribit Cassiodorum. Obiit anno 853.

S. Anselmus. S. Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus, anno 1081.

Rupertus. Rupertus abbas Tuitiensis Canticum explicuit de B. Virgine, anno 1119.

S. Bernardus. S. Bernardus pie et eleganter explicat Canticum; sed morte præventus, illud non absolvit; unde ei successit Gilbertus abbas, qui opus prosecutus est. Floruit anno 1150.

Richardus. Richardus de S. Victore, S. Bernardo coævus et amicissimus, paucas Cantici sententias exponit.

S. Thomas. Inter opera S. Thomæ Aquinatis exstat commentarius in Canticum. Dubitant tamen viri docti an hic commentarius sit ipsius, quia stylum ejus non redolet, atque ex Cassiodoro et Beda videtur transsumptus. Idem plane ad verbum exstat apud Haymonem, qui 450 annis antecessit S. Thomam; quare Commentarius S. Thomæ, quem sub mortem dictavit monachis Fossæ novæ, juxta Romam, videtur fuisse alius ab hoc. Quocirca diversus plane ab hoc Commentarius in Canticum nomine S. Thomæ prodiit seorsim impressus a Petro Gualtero anno Domini 1545, soletque jungi Commentario Cajetani in Proverbia et Ecclesiasten. Hic magis redolet stylum scholasticum S. Thomæ.

Guillielmus Parvus. Guillelmus Parvus abbas Beccensis, anno 1170.

Honorius. Honorius, Augustodunensis presbyter, anno 1220.

Hailgrinius. Hailgrinius, Cardinalis Sabinensis, anno 1233.

Ex variis S. Ambrosii locis Commentarium integrum in Cantica collegit Antonius Democharès. Exstat in fine tom. V S. Ambrosii.

RECENTIORES.

Nicolaus Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Jacobus Jansonius, Joannes Picus Carthusianus, Placidus Nigidius, Alfonsus ab Orozco, Tuccius, Hieronymus Almonacirius, et plures alii, quos Romæ reperi. Cæteris eminent Franc. Titelmannus, Luisius Legionensis, Cosmas Damianus Ortolanus, Philippi II Hispaniarum regis theologus, qui paraphrasin habet luculentam et succulentam; Joannes a Jesu Carmelitanus, nostri Gaspar Sanchez et Ludovicus de Ponte. Novissime et exactissime noster Martinus Delrio, Michael Gislerius et Ludovicus Sotomajor; denique nuperrime Joannes Malderus Episcopus Antuerpiensis, ac noster Luisius ab Alcazar in allusionibus ad Apocalysin toto lib. III: uterque succincte, sed erudite et nervose.

Ex his omnibus succum exprimam, et pollinem floremque decerpam. Litterale e mystico discernam, indigesta digeram, confusa distribuam, et cuique quod suum est ordinate attribuam; atque propria plura addam, memor semper solitæ brevitatis et methodi.

Porro Joannes Gerson cancellarius Parisiensis Canticum exposuit de amore seraphico, quo anima pia ardet erga Christum, anno Domini 1429, ac complevit die 9 julii, et instar S. Thomæ post triduum, puta die 12 julii, cum Commentario vitam finivit, anno ætatis 66, ut amoribus Christi frueretur in cœlo, unde identidem repetens illud *Cant.* VIII : « Fortis est ut mors dilectio, » illi immortuus est.

PRIMUM DRAMA,

SIVE

PRIMA PARS CANTICI

QUA DESCRIBITUR INFANTIA ECCLESIÆ

(QUÆ FUIT AB ORTU CHRISTI USQUE AD ASCENSIONEM IN CŒLUM),
A CAP. I VERSU 1, USQUE AD CAP. II VERSUM 8.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsa ambit spirituale sponsi osculum, ubera, unguentum, oleum, cellaria. Mox, vers. 5, ait se formosam, sed nigram ab æstu solis et persecutionis. Unde, vers. 7, quærit locum sponsi, auditque ab eo ut abeat post greges et pastores. Unde, vers. 9, eam assimilat æquitatui, genas turturi, collum monilibus. Denique, vers. 12, asserit nardum suum dedisse odorem, præsente sponso, quem comparat fasciculo myrrhæ et botro cypri, cum eoque spiritali laudis affectu dissuaviatur.

1. Osculetur me osculo oris sui : quia meliora sunt ubera tua vino, 2. fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dilexerunt te. 3. Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua : exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum : recti diligunt te. 4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. 5. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol : filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi. 6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. 7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. 9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia. 10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. 11. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. 12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. 13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. 14. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. 15. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus : 16. tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

VOX SPONSÆ.

Vers. 1. 1. OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI. — Inverecunda videtur sponsa, quæ præter morem feminarum honestarum et verecundarum, prior ambit sponsum, ejusque spiritale osculum sine ulla præfatione illico poscit; sed amore sancto ebria nescit erubescere : ubi enim amor, ibi non est timor vel pudor. « Præceps amor, ait S. Bernardus, nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi subjicitur. Rogo, supplico, flagito : Osculetur me osculo oris sui. »

Amor nescit pudorem.

Est tamen hic aliquis in sponsa pudor, dum non ad sponsum dirigit sermonem, ut dicat : « Osculare; » sed alios quasi intermedios alloquitur, dicens : « Osculetur me, » uti notat idem S. Bernardus. Sic Magdalena amore ebria, sine pudore, « importuna » irruit « convivio, » ait S. Ambrosius, sed « opportuna beneficio, » ut oscularetur non os, sed pedes Christi. Hic autem sponsa non contenta osculo pedum, quod est servorum et subditorum, ambit osculum oris, quod est sponsarum et summe amantium, uti parentes osculantur filios, fratres se mutuo, amicus amicum. « O quanta vis amoris! exclamat S. Bernardus, *sermon.* 7, quanta in spiritu libertatis fiducia! Quid manifestius, quod manifesta charitas foras mittit timorem? » Et S. Augustinus in *Manuali*, cap. XIX : « Amor, inquit, dignitatis nescius reverentiam nescit; » et cap. XX : « Anima amans fertur votis, trahitur desideriis, dissimulat merita, majestati oculos claudit, aperit voluptati, » etc. Consonat quod de amore scribit D. Gregorius, lib. VI, epist. 24 *ad Anastasium*, ubi ostendit amorem et potestatem ex æquo præsumere, ac cum auctoritate et imperio libere loqui. Et Chrysologus, *serm.* 147 : « Amor, ait, ignorat judicium, ratione caret, modum nescit, non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata pervaserit, necat amantem. Amor quod amat non potest non videre. Hinc est quod omnes Sancti omnia, quæ meruerant, parva duxerunt, si Dominum non viderent. Hinc est quod amor qui cupit Deum videre, etsi non habet judicium, habet tamen studium pietatis. Unde et Moses audet dicere Deo : Si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam. » Adde, sponsa non prior ambit sponsum, sed excitata et evocata a sponso, ut patebit ex eo quod subdit : « Meliora sunt ubera tua vino; » hæc enim « ubera, » id est viscera misericordiæ a sponso ostensa sponsæ, ipsam evocant, imo audacem reddunt ad petendum osculum, quia mirificum illi amorem fiduciamque sponsi ingerunt. Nam, ut ait Christus, *Joan.* VI, 44 : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum » per gratiam excitantem et vocantem, ut ex S. Augustino docet et definit Concilium Tridentinum, *sess.* VI.

OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI. — Hebræa, *osculabitur me ab osculis* (Vatablus *osculis*) *oris sui. Osculabitur*, id est osculetur : Hebræi enim per futurum significant optativum, quo carent. Septuaginta, *osculetur me ab osculis* (Origenes, interprete S. Hieronymo, habet *ab osculo*) *oris sui*; Arabicus, *osculetur* (Syrus vertit in præterito, *osculatus est*) *me ex osculis oris sui*. « Osculis » in plurali significat vehemens desiderium et amorem sponsi, ut ejus præsentia satiari nequeat, eamque continuam exoptet. Nam, ut ait Poeta :

Verus amor nullum novit habere modum;

et, ut ait S. Bernardus : « Modus amandi Deum est amare sine modo. » Plurima Christi et Ecclesiæ oscula fuse recenset hic Tuccius. Silet sponsa personam sponsi, dicitque tantum, *osculetur*, quia cum nil nisi sponsum mente pertractet, nil quoque ab aliis mente pertractari opinatur. Unde actum exprimit, personam vero tacet, utpote quam uti sibi, sic et cæteris notissimam, omniumque cogitationibus præsentem æstimet, sicut Magdalena, *Joan.* XX, 15, rogata a Christo specie hortulani apparente : « Mulier, quid ploras? quem quæris? » respondit : « Domine, si tu sustulisti eum, » etc. : quem *eum?* utique Christum, qui uti est amor meus, imo mens mea et cor meum, sic et cæterorum esse censeo : nimirum ipsa tota plena Christo, nec se, nec cæteros de alio quam de Christo cogitare posse putabat.

PRIMUS SENSUS

TOTALIS ET ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Est vox patriarcharum, ait S. Bernardus, ac Synagogæ, ait S. Thomas, desiderantis adventum Christi, *q. d.* Quia Christus toties mihi adventum suum promisit per prophetas, ego per tria annorum millia avide et anxie eum exspecto; veniat ergo ipse et « osculetur me osculo oris sui, » ut carnem meam et os meum assumens per illud mihi loquatur, seseque conjungat, ut qui olim aperuit ora prophetarum, nunc os suum aperiat. Audi Origenem : « Quousque sponsus meus mittit oscula per Mosen, mittit oscula per prophetas? Jam ipsius cupio ora contingere, ipse veniat, ipse descendat. Orat igitur sponsi patrem, et dicit ad eum : Osculetur me osculo oris sui. Et quia talis est, ut compleatur per eam propheticum illud in quo dicitur : Adhuc te loquente, dicam, ecce adsum : sponsam, sponsi pater exaudit, mittit filium suum. Videns illa eum cujus deprecabatur adventum, orare destitit, et ad eum cominus loquitur : Quoniam bona ubera tua super vinum, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. » Sic quoque Theodoretus, Aponius et Beda. Addit Theodoretus : « Cum igitur sponsi pulchritudinem, robur, divitias, regnum, quod in omnes habet, vim ejus æternam, incorruptibilem, nullum habituram finem intellexerit; eum videre concupiscit, et in complexum ipsius ruere, atque illi oscula dare spiritalia. » Adde, vox hæc non tam est Synagogæ quam Ecclesiæ, quæ post Christi incarnationem, dicit *osculetur*, id est osculari me pergat, et osculum hoc amoris sui semper in me adaugeat. Unde hebraice est, *osculetur me osculis.*

Osculum hoc Christi *physicum*, est ipsa unio hypostatica; hæc enim junxit carnem Verbo, hominem Deo, sicut per osculum sponsus sponsæ jungitur. Unde osculans, ait S. Bernardus, est Deus, osculatus est homo, osculum est utriusque unio, Osculum Christi *physicum* est unio hypostatica

per quam fit una utriusque persona, quæ simul est Deus et homo : osculum enim castissimum est symbolum cognationis et affinitatis ; unde apud omnes gentes parentes osculantur filios, fratres, cognatos, affines : quocirca Cato feminas sibi sanguine propinquas amore patrio osculabatur, ut sciret an vinum olerent. Olim enim romanis feminis bibere vinum fas non erat; quod si bibissent, intemperantes et impudicæ habebantur, uti multis exemplis ostendit Tiraquellus, leg. IX *Connub.* num. 206. Multo magis Deus osculans et visitans animam inspicit, an illa delicias et vanitates redoleat, de iisque illam castigat, juxta illud : « Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas, » *Psalm.* XVI, 3.

Vinum olim mulieribus romanis prohibitum.

Osculum vero *ethicum*, sive morale, est affectus et amor intimus, quo Christus Ecclesiæ et animæ fideli arctissime conjungitur. Audi S. Bernardum hic, *serm.* 2, votum hoc osculi in sponsa pie et pathetice exponentem : « Quo mihi ora hæc seminiverbia prophetarum? ipse potius speciosus forma præ filiis hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. Non audio jam Moysen : impeditioris siquidem linguæ factus est mihi. Isaiæ labia immunda sunt : Jeremias nescit loqui, quia puer est, et prophetæ omnes elingues sunt. Ipse, ipse quem loquuntur, ipse loquatur : ipse me osculetur osculo oris sui. Non in eis jam, aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aeris, sed ipse me osculetur osculo oris sui, cujus gratiosa præsentia, et admirandæ fluenta doctrinæ fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam.»

Osculum Christi *ethicum* est amor.

Nota, osculum symbolum est *primo*, reconciliationis, cum enim quis alium offendit, reconciliatur ei per osculum, sicut pater reconciliatus est filio prodigo, *Luc.* XV, 20; *secundo*, pacis et concordiæ; *tertio*, salutationis et bonæ apprecationis, unde Apostolus : « Salutate invicem in osculo sancto, » II *Cor.* cap. XIII, 12; *quarto*, amoris et intimæ conjunctionis; unde divinus Hierotheus apud S. Dionysium, *De Divinis nominibus*, cap. IV, ait amorem habere vim jungendi, miscendi et uniendi : quod significatur per osculum.

Osculi symbola quatuor.

Omnibus hisce de causis Ecclesia et anima fidelis poscit osculum Christi, *q. d.* ait Cosmas Damianus : Quousque tandem irascere supplicibus tuis, optime generis nostri conditor, et pater Deus? quamdiu iratus humano generi promissa tua reposci, et nequidquam efflagitari patiere? quem ad finem profusa primum in hominem se contrahet, et in thesauris suis continebit benignitas tua? Nihilne te occupatum a satana orbis imperium; nihil in servitutem redacti filii; nihil peccandi, et vel in eos, qui semetipsis non peccaverunt, moriendi inducta necessitas; nihil ad vitam data lex, mihi cedens in interitum; nihil data fides, piorum vota precesque movebunt? Justa est, fatemur, indignatio tua. Justa sunt, quæ in nos exerces, judicia; incredibilis namque primum tua fuit in hominem benignitas, amplissimi decreti honores, et quæ in eumdem contulisti ingentia beneficia. Contra vero pro tanta tua benignitate incredibilis nostra erga te exstat impietas, pro amplissimis honoribus atroces injuriæ, proque tam ingentibus beneficiis, quam nemo homo præstare possit, noxa gravissima. At jam per tria annorum millia ira tua in totum genus nostrum desæviit, in filios, inquam, Adæ, qui acerbum illius pomi esum, patrisque prævaricationem ignorantes, et quasi agni innocentes, sed ex patre nocentes luunt; iidem potiore jure filii sunt tui. Tuorum miserere, o Domine. Superexaltet ergo misericordia tua judicium. Veniat Christus Adæ, Abrahæ, Isaac, Jacobo, Mosi, cæterisque prophetis promissus, induat carnem nostram, ac per illam nobis osculum reconciliationis exhibeat : ipse enim est propitiatio pro peccatis mundi, ipse pax et salus nostra, ipse amor, anima, halitus et vita nostra. « Spiritus oris nostri Christus Dominus, inquit Jeremias, captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus, » *Thren.* IV, 20. Illi ergo me quasi sponsam ab orbis initio pactam, tandem aliquando conjunge. Illius me amplexibus et osculis exple. Ipse me sacri oris sui attactu expiet, roseum ac divinum os suum meo jungat ori. Mille mihi figat basia. Ipse pax nostra sit, qui pacem tuam tribuat et bonam voluntatem. Eo denique charitatis glutino me sibi adjungat et agglutinet, unus ut cum eo fiam spiritus, et unum corpus; nec jam duo simus, sed unus ex ambobus exstet homo. Te igitur adventantem exspecto, o optatissime sponse mi, te brevi affuturum præstolor, cujus amplectendi et osculandi a pronubis et paranymphis nostris, quo major nobis spes fit, eo nobis nostrum gliscit et inardescit desiderium, nosterque medendo ægrescit animus. Desine, oro, jam per legatos me alloqui, per internuntios confirmare; ipse veni, ipse coram loquere. Accipe meam, tuamque vicissim da fidem, tu me amplectere, tu me exosculare, tu qui solus potes præsentissimam facere medicinam, tu, inquam, impotenter amantis misertus, nostro dolori precor ut medeare.

Prophetarum de Christo Ecclesiæ sponso votum.

Idem fuit votum omnium prophetarum sponsum Christum, sponsamque ejus Ecclesiam summe desiderantium. Audiantur pauci e multis. Osee cap. II, vers. 19 : « Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia, et in miserationibus : et sponsabo te mihi in fide. » Similiter et per Jeremiam prophetam dicitur, cap. II, 2 : « Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur. » Et per Isaiam, cap. LXI, 10, similiter vox Ecclesiæ ait : Posuit mihi mitram sicut sponsæ, et « induit me vestimentis salutis : et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. » Et per Zachariam, cap. IX, 9, hujuscemodi gloriam trepidanti Eccle-

Iæ nuntiat dicendo : « Exsulta satis, filia Sion : ECCE REX TUUS veniet tibi justus, et salvator : ipse pauper, et ascendens super pullum filium asinæ. » Ita Aponius citat verba prophetarum. Horum omnium vota ergo hic exprimit Salomon.

Osculum SS. Trinitatis.

Symbolice notantur hic tres SS. Trinitatis personæ : per *osculetur* Pater ; per *oris* Filius, hic enim est os et verbum Patris ; per *osculo* Spiritus Sanctus, hic enim est nexus, amor et quasi osculum, quo se osculantur Pater et Filius. Ita S. Bernardus, *serm.* 7, qui ait Ecclesiam hic petere osculum, id est Spiritum Sanctum. Postulant ergo Ecclesia et anima, ut tota SS. Trinitas ipsam osculetur, id est ipsi intime per affectum sese conjungat, ut ipsa fiat templum sanctum SS. Trinitatis, imo ut fiat unus cum ea spiritus. « Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est, » I *Corinth.* VI, 17. Osculum enim jungit os osculantis ori ejus quem osculatur, ut significet animum simili modo animo ipsius conjungi, ut ex duobus amantibus fiat quasi unus amans, una anima, unus spiritus. Sic Verbum osculans nostram carnem et humanitatem, illi afflavit suum spiritum, suamque divinitatem, ut unus idemque esset Deus et homo, eo quod naturæ binæ, humanitas scilicet et deitas, in unam coirent Verbi personam.

Porro Chaldæus per *osculum* accipit legem datam per Mosen : per hanc enim Deus despondit Israelem, eumque sibi alligavit et obligavit : « Benedictum, inquit, nomen Domini, qui dedit nobis legem per manum Mosis scribæ magni, scriptam in duabus tabulis lapideis, et loquebatur nobiscum facie ad faciem, sicut vir qui osculatur socium suum. » Hic sensus licet judaicus subservit nobis, ad eumque hic alludit Salomon, imo eum quasi typicum præsupponit. Moses enim osculum doctrinæ et legis divinæ dans Israeli, typus fuit Christi osculantis osculo oris sui christianos, quos amantissime complexus, legem novam et doctrinam Evangelicam docuit, per eamque illos sibi devinxit et despondit. Unde per *osculum* Patres

Osculum doctrinæ Christi.

permulti accipiunt doctrinam Christi, ut osculum idem sit quod oraculum. Ita Origenes, Philo Carpathius, Anselmus hic, et S. Hieronymus, epist. 146 *ad Damasum*, ac S. Gregorius, XIX *Moral.* XXII, qui et addit ad osculum hoc allusisse S. Matthæum, cum de Christo ait cap. V, 2 et 3 : « Aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, » etc. ; « tunc, ait S. Gregorius, os suum aperuit qui prius aperuerat ora prophetarum. »

SECUNDUS SENSUS

LITTERALIS PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Quæ de Christo et Ecclesia jam dixi, animæ sanctæ tribui possunt, mutato tantum nomine *Ecclesiæ* in nomen *animæ ;* quibus adde hæc exponi posse de anima *primo*, pœnitente ; *secundo*, innocente et justa ; *tertio*, meditante et contemplando in Deum defixa ; *quarto*, amante et exstatica.

Quadrupliciter ergo hunc locum de anima exponas : *primo*, de pœnitente, *q. d.* Pater æternus mihi animæ peccatrici, quæ eum graviter offendi, sed per ejus vocationem et gratiam jam pœnitenti, reconciliari dignetur, præbeatque osculum pacis, quo omnem offensam abstergat, imo aboleat et deleat, meque sibi reconciliet, et pristinæ amicitiæ gratiæque suæ restituat ; sicut enim osculum est duorum orum et corporum, sic pax est duorum cordium arcta conjunctio. Prior ergo Christus animam peccato sopitam gratia sua pulsans excitat, evocatque dicens : « Surge qui dormis, et illuminabit te Christus, » *Ephes.* V, 14 ; sive : « Osculare me osculo oris tui, » juxta illud Psaltis, quod toties orat Ecclesia : « Converte nos, Deus, salutaris noster, » *Psalm.* LXXXIV, 5 ; et illud Dei per prophetam Zachariam, cap. I, 3, peccatores ad se evocantis : « Convertimini ad me, et convertar ad vos. » Sic Magdalena interius evocata a Christo ad osculum accurrit : ita Concilium Tridentinum, *sess.* VI. Porro desponsatio animæ cum Deo fit per virtutes, præsertim fidem, pœnitentiam, castitatem, charitatem, juxta illud : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, » *Rom.* V, 5, uti fuse ostendi II *Corinth.* XI, ad illa : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Hinc S. Agnes : « Annulo, inquit, suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, ut nullum præter eum amatorem admittam ; tanquam sponsam decoravit me corona ; illi sum desponsata, cui angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. Amo Christum, in cujus thalamum introibo, cujus mater virgo est, cujus pater feminam nescit, cujus mihi organa modulatis vocibus cantant ; quem cum amavero, casta sum ; cum tetigero, munda sum ; cum accepero, virgo sum. » Ita ex S. Ambrosio, *serm.* 90, Ecclesia in officio ecclesiastico S. Agnetis. Denique quanto studio et amore ad hoc reconciliationis osculum peccatores Deus invitet, graphice depingit S. Dionysius, epist. *ad Demophilum* : « Quid, inquit, quod deliciis quoque resolutos, ac per id redire differentes benignissime tolerat, rationemque reddere per se ipse dignatur, imo et promissionibus relevat, blanditiisque demulcet Cumque adhuc procul sint, qui ad se redeunt, lætus occurrit atque obvius fit, et totus totos complexus osculatur, nec prioris illos aversionis culpat, verum præsenti conversione contentus et diem festum agit, et convocat amicos. »

Osculum Dei et pœnitentis.

Secundo, purgati a peccato et justificati petunt osculum Christi, quo scilicet eis Christus Spiritum suum inhalat, ut eo a torpore et vetustate, velut aquila renoventur, et in Dei amore accendantur, sicut qui se mutuo afflant et inspirant. Alludit ad formationem corporis Adæ ex limo terræ, quem Deus quasi osculando, « inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam

Osculum Dei justi

viventem, » *Genes.* II, 7. Sicut enim anima, dum assumit et quasi osculatur corpus, ipsum exanime animat et vivificat, sic Spiritus Sancti gratia osculans animam eam vivificat, imo deificat, facitque eam Dei filiam et hæredem. Ita S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima*, cap. III : « Petit, ait, sponsi osculum, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis. »

Spiritus S. osculum.

Hinc symbolice S. Bernardus per *osculum* accipit Spiritum Sanctum qui est osculum, id est amor Patris et Filii. Audi eum, *serm.* 8 : « Petit osculum, id est Spiritum Sanctum invocat, per quem accipiat simul et scientiæ gustum, et gratiæ condimentum. » Et paulo post initium sermonis : « Sufficit, ait, sponsæ, si osculetur ab osculo sponsi, etiamsi non osculetur ab ore. Nec enim exiguum quid aut vile putat osculari ab osculo, quod non est aliud, nisi infundi Spiritu Sancto. » Dicit ergo sponsa : « Osculetur me osculo oris sui, » hoc est, Pater æternus Verbi sui spiritu mihi arctissime copuletur, ac me suæ naturæ efficiat arcana ista conjunctione consortem. Per gratiam enim fimus divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus, *epist.* II, cap. I, vers. 4.

Osculum Dei et orantis.

Tertio, orantes et contemplantes petunt et accipiunt osculum, id est illuminationes, impulsus et ardores divinos Spiritus Sancti. Unde S. Ambrosius, loco jam citato : « Osculum Verbi, inquit, est lumen cognitionis sacræ. » Et Nyssenus, *homil.* 1 : « Quia verba, inquit, sponsi spiritus sunt et vita; quicumque autem conglutinatur spiritui, fit spiritus; et qui vitæ conjungitur, transit a morte ad vitam : propterea spiritualis anima desiderat appropinquare fonti vitæ, nempe ori sponsi, unde scaturientia verba vitæ æternæ implent os ea attrahens. » S. Bernardus, *serm.* 1 : « Cujus (Christi), inquit, utique sermo vivus et efficax osculum mihi est, non quidem conjunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animarum; sed plane infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam et quodammodo indiscreta commixtio superni luminis et illuminatæ mentis. Adhærens quippe Deo, unus spiritus est. »

Osculum Dei et amantis.

Quarto, amantes et toti amori divino vacantes petunt, et impetrant a Deo osculum ardentis et plenæ charitatis, de quo Nyssenus, *hom.* 1 : « Sicut Moyses, inquit, qui dignus est habitus (*Exodi* XXXIII) cum Deo loqui facie ad faciem, ejusmodi osculorum majori tenebatur desiderio, rogans ut videret quem desiderabat, postquam ei toties Deus apparuisset, perinde ac si nunquam eum fuisset contemplatus. Ita cæteri omnes, quorum divinum desiderium insidebat imis penetralibus, nunquam suum stiterunt desiderium quidquid eis eveniebat divinitus, quo fruerentur eo qui desiderabatur, materiam arripientes et fomitem majoris desiderii. Quomodo etiam, quæ nunc quoque Deo conjungitur anima, satiari non potest fruitione, quo copiosius fruitione impletur, eo vehementiori vigens desiderio, atque adeo dicens : Osculetur me osculo oris sui. » Hinc S. Agnes post mortem gloriose apparens parentibus : « Nolite, ait, me lugere; illi enim sum juncta in cœlis, quem in terris posita, toto corde, toto spiritu, tota mentis devotione dilexi. » Repete hic cætera ejus verba superius alia de causa recitata.

Osculum triplex, pedis, manus et oris.

Huc facit quod S. Bernardus, *serm.* 3 et seq., distinguit triplex osculum; *primo, osculum pedum*, quo pœnitentes cum Magdalena osculantur duos Christi pedes, puta misericordiam et veritatem, ut per veritatem peccata pœnitendo condemnent, per misericordiam confidendo veniam sperent; *secundo*, osculum *manus*, quo justi et proficientes osculantur manus Christi, dum ei bona virtutum opera afferunt, et vicissim ab eo dona gratiarum recipiunt; *tertio*, osculum *oris*, quo anima perfecta unum Deum sitiens, eique soli inhærere gestiens dicit : « Osculetur me osculo oris sui, » id est, infundat mihi, inhaletque Spiritum Sanctum, ut tota uniar amori meo Christo. Ad hoc conantur viri religiosi et perfectionis studiosi, qui omnium rerum amorem a se abdicant, ut eum totum in Deum transferant, ut scilicet uni Deo vacent, eique se per tria paupertatis, castitatis et obedientiæ vota despondeant. Hinc B. Ægidius, socius S. Francisci, rogatus, « quæ esset perfectionis via? » respondit : « Una uni, » *q. d.* Perfecta erit anima, si una uni Deo totam se jungat et tradat.

« Osculum hoc, inquit S. Bernardus, non est strepitus oris, sed jubilus cordis; non sonus labiorum, sed motus gaudiorum : idcirco non competit animæ infantili, ac nuper ad Christum conversæ, sed jam provectæ, et quæ jam ad ætatem perfectam, et nubiles perveniens annos (meritorum, non temporum), facta est idonea cœlestis sponsi nuptiis. » Hæc enim sola potest dicere : « Osculetur me osculo oris sui, meliores namque sunt amores tui vino, » ut alii traducunt. Deinde quomodo ad oris osculum gradatim sit ascendendum, S. Bernardus ita docet : « Prosterne te prius ad oscula pedum, tuisque lacrymis illos riga, nec inde surgas, priusquam audias : Remittuntur tibi peccata tua; et deinde quantum profeceris in gratia, tantum in fiducia dilataberis. Inde proficere poteris ad osculum manuum, cum cœperis jam strenue ac perseveranter agere in operibus omnium virtutum. Tum demum forsitan audebis ad ipsum os gloriæ caput attollere (pavens ac cum tremore dico), non solum speculandum, sed etiam osculandum. Osculum ergo pedum, incipientium est; manuum, proficientium; oris, perfectorum. »

Osculum Eucharistiæ.

Denique tres Patres anonymi apud Theodoretum, et S. Ambrosius, lib. *De Sacramentis*, cap. II, censent hoc osculum esse reale, quod anima sancta expetit, dum cupit sumere Christum sacramentaliter in Eucharistia, ac ardenter ejus amplexus desiderat : « Anima, inquit, videt se ab omnibus esse mundatam peccatis, et dignam quæ

ad altare Christi possit accedere; quid est enim altare nisi forma corporis Christi? Videt sacramenta mirabilia, et ait : Osculetur me ab osculis oris sui, hoc est, osculum mihi Christus infigat. Quare? quia meliora tua ubera super vinum, hoc est, meliores sensus, meliora sacramenta tua super illud vinum, quod etsi suavitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet; tamen in illo lætitia sæcularis, in te autem jucunditas est spiritualis.» Hinc S. Agnes : « Jam corpus meum, inquit, corpori ejus sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas : ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo. » Præclare S. Cyrillus, lib. XI *in Joan.* cap. XXVI et XXVII, explicans illud Christi ad Patrem de discipulis : « Ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me : ut sint consummati in unum, » *Joan.* XVII, 23, docet nos per sumptionem Eucharistiæ fieri unum cum Christo, et per Christum unum cum Deo. Unde hoc axioma elicit : « Nexus igitur unionis nostræ ad Deum Patrem, Christus est : nobis quidem ut homo, Deo autem Patri ut Deus naturaliter unitus. » Causam subjicit : « Non enim erat possibile corruptioni subjectam hominis naturam ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis atque incommutabilis ad eam descendisset, ac communione participationeque sui a mortalitatis nostræ terminis ad suum bonum reformatos elevaret. Consummati ergo sumus, reductique ad unionem Dei Patris mediatione Salvatoris, id est Christi. » Unde concludit : « Mirari ergo debemus divinæ naturæ benignitatem, quæ creaturæ, quæ sibi propria sunt, communicare dignetur. »

Fructus hujusce osculi.

Porro per *osculum* hoc hauriunt animæ sanctæ miras cœlestis amoris consolationes, gustus et delicias, ut omnes terrenas voluptates fastidiant, dicantque cum Paulo, *Philipp.* cap. III, 8 : « Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam; » quare hoc divino nectare et ambrosia pasti, imo ebrii jam sibi videntur quasi esse in paradiso, ac cum angelis beatisque Deo frui. Unde dicunt : « Nostra conversatio, » nostra cogitatio, nostra mens, noster amor, nostræ deliciæ, nostra vita « in cœlis est. » Et cum Psalte : « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, » *Psal.* LXII, 2. Et : « Mihi autem adhærere Deo bonum est, » *Psal.* LXXII, 28. Et : « Domine, quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum, » *ibid.* vers. 25. Hoc est quod animæ piæ promittit Deus per Osee, cap. II, 14 : « Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem : et loquar ad cor ejus. » Vide ibi dicta. Hinc quod Vulgata habet *Exod.* cap. XXXIII, 11 : « Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, » cum scilicet dedit Mosi legem promulgandam Hebræis : Chaldæus hic, vers. 2, per *osculum* accipiens eamdem legem ore Dei et Mosis datam Hebræis, sic vertit, *loquebatur nobiscum facie ad faciem, sicut vir qui osculatur socium suum.*

Audi S. Gregorium hic : « Os sponsi inspiratio Christi : osculum oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo sponsa desiderio æstuans, et in amplexum sponsi sui inardescens : Osculetur me osculo oris sui, ac si diceret : Ille quem super omnia, imo solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat; quia cum ejus osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor. Fastidit quippe sancta mens omnia quæ per corpus sentit, et in illa spiritalia tota transmutari concupiscit; et dum ista obstrepunt, in illa fugit, seque abscondere, ne hæc sentiat, appetit; ideoque osculum sponsi quærit, quia si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi suæ molestissimæ gravedinis detenta, quomodo se ad illum conferat omnino non invenit; sed pius sponsus anxietatem ejus sentiens, amorem diligens, vocem exaudiens, osculum porrigit, et ne desiderio lassescat, gustu suæ suavitatis lenit, et dum suam præsentiam exhibet, eam ad majus dilectionis osculum accendit. »

Omnia hæc Dei oscula maxime sentiunt, et quasi dissuaviando gustant viri in sanctitate, oratione et contemplatione eminentes, ac subinde exstatici, qui miros Dei influxus et illapsus suavissimos, sed humanis verbis inexplicabiles, nec nisi experto cognitos persentiscunt; quales sensit Paulus, cum raptus est in tertium cœlum, ubi quasi in Christum transformatus dixit : « Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus, » *Galat.* cap. II, 20. Id corporaliter per visum experta est S. Gertrudis, quæ ita de se narrat, lib. II *Revelat.* cap. XXII : « Quadam vice cum psalmodiæ tota intenderem, tu, Domine, dedisti decem vicibus et amplius dulcissimum osculum ori animæ meæ. O osculum longe exsuperans omnem aromatum fragrantiam, et omnem mellis dulcedinem! » Alias sæpe persensit Deum illabi in animam suam, sicut sol illabitur in aerem suo splendore, ex quo illapsu anima ejus tum miris gratiarum virtutibus, tum ineffabili serenitate et gaudio perfundebatur; nam intime penetrabat omnes animæ medullas, sensus et potentias.

Mystici cum unionis osculum

Mystici et contemplativi per *osculum* hoc accipiunt summum contemplationis gradum, quo anima prius diu multumque in humilitate, oratione, meditatione, patientia, cæterisque virtutibus exercitata, a Deo elevatur ad immediatam et intimam sui contemplationem et unionem; qua fit ut ipsa jam, nec in virtutibus, nec in consolationibus divinis, nec in discursibus vel phantasmatibus, nec in ulla re creata, sed immediate in solo Deo per contemplationem et amorem conquiescat, dicatque : « In pace in idipsum dormiam, et requiescam, » *Psalm.* IV, 9. Hæc unio per illapsum divinum, ut docet S. Dionysius et ex eo

Et per illapsum Dei.

S. Bernardus, S. Bonaventura, Hugo, Richardus, Gerson, Laurentius Justinianus, Taulerus, Ruisbrochius, Harphius, Suso et similes, qui de mystica theologia scripserunt.

Quomodo? Illapsus hic est, quo Deus per se illabitur intellectui et voluntati hominis, illique intime præsens fit, se totum communicat, ostendit, et in ratione objecti immediate conjungit: intellectui quidem sub ratione immensæ lucis, sed non ita claræ et apertæ, qualis est in beatis; voluntati autem sub ratione summi boni, ita ut Deus voluntatem sibi ipsi suæque essentiæ, tanquam summo bono intime astringat, adeo ut voluntas illius bonitatem immediate gustet et sentiat, illaque delicietur et fruatur. Tunc enim intellectus a Deo mira luce perfunditur et elevatur, ut ipsum altissimo modo, licet non intuendo (hoc enim proprium est beatis) cognoscat, sicque illum voluntati præsentem exhibeat sub specie summi boni summeque delectabilis; quo fit ut voluntas totaque anima impulsa a Deo, in illud bonum ardentissime rapiatur, illud plene amplectatur, omnesque vires suas in illo amando, sibique astringendo et exosculando exhauriat; hinc fit ut anima subinde tunc non audiat, non sentiat, non videat, non cogitet, non amet aliud præter Deum, ab eoque tota suspensa pendeat velut in raptu et exstasi: quæ est mystica animæ cum Deo desponsatio et connubium per mutuam inhæsionem et fruitionem, quo, ut ait S. Ambrosius, anima desponsata Deo, verbo innubit æterno, acVerbum illabitur animæ, non in apice, sed in ipso centro

Fit in centro mentis. fundoque mentis, illudque sibi astringit. Hæc capere non valet nisi expertus. Expertus erat S. Bernardus qui proinde, *serm.* 31, ait sponsam Dei amore flagrantem, non contentam esse aliis illuminationibus vel revelationibus, « nisi et speciali prærogativa intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis cœlitus illapsum suscipiat, habeatque præsto quem desiderat, non figuratum, sed infusum; non apparentem, sed efficientem; » et mox: « Non tamen adhuc illum dixerim apparere sicuti est, quamvis omnino non aliud hoc modo exhibeat, quam quod est; » et Richardus Victorinus, tractat. *De Gradibus charit. violentæ* : « Sæpe, ait, sub hoc statu Dominus descendit de cœlis, sæpe visitat sedentem in tenebris et umbra mortis, sæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis; sic tamen præsentiam suam exhibet, ut faciem suam minime ostendat; dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit; infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem. » Particulatim vero B. Theresia, tract. *De Perfectione*, mansion. 7, cap. I et II: « Animæ, inquit, in illo centro manenti, visione intellectuali mysterium Sanctissimæ Trinitatis, omnesque tres personæ manifestantur; præcedit tamen hanc manifestationem suavissima quædam spiritus inflammatio, instar lucidissimæ cujusdam nubis, ibique notitia quadam admirabili percipit, qua ratione tres personæ sint una substantia, una potentia, una sapientia, et unus Deus, ita ut quod fide tenemus, anima quodammodo intuitive cognoscat. »

Porro effectus hujus unionis sunt: *primus*, ardor amoris, ut anima amore æstuet, liquescat, et transformetur in Deum, summeque optet illum videre, eoque frui facie ad faciem. *Secundus*, mirifica animæ pax, suavitas, lætitia, qua anima gustans, « quoniam suavis est Dominus, » ita ejus suavitate inebriatur et absorbetur, ut cætera omnia contemnat et fastidiat, jamque sibi pene beata esse videatur, nec a beatis nisi corpore, velut pariete interjecto distare, juxta illud Isaiæ, cap. LVIII, 14: « Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ; » imo subinde vi ardentis spiritus corpus in sublime elevatur, et versus cœlum ascendit, ut contigit S. Magdalenæ, S. Francisco, S. Ignatio et aliis. *Tertius*, magnus virtutum et gratiarum affluxus, ut anima divinam similitudinem plane nanciscatur, ac fiat pulcherrima, imo deiformis efficiatur, et quasi deificetur, Christoque conformetur; unde ejus pulchritudo in Canticis adeo a sponso celebratur: quocirca instar Christi ambit cruces et tormenta, gaudet opprobriis, in adversis exsultat, in persecutionibus gloriatur, uti faciebat S. Paulus. *Quartus*, est sublimis et perfecta divinorum mysteriorum cognitio, ipsiusque Dei illustris, quamvis in caligine, ut ait S. Dionysius, comtemplatio proxime accedens ad claram et aspectabilem beatorum cognitionem, ad quam pertinet illud Isaiæ, cap. LVIII, 10: « Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam. » *Quintus*, talis anima Deum quasi semper habet in mente præsentem, cum eoque versatur et colloquitur, etsi eum clare non videat, perinde ac quis colloquitur cum amico in tenebris et loco obscuro, quem audit, sed non videt.

Ejus effectus. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Quæ dicta sunt de anima justa, longe potiori jure competunt B. Virgini, quæ justorum omnium fuit antesignana. Præter illa, B. Virgini soli osculum Dei quadruplex proprie competit.

Quadruplex osculum Dei et B. Virginis.

Primum est osculum SS. Trinitatis, quo ab æterno præ omnibus hominibus et angelis, Deus Pater illam sibi delegit in filiam, Filius in matrem, Spiritus Sanctus in sponsam, ut per eam ejusque filium fieret osculum, id est reconciliatio totius generis humani. Hac de causa prima ipsa virginitatis votum Deo nuncupavit, ut totam se in corpore et anima Deo dicaret, ac diceret: « Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, » *Psal.* LXXII, 26.

Primum.

Secundum est osculum desiderii et suspirii,

Secundum.

quo ipsa præ omnibus patriarchis ardentissime desiderabat Verbi incarnationem, ad mundi reconciliationem et salutem. Ipsa ergo quasi mater omnium fidelium et sanctorum, totius mundi salutem mirifice exoptans, seraphicis desideriorum ardoribus dicebat : « Osculetur nos osculo oris sui. » Quare cum legeret et ruminaret illud Isaiæ oraculum, cap. VII, 14 : « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, » exclamabat : Mitte, Domine, virginem hanc, quæ pariat nobis Emmanuelem : utinam virginem hanc videre, utinam ejus ancilla fieri merear! Quocirca flagrantissimis hisce desideriis meruit ipsa *de congruo* Christi incarnationem, imo ejus maternitatem, ut scilicet ipsa una ex omnibus fieret mater Christi, uti docent theologi, et Franciscus Suarez, III part. *Quæst.* II, art. 10, disp. 10, sect. VIII. Unde S. Gregorius, in I *Reg.* I : « Meritorum verticem, inquit, usque ad solium divinitatis erexit; » et S. Hieronymus, epist. 22 *ad Eustochium* : « Propone, inquit, tibi Mariam, quæ tantæ exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur; » et S. Anselmus, *De Laudibus Virg.* cap. VIII : « Sanctissima puritas, et purissima sanctitas pectoris ejus, omnis creaturæ puritatem et sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis plenissime fieret.

Tertium. *Tertium* fuit osculum in Christi incarnatione : tunc enim Spiritus Sanctus eam sibi despondit in sponsam, ut in ea et ex ejus purissimo sanguine formaret corpus Christi, juxta illud Gabrielis archangeli : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei, » *Luc.* I, 35. « Nonne hoc verbum angeli, ait Rupertus, verbum et sponsio erat jam imminentis osculi oris Domini? » Quare, cum ipsa Spiritui Sancto ad Verbi incarnationem consensum summa humilitate, æque ac charitate præbuit, dicens : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » tunc reipsa dixit : « Osculetur me osculo oris sui, » id est, assumat ex me carnem, eamque osculetur et sibi intime uniat Filius Dei. Atque eodem instanti, inoperante Spiritu Sancto, in sacro ejus utero peractum est Dei cum humanitate osculum, quo se pax et justitia osculatæ sunt, cum *Verbum caro factum est.* « Profecto, ait Rupertus, anima tua liquefacta est, ut dilectus locutus est, scilicet Deus Pater locutione admirabili, locutione ineffabili, dum substantiam Verbi sui, cum illo amore suo Spiritu Sancto, tuæ menti, tuo ventri penitus insereret; in quo nec primam similem visa es, nec habere sequentem. » Rursum caro a Christo assumpta, fuit caro B. Virginis; quare dum carnem suam assumpsit Christus, assumpsit carnem B. Virginis, eique quasi osculum unionis hypostaticæ impressit, itaque eam velut deificavit.

Quartum. *Quartum* osculum fuit corporeum in Christi nativitate, quando ipsa peperit Christum, eumque ceu mater filium summa reverentia et amore est osculata, atque ex crebris hisce dilecti sui osculis, ab eo miros sibi deitatis ardores afflari sensit. Unde hebraice est, *osculetur me ab osculis oris sui.* Huc facit illud Sibyllæ de Christo ex B. Virgine nascituro vaticinium apud Virgilium, *Eclog.* 4 :

Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.

Hinc viri pii et graves prudenter existimant Beatam Virginem, mox ut peperit Christum, eum profundissima reverentia adorasse et salutasse, dicendo : « Bene venerit Deus meus, Dominus meus, et filius meus, » ac illico osculum dedisse pedibus ejus quasi Deo, manibus quasi Domino, ori quasi filio; deinde vero nudum pannis involvisse, ac uberibus admovisse, eique lac virgineum dedisse; Christum vicissim ore, oculis et vultu læto matri arrisisse et applausisse.

Anagogice, Christus in resurrectione osculando quasi corpus mortuum inspirabit illi animam, ut reviviscat, ac sanctis communicabit suas corporis gloriosi dotes. Hujus rei typus fuit Elisæus, qui osculando puerum mortuum illum suscitavit; nam, ut dicitur IV *Reg.* IV, 34 : « Posuit os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, » etc. Unde « oscitavit puer septies, aperuitque oculos. » Idem fecit Elias, III *Reg.* XVII, 21. Rursum beati in cœlo osculantur Christum; unde Paulus, *Philipp.* I, 23 : « Coarctor, ait, e duobus : desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. » Hoc imitati gentiles finxere Dianam osculando Endymionem suscitasse eum a somno lethifero, uti narrat Pierius, *Hierogli.* 50, cap. XXIX. Insuper quoad animam, beati in cœlo, ac in primis B. Virgo videntes faciem Dei, per hanc visionem continue quasi osculantur Deum, atque ex eo omnes deitatis dotes, delicias et gaudia hauriunt, juxta illud : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ : et in lumine tuo videbimus lumen, » *Psal.* XXXV, 9. Refertur de anima cujusdam sancti, qui multas in hac vita ærumnas sustinuerat, quod, cum post mortem amico appareret, illeque percunctaretur, num tantis doloribus condigna illi reddita forent gaudia, responderit : Ipsa prima cœlitum salutatio, qua me cœlum ingredientem complexi sunt, ac præsertim primum Christi osculum, quo me deosculatus est, ita mihi suave accidit, itaque intima mea pervasit, ut illico omnium laborum me oblivisci fecerit, omniumque dolorum memoriam mihi ademerit et absterserit, juxta illud : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia, » *Apoc.* XXI, 4.

Anagogice.

Quam suave Christi osculum

QUIA MELIORA SUNT UBERA TUA VINO.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS;

De Christo et Ecclesia.

Sponsa loquitur.

S. Bernardus, *serm.* 9, censet hæc verba posse accipi, vel ut sponsi, vel ut sponsæ, vel ut sodalium sponsæ; verum proprie et genuine hæc esse verba sponsæ, liquet ex τῷ *quia* : hæc enim vox dat causam cur sponsa adeo expetierit osculum sponsi, quia scilicet experta erat, vel in se, vel in aliis, dulcedinem uberum sponsi, *q. d.* Quia dulcorem lactis, id est consolationum spiritualium a tuo amore quasi ubere manantium gustavi, cum primitus me ad te allexisti et evocasti, hinc aspiro ad tuum osculum, ut ex eo tuum halitum, spiritum et animam, a qua omnis dulcedo promanat, quasi ex ipso fonte hauriam. *Ubera* ergo lactantia notant amorem dantem consolationes et suavitates mirificas. Duplex uber est, duplex amor; unus æternus, quo Deus in charitate perpetua ab æterno sponsam dilexit; alter est creatus, in humana sponsi Christi voluntate repositus, inde ad sponsam materno affectu fovendam a primo conceptionis suæ instanti, velut uber e pectore vel potius e corde erumpens. Hinc S. Agnes : « Mel, inquit, et lac ex ejus ore suscepi; » et Psaltes, *Ps.* XXX, 20 : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, » et perfecisti eam sperantibus in te, ait Aponius. Audi Haymonem, et ex eo S. Thomam : « Per ubera Christi, dulcedo Evangelii intelligitur, qua velut lacte nutritur infantia credentium : vinum quippe austeritatem legis significat; sed ubera Christi meliora sunt vino, quia dulcedo Evangelii melior est austeritate legis. »

Duplex sponsi uber.

Dices, quomodo sponso, utpote viro, tribuuntur ubera, quæ sunt propria feminarum? Respondeo, *primo*, in parabolis nonnulla dicuntur, quæ non tam parabolæ, quam rei per parabolam significatæ conveniunt. *Ubera* ergo non tam corporalia, quam spiritualia per corporalia significata accipienda sunt : hisce enim fideles suos pascit Christus. Rursum, sicut Scriptura metaphoras mutuatur ab animalibus, uti Christum vocat *agnum, bovem, leonem* : sic etiam mutuatur a feminis, ut ei det ubera, per quæ significat viscera misericordiæ.

Ubera quomodo dantur Christo. Resp. Primo.

Secundo.

Respondeo *secundo*, viri nonnulli, qui utrumque habent sexum, puta virilem et femineum, habent ubera, quales sunt androgyni. Hisce ergo uberibus significatur Christum fidelium non tantum esse patrem, sed et matrem pientissimam, utpote qui ut mater, mysticis suis uberibus nos pascat. Hinc Christus vocatur πατρμήτωρ, id est *patrimater*, juxta illud quod ipse, ut sapientia Patris æterna, de se dicit, *Eccli.* XXIV, 24 : « Ego mater pulchræ dilectionis. » Christus ergo ut significet se non tantum esse sponsum, sed et patrem ac matrem, nominat ubera, quibus Ecclesiam quasi filiam materno affectu et pietate lactat et pascit.

Tertia.

Tertio, Hebræum דודים *dodim* tam *amores* quam *ubera* significat, ubera enim sunt symbolum amoris; unde Hebræi hic, pro *ubera* vertunt *amores*. Hinc Vatablus vertit, *amores tui vinum bonitate superant*. Videtur Noster et Septuaginta pro דודים *dodim* legisse דדים *daddim*; *daddim* enim *ubera* significat, *dodim* vero *amores*, ait Marinus in *Lexico*. Unde דודים *dodim* cum per *vau* scribitur, ut *daddim* legi nequeat, semper Septuaginta et Noster vertunt *amores*, vel *dilectus*, nunquam *ubera*. Hic vero דדים scribitur sine *vau;* unde legerunt *daddim*, id est *ubera*. Alii, teste Origene, vertunt, *meliores sunt loquelæ tuæ super vinum* : hi pro דדים *dodim* videntur legisse דברים *debarim*, id est *verba*, *loquelæ;* aut certe *ubera* explicant per loquelas et sermones : hisce enim nos pascit Christus.

Quarto.

Quarto, amantes, ait Titelmannus, præ amoris excessu solent verba permiscere, confundere, et quasi inepte loqui : sic hic sponsa ex vehementia amoris, quasi oblita virilis conditionis, sponso dat *ubera*, ut ejus beneficentiam immensam, suumque in eum summum affectum indicet. Amor enim amantes facit *amentes*.

Quinto.

Quinto, per *ubera* Nyssenus accipit cor, quod uberibus tegitur; et Titelmannus : Possemus, inquit, per ubera pectus ipsum, ubi locus est uberum, accipere, ut pectoris Dominici dulcedinem et pietatem, quam dilecto discipulo in cœna illa memorabili super pectus, sive in sinu sponsi recumbenti datum est experiri, commendare intelligatur; quæ etiam ubera et pectus pro sponsa in cruce tandem perfossa sunt, sanguinemque et aquam quasi vinum et lac in regenerationem credentium effuderunt.

Sexto plane.

Denique planissime et facillime cum Delrio et Sotomajore respondeas, viros habere parva ubera, puta papillas, tum ad munimentum et fomentum cordis, ut docet Galenus *De Usu partium*, quæ proinde subinde lac quoque edunt, uti diserte docet Aristoteles, lib. I *Histor. Animal.* cap. XII, et lib. III, cap. XX : « Viris, ait, post pubem exiguum (lac) nonnullis exprimitur, sed per succum frequentiorem multum prodiisse aliquibus traditum est. » Unde et S. Augustinus in lib. IV *De Civit. Dei*, cap. XII, ait gentiles Jovi dedisse mammam, sicut et Hebræi Deum vocant *Saddai*, q. d. *mammeum*. Quin et Isaias, cap. XLVI, 3, Deo dat vulvam uterumque, et cap. LXVI, 11, ubera et lac. Denique Clemens Alexandrinus in *Pædagog.* cap. VI, congruenter ostendit Christum Dominum esse quasi mamillam Dei patris, id est amores et delicias Dei patris : quo sensu etiam ipse Christus Dominus, *Joan.* cap. I, 18, affirmat se esse in sinu Dei patris sui : usque adeo sibi in Christo filio suo Deus pater sibi complacet, et oblectatur præ nimio amore.

E virorum uberibus aliquando lac expressum.

Quæres *secundo*, quid hic *ubera* significent. *Pri-*

Ubera

Christi, quæ? Resp. primo.

mo, noster Gaspar Sanchez per *ubera* accipit labia, hisce enim quasi uberibus Christi effudit lac doctrinæ suæ, quo nos pascit. Unde quidam apud Origenem vertunt, *meliores sunt loquelæ tuæ super vinum*. Hic sensus apte cohæret præcedentibus, *q. d.* « Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera, » id est labia oris tui « vino. » Hinc et R. Saadias vertit, *melior est saliva tua vino*. Saliva enim Christi illuminavit cæcum, *Joan.* IX, 6.

Secundo.

Secundo, Nyssenus per *ubera* accipit cor, quod circumdant tegunique ubera : in corde enim est sedes amoris, æque ac sapientiæ ; unde Sapiens, *Prov.* XXIII, 26 : « Præbe, ait, fili mi, cor tuum mihi. » Audi Nyssenum, *hom.* 1 : « Omnino autem, qui cor quidem occultam et arcanam divinitatis virtutem intelligit, non errabit ; ubera autem divinæ virtutis pro nobis operationes merito possumus existimare, per quas uniuscujusque vitam tanquam nutrix alit Deus, unicuique eorum qui accipiunt, conveniens largiens nutrimentum. » Sponsa ergo petens osculum, petit jungi cordi Christi, imo illud sibi dari postulat, ut totum illud totumque ejus amorem possideat ; sicut S. Catharina Senensis a Christo petiit sibi dari ejus cor, ac obtinuit, non ipsum cor Christi (quis enim hoc credat?) substantiale, sed effectum formatumque a Christo, suoque cordi conforme et simile.

Tertio.

Tertio, Titelmannus per *ubera* accipit pectus : in eo enim sunt ubera, quæ significant affectum amorem et beneficentiam Christi, *q. d.* ait Sanchez : « O dilecte mi, si inter ubera tua, id est, inter lævam et dexteram dormire mihi permittitur, quod sponsæ licet, imo solemne est ; aut haurire per legitima oscula suavissimum halitum, qui ex uberibus, id est ex præcordiis tuis exspiratur, qui generoso vino atque optimis unguentis longe suavior est : hæc mihi pro omnibus, imo et præ omnibus unguentis præsens erit medicina. »

Duo ubera, duo Joannes.

Hinc Aponius per *duo ubera* symbolice accipit S. Joannem Baptistam, et S. Joannem Evangelistam qui quasi intimus Christo in cœna super pectus ejus recubuit, indeque fluenta gratiarum quasi ex uberibus suxit. Audi Aponium : « Non erit inconveniens duo ubera Christi, Baptistam et Evangelistam duos Joannes intelligi proprie, qui Ecclesiæ post oscula sacramenti prædicti plenissima ubera sunt propinati. Cum alter eum solum peccatum mundi tollentem, agnumque demonstrat Ecclesiæ, alter in principio Verbum Deum apud Deum patrem manentem ; qui per immaculatam vitam ita in amore ejus quasi ubera pectori adhæserunt, dum alter adhuc parvulæ et lactenti Ecclesiæ verum hominem sub nomine immaculati Agni ostendit ; alter a creandi effectu eum omnium rerum fabricatorem in principio Verbum Deum demonstrat, per quem creata sunt universa. » Et Origenes, *hom.* 1 : « Certum est, ait, quod Joannes in principali cordis Jesu, atque in æternis doctrinæ ejus sensibus requievisse dicatur in Evangelio, ibi requirens et perscrutans thesauros sapientiæ et scientiæ, qui reconditi erant in Christo Jesu. »

Quarto, duo ubera duo Testamenta.

Quarto, Origenes, Beda, Justus, Cassiodorus, Philo Carpathius et Aponius per *duo ubera* accipiunt duo Testamenta, scilicet Vetus et Novum, sive doctrinam prophetarum et apostolorum : utraque enim quasi duplex uber pascit fideles, pavitque olim Judæos, æque ac christianos. Audi S. Ambrosium, serm. 1 *in Psalm.* CXVIII : « Tanquam despiciens omnes jucunditates et delectationes suas, cœlestibus cupiens inhærere mandatis, ait : Quoniam optima præcepta Testamentorum tuorum, super omnem appetentiam carnis, et sæculi voluptatem : meminerat enim se in Eva ante sic lapsam. »

Quinto.

Quinto, noster Sanchez per *ubera* accipit viscera, ex quibus halitus spirando ducitur ; unde Syrus pro *ubera* vertit, *viscera*. Cum vero, inquit Sanchez, sponsi halitus, cap. V, vers. 16, suavissimus dicatur, id enim valet illud : « Guttur illius suavissimum ; » ideo tantopere sponsa expetere videtur osculum, quia per illud sponsi anhelitum atque animam haurit, quæ vino optimisque unguentis longe est suavior. Quod *cor* uberum nomine significetur, vide cap. VII, ad illud : « Dabo tibi ubera mea. » Aut fortasse (quod magis puto verisimile) significat se valde cupere nuptiarum tempus, quia tunc ex more sponsa cubat in sponsi sinu, id est inter lævam et dexteram, qui locus est uberum, et *sinus* vocatur. Sinu autem aut uberibus sponsi ubi somnus capiendus est a sponsa, nil ad sedandum angorem animi potentius. Fortasse *ubera* pro osculis sumuntur : neque hæc loquendi forma dura est, si in uberibus amorem intelligas : amor enim pro *osculo* adhibetur ea figura, qua res significata pro signo ponitur ; quod in Scriptura sacra sæpe fit. Per *ubera* ergo sponsa poscit sibi afflari suavem et odoratum viscerum sponsi halitum : qua de causa olim viri et feminæ cultiores mastichen rodebant, ut halitum efflarent suavem et odoratum, teste Clemente Alexandrino, III *Pædag.* cap. III. Huic sententiæ favet id quod sequitur : « Fragantia unguentis optimis. » Hæc Sanchez.

Uberum nomine suavem sponsi halitum expetit sponsa.

Sexto, genuine.

Sexto et genuine, *ubera* significant dulcissimam lactandi facultatem et vim : Christus enim dulcissima sua doctrina et gratia, quasi duobus uberibus dulcissime lactat fideles ; ubera ergo Christi sunt ipsa ejus sapientia et beneficentia, ex quibus melliloquentia, et doctrinæ verborumque suavitas, quasi melleum lac profluit, quod omni vino voluptatum carnalium, utpote acri et mordaci suavius est. Vinum enim nota et causa est libidinis furentis, juxta illud :

Ut Venus in vinis, ignis in igne furit.

At lac Christi jam dictum, fideles quasi modo genitos infantes, ut ait S. Petrus, ad plenam virtu-

tis ætatem, vitamque perfectam perducit, quia non scaturit ut vitis et vinum, ex imo terrenæ sapientiæ vel sæcularis litteraturæ, sed cœlitus ex alto depluit instar mannæ et roris matutini. Rursum, sicut ubera cor ambiunt, ex eoque quasi vim suam hauriunt, sic doctrina et gratia ex Christi corde et pectore prodeunt, illudque nobis quasi propinant et exhibent. Insuper sicut ubera sunt sedes amorum et deliciarum, juxta illud *Prov.* v, 19 : « Cerva charissima, et gratissimus hinnulus; ubera ejus inebrient te in omni tempore, » sic eorumdem sedes est Christi pectus et cor, plenum omni consolatione et gratia. Sicut ergo in uberibus matermis infantes omne habent suum nutrimentum et solatium, neque aliud extra ea quærunt aut desiderant, ita sanctæ Ecclesiæ, in uberibus divinæ misericordiæ, pietatis et beneficentiæ, situm est omne bonum, omne nutrimentum, omne solatium. Nihil quærit extra, renuit consolari præterquam in Deo. Meliora, inquit, sunt mihi tua ubera, quam vinum sapidissimum, quam omne quod in hoc mundo quamcumque, aut quantamcumque, aut qualemcumque potest afferre consolationem vel lætitiam. Plus me delectat tua beneficentia, et quod ex te accipio spiritualis nutrimenti aut delectationis sanctæ, quam omnes hujus mundi corporales deliciæ. Posteaquam ista semel suxi ubera, postquam semel lac suavissimum degustavi, quod ex illis sugitur et trahitur de occultis visceribus misericordiæ tuæ, non possum aliena gustare vel videre ubera; alienas consolationes abominor, renuit prorsus consolari nisi in Deo anima mea. Ita Titelmannus et alii passim. Audi tres Patres anonymos apud Theodoretum : « Uberum mentionem facit, quia propinqua sunt cordi, in quo præcipua mentis est sedes, unde doctrinæ fontes emanant : sponsi igitur ubera uti bonorum fontes admiratur, ex quibus commode, tum infantes adhuc, tum etiam perfecti nutriuntur; eaque dicit esse meliora vino, quod divinæ Scripturæ testimonio cor hominis exhilarat. Figurate enim *vinum* lætitiam appellavit, ut cunctis humanis voluptatibus præstare declararet lætitiam illam, quæ ex ipsius donis ad pios proficiscitur. Quod si *ubera* mystice etiam vis intelligere, per ubera illa admiranda et vino præstantiora cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutrimur. »

Vinum deliciæ corporales.

Ubera dat Christus e Eucharistia.

Quibus ultimis verbis per *ubera* accipiunt Eucharistiam, in qua sua carne, quasi cibo nos cibat, et suo sanguine quasi potu et lacte nos potat, lactat et inebriat Christus : hæc enim ubera sunt intrinseca Christi, cum cætera sint extrinseca. Unde S. Chrysostomus, homil. 60 *ad Popul.* et 83 *in Matth.* : « Quis, inquit, loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis pastor unquam membris suis oves suas nutrivit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt; quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, et sibi conjungit, nosque conglutinat. » Et paucis interjectis : « Non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt, qua pressione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, et ad hujus calicis spiritalem accedamus papillam : imo vero majore desiderio, quasi lactentes pueri gratiam Spiritus sugamus; unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc alimento spiritali privamur. »

Externa Christi ubera.

Rursum Christus lactat nos sua doctrina, sua gratia, suis miraculis, suis exemplis, sua passione, suis vulneribus. Unde et latus Christi in cruce a Longino lancea fuit apertum, ex eoque velut ex ubere manavit sanguis et aqua instar lactis, quo nos lactat, *Joan.* XIX, 34.

Externa Christi ubera sunt apostoli et evangelistæ (unde Judas apostolus cognominatus est *Thadæus*, id est *uberalis* : תד *thad* enim chaldaice significat *uber*; et *Lebbæus*, id est *corculum* : לב *leb* enim est *cor*) : de quibus audi Justum Orgelitanum episcopum : « *Ubera Christi* apostolos et evangelistas non incongrue accipimus : per ipsos enim in fide nutrimur, et spirituali alimento reficimur. Idcirco autem meliora vino probantur, quia evangelica doctrina eminentior quam lex olim data dignoscitur. Denique illic figura, hic veritas; illic tanquam austeritas vini, diligendum tantummodo proximum, et inimicum odiendum ostendit, hic dulcedo gratiæ pro inimicis orandum, et eos, qui nos oderunt, admonet diligendos. » Et S. Gregorius : « Ista, inquit, sunt ubera, id est doctores, quæ in arca pectoris fixa lacte nos potant, quia ipsa arcanis summæ contemplationis inhærentes, subtili prædicatione nos nutriunt. » Hoc est quod canit Isaias, cap. LXVI, 11 : « Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus (Jerusalem, hoc est Christi et Ecclesiæ) : ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus; » et mox : « Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. »

Audi Hortolanum hic sponsæ de sponsi uberibus sibi gratulantis voces pathetice et sapienter exprimentem : O ingentem tuam in me, sponse mi, benignitatem! Ecce ego illa, quæ quondam humilis et sordidata, in luctu et squalore jacens mœrebam, jam nunc gratuito dono, ex imis sordibus in regiam evecta dignitatem, nitida, compta, diademate omnique ornatu ac cultu regio ornata, summi Regis soror et sponsa incedo, universi orbis miraculum, gratissimumque divinorum omnium spectaculum. Tu ille unigenitus Dei optimi maximi Filius, Deus et ipse optimus maximus, quod unicum in sinu suo cœlestis Pater fovet delicium, meæ naturæ factus particeps, me humilem et abjectam ancillam tuam tuæ naturæ participem facere, tuis nuptiis nobilitare, in sinu tuo fovere, omnibus deliciis oblectare, in sum-

mis tuis deliciis habes et oblectamentis, Deus in terris, homo in cœlis. Angeli cum hominibus in terris, homines cum angelis in cœlis jungunt choros. Per te facta est una omnium permixtio. Per te facta est injuriarium oblivio, sublatæ inimicitiæ, dissolutum repente prælium, Deus placatus hominibus, deletum peccatum, mors interrupta, factus aditus in cœlum nobis hactenus inaccessum. Scaturiunt inde omnium gratiarum fontes uberrimi, lactea ex ore tuo manat eloquentia, divina inde spirat, quæ me in cœlestes delicias evehit et rapit, aura. Corpus quidem humi repit, mens tamen mea tecum jam in cœlo versatur, suavissime sponse mi, in cœlo tuis amoribus fruitur, et ejus generis bonis, quæ nec humanus oculus videre, nec auris audire, nec noster per se complecti cogitatione valet animus.

Charitatis ubera.

Mystice, charitatis ubera meliora sunt vino, quia nunquam stringuntur, nunquam sunt vacua, sed semper donis affluunt et pereffluunt. Ferunt nonnulli physici corvum, ubi pullos agnoscit suos, cum lac non habeat, eos sua carne et sanguine pascere. Unde Poeta :

> Et nunquam sine lacte charitas,
> Lac non uberat, uberat cruorem;

sic Christus ex ardentissima caritate in cruce uberavit cruorem, quo velut pelicanus nos pullos suos mortuos vivificavit et aluit. Nimirum hæc sunt ubera charitatis.

Audi S. Gregorium : « *Ubera sponsi*, dilectio Dei et proximi : ex his uberibus sponsam suam lacte pietatis nutrit, et inter tentationum turbines his eam fovet et nutrit, et ut persistat reficit. Quid autem per *vinum* nisi cura temporalis exprimitur, a qua mens sæcularis cujuslibet inebriatur, ut ad invisibilia cognoscenda aut ex toto, aut pene insensibilis reddatur? Sed *ubera sponsi* vino meliora existunt, quia illud necat, hæc nutriunt; illud oculos mentis turbat, hæc acuunt; illud apostatare facit etiam sapientes, hæc ipsos idiotas utique sapientissimos faciunt. Quæ quot vicibus sponsa cum dilectionis ubertate sugit, tot sententias sapientiæ sibi in ventrem memoriæ trahit. Charitas enim sancta cor pacificat, mentem in tentationibus roborat, et ut sedes sapientiæ sit anima justi, quietem tribuit, et locum præparat. »

Porro S. Bernardus, *serm.* 9, per *duo ubera* accipit benignam longanimitatem Dei, qua peccatores exspectat ad pœnitentiam, et benignam susceptionem, qua jam pœnitentes amplectitur et lactat.

Vinum mundi oblectamenta.

VINO. — Per *vinum* accipe quaslibet mundi delicias, ut dixi; mystice, austeritatem legis Mosaicæ, ac cruditatem doctrinæ philosophorum, ait Anselmus : utrique enim præstat dulcedo lactis doctrinæ evangelicæ. Insuper nonnulli per *vinum* accipiunt iram, indignationem, supplicia et vindictam, quæ non raro inter amantes intercurrunt, juxta illud Michææ, cap. II, 11 : « Stillabo tibi in vinum, et in ebrietatem, » id est prophetabo, et propinabo tibi vinum furoris divini; prænuntiabo supplicia, quibus Deus te potabit, et quasi inebriabit. Sic sensus erit, *q. d.* Meliora sunt ubera dilectionis divinæ, quam vinum indignationis ejusdem, tum quia suaviora sunt, tum quia efficaciora : magis enim trahuntur homines amore quam timore, dilectione quam indignatione, beneficiis quam suppliciis. Aut, *q. d.* Esto te offenderim sæpius, o sponse mi, tuque merito mihi indignatus sis, tamen uberum, id est misericordiæ et amoris tui dulcedo superat omnem vini, id est iræ tuæ, acredinem : tibi enim proprium est misereri et parcere; quocirca majora semper in me dilectionis quam indignationis argumenta ostendisti. Denique S. Bernardus, *serm.* 9 : « Meliora sunt ubera tua vino, » hoc est, inquit, « pinguedo gratiæ, quæ de tuis uberibus fluit, efficacior mihi est ad spiritalem profectum, quam mordax increpatio prælatorum. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima fideli.

Animæ accommodes, quæ dicta sunt de Ecclesia, mutato duntaxat nomine. Unde Chaldæus vertit, *præ multitudine dilectionis, qua dilexit nos magis quam septuaginta nationes.* Anima ergo Christo desponsata ei dicit : « Meliora sunt (o sponse) ubera tua vino, » id est, melior mihi est, magisque mihi sapit lac tuæ doctrinæ et gratiæ, quam omne vinum consolationis, deliciarum, prudentiæ et astutiæ humanæ : hoc enim mentem æque ac corpus infirmat, amaricat, cruciat, dissolvit animam, decipit, infatuat, dementat juxta illud : « Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, » *Thren.* IV, 5; et illud : « Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? » *Prov.* XXIII, 29 et 30. Vide ibi dicta. Tuum vero lac super omnes delectationes humanas lætificat, satiat, tuetur a noxiis, firmat a lapsu, roborat in bono, nubila animi dispellit, iras, amores vanos et odia sedat, ac cor implet Dei et proximi charitate. Hoc lac gustarat Psaltes, unde exclamat : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! » *Psalm.* XXX, 20.

Sponsæ ubera consolationes spirituales.

Porro *ubera* peculiariter notant consolationes, gustus et delicias spirituales, quibus Deus animam lactat, exhilarat, roborat, idque indificienter et assidue. Ubera enim hominis et terrenarum voluptatum illico exhauriuntur, et exarescunt; at ubera Christi inexhausta perpetuum lac deliciarum fundunt, idque promptissime et largissi-

me. Audi S. Bernardum, *serm.* 9 : « Carnis, inquiunt (animæ piæ desponsæ Christo), voluptatem, qua paulo ante, tanquam vino, ebriæ tenebamur, vincunt hæ, quas tua nobis ubera stillant, deliciæ spirituales. Et pulchre vino comparant carnalem affectum : ut enim uva semel expressa non habet jam quod denuo fundat, sed perpetua ariditate damnatur, sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad libidines. Unde Propheta : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, *Isai.* XL, 6; et Apostolus, *Galat.* VI, 8 : Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. Et rursum, I *Corinth.* VI, 13 : Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc, et has destruet. » Subjicit deinde idem de mundi voluptatibus : « Vide autem ne non carni tantum, sed et mundo forte competat ista proportio; siquidem et ipse transit, et concupiscentia ejus ; et cum omnia quæ in mundo sunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum ubera non sic; hæc enim cum exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt quod propinent sugentibus. Merito proinde meliora carnis, sæculive amore asseruntur ubera sponsæ, quæ nullo unquam lactentium numero arefiunt, sed semper abundant de visceribus charitatis, ut iterum fluant : flumina siquidem fluunt de ventre ejus, fitque in ea fons aquæ salientis in vitam æternam, » *Joan.* VII, 38.

Denique S. Bernardus, *serm.* 10, duo ubera Prælatis assignat, maternum affectum congratulationis et compassionis, quem præscribit Apostolus, *Rom.* XII, 15, dicens : « Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus : » ut congratulatio fundat lac exhortationis, compassio vero consolationis; utroque vero irrorari matrem spiritualem, cum per orationem osculum sponsi haurit.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

« Quid, ait Rupertus, per ubera ejus, nisi dulcedinem ejus recte intelligimus? Et quid est dulcedo ejus, nisi Spiritus Sanctus? Talis dulcedo pulchre in duo ubera discernitur, quia duo sunt data ejusdem Sancti Spiritus. Alterum datum est in remissionem peccatorum, cujus videlicet dati ubere nullus ante hanc Beatam Virginem lactatus est sanctorum antiquorum. Alterum datum est in diversarum divisiones sive distributiones gratiarum, quo videlicet ubere lactati patres sancti et prophetarunt, et multa miracula operati sunt. »

Ubera sunt maternitas Dei.

Porro ubera proprie a Deo communicata B. Virgini, sunt ipsa maternitas Dei : hujus enim insigne sunt ubera, hæc enim, mox ut femina parit, fitque mater, intumescunt, lacte replentur ad alendam prolem. Deus enim Pater sicut genuit Filium, qua Deus est, sic et B. Virgini ceu matri dedit eumdem generare, qua homo : quæ summa est ejus dignitas, superans omne vinum excellentiæ creatæ, ac summam requirit gratiarum omnium excellentiam. Nam, ut docet D. Thomas, I part. *Quæst.* XXV, art. 6, Deus omnibus rebus a se creatis potest alias creare meliores et nobiliores, exceptis tribus, scilicet humanitate assumpta a Verbo, visione beatifica, et maternitate Dei : hæc enim tria cum Deum habeant pro objecto, a nulla re superari, et a nullo dono creato transcendi possunt.

Exempla.

Hinc mulier illa in Evangelio exclamavit : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti, » *Luc.* XI, 27. Et S. Augustinus inter B. Virginem et Christum crucifixum se constituens : « Hinc, ait, lactor ab ubere, hinc pascor a vulnere. » Hoc uberum suorum lac B. Virgo visibiliter communicans clerico cuidam Nivernensi sibi devoto, jam animam agenti, eum vitæ et sanitati restituit, uti narrat B. Petrus Damianus, lib. VI, *epist.* 29 : « Cum enim, inquit, velut egressurus in ejus pectore spiritus anxie palpitaret, ecce gloriosa Mater Dei sibi visibiliter astitit, et sacri uberis papilla lac exprimens ejus labiis instillavit, et divinæ virtutis antidoto protinus ille, resumptis viribus, ex infirmitate convaluit, et mox clericalibus ornamentis indutus Ecclesiam adiit, seseque choro psallentium fratrum lætus interserens, mirum videntibus spectaculum præbuit. Dicitur etiam quod adhuc tunc in labiis ejus quædam lactis videbantur vestigia. » Hucusque Damianus.

S. Augustini.

Clerici Nivernensis.

Idem contigit S. Fulberto episcopo Carnotensi, qui doctrina et sanctitate illustris obiit anno Domini 1028. Cum enim ipse mire B. Virgini devotus exsisteret, ac igne sacro correpta esset ejus lingua, ita ut totus arderet; nocte quadam cum præter morem eo cruciaretur, obtulit se ei visendam matrona nobilis, a qua monebatur ut ei os aperiret : quod cum fecisset, mox ex sacris suis uberibus lac expressit in os ejus; quo ita refrigerata est lingua, ut ardorem omnem exstinxerit, et eum perfectæ sanitati restituerit. Ne autem illusio aut phantasma esse putaretur, in Fulberti gena remanserunt guttæ aliquot, quas ipse diligenter sudario exceptas collegit, hodieque in thesauro ecclesiæ Carnotensis summa cum veneratione servantur. Ita habent Annales Ecclesiæ Carnotensis, et Willelmus Malmesburiensis, lib. III *De Gestis Anglorum*, ac Baronius, tomo XII, anno Christi 1028.

S. Fulberti.

Fertur et S. Bernardus eodem lacte B. Virginis ab eadem aspersus, in dicendo et scribendo lacteus et mellifluus evasisse, præsertim ubi de laudibus B. Virginis et Verbi incarnati agit. Unde et hymno ejusdem cujus initium : « Salve, regina, mater misericordiæ, » quem composuit Hermannus Contractus Comes de Vernigen, monasticen professus in monasterio S. Galli sub annum Domini 1040, quemque sub vesperam passim in Ecclesiis ad honorem B. Virginis decantari audi-

S. Bernardi.

Quis auctor hymni, *Salve regina* ?

mus, mire delectabatur S. Bernardus. Hinc in hymnum hunc plures sermones conscripsit : ideoque Canonici Spirenses, S. Bernardo Spiræ Ecclesiam B. Virginis ingrediente, hymnum hunc decantarunt, ipsomet S. Bernardo ter positis genibus succinente : « O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria! » In cujus rei memoriam hæc ipsa verba tribus æneis incisa laminis iisdem locis humi positis etiamnum Spiræ visuntur.

VERS. 2. FRAGRANTIA UNGUENTIS OPTIMIS.

Hebræa, *ad odorem unguentorum tuorum bonorum*, scilicet antonomastice, id est optimorum ; Syrus, *in odorem suavitatum tuarum*. Unde nonnulli hæc referunt ad *oleum* quod sequitur, sicque cum eo nectunt, « ad, » id est *propter*, « odorem unguentorum tuorum, oleum effusum est nomen tuum. » Verum melius Noster τὸ *ad odorem* exponit *odorata*, puta *fragrantia*, refertque ad *ubera*, quæ præcesserunt. Solent enim feminæ nobiles et lautæ ad pectus et ubera gestare olfactoriola et myrothecas, id est capsulas muscum aliosque odores suaves in se continentes, quæ *Psalm.* XLIV, 9, vocantur *domus eburneæ* : *domus* enim Hebræis thecam quamlibet significat.

Domus apud Hebræos thecam significat.

Porro Septuaginta τὸ *optimorum* explicantes vertunt, *et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Si enim unguenta sponsi sunt optima, ergo superant omnia unguenta et aromata. Alludit ad ritum priscorum, apud quos sponsi corona redimiti, et unguentis delibuti, nuptias inibant. Unde de Christo sponso dicitur, *Psal.* XLIV, 8 et 9 : « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis. » Huc facit illud Virgilii :

> Nec mihi jam pingui sudabunt tempora myrrha,
> Pronuba nec castos incendet pinus honores.

PRIMUS SENSUS,

De Christo et Ecclesia.

Sensus ergo est, *q. d.* « Meliora sunt ubera tua vino, » ob fragrantiam, sive quia redolent et fragrant unguentis optimis. Sponsa enim novella uti necdum sponsi oscula, sic nec lac uberum, nisi eminus perceperat ; sed eorum fragrantia, id est fama, inescata et illecta tam lac uberum quam osculum oris desiderat. Odor enim symbolum est famæ, juxta illud, *Eccl.* VII, 2 : « Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa ; » et illud, II *Cor.* II, 15 : « Christi bonus odor sumus Deo, » id est, Christi famam prædicando ubique spargimus. Sic Magdalena illecta suavi fama, quæ spargebatur de sanctitate, suavitate et potestate Christi, ad osculum pedum ejus accurrit. Unde Chaldæus hæc more suo Synagogæ, id est Mosi et Judæis qui fuere typus Ecclesiæ, id est Christi et christianorum, accommodans sic vertit, *a voce miraculorum tuorum et potentiæ tuæ, quæ fecisti populo tuo domui Israel, commoti sunt omnes populi, qui audierunt famam potentiæ tuæ et signorum bonorum tuorum.*

Odor, fama symbolum.

Hinc rursum unguenta Christi sunt charismata Spiritus Sancti : hæc enim suavissimum de eo odorem et famam ubique spargebant. Unde Rupertus : « Optima unguenta, ait, sunt charismata hæc : sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, opera virtutum, prophetia, discretio spirituum, et cætera, quæ qui habent, boni odoris sunt, et suaviter fragrant sicut unguentum optimum. Unde Apostolus : Deo gratias, inquit, qui semper triumphat per nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo. » Nam de Christo ait S. Petrus, *Actor.* X, 38 : « Unxit eum Deus Spiritu Sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendoet sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. » Unde ejus « fama exiit in universam regionem, » *Luc.* IV, 14 ; et, « divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis, » *ibid.* vers. 37.

Unguenta charismata Spiritus Sancti.

Porro versionem Septuaginta quæ habet, *et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, et qui eos sequitur Arabici, *et odor suavitatum tuarum est præstantissimus omnium suavitatum*, sic exponunt Patres, *q. d.* Christi gratia et virtus, qua unxit eum Pater, superat omnia dona, gratias et virtutes datas, non tantum Moysi et prophetis, sed et omnibus sanctis simul sumptis. Nam, ut de eo ait Habacuc, cap. III, 3 : « Operuit cœlos virtus ejus, » id est cœlestis est, cœlosque et angelos cœlestes transcendit : Christi enim virtus per se est ipsa virtus ; Christi sapientia, justitia, charitas, etc., per se est ipsa sapientia, justitia, charitas, etc., ait Nyssenus. Sic et Origenes, Aponius et Theodoretus, quem audi : « Nota, inquit, sunt mihi unguenta, quæ Moses confecit, et oleum unctionis, et thymiama compositionis ; sed omnium illorum aromatum unguentum tuum est suavissimum. Unguentum hic vocat gratiam spiritalem, qua ille refertus, ex plenitudine sua nobis omnibus impertivit : quamobrem clara voce beatus, Paulus II *Cor.* II, 15 : Christi bonus, inquit, odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. » Christus enim a primo instanti conceptionis suæ, infusam sibi a Deo accepit omnem gratiam et virtutem, idque in tanto gradu, perfectione et sublimitate, ut sit gratia capitis, quæ scilicet a Christo in omnes Sanctos, velut a capite in membra derivatur, juxta illud : « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis, » *Psalm.* XLIV, 8. In Christo enim habitavit non tantum similitudo, sed et « omnis plenitudo divinitatis, » ut ait Paulus, *Coloss.* II, 9. Unde de « plenitudine ejus nos omnes accepimus, » *Joan.* I, 16.

SECUNDUS SENSUS,

De Christo et anima sancta.

Christus sponsus ubera sua unguentis et cha-

rismatibus optimis fragrantia, communicat sponsæ suæ, puta animæ sanctæ, juxta illud, I *Cor.* I, 30 : « Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. » Unde S. Gregorius, qui per duo ubera accipit duplicem dilectionem Dei et proximi : « Hæc ubera, ait, unguentis optimis fragrant, quia odorem suavitatis per sapientiæ verba, et sanctitatis exempla secum portant. Quicumque enim sancta charitate per gratiam Dei se reficit, is spiritualium donorum et odorem et suavitatem sentit. Quorum bonorum ubertate proximos quosque ad interiora gustanda secum trahit, et ut in amorem divinum convalescant, istis uberibus nutrit. » Hæc ergo sunt optima, respectu unguentorum carnalium; quia quos inungunt, veros reges ac sacerdotes efficiunt. Cæteri qui per ubera Christi accipiunt apostolos et doctores evangelicos, dicunt eos fragrantia gratiarum, virtutum sanctarum, operationum et miraculorum, indeque consequentis famæ et gloriæ superare sanctos prophetas, patriarchas, sacerdotes et reges mosaicos. « Quia tantis, inquit Justus Orgelitanus, virtutibus, tantisque enituere miraculis, ut odor justitiæ eorum longe lateque diffusus tunc intuentes oblectaret, et usque huc omnes reficiat auditores, sicut unus ex ipsis pronuntiat dicens : Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, » II *Cor.* II, 14; et : « Qui unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, » II *Corinth.* I, 21 et 22. Vide quæ utrobique annotavi.

Tria animæ unguenta mystica.

Denique S. Bernardus, *serm.* 10 et seq., assignat tria mystica animæ unguenta : *primum*, contritionis; *secundum*, devotionis; *tertium*, pietatis; quæ deinde singula fuse prosequitur : « *Primum*, inquit, est pungitivum dolorem faciens; *secundum*, temperativum dolorem leniens; *tertium*, sanativum morbum expellens. » Triplici hoc unguento Magdalena unxit, tum pedes, tum caput Christi. Anima vero sancta maxime eum ungit unguento laudis et gratiarum actionis, qua omnem suam gratiam, omne meritum, omnem laudem et gloriam attribuit Christo. Idem, *serm.* 22, per *unguenta* accipit quatuor virtutes cardinales, quæ in solo Christo veræ sunt, in philosophis vero fictæ et falsæ : « Quid vobis, ait, cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Ubinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Ubi vera justitia, nisi de Christi misericordia? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo, qui ejus doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student; soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quam a Domino virtutum, cujus doctrina seminarium prudentiæ, cujus misericordia opus justitiæ, cujus vita speculum temperantiæ, cujus mors insigne est fortitudinis. »

TERTIUS SENSUS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus, qui hæc uti et cætera omnia totius Cantici, proprie de B. Virgine accipit, asserit ubera charitatis geminæ concessa B. Virgini fragrasse odorem suavissimum virtutum omnium, quas Spiritus Sanctus in alios dispertit, sed omnes in Virgine collegit, idque tanta copia et plenitudine, ut ipsa sola iis omnibus magis fragrarit, quam cæteri sancti in unum congregati, juxta illud, *Eccli.* XXIV, 20 : « Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, etc. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me spes omnis vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus (id est fructibus genitis) meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum. » Vide ibi dicta.

OLEUM EFFUSUM NOMEN TUUM.

Oleum non tantum ex olivis, sed ex quolibet flore, herba, aromate distillatur, quod totam rei substantiam, succum, pinguedinem et vim exsugit : unde a medicis vocatur *quinta essentia*, quæ si cum oleo aliorum aromatum scite commisceatur, unguentum facit præstans et odoratum. Hinc Septuaginta, Vatablus et alii vertunt, *unguentum evacuatum nomen tuum*; Syrus, *unguentum myrrhæ nomen tuum*; Arabicus, *nomen tuum unguentum suave effusum*. Hebræum enim שמן *schemen*, non tantum oleum, sed et unguentum significat, idque huic loco magis congruit. Explicat enim τὸ *fragrantia unguentis optimis*, *q. d.* Ubera dulcissimæ tuæ beneficentiæ, o Christe, meliora sunt vino, id est omnibus mundi voluptatibus et illecebris, quia fragrant optimis unguentis, id est exspirant charismata optima, quæ in omnes effundis, adeo ut oleum, sive unguentum effusum vocari possis, hocque nomen sit tibi peculiare et proprium. Unde in Hebræo pulchra est paronomasia : שם *schem* tuum est *schemen* שמן, id est *nomen tuum* est *oleum*, oleique numen. Quocirca Hortolanus sic paraphrastice, sed genuine et sapienter exponit, *q. d.* Hisce cœlestibus unguentis tu a Spiritu Sancto perfusus totus, Christe, fragras, suavissime oles, atque admirandis dictis ac factis tuis tantum jam tibi nomen comparasti : sic tua inclyta fama, quæ

Paraphrasis.

olim intra cœlum se continebat, per Evangelii tui prædicationem totam subito pervasit Judæam et Syriam : sic salutiferum tuum, bone Jesu, nomen magna admiratione innotuit, ut nihil aliud quam unguentum pretiosissimum videatur, quod e cœlesti myrothecio in terras effusum, suo odore longe lateque diffuso circumstantes mirifice delectat, et ad sui rapit admirationem et desiderium. *Effusum*, quia liquores cum effunduntur, tum maxime suavitatem sui odoris exspirant, eoque adstantium olfactum demulcent, alliciunt et recreant.

Nomen Christi, oleum effusum, quodnam? Resp. Primo, *Jehova*.

Quæres, quodnam hoc nomen? *Primo*, Chaldæus accipit nomen *Jehova* : « Et nomen tuum sanctum, inquit, auditum est in universa terra, quod est electum magis, quam oleum unctionis, quo unguntur capita regum et sacerdotum. » Unde multi nomen hic accipiunt Dei, qui in creatione mundi suam bonitatem et beneficentiam in omnes creaturas ceu oleum effudit, ac in ejusdem redemptione viscera misericordiæ suæ, puta Unigenitum suum, in carnem nostram emisit, imo effudit. *Jehova* enim significat ipsum *esse*, ac essendi oceanum, sive pelagus immensum, primumque omnium principium, a quo res omnes velut e fonte suum *esse* mendicant et hauriunt; *Jehova* vero in *Jesum* transmutatus est, cum Deus factus homo, gratiæ et salutis suæ pelagus in fideles omnes effudit. Addit Eusebius, lib. IV *Demonstr.* cap. v, *Jehova*, id est Deum Patrem totam suam divinitatem in Filium per generationem effundere : Patrem vero et Filium eamdem in Spiritum Sanctum per spirationem transfundere. Unde idem, lib. V *Demonstr.* I, Filium vocat *fragrantiam* Patris.

Porro nomen *Jehova*, id est Dei, olim solis Judæis notum, ac in Judæa quasi conclusum, per Jesum, id est Verbum incarnatum, sparsum et effusum est per totum orbem, cum ad prædicationem apostolorum omnes gentes, etiam atheæ, cognoverunt, amaverunt et glorificaverunt Deum. Ita Origenes, Anselmus et alii. Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virgin.*, post medium : « Semper unguentum hoc erat, sed erat apud Patrem : erat in Patre : olebat tantum angelis et archangelis tanquam intra vas cœli. Aperuit os Pater dicens : Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ : descendit Filius, repleta sunt omnia novo odore. » Et nonnullis interjectis : « Ipse Dei Filius in corpore tanquam in vase odorem primo cohibebat suum, opperiens tempus, sicut ait : Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciat quando me oporteat dicere sermonem. Venit hora, aperuit os : exivit unguentum, quando virtus exibat de eo. Hoc unguentum exinanitum super Judæis, et collectum est a gentibus : exinanitum in Judæa, et redoluit in omnibus terris. »

Secundo, Christus est

Secundo, magis proprie et genuine, nomen hoc est *Christus* : ipse enim a Judæis vocatus est *Messias*, a Græcis *Christus*, a Latinis *Unctus*, quia in incarnatione, qua homo per gratiam Dei patris unctus et consecratus est summus Pontifex, Propheta, Legislator, Rex et Redemptor orbis. Unde hoc gratiæ suæ unguentum in omnes credentes in ipsum effudit, et in dies effundit : hinc a Christo omnes vocantur *christiani*. « Cum enim vim suam et potestatem apostolis tradidit, totus mundus pietatem sanctissime inoluit, » ait Philo Carpathius. Unde et in baptismo visibiliter christiani chrismatis unguento in corpore, et gratia Spiritus Sancti in anima invisibiliter perunguntur, ait Theodoretus. Quocirca Nazianzenus, orat. *in S. Baptisma* : « Unguentum illud, inquit, nostra causa exhaustum odoremur, spirituali modo illud accipientes, atque ab eo ita efformati et commutati, ut ex nobis quoque suavis odor effletur. » Sicut enim Magdalena unguentum effundens in caput Christi, totam domum odore suavi replevit, sic Christus gratias suas in fideles effundens, totam Ecclesiam, imo totum orbem, suavissimo Evangelii odore complevit. Sic et Cassiodorus, Justus Orgelitanus, Beda et S. Gregorius, quem audi : « Nomen, inquit, sponsi Christus est; sed nomen sponsi quasi oleum effunditur, quia quicumque nomine christiano in veritate censentur, charitate affluunt, qua molliuntur; et, ut flammas exemplorum emittant, eadem charitate continue suffunduntur. » Et S. Augustinus, conc. 3 *in Psalm.* XXX, per unguentum Christi intelligens ejus misericordiam : « Nec, ait, unguentum misericordiæ tuæ in Jerusalem quasi in vase tenuisti, sed tanquam confracto vase, unguentum diffusum est per mundum, ut impleretur quod dicitur : Unguentum effusum nomen tuum; et ita mirificasti misericordiam tuam in civitate circumstantiæ, id est in omnibus gentibus diffundens misericordiam tuam. »

Unguentum gratiæ.

Unguentum misericordiæ.

Simili modo Philo Carpathius per unguentum accipit ardentissimam Dei Christique charitatem in nos effusam et profusam. Hac de causa pontifices æque ac reges et principes oleo unguntur, ut plenam in subditos charitatem effundant. Hinc de Jesu pontifice et Zorobabele principe dicitur *Zachar.* IV, 14 : « Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terrræ. » Ac de Elia et Henoch dicitur *Apoc.* XI, 4 : « Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes. » Vide utrobique dicta.

Porro Eusebius, lib. IV *Demonstr.* cap. XV, addit Christum non tantum qua homo est, sed etiam qua Deus est, ab æterno unctum esse oleo, id est accepisse a Patre plenitudinem divinitatis : « Supremæ, inquit, atque ingenitæ divinæ essentiæ virtutem illam, quæ omnia valet, omne bonum præstat, omnem pulchritudinem subministrat, divinus Spiritus proprio et convenienti exemplo conferens atque accommodans, Dei *oleum* appellat. Quare et *Christum*, et *unctum* eum qui illius particeps est, vocat. » Et paucis

interjectis : « Eum, inquit, qui solo hoc toto oleo unctus est, quive divinæ, atque ejus, quæ cum nullis aliis communicatur, paternæ fragrantiæ princeps factus, et qui solo ex illo genitus, Deus Verbum communicatione gignentis ingeniti, Deus de Deo est declaratus, Christum atque unctum vocavit. »

Verum proprie agitur hic de Christo, qua homo est; sic enim est sponsus Ecclesiæ, ideoque dicitur *Christus*, id est unctus, idque adeo copiose et plene, ut non tantum unctus, sed et unguentum ac *oleum* nominetur : « Oleum, inquit, effusum nomen tuum, » qua effusione christianos consecravit in mysticos reges et sacerdotes, juxta illud I *Petr.* II, 9 : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. »

Christi duplex unctio.

Christus ergo qua homo, duplici oleo sive unguento, id est duplici gratia unctus fuit. *Prima* est gratia unionis hypostaticæ, per quam caro unita est Verbo, et homo factus est Deus. *Secunda*, ex priore jam dicta consequens, est gratia habitualis infusa animæ Christi, quæ eum non tantum sanctificavit, sed et sanctitatis fontem ac sanctorum omnium caput et causam constituit : inde enim secuta est omnis gratiæ effusio in cunctos fideles et sanctos cujuslibet gentis, ætatis, sexus, conditionis, gradus et ordinis : « Judæus, ait S. Bernardus, habet oleum, sed non effusum; habet in codicibus, sed non in cordibus. Quid tibi prodest pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus? » At christianus a Christo accipit pietatem in moribus, qui unctionem Christi accipit in cordibus.

Denique, per *nomen* accipitur res et persona nomine significata, *q. d.* ait Beda : « Oleum effusum nomen tuum, » hoc est, recte nominaris, o Christe, id quod es, puta plenus Spiritu, ejusque donis, quæ copiose in alios effundis. *Oleum* enim notat Spiritum Sanctum ejusque charismata, quæ Christus in Pentecoste in apostolos cæterosque fideles large distribuit, juxta illud : « Effundam spiritum meum super omnem carnem, » *Joel.* II, 28.

Tertio, *Jesus.*

Tertio, nomen proprium sponsi Ecclesiæ est *Jesus* : nomen enim *Christus* est nomen officii; nomen vero *Jesus* est proprium personæ, scilicet hujus hominis qui unitus est hypostatice Verbo. Nomen enim Jesus illi impositum est in circumcisione, sicut nobis in baptismo imponitur nomen Cornelii, Petri, Pauli, etc.; *Jesus* enim significat Salvatorem, qualis solus fuit homo Deus, sive Verbum incarnatum; hoc enim gratiam salutiferam, eamque variam et multiplicem in fideles effundit, qua ad salutem et gloriam æternam perveniant, juxta illud : « Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, » *Actor.* IV, 12. Jesus enim virginibus effundit gratiam castitatis virginalis, viduis vidualis, conjugatis conjugalis, martyribus aspirat fortitudinem, doctoribus doctrinam, religiosis religionem, anachoretis solitudinem, activis actionem, contemplativis contemplationem, etc.; atque hæc omnia non stillat parce, sed large effundit, idque cum mira suavitatis fragrantia, adeo ut animæ sanctæ nil sit suavius, nil dulcius, quam cogitare, nominare, invocare Jesum. « Jesus, ait S. Bernardus, mel in ore, melos in aure, jubilus in corde : nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quam Jesus Dei Filius. Jesu dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium et omne desiderium. » Vide totum hymnum S. Bernardi de nomine *Jesu*.

Dicit ergo Ecclesia et anima fidelis Christo : Tu mihi es Jesus, tu meus Salvator, tu mea salus, tu unguentum salutis tuæ in omnes sanctos effundis. Hoc enim nominis tui unguentum compositum est ex pretiosissimis aromatibus divinitatis et humanitatis tuæ, puta carnis, sanguinis, et animæ tuæ omnibus donis et virtutibus ornatissimæ, cum divinitate commistis. Ita S. Cyrillus, lib. IV et IX *De Adoratione*.

Nomen Jesu includit cætera Dei nomina.

Ideoque nomen Jesu includit nomen *Iehova*, cæteraque omnia Dei et Christi nomina, quæ sunt : Emmanuel, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, etc., *Isai.* IX, 6; *Num.* XIV, 18. Hinc nomen *Jesu* ita suave et amabile fuit S. Paulo, ut illud singulis sæpe periodis repetat, cum eoque dissuavietur. Hinc in paucis suis Epistolis illud iterat ducenties decies novies, *Christi* vero nomen quadringenties semel. Idem fecit S. Ignatius, ut patet ex ejus Epistolis, præsertim in *epist. ad Romanos*, ubi et illud : « Jesus meus, amor meus, crucifixus est. » Sic et S. Dionysius, qui cap. IV *Eccles. hierarch.* pag. 3 : « Scimus, ait, augustissimum Jesum supersubstantialiter odorem fragrantem, spiritualibus distributionibus mentem nostram divina voluptate replere; » et S. Franciscus, inquit S. Bonaventura in ejus Vita, « cum nomen *Jesu* exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutasset auditum. »

Quam sæpe a S. Paulo et S. Ignatio repetitum.

Jesu nomen dicitur תורק *turak*, Septuaginta, ἐκκενωθέν, id est *evacuatum* et *exinanitum*, tum in circumcisione, ubi primitias sanguinis effundens nomen hoc meruit; tum in passione et cruce, ubi totum sanguinem, spiritum et vitam nobis effudit, juxta illud : « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, » *Philip.* II, 7 et 8. Unguentum in vase conclusum non sentitur, at effusum fragrantiam in omnes effundit. Sic *Jesu* nomen in Christo quasi conclusum non sentiebatur; at ubi in circumcisione et cruce sese effudit, suavissimos amoris omniumque virtutum odores in omnes exhalavit, inquit Theodoretus, Philo Carpathius et Aponius;

« Sicut aqua, inquit ipse, effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea, » *Psal.* XXI, 15. Audi S. Ambrosium, serm. 1 *in Psal.* CXVIII : « Unguentum exinanitum nomen tuum, hoc est, totus immundis impuritatibus diversorum facinorum fœtebat hic mundus; nunc spirat ubique suavitate pudicitiæunguentum fidei, flos integritatis. » Idem, lib. *De Isaac et anima,* cap. III : « Aspirat in verbo odor gratiæ, et remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum, omnia tanquam exinanito replevit unguento, quia per universos gravis vitiorum colluvies detersa est. »

Alludit ad candelabrum aureum, quod septem calamis, sive lucernis olei ardebat in Sancto ante propitiatorium, cherubim et arcam, quæ erant in Sancto sanctorum. Unde et hebræum nomen ישוע *Iescua,* id est *Jesus,* mediam præcipuamque litteram continet ו, quæ speciem habet candelabri, sive lucernæ tricipitis. Candelabrum autem ejusque lucernæ repræsentabant Christum, ejusque in vita et doctrina splendorem. Vide dicta *Exodi* cap. XXV, 31.

Oleum symbolum. Primo, tranquillitatis.

Porro oleum symbolum est, *primo,* pacis et tranquillitatis; unde illud: «Oleo tranquillior.» Oleum enim adeo tranquillum est, ut et mare tumultuans tranquillet: qua de causa urinatores solent oleum spargere descendentes in mare, ut illud tum quietum et serenum, tum lucidum reddant, ut hac luce id quod in eo mersum perditumque requirunt, inveniant, teste Plinio, lib. II, cap. CIII.

Secundo, gratiæ.

Secundo, oleum symbolum est gratiæ et misericordiæ; unde Græcis vicina sunt nomina ἔλαιον et ἔλεος, id est *oleum* et *misericordia,* ut unum ab altero vim et nomen sumpsisse videatur. Huc facit quod ait Plinius, lib. XV, cap. II : « Olivantibus lex antiquissima fuit : Oleum ne stringito, neve verberato. » Hac de causa sub nativitate Christi, Romæ fons olei scaturiit, qui per integrum diem continue oleum manavit, significans jam nasci Christum, qui oleum suavitatis, clementiæ et gratiæ spargeret per totum orbem. Prodigium hoc narrat Osorius, lib. VI, cap. XIX, et Eusebius in *Chronico,* Paulus Diaconus, et ex iis Baronius.

Tertio, caloris.

Tertio, oleum symbolum est pinguedinis et caloris, quem afferunt amor et charitas; oleum enim est aereum, et multum spiritus continet, ideoque aquis supernatat, ait Aristoteles, lib. II *De Generat. animal.* cap. II. Hinc et « opimat pecus olea, » ait idem, lib. VIII *Histor. animal.* cap. X. Idem asserit apes gaudere olea, ut mellificent. Addit ex Theophraste Plinius, lib. XV, cap. II : « Olei causa est calor; quare et in torcularibus, et jam in cellis multo igne quæritur. » Idem, cap. IV : « Oleo, inquit, natura est tepefacere corpus, et contra algores munire. »

Quarto, odoris.

Quarto, odoris et fragrantiæ boni exempli, nominis et famæ; oleum enim hic non purum, sed ex variis aromatum et odorum speciebus artificiose commistum, ideoque fragrantissimum intelligitur.

Quinto, hilaritatis.

Quinto, oleum signum est et causa hilaritatis : unctos enim exhilarat, nitidosque et lætos ac lucidos efficit; unde illud : « Ut exhilaret faciem in oleo, » *Psalm.* CIII, 15.

Sexto, deliciarum.

Sexto, oleum, et magis unguentum symbolum est voluptatis et deliciarum; unde olim in conviviis convivæ unguentis pretiosis ungebantur ad lautitias et delicias.

Septimo, roboris.

Septimo, oleum confortat corpus, viresque membris vel lassis itinere, vel labore quolibet defatigatis restituit. Unde Samaritæ, captivos quos ex Juda abduxerant, monitu Prophetæ cibo potuque refectos, et oleo unctos ad abstergendam defatigationem itineris, in patriam remiserunt, II *Paral.* XXVIII, 15. Hinc et athletæ in stadio decertaturi, oleo se ad majus robur perungebant; atque victores olea coronabantur. Audi Plinium, lib. XV, cap. IV : « Oleæ honorem Romana majestas magnum præbuit, turmas equitum idibus Juliis ex ea coronando; ita minoribus triumphis ovantes; Athenæ quoque victores olea coronabant. » Idem, lib. XXIII, cap. IV : « Omni oleo, inquit, mollitur corpus, vigorem et robur accipit, etc. Venena omnia hebetat. Et lassitudinum perfrictionumque refectio est : tormina calidum potum pellit; item ventris animalia; vulnerariis emplastris utile, faciem purgat, etc. Lethargicis magis auxiliare, et inclinato morbo. Capitis doloribus remedium est : item ardoribus in febri. » Plura addit in hanc rem.

Octavo, medicinæ.

Octavo, notissimum est oleum adhiberi vulneribus medicandis; unde est illud, *Isai.* I, 6 : « Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. » Et Samaritanus ille evangelicus in vulnera semivivi oleum infudisse narratur et vinum, *Luc.* cap. X, 34.

Hæc omnia præstat Jesus.

Hæc omnia præstat nomen Jesu, nam *primo,* iratos tranquillat, et passiones omnes sedat; *secundo,* gratiam et misericordiam affert, imo effundit; *tertio,* animam impinguat et calefacit amore et ardore cœlesti; *quarto,* suavissimum gratiæ decus et famam omnibus aspirat; *quinto,* mœstos exhilarat; *sexto,* fideles cœlestibus deliciis pascit, imo inebriat; *septimo,* martyres et pro virtute depugnantes, ac certando delassatos corroborat, ut omnia tormentorum genera alacriter et generose superent, ac victores coronat; *octavo,* omnibus animæ vulneribus medetur.

Audi S. Bernardum, *serm.* 15 : Olim, inquit, hoc nomen « nec modo fusum, sed et effusum : nam infusum jam erat. Jam cœli habebant illud, jam angelis innotuerat. Est autem foris missum; et quod angelis ita erat infusum, ut esset et privatum, effusum et in homines est, ita ut jam tunc merito clamaretur de terra : Oleum effusum nomen tuum. » Et inferius : « O nomen benedictum! O oleum usquequaque effusum! Quousque? De cœlo in Judæam, et inde in omnem terram excurrit; et de toto orbe clamat Ecclesia : Oleum effusum nomen tuum. Effusum plane, quod non solum cœlum terrasque perfudit, sed aspersit et inferos,

adeo ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur et dicat : Oleum effusum nomen tuum. » Et post nonnulla : Oleum, ait, « lucet, pascit et ungit; fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine : lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. Et percurramus singula. Unde putas in toto orbe tanta et tam subita fidei lux, nisi de prædicato Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum? quibus illuminatis et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Et post pauca : « Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor Jesus, et inde saliat in os : et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia (ut assolet) cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? cui fons forte siccatus lacrymarum, invocato Jesu, non continuo erupit uberior, fluxit suavior? Cui, in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? » Denique ex dictis ita concludit : « Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Jesum hominem, mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet, et roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, et auxilium a potente, etc. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur, et actus. Denique et invitaris : Pone me (inquit cap. VIII, 6) signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. » Plura vide apud eumdem, *serm.* 15 et 18.

Superiora B. Virgini et animæ sanctæ aptanda.

Hæc omnia quæ dicta sunt de Christo et Ecclesia, facile mutato nomine est applicare animæ sanctæ, et magis B. Virgini. Unde Rupertus per nomen accipiens Verbum, sive Filium Patris æterni, per quem creavit omnia : « Quis potest, inquit, æstimare fortitudinem ejus? Porro nomen hoc tam forte, tam magnum, ecce est oleum effusum. Mira res! Quid Verbo fortius, et quid oleo suavius! Ergone Verbum est a sua natura immutatum? non; sed qualitates creaturarum, cum quibus illi ratio est, hinc pro virtute, illinc vitio diversæ, imo contrariæ sunt. Verbi gratia, diabolus in cœlo per vitium superbus fuit : tu, Virgo, per virtutem humilis in terra apparuisti. Pro qualitatibus tam diversis, tamque contrariis, vitium, idemque verbum, illi ut flumen, tibi ut oleum sese exhibuit, juxta illud Jacobi, IV, 6 : Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. » Et post pauca : « Effusum ergo est oleum, id est nomen tuum, quia processit de secreto substantiæ tuæ Verbum tuæ fortitudinis cum suavitate miserationis. »

IDEO ADOLESCENTULÆ DILEXERUNT TE.

Quænam hic adolescentulæ? Primo, animæ in justitia novellæ.

S. Bernardus, *serm.* 19, addit *nimis*, sed id non habent Hebræa, Græca et Latina. *Adolescentulas* vocat Ecclesias et animas in fide et justitia novellas, ac recenter per baptismum in Christo regeneratas, quæ instar adolescentularum sensim uti ætate, ita et virtute proficiunt et adolescunt, ut tandem perfecte Christo sociari, eique spirituali nuptiarum vinculo osculoque intime copulari mereantur. Ita Cassiodorus, Beda, Haymo, Justus et alii. Hebraice pro *adolescentulæ* est עלמות *alamoth*, id est virgines; עלמה *alma* enim vocatur *virgo*, quia abscondita et viro incognita est, a radice עלם *alam*, id est *abscondit*, uti fuse ostendi *Isai.* VII, 14, ad illa : « Ecce virgo (Hebraice *haalma*, id est *illa virgo*, puta Virgo Deipara) concipiet et pariet filium. » Sensus ergo est, *q. d.* Adolescentulæ, hoc est animæ in fide et virtute novellæ, quasi virgines a corruptelis mundi absconditæ, dum fragrantiam olei sive unguenti, hoc est charismatum Christi sponsi odorantur, dumque sentiunt quam nomen Jesu Christi sit oleum, sive unguentum effusum, idque suavissimum et odoratissimum, hoc odore et hac suavitate illectæ in ejus amorem rapiuntur, eumque tenere diligunt. Unde Chaldæus vertit, *et ideo dilexerunt justi ambulare post viam bonitatis tuæ, ut possideant sæculum hoc et sæculum venturum.*

Notat Cassiodorus, ac ex eo Beda et Haymo vocari *adolescentulas* feminine : Quia, inquit, animæ sanctorum, quo majoris fragilitatis sibi sunt consciæ, eo amplius Christum diligunt. Porro causa dilectionis earum est « oleum effusum, » id est effusa liberalitas Christi. Unde Rupertus : « Nisi, inquit, oleum effusum fuisset, nisi Verbum caro factum esset, animæ imperfectæ ausæ non fuissent diligere Deum, imo nec ausæ fuissent illum audire; unde et dicebant : Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, » *Exod.* XX, 19. Sic et Origenes : Nisi, inquit, Christus velut unguentum sese exinaniisset, capere eum nullus in sua illa divinitatis plenitudine potuisset, nisi sola fortassis

sponsa, *q. d.* Perfecti capiunt Christum in sua divinitate, et imperfecti in sua humanitate; hinc propter eos Christus se effudit in carnem factus homo. Et S. Bernardus, *sermon.* 19 : « Effusio quippe, inquit, nomen facit capabile, captus amabile, sed adolescentulis duntaxat. Qui capaciores sunt, integro gaudent, effuso non indigent. Angelica creatura irrepercussa mentis acie intuetur divinorum judiciorum abyssum multam, quorum summæ æquitatis ineffabili delectatione beata, gloriatur insuper effectui ea mancipari per suum ministerium, ac palam fieri, ac propterea diligit merito Dominum Christum. »

Secundo, adolescentulæ, animæ perfectæ.

Rursum, alii per *adolescentulas* intelligunt animas non imperfectas, sed strenuas et perfectas, quæ in virtute adoleverunt, ut et eamdem aliis communicare, ac filios spirituales Christo parere possint, quales sunt martyres, ait Philo Carpathius. Sic et Theodoretus ac S. Gregorius, CXIX *Moral.* cap. IX. Adolescentia enim, id est juventus media est inter pueritiam et senectutem, ideoque matura, stata et optima est ætas. Unde aliqui ex Hebræo sic vertunt, *quia adolescentulæ dilexerunt te, idcirco eis oleum* vel *unguentum effusum est nomen tuum.* Audi Nyssenum, hom. 1 : « Sola, ait, anima illa, quæ statum transiit infantilem, et ad spiritualis ætatis florem pervenit, nec maculam accepit aut rugam, aut aliquid hujusmodi; et neque propter infantiam caret sensu, neque ob vetustatem est imbecilla, quæ adolescentula hoc loco nominatur, ea diligit toto corde totisque viribus illam pulchritudinem, cujus descriptionem, exemplumque et interpretationem non invenit cogitatio. »

Paraphrasis.

Hoc quoque verum est; nam in principio Ecclesiæ tanta effusa fuit in fideles recens baptizatos Christi gratia, ut eos amore Christi incenderet, faceretque illico ejusdem præcones et martyres. Sensus ergo est, *q. d.* Cum, o Jesu Christe, nomen tuum fecisti oleum effusum, id est, cum te ipsum in passione pro salute nostra totum effudisti et exhausisti, ac nominis hujus vim et fidem per apostolos in omnes gentes effuse dispersisti, atque copiosam gratiam in credentes effudisti; ex triplici hac tui effusione tam liberali factum est, ut ubique terrarum homines certatim ad tui fidem et dilectionem converterentur, adeo ferventer et fortiter, ut illico fierent Evangelii prædicatores, ac pro eo libenter mortem oppeterent. Id ita contigisse patet ex Pentecoste et prædicatione S. Petri, *Actor.* II et sequent.

Amor ergo Christi effusus in incarnatione et passione inflammavit homines ad eum toto corde redamandum, juxta illud Christi : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » *Luc.* cap. XII, 49. Hinc *adolescentulas* has in Hebræo vocat עלמות *alamoth*, id est virgines, id est puritatis studiosas, quæ mundi gaudia spernentes totum amorem in Christum transtulerunt, nec nisi Jesum suum diligunt : Christus enim et

Adolescentulæ, animæ castæ.

christianismus orbi invexit studium castitatis et puritatis angelicæ, ideoque ex virgine natus, virginitate et puritate angelos omnes superavit. Hac de causa primi fideles ab apostolis conversi, plerique omnes fuere virgines vel cœlibes, adeo ut multi putarent Christi legem vetare matrimonium, et præcipere christianis omnibus cœlibatum, ut patet ex quæstione quam Corinthii proposuerunt S. Paulo, an christianis licitus esset usus matrimonii? I *Corinth.* VII. Atque his omnibus vexillum prætulit B. Virgo, quæ prima votum virginitatis Deo nuncupavit, ideoque mater Dei fieri meruit. Nam, ut ait S. Bernardus, homil. 2 super *Missus est* « Deum hujusmodi decebat nativitas, qua nonnisi de virgine nasceretur. Talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. » Itaque per adolescentulas hic omnes fideles intelliguntur, sed maxime virgines : hæ enim fragrantiam Christi præ cæteris sentientes, non alium quam ipsum diligunt; unde et sequuntur Agnum quocumque ierit, *Apoc.* XIV, 4. Tales fuere S. Catharina, S. Cæcilia, S. Dorothea, S. Agnes, cujus mirificum in Christum amorem graphice describit S. Ambrosius, *serm.* 9, de quibus canit Psaltes : « Adducentur regi virgines post eam, » *Psalm.* XLIV, 16.

Plurimus in primitiva Ecclesia cœlibatus.

VERS. 3. TRAHE ME : POST TE CURREMUS IN ODOREM UNGUENTORUM TUORUM.

Hucusque fuit vox Synagogæ optantis Christi osculum, id est incarnationem; jam incipit vox Ecclesiæ, quæ Christo jam nato illecta fragrantia suavissimorum ejus charismatum, postulat post eum trahi, ut ejus sanctissimam vitam, quam in terris egit, passionem et crucem imitetur. Scit enim se infirmam et impotentem ad Christi sequelam, multo magis ad osculum, nisi ad illud gratia Christi impellatur, imo trahatur, juxta illud Christi : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, » *Joan.* VI, 44. Ita Cassiodorus, Beda, Haymo et alii; præsertim quia crux Christi excelsa est, ideoque conscensu difficilis et ardua; unde ipse ait : « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, » *Joan.* XII, vers. 32. Trahe ergo me a vitiis ad virtutes, ab ignorantia ad fidem tuique cognitionem, a carne ad spiritum, a torpore ad fervorem, ab inchoatione ad profectum, a parvis et planis ad magna et ardua, a terrenis ad cœlestia, a timore ad amorem, a voluptate ad crucem et mortificationem. Septuaginta pro משכני *moschkeni*, id est *trahe me*, aliis punctis legentes משכוני *moschacuni*, vertunt *traxerunt me.* Porro codices Septuaginta hic mire variant. Nam Romana, Nyssenus, Theodoretus et alii legunt *propterea adolescentulæ dilexerunt te, traxerunt te;* S. Ambrosius, lib. I *De Virginit., attraxerunt te.* Idem, lib. *De iis qui myster. initiant.* cap. VI, primum habet, *et attraxerunt te,* deinde, *attrahe nos post te;* Complutenses, *traxerunt me;* Origenes, *attraxerunt te post se.* Verum

Hic incipit vox Ecclesiæ.

Lectiones variæ.

vera lectio est, *trahe me : post te curremus*. Sic enim habent Hebræa, Latina, Aquila, Symmachus et Chaldæus. Omnes tamen lectiones eodem redeunt, idemque significant, *q. d.* Tanta est fragrantia tua, o Christe, tamque suave est oleum a te effusum, ut adolescentulæ certatim te ad se trahere percupiant, ac vicissim ipsæ a se ad te trahi mecum exoptent ; imo ipsæ me ad te traxerunt, ut mecum tibi intime jungantur, ac post te non ambulent, sed currant; quare ego cum illis et pro illis dico, obsecroque : « Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. » Ubi recte advertit Theodoretus adolescentulas prius tractas a Christo, Christique amore, deinde per eum satagere vicissim Christum ad se trahere, ut ardentius eum ament, et intimius eo fruantur.

Paraphrasis.

Rursum Hebræa duntaxat habent, *trahe me : post te curremus;* Septuaginta vero, et eos secutus Noster, addunt, *in odorem unguentorum tuorum;* de eo enim sermo præcessit.

Mens ad se trahens Deum trahitur ad Deum.

Porro anima ad se trahens Deum per orationem quasi funem, non tam Deum ad se trahit, quam ipsa trahitur ad Deum : sicut qui navim per funem trahit ad rupem, videtur rupem ad se trahere, sed revera ipse non trahit rupem, sed cum navi trahitur ad rupem. Et sicut qui per funem manibus attractum conscendit in cacumen domus, non cacumen ad se detrahit, sed ipsemet ad cacumen attrahitur et ascendit. Utrumque hoc exemplum dat S. Dionysius, *De Divin. nomin.* cap. III.

Ad quid referatur *post te.*

Nota : Τὸ *post te, primo,* referri potest ad id quod præcedit : « Trahe me ; » optat enim sponsa trahi ad sponsum, ut ipsum per omnia sequatur. Ita Aponius, Justus Orgelitanus, Chaldæus, S. Bernardus et alii. *Secundo* et melius, referas ad τὸ *curremus,* quod sequitur, *q. d.* Trahe me, ut ego cum adolescentulis post te curramus. Ita Hebræa, Septuaginta, Latina, Romana, et passim veteres. Unde notant Origenes, Nyssenus, Anselmus et S. Basilius in *Isai.* cap. III, vers. 24, sponsam hic loqui in persona, non tam sua, quam adolescentularum. Sponsa enim apprehendit dexteram sponsi, et cum eo pari passu incedit; adolescentulæ vero, velut ancillæ et pedissequæ, utrumque a tergo sequuntur; unde optant post utrumque trahi, aiuntque : « Post te curremus in odorem unguentorum tuorum. »

Nota *secundo* : Τὸ *trahe me* significat *primo,* infirmitatem sponsæ, utpote quæ sponsum sequi nequeat, nisi ab eo trahatur; *secundo,* ejusdem tarditatem ad sequendum sponsum, et progrediendum in via virtutis; *tertio,* renitentiam cupiditatis, quæ resistit charitati et sequelæ sponsi, ideoque ad eum trahi debet : tractus enim violentiam significat, trahi enim solent nolentes et inviti, juxta illud :

Trahe notat renitentiam cupiditatis.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Concupiscentia enim nobis innata, resistens rationi et virtuti, facit ut efficaci gratia ad eam quasi nolentes trahi debeamus, juxta illud Apostoli : « Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, » *Rom.* VII, 23; et vers. 14 : « Lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo : non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. » Optat ergo sponsa trahi a gratia Christi, ut per illam impedimentum sequelæ sponsi, puta resistentia concupiscentiæ tollatur vel superetur, *q. d.* Vellem te sequi, o sponse, sed concupiscentia reluctante non valeo. Tolle ergo, vel supera ejus luctam per tuam gratiam, quæ mihi infusa me efficaciter ad te trahat, ac post te non tantum ambulare, sed et currere faciat. Ita S. Bernardus, *serm.* 21 : « Trahe, inquit, me post te, quia satius est mihi ut me trahas, ut scilicet vim qualemcumque mihi aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas, quam parcens in meo me torpore male securam derelinquas. Trahe quodam modo invitam, ut facias voluntariam; trahe torpentem, ut reddas currentem. » Prius enim timore, deinde amore immisso Deus animam ad se trahit, ut traxit S. Paulum, *Actor.* IX, 6, inquit Aponius. Unde Arabicus vertit, *trahe me a post te,* hoc est, trahe me a tergo ad faciem, ut quæ fui post te, fiam ante te, tuaque societate et facie fruar.

Trahit Deus timore et amore.

Tertio, optat trahi non catenis vel flagris, uti trahuntur boves et asini; sed vi amoris, uti trahuntur homines, juxta illud Osee, cap. XI, 4 : « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. » Unde S. Gregorius et Anselmus aiunt nos trahi per Spiritum Sanctum. Audi S. Augustinum, serm. 1 *De Verbis Apostoli,* qui citans illud Christi, *Joan.* VI : *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* : « Non dixit, inquit, *duxerit.* Ista violentia cordi sit, non carni. Quid ergo miraris ? crede et venis, ama et traheris. Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam; dulcis est, suavis est : ipsa suavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic et tu veni ad Christum, noli longa itinera meditari; ubi credis, ibi venis : ad illum enim qui ubique est, amando venitur, non navigando. » Idem, tract. 26 *in Joannem* : « Quomodo, inquit, voluntate credo, si trahor? Ego dico : Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si Poetæ dicere licuit, Virg. II *Eclog.* :

Trahit sua quemque voluptas :

non necessitas sed voluptas, non obligatio sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia,

delectatur æterna vita, quod totum Christus est? An vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus deseritur a voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur : Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt : inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis deliciarum tuarum potabis eos : quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen? Da amantem, et sentit quod dico, da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, et scit quid dicam : si autem frigido loquar, nescit quid loquar. »

Quarto, anima peccatrix, præventa a gratia sponsi, optat extrahi ex profundo cœno peccatorum, ac trahi ad pœnitentiam et justitiam : anima vero jam justificata optat ab eadem trahi ad justitiæ incrementum, ad bona opera, ad virtutes heroicas, quales sunt abdicare mundum, vacare cum Magdalena contemplationi et amori divino.

Morali-ter. Tropologice, S. Bernardus hæc verba intorquet in eos qui ambiunt dignitates : « Sponsa, inquit, nec cellam, nec cubiculum ingredi sine rege introducente præsumit, tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus. Trahe me post te, ait illa. Nunc autem trahit sua quemque voluptas, et odorem turpis lucri sectantes quæstum æstimant pietatem, quorum certa est damnatio. »

Porro Chaldæus more suo hæc referens ad Judæos, duce columna euntes in Terram Promissam, sic vertit : « Quando egressi fuerunt populus domus Israel de Ægypto, majestas dominatoris sæculi erat dux eorum in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem. Dixerunt justi illius generationis : Dominator totius sæculi, trahe nos post te, et curremus post viam bonitatis tuæ. » Hic sensus judaicus est, et quasi grammaticus; unde sensui christiano et genuino substernitur et subservit : columna enim ignis et nubis trahens ducensque Judæos per desertum in Chanaan, typus fuit Spiritus Sancti ejusque gratiæ, quæ christianos per hujus vitæ tentationes et remoras ducit, imo trahit in cœlum.

Curre post Christum, cur? POST TE CURREMUS, — per cursus, id est vitæ tuæ imitationem. « Post te curremus » ergo idem est quod te imitabimur, mores tuos actusque agiliter, expedite et proxime sequemur. Velox est sponsus ac currit instar solis : quare qui eum sequi velit, post eum non ambulet, sed currat oportet. Audi S. Ambrosium, *De Isaac et anima,* III : « Exsultat tanquam gigas ad currendam viam, et quia egressus ejus a summo cœlo, et occursus ejus usque ad summum ejus, videns se imparem tantæ velocitati, dicit : Attrahe nos. Bona anima, quæ non pro se sola, sed pro omnibus rogat. Habemus enim cupiditatem sequendi, quam unguentorum tuorum inspirat gratia : sed quia cursus tuos æquare non possumus, attrahe nos, ut auxilio tuo fultæ, vestigiis tuis possimus insistere; » unde post pauca concludit : « Vides quod libenter nos attrahit, ne remaneamus sequentes; sed qui vult attrahi, currat ut comprehendat, et currat superiora obliviscens, et ea quæ sunt priora appetens : sic enim potest Christum comprehendere. »

Alis alacritatis. Porro anima carni immersa, indeque gravis et torpida, ut currat in cœlum, id est ad Christum, indiget alis magnæ alacritatis, quas illi suggerunt divinæ consolationes. Audi S. Bernardum, *serm.* 21 : « Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper in nobis ignis amoris tui, nec valemus a facie frigoris hujus currere modo, sicut heri et nudiustertius. Curremus autem postea, cum reddideris lætitiam salutaris tui, cum redierit melior temperies gratiæ, cum sol justitiæ iterum incaluerit, et pertransierit tentationis nubes, quæ hunc operire ad horam cernitur, atque ad levem flatum auræ blandioris solito cœperit unguenta liquescere, et aromata fluere, et dare odorem suum. Tunc curremus, in odore illo curremus, spirantibus, inquam, unguentis curremus, quoniam abscedet torpor qui nunc est, et revertetur devotio, et jam non erit opus nobis ut trahamur, quippe odore excitatis, ut sponte curramus. Nunc vero interim trahe me post te. »

Id faciebat Psaltes dicens, *Psal.* CXVIII, 32 : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum : » amor enim dilatans cor, dilatat et pedes gressusque, quos torpor constrinxerat. Unde idem, *Psal.* LIV, 7 : « Quis, ait, dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? » Pluribus deinde interjectis S. Bernardus subjungit : « Et quid mirum si indiget trahi, quæ post gigantem currit, quæ comprehendere nititur eum qui salit in montibus, transilit colles? Velociter, ait, currit sermo ejus. Non valet ex æquo currere, non potest pari cum illo celeritate contendere, qui exsultat ut gigas ad currendam viam; non potest suis viribus, et propterea rogat se trahi. Fessa sum (inquit), deficio, noli me deserere, sed trahe me post te, ne incipiam vagari post amatores alios, nec curram quasi in incertum. Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim : current et adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo atque hortatu, ac per hoc omnes in odorem unguentorum tuorum curremus. Habet sponsa imitatores sui, sicut et ipsa est Christi. Et ideo non ait singulariter *curram,* sed *curremus.* »

Cur dicit *trahe me* et *curremus.* Quærit deinde S. Bernardus cur sponsa in singulari dicat *trahe me,* non in plurali *trahe nos;* in cursu vero dicat in plurali *curremus,* non *curram* in singulari? ac respondet : « Trahimur, cum tentationibus et tribulationibus exercemur; currimus, cum internis consolationibus et inspirationibus visitati, tanquam in suaveolentibus unguentis respiramus : ergo quod austerum et durum videtur, retineo mihi tanquam forti, tanquam sanæ, tanquam perfectæ, et dico singulariter : Trahe me. Quod suave et dulce, tibi tanquam in-

firmo communico, et dico : Curremus. Novi ego adolescentulas delicatas et teneras esse, et minus idoneas sufferre tentationes, et propterea mecum volo ut currant, sed non ut mecum trahantur; volo habere socias consolationis, non autem et laboris. Quare? quoniam infirmæ sunt, et vereor ne deficiant, ne succumbant. Me, inquit, o sponse, corripe, me exerce, me tenta, me trahe post te : quoniam ego in flagella parata sum, et potens ad sustinendum. Cæterum simul curremus, sola trahar, sed simul curremus. Curremus, curremus, sed in odore unguentorum tuorum, non in nostrorum fiducia meritorum : nec in magnitudine virium nostrarum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam et si quando cucurrimus ac voluntariæ fuimus, non fuit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.» Aliter S. Gregorius : Trahe, inquit, me post te, ut te quasi Deum solum diligam, ita tamen ut simul fideles mei mecum currant ad mutuam proximorum dilectionem et opem.

Planius et plenius respondet Beda sponsam, puta Ecclesiam de se loqui nunc in singulari, eo quod ipsa sit una per plurium fidelium aggregationem; nunc in plurali, eo quod in ea sint plures fideles, pluresque fidelium ordines et gradus, incipientium, proficientium, perfectorum, pastorum, subditorum, etc. Ait ergo ipsa de se, id est de suis prælatis et pastoribus, qui adolescentulas dirigunt : « Trahe me, » id est meos pastores, ut ipsi trahant adolescentulas, id est populum sibi subditum, atque cum eis currant in odorem unguentorum tuorum. Igitur Ecclesia in apostolis virisque apostolicis, qui summa sunt Ecclesiæ capita, est sponsa Christi perfecta, atque cum sponso suppari quasi passu graditur, juxta illud : « Astitit regina a dextris tuis, » *Psal.* XLIV, 10; eadem in pastoribus proxime Christum sequitur, ac post se ducit adolescentulas, puta animas infirmiores, minusque perfectas, cum eisque ait : « Curremus in odorem unguentorum tuorum. » Simili phrasi et gradatione, Cicero, lib. II *ad Atticum*, epist. 23, evocans ad se Pomponium, ut illico veniat : « Si dormis, inquit, expergiscere; si stas, ingredere; si ingrederis, curre; si curris, advola.»

De B. Virgine visitante Elisabeth explicat Rupertus.

Porro Rupertus hæc adaptat B. Virgini visitanti Elisabeth : « Trahebatur, inquit, post Dominum femina desideriorum, trahebatur et currebat in odore unguentorum ac beneficiorum talium, et ipsam currere, id est in montana cum festinatione abire, erat dicere : Trahe me post te. Nam qui veraciter diligit, et trahitur, et trahi cupit. » Unguenta autem Dei interpretatur beneficia : « Pretiosum, ait, erat unguentum : magnum erat beneficium, quod Dominus dederat sterili conceptum tanti viri, qui spiritu et virtute Eliæ deberet præire ante Dominum, et quo major non surrexit inter natos mulierum. Tanti ac talis unguenti odorem perceperat : talis ac tanti beneficii famam, sive nuntium ab ipso Angelo acceperat. »

Sic B. Virgo præ omnibus attracta a Christo, tota vita post eum cucurrit, ejus sanctissimos mores præ omnibus imitando, suisque actibus repræsentando, ut ipsa fuerit viva imago Christi, ac apostolis cæterisque fidelibus purissimum speculum vitæ christianæ et perfectæ, adeo ut nonnulli hæretici censuerint eam esse deam; ac ut deam adorarint. Imo S. Dionysius : Nisi, ait, scirem unum esse Deum, hanc deam esse credidissem, ut alibi citavi.

IN ODOREM UNGUENTORUM TUORUM. — Ita legendum cum Græcis et Latinis. Mirum ergo S. Ambrosium pro *unguentorum* legere *vestimentorum*, idque referre ad resurrectionem, cujus typus et anagoge est baptismus; sic enim ait, lib. *De iis qui mysteriis initiantur*, cap. VI : « Quantæ hodie renovatæ (per baptismum) animæ dilexerunt te, Domine Jesu, dicentes : Attrahe nos post te; in odorem vestimentorum tuorum curremus, ut odorem resurrectionis haurirent. » Urget Origenes τὸ *in odorem, q. d.* Si sponsi odor ita illicit ad sui sequelam et cursum, quomodo alliciet ejusdem aspectus, vox, gustus et tactus, ac quomodo alliciet ipsa ejus substantia? « Ego puto, inquit, quod si aliquando ad hoc pervenerint, jam non ambulent, neque currant, sed vinculis quibusdam charitatis ejus adstrictæ adhæreant ei, ne ultra mobilitatis alicujus ullus in eis resideat locus, sed sint cum eo unus spiritus, et compleatur in eis illud quod scriptum est : Sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, » *Joan.* XVII, 21. O quam potens odor, quam jucundus et delectabilis cursus, quando anima percepto virtutum Christi trahentis odore, omnium aliarum rerum, etiam sui oblita, ingenti cum voluptate currit ad paupertatem, ad contemptum, ad labores, ad contumelias, ad mortem, ad crucem! Per *unguenta* accipe Christi gratias et charismata, ac miracula, ait S. Augustinus, IX *Confess.* cap. VII. Vide S. Bernardum, *serm.* 22. Porro hæc Christi fideles percipiunt in baptismo, quo unguntur quasi christiani; et in confirmatione, qua unguntur quasi milites et athletæ Christi, sed præsertim sacerdotes, pastores et prælati, qui in sacramento ordinis unguntur et consecrantur quasi duces et doctores fidelium, qui proinde præ cæteris post Christum currere, ejusque vitam et mores quam maxime imitari, et viva actione exprimere debent : sic enim fragrantia virtutum suarum omnes trahent post se ad Christum; sicut columbarii columbas capiunt emittendo columbam fragranti odore delibutam, quæ cæteras hoc odore illectas ad se allicit, secumque ducit ad columbarium, ait S. Basilius, epist. 175 *ad Julittam*.

Unguenta Christi gratiæ, charismata, miracula.

Anagogice, Ecclesia, et anima sancta contemplans Christum in cœlum ascendentem, clamat : « Trahe me post te, » ut tecum e valle lacrymarum in montes æternitatis et æternæ voluptatis ascendam. Ita Cassiodorus et S. Bernardus. Audi S. Augustinum in *Psal.* XC : « Amemus et imite-

Anagogice.

mur, curramus post unguenta ejus; venit enim et oluit, et odor ejus implevit totum mundum. Unde odor? de cœlo : sequere ergo ad cœlum, si non falsum respondes quod dicitur sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem. » Ita S. Hieronymus, epist. *ad Eustochium, De Custod. Virg.*, de seipso in eremo Syriæ degente scribit : « Post multas lacrymas, inquit, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi agminibus interesse angelorum, et lætus gaudensque cantabam : Post te curremus in odorem unguentorum tuorum. » Et S. Augustinus, lib. XIII *Confess.* cap. VIII : « Da, inquit, mihi te, Deus meus, redde mihi te. En amo, et si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum mihi desit amoris ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia mihi male est præter te, non solum extra me, sed et in meipso, et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. » Huc facit illud Isaiæ cap. XL, vers. ultimo : « Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. » Vide ibi dicta.

INTRODUXIT ME REX IN CELLARIA SUA : EXSULTABIMUS ET LÆTABIMUR IN TE, MEMORES UBERUM TUORUM SUPER VINUM : RECTI DILIGUNT TE.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Colloquium sponsæ et adolescentularum.

Sensu grammatico, sive dramatico, sponsa cum adolescentulis sociabus currens post sponsum, ab eo introducta fuit in cellaria, sed sola, adolescentulis foris remanentibus; unde egressa, ad illas conversa narrat ubi fuerit, dicens : « Introduxit me rex in cellaria sua; cui congratulantes et applaudentes adolescentulæ respondent : « Exsultabimus et lætabimur in te; » Symmachus pro *introduxit,* vertit *introducat*, in futuro, vel potius optativo : est enim prophetia de futura Ecclesiæ introductione per Christum nasciturum. Sic *introduxit* posset accipi pro *introducet;* quia enim sponsa dixerat sponso : « Trahe me post te, » quasi idipsum jam a dilecto suo consecuta ait : « Introduxit, » id est, cito certoque me introducet in cellaria sua intima; amantes enim sunt pleni bona spe, ut videantur sibi possidere quod sperant : amor enim dilatat cor, phantasiam et mentem. Unde illud :

Et amans sibi somnia fingit.

Sponsum, puta Christum incarnatum, nunc vocat *regem*, quia ipse qua homo, est Rex regum et Dominus dominantium, *Apoc.* XIX, 16; nunc *pastorem*, quia olim reges et principes erant pastores ovium et gregum : talis enim fuit Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David. Itaque τὸ *rex* significat cellaria hæc, in quæ inducta est sponsa, fuisse regia, opulenta, omnibusque bonis et gazis referta, ait Origenes.

CELLARIA. — Hebræum חדרו *chadarau* significat intima sive penetralia, qualia sunt conclavia et cubicula, in quibus herus ipse secreto degit, ac suas opes et thesauros recondit. Unde Syrus vertit, *introduxit me in thalamum*; Arabicus, *in cubiculum secretum,* proprium et peculiare. Idem significat græcum ταμεῖον, ut vertunt Septuaginta, et latinum *cellaria.* Cella enim vel cellarium dicitur a *celando*, quod in ea celentur, quæ volumus esse occulta, ait Servius. Hinc cella significat apothecam frumenti, vini, olei. Unde Donatus : « Cella, ait, et cellarium a reponendis celandisque rebus esculentis et poculentis dicitur. » Et Cicero, *De Senect.* : « Semper, inquit, boni assiduique domini referta est cella vinaria, olearia, mellaria et panaria. » Hinc cella significat cubiculum secretum, item partem templi secretiorem, in quam ingredi fas non erat : unde Gellius scribit Scipionem in Capitolium venisse, jussisseque cellam Jovis aperiri, ibique solum demoratum fuisse. Hinc cella S. Bernardo chara et pretiosa erat velut cœlum, utpote in qua liber a mundi strepitu solus cum Deo solo agebat.

Cella *celando*

Alludit ad cellaria, quæ fabricavit Salomon in templo, in quibus thesauri et opes templi recondebantur, I *Paral.* XXVIII, 11.

Quæres *primo*, quænam sunt hæc *cellaria* sponsi, in quæ ipse sponsam introduxit? Chaldæus accipit secretarium divinitatis divinæque sapientiæ, ex quo lex prodiit, unde sic vertit, *et applica nos ad radices montis Sinai, et da nobis legem tuam de thesauro tuo, qui est in firmamento, et delectabimur et exsultabimus.* Hoc judaicum est, sed christiano sensui subservit : *cellaria* enim hic significant secreta divinitatis, in quibus sponsus sponsæ ostendit arcana sua mysteria, æque ac bona et dona recondita, quæ magna et multiplicia sunt; quare innuit sponsa vota sua exaudita, quibus optarat : « Osculetur me osculo oris sui; » sponsum enim eis annuisse, ac in cellariis hisce osculum ei præbuisse, ita S. Ambrosius, cujus verba mox recitabo; ibi quoque gustasse ubera sponsi; nam de iis mox subdit : « Exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum. » In cellis enim sive cellariis reconduntur opes, deliciæ, monilia, thesauri et pretiosa quæque. Igitur sponsa hic significat *primo* se a sponso inductam in cellaria, id est in conclave et intimum penetrale, ubi cum sponso familiarissime agat; *secundo*, se secretorum ejus factam participem; *tertio*, se gazarum et thesaurorum ejus fuisse inspectricem, eorumque factam esse consortem, ideoque mira frui voluptate, summisque deliciis.

Cellaria quæ?

Cellaria secreta divinitatis.

Quæres *secundo*, quænam in particulari sunt hæc cellaria? Respondeo esse varia et multipli-

Quænam hæc cel

laria in particulari? Resp. Primo, S. Scriptura.

cia. *Primo,* Theodoretus, S. Gregorius, Justus Orgelitanus, et S. Hieronymus, epistol. 142 *ad Damasum*, per *cellaria* accipiunt S. Scripturam, sive Mosen et prophetas, quasi sponsa cognitionem mysteriorum in S. Scriptura absconditorum a sponso acceperit, ac præsertim cognitionem Deitatis et SS. Trinitatis, sive Dei in essentia unius et in personis trini. Hanc enim accepit Ecclesia per Christum et apostolos. Unde Christus, *Apoc.* v, 5, reseravit librum signatum septem sigillis, atque apostolis dedit sensum, ut intelligerent Scripturas, *Luc.* cap. XXIV, 32 et 45.

Secundo, mysteria incarnationis, mortis et resurrectionis Christi.

Secundo, S. Ambrosius, serm. 1 in *Psalm.* CXVIII, ad vers. 7 et 8, per *cellaria* hæc accipit secreta sive mysteria incarnationis, passionis, crucis et resurrectionis Christi, in quæ inducta est sponsa, quando earum cognitionem et fidem per prædicationem apostolorum accepit: « Quando, inquit, introduxit eam rex in cubiculum suum, passionis tempus lateris compunctio declarat, sanguinis effusio, sepulturæ unguentum, resurrectionis mysterium, ut osculum quasi sponsa acceperit; in cubiculum autem Christi sit introducta Ecclesia: non jam quasi tantummodo desponsata, sed quasi nupta; nec solum thalamum sit ingressa, sed etiam legitimæ claves copulæ consecuta sit. » Et post pauca: « Introduxit enim eam rex in omnia interiora mysteria, dedit ei claves ut aperiret sibi thesauros scientiæ sacramentorum, clausas antea fores panderet, cognosceret quiescentis gratiam, defuncti somnum, virtutem resurgentis. »

Huc accedit Philo Carpathius: Cellarium, inquit, sive promptuarium Christi primum est corpus illud, in quo sibi domicilium fabricavit. Verbum enim in carne quasi in cella inhabitavit, juxta illud: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » *Joan.* I, 14. Unde hæc Christi cellaria explicans Apostolus, *Coloss.* II, 2: « Instructi, ait, in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. » Hæc Philo.

Tertio, secreta Dei consilia.

Tertio, alii per *cellaria* accipiunt secreta Dei consilia et judicia, quæ Deus sanctis revelat, inter quæ unum et præcipuum est sanctis parari cruces et tribulationes, ut purgentur, magisque sanctificentur, ideoque beatos esse patientes, eo quod crux sit recta ad gloriam via, juxta illud: « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V, 10: ita Philo Carpathius.

Quarto, cœlum.

Quarto, alii per *cellaria* vel cellas accipiunt cœlum, in quo sunt multæ cellæ et mansiones pro diversitate meritorum, *Joan.* XIV, 2; quasi sponsa hic acceperit revelationem bonorum et gaudiorum cœlestium, quæ Deus præparavit timentibus et diligentibus se. Ita Cassiodorus, Aponius, Anselmus et Beda, quem audi sponsæ sensa exprimentem: « Ideo deprecor sponsum, ut nos post se currentes, data manu, ipse ne deficiamus adjuvet, quia jam dulcedinem regni cœlestis prælibavi: jam gustavi et vidi, quoniam suavis est Dominus: jam bona, quæ mihi in cœlis sunt præparata, ipso revelante cognovi. Moxque ad ipsum conversa, ei gratias agens: Exsultabimus, inquit, et lætabimur in te; ac si diceret: Nequaquam ipsi de perceptis muneribus extollimur, sed in omni quod bene vivimus, exsultamus, imo exsultabimus et lætabimur in tua misericordia. » Rursum alii per *cellaria* accipiunt paradisum terrestrem, in quem a Deo inductus Adam omnes mundi delicias, omnem scientiam, omnem fidem et spem accepit; sed expulsus ab eo est cum posteris ob prævaricationem: quare Christus eum reduxit, ac homines primævæ justitiæ, gratiæ et gloriæ restituit.

Paradisus terrestris.

Quinto, revelationes, visiones raptus, consolationes, etc.

Quinto, S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima,* cap. III, per *cellaria* accipit secreta Dei, puta revelationes, visiones, consolationes, raptus, amores, gaudia cœlestia, in quæ anima per contemplationem vel exstasim rapitur, uti raptus fuit S. Paulus in tertium cœlum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, II *Cor.* XII, 2 et 4. Audi S. Ambrosium: « Beata anima, quæ Dei ingreditur penetralia; insurgens namque de corpore ab omnibus fit remotior, atque intra semetipsam divinum illud, si quo modo assequi possit, scrutatur et quærit: quod cum potuerit comprehendere ea, quæ sunt intelligibilia, supergressa in illo confirmatur, atque eo pascitur. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in paradisum, sed sive extra corpus raptum, sive in corpore nesciebat. » Et post nonnulla: « Etenim perfectioni studens, solum illud bonum divinitatis intendit, nec aliud quidquam requirendum putat, quia tenet quod summum est, solaque sibi abundat, quia sola sibi est satis. Nec sola aliquando est, cui præsul Dominus adest. Denique in illud divini illius introducta secretum: Exsultemus, inquit, et lætemur in te. Non enim in divitiis auri, argentique thesauris, non in possessionum fructibus, non in potestatibus, non in conviviis, sed in solo Deo exsultat. »

Sexto, Sacramenta, maxime Eucharistia.

Sexto, apposite idem S. Ambrosius, libro V *De Sacrament.* cap. II, per *cellaria* accipit sacramenta, præsertim Eucharistiam, in qua sub orbiculo panis, et specie vini, velut sub cella panaria et vinaria habitat Christus nos pascens sua carne, et potans suo sanguine. « Ubi bona libamina, ait S. Ambrosius, vini boni odores, ubi mella suavia, ubi fructus diversi, ubi epulæ variæ, ubi epulis plurimis tuum prandium condiatur. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Cellaria, attributa divina.

Cellaria Dei, in quæ Christus animam inducit, bonisque omnibus replet et inebriat, sunt attributa Dei, inter quæ præcipua sunt duodecim, sci-

licet Dei infinitas, immensitas, æternitas, omnipotentia, omniscientia, bonitas, sanctitas, amor, dominium, providentia, misericordia, justitia, quæ erudite et pie pertractat noster Lessius, lib. *De Perfect. divinis*. Hæc enim singula sunt infinita et quaquaversum immensa, ac proinde dum in illa per meditationem, contemplationem, raptum et exstasin a Christo introducitur anima, velut in abysso bonorum omnium natat, imo mergitur, totaque in amorem et admirationem divinitatis abripitur, ut aliud cogitare, narrare, amare nequeat. Ibi enim, ut ait Psaltes, « inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos, » *Psalm.* XXXV, 9. Ibi Sancti exsultant et lætantur in Deo, ibi lactantur ab uberibus dulcedinis divinæ. In hæc Deitatis cellaria ingressus S. Paulus obstupescens exclamat, *Rom.* XI, 23 : « O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! » Et S. Petrus in transfiguratione Christi, per umbram corporis gloriosi, non tam spectans quam conjectans gloriam divinitatis, gaudio quasi ebrius : « Domine, inquit, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum, » *Matth.* XVII, 4. Et S. Joannes, I *epist.* cap. I, 1 : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, etc., annuntiamus vobis. » Hæc cellaria invenit « mulier compuncta (Magdalena) secus pedes » Domini Jesu, ait S. Bernardus ; « Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo, secreti hujus gratiam sunt assecuti. Quis nostrum digne distinguere sufficiat has veritates meritorum, vel potius præmiorum? Ne omnino tamen præteriisse quod ipsi novimus, videamur, prior mulier stravit sibi in luto humilitatis, posterior in solio spei, Thomas in solio fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis. »

In Dei cellariis exsultat anima.

In hæc omnia cellaria præ cunctis deducta fuit B. Virgo. Unde Rupertus refert hæc ad B. Virginem visitantem Elisabeth, eique dicentem : « Magnificat anima mea Dominum, etc., quia fecit mihi magna qui potens est, » *Luc.* I, 46; cui responderit Elisabeth : « Exsultabimus et lætabimur in te. » Nam ad vocem et salutationem Mariæ Elisabeth impleta est Spiritu Sancto, et exsultavit infans in utero ejus. Huc facit illud : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, » *Luc.* cap. II, 19.

EXSULTABIMUS ET LÆTABIMUR IN TE. — Sunt verba adolescentularum congaudentium sponsæ quod in cellaria tam opima sit inducta, aut certe optantium, ut et ipsæ in illa inducantur ; ideoque ad sponsum se convertunt, eique dicunt : *Exsultemus et lætemur in te*, ut vertunt Septuaginta; Symmachus, ἱλαρεισώμεθα, id est, *hilares simus, jucundemur, exhilaremur in te.* Hoc posterius censent Origenes, Nyssenus, Theodoretus, Bernardus et S. Anselmus, quem audi : « Quia tu, Domine, sponsam tuam jam in secreta tua introduxisti, ideo et nos præparabimus idoneas, ut cum ea introducamur. Exsultabimus enim, scilicet in corpore bene operantes cum exsultatione, et lætabimur in anima, quia cum lætitia bona cogitabimus; vel lætabimur, si bona fecerimus, non coacte, sed voluntarie, et hoc in te, omnia tibi attribuentes tanquam primæ causæ. »

Secundo, magis connexe et plane (ne sit tam subita personarum mutatio) hæc verba attribuas sponsæ, quæ egressa e cellariis narrat adolescentulis suas quas in iis delicias hausit, aitque : « Introduxit me rex in sua cellaria, omnibus opibus et deliciis referta, quæ non mihi soli, sed et vobis, ubi in virtute adoleveritis, præparavit. Agite igitur, o sociæ, mihi æque ac vobis congratulamini, ac sponso gratias agite, mecumque jubilando dicite jugiter : O Jesu bone, « exsultabimus et lætabimur in te. » Venite ergo, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. Exsultabimus, inquam, memores « uberum tuorum, » id est, dulcissimæ tuæ benevolentiæ et beneficentiæ, quam mihi sponsæ communicavisti, et meis adolescentulis suo tempore communicabis. Ita Hortolanus.

Plane et connexe magis.

Porro meminit uberum sponsi, ut a Christo discant pastores et prælati subditis se exhibere matres, eosque uberibus lactare. Audi S. Bernardum, *serm.* 23 : « Audiant hoc prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini qui judicatis terram. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari quam metui, et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres, fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem; suspendite verbera, producite ubera; pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morsus a serpente parvulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? Si spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis; considerans unusquisque seipsum, ne et ipse tentetur. Alioquin ille in peccato suo morietur, sanguinem autem ejus (ait) de manu tua requiram. »

Prælatus subditis sit mater.

Mystice, Bartholomæus de Martyribus, archiepiscopus Bracarensis, in *Compendio spiritualis doctrinæ*, vere divinæ, cap. XV, in fine, septem gradus assignat, quibus possumus ad hæc Christi cellaria, hoc est, ad contemplationem unitivumque amorem ascendere; qui sunt, gustus, desideria, satietas, ebrietas, securitas, tranquillitas; septimi vero nomen soli Deo innotescere dicit. *Primus* ergo merito vocatur gustus, quod in gustuum mutatione consistat : peccatoribus enim,

Gradus septem ad contemplationem.

Primus, gustus.

qui carnales tantum novere gustus, dicitur *Psalm.* XXXIII, 9 : « Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus; » immutate gustus, nec existimetis cœlestes sapores aliunde quam a Deo provenire posse. Ideo Dominus incipientibus solet spiritus consolationes impertiri, quod sciat infirmam ac fragilem animam vix posse, nisi prævio gustu ad divina evolare. Anima in hoc primo gradu vacet compunctionibus, macerationibus, meditationibus quatuor vitæ novissimorum, ac passionis Christi, præsertim mortificationibus ac eradicationibus malarum cogitationum et consuetudinum, ut in Deum libere transire valeat, quod non sine maximo fit conatu : « Regnum *enim* cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, » *Matth.* XI, 12; non autem pusillanimes et deliciosi. *Secundus*, quia divina, quo plus gustantur, plus appeti solent, ideo gustum consequuntur desideria magis ac magis fruendi Deo, cum externarum rerum omnium saporem cum tædio respuat. Et his desideriis suboritur studium non solum meditandi, sed etiam Christi vitam imitandi, et ardor per illum incedendi, qui dixit, *Joan.* XIV, 6 : « Ego sum via. » Passus autem quibus debes incedere, hi sunt : humilitas, mansuetudo, patientia, caritas, oratio, ejus crux et labores. *Tertius*, satietas; quando anima eo pervenit, ut quæ mundana sunt abominetur, et intime oderit, mox etiam quiescit, et solo divino amore satiatur; re namque ipse experitur nullibi se posse nisi in Deo plene satiari. *Quartus*, ebrietas, quæ est quædam exstasis, et mentalis excessus ex prædicta divini amoris satietate procedens, quæ nullarum imaginationum ac phantasmatum aqua miscetur, a quibus difficillime abstrahimur, nisi Dominus ipse manu ducat animam, atque eam in secretum suum cubiculum, id est in se, intromittat et recipiat, sensibus foras dimissis et eorum muneribus suspensis. *Quintus*, securitas timorem excludens : gustata enim divinæ charitatis perfectione, manet anima omnino resignata in divinum beneplacitum, ita ut gehennam ferre perpetuo parata sit, si Deo sic placitum foret. Experitur insuper in seipsa quoddam strictissimum divinæ amicitiæ vinculum adeo firmum, ut separari nunquam ab eo se posse existimet. Sextus, tranquillitas, scilicet tanta pacis et jubilationis ubertas, ut anima quasi in silentio et somno super pectus Domini recumbens, vivere credatur.

Secundus, desideria.

Tertius, satietas.

Quartus, ebrietas.

Quintus, securitas.

Sextus, tranquillitas.

MEMORES UBERUM TUORUM SUPER VINUM : RECTI DILIGUNT TE. — Hebraice est נזכירה *nazkira*, quod *primo* significat *memores erimus;* unde Syrus vertit, *recordemur amoris tui præ vino;* Septuaginta, *diligemus*. Secundo, *commemorabimus*, celebrabimus; unde Vatablus vertit, *prædicabimus amores tuos vino præstantiores, quia familiarissime tibi æquitas adjuncta est. Tertio*, nonnulli vertunt, *olfaciemus ubera tua* (vel amores tuos), quia, ut dixit vers. 2 : « Fragrantia *sunt* unguentis optimis. » Alludit ad id quod dixit vers. 1 : « Meliora sunt ubera tua vino. » Unde colligitur ubera hæc esse sponsi, non sponsæ, quæ sponsi dulcedinem, beneficentiam et lactationem denotant, uti ibidem dixi. Rursum, inde liquet τὸ *meliora* hic subintelligi, *q. d.* Memores erimus uberum tuorum, quæ meliora et suaviora sunt super vinum, id est, super omnes delicias mundique voluptates; in his enim primas tenet vinum. Porro qui ubera sponsæ non sponsi hic accipiunt, per *ubera* intelligunt amores, quasi adolescentulæ hic congratulentur sponsæ de conjugio et amoribus sponsi, quod scilicet ei tam fortunata sors, tam felix amor, tam nobile cum Christo conjugium, obtigerit, ut illud perpetuo memorari, commemorare et celebrare decernant. Ita Sanchez. Unde Nyssenus et Theodoretus sic explicant, quasi adolescentulæ et christiani quilibet dicant Ecclesiæ : Quia tu dilexisti ubera Christi super vinum voluptatis et sapientiæ mundanæ, hinc nos pariter diligemus et ubera et doctrinam tuam, tamque secure sugemus, quia rectitudo, hoc est Christus, dilexit te : hoc sensu Nyssenus id aptat S. Joanni, qui super pectus Christi in cœna recubuit.

Variæ lectiones.

RECTI DILIGUNT TE. — *Primo*, hebr. est מישרים *mescharim*, id est *rectitudines*, æquitates; unde Septuaginta vertunt, *æquitas dilexit te;* Arabicus, *rectitudo dilexit te;* Syrus vero, *præ rectis dilexi te*. Sunt verba sponsæ ad sponsum, ut dixi, *q. d.* Exsultabimus in te, o Christe, memores uberum, id est amorum et dulcorum tuorum, qui suaviores sunt vino, id est quibuslibet corporis deliciis, quia amor tuus non est carnalis et impurus, sed spiritualis, purissimus et sanctissimus. Nam « rectitudines dilexerunt te, » id est te omnes rectitudines, id est omnes virtutes et gratiæ complexæ sunt, ut filius virtutum et gratiarum esse videaris; ac revera talis es, quia es Filius Dei, quem omnes divinæ dotes, omnia decora, omnia charismata ambiunt, ornant et coronant. Ita Origenes. *Secundo*, alii *mescharim* vertunt in ablativo, *in rectitudinibus, q. d.* Virgines diligunt te rectitudinibus, hoc est, amore omni ex parte recto, id est casto et puro, quia in tui amore summa inest rectitudo, summa æquitas, summa honestas, summum decus. *Tertio*, R. Abraham *mescharim*, id est *rectitudines*, refert ad vinum, *q. d.* Memores erimus uberum, id est amorum tuorum, quæ meliora sunt super vinum *rectitudinum*, id est super vinum sincerum, purum et præstantissimum. Verum hoc obscurum, frigidum et contortum videtur.

Sponsa sponsum alloquitur.

Denique Noster optime *mescharim* vertit *recti*, sive quia *mescharim* tam rectos quam rectitudines significat; sive quia metonymice *abstractum* ponitur pro *concreto*, puta rectitudines pro rectis. Sensus est, *q. d.* Jugiter exsultabimus, et jubilabimus, et lætabimur in te, o bone Jesu, sponse animæ nostræ : quia recordabimur ubera tuæ

Abstractum hic pro *concreto.*

dulcedinis et misericordiæ meliora esse vino, id est deliciis omnibus totius mundi : hinc enim *recti*, qui scilicet gustum mentis habent rectum et sincerum, non morbo concupiscentiæ depravatum, qui scilicet omnia metiuntur recta ratione, non prava cupiditate, diligunt te, quia *ubera*, id est dulcedines tuæ sunt rectissimæ, id est justissimæ, æquissimæ, planeque rationi, legi, virtuti ac Deo conformes. Hinc Symmachus vertit, *recti sunt, qui diligunt te*, quia a recta ratione, lege et virtute ducuntur.

Ad rectitudinem duo requiruntur.

Porro rectitudo duo requirit : *primo*, ut vita et actio in se sit recta, id est honesta et justa; *secundo*, ut recta intentione fiat. Hinc S. Thomas interpretatur, q. d. *Recti*, id est qui rectam habent intentionem, qui scilicet uni Deo placere student, eumque sibi vitæ et operationum omnium finem præstituunt; hi, inquam, diligunt te. Censet Origenes hic tacite a sponsa perstringi adolescentulas, *q. d.* Qui plane in animo et amore sunt recti, ut rectos habeant omnes suos affectus, hi plene diligunt Christum; at adolescentulæ meæ, quia adhuc non plane rectos effecere suos affectus, sed adhuc vinum voluptatum diligunt, ac vitiosæ quid concupiscentiæ in eis residet, hinc non plene diligunt Christum; sed adolescent ac sensim depurabunt suos amores, ut omnino recti evadant, tuncque erunt sponsæ Christi, eumque toto corde totisque animæ viribus diligent. Hinc colligе : si vis amare Christum, rectifica tuam mentem, ac tuos amores et mores. Nulli enim nisi recti diligunt Christum. Ita S. Ambrosius *in Psal.* CXVIII, serm. 2, ad vers. 1 : « Æquitas, ait, dilexit te, hoc est, non flexuosa itinera te sequuntur, solus ad te potest justitiæ trames pervenire. Qui enim diligit justitiam, non se avertit a Christo. » Rursum hinc collige rectitudinem vitæ et morum esse charitatem et amorem Christi. Hic enim amor rectissimus est, et omnia torta rectificat; quare quod huic amori conforme est, id rectum est; quod difforme, id curvum et tortum. Ita Cassiodorus, Justus Orgelitanus, Beda et alii. Charitas est rectitudo animæ omniumque ejus virium et potentiarum.

Charitas est rectitudo animæ.

Porro hujus rectitudinis animam admonet corpus rectum et a Deo rectissimo datum præ cæteris animalibus. Audi S. Bernardum, *serm.* 24 : « Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est et fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlos libere suspicere, cœlorumque luminaribus oblectare aspectus; spiritualem vero cœlestemque creaturam suos e contrario oculos, id est internos sensus atque affectus, trahere in terram deorsum, et quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto, tanquam unam de suibus, amplexarique stercora. Erubesce, anima mea, divinam pecorina commutasse similitudinem; erubesce volutari in cœno, quæ de cœlo es. Erubesce, anima, ait corpus, in mei consideratione. Creata creanti similis recta, me quoque accepisti adjutorium simile tibi, utique secundum lineamenta corporeæ rectitudinis. »

Morali. ter.

Tropologice, prælatus probus, ait S. Bernardus, et vir apostolicus, qui uberibus doctrinæ suæ alios lactat, sæpe patitur ab impiis et pravis persecutiones et calumnias; sed soletur se, quod recti diligunt eum, ac in primis Deus, qui est rectorum rectissimus, juxta illud : « Rectus Dominus Deus noster : et non est iniquitas in eo, » *Psal.* XCI, 16; quare eo fretus, et testimonio conscientiæ lætus, impiorum judicia despiciat, dicatque cum Psalte : « In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti, et lætentur, » *Psal.* XXXIII, 3. Rursum S. Gregorius hæc accipit de commemoratione passionis Christi, quæ inflammat in nobis Christi dilectionem : « Sancta anima, inquit, sponsa Christi in sponsi sui deliciis exsultat, dum corporalia respuit, et in spiritualibus se occultat; eumdemque sponsum delicias suas facit, in cujus respectu mundana omnia non curat. Sed hæc in memoria uberum agit; quia dum recolit quanta charitate Christus eam dilexerit, qui sanguine suo eam moriens in cruce redemit, et quotidie eam in sinu Ecclesiæ matris ejusdem sanguinis lacte nutrit, procul dubio magis ac magis in ejus dilectionem intendit. Quod lac bene super vinum dulce esse dicitur, quia per sanguinem Christi misericorditer educamur, qui per legis litteram severe prius constringebamur. Per quam dilectionem adimpletur quod dicitur : Recti diligunt te : soli utique recti Christum diligunt, quia quicumque adhuc per distorta vitiorum ex desiderio currunt, dum in rectitudinis lineam semper offendunt, ipsum justitiæ auctorem Christum omnino diligere non possunt. » Denique Chaldæus vertit, *et delectabimur, et exsultabimus, et recordabimur eorum, et diligemus deitatem tuam, et recedemus ab idolis populorum; et omnes justi, qui faciunt quod rectum est coram te, timebunt te, et diligent præcepta tua.*

VERS. 4. NIGRA SUM, SED FORMOSA, FILIÆ JERUSALEM, SICUT TABERNACULA CEDAR, SICUT PELLES SALOMONIS.

NIGRA SUM, SED FORMOSA (hebraice שחורה *schechora*, id est subnigra et *fusca* sum, uti legit S. Ambrosius in *Apolog., David.* scilicet cute manuum et faciei, uti solent quæ in agris oves pascunt, sed facie liberali, et lineamentis decoris, ac totius membris corporis formosa sum et venusta), FILIÆ JERUSALEM, SICUT TABERNACULA (Arabicus *sicut habitationes*) CEDAR, SICUT PELLES (Aquila et Symmachus *tentoria*, quæ fiunt e pellibus) SALOMONIS. — Hæc posterior similitudo priori nectenda est respective et disjunctim, hoc modo, *nigra sum sicut tabernacula Cedar*, id est Arabum (*Cedar* enim fuit filius Ismaelis, et pater Arabum, sive nomadum, in solitudine Saracenorum habitantium in tentoriis), *sed formosa sicut pelles Salomonis.* Ita Origenes, Theodoretus, Cassiodorus, S. Gregorius, Rupertus, S. Bernardus, S. Anselmus et alii; licet

Cedar, quid?

Nyssenus et Aponius utramque similitudinem, scilicet tabernaculorum Cedar et pellium Salomonis, referant tam ad nigredinem quam ad formositatem sponsæ. Est occupatio, dicet enim quis : Quomodo tu, o sponsa pastoritia et rusticana, quæ instar Cedarenorum in tabernaculis perpetuo degis, ut pascas greges, ibique æstu solis adureris et denigraris, audes ambire nuptias regis, ac dicere : « Osculetur me osculo oris sui? » Occurrit et respondet : Esto exterius nigra sim, ut cedarenæ pelles et tabernacula, tamen interius pulchra sum ut pelles et pellita tabernacula Salomonis, qui uti in omni re, ita et tentoriis suis (quibus utebatur, dum iter faceret) cultissimus et pretiosissimus erat; unde ea auro et gemmis, picturis pretiosis ornabat. Sic Plinius de Nerone : « Cui, inquit, erant sigillata tentoria et aurati papiliones. » Rursum cohærent hæc cum proxime præcedentibus, *q. d.* « Recti diligunt te, » o sponse Christe, æque ac me, quæ tibi sum sponsa; at vero pravi multi oderunt et persequuntur, tam me quam te. Nigra ergo sum per ærumnarum caliginem et persecutionum afflictionem, sed formosa per patientiam, constantiam et victoriam, qua persecutores superavi, imo domui, converti, mihique et tibi subjeci. Tribulationum ergo nigredo me non turpavit, sed honestavit et illustravit.

Objectionem præoccupat sponsa.

Connexio cum præcedentibus.

Alludit ad Æthiopissam uxorem Mosis, ob quam contra Mosen murmurans soror ejus Maria, a Deo lepra percussa est, *Num.* XII, 1 et 10; hæc enim typus fuit Ecclesiæ ex gentibus infidelitate atris a Christo collectæ, ob quam murmurantes Judæi, a Deo reprobati sunt. Ita Origenes.

Allusio ad uxorem Mosis Æthiopissam.

Porro orientales et meridionales multi sunt fusci, ut Mauritani, Ægyptii, vicinique Judæi, Arabes et Æthiopes; qualis erat Andromede, Cephei ipsorum regis filia; de qua Ovidius :

Placuit Cepheia Perseo
Andromede, patriæ fusca colore suæ.

Hinc apud eos fusci habentur pulchri, albi vero deformes. Unde Æthiopes Judam et dæmones pingunt albos; S. Petrum vero et angelos pingunt nigros. Adde fuscum mixtum et medium esse colorem inter album et nigrum, ideoque suam habere elegantiam. Hinc aurora hebraice dicitur שחר *schuchar*, id est *subnigra*, quia ipsa est confinium noctis et diei, sive tenebrarum et lucis : eadem tamen est pulchra, ob radios solis pulchre inter tenebras splendentes et radiantes. Unde eidem comparatur sponsa, cap. VI, vers. 9 : « Quæ est ista, inquit, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? »

Fusci apud Æthiopes pulchri, albi vero deformes.

Per *filias Jerusalem* nonnulli *primo* cum Aponio angelos accipiunt, qui cives sunt cœlestis Jerusalem, *q. d.* Nolite, o angeli, mirari quod non tota candida sim, uti vos estis, sed nigra; quia licet nigra, formosa tamen sum, ut vos. *Secundo*, alii accipiunt Judæos, qui persecuti sunt Christum et christianos, præsertim gentiles, quod fuissent nigri per infidelitatem. Ita Theodoretus et S. Athanasius in *Synopsi*. *Tertio* et planius, accipias adolescentulas, id est animas in fide Christi novellas : hæ enim vocantur *filiæ Jerusalem* allusione ad sponsam, quæ erat uxor Salomonis, qui erat rex Jerusalem.

Filias Jerusalem angelos quidam interpretantur; alii Judæos.

Alii adolescentulas animas.

Quæres, quomodo Ecclesia nigra sit simul et formosa. *Primo* Nyssenus, S. Gregorius, Philo Carpathius, S. Hieronymus in cap. II *Sophon.*, S. Chrysostomus, homil. 1 *De Virtute*, et alii passim censent Ecclesiam gentium dici nigram ob præcedentem idololatriam et scelera, quibus in gentilismo servivit peccato et diabolo; formosam vero, per conversionem et gratiam Christi, qua nigredinem scelerum in baptismo eluit, seque in sanguine Agni dealbavit. Unde S. Ambrosius, serm. 2 *in Psal.* CXVIII : « Fusca, inquit, per culpam, decora per gratiam; fusca per vitium, decora per lavacrum. Fusca sum, quia peccavi; decora, quia jam me diligit Christus. » Idem, libro *De iis qui myster. initiant.* cap. VII : « Nigra, inquit, quia ex peccatoribus; decora, fidei sacramento. » Audi S. Bernardum, *serm.* 25 : « Sed audi unde nigram, et unde formosam se dixerit. An nigram quidem ob tetram conversationem, quam prius habuit sub principe hujus mundi, imaginem terrestris hominis adhuc portans; formosam vero de cœlesti similitudine, quam postea commutavit ambulans jam in novitate vitæ? Sed si hoc est, cur non magis de præterito : *nigra fui*, et non *nigra sum*, dicit? Si cui tamen placet hic sensus, id quod sequitur : Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, sic oportet intelligi, ut de veteri quidem conversatione Cedar, de nova vero Salomonis se dixerit tabernaculum. Hoc enim esse pelles, quod tabernaculum Propheta ostendit, dicens : Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ. » Sensus ergo est, quasi dicat, ait Origenes et Nyssenus : Ego Ecclesia gentium, olim infidelitate fui nigra, ac proinde fui tabernaculum Cedar, id est obscuritatis, in quo habitavit princeps tenebrarum diabolus; nunc autem per baptismum abluta, et per gratiam Christi sanctificata, facta sum formosa sicut pelles, id est tabernaculum Salomonis, quia effecta sum templum Christi, qui verus est Salomon, et rex pacificus.

Ecclesia nigra et formosa. Primo.

Paraphrasis.

Huc accedit Chaldæus, qui more suo hæc refert ad Judæos vitulum aureum adorantes : « Quando, inquit, fecerunt domus Israel vitulum, denigratæ sunt facies eorum sicut filiorum Æthiopiæ, qui morantur in tabernaculis Cedar; et quando egerunt pœnitentiam, et dimissum fuit peccatum, multiplicatus fuit splendor vultus eorum, sicut vultus angelorum, eo quod fecerunt cortinas tabernaculi, et resedit in medio eorum majestas Domini. Moses autem magister eorum ascendit ad æthera. » Simili enim modo Ecclesia transit a tabernaculis Cedar ad pelles, id est ad taberna-

cula Salomonis, cum de errore ad veram fidem, de mendacii caligine ad lucem veritatis, de sanguinolenta iracundia ad pacis tranquillitatem, de propugnatione idolorum ad propugnationem veræ religionis Dei transmigravit, ait Aponius.

ecundo. *Secundo*, Ecclesia dicitur nigra et formosa, quæ constat ex peccatoribus et justis : ita Beda et S. Augustinus, lib. III *De Doctrina christiana*, cap. XXXII. Aut quia constat gentilibus olim in gentilismo incircumcisis, fœdis et atris; ac Judæis, qui ab olim fuere circumcisi, fideles et populus Dei : ita Theodoretus et Philo Carpathius.

Tertio. *Tertio*, S. Augustinus, serm. 201 *De tempore*, ait Ecclesiam et animam fidelem nigram esse per naturam peccato corruptam, id est per concupiscentiam, formosam vero per gratiam : « Unde, inquit, est Ecclesia nigra et formosa? nigra per naturam, formosa per gratiam. Unde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Unde formosa? Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor, *Psal.* L, vers. 9. Unde nigra? Apostolus dicit : Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, *Rom.* VII, 23. Unde formosa? Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vers. 24. Vere Ecclesia gentium corvis similis erat, quando viventem Dominum contemnebat, et ante acceptam gratiam velut morticinis cadaveribus, idolis ministrabat. » Et S. Ambrosius, lib. *De iis qui mysteriis initiant.* cap. VII : « Nigra est, inquit, per fragilitatem conditionis humanæ, decora per gratiam. » Et Aponius : « Ex captiva, ait, libera; ex peregrina, civis; ex vilissima, regina et sponsa Creatoris, Verbi Dei Christi benignitate effecta. »

Quarto. *Quarto* et valde apposite, nigra est Ecclesia per persecutionum et passionum turbines, formosa per invictam animi patientiam et constantiam. Hunc sensum exigit id quod sequitur : « Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii matris meæ pugnaverunt contra me : » nigra ergo est propter ærumnas; formosa, *primo*, propter decus fortitudinis et humilitatis, aliarumque virtutum, quas patiendo et pugnando conquirit et adauget; *secundo*, propter coronas pulcherrimas, quas in cœlis sibi meretur; *tertio*, propter multiplices sanctorum ordines, quibus decoratur, ait Aponius. Et S. Ambrosius, *De Spiritu Sancto*, cap. XI : « Nigra, inquit, est exercitii sui pulvere, dum præliatur; decora dum victoriæ suæ insignibus coronatur. » Et in *Psalm.* CXVIII, serm. 18 : « Præmisit, inquit, nigram ut augeret decoram. » Sic et Cassiodorus : Cedar, inquit, id est Saraceni, Arabes, hostes Israelis, denotant persecutores Ecclesiæ, qui illam denigrare satagunt; sed illa formosa est, quia ipsa est tabernaculum (quod fit ex pellibus) Salomonis, hoc est Christi, ideoque digna ejus visitatione et consolatione; præsertim quia illa assidue studet mortificationi, cujus symbolum sunt pelles, quæ animalium mortuorum sunt exuviæ. Sic et Beda, qui et addit Ecclesiam assimilari Cedar filio Ismaelis, de quo dictum est : « Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, » *Genes.* XVI, 12. Simili enim modo Christus prædixit apostolis et Ecclesiæ : « Eritis odio omnibus propter nomen meum, » *Matth.* cap. X, vers. 22. Exemplum dat Justus Orgelitanus S. Paulum : Considera, ait, nigram et formosam in Paulo : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : dejicimur, sed non perimus, » II *Cor.* IV, 8. Tabernacula Cedar sunt, cum ait : « Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema, » I *Cor.* IV, 13. Pelles vero Salomonis, cum ait : « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, » II *Cor.* IV, 10. Hæc Justus.

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Primo, anima nigra per culpam, formosa per pœnitentiam.

Primo, anima peccatrix et pœnitens nigra est per culpam, sed formosa per pœnitentiam; nigra per torporem, formosa per fervorem. « Speciem enim ei largitur conversio, ait Origenes, cum ab humilibus incipit ad alta conscendere, diciturque de ea : Quæ est ista quæ ascendit dealbata? » Huc accedit Nyssenus docens animam peccato denigratam fieri formosam, quia Christus dilexit illam juxta id quod præcessit : « Rectitudo dilexit te. » Audi Nyssenum : « Nolite mirari (o adolescentulæ) quod me dilexerit rectitudo, sed quod, cum nigra essem peccato, et per opera affinis essem et conjuncta tenebris, me pulchram fecit per dilectionem, sua pulchritudine commutata cum mea turpitudine : in se enim translatis sordibus meorum peccatorum, mihi suam impertiit puritatem. »

Similitudo noctis nigræ et auroræ formosæ.

Affert simile noctis et auroræ : nox enim omnia facit tenebrosa et nigra; at aurora, fugatis atris tenebris, candidam pulchramque rebus omnibus lucem inducit. Idem facit Christus, cum animam errore et peccatis tenebrosam, lucida sua gratia speciosam efficit. S. Gregorius vero refert hæc ad animam sanctam, sed cum Magdalena pœnitentem, quæ præteritorum peccatorum memor, vocat se nigram, sed formosam, per præsentem Christi gratiam et justitiam. « Nigram quippe, inquit, et formosam sancta anima se benedicit, quia semper et turpitudinem peccatorum suorum perspicit, et tamen illius justitiæ, quam in intimis videt, in exterioribus actibus secum solerter formam gerit. Quæ bene sicut tabernacula Cedar nigra, et sicut pelles Salomonis formosa dicitur, quia in quantum tenebras mortalitatis portat, nigredine corruptionis sordidatur:

Cedar enim *tenebræ* interpretatur; Salomon vero, qui Christum significat, *pacificus* dicitur. Formosam ergo se sicut pelles Salomonis dicit; quia dum sanctos quosque, qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non negligit, eorum utique pulchritudine per similitudines se jungit. » Quare pœnitens, qui futura peccata præcavere, seque in gratia Dei stabilire satagit, jugiter cum S. Magdalena peccata quæ commisit in mente verset, lugeat et defleat; hæc enim humilitas, contritio et compunctio gratiam Dei conciliabit, quæ ei donum perseverantiæ præstet.

Secundo, anima justa nigra per defectus, formosa per humilitatem.

Secundo, anima justa nigra est forinsecus ob defectus et culpas veniales, in quas sæpe incidit; formosa vero intrinsecus per gratiam, charitatem, cæterasque virtutes. Rursum nigra est ob pericula peccandi mortaliter, damnationis et gehennæ: hæc enim pericula suggerunt ei quotidianæ tentationes diaboli, mundi et carnis, ob quæ in humilitate cum timore et tremore salutem suam operatur, ideoque formosa est; formosam enim eam facit humilitas et timor sanctus, qui proinde eam confirmat, ut tentationibus generose resistat, itaque victoriam et salutem ei quasi assecurat, uti docet S. Bernardus.

Tertio, nigra per luctam, formosa per victoriam.

Tertio, hæc accipias de anima cum concupiscentiis et passionibus luctante, *q. d.* Nigra sum per fœdos iræ, gulæ, libidinis, omnisque concupiscentiæ motus; sed formosa, quia cum iis assidue fortiter confligo et vinco, itaque per bellum veram pacem, per gratiam Salomonis, id est Christi regis pacifici, consequor, in qua pace sita est animæ harmonia et pulchritudo. Ita S. Ambrosius, *De iis qui mysteriis initiant.* cap. VII; idem, *Exhort. ad Virgin.*, hæc cuilibet virgini adaptans: Nigra, inquit, per carnem, decora per virginitatem, sicut pelles, id est tabernacula Salomonis e pellibus confecta, sed auro et gemmis intexta, ac opere phrygio et babylonico elaborata.

Quarto, nigra per ærumnas, formosa per patientiam.

Quarto, hæc accipias de anima sancta, quæ æmulorum obloquia, persecutiones, cæterasque ærumnas hujus vitæ sustinet: hæc enim nigra est per ærumnas, sed formosa per patientiam; quare nigredo ærumnarum patientiæ ejus formositatem adauget. « Felix nigredo, ait S. Bernardus, *serm.* 25, quæ mentis candorem parit, lumen scientiæ, conscientiæ puritatem. » Et inferius citat exemplum Pauli, II *Cor.* XII, 5 : « Libenter, ait, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Optanda infirmitas, quæ Christi virtute compensatur. Quis dabit mihi non solum infirmari, sed et destitui ac deficere penitus a memetipso, ut Domini virtutum virtute stabiliar? Nam virtus in infirmitate perficitur. Denique ait: Quando infirmor, tunc fortis sum et potens. Quod cum ita sit, pulchre sponsa convertit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modo formosam, sed et nigram esse se glorians. Non enim erubescit nigredinem, quam novit præcessisse et in sponso, cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nil sibi gloriosius proinde putat, quam Christi portare opprobrium. Unde vox illa prorsus exsultationis et salutis: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi. Grata ignominia crucis ei qui crucifixo ingratus non est. Nigredo est, sed forma et similitudo Domini. »

Porro Theodoretus per *pelles Salomonis* accipit pelles pretiosas quibus vestiebatur Salomon, *q. d.* Ego sum sponsa veri Salomonis, id est Christi, ideoque sum formosa, quia eo ejusque vestibus vestita incedo. Denique audi pelles sanctorum describentem Paulum, *Hebr.* XI, 37: «Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ.»

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

B. Virgo quomodo nigra et formosa? Primo.

Primo, B. Virgo nigra fuit non in se, sed in patre suo Adam, qui peccavit et peccato totam suam posteritatem (excepta B. Virgine) infecit. Est ergo ipsa nigra per dominationem extrinsecam, quia filia peccatoris; in se tamen est formosa per gratiæ plenitudinem. Unde S. Ambrosius, serm. 2 *in Psalm.* CXVIII : Caro, inquit, peccatrix quam relegavit in Eva, recepit ex Virgine, suscepit ex Maria primævam suam puritatem et decorem.

Secundo.

Secundo, Rupertus : B. Virgo, inquit, nigra visa est, cum a Joseph inventa est gravida, qui proinde voluit occulte eam dimittere; sed formosa fuit in veritate, quia concepit obumbrante Spiritu Sancto. Rursum, nigra fuit per humilitatem, qua se exterius gessit sicut cæteræ matres, quæ ex viro concipientes et parientes sordidantur, ideoque die quadragesimo purificantur. Sic enim et B. Virgo purificata fuit; sed interius fuit formosissima et pulcherrima, adeoque humilitas hæc tanta novum ei decus novamque pulchritudinem conciliavit.

Tertio.

Tertio, eadem Judæis cæterisque infidelibus vilis et despecta fuit, uti tabernacula Cedar; sed fidelibus, imo angelis et Deo, formosa sicut pelles, id est tabernaculum (tabernaculum enim Mosis foris operiebatur pellibus, intus vero auro, argento, etc.), et templum Salomonis, quia ipsa fuit templum, imo cœlum non manu factum, quod sibi Sapientia Dei, puta Christus, ædificavit, *Proverb.* cap. IX, 1. Ita Hailgrinus, quem audi : « Nigra sum in apparentia, et despecta tanquam mater leprosi; sed formosa in veritatis exsistentia, et tanquam veri Dei genitrix gloriosa. Nigra sum tanquam tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum Regis justitiæ, sed sicut cæteræ matres, quarum ventres tabernacula sunt filiorum mœroris et tenebrarum; inter tabernacula Cedar reputata sum, quod interpretatur *tenebræ* vel *mœror*. Verumtamen ego formosa sum sicut pel-

les dedicatæ vero Salomoni Christo, vero pacifico. Nam sicut illæ pelles arcam typicam continuerunt, sic ego intra mea viscera veram arcam continui, Christum videlicet, cujus caro significatur per arcam, cujus anima designatur per urnam auream, quæ erat in arca, et deitas designatur in manna; et sicut pelles protegebant totum tabernaculum, sic sub umbra meæ protectionis defendo totam Ecclesiam. Ego quidem similis pelli rubricatæ, quia per compassionem doloris tincta sum in passione filii. Similis quoque pelli hyacinthinæ, contemplatione cœlestium et amore. »

Quarto, B. Virgo nigra et formosa in passione Filii.

Quarto, optime Guilielmus Parvus et Hailgrinus referunt ad tempus passionis, quando morienti Filio astitit mater dolorosa, et obnubilato sole obnubilatus fuit splendor et decor, quem hæc luna pulchrior de sole suo hauriebat. Censent enim a Spiritu Sancto hic exhiberi nobis personam Virginis matris, quasi in veste pulla contemplantem acerbissimos filii cruciatus, *q. d.* Sicut filius non misere, sed misericorditer moriens, hunc indignum et indecorum sibi luctum dedignabatur impendi: sic et mater felicissima pro affectu commoriens filio, et quodam modo in ipso moriens, quia os ex ossibus ejus, et caro ex carne ejus ipse : Quid, ait, fletis super me, quasi supra miseram mulierem, et matrem miseri hominis? Nigra nunc sum, quia oportet me cum filio despecto despici, et cum reputato leproso leprosam reputari. Ille juxta Prophetam sol meus, nunc factus quasi saccus cilicinus in oculis vestris, et cui non est species neque decor; me quoque decet illi conformari, et pullo atroque habitu reorum assimilari : sicut tabernacula Cedar, quasi aliqua de peccatricibus, ait Honorius.

Anagogice.

Anagogice, anima nigra est, dum in hoc corpore misero velut in vili et atro tabernaculo Cedar degit; sed erit formosa, dum ad pelles Salomonis, id est ad cœlum emigrabit: Deus enim « extendit cœlos sicut pellem, » *Psalm.* CIII, 2. Sicut enim pelles cælaturis, sic cœli stellis et Angelis distinguuntur, ita S. Bernardus. Quare anima, jugiter aspirans ad beatam vitam, formosa est, quia similis cœlo, ait Origenes. Audi S. Bernardum, *serm.* 27 : « Nec immerito usurpat inde similitudinem, unde originem ducit. At qua ratione hujuscemodi cœlis suam comparat formam? quia unum Deum adorat et colit? quomodo angeli; Christum super omnia amat? quomodo angeli; casta est quomodo angeli, idque in carne peccati, et fragili corpore, quod non angeli; quærit postremo et sapit quæ apud illos sunt, non quæ super terram. Quod evidentius cœlestis insigne originis, quam ingenitam, et in regione dissimilitudinis retinere similitudinem; gloriam vitæ cœlibis in terra, et ab exsule, usurpari; in corpore denique pene bestiali vivere angelum? Cœlestis sunt ista potentiæ, non terrenæ.»

Symbolice.

Symbolice, Ecclesia et anima fidelis *nigra* est per labores, distractiones et immunditias vitæ activæ, qualem agebant et agunt Cedareni, id est Arabes, qui proinde nusquam quiescunt, aut sedem fixam habent; sed perpetuo in tabernaculis mobilibus, quæ æstu, imbre, pulvere sordidata nigrescunt, habitant, ac de regione in regionem vagantur, uti faciunt nomades. Eadem *formosa*, et, ut S. Ambrosius legit in *Apolog. David*, *decora* est per speciem et quietem vitæ contemplativæ, quam repræsentant pelles, id est tabernaculum Salomonis, hoc est regis pacifici.

Denique Ecclesia et anima fidelis militans nigra est sicut tabernacula castrensia Cedar, per luctas et vulnera, quæ dat vel accipit, dum assidue cum hostibus confligit. Eadem vero triumphans formosa est, hebraice נאוה *nava*, id est *expetibilis*, amabilis, sicut pelles Salomonis; quia cœlesti pace, honore, gloria, omnique bono perfruitur. Unde ad illam aspirans Psaltes ingemiscit : « Heu mihi, inquit, quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea, » *Psalm.* CXIX, 5 et 6. Dicit ergo Ecclesia filiabus Jerusalem, id est animabus et angelis in cœlo triumphantibus : Videte ne me militantem et pulvere denigratam contemnatis, quia per has luctas generose certando ad vestros tendam triumphos.

Moraliter.

Tropologice, fideles et sancti exterius apparent abjecti, viles, luridi, atri; sed interius sunt virtutibus et sapientia speciosi. « Sæpe, inquit ille, sub vili palliolo latet philosophus. » Quocirca sapienter monet Ecclesiasticus, cap. XI, 2 : « Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo; » probat exemplo : « Brevis (μικρὰ, id est *parva*) in volatilibus est apis, et initium (græce ἀρχὴν, id est *principatum*) dulcoris habet fructus illius, » puta mel, quod apis conficit. Vide ibi dicta.

VERS. 5. NOLITE ME CONSIDERARE QUOD FUSCA SIM, QUIA DECOLORAVIT ME SOL.

Variæ versiones.

Pro *decoloravit* hebraice est שׁשׁזפתני *scheschezaphatni*, quæ vox hic tantum reperitur, et *Job* XX, 9, ubi Noster vertit, *vidit*; Septuaginta, *aspexit*; alii, *intuitus est*. Varii ergo hic varie vertunt. Septuaginta, *nolite aspicere quod ego sim nigra*, quia παρέβλεψε, *despexit*, hoc est oblique aspexit *me sol*; Symmachus, παρενέβλεψε, id est *torve aspexit*; Theodotion, *torrefecit me sol*; Aquila, *combussit me sol*; S. Hieronymus, *quia despexit me sol*, sive, ut melius in Hebræo continetur, *decoloravit me sol*. S. Ambrosius vero, lib. *De Isaac*, cap. IV, *Quoniam non est intuitus me sol*; παραβλέπω enim significat *obliquare oculos*, quod sæpe fit, cum homines dissimulant se videre quod vident, et non recta facie, sed transversa intuentur, quod perinde est ac non intueri, item limis torvisque oculis aspicere, inquit Budæus. Vatablus, *eo quod sol me radiis feriendo intuitus est*; Symmachus, *attigit*; Philo Carpathius pro παρέβλεψε, id est *despexit*, legit περέβλεψε, id est *circumspexit*, *q. d.* Nolite considerare me, quod olim in gentilismo fuerim fusca

per infidelitatem, quia jam circumspexit me sol justitiæ, qui sua fide et gratia me circumquaque illuminavit.

PRIMUS SENSUS

TOTALIS,

De Christo et Ecclesia.

Possunt hæc quadrupliciter exponi, juxta quatuor sensus versu præcedenti assignatos; unde per *solem* accipi potest æstus, *primo* peccatorum mortalium, *secundo* venialium, *tertio* concupiscentiarum, *quarto* persecutionum et tribulationum.

Primo. *Primo* ergo aliqui sic exponunt, *q. d.* Nolite me mirari meque despicere, quod fusca sim, non per naturam, sed per præterita idololatriæ, libidinis, gulæ, superbiæ, etc., scelera, quia sol, id est æstus tentationum me fœdavit et denigravit, sed has maculas elui baptismo et pœnitentia : ita Nyssenus, Aponius et alii. Aponius tamen per solem accipit diabolum, qui fere est incentor omnis tentationis qua decoloramur.

Unde Chaldæus more suo hæc tribuens Judæis sic vertit, *dicit cœtus Israel coram populis : Nolite me despicere eo quod nigrior vobis sum, et quia feci juxta opera vestra, et adoravi solem et lunam.* Sic et Theodotion : Denigrata, inquit, sum, dum creaturas adoro præterito Creatore, et solem hunc visibilem colo pro sole justitiæ; sed brevi candidabor per Christi gratiam, tuncque exclamabitis : *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* » *Cantic.* VIII, 5.

Porro S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, serm. 2, legens, *non est intuitus me sol,* puta sol justitiæ, id est Christus, hunc versum accipit de Synagoga relicta, et ad tempus rejecta a Christo, cum scilicet Evangelium a Judæis incredulis transtulit ad gentes. Dicit ergo Synagoga Judæorum, inquit S. Ambrosius : « Nolite refugere me, quia fusca sum; ideo fusca sum, quia sol me reliquit justitiæ, qui ante illuminare consueverat, *Malach.* IV, 2; amisi colorem vultus mei, obtusa facta est acies oculorum meorum, quibus ante solem videbam. In tenebris ambulo, quia diem Christi nescio, *Joan.* XII, 35. Nolite tamen despicere me, quoniam qui reliquit, potest rursum aspicere, misereri iterum. Solet congregare dispersos, desertos requirere, colligere destitutos. » Et post pauca : « *Non est intuitus me sol,* et ideo offuscata sum. Sed lucet sol super justos et injustos, super justos pro gratia, super injustos pro misericordia : illis mercedem meritorum tribuens, istis peccata dimittens. Et gentibus non lucebat ante, nunc lucet. Nunc illis oritur, qui oriebatur mihi, qui illis remisit, remittet et mihi. Nolite arbitrari quoniam obfuscata sum, quod penitus reliquerit me sol, et jam non intueatur, nec revisat nigram. Dissimulavit a me, quia non servavi mandata ejus : reconciliabitur, cum viderit meorum pœnitentiam delictorum. Non vidit me sol, quia non recepi advenientem, non aperui fenestras, ut lumen vitæ intraret. Cum aperuero, illuminabit oculos meos, qui venit ut totum mundum illuminaret, et videant etiam non videntes. »

Idem, serm. 12 *in Psal.* CXVIII, idipsum attribuit Ecclesiæ gentium, quasi ipsa Synagogæ sibi objicienti gentilismum humiliter respondeat, confitendo priorem suam idololatriæ nigredinem, eo quod sol fidei Christi eam, utpote aspectu ejus indignam, non respexerit, *q. d.* Quia ego ad Christum credendo non aspexi, hinc nec ille gratia sua me respexit, sed præteriit et despexit, inquit Origenes, *hom.* 2 ex quatuor.

Rursum, Origenes, *hom.* 3, παρέβλεψε vertit, *oblique aspexit, q. d.* Fusca fui, quia oblique et distorte me aspexit sol justitiæ Christus, eo quod ego prior ipsum oblique et perverse aspexerim : omnis enim obliquitatis et perversitatis causa et origo est a nobis, juxta illud *Levit.* XXVI, 23, juxta Septuaginta : *Si incesseritis mecum obliqui, et ego ambulabo in furore meo vobiscum obliquus.* Hæc Origenes.

Secundo, Ecclesia et anima justa dicit de se : Nolite mirari quod fusca sim per defectus et culpas veniales : hi enim non denigrant, sed offuscant animæ nitorem, quia decoloravit me sol, id est æstus tentationis. Secundo.

Tertio, q. d. Nolite mirari quod fusca sim per varias passionum fuligines et caligines, quia hasce jugiter exhalat innata mihi concupiscentia, quæ me decolorat. Unde S. Hieronymus in cap. III *Amos,* notat quod, sicut corpora otiosa et inertia sole feriente uruntur et fuscantur, sic quoque otiosi otioque marcentes tentationum æstu flammantur et denigrantur; quæ vero in sole moventur, ambulant et laborant, solis radios parum sentiunt : sic quoque homines laboriosi, qui ad luctas et certamina se præparant, superant mundi injurias, et benedictionem Spiritus Sancti consequuntur, dicentis ad justum : « Per diem sol non uret te, neque luna per noctem, » *Psal.* CXX, 6. Tertio.

Quarto et genuine, *q. d.* Nolite mirari quod per tribulationes et ærumnas fuscata sim, quia hisce me decoloravit æstus persecutionis; sed idem mihi patientiam et constantiam afflavit, quæ longe magis me illustrat. Ita Cassiodorus, Beda, Justus Orgelitanus et alii. Simili sensu de Nazaræis in excidio Hierosolymæ fame luridis et atris, ait Jeremias : « Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis, » *Thren.* IV, 8. Hunc esse sensum liquet ex eo quod sequitur : « Filii matris meæ pugnaverunt contra me. » Quarto.

Paulo aliter S. Anselmus : Decoloravit, inquit, me sol justitiæ Christus, quia ob ejus fidem et amorem persecutiones hasce sustineo, quibus offuscor. Et S. Gregorius ac S. Bernardus, *serm.* 28, qui sic explicant, *q. d.* Candida sum et pura in me ipsa, sed fusca videor, si cum splendore sanctitatis Christi comparer : hic enim tantus est, ut me offuscet et quasi decoloret, sicut stellæ, oriente sole, ejus splendore offuscantur.

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima justa.

Hæc omnia quæ de Ecclesia dixi, attribue animæ solo nomine commutato, quibus adde :

Sol charitas. Symbolice, sol accendens, itaque quasi consumens et denigrans animam, est charitatis æstus, item ardens desiderium fruendi Deo, atque zelus justitiæ quo quasi tabescit anima, cum videt Dei offensas et animarum perditionem, juxta illud *Psal.* LXVIII, 10 : « Zelus domus tuæ comedit me ; » et illud *Psal.* CXVIII, 139 : « Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei. » Ita S. Bernardus, *serm.* 28, qui et addit charitatem quasi decolorare animam, dum eam urit et cruciat, ut fleat cum flentibus, infirmetur cum infirmis, dicatque cum Paulo : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » II *Cor.* XI, 29.

Simili modo desiderium fruendi Deo languorem inducit animæ, indeque quasi pallorem, fuscedinem et deliquium. Audi S. Bernardum : « Vel decolorari a sole, est ignescere charitate fraterna, flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, uri ad scandala singulorum. Vel sic : Sol justitiæ decoloravit me Christus, cujus amore langueo. Languor iste, coloris quædam exterminatio est, et defectus in desiderio animæ, unde et dicit : Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum : et defecit spiritus meus, *Ps.* LXXVI, 4. Ergo instar urentis solis, desiderii ardor peregrinantem in corpore decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem, impatientem facit repulsa, et excruciat amantem dilatio. Quis nostrum ita sancto amore ardet, ut desiderio videndi Christum, omnem colorem præsentis gloriæ, lætitiæque fastidiat et deponat, illa ei prophetica voce contestans : Et diem hominis non desideravi, tu scis? etc. *Jerem.* XVII, vers. 16 : item cum S. David : Renuit consolari anima mea, *Psalm.* LXXVI, 3, id est, præsentium bonorum inani lætitia despicit colorari. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

B. Virgo fusca. *Primo*, B. Virgo quoad colorem fuit fusca et subnigra, quales sunt Ægyptii et Palæstini, quia sole torrentur. Id liquet ex imagine ejus a S. Luca depicta, quæ Romæ in Basilica S. Mariæ Majoris religiose colitur. Unde Nicephorus, II *Hist.* cap. XXIII, ex S. Epiphanio, sic ejus formam describit :

B. Virginis facies descripta. « Colore fuit triticeo, capillo flavo, oculis acribus, subflavas et tanquam oleæ colore pupillas in eis habens ; supercilia ei erant inflexa et decenter nigra, nasus longior, labia florida, et verborum suavitate plena ; facies non rotunda et acuta, sed aliquanto longior, manus simul et digiti longiores. » Eadem habent S. Anselmus et Cedrenus in *Compendio*. Huc facit et Theocritus, *Idyl.* 10, qui Syras feminas esse fuscas hisce versibus testatur :

> Bombyce gratiosa, vocant te omnes
> Gracilem sole combustam,
> Ego autem solus mel recens.

Secundo, B. Virgo in puritate et sanctitate fuit lucidissima ; quæ tamen si cum transcendenti sanctitate Dei et Christi comparetur, videtur offuscari, sicut lunæ fulgor splendore solis hebetatur et fuscatur.

Tertio, fusca fuit, quia gravida fœtum utero gessit, eumque peperit sicut matres cæteræ, quæ dum concipiunt et pariunt, pallescunt et fuscantur : at B. Virgo conceptu et partu hoc non fuscata, sed potius deaurata et quasi deificata fuit, quia concepit et peperit Dei Filium, qui est lux mundi. Ita Rupertus : « Nolite, ait, filiæ Jerusalem, considerare me quod fusca sim, id est corrupta ; quia quod tumentem habeo uterum, quod inventa sum in utero habens, non fecit vir, quia virum non cognosco, sed ita decoloravit me sol. Verus sol, et sole Deus longe pulchrior, semetipso me implevit, de semetipso uterum meum tumentem reddidit. Hoccine est decolorari? Non apud vos, o filiæ Jerusalem, quæ habetis oculum simplicem, sed apud superborum cogitationes, quorum nequam est oculus. Non erat nequam oculus Joseph, sed quamdam excusabilem ignorantiæ nebulam habens, cito purgatus est, dicente sibi angelo Domini, quod sana cute decolorata essem, quam non flamma ignis de deorsum, sed desuper sol decoloravit, quod salva virginitate gravida essem ; quam non vir terrenus, sed Pater cœlestis de Spiritu Sancto gravidam fecit. » Maternitas ergo virginitatem in B. Virgine non decoloravit, sed summe decoravit.

Denique in passione Christi assistens cruci non tam solis quam doloris ardoribus fuit fuscata ; sed hanc fuscedinem mox abstersit gloriosa Christi resurrectio et apparitio. Ita Hailgrinus et Guilielmus, *q. d.* Nolite me contemnere propter filii passionem et meam compassionem, aut propter totius vitæ varias contumelias, irrisiones et afflictiones : hæc enim nulla mea vel filii culpa meritove accidere, sed quia decoloravit me sol judaicæ invidiæ et æstus afflictionum, eo quod filius meus me suæ passioni conformari et assimilari voluerit.

FILII MATRIS MEÆ PUGNAVERUNT CONTRA ME, POSUERUNT ME CUSTODEM IN VINEIS : VINEAM MEAM NON CUSTODIVI.

PUGNAVERUNT CONTRA ME. — Hebraice נחרו בי *nicharu vi*, id est *irati sunt*, vel *excanduerunt in me* ; alii, *contenderunt*, vel *rixati sunt contra me* ; Origenes, *dimicaverunt in me* ; Septuaginta, *pugnaverunt ἐν ἐμοί*, id est *in me*, in ablativo, id est pro me ; vel *in me*, id est contra me, ut passim vertunt

Variæ versiones.

alii. Sæpe enim ἐν ἐμοί, id est *in me*, a Græcis sumitu pre εἰς μὲ, id est *contra me*, in accusativo; potest tamen *in me* sumi proprie in ablativo, uti mox ostendam; Symmachus, *oppugnaverunt me*.

POSUERUNT ME CUSTODEM IN VINEIS, VINEAM MEAM NON CUSTODIVI. — Pro *meam* Hebræa habent, *quæ mihi est*, scilicet propria vel hæreditaria, aut dotalis, aut meis laboribus parta, aut mihi singulariter chara et dilecta; Vatablus, *filii namque matris meæ excandescentes in me posuerunt me custodem vinearum; ego autem vineam meam non custodivi.*

Grammatice. Grammatice, sponsa dat causam cur decoloraverit eam sol, quod scilicet fratres persequentes illam cogerent agere custodem in vineis alienis, ut propriam vineam custodire non potuerit: in quibus dum singula lustrando et custodiendo oberrat, radiis solis percussa, decolorata et obfuscata sit. Ita Aben-Ezra.

FILII MATRIS MEÆ, — sunt fratres mei, ex eadem matre et eodem utero geniti, qui proinde me, ut sororem suam uterinam defendere et summe diligere debuerunt; hi tamen contra omne naturæ jus et fas, contra omnem fraternum et maternum amorem pugnaverunt contra me. Magis enim se mutuo diligere solent fratres et sorores ex eadem matre, quam ex eodem patre, sed ex alia matre geniti: mater enim magis suos filios, uti in suo utero conceptos, sic et jam natos in sua domo continuaque educatione et cura associatos, inter se unit et copulat. Rursum *filii matris* hic vocantur ex alio patre geniti, ideoque dissimiles habentes amores, affectus et mores, ob quos pugnaverunt contra sororem suam uterinam, ab alio patre genitam.

Filii matris, qui? Resp. Primo, gentes idololatræ. Jam quoad sensum parabolicum et germanum per *filios matris, primo*, aliqui accipiunt filios Evæ, puta gentes quaslibet idololatras, quæ oppugnaverunt Ecclesiam: Lyranus accipit Pharaonem et Ægyptios, qui persecuti sunt filios Israel, *Exodi* I. Utrique enim, post descensum Jacob in Ægyptum, erant nati in Ægypto; utrique ergo erant filii ejusdem matris, id est terræ Ægypti.

Secundo, a judaismo apostatæ. *Secundo*, alii accipiunt Judæos qui apostatando a Deo vero et Mose, desciverunt ad idola et ritus gentium tempore Judicum, Regum et Machabæorum, ut hæc querela non sit Ecclesiæ, sed Synagogæ, puta Judæorum rite Deum in judaismo colentium, *q. d.* Fratres mei Judæi ex eadem stirpe Israelis et Synagoga velut matre mecum progeniti, descendentes ad idola, me Synagogam fidelium Judæorum unum Deum colentium oppugnaverunt, atque multos ex eis perverterunt, et ad idololatriam suam pellexerunt, quos proinde posuerunt custodes in vineis, id est præsides et præfectos in adulterinis idololatrarum cœtibus, ac perversis gentium religionibus, ut eas propagarent, omnesque Judæos ad illas traducerent; quo factum est ut vineam meam, id est veram Dei religionem, cultum et fidem, veramque Dei Synagogam custodire non potuerim, sed multi ex ea defluxerint ad vineas, id est synagogas gentium profanarum, juxta illud: « Vinea Domini exercituum, domus Israel est: et vir Juda, germen ejus delectabile, et exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce clamor,» *Isai.* V, 7. Ita Chaldæus qui vertit, *quia prophetæ falsi fuerunt causa, ut devolveretur ira furoris Domini super me, et docuerunt me, ut servirem idolis vestris, et ambularem in institutis vestris; Domino autem sæculi, qui est Deus, non servivi, neque ambulavi in legibus ejus, neque custodivi præcepta ejus et legem ejus.* Verum sponsa in hoc Cantici libro est Ecclesia christianorum, non Synagoga judæorum; quare hæc verba sunt Ecclesiæ, non Synagogæ.

Paraphrasis Synagogæ.

Tertio et genuine, Judæi. *Tertio* et genuine, « filii matris » hic intelliguntur Judæi persequentes Ecclesiam Christi: hi enim cum ea ex eadem matre, puta Synagoga (ex ea enim natus est Christus, apostoli, cæteriquè primi christiani, qui omnes fuere genere et gente Judæi, juxta illud: « De Sion exibit lex (evangelica), et verbum Domini de Jerusalem, » *Isai.* cap. II, 3), sunt geniti, sed ex alio patre, puta diabolo, cum Ecclesia prognata sit ex Deo et Christo, juxta illud: « Vos ex patre diabolo estis: et desideria patris vestri (ut me occidatis) vultis facere,» *Joan.* cap. VIII, 44. Sensus ergo est, *q. d.* Judæi obstinati in judaismo, me Ecclesiam Christi, id est apostolos et primos christianos, oppugnaverunt acerrime, ideoque coegerunt illos Judæam deserere, ac fugere ad gentes, ibique erigere et custodire vineas, id est Ecclesias exteras gentium: quo factum est ut vineam meam, id est Ecclesiam in Judæa sitam quæ mihi nativa et propria erat, ac unice a Christo commendata, custodire non potuerim: quare ab ea expulsa, oberrare coacta sum per vineas gentium, ubi varios solis, id est persecutionis, æstus perpessa, ærumnis decolorata, afflicta et offuscata sum.

Ubi obiter nota fructum persecutionis Judæorum, hæc enim causa fuit conversionis omnium gentium: dum enim Judæi, ait Lyranus, voluerunt perturbare Ecclesiam, nolentes effecerunt ut Evangelium latius spargeretur, ac pro una Ecclesia in Judæa in omnibus gentibus constituerentur. Hoc est quod Judæis improperat Paulus: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, » *Act.* XIII, 46. Ita Origenes, Cassiodorus, Beda, Justus Orgelitanus, Haymo, Anselmus et Bernardus, *serm.* 2. Unde Auctor *Imperfecti in S. Matth.* apud S. Chrysostomum, *homil.* 3: « Viperarum, ait, natura est rumpere viscera matrum suarum, et sic nasci. Quoniam ergo Judæi assidue persequentes prophetas, corruperunt matrem suam Synagogam, sicut ipsa lugens dicit in *Cant.*: Filii matris meæ pugnaverunt in me; ideo Joannes vocavit genimina viperarum, » *Luc.* III, 7. Quocirca huc alludens Christus inducit parabolam vineæ, in quam

mittens Deus operarios prophetas, qui omnes a colonis, id est a Judæis, occidebantur, tandem misit filium, qui ab eisdem crucifixus Judæam et Judæos disperdidit, *Matth.* cap. XXI, vers. 33.

Huc accedit S. Gregorius qui per *filios matris* accipit primos christianos judaizantes, qui sua importunitate coegerunt primitivam Ecclesiam judaizare, et servare circumcisionem cæteraque lege veteri præscripta. Huc accedunt et illi qui putant hic esse hysterologiam sive inversum ordinem; sic enim recto ordine hæc esse collocanda: « Posuerunt me (apostoli) custodem in vineis, » id est in ecclesiis gentium; quia « vineam meam (id est ecclesiam Judææ) non custodivi, » id est custodire non potui; quoniam « filii matris meæ (judæi) pugnaverunt contra me. »

Quarto, hæretici. *Quarto*, « filii matris » accipi possunt hæretici, qui Ecclesiam matrem suam, in qua baptizati et renati sunt, oppugnant, affligunt et decolorant, dum adulterinas suas vineas, id est synagogas Satanæ, in quibus suas hæreses docent, inducunt, eisque custodes, id est presbyteros, doctores et prædicatores præficiunt, quo fit ut Ecclesia orthodoxa se ipsam cutodire nequeat, quin ab eis laceretur et lanietur. De his ait Joannes, I *Epist.* II, 19 : « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; » et Paulus, *Act.* XX, 30 : « Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. »

Quinto, pravi Ecclesiæ pastores. *Quinto*, « filii matris » accipi possunt pravi Ecclesiæ pastores, episcopi et prælati, præsertim qui ambiunt episcopatus et prælaturas, ut constituantur custodes vinearum, id est præsides Ecclesiarum, non Christi et animarum studio, sed ut opes congerant, ac cæteris superbe præsint et dominentur in cleris; quare hi vineam suam, id est Ecclesiam sibi commissam, non custodiunt, sed dissipant et evertunt. Ita Origenes, *homil.* 1, et Aponius. Vide S. Bernardum, *homil.* 30, ubi pulchre explicat quomodo animæ sanctæ fugiant custodiam vinearum, id est præfecturam Ecclesiarum, eo quod dicant : « Vineam meam non custodivi, » id est, meam ipsius animam servare et regere nequeo; quomodo ergo regam alienas in tanto numero? Quare si invitæ præficiantur aliis, jugiter mœrent et lugent.

Symbolice. Symbolice, Theodoretus, S. Gregorius, Philo Carpathius, et S. Bernardus, *serm.* 29, ac S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, sermon. 2, ad vers. 1, per *filios matris* accipiunt apostolos, qui pugnaverunt contra Ecclesiam, sed in utilitatem Ecclesiæ, ut scilicet eam ab erroribus et vitiis expurgarent, sicut contra Synagogam pugnaverunt prophetæ.

Idem de angelis sanctis accipit Origenes, *homil.* 2, qui in nobis pro nobis pugnant contra dæmones, ut scelera destruant, et virtutes inserant. Verum hæc accommodatitia sunt, non litteralia, imo litteræ parum consona.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Primo. *Primo*, « filii matris » oppugnant fratrem vel sororem suam, cum fideles impii persequuntur virum fidelem et religiosum, v. g. superiorem, prædicatorem, doctorem, etc., qui eorum impietatem et scelera redarguit, castigat et reformat. Quoties in monasteriis, capitulis, societatibus, urbibus, etc., videmus et audimus religiosos, canonicos, sacerdotes, cives dissolutos vel ambitiosos oppugnare suum ordinem, ecclesiam, congregationem, urbem? ut ipsa suspirans gemensque dicat : « Filii matris meæ pugnaverunt contra me. » Vide S. Bernardum, *serm.* 29.

Secundo, *filii matris*, sensus et concupiscentiæ pugnant contra rationem. *Secundo*, « filii matris, » id est ejusdem animæ, sunt sensus et concupiscentiæ, quæ ex eadem anima pullulantes oppugnant suam sororem, id est animæ rationem et mentem, dum ei rebellant, eamque ad sua concupita, puta ad bona sensibilia, contra legem Dei, quasi ad vineas adulterinas trahere satagunt, et reipsa sæpe pertrahunt; quo fit ut anima vineam suam, id est statum gratiæ, charitatis et virtutum, ex quo omnium bonorum flores et fructus germinabunt, non custodiat, sed dissipet et prodigat, juxta illud : « Oculus meus deprædatus est animam meam, » *Thren.* III, 51. Ita S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima*, cap. IV : « Filii matris pugnaverunt in me. Hoc est, inquit, impugnaverunt me corporis passiones, carnis illecebræ decoloraverunt me, ideo sol justitiæ mihi non refulsit. »

Huc facit versio Septuaginta, *filii matris meæ pugnaverunt in me.* In eadem enim anima sunt concupiscentiæ, quæ luctantur contra rationem et mentem, juxta illud : « Caro concupiscit adversus spiritum : spiritus autem adversus carnem, » *Galat.* V, 17 : quocirca religiosi, qui norunt quam difficile sit homini custodire vineam voluntatis suæ, quæ a sororibus suis, puta a tot concupiscentiis, assidue impugnatur, eam subjiciunt prælato, illiusque custodiæ committunt. Hinc nonnulli apud S. Bernardum, *serm.* 29, inter quos est Gregorius Nyssenus, *homil.* 2, et Psellus apud Theodoretum, per *filios matris* accipiunt dæmones, qui primitus creati fuerunt in cœlo justi et recti, quasi filii supernæ Jerusalem matris nostræ; sed a Lucifero seducti rebellantes Deo, ideoque cœlo expulsi, fideles Dei odio vatiniano persequuntur, ideoque in eis excitant omnes pravos concupiscentiæ motus, qui eos decolorant, et sæpe comburunt perimuntque : nam « concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem, » *Jacob.* I, 15.

Vinea est anima. Anima ergo est quasi spiritualis vinea, cujus Pater æternus vinitor et agricola est, *Joan.* XV, 1.

Quæ proinde rite culta fert botros suavissimos, ex quibus exprimitur vinum exsultationis et confessionis; alioqui « uva eorum uva fellis et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile, » *Deuter.* cap. XXXII, vers. 32. Rursum vinea est status cujusque, v. g. sacerdotium, conjugium, pastoratus, etc., sed præsertim virginitas; hæc enim suavissimas dat uvas et vinum devotionis, orationis, contemplationis, unionis cum Deo et Christo. Unde S. Ambrosius, *Exhort. ad virgin.*, ante medium : « Nemo inquit, auferat vineam animæ vestræ, et vilia olera serat. Vinea enim quidam fructus virginalis est; conjugia velut olerum plantaria sunt in quibus frequens zelus est; et ideo sicut olera herbarum cito cadunt atque marcescunt, nisi finem imponat senectus, aut ad perfectum vehat continentiæ. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestram delere et exstinguere; nec veniat in vos Jezabel, vanum illud et sæculare profluvium, hoc enim significatur vocabulo vana et vacua redundantia; sed veniat Nabuthe, qui venit a patre, sicut significat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, et pro ea mortem offerat. »

Et status ejusque.

Allusio ad paradisum terrestrem.

Alludit, ait Nyssenus, *homil.* 2, ad paradisum terrestrem, qui quasi vinea tradita fuit Adæ a Deo, ut eum custodiret, *Genes.* II, 15; sed Adam tentatus a dæmone et Eva, quasi a fratre et sorore sua, nec se, nec paradisum custodivit. Unde peccans, ex eo expulsus totam suam posteritatem perdidit, et peccato originali decoloravit. Idem enim facit homo, qui animam quasi vineam suam non custodit, sed eam peccato decolorat et dæmoni tradit, itaque excolit vineam, non paradisi, sed inferni; non virtutum, sed vitiorum; non legis divinæ, sed concupiscentiæ. Unde Nyssenus censet animam hic lugere casum et ruinam suam, qua a vinea paradisi expulsa est, quando in Adamo expugnata a serpente, non custodivit vineam immortalitatis, impassibilitatis, similitudinis Dei, et aversionis a peccato. Denique S. Gregorius, homil. 17 *in Evangel.* : « Vineæ, inquit, nostræ sunt actiones, quas usu quotidiani laboris excolimus; sed custodes in vineis positi vineam nostram non custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Primo.

Primo, Judæi sororem suam, id est B. Virginem genere Judæam, æque ac Christum ejus filium variis injuriis vexaverunt et insectati sunt. Unde nec filii morte, mortua sunt eorum odia. Pugnarunt, ait Rupertus, pugnas verborum, pugnas linguarum blasphemantium; prædicarunt illis apostoli et filium meum esse Deum, et me Dei matrem, illum de Spiritu Sancto conceptum, me intactam virginem in partu et post partum permansisse. Mihi peculiaris erat cura populi mei; sed ejus improbitas coegit me hanc curam alio transferre. Verum Deus pro una vinea plurimas mihi colendas et custodiendas est largitus : Omnes custodiam, ait, meam habent, et habere desiderant, de meritis meis præsumentes, de intercessionibus meis confidentes, et pro hujusmodi custodia ad me jugiter clamantes. Sic Rupertus de peculiaribus totius orbis Ecclesiis. Nonne idem optime usurpemus de tot parthenopeis ubique sodalitiis, quæ privatæ quædam et peculiares sunt Deiparæ vineæ? ait Delrio.

Secundo.

Aliter Guilielmus : Judæi, inquit, pugnantes contra B. Virginem ejusque filium Salvatorem mundi, pugnaverunt contra suam salutem. Posuerunt B. Virginem custodem in vineis, quia ipsis contra eam usque ad mortem sævientibus, illa animam suam posuit in redemptionem (per Christum) pro multis, et ut multas vineas custodiret, vineam suam non custodivit, id est, ut multas animas salvas faceret, vitam suam suique filii morti exposuit.

VERS. 6. INDICA MIHI, QUEM DILIGIT ANIMA MEA, UBI PASCAS, UBI CUBES IN MERIDIE, NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIUM TUORUM.

Constructio textus.

INDICA MIHI (tu, o sponse mi, qui es is) QUEM DILIGIT ANIMA MEA (plus quam seipsam, quia tu es anima et vita animæ meæ, Christus enim est filius charitatis, ipsaque dilectio, ait Origenes, *homil.* 2 e quatuor), UBI PASCAS, UBI CUBES IN MERIDIE (pro *ubi* hebraice est אֵיכָה *echa,* quod verti quoque potest, *quomodo,* quasi modum pascendi gregem sponsa doceri postulet a sponso pastore), NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIUM TUORUM. — Pro *cubes* hebraice est תַּרְבִּיץ *tarbits,* id est *cubare, accubare, quiescere* facias gregem tuum. S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima,* cap. IV, legit, *ubi manes,* ac tres S. Scripturæ sensus hic denotari autumat.

Grammatice, sponsa vineas custodiendo oberrans solis radiis usta, decolorata et obfuscata petit a sponso pastore locum, in quo velut umbraculo cum gregibus quiescat et cubet *in meridie,* id est in ardore solis, ut ad eum se proripiat, ne sole torreatur, sed ibi sponsi sui umbra, quiete et pastu fruatur, ne alioqui umbram quærens, incipiat vagari, incidatque in sponsi sodales, id est æmulos, rivales et adversarios. Solent enim pastores in meridie greges ad stabula vel sylvas, aut valles umbrosas deducere, ne solis æstu feriantur, sed ibi partim ruminent, digerantque escam quam in agris comederunt, partim novam a pastore præparatam accipiant. Sponsa ergo in æstu meridiei captat umbram qua refrigeretur, nec ullam meliorem putat, quam

illam in qua cubat sponsus, juxta quem meridianus fervor timendus non est.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

genuine. Parabolice et genuine, ad litteram significatur quod Ecclesia æstu persecutionis Judæorum et gentium afflicta et decolorata, petat a Christo sponso suo locum in quo fideles suos pascat, et cum iis refrigerium cubando captet *in meridie*, id est in ardore tribulationis, ut ibidem a sponso pascatur, animetur, corroboretur, ne alioqui incidat in sponsi sodales, id est æmulos hæreticos, vel homines impios, a quibus pabulis hæresum, errorum et vitiorum pascatur. Unde Chaldæus hæc more suo applicans Judæis, in captivitate ab idololatris vexatis et tentatis, sic vertit : « Quando pervenit tempus, ut Moses dissolvereretur ab hoc sæculo, dixit coram Domino : Manifestum est coram me quod populus iste futurus est ut peccet, et vadat in captivitatem; nunc autem indica mihi quomodo gubernantur, et quomodo habitabunt inter populos, quorum decreta sunt his graviora calore et æstu in meridie, in revolutione Tammuz. »

Apposite Beda : « Bene, inquit, eum cujus præsidium flagitat, *dilectum animæ suæ* vocat; quia quo gravius est periculum, de quo eripi cupit, eo amplius illum, per quem se recipiendam novit, diligit. »

Magis pathetice Nyssenus, *hom.* 2 : « Renuntia mihi, inquit, quem diligit anima mea; ita enim te nomino, quoniam nomen tuum superat omnem cogitationem et intelligentiam, nec universa natura particeps rationis id effari potest, aut comprehendere. Nomen enim tuum quo tua cognoscitur bonitas, est meæ animæ ad te habitudo; quomodo enim te non diligam, qui me sic dilexisti, etiamsi adeo nigra essem, ut animam tuam posueris pro ovibus quas tu pascis? Non potest cogitari hac major dilectio, quam tua anima meam permutare salutem. »

Meridies symbolum est primo, ardentis persecutionis. Nota, *meridies*, cum sol ardet, symbolum est *primo*, ardoris persecutionis et afflictionis, cum illa quasi est summa et in culmine; tunc enim vel maxime Ecclesia invocat Christum, ut sibi auxilium et refrigerium præstet. Ita Cassiodorus et Beda : « Christus, inquit, qui pascit oves suas, inter eas cubat in meridie, quia corda fidelium suorum, ne fervore tentationum intus arescant, memoria supernæ suavitatis reficit, et in eis ipse propitius manere consuevit. » Huc accedit S. Gregorius, qui per *meridiem* accipit ardorem vitiorum : « In meridie, ait, Christus sub umbra pascit et cubat, quia in refrigeratione Spiritus Sancti sibi quasi requiem et pastum parat. Per *meridiem* quippe ardor vitiorum exprimitur, per *umbram* vero spiritualis gratiæ status designatur. Meridie ergo fervente in umbra Christus requiescit, quia dum in reprobis æstus vitiorum flagrat, ipse sponsæ suæ spiritum refrigerii tribuit, et in ea sibi delectabilem locum quietis efficit. Sed hoc sibi sponsa indicari deposcit, quod nulli unquam declaratur, nisi ei qui idem sanctificatricis gratiæ munus percipit. »

Secundo, summæ claritatis et charitatis. *Secundo,* meridies symbolum est summæ claritatis fidei, æque ac summæ charitatis : in meridie enim clarissima est dies, æque ac ardentissima. Petit ergo sponsa locum sponsi in meridie, hoc est, petit ab aurora, id est a modica Dei cognitione, traduci ad clarissimam Dei et rerum fidei contemplationem, qua omnes errores judæorum aliorumque infidelium velut nebulas illuminando dispellat. Petit quoque ardentissimam charitatem, ut ea succensa ardorem omnem persecutionis et tribulationis vincat et superet, juxta illud : « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam, » *Cantic.* VIII, 7. Huc facit illud, *Habac.* III, 3 : « Deus ab austro veniet; » « per quod significatur meridies, id est fervor charitatis et splendor veritatis, » ait S. Augustinus, lib. X *De Civit.* XXXII. Unde Origines hic, *hom.* 2 e quatuor : « Postulat, inquit, sponsa a sponso ut ei locum secreti sui indicet et quietis, quandoquidem amoris impatiens etiam per meridiem cupit audire sponsum, eo præcipue tempore quo clarior lux, et splendor diei perfectus et purus est, ut assistat ei oves pascenti vel refrigeranti. » Idem, *hom.* 1 e duabus : « Non quæro, ait, alia tempora, quando vespere, quando diluculo, quando in solis pascis occubitu. Illud tempus inquiro, quando in florente die, quando plena luce in majestatis tuæ splendore versaris. » Et S. Ambrosius, IV *Hexamer.* cap. V, alloquens Christum sic ait : « In meridiano pascis, hoc est in Ecclesiæ loco ubi justitia resplendet, ubi fulget judicium; sicut meridies, ubi umbra non cernitur, ubi majores sunt dies, quod eis sol justitiæ tanquam æstivis diutius immoretur. » Idem, serm. 2 in *Psalm.* CXVIII : « Qui receperunt te, inquit, sicut salutis auctorem, in meridie sunt : illis lucet, illis calet gratia tua sicut meridies; illis meridies factus es, qui pascuntur in divitiis tuis, et in te sperant. Ideo, ut dicit David : Educes quasi lumen *eorum* justitiam, et judicium *eorum* tanquam meridiem, » *Psalm.* XXXVI, vers. 6. Idem in *Exhortatione ad virginem* : « Ubi Christus manet, nisi ubi justitiæ meridies fulget? Ideoque dicitur : In sole posuit tabernaculum suum, » *Psal.* XXVIII, vers. 6.

Meridies id est clara et universalis fidei prædicatio, orthodoxæ Ecclesiæ nota. Hinc Theodoretus docet hic notam veræ fidei et consequenter veræ Ecclesiæ assignari *meridiem,* id est claram, publicam et universalem orthodoxæ fidei toto orbe prædicationem; in ea enim meridiatur Christus, indeque Ecclesia cognominatur *catholica*, id est universalis, sive toto orbe resplendens; cum hæreticorum sectæ latebras et angulos quærant, nec nisi in una alterave

provincia delitescant. Sic et S. Augustinus, lib. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. XIV.

Tertio, meridies Christi nativitas.

Tertio, nonnulli censent Ecclesiam hic petere a Christo ubi cubet in meridie, id est ubi jaceat in præsepio, cum recens natus est. Licet enim natus sit post mediam noctem in tenebris, tamen in eadem luce sua illustravit orbem, ut videretur non esse nox, sed meridies, juxta illud dictum de angelo annuntiante pastoribus Christi ortum : « Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, » *Luc.* II, 9.

Meridies Christi crucifixio.

Melius tamen accipias per *meridiem*, Christi crucifixionem, in meridie enim crucifixus est, atque crux Christi Ecclesiæ et fidelibus contra omnes persecutionum et tribulationum æstus, certum fidumque præstat umbraculum et solatium. *Aurora* ergo vitæ Christi fuit in nativitate, *dies* in prædicatione, *meridies* in cruce, *vespera* in sepulcro. Ita Philo Carpathius. Tacite ergo sponsa, puta Ecclesia et anima fidelis, quæ plane configurari optat Christo crucifixo, ejusque crucem ferre sibique imprimere, petit quomodo (hebræum enim אֵיכָה *echa* tam *quomodo* quam *ubi* significat), quomodo, inquam, Christus in *meridie*, id est in ferventissimo dolorum et tormentorum æstu, ad horam nempe sextam, in duro crucis lectulo cubuerit, ut ad ejus similitudinem animum suum et studium attemperet, se denique totam ad Christi in meridie crucifixi exemplar figat et formet.

Dies vitæ Christi

Quarto, meridies, Jerusalem.

Quarto, meridies symbolum est Jerusalem et Sionis, ubi Christus docuit, et Ecclesiam primam fidelium sanctorumque instituit, juxta illud *Isai.* II, 31 : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Jerusalem enim vergit ad meridiem. Primi enim fideles in rebus dubiis et quacumque tribulatione confugiebant ad B. Virginem et apostolos degentes in Jerusalem, ut ab iis lucem, robur et fervorem acciperent, ut patet *Act.* XV, 13.

Meridies, Ecclesia Romana.

Rursum, *meridies* est Romana Ecclesia, ad quam S. Petrus, jubente Christo, ex Jerusalem et Antiochia transtulit primatum et pontificatum suum ; unde ad illam, velut ad umbraculum et asylum, confugiunt ex toto orbe fideles in quavis difficultate et dubio, ut ab ea in fide illuminentur, et in Dei amore accendantur. In ea ergo sunt pabula orthodoxæ doctrinæ, fidei et rerum divinarum. Hinc Aponius per *meridiem* accipit cathedram Petri, sive Sedem Apostolicam : « Ista, inquit, pascua, evangelicæ scilicet doctrinæ, quæ apostolorum principi revelata est Petro, non videt anima, nisi quæ vestigia Petri credendo et confitendo prosecuta fuerit. »

Donatistæ refelluntur.

Porro, perperam donatistæ hoc loco abutebantur, ut probarent apud se in Africa, esse veram Ecclesiam, quod Africa sit ad meridiem sita; sed eos recte refellit S. Augustinus, serm. 50 *De Verbis Domini secundum Joannem* : *Primo*, quod hæc sint verba sponsæ, id est Ecclesiæ, quærentis locum sponsi in *meridie*, non autem sponsi quærentis sponsam Ecclesiam ; *secundo*, quod Ægyptus, in qua erant examina sanctorum religiosorum, magis sit ad meridiem, quam Africa; *tertio*, quod in Africa duæ erant Ecclesiæ : una catholicorum, et altera donatistarum ; quærit ergo sponsa in utra istarum cubet et pascat sponsus, *q. d.* « O quem dilexit anima mea, annuntia mihi, doce me. Audio enim in meridie, id est in Africa, duas esse partes, imo multas concisiones. Annuntia ergo mihi ubi pascis, quæ oves ad te pertinent, quod ovile illic me jubes amare, cui me debeo sociare, ne forte fiam velut operta. Illudunt enim quasi latenti, insultant quasi perditæ, quasi nusquam alibi exsistenti. Ne ergo quasi operta, quasi latens fiam super greges sodalium tuorum donatistarum, maximianistarum, rogatistarum, cæterarumque pestium extra colligentium, et ideo spargentium, rogo te, annuntia mihi si illic pastorem meum requiram, ut non in gurgitem rebaptizationis incurram. » Hæc Augustinus. Vide eumdem, lib. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. XIV.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima solis, id est tentationis ardore decolorata opem Christi implorat.

Anima sancta solis, id est tribulationis, tentationis et concupiscentiæ, ardore decolorata poscit opem Christi, qui fideles suos velut sol meridianus vera cognitione illustrat, et magno Dei amore inflammat, ut omnes ærumnas alacriter et ardenter superent, juxta illud, *Eccli.* cap. XXXIV, 19 : « Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani. » Et illud, *Isai.* XXV, 4 : « Quia factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua : spes a turbine, umbraculum ab æstu. » Confugiunt ergo ad Christum, de quo Jeremias ait : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus, » *Thren.* IV, 20. Unde sponsa id quod hic petit consecuta, cap. II, 3, ait : «Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi. »

Hinc *meridies* notat statum perfectionis, in qua anima diligit Deum ex toto corde, ex tota mente et ex omnibus viribus. Audi S. Augustinum, serm. 50 *De Verbis Dom. secundum Joannem* : « Annuntia mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie. Quid signat *meridies?* magnum fervorem, magnumque splendorem. Ergo notum fac mihi qui sint sapientes tui, spiritu ferventes, doctrina fulgentes. Dexteram tuam notam fac mihi, et eruditos corde in sapientia. Ipsis inhæream in corpore tuo, ipsis socier, cum ipsis te fruar. Ergo annuntia mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne incurram in eos qui alia de te dicunt, aliud de te sentiunt, alia de te credunt, alia de te prædicant, et greges suos habent, et sodales tui sunt quia de tua mensa vivunt, et mensæ tuæ sacramenta pertractant; sodales enim dicti sunt, quod simul edant, quasi

simul edales, » etc. Hinc idem S. Augustinus, epist. 48 *ad Vincentium*, per *meridiem* accipit justos, « in quibus luce fulgentibus et charitate ferventibus, quasi in meridie requiescit » Christus. In libro vero *De Unitate Ecclesiæ*, XVIII, Christus cubat in meridie, id est, inquit, in iis « qui habent charitatem, et non dividunt unitatem. » Quocirca Aponius per *meridiem* accipit sacras virgines, monachos et religiosos; nam « justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem, » *Proverb.* IV, 18. Audi Origenem, *hom.* 2 e quatuor : « Si quando sol justitiæ Christus Ecclesiæ suæ excelsa et ardua virtutum suarum secreta manifestat, amœna etiam pascua cubiliaque meridiana videbitur edocere. Nam cum adhuc initia habet discendi, et prima, ut ita dicam, ab eo scientiæ suscipit rudimenta, tunc dicit Propheta : Et adjuvabit eam mane diluculo. Nunc ergo quia perfectiora jam quærit, et excelsiora desiderat, meridianum scientiæ lumen exposcit, » juxta illud, *Psalm.* XXXVI, 5 et 6 : « Revela Domino viam tuam : et ipse faciet. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem. »

Meridies sunt charitate ferventes.

Meridies est in Eucharistia.

Rursum Nyssenus, *hom.* 2, censet sponsam hic petere pabulum Eucharistiæ, qua roborata viam capessat ad meridiem gloriæ cœlestis : « Doce me, inquit, dicere piam animam ubi pascas, ut salutari percepta pastione, æterno implear nutrimento, quam qui non comedit, non potest ingredi vitam æternam; et accurrens ad fontem, divinum potum hauriam, quem tu tanquam ex fonte præbes sitientibus, aquam profundens ex tuo latere, ferro hac vena aperta, quam qui gustaverit, fit fons aquæ salientis in vitam æternam : si enim in his me pascas, me omnino facies cubare in meridie, quando in pace simul dormiens requiescam in luce quæ caret umbra, sole lucente super verticem, in qua tu cubare facis eos, quos tu pavisti, quando tu pueros tuos excipies tecum in cubile. Nemo autem hac meridiana requie dignus censetur, qui non fuerit filius lucis, et filius diei : qui autem ex æquo se separavit a vespertinis et matutinis tenebris, hoc est, ubi incipit malum, et in quo desinit, is in *meridie*, ut in eo cubet, collocatur a sole justitiæ. » Eucharistia recte vocatur *meridies*, tum quia continet Christum, qui est ipsa lux mundi; tum quia contra omnes tentationes et concupiscentias meridianum præbet umbraculum; tum quia confert plenitudinem charitatis, et deliciarum luminumque cœlestium, juxta illud : « Jesus, etc., cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem (amoris, id est extreme) dilexit eos, » *Joan.* XIII, 1.

Cur?

Meridies est in cœlo.

Anagogice, *meridies* typus est cœli et cœlestis gloriæ : sicut enim in meridie sol totam suam vim illuminandi et calefaciendi exerit, eamque toti terræ communicat : sic Christus in cœlo totam quasi divinitatis suæ vim et gloriam exerit, primo in suam humanitatem, deinde in B. Virginem et sanctos omnes, qua eos in corpore et anima omni lætitia, voluptate bonisque omnibus replet, cumulat et beat. In hac vita ergo est *aurora* fidei, in altera *meridies* visionis et amoris, juxta illud : « Satiabor, cum apparuerit gloria tua, » *Psalm.* XVI, vers. 15. Audi S. Bernardum, *serm.* 33 : « O vere meridies, plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio! O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies! o lumen meridianum, o vernalis temperies, o æstiva venustas, o autumnalis ubertas, et (ne quid videar præteriisse o quies) et feriatio hiemalis! Aut certe si hoc magis probas, sola tunc hiems abiit et recessit. Hunc locum, inquit, tantæ claritatis, et pacis et plenitudinis indica mihi, ut, quemadmodum Jacob adhuc in corpore manens vidit Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima ejus, *Genes.* XXXII, 30 : ita ego quoque te in lumine tuo et in decore tuo per mentis excessum merear contemplari pascentem uberius, quiescentem securius. Nam et hic pascis, sed non in saturitate; nec cubare licet, sed stare et vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu! nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta; et ideo indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Beatam me dicis, cum esurio et sitio justitiam, *Psal.* LXIV, 6. Quid hoc ad illorum felicitatem, qui repleti sunt in bonis domus tuæ, qui epulantur et exsultant in conspectu Dei, et delectantur in lætitia? » *Psalm.* LXVII, 4; et paucis interjectis : « Omnia mihi hic cedunt citra perfectum, plura præter votum, et tutum nihil. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? *Psalm.* XV, 10. Vultum tuum, Domine, requiram : vultus tuus meridies est. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Scio satis ubi pascas non cubans : indica mihi ubi pascas et cubes, » *Psalm.* XXVI, 8.

Meridies, beata æternitas.

Hinc S. Augustinus in *Psalm.* LIV, per *meridiem* accipit beatam æternitatem : « Vespere, inquit, mane et meridie narrabo et annuntiabo : et exaudiet vocem meam. Evangeliza tu, noli tacere tu, dic quid accepisti. *Vespere* de præteritis, *mane* de futuris, *meridie* de sempiternis. Ideo ad id quod ait, *vespere*, pertinet quod exauditur vox ejus; finis enim in meridie est, sed inde non declinatur in occasum. In meridie enim lux excelsa est, splendor sapientiæ, fervor dilectionis. Vespere, mane et meridie : *vespere* Dominus in cruce, *mane* in resurrectione, *meridie* in ascensione. Et enarrabo vespere patientiam morientis, annuntiabo mane vitam resurrectionis, orabo ut exaudiat meridie sedens ad dexteram Patris. »

Meridies summus contemplationis gradus.

Mystici et contemplativi per *meridiem* accipiunt summum contemplationis et amoris gradum. Unde S. Laurentius Justinianus, De ligno vitæ, tract. *De Orat.* cap. X, sex contemplationis gradus assignat, atque sextum et summum hunc ponit : « Sextus contemplationis gradus est, quando animus illa ex divini luminis irradiatione cognoscit,

quibus omnis humana ratio declinat, et intelligibilium intelligentia rationem amittit, et omnem humanam rationem et intentionem transcendit. Hinc emanans fluminis impetus lætificat animum contemplantis memoria abundantiæ suavitatis Dei: in quo gustu cum ad Deum totis præcordiis amandum facile abducat hominem potentia ejus, et virtus et gloria, majestas, bonitas, beatitudo, ad contemplanda ejus amabilia per seipsa in affectum cordis contemplantis elucescentia; hoc potissimum amantem rapit in amabilem, quia ipse in seipso est quidquid in eo amabile est, qui est totum quod est, quia bono amore ipsius boni sic se intendit pius affectus, ut non se inde revocet, donec unus cum eo spiritus effectus sit : quod cum in eo fuerit perfectum, jam solo mortalitatis velo differt ac dividitur a Sanctis sanctorum, a summa illa beatitudine supercœlestium, qua tamen in fide et spe ejus, quem amat, in conscientia fruitur. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Sensus primus.

Primo, Honorius Augustodunensis sic de ea exponit : « Mariæ anima Christum dilexit, ideo omnia secreta Patris ei innotuere. Castissima virgo fuit *meridies*, de Spiritu Sancto splendens et fervens, in quem Christus declinavit æstum libidinosorum, et cubavit in ejus humilitate, pastus est in ejus castitate. Ne vagari, etc. Id est, notifica omnibus quod in me requieveris, ne hæretici dilacerent dicentes : Si virgo peperit, phantasma fuit. Et ego vagor per eorum greges, quia in secretis et conventiculis eorum sum psalmus eorum. » Hæc vera sunt, sed huic loco minus congrua.

Secundus.

Secundo, Rupertus hæc adaptat B. Virgini quærenti Christum triduo perditum, eumque invenienti in templo : « Fili, inquit, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te, » *Luc.* II, 48. In templo enim est *meridies*, id est doctrina veritatis, et ardens prædicatio charitatis.

Tertius.

Tertio, idem Rupertus et Guilielmus, atque ex iis Delrio censent his verbis B. Virginem aspirare *primo*, ad cœlum; *secundo*, ad Christum suum, ut eo fruatur facie ad faciem, *q. d.* Assume me quo assumptus es, ut tecum pascar, tecum cubem, quæ te olim tam devote pavi, et toties cubitum collocavi. Emissus es olim e sede magnitudinis tuæ, ut mecum esses et mecum laborares : emitte me nunc de carcere ærumnosæ vitæ hujus, ut tecum sim, et pausem tecum post tantos labores materni affectus. *Tertio*, non addere quem pascat, aut quos, ut nostrum exerceat intellectum; quia non tantum illic suos pascit, hoc est sanctos angelos, sed etiam humanitatem suam perennibus deliciis divinitatis suæ; unde postea dicetur ipsemet pasci inter lilia : pascit qua Deus, pascitur qua homo. *Quarto*, addit *in meridie*, quia ibi sempiterna meridies est, ibi jugis fervor divinæ claritatis est, ubi cubat Jesus, ubi quiescit divinitati unita humanitas. Ibi pia mater petebat pasci ab ipso Deo, pasci cum ipso homine, ibi cum suo Jesu cubare. *Quinto*, sodales esse apostolos, qui in gentium dispersione quasi vagabantur Evangelium toto orbe circumferentes; petere autem piam matrem, ne, jam expletis maternis officiis omnibus, emerita et plena dierum, cum apostolis novum subire profectionum et prædicationis labo-rem jubeatur, cui pares erant ipsi apostoli, Spiritus Sancti gratia et cœlesti luce satis instructi.

NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIUM TUORUM. — Pungit sponsa sponsum stimulo zelotypiæ, *q. d.* Indica mihi locum ubi cubes in meridie, alioqui periculum est ne vagando in tuos æmulos et corrivales incidam, qui te excluso me sibi in sponsam ambiunt, uti fecerunt sponsi Penelopes. Hebræa, *quia cur ero sicut vaga super greges sociorum tuorum?* Pro *sicut vaga*, hebraice est, כעטיה *keoteiah*, id est *sicut amicta, operta, tecta*, vel *sicut operiens se*, aut *sicut declinans, divertens, vagans, errans;* alii, *sicut increpata et objurgata* : ita Pagninus. Unde Septuaginta vertunt, *ne forte efficiar sicut adoperta super greges sodalium tuorum.* Pro *adoperta*, græce est περιβαλλομένη, quod S. Hieronymus in versione Origenis vertit, *cooperta*; alii, *circumducta*; Symmachus et ex eo Theodotion, ῥεμβομένη, id est *vaga, vacillans* et *errans*, aut potius *circumagitata et rotata, uti lapis rotatur in funda*, ut eum fundibularius majori impetu vibret et ejaculetur : ῥεμβὼν enim est *funda*. Variæ versiones.

Porro, τὸ *amicta* vel *adoperta* quintupliciter accipi potest : *primo*, pro meretrice, hæc enim olim palliolo aut velo se tegere et operire solebat ex pudore, ne agnosceretur, uti patet de Thamar, *Genes.* XXXVIII, 15; unde Vatablus vertit, *neoberrans per greges sodalium tuorum videar palliolata*, id est *meretricula*; alii, *cur ergo quasi quæ declinat, et divertit ad greges sodalium tuorum?* hoc est, eorum qui se dicunt tuos sodales, cum quidvis aliud potius sint. *Adoperta* quintupliciter. Primo, meretrix.

Secundo et melius *cooperta*, id est lugens, lugentes enim solent caput et faciem velo operire, præsertim viduæ, quæ lugent mortem mariti, *q. d.* Cur te, o sponse mi, absente, ego sponsa tua videbor vidua, et lugens tui absentiam velut mortem? Secundo, lugens.

Posset *tertio*, τὸ *cooperta* notare modestiam, honestatem et pudorem virginalem sponsæ, quæ se velat et tegit, ne a sponsi sodalibus conspici queat, uti se velavit et pallio se cooperuit Rebecca, viso Isaac sponso suo, *Genes.* XXIV, 65. Sic enim virgines et sponsæ honestæ velant se, juxta præceptum Apostoli, I *Corinth.* XI, 5. Vide Tertullianum et ex eo S. Cyprianum, lib. *De Velandis virginibus*, et lib. *De Habitu mulierum*. Ita Origenes, *homil.* 1, quem audi : « Nisi enim tu mihi annuntiaveris, incipio errabunda jactari; et dum te quæro, in Tertio, modestia

aliorum greges incurro; et quia aliorum erubesco, faciem meam absque mora mox contegere incipio. Sum quippe sponsa formosa, et aliis nudam faciem meam non ostendo, nisi tibi soli quem jam pridem deosculata sum.» Et S. Hieronymus, epist. 22 *ad Eustochium*, ex hoc loco docet virgines non ex parte, sed omnino et ex toto debere velare faciem: «Zelotypus, inquit, est Jesus, non vult ab aliis videri faciem suam, excuses licet atque causeris; obducto velamine ora contexi, et quæsivi te ibi, et dixi: Annuntia mihi, ne quando efficiar sicut operta super greges sodalium tuorum; tumebit et dicet: Si non cognoveris te,» etc.

Quarto, latens, incognita. *Quarto*, S. Augustinus, epist. 48 *ad Vincent.*, et lib. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. XIV: *Cooperta*, inquit, id est obscura, latens et incognita. Ecclesia enim posita est a Christo in meridie, ut omnibus sit visibilis et conspicua: ergo non decet eam esse coopertam, id est latentem et absconditam, uti sunt ecclesiæ donatistarum aliorumque hæreticorum. Sic et Origenes, qui asserit idcirco Ecclesiam, vel animam Dei sponsam, requirere Christi cubicula, et plenitudinem scientiæ a Deo postulare, ne videatur esse una e philosophorum scholis, quæ *adoperta* nuncupatur, eo quod veritas apud eos operta sit et incognita.

Quinto, genuine, vagans, errans. *Quinto* et optime, *cooperta* idem est quod vagans et errans, uti vertit Noster: feminæ enim cum domo abeunt, alioque vadunt, honestatis causa sese cooperiunt et tegunt. Petit ergo sponsa a sponso locum ubi cubet in meridie, id est in æstu persecutionum, ut ad eum confugiat, ne alioqui, inquit, ego, id est fideles mei qui sunt membra mea, præsertim in primitiva, novella et tenella Ecclesia, dispergantur, et vagando deflectant ad gentes, idololatras, hæreticos et philosophos, ac in eorum errorem inducantur, qui se jactant sodales Christi et veros pastores, doctoresque veritatis, cum sint socii et ministri diaboli. Unde Chaldæus hæc more suo adaptans Judæis: «Et quare, inquit, erunt transmigrantes inter greges filiorum Esau et Ismael, qui applicant sibi idola sua pro sociis?» Ita Nyssenus, Philo Carpathius, Cassiodorus, Beda, Anselmus, S. Bernardus et alii.

Hæretici sodales Christi. Recte notat Theodoretus hæreticos se vocare *sodales* Christi, quia habitum et nomen Christi circumferunt, nec nisi Evangelium Christi ore crepant, sed corde ei adversantur, juxta illud Pauli: «Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes,» II *Tim.* III, 5. Rursum hæretici eumdem habent baptismum aliaque sacra-

Duo sensus. menta, quæ Christus et christiani. Denique *sodales* dicuntur, non quia amici, sed quia quasi ex æqualitate cum Christo certare contendunt, promittentes eadem bona suis sectatoribus, quæ Christus suis asseclis pollicetur; unde et eos a suo nomine nuncupant, donatistas a Donato, arianos ab Ario, pelagianos a Pelagio, sicuti christiani vocantur a Christo. Quocirca ab his Ecclesia (id est fideles rudiores in Ecclesia) fit vaga, erronea, et circumducitur ac rotatur «omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris,» ait Paulus, *Ephes.* IV, 14.

SODALIUM. — *Primo*, Origenes, *homil.* 2 ex quatuor, per *sodales* accipit angelos, quibus Deus gentium singularem curam distribuit et demandavit, *q. d.* Ne per gentes vager, et eorum angelis præsidibus subjiciar, quæ uni sponso Christo subdita sum, ejusque vicario S. Michaeli: hic enim nunc præses est Ecclesiæ, uti olim fuit Synagogæ. *Sodales* qui? Resp. Primo, angeli.

Secundo, Rupertus per *sodales* accipit scribas et pharisæos, *q. d.* Ostende mihi, o Christe, ubi pascas tuos fideles, ne alioqui recidam in priores meos magistros, puta scribas mosaicos, qui me ad judaismum et judaicas traditiones ac superstitiones retrahant, sicut Magi quærentes Christum duce stella, cum eam velut meridiem se occultantem reliquerunt, inciderunt in Herodem et scribas, qui Christum et ob Christum Magos alia via in patriam redeuntes persecuti sunt, *Matth.* II, 16. Secundo, scribæ et pharisæi.

Tertio, S. Bernardus, *serm.* 33, accipit dæmones, præsertim meridianos, qui scilicet licet sint nox, id est tenebrosi per malitiam, tamen Christi meridiem, id est splendorem et fervorem fraudulenter simulant et ostentant, ut fideles ad se alliciant et decipiant, juxta illud *Ps.* XC, 6: «Ab incursu, et dæmonio meridiano. Itaque, inquit, nisi cordi illius, quem forte aliquod istiusmodi dæmonium meridianum tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falsum convincat et prodat; non poterit omnino caveri, sed tentabit et supplantabit sine dubio sub specie boni, pro bono scilicet malum incanto et improvido persuadens. Et tunc meridies, id est major claritas, apparet tentans, cum quasi boni majoris imaginem præfert.» Tertio, dæmones.

Quarto et optime, per *sodales* accipias hæreticos, philosophos cæterosque errorum magistros, qui discipulorum greges post se trahere satagunt, ac subinde christianos novellos ad se reipsa trahunt: hoc enim hic devitare cupit Ecclesia. Ita Cassiodorus, Justus Orgelitanus, Philo Carpathius, S. Anselmus et Bernardus. Quarto, optime, hæretici, et cæteri cacodoxi.

Tropologice, S. Gregorius per *sodales* accipit perversos christianos et falsos fratres, in quos fideles incidere metuit, ne ab eis pervertantur: «Vere, inquit, in quo Christus non cubat, vagatur; quia mens quam ille suavis et ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur. Sed qui sunt sodales Christi, per quorum greges sponsa vagari pertimescit, nisi falsi quique christiani? qui aut nominis solius, aut etiam sacramentorum communione fratres Christi vocantur; quia electis, quos ipse *fratres* vocavit, in Ecclesia cohabitando sociantur. Quorum multitudines bene per exprobrationem greges appellantur: quia dum quasi irrationabilia animalia sine ordine vivunt, seductoribus spiritibus ad devorandum traduntur. Per hujusmodi greges vagatur, quisquis ab intimo desiderio expulsus, reproborum stultitiam per similes cupidi- Tropologice, sodales, perversi christiani.

tates imitatur.» Concupiscentia enim est vaga, facitque hominem vagum, ut ab una, quam expertus fastidit, transeat ad aliam et aliam sine fine, quia quærit in eis satiem, et non invenit, juxta illud, *Isai.* LVII, 17 : « Abiit vagus in via cordis sui. » Et illud *Jerem.* L, 6 : « Grex perditus factus est populus meus : pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus : de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. » Concupiscentia ergo circumducit animam ab una voluptate in aliam, ab uno scelere in aliud, eamque rotat, sicut rotatur lapis in funda, ad omnem injuriam et vim proximo inferendam, ac ad omne nefas, juxta illud, *Sapient.* cap. IV, vers. 12 : « Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum. » Hoc significat τὸ ῥεμβομένη, id est *circumversa* vel *rotata in funda*, ut vertit Symmachus.

VOX SPONSI

ET SOCIORUM EJUS.

VERS. 7. SI IGNORAS TE, O PULCHERRIMA INTER MULIERES, EGREDERE, ET ABI POST VESTIGIA (hebraice, *post calcaneos*) GREGUM TUORUM, ET PASCE HÆDOS TUOS JUXTA TABERNACULA PASTORUM.

Vatablus et alii hebraizantes τὸ *te*, cum dicitur, *si ignoras te*, censent hebraico pleonasmo redundare, et elegantiæ duntaxat causa poni. Unde ipsi ex Hebræo vertunt, *si ignoras tibi*, id est *si ignoras*, sicut mox in Hebræo dicitur צאי לך *tsei lach*, id est *egredere tibi*, id est *egredere*, et alibi sæpe. Sic *te* vel *tibi* apud Latinos sæpe redundat, ut *tu te hoc fecisti, vade tibi, vive tibi, ecce tibi*, id est *ecce*. Sic sensus erit, *q. d.* Si ignoras, o sponsa, ubi cubem ego sponsus tuus in meridie, abi et sequere vestigia gregum et pastorum : inter eos enim me invenies quasi pastorum pastorem et principem. Hinc sensus valde facilis et planus est, et sententiam alias impeditam expedit, claramque efficit. Ita Titelmannus, Hortolanus, Sanchez, Soto Major et alii hebraice periti.

Si ignoras te. Primus sensus.

Verum Patres græci et latini urgent et ponderant τὸ *te*, æque ac Septuaginta vertentes σεαυτήν, id est *teipsam*. Sic sensus esse potest, *primo, q. d.* Si ignoras te, id est tuam pulchritudinem, pulchrumque tabernaculum, in quo pasco et cubo in meridie, quia tuum tabernaculum pariter meum est, sicut tua pulchritudo pariter mea est : ubi enim est sponsa, ibi est et sponsus ; ubi est Ecclesia, ibi est et Christus. Quare si id ipsum ignoras, egredere et abi post vestigia gregum et fidelium tuorum : tui enim greges, mei quoque sunt; atque ubi greges mei sunt, ibi sum quoque ego earum fidus et individuus pastor. « Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum, » puta apostolorum et doctorum : illos enim ego tibi præsides præfeci, et magistros constitui, atque ego in medio ipsorum versor et dego, uti dum viverem in medio ipsorum, a parentibus meis inventus sum in templo, *Luc.* II, 46, juxta illud : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, » *Matth.* XXVIII, 20. Quare per hosce pastores ego te vera doctrina pascam, et in omni solis, id est persecutionis ardore solabor et protegam : hoc si sequaris, non incipies vagari, nec incides in meos sodales, id est æmulos et rivales hæreticos, cæterorumque errorum magistros. Ita S. Athanasius in *Synopsi* et Justus Orgelitanus, qui recte notant causam ignorationis sponsæ, cur scilicet illa ignoret ubi sponsus cubet in meridie, esse quod ipsa ignoret seipsam suamque pulchri tudinem ; quare eam introspiciat, atque in ea sponsum inveniet.

Secundus.

Secundo, Nyssenus censet hæc verba non esse sponsi, sed adolescentularum ad sponsam querentem se solis æstu decoloratam, *q. d.* Esto tibi decolorata videaris, revera tamen es pulchra per excellentiam, id est pulcherrima es mulierum ; quod si ob persecutiones et ærumnas id ignoras, abi post tuos greges et pastores, ab illis audies te laudari, tuamque pulchritudinem plenis buccis concrepari. Verum hic sensus videtur impertinens ; non enim respondet interrogationi sponsæ quærentis, non, an ipsa sit pulchra, sed ubi sponsus pascat et cubet in meridie.

Tertius.

Tertio, Titelmannus et alii censent hæc dici per ironiam : pupugerat enim sponsa sponsum stimulo zelotypiæ dicens : « Ne vagari incipiam ; » quare sponsus stimulum hunc in eam jocando reflectit, veluti si amator quispiam volens persuadere sponsæ, quod nusquam alibi sic possit, ut apud ipsum commode et honorifice tractari, ita eam alloquatur : Si ignoras temetipsam, o sponsa mea! si nondum tibi satis cognita est conditio tua, in qua apud me agis ; egredere, et abi post amatores alios, illicque operam da tuis voluptatibus et desideriis explendis, ut videas et experientia ipsa tandem cognoscas quam sit dissimilis tua conditio ab illis quæ aliis adhærent amatoribus. Huc accedunt Cassiodorus et Beda, qui exponunt per comminationem, *q. d.* Si ignoras, o sponsa, quod pulchra facta sis per baptismum, et pulchrior futura per tribulationum, quas tibi idcirco immittere decrevi, tolerantiam, egredere a meo consortio, et errantium actus imitare. Et S. Gregorius hic : « Quisquis, inquit, nescit se in hoc positum, ut tentationes per sufferentiam vincat, a familiaritate Christi recedit, quia in bello positus cum Domino suo pugnare recusat. »

Quartus, genuine.

Quarto et genuine, videntur hæc esse verba non solius sponsi, sed et sociorum ejus ; unde et mox socii hi aiunt : « Murenulas aureas faciemus, » in plurali, non *faciam* in singulari, uti ibidem notant Justus, Rupertus, Anselmus et S. Bernardus. Sponsus ergo non per se, sed per socios suos respondet sponsæ : « Si ignoras te, » id est tuas vias, tuos gressus, quibus ad me tendis, *q. d.* Si ignoras iter et viam, quam insistere debeas, ut ad locum, in quo pasco et cubo in meridie, pervenias. « Abi post vestigia gregum tuorum ; » He-

bræa, *exi tibi in calcaneis ovium*; Septuaginta, *egredere tu in vestigiis gregum* (τὸ enim *tuorum* non est in Hebræo, nec in Græco); Symmachus, *egressa vade secundum vestigia gregum*, hoc est, sequere fidem, vitam et mores priscorum fidelium, qui Deo placuerunt, puta patriarcharum et prophetarum. Hi enim sunt tui, id est non tam ad legem veterem, quam ad novam, Christique Ecclesiam pertinent, teste S. Augustino. « Pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum, » id est, infirmos tuos fideles et peccatores, qui male olent, ut hirci et hædi ob putidam concupiscentiam, pascito juxta tabernacula pastorum, id est juxta Ecclesias apostolorum, et eorum qui apostolis successerunt: ab iis enim in fide et virtute firmabuntur, et a concupiscentiis curabuntur; quare ibi invenient sponsum animæ suæ Christum *in meridie*, id est in fulgore doctrinæ et fervore charitatis, recubantem, suosque fideles per apostolos virosque apostolicos pascentem. Alludit grammatice ad hædos, qui naturali instinctu agnoscunt matres, easque ex odore agnoscentes illico ad illas confugiunt. Fingitur enim hic sponsa hædos parvulos et infirmos pascere, et lactare juxta tabernacula pastorum, qui hircos et capras adultas pascunt; quare ex hædis, qui ex odore agnoscunt et advolant ad vicinas capras quasi matres suas, agnoscit sponsa pastrix ubi sit sponsus pastor ovium et caprarum.

Paraphrasis. Sensus est ergo, *q. d.* ait Hortolanus : Si quando, o Ecclesia sponsa mea pulcherrima, inter maximas persecutiones, et rerum omnium difficultates perplexa, et inops consilii hærebis, observa majorum tuorum fidem, et in perferendis malis infractum animum, quæque illi, his veluti pedibus suis difficiles ingressi vias, reliquerunt impressa vestigia, heroica sua facta, raræ fortitudinis ac constantiæ tibi tuoque gregi imitanda exempla. Iisdem tu quoque ingredere pedibus, eadem tere vestigia, eam rectam tuque et grex tuus perpetuam tenete viam : ea vos procul dubio, ad mea pastorum Principis aliorumque insignium pastorum perducet mapalia, in virentibus, irriguis et opacis Israeliticorum montium locis fixa. Ibi nullum, qui te deceptam vitiet, aut sollicitet, offendes pseudo-Christum, nullum pseudoprophetam; sed me ipsum, qui te incorruptam perpetuo servaturus sum et illibatam, verum Christum et legitimum sponsum tuum, meosque, qui gregem meum ex animi mei sententia, doctrina sana et scientia pascant, fidos pastores. Ibi jubeo ut pascas hædos tuos, tuos inquam filios tibi recens natos, quin et adultos, sed moribus adhuc et judicio neophytos, lascivientes, auribus prurientes, rerum novarum cupidos, et voluptatum (quarum virus redolent) magis quam mei amatores. Ibi tuos hædos a meridiani solis incommodis tutos, cum reliquo meo grege jubeo ut facias accubare, prædicando verbum opportune, importune obsecrando, increpando cum omni patientia et doctrina.

Huc accedit Chaldæus, qui de more Judæis hæc applicans sic vertit : « Dixit Sanctus et Benedictus Mosi prophetæ : Tu postulas ut deleatur illis exsilium, Synagoga, quæ comparata est puellæ pulcherrimæ, et quam anima mea diligit, ambulet in viis justorum, et ordinet orationem suam in ore præfectorum suorum, et deducat generationes suas, et doceat filios suos, qui comparantur hædis caprarum, ut ambulent in domum ecclesiæ et in domum doctrinæ : et propter illud meritum sustentabuntur in captivitate, donec mittam eis regem Messiam, qui ducat eos in requiem ad tabernaculum ipsorum, quod est domus Sanctuarii, quam ædificabunt ei David et Salomon pastores Israel. »

Minus apposite aliqui pastores non veros, sed falsos hic accipiunt, *q. d.* Sequere vestigia gregum, id est fidem et mores priscorum justorum; sic fiet ut etiam impune hædos, id est fideles tuos imperfectos, ductare possis circa tabernacula pastorum, perfidorum, inquam, illorum sodalium, quos pertimescebas; ideoque decrevi te similem facere equitatui meo, robori et potentiæ, quam ostendi in curribus Pharaonis, scilicet prosternendis et mergendis in mari Rubro.

Denique solatur sponsus animatque sponsam, compellando eam, « o pulcherrima mulierum, » *q. d.* Videris tibi, o sponsa, sole persecutionum decolorata et obfuscata, at scito te ex dono et gratia Dei esse pulcherrimam mulierum. Id explicat et confirmat, dum subdit : « Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia, » etc.

Tropologice, *primo*, « si ignoras te, egredere, » etc., *q. d.* Cognitio sui ipsius est via ad cognitionem Dei, sicut ignoratio sui est ignoratio Dei : cognoscens enim suam infirmitatem, cogitur agnoscere Dei gratiam et omnipotentiam, eamque supplex invocare. Unde Agapetus Diaconus, *Admonit. ad Justinianum imperatorem* : « Qui se novit, inquit, Deum noscet. Deum noscens, Deo assimilabitur. Assimilabitur qui Deo dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat quæ Dei sunt; et quæ cogitat loquitur, et quæ loquitur facit. » Vide S. Bernardum, lib. II *De Consider. ad Eugenium*, cap. III, et S. Ambrosium, serm. 2 *in Psal.* CXVIII, et Origenem hic, *homil.* 2 ex quatuor. Unde S. Hieronymus, epist. 23 *ad Eustochium* : « Sis licet pulchra, inquit, et inter omnes mulieres species tua diligatur a me sponso tuo, nisi te cognoveris, et omni custodia servaveris cor tuum, nisi oculos juvenum fugeris, egredieris de thalamo meo, et pasces hædos, qui staturi sunt a sinistris. » Et S. Augustinus, serm. 50 *De Verbis Dom. secundum Joan.* : « Nisi, inquit, cognoveris temetipsam, quia una es, quia per omnes gentes es, quia casta es, quia colloquio perverso malorum sodalium corrumpi non debes; nisi cognoveris temetipsam, quia recte mihi desponsavit ille virginem castam exhibere Christo, recteque mihi

Tropologice. Primo, cognitio sui est via ad cognitionem Dei.

teipsam exhibeas, ne malis colloquiis, sicut serpens Evam seduxit astutia, sic et tui sensus corrumpantur a castitate mea : nisi ergo talem cognoveris temetipsam, exi. Tu exi, aliis enim dicturus sum : Intra in gaudium Domini tui. Tibi non dicam : Intra, sed : Exi, ut sis inter eos qui ex nobis exierunt, exi tu : sed nisi cognoveris temetipsam, tunc exi; si autem cognoveris temetipsam, intra : si autem non cognoveris, exi tu in vestigiis gregum, et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum. Exi in vestigiis, non gregis, sed gregum, et pasce non sicut Petrus oves meas, sed hædos tuos in tabernaculis, non Pastoris, sed pastorum, non unitatis, sed dissensionis. »

Secundo. *Secundo,* ut homo veniat ad Deum animæ sponsum, oportet egrediatur ex suis affectibus et amoribus inordinatis, ac quasi ex seipso, ut scilicet exuat veterem hominem; sic enim novum, puta Christum, induet. Unde S. Ambrosius, *De Anima et Isaac,* cap. IV, docet animam conciliare sibi Dei præsentiam per sui cognitionem et mortificationem : « Cognosce igitur te, inquit, et naturæ decorem, et exi quasi exuta vinculis pedum, et nudo exerta vestigio, ut carnalia integumenta non sentias, vestigium mentis tuæ corporalia vincula non implicent, ut pes tuus speciosus appareat, etc. Hoc est ergo quod ait : Exi tu in calcaneis gregum, et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum; quia per greges regnum intelligimus, eo quod potestatis sit gregibus præsidere; præsidet autem unusquisque sibi quadam potestate regali, si coerceat in se corporis luxus, et servituti redigat carnem suam : ideo dictum est, *Luc.* XVII, 21 : Regnum Dei intra vos est. Unde pulchre ait ad animam : Exi, id est exi a servitio, exi a carnis imperio atque dominatu; et exi non in carne, sed in spiritu, exi ad regimen potestatis; ideoque addidit : Pasce hædos tuos, id est, rege ea quæ in sinistra tua sunt. Nam si non regantur, facile labuntur. Coerce petulantiam et lasciviam tui corporis; edoma leves motus : pasce eos non in corporeis tabernaculis, sed in tabernaculis pastorum qui regere gregem norunt. Sunt enim amabilia tabernacula Israel, sicut nemora obumbrantia super flumen. » Hoc est quod Deus Abrahæ, dum eum ad se evocaret, præcepit, dicens : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, » etc., *Gen.* cap. XII, 1. Hinc Joannes Carmelita sic explicat : Egredere, id est temetipsam interseca, mediamque concide, ita ut mentem ab appetitu distermines, ac duo quasi agmina constituas : altero quidem in agmine appetitum sentientem, effrenesque ipsius motus recensebis; ab hoc vero agmine mentem voluntatemque segregabis, alterumque numerabis agmen, in quo teipsam repones, et, indicto bello, agminis primi colloquia commerciumque vitabis. Sic viam arripies luceque frueris. « Abi post vestigia gregum tuorum, » hoc est, post greges tradere, non ut a motibus appetitus effrenis traharis, sed ut quasi verbere inflicto teipsam urgeas, et quo mens vocat, recte ire compellas. « Pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum, » id est, sensus rebelles hædorum more, dum recens sanguis effervet, exsultantes, cum domueris, dictoque jam feceris audientes, ne patiaris otio se tradere, aut tam cito deseras, ac si rebellare nequeant, neque soleant : sane si eos impune agere permiseris, fœdus rescindent, ac in te uno connisu irrumpent. Præside igitur illis, acriterque cæde, ac simul pasce juxta casas mapaliave pastorum, qui sunt viri rerum divinarum consultissimi, apostolorumque posteri ac hæredes, qui saluberrimas spiritualium dogmatum herbas sibi credito gregi carpendas porrigunt : quorum si dogmata toto pectore hauseris, ad meridiem ipsorum ducatu ocyssime properabis.

Exeat homo a veteri homine, ut induat novum.

Tertio, anima, ut Deum inveniat, debet sequi vestigia gregum, id est sanctorum, qui legem Dei sunt secuti, ac ejus in sacra Scriptura dogmata velut pabula depaverunt. Eadem hædos, id est petulantes et effrenes concupiscentiæ motus, refrenet ex disciplina pastorum. Tertio.

Symbolice S. Bernardus : Greges Dei, ait, sunt creaturæ, ex quarum vestigiis, id est consideratione, vestigamus et pervenimus ad earum Creatorem, uti docet S. Thomas, I part., *Quæst.* V, art. 6, et *Quæst.* XLVII, art. 7. Vide S. Basilium, hom. 11 *Hexam.*, S. Augustinum, lib. X *Confess.* cap. VI, S. Gregorium, XII *Moral.* cap. VIII. Ita S. Antonius per hæc vestigia sponsi cubile, id est Dei thronum et gloriam agnovit, uti refert Nicephorus, lib. XI, cap. XLII. Unde S. Antonii hoc erat axioma, imo definitio mundi : « Quid est mundus? est liber divinitatis. Cœli *enim* enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum, » *Psal.* XVIII, 1. Symbolite.

Porro, Nyssenus legit, *si non cognoscis te ipsam, o pulchra inter mulieres, egredere tu ex vestigiis gregum, et pasce hædos in* (vel, ut alii codices habent, *pro*) *tabernaculis pastorum* : sicque explicant : « Anima, quæ ex nigra facta est pulchra, si est tibi curæ, ut longo tempore duret gratia et decor tuæ formæ, ne aberres post vestigia eorum qui præcesserunt; sequere rationem, non vulgarem hominum consuetudinem rationis expertem; non aspicias ad pecudum vestigia, quæ per calces eos significant, qui vitæ terrenæ sunt affixi, etc. Non est enim apertum an sit hædorum semita ea quæ apparet, quam tu sequeris, propterea quod a te non cernantur, qui vestigiis suis vitam triverunt. Postquam vitam transmiseris, et in mortis stabulo inclusa fueris, timendum est ne in gregem hædorum ascribaris, qui ad sinistram collocandi sunt, quos ignorans eorumque vestigiis inhærens, secuta es. » Et Origenes qui sic exponit, *q. d.* « Si non cognoveris te, quoniam regis es sponsa, et a me facta formosa, id tibi erit in pœnam, quod novissima fies in vestigiis pastorum; idque non inter oves et justos, sed inter hædos et peccatores,

cum quibus habitans non poteris habere partem mecum. » Huc accedit S. Gregorius : « Per *hædos*, inquit, immundæ cogitationes designantur ; per *tabernacula pastorum* conventicula hæreticorum exprimuntur. Qui ergo pugnare nescit, juxta tabernacula pastorum hædos pascit : quia quisquis obsistentibus tentationum gladiis viriliter non resistit, immundas cogitationes quasi hædos lascivos in corde nutrit, et efficitur ei similis, etiam qui a fide recedit. Anima vero quæ sponsa Christi effici concupiscit, qualiter se habeat, Christus eam docet, cum ei per comparationem protinus dicit : Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. »

Hædi, immundæ cogitationes.

Et S. Bernardus, *serm.* 35, qui hæc accipit ut comminationem, *q. d.* Si ignoras, id est si non consideras, non æstimas, non contemplaris immensa bona cœlestia, quæ tibi partim dedi, partim promisi, « egredere de sanctuario meo, corde tuo, ubi secretos sacrosque veritatis ac sapientiæ sensus dulciter haurire solebas, et magis tanquam de sæcularibus, pascendis et oblectandis tuæ carnis sensibus intricare. Hædos quippe (qui peccatum significant, et in judicio collocandi sunt a sinistris) dicit vagos et petulantes corporis sensus, per quos peccatum tanquam mors per fenestras intravit ad animam. Cui et bene congruit quod sequitur in Scriptura : Juxta tabernacula pastorum. »

De B. Virgine.

Denique Rupertus hæc adaptat B. Virgini, quæ pulcherrima fuit omnium non tantum feminarum, sed et creaturarum omnium, in cujus utero quasi in templo, imo quasi in cœlo Christus cubavit, quasi Christus ei dicat : Cum non ignores te ipsam, quod sis mater Dei, ac benedicta inter mulieres, cognoscis pariter ubi ego cubem, nimirum in tua fide et humilitate. Tu enim dixisti : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ergo ex fide et humilitate, imo fides et humilitas tota pulchritudo tua est, et hic est locus requietionis meæ ; locus in quo dilectus tuus pascendo et cubando delicietur in meridie, id est in hoc tempore plenæ gratiæ, quando figura jam præterita res illuxit ; umbra depulsa, sol veritatis ascendit. »

VERS. 8. EQUITATUI MEO IN CURRIBUS PHARAONIS ASSIMILAVI TE, AMICA MEA.

Equitatus Pharaonis, quis?

Pro *equitatui* hebraice est לסוסתי *lesusathi*, id est, ut Septuaginta, τῇ ἵππῳ, id est *equæ meæ*, vel potius *equitatui meo* ; Syrus, *equæ meæ in curru Pharaonis assimilavi te* ; Arabicus, *nominavi* (laudavi, celebravi) *te, o proxima mea, in equo meo in curribus Pharaonis*. Jam

PRIMUS SENSUS.

Resp. Primo,

Primo, nonnulli censent Salomonem hic sponsam suam comparare equæ cuidam currili lectissimæ, generosissimæ et pulcherrimæ, qua præ deliciis ipse utebatur in agitandis curribus Pharaonis ; vel qua Pharao filiam suam curru vexit ad Salomonem, quasi sponsam ad sponsum : quo symbolo significatur sponsam cum sponso similem esse equo et equæ eumdem matrimonii vitæque currum pari consensu trahentibus ; a *jugo* enim hoc equorum, matrimonium dictum est *conjugium*, quod conjuges sint, quasi duo equi ad eumdem currum conjugati, ut matrimonii opera paribus humeris sustineant, ejusque difficultates paribus viribus superent. Rursum hoc symbolo significatur sponsam debere se moribus viri accommodare, et hunc vicissim sponsæ infirmitati se attemperare, sicut in curru trahendo equi jugales alter alteri se accommodat. Significatur ergo hac *equæ* metaphora mutuus sponsi et sponsæ amor, mutua observantia, mutua concordia, mutuus labor, mutua obsequia et officia. Sic Lyricus comparat virginem speciosam equæ :

> Quæ velut latis equa trima campis,
> Ludit exsultim, metuitque tangi.

Equa notat quatuor. Primo, Ecclesiæ velocitatem.

Notum est proverbium : *Equa Thessala*. Igitur *equa* notat *primo*, Ecclesiæ velocitatem : equæ enim velociores sunt equis, ut maxime liquet in Hispanicis ; ita Theodoretus : Sponsus, ait, cum sponsam amoris æstu percitam, et ad se festinanter currentem cerneret, equæ æripedi illam similem asseruit. *Secundo*, ejus obedientiam et mortificationem, quod cum in gentilismo viveret indomita, jam jugo Christi cervices submiserit. Ita S. Ambrosius, serm. 2 *in Psal.* CXVIII. *Tertio*, amplitudinem, quod celerrime per totum orbem discurrerit, Christique fidem propagarit. « Cœpit sponsa (Christi), ait idem S. Ambrosius, concordia et mansuetudine populari, esse sublimis, et toto circumferri orbe tanquam currus, et equis velocibus supra mundum rapta ascendit ad Christum. » *Quarto*, fecunditatem, ita S. Ambrosius, *De Isaac et Anima*, cap. IV : « Virtutis labor, ait, quærit victoriam, ut possit equæ illi, quæ Salomonis est, comparari, velox ad currendum, habilis ad pastum ; quoniam fœcunditas animæ desideratur et quæritur. Huic equæ similis æstimatur hæc anima, hoc est propheticæ vel apostolicæ virtutis : eo quod in eorum annumeretur gregem, qui fecunditate prædicationis suæ totius orbis terrarum spatia resperserunt, et quamvis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritalis sensere dispendia. »

Secundo, ejus obedientiam.

Tertio, amplitudinem.

Quarto, fecunditatem.

Secundo, equitatus bellicus.

Secundo, nervosius hæc accipias de equitatu curruum bellicorum. Alludit enim ad equos bellicos, quos sibi ex Ægypto a Pharaone coemebat Salomon : Ægyptus enim optimorum equorum erat ferax. Vide historiam, III *Reg.* cap. IV, 26, ubi inter alia dicitur : « Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium, » etc. Sensus ergo est, *q. d.* Questa es, o sponsa, te æstu persecutorum decoloratam, atque timere, ne rursum vagando incidas in sodales, id est æmulos meos ac tuos : quare quæsiisti, ubi cubem in meridie, ut sub umbra mea ab omnibus hostibus tuta securaque quies-

Paraphrasis.

cas, ac hædos tuos petulantes pascas et compescas juxta tabernacula pastorum : video te ad tantas difficultates, persecutores et hostes expavescere ; addo ergo tibi animum, dicoque me tibi daturum vires et robur tantum, ut similis esse videaris equitatui bellico, quem Salomon comparavit a Pharaone, quo hostes omnes superes. Ad bellum enim te voco, ac per te totum mundum mihi subjugare destino, ut principem mundi diabolum cum toto suo præsidio inde exigam; et quos ille in captivitatem redegit fratres meos, suæ libertati restituam. Nimirum apostolos virosque apostolicos ex te submittam, qui velut equi generosi maria terrasque celerrime percurrant, et me ipsis velut inequitantem per medias hostium acies invehant, ac populos undequaque prosternentem circumferant. Per me namque sola mea præpotenti dextera fretus, fortia et admiranda facinora edam, atque arduum et memorabile hoc bellum tua, quasi victoris equi et equitatus opera conficiam, vincam et triumphabo. Hinc S. Joannes mundi per apostolos ad Christum conversionem vidit repræsentari equo albo : « Ecce, inquit, equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret, » *Apoc.* cap. VI, 2. Hac de causa sponsam Ecclesiam, cap. VI, 9, comparat castrorum aciei ordinatæ.

Tertio, currus Pharaonis, in mari Rubro submersi.

Rursum, *currus Pharaonis* cum Aponio, Beda et S. Bernardo accipi possunt, non quos Salomon emit a Pharaone, sed quos Deus prostravit in mari Rubro, *q. d.* Tu, o Ecclesia mea, a me assimilaberis equitatui meo, quem opposui equitatui et curribus Pharaonis, cum pro Mose et Hebræis pugnans eos profligavi, et in mare demersi. Simili enim modo per te omnes tuos hostes infideles profligabo, sed ita ut ex infidelibus faciam fideles, ex hostibus amicos, ex rebellibus subditos, ex feris homines, ex mortuis vivos, ex dæmonibus angelos; quare eos per mare Rubrum, id est per baptismum sanguine Christi quasi rubricatum, deducam in terram promissam, non in terra, sed in cœlis. Ita Cassiodorus, Anselmus et Beda, qui et addunt, id fieri duce columna ignis et nubis, id est Spiritus Sancti. Vide dicta *Exodi* XIV. Porro equitatus Dei fuit angelicus : angeli enim pugnantes pro Deo et Hebræis prostraverunt Pharaonem. Unde Joannes Carmelita sic explicat : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, » hoc est angelo, quo tanquam equo meo vehebar olim, dum in sinu Arabico currus Pharaonis everterem, te similem feci. Huc facit illud *Habac.* cap. III, 15 : « Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum; » et vers. 8 : « Qui ascendes super equos tuos : et quadrigæ tuæ salvatio, » etc. Alludit ad *Psal.* LXVII, 18 : « Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium : Dominus in eis in Sina in sancto. » Ille enim, *Psal.* LXVII, idem connubii Christi et Ecclesiæ argumentum tractat, quod Canticum hoc. Ita Chaldæus quem audi : « Quando egressi sunt filii Israel de Ægypto, secuti sunt Pharao et exercitus ejus post eos in curribus, et in equitibus, et erat via clausa eis a quatuor partibus : a dextris et a sinistris erant deserta plena serpentibus ignitis; et post tergum eorum erat Pharao impius, et exercitus ejus; et similiter ante eos erat mare carectosum. Quid fecit ille Sanctus et Benedictus? revelatus est in virtute potentiæ suæ super mare, cum suffocatus est Pharao, et exercitus ejus, et currus, et equites, et equi ejus; et similiter periisset Israel, nisi Moyses propheta extendisset manus suas in oratione coram Domino, et avertisset iram Domini ab ipsis; et aperuerunt ipse et justi generationis illius os suum, et dixerunt canticum, et transierunt in medio maris carectosi per siccum, propter meritum Abraham et Isaac et Jacob, dilectorum Domini. » Huc accedit Origenes, qui sic exponit : « Si vis intelligere, o sponsa, quomodo scire te debeas, cognosce cui te comparaverim, et tunc videbis talem te esse quæ turpari non debeas, cum tuam speciem cognoveris. Assimilata enim es equitatui meo in curribus Pharaonis : siquidem quantum differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tanto melior es filiabus omnibus, tu amica mea. »

Haymo vero per *equitatum* Dei accipit ipsos filios Israel salvatos in mari Rubro, quibus similis fit Ecclesia, quando per aquam baptismi salvatur.

Symbolice, Sotomajor censet hunc esse equitatum amoris, quo sponsa devicit, sibique devinxit sponsum, *q. d.* Equidem, o sponsa charissima, ut primum te vidi, totum me penitus tibi devinxisti, et plane animum meum quasi expugnasti eximia specie et pulchritudine tua, usque adeo fortiter et vehementer, ut non minus fortis et potens mihi esse videaris in amore quam equitatus ille meus junctus curribus Pharaonis, fortis et robustus est in bello ad pugnandum et vincendum, et profligandum populi Dei hostes. Sic Plato in *Symposio*, *De Amore*, inter alias amoris excellentias hanc ponit præcipuam, quod potentissimus et fortissimus sit, atque etiam ipso Marte, id est deo bellatore, et auctore belli fortior. Sic enim ibi ait : « Quod ad fortitudinem prætérea attinet, neque Mars equidem amori resistit. Neque enim Mars amorem, sed amor deæ amoris (ut fertur) Martem detinet. Potentius autem est id quod detinet, quam id quod detinetur. Qui vero cæterorum fortissimo dominatur, omnium absque dubio fortissimus judicandus est. » Divinius S. Bernardus, *serm.* 64, exclamans : « O suavitatem! inquit, o gratiam! o amoris vim! Itane summus omnium, unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique *semetipsum exinanivit*, ut scias amoris fuisse, quod

Symbolice.

Amor triumphat de Deo.

plenitudo effusa, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.» Sic Boetius, lib. II *De Consol.* metro 8, ait amorem cœlo dominari : « Et cœlo, inquit, imperitans amor. » Quin et sponsus hic, cap. VIII, vers. 6 : « Fortis, ait, est ut mors dilectio. »

Et cœlo dominatur amor.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Primus sensus, equi apostoli.

Per *equam* et *equitatum, primo,* Philo Carpathius legens *equi mei,* et tres Patres apud Theodoretum, accipiunt apostolos quibus quasi equis insidens Christus profligavit currus Pharaonis, id est gentes infideles, easque sibi subjecit, atque in iis velociter et fortiter quasi equitando, currum Evangelii sui illico circumegit per omnes gentes. Sic Eliæ curru igneo et equis igneis ascendenti in cœlum succlamavit Elisæus : « Pater mi, pater mi, (tu es) currus Israel, et auriga ejus, » IV *Reg.* II, 12, *q. d.* Tu, o Elia, israeliticum populum, ut currus tuis meritis portabas, et, ut auriga tuis consiliis regebas. Quis, te in cœlum rapto, jam Israelem portabit et reget?

Secundus, equitatus angeli.

Secundo, Nyssenus, Aponius et S. Bernardus per *equitatum* accipiunt angelos, qui uti olim quasi equites Dei prostraverunt currus Pharaonis in mari, ita nunc prosternunt dæmones, et quoslibet homines animam justi impugnantes.

Tertius, equitatus animæ ad fidem conversæ.

Tertio, Origenes, *homil.* 2 ex quatuor, et ex eo Aponius, per *equitatum* accipiunt animas, quæ ex infidelitate aut peccato per prædicationem apostolorum, et gratiam Christi traductæ sunt ad fidem et sanctitatem, itaque ex equitatu diaboli factæ sunt equitatus et equæ Dei; nam, ut hic ait Thomas Cisterciensis : « Omnes qui male agunt, sunt equi in curribus Pharaonis, scilicet diaboli, a quo tanquam auriga diriguntur et agitantur; » sed hi conversi fiunt equi Dei in curribus Christi, cum frenum disciplinæ ejus suscipiunt, jugum Evangelii portant, et spiritu ejus aguntur. Unde Aponius τὸ *in curribus* explicat *ex curribus Pharaonis.* Hi enim a Christo sessore sinunt se flecti ad omne bonum, quocumque illi libuerit, atque ab omni malo licet delectabili et concupiscibili refrenari, uti dixi *Apoc.* VI, 2. «Mutato, inquit Aponius, magno sessore magni efficiuntur equi, qui portant Spiritum Sanctum. Et in quibus solebat sedere Pharao, qui disperdens vel dissipans eos interpretatur, qui utique princeps intelligitur mundi, nunc vehitur in eis princeps cœlestis militiæ, Christus : et quos consueverant auctores vitiorum ministri Antichristi trahere per saxosa convallia criminum, nunc a potentibus et mansuetis equis apostolis, vita, exemplo et sana doctrina trahuntur per justitiæ campos, in quibus rotæ sunt voluntas et rationabilis sensus; temones, agens officium, per quem aut Pharaonis aut Christi unusquisque efficitur currus. Et quam sint splendidi veræ conscientiæ auro obtecti, quam refulgentes in omni sancta conversatione hi, qui ex Pharaonis, Christi effecti sunt currus, evidenter agnoscitur, ubi eos Domini equi trahere asseruntur. Quibus etiam pro sublimi laude animam suam assimulat Christus dicendo : Equitatui meo, et reliqua. »

Currus conversorum.

Audi S. Gregorium : « Scimus quia equitatus israeliticus currus Pharaonis fugiens in mari demersos reliquit, nec statim terram repromissionis intravit; sed prius multas tentationes in eremo quadraginta annis sustinuit, multos reges multis laboribus expugnavit, et sic tandem quod promissum sibi fuerat, laboriose acquisitum suscepit. Huic sancta anima, sponsi amica similis efficitur, quæ prius in baptismo omnia peccata sua exstincta quasi Pharaonis exercitum reliquit; et post, dum inter hujus mundi habitatores, malignos scilicet spiritus vivit, imminentia vitia quasi reges alienos prosternit, et sic tandem ad beatam terram, in qua cum sponso delectetur, pervenit.» Vide S. Bernardum, *serm.* 39, ubi per *currus Pharaonis* accipit cuncta vitia, præsertim malitiam, luxuriam, avaritiam, ac singulis suos aurigas et equos consimiles assignat.

Quartus, equa anima Christi et humanitas.

Quarto, Origenes, *homil.* 2 ex quatuor, et Theodoretus per *equam* accipiunt sanctissimam Christi animam et humanitatem, cui insedit divinitas, eamque velut auriga egit per tot heroica virtutum omnium opera (humanitas enim Christi hic primaria est sponsa, quam Verbum ut sponsus sibi despondit, uti dixi in Proœmio, cap. II) : Christus enim humanitati suæ assimilat animam justi, quasi eam sic alloquatur : Te animam propinquam meam factam, atque ideo propinquam appellatam, et reipsa nominis fructus assecutam, equæ dico esse similem meæ, qua ego utens Pharaonem intelligibilem submersi, tibique largitus sum libertatem, juxta illud : « Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, » *Philip.* III, 21. Et : « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate, tanquam a Domini Spiritu, » II *Corinth.* III, 18.

Quintus, equa anima justi.

Quinto, S. Hieronymus in illud, *Habac.* cap. III, vers. 8 : « Qui ascendes super equos tuos, » censet animam justi hic comparari equo proprie dicto, quod instar equi ratione et voluntate carentis frenari et regi se sinere debeat ab auriga et sessore Christo, ac dicere cum Psalte : « Ut jumentum factus sum apud te, » *Psalm.* LXXII, 23.

Anima sancta, equitatus.

Plenius S. Bernardus, *homil.* 39, ostendit animam sanctam, non tantum esse equam, sed equitatum potentissimum Dei : «Nec miraberis, inquit, unam animam equitatus multitudini similatam, si advertas quantæ in ipsa una, quæ tamen sancta anima sit, virtutum acies habeantur; quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta

denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum. » Hanc autem multiplicem de hoste victoriam ita sigillatim post nonnulla enarrat : « Ibi populus eductus est de Ægypto, hic homo de sæculo ; ibi prosternitur Pharao, hic diabolus ; ibi subvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia et sæcularia desideria, quæ militant adversus animam, subruuntur ; illi in fluctibus, isti in fletibus ; marini illi, amari isti. Puto et nunc clamitare dæmonia, si forte contingat incidere in talem animam : Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos, » *Exod.* XIV, 25.

Igitur anima obediens et sancta, est equa et equitatus Dei, quia ad obediendum et ad omne opus bonum, quod jubet vel consulit Deus, promptissime, velocissime, efficacissime, totoque spiritus impetu procurrit instar angelorum, de quibus canit Psaltes, *Psal.* CIII, 4 ; et Apostolus, *Hebr.* cap. I, vers. 7 : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Rupertus per *equam* et *equitatum* accipiens virgam Mosis, per quam velut per equitatum Deus Pharaonem prostravit et mersit in mari, asserit per eamdem denotari B. Virginem : « Sicut enim virga illa, ait, virgas maleficorum et incantatorum devoravit, et omnem superbiam ægyptiacam obtrivit, ac deinde germinavit, fronduit, floruit et fructum protulit, non plantata, non succo terræ animata, sed virtute cœlesti supra usum naturæ provecta : sic tu pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam pravitatem hæreticam interemisti, superbiam diaboli dejecisti, conceptu florida, partu fructifera ; virgo in conceptu, incorrupta in partu ; virgo ante partum, incorrupta post partum. Nonne igitur pulcherrima es mulierum ? vere pulcherrima. »

Hinc B. Virgo contrivit caput serpentis, id est Luciferi, omniumque ejus asseclarum, *Genes.* cap. III, vers. 15, quales sunt hæretici : quocirca B. Virgini vere et jure accinit Ecclesia : « Quæ sola universas hæreses in universo mundo interemisti. » Id enim vere ei tribui, patet ex omnium hæreticorum ætatumque historia.

VERS. 9. PULCHRÆ SUNT GENÆ TUÆ SICUT TURTURIS : COLLUM TUUM SICUT MONILIA.

Variæ versiones.

PULCHRÆ SUNT GENÆ TUÆ SICUT TURTURIS. — *q. d.* Tua, o sponsa (id est Ecclesia et anima fidelis) ; castitas ac virginalis pudor relucent in genis tuis, æque ac in genis turturis. Hebraice est תורים *torim*, id est *turturum*, in plurali ; verum plurale ponitur pro singulari, unde *turturis* vertit Noster ex Septuaginta ; Chaldæus et Rabbini *torim* vertunt, *inaures, gemmas, torques, margaritas, monilia* ; R. Abraham, *murenulas quæ depictæ erant instar turturis* ; alii ; *murenulas ad turturis speciem effigiatas, quæ ex temporibus descendentes usque ad genas eas mire exornabant.* Unde Vatablus vertit, *venustæ sunt genæ tuæ inter murenulas, et collum tuum inter monilia* ; Syrus, *speciosæ sunt genæ tuæ cum cincinnis, et collum tuum cum torque.* Verum melius vertit Noster : hebræum enim תור *tor* proprie *turturem* significat per onomatopœiam a sono vocis, quem gemendo turtur edit ; non monile aut quid simile. Adde Nostrum et Septuaginta in Hebræo legisse כתורים *cattorim*, id est *sicut turturum*, non בתורים *battorim*, id est *inter turtures*, vel murenulas, aut monilia turturibus similia. Denique aptius genæ sponsæ turturibus, quam monilibus comparantur, quia turtures pudici sunt, mansueti (unde et carent felle), modesti et verecundi, idque maxime oculis et genis repræsentant : « in genis enim est sedes pudoris, » ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVII. Sic cap. IV, 1, ait : « Oculi tui columbarum : » columbarum enim species una sunt turtures.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Explicat, et per partes confirmat sponsus per suos sodales, quod generatim dixit sponsæ : « O pulcherrima mulierum. » Unde pulchritudinem genarum et colli ejus hic repræsentat, *q. d.* Facies tua a sole fuscata splendet et nitet argenteorum turturum fulgore. Alludit ad illud, *Psal.* LXVII, 14 : « Si dormiatis inter medios cleros, (eritis sicut) pennæ columbæ deargentatæ. » Addit Nyssenus, ne quis ex eo quod sponsam compararit equæ vel equitatui, ac hædorum eam pastricem dixerit, eam lascivam et luxuriosam æstimet, quales sunt equæ et hædi, hinc ut hoc abstergat, assimilare eam turturi, quæ perennem fidem compari servat, ac castitatis est symbolum.

Communis Patrum expositio est per *genas pulchras* significari hic verecundiam et castitatem sponsæ, puta Ecclesiæ : hæc enim prima et summa sponsarum est dos, quæ maxime in genarum rubore et pudore resplendet. Ecclesia enim non alium sponsum, quam Christum amat, illum unum cogitat et loquitur, ad illum absentem, instar turturis, gemit et suspirat. Ita Origenes, Theodoretus, Cassiodorus, Nyssenus, S. Gregorius, Philo, Beda, Justus, Aponius, Rupertus, Anselmus, S. Bernardus, et S. Ambrosius, serm. 3 *in Psal.* CXVIII. Unde Septuaginta per interrogationem et admirationem vertunt, *quam speciosæ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis !* ubi Origenes urget τὸ *factæ sunt*, *q. d.* Ecclesiæ genæ primitus, dum in gentilismo viveret, non erant speciosæ ; at postquam susceperunt osculum sponsi in lavacro baptismi, speciosæ factæ sunt, quia post Christum et per Christum excoli cœpit castitas et virginitas. Notatur ergo hic magna virginum et continentium copia in Eccle-

sia Christi, per ejusdem doctrinam et exemplum.

Turtur Christus. Unde Aponius symbolice per turturem accipit ipsum Christum; hujus enim virginalem verecundiam imitari satagit Ecclesia: unde sicut turtur, absente compare, gemit assidue, sic Ecclesia continuo gemit et suspirat ad Christum, ut eo fruatur in cœlis. Porro Chaldæus pro *turture* vertens, *inaurem et frenum maxillæ*, censet per illam notari obedientiam Synagogæ: « Quando, inquit, egressi sunt ad desertum, dixit Dominus ad Mosen: Quam pulcher est populus hic, ut dentur eis verba legis, et sint sicut inauris in maxillis eorum, ut non recedant a via bona, sicut non recedit equus in cujus maxilla est frenum! »

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Turturis et animæ piæ collatio. Primo. *Primo*, sicut turtur non nisi unum admittit marem, eoque mortuo, vitam agit vidualem in continuo gemitu et luctu: sic anima sancta non nisi sponsum Christum diligit, ejusque passionem et mortem luget assidue, ac ad eum in cœlis suspirat; quare ejus absentiam deflet, ut crebro ejus genæ madeant piarum lacrymarum imbre. Turtur enim monogamus est, et femella, amisso conjuge, aquas vitat limpidiores, ne se in aquis conspecta conjugis recordetur. Viduæ autem ideo in turturibus frequentiores sunt, quod mares ut refert Aristoteles, lib. IX *Histor. anim.* cap. VII, citius mori soleant, et minus vivaces sint. Hinc illud Virgilii:

Turtur symbolum monogamiæ, viduitatis et fidelitatis.

Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

Turtur ergo symbolum est *primo*, monogamiæ; *secundo*, viduitatis; *tertio*, fidelitatis. Unde Goropius Becanus in *Saxonicis* ab hebræo תור *tor*, et latino *turtur*, dictum putat cimbricum et belgicum *trou*, id est *fidelitas* per metathesin, et *trouwen*, id est *nubere et conjugi fidem conjugii dare*, uti turtur eam dat turturi compari suo. Heliogabali nummus exstat, ex quo visitur femina gestans turturem cum hoc lemmate: «Militum fides,» *q. d.* Sicut turtur fida est suo compari, sic miles fidus sit suo duci. « Turtur, ait S. Gregorius, postquam parem suum perdiderit semel, nunquam alteri se jungit, sed semper solitaria habitans in gemitu perseverat, quia quem diligebat non inveniens, quærit: sic sancta quoque anima, cum a sponso suo absens est, ab ejus amore non recedit, sed in ejus desiderium semper anhelat et gemit; et dum illum quem valde diligit, non invenit, quia ab omni alieno amore se retrahit, quasi in genarum verecundia castitatem cordis ipso habitu et actu exteriori ostendit; » et S. Bernardus, *De Modo bene vivendi ad Sororem*, cap. X: « Pulchræ sunt genæ, inquit, sicut turturis. Natura turturis est, ut si per occasionem perdiderit conjugem, alterum amplius non quærat. O sponsa Christi, assimilare et tu huic turturi, et præter Jesum Christum sponsum tuum, amatorem non quæres alterum. O sponsa Christi, esto similis turturi, et luge die ac nocte cum desiderio Jesu Christi sponsi tui, quia jam ascendit ad cœlos, ut aliquando faciem illius videre merearis in dextera Patris. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. In genis solet esse verecundia. Soror venerabilis, genas habes turturis, si præ verecundia Jesu Christi sponsi tui nihil contra voluntatem illius facis; genas habes turturis, si cum amore et reverentia Christi ea quæ illi displicent postponis; genas habes turturis, si præter Christum alterum amicum non diligis. » Similia habet S. Chrysostomus, homil. 8 *De turture*, tom. V.

Secundo Turtur amat solitudinem. *Secundo*, turtur ut castitatem servet, amat solitudinem, ac in locis remotis nidificat, pullosque generat et nutrit, ubi ab hostium incursu sint semoti et tuti. Idem facit anima sancta. Audi S. Bernardum, *serm.* 40: « Omnino supra te est angelorum Domino desponsari. An non supra te adhærere Deo, atque unum spiritum esse cum eo? Sede itaque solitarius sicut turtur; nihil tibi et turbis, nihil cum multitudine cæterorum; etiamque ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum. O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos; secede ab amicis et intimis, etiam et ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore; sed intentione, sed devotione, sed spiritu. » Et post nonnulla: « Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es. »

Tertio. Turtur gemebundus. *Tertio*, turtur suo luctu repræsentat animam non dissolutam et intemperantem, sed moribus æque ac sermonibus compositam, gravem, temperantem, orationi et compunctioni deditam; quæ gulam et libidinem refrenet per temperantiam, iram per patientiam, pusillanimitatem per fortitudinem, etc.: ita tres Patres apud Theodoretum. Turturi enim pro cantu est planctus; unde vox turturis fuit vox S. Magdalenæ plangentis sua peccata: hinc turtur gemebundus notat animam meditabundam, quæ gemit et luget suas aliorumque culpas et ærumnas hujus peregrinationis et exsilii nostri. Hinc quoque turtur symbolum est sapientiæ: nam « cor sapientium ubi tristitia est: cor et stultorum ubi lætitia, » *Eccle.* VII, 5; hinc et proverbium: « Caro turturis cibus est sapientium: » nam, ut docet Aldrovandus in *Turture*, turturis caro non crassum, sed tenuem dat succum, qui facile in subtiles spiritus animales convertitur: hi enim appositi sunt planeque subserviunt meditationi et contemplationi. Hinc rursum turtur me-

Turtur symbolum sapientiæ.

ditabundus typus est providentiæ, quæ futura præmeditatur et prospicit, teste Pierio in *Hierog.*; unde illud, *Jerem.* VIII; 7 : « Turtur, et hirundo, et ciconia, custodierunt tempus adventus sui. »

Quarto, genæ recta intentio.

Quarto, S. Bernardus, *serm.* 40, per *genas* accipit rectam intentionem, quam Christus oculis comparavit, *Matth.* VI, 22; oculos autem circumdant et sustinent genæ; unde Cicero, *De Natura deorum* : « Genæ, ait, ab inferiore parte tutantur oculos subjectos, leniterque eminentes. Suntque binæ, quia in intentione considerari debent duo, scilicet res et causa, hoc est, quid intendas, et propter quid intendas. » Audi Plinium, lib. XI, cap. XXXVII : « Infra oculos malæ, quas prisci *genas* vocabant, duodecim tabularum interdicto radi a feminis eas vetantes; pudoris hæc sedes : ibi maxime ostenditur rubor; infra eas, hilaritatem risumque indicantes buccæ; » et paulo ante : « Graviores alitum inferiore gena connivent; eadem nictantur, ab angulis membrana obeunte. Columbæ et similia (ut turtures) utraque connivent, etc. Extremum ambitum genæ superioris antiqui *cilium* vocavere, unde et *supercilia.* Hoc vulnere aliquo diductum non coalescit. » Talis prorsus est intentio, æque ac castitas et pudor virginalis.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Pulchræ genæ notant eximiam puritatem et verecundiam B. Virginis, quæ ut turtur assidue gemebat mortem turturis, id est Christi dilecti sui : nam, ut ait S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.* : « Turtur avis pudicissima, semper habitans in sublimibus, typus est Salvatoris. » Hinc et ipsa pro filio in Purificatione obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum, *Luc.* II, 24, ac cum Joseph marito suo servavit castitatem, non tantum conjugalem, sed et virginalem, ac post ejus mortem, vidualem. Hinc api comparatur : apes enim copulam carnalem nesciunt, sed virgines concipiunt pariuntque suos fœtus, uti B. Virgo miro modo in se copulavit virginitatem et fœcunditatem, sive maternitatem. Audi S. Ambrosium, lib. I *De Virgin.* : « Digna virginitas, quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit; ros quoque virgini est sermo divinus, quia sicut ros, Dei verba descendunt. Pudor virginis est intemerata natura; partus virginis fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis. »

B. Virgo api comparata.

Variæ lectiones.

COLLUM TUUM SICUT MONILIA. — Noster cum Septuaginta legit כחרוזים *cacharuzim,* id est *sicut monilia,* jam legunt בחרוזים *bacharuzim,* id est *in monilibus, q. d.* Collum tuum circumdatum est monilibus. Porro Pagninus et Rabbini *charuzim* interpretantur *torques et margaritas perforatas filo copulatas* : solent enim matronæ, ut decorem sibi concilient, collum ornare torquibus et margaritarum corona; at sponsa hæc externis hisce ornamentis non eget; ipsa sibi ornamentum, ipsa margaritum est, ac vere *Margarita* nominari potest; ita Origenes, Theodoretus et S. Bernardus. Huc facit illud S. Hieronymi ad Eustochium : « Margarita est sermo Dei, et ex omni parte perforari potest. » Est disparata hic comparatio, prius enim genas sponsæ comparavit turturi, hic collum comparat monilibus : sic enim Hebræi disparata sæpe combinant. Unde cap. IV, vers. 1, oculos sponsæ comparat columbæ, dentes gregibus, labia vitræ coccineæ, genas fragmini mali punici, collum turri, ubera hinnulis. Addunt nonnulli turtures sæpe esse torquatos plumis colli exstantibus, ideoque sponsæ huic turtureæ dari torquem et monilia.

Turtures torquati plumis.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Proprie *collo* quod oneri et jugo, æque ac capiti subjicitur, significatur subjectio et obedientia Ecclesiæ, qua Christo sponso Deique legibus per omnia obedit, quæ eam non tam gravat quam ornat, uti monile, juxta illud, *Prov.* I, 8 et 9 : « Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ : ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. » Vide ibi dicta. Hinc sicut collum non est rigidum, sed tortile et versatile in omnes partes, quo caput jusserit, ideoque rotundum : sic et obediens, agilis et versatilis est ad omnia opera quæ superior præceperit. Audi Aristotelem, lib. IV *De Partib. animal.* cap. X : « Collum arteriæ gratia habetur; quippe quod eam atque etiam gulam protegat, amplexuque suo tueatur. Hoc cæteris animalibus flexibile et vertebris compactum est; at lupo et leoni osse perpetuo riget. Commodius enim ad robur, quam ad cæteros usus collum iis esse natura voluit. » Unde Chaldæus vertit, *et quam pulchra sunt dorsa eorum, ut sustineant dorsum præceptorum meorum, et sint super eos sicut jugum super cervices bovis, qui arat in aratro, et sustentat se et dominum suum.* Sic et Theodoretus et alii passim.

Colli monile est obedientia.

Hinc *primo,* in Scriptura, quin et apud profanos, collum flexile, submissum denotat et obsequentem; collum vero durum, rebellem et contumacem. Unde illud, *Isai.* XLVIII, 4 : « Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. »

Secundo, sicut collum medium est inter caput et corpus, ac capitis influxum et spiritus excipit, derivatque in omnia membra, atque illa capiti connectit et subordinat : sic et obedientia jungit subditos superiori, ejusque præcepta et consilia, spiritum et virtutem in illos derivat.

Tertio, sicut collum continet arteriam, qua vitalem halitum trahimus, et gulam qua in stomachum cibum trajicimus : sic obedientia menti vitam, vitalemque spiritum aspirat, ac cibum non

corporalem, sed spiritalem voluntati, quæ quasi stomachus est animæ, subministrat. Audi Aristotelem, lib. I *Hist. animal.* cap. XII : « Collum quod inter pectus et faciem est, cujus pars prior guttur, posterior gula, quantumque colli ipsius cartilagineum priorem obtinens situm, vocem transmittit et halitum, id *arteria* nominatum est : at vero quantum interius carneum spinæ præjacet, *gula* dicitur : pars autem posterior colli extima, *cervix* appellata est. » Idem, lib. III *De Part. animal.* cap. III : « Collum, ait, capiti subjacet iis, quæ id habent animalibus : non enim omnia habent, sed ea tantum quibus sunt partes illæ, quarum gratia collum conditum est, hoc est guttur, et quæ gula vocatur ; *guttur* spiritus causa datum est, hoc enim spiritum animalia trahunt et reddunt, et respirando, et exspirando : quamobrem quæ carent pulmone, collo etiam carent, ut genus piscium : *gula* est, qua cibus et potus devoratur, itaque ea quæ carent collo, gulam hæc manifestam non habent. »

Hinc sicut *genæ* notant virgines in Ecclesia, sic *collum* denotat monachos et religiosos, quorum professio est obedientia, juxta illud : « Collum vestrum subjicite jugo, et suspiciat anima vestra disciplinam, » *Eccli.* LI, 34. « Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, et ne acedieris vinculis ejus, » ibid. cap. VI, vers. 25. Et : « Liga ea in corde tuo, et circumda gutturi tuo, » *Prov.* VI, 21. Sicut enim torques totum collum ambit et complectitur, sic obedientia totum religiosum, omnesque ejus actiones, totamque vitam complectitur, ut nihil ei agere liceat, nisi quod superiori libeat. Insuper, sicut torques e margaritis contextus plurimas continet margaritas, sic obedientia omnes virtutes. « Sola virtus est obedientia, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit, » ait S. Gregorius, XXXV *Moral.* cap. X. Quare obedientia est corona et rosarium virtutum omnium.

Obedientia est corona virtutum.

Porro pro *monilia* Septuaginta vertunt, ὁρμίσκους, quod *primo*, S. Ambrosius, serm. 3 *in Psal.* CXVIII, vertit, *redimicula*, *q. d.* Obedientia collum obedientis et religiosi non tam deprimit, quam redimit, et instar torquis decorat et coronat; hinc religio dicitur a *religando*, quod mentem antea a Deo per peccatum divulsam religet Deo; quid autem nobilius quam religari et copulari Deo? Audi S. Ambrosium : « Cervix tua sicut redimicula. Portate Christi jugum; suave est, si ornamenta putes cervicis tuæ esse, non onera; attolle ergo oculos tuos ad Dominum Deum tuum, et quære Deum, et invenies. Erige cervicem; redimicula, non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent, et phalerari sibi magis, quam nudari videntur. Genæ sicut turturis præferent insignia verecundiæ; redimicula cervicis, libertatis attollent fiduciam : leve enim jugum Christi, et ideo cervix eo non premitur, sed levatur.» Hinc Origenes, *hom.* 2 ex quatuor, per *redimicula* accipit *obedientiam Christi usque ad mortem:* hæc enim totam vitam ejus redimivit, id est circumdedit et decoravit; obedientiæ ergo Christi censet comparari obedientiam Ecclesiæ : « Magna, inquit, in hoc laus sponsæ est, magna Ecclesiæ gloria, ubi imitatio obedientiæ ejus exæquatur obedientiæ Christi, quem imitatur. »

Religio a *religando*.

Nyssenus autem τὸ ὁρμίσκους, id est *redimicula*, derivat ab ὅρμος, id est *portus*, eo quod torques curventur instar portus, qui lunæ fulcatæ formam habet; unde dicta Panormus, nobilis Siciliæ civitas, *q. d. Omnis portus*, vel *per omnia portus*, eo quod naves undique illuc conveniant et confluant. Obedientia ergo religioso est quasi portus, quia contra omnia pericula et tentationes præstat ei securitatem, ut conscientia quieta et tranquilla vitam omnem exigat in lætitia. Quocirca Climachus, *gradu 4* : « Obedientia, inquit, est perfecta abnegatio propriæ animæ et proprii corporis, mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, via humilitatis, et quasi si quis dormiendo iter faciat. » Idemque addit : « Vivere in obedientia nihil aliud esse, quam suum onus aliorum humeris imponere, natare super aliorum ulnas, et sustentari in aquis ne mergamur, sed sine periculo hoc grande pelagus hujus vitæ transeamus, et quidem brevissima navigatione. » Causa a priori est, quod obediens regatur a Deo : Deus enim superiores illi constituit, per quos eum gubernat. Quis autem errare metuat, gubernante et ducente Deo, imo jubente? Scitum est illud Christi : « Qui vos audit, me audit, » *Luc.* X, 16.

Obedientia portus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Collum, id est status subjectionis monet animam, *primo* obedientiæ, quam debet Deo et superioribus; *secundo*, humilitatis; *tertio*, patientiæ : hæ enim duæ sunt comites, imo fulcra obedientiæ, sine quibus illa stare nequit; ita S. Ambrosius, lib. *De Isaac et Anima*, cap. IV : « Laudatur, inquit, anima, quod cœlesti sibi illuminante præcepto jam speciosa, jam pulchra sit, quæ vultu præferat castitatis decorem, et redimicula cervicis attollat, in qua sunt patientiæ et humilitatis insignia. » Quocirca S. P. N. Ignatius in regulis modestiæ sancit, ut nostri cervice nonnihil inflexa incedant, ut hac forma humilitatem et modestiam præ se ferant : « Caput, inquit, teneatur rectum cum moderata inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo. Oculos demissos ut plurimum teneant. » Ita incessit Christus Dominus, de quo sic scribit Nicephorus, lib. I *Hist.* cap. XL : « Collum ejus sensim declive, ita ut non arduo et extenso nimium corporis statu esset. »

Collum est humilis et patiens obedientia.

Audi et tres Patres apud Theodoretum : « Collum pulchrum effectum est sicut monilia. Neque

enim tibi ferreum est collum, ut propter superbiam flecti nequeat, sed propter modestiam facile verti possit, ut monilia ex auro elaborata : cujus quidem auri probitatem ac puritatem, humilitas tua simplicitate non ficta imitatur. Quod si minime simulatam humilitatem monile significat, ut dictum est sponsæ Christi collum tanquam monilia commendatum, et virtutum indicat multitudinem, et implicitam in singulis virtutibus humilitatem. Quemadmodum enim monile recta figura prius ab artifice conflatur, deinde in circulum accommodate ad usum circumflectitur : sic homo virtute perfectus, cum absoluta vitæ moderatione rectus sit, cæteris compatiendo per humilitatem flectitur, atque dimittitur. » Subdunt deinde collum esse rationem : « Ad collum humilitate circumdatum, est animi ratio, quæ ut collum reliquo corpori caput conjungit, sic ipsa mentem cum sensibus connectit, dum ex virtutum habitu mentem per actiones sensibus applicat, sensusque rursum ex virtutum præscripto ad mentem reducit. Flectitur item per humilitatem, dum non ex propria extollitur dignitate, sed ex pulveris ac materiæ abjectione demittitur. »

Religiosorum scapulare obedientiæ admonet.

Hac de causa religiosi collo injiciunt *scapulare*, æque ac pontifices in lege veteri collo injiciebant *ephod*, quod utrosque admonet obedientiæ et patientiæ, sicut monile e collo pendens virgines admonet pudicitiæ, ac viros generositatis, virilisque virtutis. Inde enim dictum est monile, quod virtutis *admoneat*. Nam primum ob aliquod egregium facinus dari solebat ingenuis juvenibus; unde Ovidius, X *Metamorph.* :

Monile a *monendo* dictum.

Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.

Sic et græcum ὁρμίσκος, id est *monile*, alludit ad ὁρμὴν, id est *impetum* et *impulsum*, quod illum ad præclara virtutis opera viris et viraginibus injiciat; sicut hebræum חרוז *charuz*, id est *monile* vel *torques*, alludit ad חרוץ *charuts*, id est *expeditus, strenuus*, acer ad heroica facta : tali enim debentur monile et torques. Unde T. Manlius a *torque*, quem Gallo ad Anienum occiso detraxit, *Torquati* cognomen accepit, teste Livio.

Torquati, qui?

Rursum, militibus ob rem strenue gestam, a duce torques aureus in collum injiciebatur, indeque *torquati* dicebantur, erantque duorum generum, *simplares* et *duplares*. « Torquati, inquit Vegetius, lib. II, duplares, torquati simplares erant : quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit, quem qui meruisset, præter laudem, interdum duas consequebatur annonas, duplares duas, simplares unam. » Sic torque et monilibus a Christo sponso decoratam se gloriabatur S. Agnes, dum præfecti urbis filio suas nuptias ambienti, cum stomacho respondit : « Discede a me, fomes peccati, pabulum mortis, nam multo te nobilior ditiorque sponsus subarrhavit me; qui cum sit rex cœli et terræ, aureo vestitu ornavit me, et aures meas decoravit insignibus margaritis, et collum monilibus atque fulgentibus gemmis, » uti fuse refert S. Ambrosius, *Serm.* 90.

Collum est circumspectio.

Secundo, Nyssenus, *hom.* 3, per *collum* censet notari circumspectionem, et providentiam animæ sanctæ : « Sicut enim equus, inquit, collum in orbem gyrans, ad omnes gressus aspicit necubi in saxa impingat, aut in fossam ruat, sed inoffenso pede gradiatur : sic anima sancta omnes suas actiones et gressus prospicit, et circumspicit, necubi labatur aut cespitet, sed directo cursu ad Deum festinet. » Huc accedit Justus Orgelitanus qui per *collum* accipit contemplativos, qui legem Dei ruminantes, eamdem docendo in alios effundunt : hi enim sunt Ecclesiæ monilia.

Collum est fides.

Tertio, S. Gregorius, in *Psalm.* v *pœnit.*, per *collum* accipit fidem : « Collum, ait, fides est, per quam Deo fidelis quisque jungitur, et quasi per collum capiti suo Christi Ecclesia, quæ ejus est corpus, unitur; et quia fides sine operibus mortua est, quasi collum sponsæ monilibus circumdatur, dum fides sanctæ animæ operibus decoratur, ideoque ei dicitur : Collum tuum sicut monilia. »

Collum purus intellectus.

S. Bernardus vero, *serm.* 41, per *collum* accipit intellectum purum et simplicem : « Annon, inquit, siquidem tibi videtur colli quodam modo vice fungi intellectus, per quem tua anima trajicit in se spiritus vitalia alimenta, atque in quædam transfundit viscera morum affectuumque suorum? Hoc ergo sponsæ collum, id est purus et simplex intellectus, cum nuda et aperta veritate satis per seipsum reniteat; non indiget ornamento; sed ipsum magis, tanquam pretiosum monile, animam decenter exornat, ac proinde simile monilibus ipsis describitur. Bonum monile veritas, bonum puritas sive simplicitas, bonum plane monile sapere ad sobrietatem. Philosophorum vel hæreticorum intellectus non habet hunc in se puritatis veritatisque nitorem; et ideo multam curam gerunt ipsum colorare et fucare phaleris verborum; et versutiis syllogismorum, ne, si nudus appareat, falsi etiam appareat turpitudo. »

Collum sunt doctores.

Symbolice, Cassiodorus, S. Gregorius, Beda, Aponius, Philo Carpathius et Anselmus per *collum* accipiunt doctores et prædicatores. Audi S. Gregorium hic : « Per collum sponsæ prædicatores sanctæ Ecclesiæ designantur. Monilibus prædicatores comparantur, vel quia Ecclesiæ sunt ornamentum, vel quia Ecclesiam muniunt ut pectus monile, vel a rotunditate, id est perfectione. In monilibus gemmæ in auro ponuntur. Per *aurum* quippe sapientia, per *lapides* opera exprimuntur. Collum ergo sponsæ sicut monilia exsistit, quia quilibet rectus Ecclesiæ prædicator, et sapientia interius se induit, et opera exterius exercet, quæ in sapientia videt.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Hæc omnia jam dicta præ omnibus eximie con-

veniunt B. Virgini. Insuper Rupertus per *monile colli* accipit silentium B. Virginis : « Sicut, inquit, monilia muniunt matronarum pectora pudica, unde et dicuntur *monilia*, eo quod pectus muniant, ne quis extraneus, id est impudicus manum suam injiciat : ita et collum tuum munit verba tua, non solum ne quid otiosum aut noxium, sive inordinatum per vocem erumpat; verum etiam ne ipsum bonum tuum, secretum tuum, divinum mysterium tibi creditum, leviter viam vel vocem inveniat, ut auris aliena, sive filia aliqua, quamvis videatur esse filia Jerusalem, quæ forte custodire nesciret hujus modi margaritas, sicut custodiri oporteret propter porcos, maximeque propter Herodem et ejus complices, intelligat. Vere igitur pulcherrima mulierum, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo, id est tam oculorum quam verborum tuorum moderamine decentissimo. »

VERS. 10. MURENULAS AUREAS FACIEMUS TIBI, VERMICULATAS ARGENTO.

Variæ versiones.

MURENULAS AUREAS FACIEMUS TIBI, VERMICULATAS ARGENTO, — *q. d.* Aureis obedientiæ legibus, et regulis argento sapientiæ dispunctis te decorabimus. Hebræa, *catenulas auri faciemus tibi punctatas argento*; Septuaginta, *similitudines* vel *simulacra auri* (Symmachus *insignia aurea*, quinta editio *tortilis auri*) *faciemus tibi cum stigmatibus suis distinctionibus argenti*; Symmachus, *cum varietatibus*; quinta editio, *in miliis*, id est in punctis minutis *argenti*; alius, *cum variegaturis*; Vatablus, *ornamenta convenientia ex auro faciemus tibi cum notis* vel *clavis argenteis*. Noster optime vertit, *vermiculatas argento*, id est argenti punctis variegatas, instar vermiculorum quorumdam, quorum tergum variis colorum notis dispungitur, aut qui noctu instar argenti nitent et resplendent. Syrus vertit, *cincinnos aureos faciemus tibi cum laminis*, vel *bracteis argenti*; Arabicus, *imagines*, vel figuræ, vel sculptilia *auri fient tibi, simillima tibi*.

Murenulæ, quid?

Murena piscis est idem cum anguilla, vel certe illi persimilis, ut patet ex ejus effigie, quam exhibent Aldrovandus et Rondeletius *De Piscibus*, in *murena* : inde *murenula* vocatur colli aurum, quod scilicet auro in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, ex piscis utique imagine vocabulo conformato, ait ex S. Hieronymo Cælius Rodiginus, lib. IV, cap. II. Rursum sicut murena variis notis quasi punctis distinguitur, sic et murenula vermiculatur et distinguitur punctis argenti. Unde Plinius, lib. IX, cap. XXIII : « In Gallia septentrionali, ait, murenis omnibus, dextera in maxilla septenæ maculæ ad formam septentrionis aureo colore fulgent dumtaxat viventibus, pariterque cum anima exstinguuntur. »

Murenulæ ergo *aureæ* sunt virgulæ auri flexuoso contextu, ac punctis et maculis variegatæ, itaque murenæ pisci, qui se flectit in orbem, persimiles, sive manus, sive caput, sive aliud membrum cingant et ornent. Proprie tamen sunt capitis et colli, ut indicat S. Hieronymus *ad Marcellam*, epist. 15, ubi laudans B. Asellam : « Aurum colli sui, inquit, quod *murenulam* vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam flexuosi ordinis catena contexitur, absque parentibus vendidit. » Quem secutus Cassiodorus : « Murenulæ, ait, ornamentum sunt colli virginalis et puellaris : videlicet virgulæ auri perplexæ, intermixtis nonnunquam pulchra varietate subtilissimis argenti filis. Et hoc est quod dicit *vermiculatas argento*, hoc est, in modum vermium terrenorum, quos *lumbricos* dicunt, distinctas et inter se conjunctas. Murenulæ autem dicuntur a similitudine piscis marini, qui *murena* vocatur. » Unde Aponius legit, *catenulas aureas faciemus*, quas non collo, sed auribus ornandis tribuunt S. Anselmus et Bernardus. Melius Justus Orgelitanus : « *Murenulæ*, ait, sunt ornamentum a capite descendens, quo cervix ornatur. » Denique murena dicitur a μύρειν, id est *fluere*, ait Eustathius, eo quod, teste Macrobio, præ pinguedine in summa aqua fluitet, nec se mergere possit, sole nimirum torrefacta. Unde Martialis, lib. XIII, *epigram.* 77 :

> Quæ natat in siculo grandis murena profundo,
> Non valet exustam mergere sole cutem.

Sic pariter circa collum fluitat murenula aurea, et solis radiis percussa effulgurat.

In Hebræo est תורי *thore*, quam vocem Vulgatus paulo ante vertit, *turturis*; unde nonnulli hic turturem vel turturellam, sed fluviatilem, puta *trutam*, accipiunt : hic enim piscis, uti pulcherrimis maculis distinguitur, ita sanissimus æque ac sapidissimus est : hinc et quinta editio vertit *tortilis auri*, instar turturis, vel trutæ aut murenæ. Unde et nonnulli censent turturem hebraice dici טור *tor*, quasi *tortilem*, eo quod tortili collo תור *tur*, id est circumspiciendo jugiter exploret, num alicubi comparem sibi absentem reperire et videre queat. Alii *thore* vertunt, *dispositiones, ordines, series*, quales sunt in nexu annulorum et bracteārum in catenulis. Noster optime vertit *murenulas*, id est catenulas et torques aureos.

Alludit ad illud, *Psalm.* LXVII, 14 : « Si dormiatis inter medios cleros, (eritis sicut) pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri. » Censent S. Gregorius, Cassiodorus et Beda hæc esse verba sponsi. Melius Justus Orgelitanus, Anselmus, Rupertus et S. Bernardus censent esse verba sociorum sponsi; unde aiunt : *Murenulas aureas faciemus*, in plurali; non *faciam*, in singulari.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Quæritur, quidnam *murenulæ aureæ* significant?

Murenulæ aureæ, quid? Resp. Primo, tabulæ decalogi.

Primo, Chaldæus accipit tabulas decalogi a Deo datas Mosi in Sina; sic enim vertit, *tunc dictum est Mosi : Ascende ad firmamentum, et dabo tibi duas tabulas lapideas, excisas ex sapphiro throni, gloriæ meæ, et splendidas sicut aurum optimum, ordinatas per lineas, scriptas digito meo, in quibus scripta sunt decem verba, quæ expurgata sunt magis quam argentum, quod expurgatum est septem vicibus : dabo autem eam per manum tuam populo domus Israel.*

Secundo, intelligentia Scripturarum.

Secundo, Cassiodorus, S. Gregorius, Beda, Justus, Aponius et Anselmus per *murenulas* accipiunt charisma intelligentiæ S. Scripturarum, quæ aureæ dicuntur, vel propter sapientiam claritatemque sensus spiritalis, vel propter charitatem, quam edocent; vermiculatæ autem argento asseruntur, vel propter nitorem eloquentiæ, vel propter sonoram prædicationem, vel, ut ait S. Anselmus, ut sciant doctores sacræ Scripturæ sententias dispensare pro cujusque captu et fructu; vel, ut Aponius, *vermiculatæ* dicuntur, quia diversas continent prophetias, alias Christi conceptioni, alias nativitati, alias passioni, alias resurrectioni, etc., congruentes, quæ quasi intertextæ argenti vermiculatione, eleganter coruscent. Huc accedunt Nyssenus, S. Augustinus, Origenes, Theodoretus, et tres Patres, qui per *murenulas* accipiunt cognitionem sacrarum Litterarum, ac præsertim figurarum Veteris Testamenti.

Hi ergo sequentes versionem Septuaginta, quæ habet, *similitudines auri faciemus tibi ex stigmatibus,* vel *distinctionibus argenti, donec rex sit in accubitu suo;* S. Ambrosius, *in declinatione sua,* id est in solio suo, ubi se reclinet, sic explicant : Nyssenus quidem censet murenulas has pertinere ad equam vel equitatum, cui paulo ante sponsam comparavit, quasi socii sponsi angeli, vel sancti doctores eam sic affentur : Tibi, o anima, quæ recte equis es assimilata, faciemus quædam veritatis simulacra, et quasdam similitudines, quæ non possunt accurate et exacte ostendere, qui tibi inest, mentis decorem. Tu autem, his acceptis, fies per fidem subjugale jumentum et habitaculum ejus, qui in te est habitaturus : Christi enim eris et sedes et domus. Plenius Origenes, *homil.* 2 ex quatuor, sic interpretatur, quasi dicat : Sacra Scriptura, Deique cognitio priscis patribus tradita fuit per similitudines et ænigmata, usque dum Christus a morte resurgens, accubans recubuit ut leo, *Genes.* XLIX, 9 : hic enim patefecit sensum prophetarum et S. Scripturarum. Idem ibidem sic tropologice explicat : Anima imperfecta instruitur de rebus divinis per similitudines et exempla, usquequo rex sit in accubitu suo, id est, usquequo in id proficiat talis anima, ut capiat regem, et habeat recumbentem in semetipsa; habitat enim verbum Dei in anima perfecta, juxta illud Christi : « Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; » *Joan.* XIV, 23. Ex adverso S. Augustinus libro primo *De Trinit.* cap. VIII, sic explicat : « Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque rex in cubitu suo est, » id est, quoadusque Christus in secreto suo est, quia inquit Paulus, *Colos.* III, 3 et 4 « vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. » Quod antequam fiat, « videmus nunc per speculum in ænigmate, » hoc est in similitudinibus : « tunc autem facie ad faciem, » I *Corinth.* XIII, 12

Murenulæ ergo *aureæ* significant mundum, sive ornatum S. Scripturæ lucentem auro spiritualium sensuum, et argento eloquentiæ nitentem et resonantem. Audi S. Gregorium : « Murena piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cujus exemplar fit inauris, quæ *murenula* dicitur, qua designatur prædicatio, quæ auribus inhæret, et eas penetrat. Murenulis monilia collo ligantur, quia et sapientia, et religio a Scripturis sanctis prædicatoribus adjungitur. Per murenulas enim sancta Scriptura intelligitur, quæ bene auro et argento vermiculatæ dicuntur, quia et sapientia sancta Scriptura fulget, et sonora prædicatione per universum mundum auditur. Sicut enim per aurum sapientia, sic per argentum sancta prædicatio demonstratur. » Huc facit illud, *Psal.* XI, 7 : « Eloquia Domini, eloquia casta (sicut) argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. »

Tertio, virginitas.

Tertio, S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, per *murenulas aureas* accipit virginitatem. Ante Christum, inquit, Ecclesia habebat argentum in viduis et maritatis, sed aurum virginitatis per Christum accepit. Videtur enim hic, sponsæ pudicissimæ ob pudicitiam dari murenula aurea dispuncta argento, ut respiciat id quod dixit : « Genæ tuæ sicut turturis, » id est, summe pudica et verecunda est instar turturis. Huc accedunt alii, qui per *murenulas aureas* accipiunt aureolam dandam virginibus : hebræum enim תורי *thore,* id est murenulæ, idem est quod תורים *thorim,* id est *turtures,* quasi murenulæ hæ fuerint contextæ ex turturum effigiebus, quæ sunt symbolum pudicitiæ; esto a turturibus *thorim* extensum sit ad significandas effigies aliarum rerum, ut murenularum et serpentium, e quibus priscorum torques et murenulæ constabant, uti docet Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. XI. Unde Septuaginta *thorim* vertunt ὁμοιώματα, id est *similitudines* aut simulacra in genere.

Quarto, progressus te.

Quarto, Psellus per *murenulas* accipit progressum in virtute et sanctitate, quasi angeli ita animam piam affentur : Quia futurum est ut rex in te, o sponsa, quæ ipsum caste amas et quæris, requiescat, age, sine te a nobis instrui atque exornari : quamvis enim non ut aurum virtutibus fulgeas, sed adhuc ut argentum splendeas, te ad auri tamen similitudinem decorabimus, similemque reddemus cherubico et flammeo ac venerando solio, in quo rex descendens se reclinet et quiescat. Hæc Psellus.

Porro, quia hic progressus fit per persecutiones et tribulationes, hinc easdem per *murenulas* hic denotari censet S. Ambrosius, serm. 3 *in Psal.* CXVIII, dum ait: «Hæreditas ejus diffusa per populos; quo frequentius examinata, eo amplius est probata: crebræ enim persecutiones Ecclesiæ justorum nobis titulos, martyrii victorias ediderunt. Itaque sicut aurum bonum, ita Ecclesia cum uritur, detrimenta non sentit, sed magis fulgor ejus augetur, donec Christus veniat in regnum suum, et reclinet caput suum in Ecclesiæ fide, qui cum venisset ad oves perditas domus Israel, non habebat ubi caput suum reclinaret. »

Huc accedit Philo Carpathius qui per *murenulas* accipit martyria et martyres, qui catenati fuere olim catenis ferreis, nunc aureis in cœlo, suntque aurei ob charitatis soliditatem, ac stigmatibus flagellorum, clavorum et tormentorum dispuncti, juxta illud Pauli : « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, » *Gal.* VI, 17; martyribus ergo quasi murenulis aureis argento variegatis ornatur Ecclesia.

Quinto, inspirationes sanctæ.

Quinto, S. Bernardus, *serm.* 41, qui murenulas assignat auribus, per eas accipit sanctas inspirationes et suggestiones divinarum rerum, quas angeli animæ sanctæ inspirant, sed per similitudines, ut vertunt Septuaginta et ænigmata, ut ait Paulus, I *Corinth.* XIII, 12.

Sexto, charitas in proximum divina.

Sexto, Titelmannus et alii per *murenulas aureas* intelligunt charitatem Dei exerentem se in amorem proximi, et in opera misericordiæ, hæc enim argento; charitas vero auro repræsentatur; aut charitatem distinctam et dispunctam notis argenti, id est actibus humilitatis cæterarumque virtutum.

Septimo, modestia.

Septimo, murenulæ apposite significant modestiam et compositionem externam omnium membrorum, actionum, gestuum, motuum ad probitatem et pietatem, etc., ex quibus fit quasi catena aurea mire ornans hominem, ac præsertim sponsam. Ita Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.* cap. I: «Torques, inquit, et catenæ sint pudor et modestia. Non alius fuerit mulieri aurium ornatus, quam catechesis, hoc est, quæ per auditum suscipitur institutio. Oculi autem verbo injuncti, et aures ad sensum perforatæ, divinarum rerum auditorem, et sanctorum rerum contemplatorem efficiunt.» Notum est illud S. Ambrosii : « Modestia est purpura virtutum. »

Octavo, optime murenulæ sunt præcepta et consilia evangelica.

Octavo, aptissime per *murenulas* accipias hic cum S. Bernardo, Sanchez, Hortolano, Joanne Carmelita et aliis præmium et ornamentum obedientiæ: cum enim immediate ante dixerit : « Collum tuum sicut monilia, » id est obedientia tua, qua collum legi subjicis, o sponsa, o Ecclesia, est aureum tuum monile, quod mire interne animam tuam decorat; nunc ejusdem externum ornamentum et præmium assignat, videlicet murenulas ex auro notis argenti intertexto : hæ enim faciunt, ut aurum inter eas magis majorique gratia resplendeat, ait Nyssenus.

Huc facit quod hebræum תורי *tore*, id est murenulæ, plane alludat ad תורה *thora*, id est lex, et ad תור *tor*, id est dispositio, ordo, series; unde Chaldæus per *tore* accipit Decalogum; atque Origenes, Theodoretus, S. Augustinus, S. Gregorius et cæteri in secunda expositione citati, accipiunt S. Scripturam, quæ legem Dei continet et promulgat.

Igitur sponsæ collo tam obedienti Deus in præmium ornatumque injicit murenulas, hoc est leges suas divinas, quæ, cum ex rationibus æternis, quæ sunt in mente Dei, emanent, in se sapientissimæ sunt, æque ac pulcherrimæ, ut mire obedientem eas acceptantem, non tam ligent quam ornent; sub legibus accipe non solum præcepta, sed et consilia evangelica, æque ac beatitudines, quæ hominem efficiunt cœlestem et angelicum, imo angelum terrestrem. Ergo murenulæ Christi Ecclesiæ datæ sunt leges evangelicæ, quas recenset S. Matthæus, cap. V, VI et VII, inter quas primæ sunt beatitudines octo : « Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, » etc. Quid enim hisce pulchrius, dignius, nobilius, divinius excogitari potest? Ecclesia ergo has Christi leges et beatitudines amplectens, iis quasi murenulis aureis inter se apte connexis decoratur; aurum enim, quia præ cæteris metallis flexile et ductile est, symbolum est obedientiæ. Hinc et sententiæ S. Scripturæ, quæ leges hasce continent, sunt *murenulæ*, ex quarum contextu Ecclesia pulchrescit; sunt *aureæ*, quia plenæ spiritu charitatis; sunt *distinctæ argento*, quia temperantur spiritu scientiæ et discretionis. Unde Beda : « Murenulas, ait, fabrili arte compositas collo circumdat, cum anima quæque fidelis in omnibus, quæ loquitur et agit, imo in omni, quod vivit et quod spirat, continue Scripturis sanctis intendit, sensumque suum et verba diligenter ad earum exemplum dirigit. »

Item actus obedientiæ.

Rursum, *murenulæ* hæ notant actus obedientiæ pulchros et assiduos, quibus quasi donis novis fideles obedientes Christus expolit et exornat, ac toti mundo laudabiles, admirabiles et venerabiles efficit : auro enim actionum pretium et præstantia, argento earumdem puritas, candor et splendor denotatur. Nam, ut recte noster Sanchez, si hæc obsequentissima sponsa spiritu Dei agitur, æquum est ut Spiritus Sanctus, qui cervicibus tanquam auriga et moderator insidet, collum suis donis et virtutibus excolat. Torques enim illi, hebraice *torim*, id est *turtures* dicuntur vel *columbæ*, quia divinus Spiritus per columbam significatus illam ut sponsam amat, et ipsius collum ut sponsus tenere stringit et amplectitur.

Et ordo hierarchicus.

Insuper, *murenulæ* notant ordinem hierarchicum Ecclesiæ, qui mire eam perficit, et ornat : hic enim ordo non est aliud quam ordo obedientiæ, quo summo pontifici subordinantur, subsunt et obediunt patriarchæ; patriarchis primates; primatibus archiepiscopi; archiepiscopis episcopi; episcopis presbyteri; presbyteris diaconi; diaco-

nis subdiaconi cæterique clerici, atque his laici. Intuere hunc ordinem Romæ, celebrante pontifice, cum ei assistunt cardinales, archiepiscopi, episcopi, presbyteri vestibus sacris amicti, legati regum et principum, etc., ac vere dices ibi impleri hoc oraculum : « Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. » Murenulæ enim hebraice vocantur *tore*, id est *dispositiones, ordines, series*, quales pulcherrimæ apparent in hoc sacro senatu, uti et in cæteris officiis et ritibus Ecclesiæ.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Murenulæ sunt regulæ monasticæ.

Anima sancta, præsertim obedientiam professa et religiosa, in præmium hujus suæ professionis et obedientiæ, ornatur murenulis aureis distinctis argento, id est regulis, constitutionibus et ordinationibus religiosis cuique ordini propriis, quæ non nisi aurum charitatis, et argentum prudentiæ repræsentant, quibus mire ordo exornatur. Rursum, murenulæ sunt actus obedientiæ, quibus tota religiosi vita quasi murenula aurea concatenatur et coronatur, quæ variegantur punctis argenteis, id est actibus humilitatis, temperantiæ, patientiæ cæterarumque virtutum : a mane enim in vesperum, religiosus quidquid agit, ex regulis obedientiæ agit. Surgit e lecto, orat, psallit, studet, docet, concionatur, prandet, cœnat, it cubitum, cum signum dat obedientia. Vide Hieronymum Platum, libro II *De Bono status religiosi*, capite quinto, qui et appositum huic loco affert exemplum, libro III, capite ultimo post medium, juvenis cujusdam egregii, qui a Deo vocatus ad ordinem cisterciensem, cum de die in diem differret, cœpit intepescere. Quare, cum ex Compostellana peregrinatione domum rediisset, eadem ipsa nocte apparuit illi Christus Dominus cum duobus apostolis Petro et Jacobo; Petrus autem pulcherrimum librum tenebat coram Domino apertum, in quo adolescentis nomen *Joannes* descriptum erat. Tum Dominus ad S. Petrum : « Dele, ait, istum de libro meo. » Jacobus vero supplicare ei cœpit pro suo, ut appellabat, peregrino, insuper etiam illius emendationem promittere; at Joannes, hoc de se agi videns, pavebat et tremebat, novamque vitam in futurum pollicebatur. Dominus autem quasi illius inconstantiæ minus credens, fidejussorem illius voluntatis postulavit; quem se obtulit S. Jacobus: inter quæ, cum juvenis excitatus esset, secumque hæc admirans rursum obdormisset, iterum est illi eadem objecta species, idque amplius, quod in libro illo apparuit ejusmodi inscriptio ex Canticis : « Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. » Ille igitur et hoc jucundo promisso invitatus, et illis minis exterritus, nulla mora interposita, Cistercium se contulit, ubi, magnis in virtute progressibus factis, primum abbas Bonævallis, deinde etiam Valentiæ episcopus factus est.

Murenulæ actus obediedientiæ.

Exemplum de juvene ad ordinem cisterciensem vocato.

Hæc Platus ex *Chronicis Cisterciensium*. Huc facit exemplum nostri P. Petri Fabri, qui primus S. Ignatii fundatoris Societatis Jesu socius, cum totam vitam ex obedientia varias provincias peragrando, ac ubique semina pietatis spargendo, religiose transegisset, ex obedientia pariter mortuus est. Unde post mortem apparens Gondiæ personæ cuidam religiosæ, lætissimus dixit, se obedientiæ causa mortem oppetivisse, ac multa de gaudio, quod eam ob causam in cœlis obtineret, enarravit. Merito aureola obedientiæ coronatur in cœlis, qui obedientiæ victima exstitit in terris. Ita noster Orlandinus in ejus *Vita*, lib. II, cap. XXVIII.

P. P. Faber in obedientia mortuus.

Rursum, per *murenulas* nonnulli accipiunt charismata, quæ obedientibus et religiosis impertit Spiritus Sanctus, ac præsertim dona sapientiæ et eloquentiæ : sapientia enim notatur *auro*, eloquentia *argento*, quia tinnula ad instar ejus pulchre resonat. Unde S. Gregorius, S. Thomas, Beda et alii murenulas has dant doctoribus, quia sicut per collum ex capite ad reliqua vis sentiendi, sic ex capite Christo ad populum per doctores cœlestis doctrina derivatur. Hoc vero collum includi atque muniri debet monilibus columbarum imagine notatis, quia Spiritus Sanctus collum ambire debet, et doctorum fauces quasi suam vere tubam inflare.

Murenulæ charismata obedientiæ.

Sit ergo collum hoc charitate, fervore et zelo aureum, ac nitore eloquii argenteum. Porro doctori magnam doctrinæ, eloquentiæ, zeli et spiritus vim atque efficaciam suggerit obedientia et religio : obediens enim per superiorem regitur, agiturque a Deo, ejusque spiritu, tanquam ejus vox et organum. Unde prisci Ecclesiæ doctores plerique fuere religiosi, nimirum e quatuor latinis tres, puta S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Gregorius; ac totidem e græcis, puta S. Basilius, S. Nazianzenus, S. Chrysostomus. Tales quoque fuere S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonaventura ac alii plurimi. Vide Hieronymum Platum, lib. II *De Bono status religiosi*, cap. XXV, 30 et seq.

E priscis Ecclesiæ doctoribus, multi religiosi.

Rursum, charisma obedientiæ pene proprium, est gratia miraculorum : Deus enim obedientibus velut instrumentis suis, sibique summe conjunctis utitur ad conversionem animarum, ideoque per eos, cum opus est, patrat miracula. Exempla multa sunt in Vitis Patrum, apud Cassianum et S. Gregorium, lib. I *Dialog.* cap. XII, et lib. II, cap. VII.

E charismatibus obedientiæ est gratia miraculorum

Denique, murenulæ sunt pulchri ritus et cæremoniæ, tum ritus Ecclesiæ, tum ordinum singulorum, qui mire eos decorant.

Murenulæ item cæremoniæ.

Anagogice, murenula est aureola doctoribus, religiosis et obedientibus præparata in cœlo, quæ aurea est per gloriam animæ, argentea per gloriam corporis. Unde S. Thomas cum torque aureo e collo pendente pingitur, quia in cœlis murenularum harum aureola torquatus est. Hinc et post mortem e cœlis quasi gemmatus et torquatus apparuit, uti refert P. Ribadeneira in ejus Vita sub

finem. Huc pertinet exemplum P. Fabri quod paulo ante recitavi.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Hæc omnia jam dicta præ cæteris omnibus competunt B. Virgini. Illud ei proprium, quod fœcunditas non læserit, sed ornarit ejus virginitatem, sicut argentum ornat aureas murenulas. Rursum, murenula aurea e collo B. Virginis pendula fuit ejus filius Christus Dominus, parvulus e collo ejus pendens ac sugens, illique vicissim aurum charitatis et argentum humilitatis instillans.

Denique Rupertus : Murenulæ, inquit, sunt sermocinationes sanctorum sensibus aureæ, elocutionis nitore argenteæ. « Faciemus ergo tibi murenulas veritatis, ornamenta benedictionis et gratiarum actionis, benedicendo et gratias agendo, quia sic feci tibi ; ita ut non sit locus, ubi vox laudis hujus non audiatur, vox sonora, laus altisona, quæ tuum nomen concelebrans jugiter te ambiat, et quodammodo collo tuo dependeat. » Hæc Rupertus.

VOX SPONSÆ.

VERS. 11. DUM ESSET REX IN ACCUBITU SUO, NARDUS MEA DEDIT ODOREM SUUM.

DUM REX ESSET IN ACCUBITU (Aquila *in recubitu*, Symmachus ἐν ἀναπαύσεσιν, id est *in requietibus*, vel *cessationibus*) SUO, NARDUS MEA DEDIT ODOREM SUUM, — *q. d.* Dum sponsus meus, qui est rex Christus, esset in mensa sua nuptiali, ego sponsa ad illum ingressa intuli unguentum nardinum, eoque illum perunxi, cujus odore ille mirifice recreatus est.

Dum, id est *donec*, ut habent Hebræa, Septuaginta et S. Gregorius, *q. d.* Quamdiu rex accubuit in convivio, nardus mea dedit odorem.

Accubitus, id est mensa nuptialis.

Per *accubitum* accipit non lectum, sed mensam nuptialem, cui sponsus cum sponsa accumbit; hebraice est מסב *mesab*, id est *circulus* vel *orbis* : olim enim mensæ erant orbiculares, ut plures caperent, utque illi sibi invicem essent viciniores, et commodius cum singulis colloquerentur. Lectuli ergo cœnatorii, in quibus tempore Salomonis convivæ quasi jacentes, sed cubitis innixi mensæ accumbebant, circa mensam in orbem erant dispositi; inde triclinium dictum, quasi *trium lectulorum cœnaculum*.

Sponsa in triclinium ingressa sponsum nardino unguento perfudit.

Pro decore et serie dramatis recte notat Origenes, *homil.* 2 ex quatuor, sponsam post alloquium sodalium sponsi jam recensitum, quo eam mire laudarunt, ingressam in triclinium, ibique muliebre et mensale donum sponso obtulisse, nimirum unguento nardino eum perfudisse, ejusque odore sponsum oblectasse, idque narrat sodalibus ejus post sponsi discessum; unde de eo loquitur in tertia persona, dicens : « Dum esset rex, » etc., ita S. Bernardus : olim enim in conviviis convivæ unguentis odoratis ungebantur, ut patet ex Plutarcho in *Sympos.*, Athenæo et aliis; et maxime apud orientales, præsertim Judæos; unde et Magdalena Jesum in convivio iterum et secundo unxisse legitur; et Samuel Judæis prædixit, si peterent regem, illum filias illorum facturum sibi unguentarias, I *Reg.* VIII, 13. Idcirco sponsa hic id sibi officii adsciscit.

Quæres *primo*, quid significet hic sponsi accubitus.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Accubitus Christi. Primo, thronus divinitatis.

Primo, aliqui per *accubitum* accipiunt thronum divinitatis, qui est ejus majestas et æternitas : in hac enim velut in throno suo ab æterno sedet et requiescit Deus; hinc hebraice vocatur מסב *mesab*, id est *circulus* : hic enim in seipsum orbiculariter rediens, ideoque principio et fine carens, hieroglyphicum est æternitatis, quæ nec principium nec finem habet. Sic sensus erit, *q. d.* Filius Dei in sinu Patris ab æterno requiescens, ac residens in solio et triclinio majestatis suæ cum Patre et Spiritu Sancto, ibique requie fruens beatissima et plenissima, dignatus est de excelso illo solio suo ad humilitatem et utilitatem nostram respicere, juxta quod in Psalm. cap. CI, 18, dicitur : « Respexit in orationem humilium : et non sprevit precem eorum, etc. Quia prospexit de excelso sancto suo : Dominus de cœlo in terram aspexit : ut audiret gemitus compeditorum : ut solveret filios interemptorum. » Quasi enim nardus nostra odorem dedit coram rege in accubitu suo exsistente, quando humilitas precum et supplicationum, lacrymarum quoque, gemituum et suspiriorum, ab hominibus piis ad Deum pro humani generis salute effusorum, usque ad aures Dei pervenit, ipsumque ad miserandum inflexit, ut filium suum de cœlis mitteret ad terras; ita Titelmannus. Sic et S. Bernardus, *serm.* 42 : « Accubitus regis, inquit, sinus est Patris, quia semper in Patre Filius. Nec dubites regem hunc esse clementem, cui perennis accubitus est paternæ benignitatis diversorium. Merito clamor humilium ascendit ad eum, qui fons pietatis est mansio, cui familiaris suavitas, cui substantialis, vel potius consubstantialis bonitas est : cui ideo totum quod est, de Patre est, ut nil prorsus in regia majestate, nisi paternum, humilium trepidatio suspicetur. »

Secundo accubitus Verbi incarnati.

Verum pressius alii passim per *accubitum* accipiunt Verbi incarnationem, totamque ejus in carne œconomiam et conversationem : hæc enim fuit quasi convivium nuptiale in quo Christus cum fidelibus epulatus, nuptias quasi cum Ecclesia celebravit, ut patet ex parabola filii regis ad suas nuptias quoslibet invitantis, *Matth.* XXII, 3 et seq. Hæc pariter recte vocatur *accubitus*, hebræum מסב *mesab*, id est *circuitus*, tum quia Chri-

sti vita fuit circulus sanctissimarum actionum, virtutum, mysteriorum; tum quia Christus in orbem ivit et rediit, dum ascendens in cœlum ad Patrem reversus est, a quo in terram missus descenderat; tum denique quia Christus circuivit Judæam evangelizando regnum Dei, ad illudque quasi ad nuptiale suum epulum felicitatis æternæ omnes convocando. Unde Christus in Synagoga prædicans, *Luc.* IV, 16, illud ex Isaia, cap. LXI, 1, thema desumpsit : « Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit (ecce accubitus), etc. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. » Inde nardus Ecclesiæ, puta fides audientium, dedit odorem suum. Nam, ut subdit Lucas, vers. 22 : « Et omnes testimonium illi dabant : et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. »

Est hic ergo, uti et in toto Cantico prophetia de Christi incarnatione et œconomia, sponsa enim prima et primaria hic est humanitas Christi, cujus sponsus est Verbum, sive Filius Dei, qui eam in incarnatione assumens sibi despondet, et per eam Ecclesiam, singulasque animas fideles et sanctas, ut dixi in *Proœmio*, cap. II : quare præterita hic pro futuris accipienda sunt, uti fit apud prophetas, *q. d.* Dum erit rex in accubitu carnis suæ, nardus mea dabit odorem suum.

Paraphrasis. Sensus ergo est, *q. d.* ait Hortolanus : Ex quo in humanitate sua quasi in hemicyclo suo nobis apparuit regis nostri divinitas, ex quo in Nazaræorum consedit Synagoga, et ad epulas ex Isaiæ cellario depromptas, me Ecclesiam fidelium invitare dignata est, ego ipsum tanquam sapientissimum veritatis, fidei et salutis magistrum attente audio, filium David et Dei Filium, Regem Israel et Messiam exspectatissimum credo, veneror et prædico. Hunc credo ingenue, publiceque profiteor solo verbo ægrotos quantumcumque desperatos curare posse, et conclamatos ad vitam revocare, ab energumenis dæmonia excludere et profligare. His ego meæque sodales testimoniis, ex cordibus nostris, velut vestibus nardino fidei unguento odoratis, ex eburneis arcis depromptis, Regem in Judææ Synagogis et templo Hierosolymitano docentem, resque admirandas magna cum gloria et omnium admiratione gerentem, inducimus, mirificeque oblectamus, quod nostrum officium regius Psaltes his olim versibus celebravit : « Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo, » *Psalm.* XLIV, 9.

Jam ut particulatim accubitum hunc sponsi distribuam :

Particularis *Primo*, per eum Christi incarnationem accipiunt Cassiodorus, Beda, Aponius et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, sermone 3. Audi Cassiodorum, et ex eo Bedam : « Nardus Ecclesiæ dedit odorem, quia, cum Dei Filius in carne apparuit, Ecclesia in virtutum cœlestium fervore excrevit : non quia et ante incarnationem spirituales ac Deo devotos viros non habuerit, sed quia absque ulla dubitatione tunc arctioribus se virtutum studiis mancipavit, cum regni cœlestis aditum cunctis recte viventibus, mox ut carnis vincula solverentur, patere cognovit. » Christi accubitus. Primo, in incarnatione.

Secundus Christi accubitus fuit, cum ipse prædicando circuiret vicos et urbes, ac cum peccatoribus aliisque discumberet, ut eos salvos faceret. Rursum, accubitus Christi fuit in ligno crucis, de quo, *Psalm.* XCV, 10 : « Dicite in gentibus quia Dominus regnavit » a ligno quasi e solio regali; item quies in sepulcro : ita Justus et Anselmus. Audi Anselmum : « Merito debeo Christum diligere, quia ipse dedit mihi nardum, scilicet virtutes; et hoc, dum esset in accubitu suo, id est in passione et resurrectione sua, scilicet quia ipse passus est et resurrexit, ideo virtutes mihi dedit, quæ dederunt odorem suum, id est sibi convenientem, bonam videlicet famam. » Secundo, in prædicatione.

Tertius accubitus Christi fuit in morte, Christus enim moriendo regnum mortis, diaboli et peccati evertit, ac regnum vitæ, gratiæ et Dei nobis contulit. Ita Origenes, Theodoretus et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, *q. d.* Post Christi passionem et mortem nardus, id est virtus Ecclesiæ, majorem dedit odorem quam ante; ex ea enim profluit martyrum fortitudo, virginum angelica puritas, confessorum sanctitas, anachoretarum perfectio : ita Philo Carpathius : « Sic grata, inquit, ac memor sponsa clamat ad sponsum : Nardus mea dedit odorem suavitatis, id est, tu mihi dedisti suavitatem unguentorum, nempe martyrum et illustrium actionum efficaciam, decus et gloriam. Nardus enim dedit odorem suum, id est martyrium, et nex tua seu passio martyres adhortata est pro te pati; nam et tu pro nobis passus es. » Tertio, in morte.

Quartus accubitus fuit resurrectionis, quo e sepulcro resurgens accubuit in carne gloriosa, in eaque de morte et inferno triumphavit. Ita Justus, Anselmus, et S. Gregorius, XXXV *Moral.* XIII, qui ait : « Rege quippe in accubitu suo posito, nardus odorem dat, dum, quiescente in sua beatudine Domino, sanctorum virtus in Ecclesia magna nobis gratiam suavitatis administrat. » Quarto, in resurrectione.

Quintus accubitus Christi est in gloria cœlesti, quo ad dexteram Dei sedet, velut Rex regum, et Dominus dominantium; ita S. Gregorius, Rupertus, Bernardus et S. Augustinus, lib. I *De Trinitate*, cap. VIII : tunc enim nardus Ecclesiæ dedit odorem suum per orationem, qua, orantibus apostolis et fidelibus pro adventu Spiritus Sancti, eumdem impetrarunt, eoque repleti Christi nomen et famam ubique prædicarunt. Audi S. Gregorium : « Accubitum suum rex intravit, quando Quinto, in gloria cœlesti.

Dominus noster Jesus Christus corporaliter cœli interiora penetravit. Quo ibi requiescente nardus sponsæ odorem suum dedit, quia virtus sanctæ Ecclesiæ suavem famam bonitatis longe lateque sparsit : ad cœlos enim Dominus ascendit, et Spiritum Sanctum suum super discipulos misit, quo impleti verba salutis mundo prædicarent, et per sancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent. »

Porro Chaldæus per *accubitum* accipit colloquium Mosis cum Deo in Sina, sic enim vertit : « Dum esset Moses magister eorum in firmamento, ut susciperet duas tabulas lapideas, et legem et præcepta, surrexerunt impii generationis illius, et fecerunt vitulum aureum una cum promiscuis qui erant inter eos, et fœtida fecerunt opera sua, et egressum est eis nomen pessimum in sæculo; quoniam ante odor eorum exibat diffusus per orbem, et postea fœtidi facti sunt ut absinthium, cujus odor quam pessimus est. » Verum perperam Chaldæus per *odorem nardi* accipit fœtorem idololatriæ, nardus enim suavissimi est odoris.

Quænam hic nardus?

Quæres *secundo*, quid significet nardus sponsæ, puta Ecclesiæ, et quem odorem dederit?

Respondeo, nardus, ut ex Plinio, libro XII, cap. XII, et aliis, ait Philo Carpathius in cap. IV *Cant.* vers. 14, medicus est fructus Syriæ et Indiæ præstantissimus, colore rufo, comosus, odoratissimus; saporis amari, suavitatem odoris diutissime retinens; calefacit, exsiccat, viretque perpetuo; miscetur antidotis, et efficacissimas vires ad quamplurimos morbos habet.

Ex nardo corona.

Porro ex nardi foliis fiebant coronæ, quæ olim in summo erant pretio, teste Plinio. Rursum, « nardus, inquit Titelmannus, herba est humilis et despecta quantum ad faciem attinet, sive radicem intuearis sive folia : est enim nardus frutex gravi et crassa radice, sed brevi et nigra fragilique quamvis pingui, aspero sapore, folio parvo densoque : quæ omnia humilitatem præ se ferunt. Habet nihilominus in cacumine boni odoris gratiam. » Cacumina enim (ut ait Plinius) in aristas sive spicas sparguntur; unde geminam ejus dotem celebrant, spicas scilicet et folia, quoniam ex utrisque bonum unguentum conficitur. Illud tamen quod fit ex spicis præstantius est eo quod ex foliis. Propter quod signanter in Evangelio de oleo illo, quod Maria super caput effudit Domini recumbentis, dicitur, quod fuerit unguentum « nardi spicati pretiosi, » vel (ut alius evangelista habet) « nardi pistici, » id est fidelis et præstantioris.

Nardus humilis.

Porro Plinius, lib. XIII, cap. I : « Unguentum, inquit, nardinum constat omphacio, balanino, costo, nardo, amomo, balsamo. »

Nardus primo, notat humilitatem.

Primo ergo, nardus notat humilitatem Ecclesiæ, quod scilicet instar nardi, secundum corpus, ac inferiorem hominis portionem, admodum humilis est, crassa et contemptibilis; secundum vero partem superiorem, sive secundum spiritum, qui ad Deum sursum respicit, odorem gratissimum de se fundit in naribus Domini Sabaoth. Nullus enim odor ita gratus est Deo, angelis et hominibus, atque ista fidelium humilitas. Ita Rupertus, et S. Bernardus, *serm.* 42, quem audi : « Bonus, ait, humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circumquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum grata suavitate respergat. Est nardus humilis herba, quam et calidæ ferunt esse naturæ hi, qui herbarum vires curiosius explorarunt; et ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret. Quod propterea sane dico, quoniam est humilitas, quam nobis veritas parit, et non habet calorem : et est humilitas, quam charitas format et inflammat : atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit; » et inferius : « Sponsæ vero humilitas, tanquam nardus, spargit odorem suum, amore calens, devotione vigens, opinione redolens. » Addit idem S. Bernardus sponsam a sponso hic fuisse de defectibus suis correptam et castigatam, tumque nardum ejus dedisse suavitatem odoris, cum ejus humilitas modeste et demisse correptionem hanc tulit, et velut paternum donum excepit.

Secundo, fidem.

Secundo, nardus denotat fidem : hæc enim humiliter intellectum captivat in obsequium Dei revelantis mysteria, quæ omnem hominis captum superant. Unde S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 1 : « Jam, inquit, redolet fides, ideoque dicit Ecclesia : Nardus mea dedit odorem suum; et dicit, cum præsumptione exspectans retributionem, fragrat unguentum gratiæ, ex quo Virgo generavit, et Dominus Jesus sacramentum incarnationis assumpsit. » Huc accedit Justus Orgelitanus, qui per *nardum* accipit fidei professionem et prædicationem, quia ubique odorem, id est famam Christi passi et resurgentis sparsit Ecclesia.

Tertio, pœnitentiam.

Tertio, nardus amara est pœnitentia, inquit Aponius : hæc enim est filia humilitatis, ac suavissime olet in naribus Dei. Unde quasi ad litteram hunc locum facto suo exposuit S. Magdalena, dum in signum pœnitentiæ unxit pedes Jesu accumbentis in mensa Simonis; ac rursum attulit alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, illudque effudit in caput Jesu recumbentis in domo sua. Quocirca Magdalenæ hunc locum applicant Origenes, Nyssenus, Beda et Aponius. Ex pœnitentia ergo gratissimum Deo paratur ferculum, quale Magdalena Christo attulit, non tam dum ex alabastro fracto nardinum unguentum, quam dum colliquefactam animam per oculos effudit. Quocirca S. Bernardus, serm. 30 *in Cantica*, lacrymas pœnitentium, *vinum angelorum* nuncupat : « Quia in illis vitæ odor, sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas est. »

Quarto, orationem.

Quarto, nardus est humilis oratio et obsecratio; unde Arabicus pro *nardus* vertit, *thus*, quod est symbolum orationis : « Donec, inquit, venerit rex redeundo, thus meum effudit odorem suavi-

tatis ex fasciculo stactæ, quem habeo apud me filio fratris mei. » Audi S. Bernardum, *serm.* 42: « Primitivæ Ecclesiæ potes hunc congruentissime aptare sermonem, si recordaris dies illos, quibus, assumpto Domino ubi erat prius, et sedente in dextera Patris, illo suo antiquo, nobili atque glorioso accubitu, discipuli erant congregati in loco uno, perseverantes in oratione cum mulieribus et Maria matre Jesu, et fratribus ejus. Nonne tibi videtur revera tunc temporis nardum parvulæ et trepidantis sponsæ dare odorem suum? Denique cum factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, *Act.* IV, 2, patuit pro certo omnibus in loco manentibus, quam gratus humilitatis, et quam beneplacitus odor ascenderat, cui mox tam copiosa et gloriosa remuneratione responsum est. »

Quinto, virtutem omnem.

Quinto, nardus est quælibet virtus, ac virtutum omnium bonorumque operum complexio; nam, ut ait S. Bernardus, *serm.* 71 : « Mores colores suos habent et odores. » Ita Cassiodorus, Origenes, S. Gregorius, Beda et alii.

Porro pro *odorem suum*, Septuaginta habent odorem αὐτοῦ, id est *ipsius*, scilicet regis sponsi, quo significatur omnem Ecclesiæ virtutem, omne decus, omne meritum manare a Christo. Audi Origenem : « Quod si legatur, ut alia habent exemplaria : Nardus mea dedit odorem ejus, invenitur adhuc aliquid divinius, ut videatur unguentum hoc nardi, quo unctus est sponsus, non tantum suum, qui nardo inesse naturaliter solet, sed ipsius odorem ad sponsam reportasse; ut in eo, quo unxit eum, odorem sponsi per ipsius unguenti munus acceperit, et hoc sit quod dicere videatur : Nardus mea, qua unxi sponsum, regressa est ad me, et odorem mihi detulit sponsi, et velut superato naturali sui odore, præ fragrantia sponsi ipsius mihi detulit suavitatem. »

Unde colligit Origenes, quod ungens Christum nardo devotionis, prædicationis, sanctarum actionum, per hanc ipsam unctionem suscipiat Christi odorem ac spiret, puta gratiam Spiritus Sancti, ac majorem fragrantiam doctrinæ spiritualis, æque ac sanctitatis vitæ. Nyssenus vero τὸ ἀυτοῦ, id est *ipsius*, scilicet Christi, sic explicat, *q. d.* sponsa : Ex omnibus quas in me conspicio virtutibus, quæ omnes quasi species multæ aromatum faciunt unum nardi unguentum, pertingo ad cognitionem perfectissimæ virtutis Dei, eamdemque illis communico et aspiro. Theodoretus vero sic, *q. d.* Ex hisce meis virtutibus assecutus sum cognitionem Dei, sed odoratu duntaxat, id est tenuem et exilem. Tres denique Patres apud Theodoretum sic, *q. d.* Virtutes meæ, quæ sunt quasi nardus Dei, exhibent mihi speciem Dei per naturam inaccessi, cujus ego speciem et notam gero, ut imago ipsius ac similitudo; quare dum meis moribus illius similitudinem refero, ipsum in me velut exemplar in imagine repræsento.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta est accubitus Christi.

Omnia jam dicta adapta animæ, mutato nomine Ecclesiæ in nomen animæ. Adde animam sanctam esse accubitum, id est sedem et solium, imo cœlum et templum, in quo Christus accumbit et requiescit : ita Nyssenus et Anselmus. Rursum, per *nardum* posse accipi ipsum Christum, sicut ille ipse paulo post vocatur *fasciculus myrrhæ*, et *botrus cypri*. Unde Septuaginta vertunt, *nardus mea dedit odorem* αὐτοῦ, id est *ipsius*, scilicet sponsi (licet nonnulli legant αὐτῆς, id est *suum*). Et eos de more sequens Syrus, *cum rege in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum*. Sic sensus erit, *q. d.* In accubitu, id est in nuptiali mensa, ubi abundant unguenta, flores, nardus, myrrha, et botrus cypri, nihil mihi suave olet, nisi sponsus Christus; præ illo cæteras omnes delicias despicio. Ita Theodoretus, qui et rationem dat, cur Christus vocetur nardus : « Nardum, ait, nominat Christum, quoniam unctus est nardo pistica illa pretiosa, cujus odor replevit totam domum, quæ mundum significat universum; obsequium enim a piis hominibus Domino exhibitum, orbem terrarum implevit fidei suavitate. » Sic et Origenes, Psellus, Sanchez et alii.

Nardus ipse Christus, et quare?

Nardus ergo herba humilis sed odora, aspera sed calida et medica, repræsentat Christi humilitatem, sed suaveolentem; ac passionem, sed charitate flagrantem, omnibusque animæ morbis medentem. Unde Honorius Augustodunensis : « Christus, inquit, fuit nardus nascendo, myrrha in moriendo, botrus in resurgendo. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Nardus humilitas Mariæ.

Rex gloriæ fuit in accubitu, id est cubavit novem mensibus in utero B. Virginis, cum ex ea carnem assumpsit; tuncque nardus, id est virtus et humilitas B. Virginis, dedit odorem suum. « Nam quid, inquit S. Bernardus, *serm.* 42, est aliud nardus mea dedit odorem suum, quam placuit mea humilitas? Non mea, inquit, sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorem suum, id est solitum. Solito placet Deo humilitas; solito plane, atque ex consueto excelsus Dominus humilia respicit, et ideo cum esset rex in accubitu, id est excelso habitaculo suo, illuc quoque humilitatis odor ascendit : In altis habitat, inquit, et humilia respicit in cœlo et in terra. » *Psalm.* CXII, 5.

Rursum, « cum esset rex in accubitu suo, » id est cum Filius Dei esset in sinu Patris, sensit fragrantiam nardi, id est humilitatis B. Virginis,

eaque allectus descendit in ejus uterum factus homo. « Humilitas, ajt Rupertus, requies est mentis, et qui hanc invenit, sine dubio requiem animæ suæ invenit. Ego in omnibus requiem istam quæsivi, et vidit rex respiciens, ubi nardi hujus ex me odorem sensit; vidit, inquam, quod requiescere posset hic in suavitate animæ quietæ, id est humilis, descenditque de illo accubitu suo, et requievit in tabernaculo meo. Hic requievit, hic habitavit totis novem mensibus; et cujus erat Dominus, ejusdem ancillæ suæ factus est filius. »

VERS. 12. FASCICULUS MYRRHÆ DILECTUS MEUS MIHI, INTER UBERA MEA COMMORABITUR.

FASCICULUS MYRRHÆ DILECTUS MEUS MIHI, INTER UBERA MEA COMMORABITUR. — Hebraice ילין *ialin*, id est *pernoctabit*, *q. d.* Noctu, cum maxime ingruunt tristes cogitationes, turpes phantasiæ, et tentationes dæmonis, pro unico certoque omnium remedio, utar hoc myrrhæ passionum Christi fasciculo, illo omnes discutiam, illius odore et meditatione omnes fugabo et profligabo. Græce est αὐλισθήσεται, id est aulam, sive habitationem et mansionem stabilem jugemque accipiet. Sensus est, *q. d.* Uti feminæ in pectore gestant myrrham boni odoris causa, ad confortandum cor et caput: sic ego in pectore gesto sponsum meum mihi unice dilectum, cujus nulla mihi unquam subrepet oblivio, quia ipse est amor meus, odor meus, robur meum, qui cor meum corroborat et caput, totamque animam meam exhilarat. Septuaginta, *alligamentum stactes*, sive *guttæ*, *fratruelis meus mihi*, *in medio uberum meorum demorabitur*; S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 3 : « Colligatio guttæ consobrinus meus, botryon cypri frater meus mihi, inter media ubera mea requiescit; nardus cypri consobrinus meus in vineis Engaddi; » Aquila, *susceptus myrrhæ*. Pro *fratruelis* græce est, ἀδελφιδός, quod S. Ambrosius vertit, nunc *frater*, nunc *consobrinus*; S. Hieronymus in versione Origenis, *fraternus*; alii, *sororis filius*, vel *nepos*. Christus enim natus est ex Synagoga, (puta ex Judæis) quæ est soror Ecclesiæ, cujus hic vox inducitur. Recte ergo Ecclesia hic Christum vocat sororis suæ, id est Synagogæ filium. Idem significat vox *fratruelis* et *fraternus*; Noster et Symmachus, *dilectus meus*; quinta editio, *sodalis meus*. Audi Origenem, *hom.* 2 ex quatuor: « Fraternus meus mihi guttam redolet, et hanc non diffusam, neque ut libet dispersam, sed colligatam et constrictam, quo scilicet odor suus densior reddatur et vehementior. Et hic, inquit, cum talis sit, in medio uberum meorum demoratur et commanet, et requiem ac mansionem suam facit in loco pectoris mei. »

Myrrhæ natura. Myrrha, teste Plinio, lib. XII, cap. XV, arbuscula est in Arabia, minor quam arbor thuris, et altitudine ad quinque fere cubitos adolescit. Convenit autem inter auctores, qui hac de re scripserunt, eam esse scabram, spinosam, foliis aculeatis, caudice duro et intorto, e cujus vulnere defluit lacryma, gustu acris cum amarore, quæ glutinandi, siccandi et abstergendi vim habeat egregiam. Quæ quidem omnia adeo sunt apta ad vitæ austeritatem pingendam, ut nil aptius afferri queat. Hinc latinum et græcum *myrrha* derivatur ab hebræo מור *mor*, id est *myrrha et amaritudo*, quia myrrha est amara.

Myrrhæ liquor *myrrha* dicitur. *Stacte* quid? Porro myrrha arbor fundit succum sive liquorem, qui pariter myrrha dicitur, eumque duplicem : prior est, quem arbor ipsa sponte sudat, qui stacte, id est gutta dicitur, hæcque est myrrha optima et odoratissima; posterior, quæ ex incisione arboris elicitur. Rursum myrrha, folia et surculos myrrhæ significat: quare fasciculus myrrhæ proprie videtur significare fasciculum ex foliis, vel ramusculis aut floribus myrrhæ constrictum et colligatum. Hebræum tamen צרור *tseror*, et magis græcum ἀπόδεσμος τῆς σταχτῆς, id est *alligamentum stactes*, sive guttæ, notat saccu-

Qualis hic fasciculus? lum vel pyxidem olfactorialem, in qua stacte vel liquor condensatus continetur. Unde Nyssenus, *hom.* 3, sic explicat : « Fraternus meus mihi est alligamentum, quod e collo suspendo supra pectus, per quod bonum odorem præbeo corpori. » Hinc et Syrus vertit, *crumena*, vel *bursa myrrhæ qui diligit me*.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Sponsa regem sponsum suum videns in accubitu suo, id est in incarnatione, passione, cruce et morte, quam pro sponsa sponte obivit, rapta in admirationem tanti amoris exclamat : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, » *q. d.* Ego myrrhæ, id est amoris hujus sponsi mei, qui tam amara pro me ultro subiit, semper recordabor; illi grata ero, illum amabo, pro illo vicissim amara quælibet subire non detrectabo, sed optabo et ambiam; amara et ardua ejus jussa, quin et objurgationes ac mordacia verba, imo flagella et verbera ultro suscipiam et capessam. Unde communis hæc martyrum fuit vox, sensus et spiritus : Ego amore Christi pro me tanta passi et crucifixi mortem, crucem, feras, ignes, equuleos et quævis tormenta subire desidero, ut dolorem dolori, amorem amori non ex æquo, sed quoad possum rependam. Nam sine dolore non vivitur in amore. Unde S. Ignatius, epist. *ad Rom.* : « Amor meus, inquit, crucifixus est; » et S. Paulus : « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, » *Gal.* VI, 14. Hac de causa Christus iturus ad crucem, seipsum velut fasciculum myrrhæ, Ecclesiæ in Eucharistia perpetuo visendum colendumque reliquit, ut hæc ipsi esset velut tessera et imago suæ passionis et crucis. Unde Christus instituens Eucharistiam : « Hoc est,

Paraphrasis.

ait, corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem, » *Luc.* XXII, 19, *q. d.* In sumptione Eucharistiæ, ac post eam profunde cogitate, meditamini, expendite quanta vestri amore fecerim et perpessus sim, ut me vicissim redametis. Et Paulus : « Quotiescumque, inquit, manducabitis panem hunc, et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat, » I *Cor.* XI, 26 : corpus enim Christi sub specie panis separatim consecratum a sanguine, qui consecratur in calice, ad vivum repræsentat separationem sanguinis et animæ (anima enim est in sanguine, ut ait Scriptura) a corpore, hoc est, mortem Christi in cruce : hinc et Magi Christo puero obtulerunt aurum, thus et myrrham :

Christus fasciculus myrrhæ in Eucharistia.

Aurum regi, thura Deo, myrrhamque sepulto,

ait Juvencus, *q. d.* Offerimus Christo aurum, ut protestemur eum nostrum esse Regem, cui velut subditi aurum quasi tributum pendimus; offerimus thus, ut protestemur eum esse nostrum Deum, thura enim Deo adolentur; offerimus denique myrrham, ut protestemur nos credere eum pro nobis in cruce moriturum et sepeliendum : mortuorum enim corpora myrrha condiebantur, ut incorrupta manerent. Ita Theodoretus : « Myrrha, ait, sponsi mortem, et quæ inde ad sponsam pervenit, indicat suavitatem. » Unde Philo Carpathius ait Ecclesiam hic per fasciculum myrrhæ significare, se desponsatam esse Christo per sanguinem et aquam, quæ ex ejus latere profluxit.

Myrrha ergo est symbolum Christi, *primo*, quia repræsentat ejus dolores et passiones : tota enim Christi vita fuit fasciculus myrrhæ, id est continua amaritudo, et congeries laborum et dolorum.

Christus est myrrha. Primo, propter dolores.

Secundo, quia myrrha odoris suavitate superat cæteras arbores aromaticas : sic et Christus amoris et gratiæ suæ suavitate superat angelos, homines et creaturas omnes, juxta illud quod ipse de se ait, *Eccli.* XXIV, 20 : Ego « quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. »

Secundo, propter odoris suavitatem.

Tertio, myrrha incorrupta servat corpora : sic Christi passio et mentibus et corporibus incorruptionem aspirat, dum ejus recordatione, meritis et gratia, omnes corruptiones concupiscentiæ fidelium mens superat, ac eorum corpora a morte ad immortalitatem in die judicii resurgent. Hujus rei symbolo corpus Christi post mortem myrrha et aloe a Josepho ab Arimathæa perunctum est, *Matth.* XXVII, 59.

Tertio, ob incorruptionem.

Quarto, myrrha cor confortat, et caput exhilarat : multo magis utrumque facit Christi passio. Hinc ait sponsa, *inter ubera*; Septuaginta, *in medio uberum meorum commorabitur*, *q. d.* In corde meo, intimoque ejus fundo (cor enim situm est inter ubera) jugiter infixa hærebit Christi passio, illaque velut myrrha efficacissima cor meum imbuetur et insuccabitur, ut ejus vis ex corde in omnes sensus, vires et membra proserpat, eaque corroboret ad omnes amoris agones, ad omnes virtutis labores, ad omne genus mortis et martyrii pro Christo meo generose et alacriter obeundum. Ex corde enim manant vita, vigor et spiritus vitalis in omnes sensus, vires et membra. Quare cum myrrha passionis Christi cor occupat, per illud vim suam in omnes animæ vires diffundit. Sic ergo fit ut Christus habitet in nobis, ut induamus Christum, ut illi conformemur; Christus enim est quasi anima cordis nostri, et, ut ait Jeremias : « Spiritus cordis nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris : cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus, » *Thren.* IV, 20. Unde ait Paulus : « Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus, » *Galat.* II, 20. Sicut ergo lana oleo insuccatur, ut ait Columella lib. VII, cap. IV, id est oleo imbuitur, intingitur, inficitur; et sicut panis insuccatur vino, dum vini vim et succum imbibit in offa, quod significanter Itali dicunt *inzuppare* : sic prorsus cor sanctorum insuccatur doloribus et passionibus Christi, eorumque vim imbibit, quem deinde in omnes animæ potentias sensusque transmittit, ut omnes spirent et exhalent Christum crucifixum.

Quarto, propter virtutes.

Symbolice, Origenes, *homil.* 2 ex quatuor, per *fasciculum*, vel, ut ipse ex Septuaginta legit, *alligamentum myrrhæ*, accipit corpus et carnem Verbi incarnati : « Videtur, inquit, alligamentum et vinculum quoddam animæ esse corpus, in quod alligamentum, gutta (stacte) in Christo divinæ virtutis ac suavitatis astringitur. » Deitas ergo, alligata corpori, est quasi gutta sive stacte alligata in fasciculo, vel constricta in pyxide. Sic et Theodoretus : « Alligamentum, inquit, guttæ eum vocat, quoniam ipse descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram, *Psalm.* LXXI, 6; et a prophetis etiam vocatus est stilla. Erit ex stilla populi hujus, congregatus congregabitur Jacob, » *Mich.* V, 7 (juxta Septuaginta). Porro S. Ambrosius, serm. 3 *in Psalm.* CXVIII, legens, *colligatio guttæ*, sic exponit, *q. d.* Christus carni se illigavit funiculis charitatis : « Corpus, inquit, suscipiens Dominus Jesus charitatis se vinculis illigavit, et non solum se membris nostris et passionibus naturalibus, sed etiam cruci vinxit. »

Porro Chaldæus vertit : « In tempore illo dixit Dominus ad Mosen : Vade et descende, quia se corrupit populus tuus; dimitte me, ut consumam eos. Tunc reversus est Moses, et quæsivit misericordiam a facie Domini, et recordatus est Dominus inclinationis Isaac, qui ligatus fuerat a patre suo in monte Moria super altare; et conversus est Dominus ab ira sua, et habitare fecit majestatem suam in medio eorum sicut antea. » Hæc expositio judæi judaica est, subservit tamen christianæ et genuinæ jam assignatæ. Ligatio enim Isaac ad ejus immolationem fuit typus ligationis et immolationis Christi in cruce, idque in eodem monte Moria : hujus enim pars et collis est mons Calvariæ, in quo crucifixus est Christus.

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Fasciculus myrrhæ passio Christi.

Anima pia passionem Christi, velut fasciculum myrrhæ in pectore et corde suo recondat, ut eo cor confortet, et caput exhilaret, ad omnis virtutis labores et dolores, omnesque hujus vitæ adversitates, imitatione et amore Christi læte et fortiter subeundos. Ita S. Bernardus, *serm.* 43 : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Ante rex, modo dilectus : ante in accubitu regio, modo inter sponsæ ubera. Magna humilitatis virtus, cui etiam deitatis majestas tam facile se inclinat. Cito reverentiæ nomen in vocabulum amicitiæ mutatum est; et qui longe erat, in brevi factus est prope. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrha amara res, dura et aspera tribulationum significat. Ea sibi dilecti causa imminere prospiciens, gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram. Ibant, inquit, gaudentes discipuli a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, *Actor.* V, 41. » Subdit deinde cur fasciculus dicatur, non fascis : « Propterea denique non *fascem*, sed *fasciculum* dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat et doloris. Bene fasciculus, quia PARVULUS NATUS est nobis, *Isai.* cap. IX, vers 6. Bene fasciculus, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, *Roman.* cap. VIII, vers. 18. Id enim, inquit II *Corinth.*, cap. IV, vers. 17, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus, cujus jugum suave est, et onus leve? Non quia levis in se (nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo), sed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantum : Fasciculus myrrhæ dilectus meus; sed *mihi*, inquit, quem diligo, fasciculus est. Unde et dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, et quia fortis est ut mors dilectio. » Ita S. Elzearius, comes Ariani, hoc myrrhæ fasciculo ad immobilem animi mansuetudinem et tranquillitatem pervenit : cum enim dicteriis, calumniis, irrisionibus, injuriis, etc., etiam a propriis famulis varie et crebro exagitaretur, illico mente versabat probra, calumnias, injurias, tormenta irrogata Christo, nec ab hac meditatione cessabat, donec mens in imitatione hujus patientiæ tranquille conquiesceret; quo fiebat ut nullum doloris aut iræ signum daret, ac videretur bile carere, esseque ἀπαθής : ita habet ejus *Vita* apud Surium. Eodem fasciculo S. Franciscus, S. Elisabetha, aliique plures ad tantam humilitatem, patientiam et sanctitatem evasere.

Fasciculus myrrhæ, non *fascis*, cur?

Exempla.

Rursum, *fasciculus myrrhæ* est mortificatio assidua, quam nos docent vita et passio Christi, quæ non aliud fuit quam continua mortificatio : hæc enim omnem concupiscentiæ corruptionem abstergit, omniaque animæ vulnera sanat, eamque ad omne bonum corroborat. Myrrha, inquit Galenus, lib. VII *Simplic. medic.*, purgat thoracem et pulmonem, astringit, concoquit et discutit; stacte infrigeratos calefacit. Uberius Dioscorides, lib. I, cap. LXVII : « Myrrha, inquit, calefacit, concoquit, saporem gignit, etc., devoratur in vetere tussi, laterum, pectorisque doloribus, in alvi profluvio et dysenteria, horrores discutit, scabritiem arteriæ expolit; obtusam vocem expedit, ventris tineas enecat, contra gravem oris halitum manditur, gingivas et dentes stabilit, vulnera capitis glutinat, medetur fractis auribus ac ossibus nudatis, impetigines ex aceto purgat, diuturnas distillationes lenit, oculorum ulcera complet, albugines tollit, caliginem discutit, scabritiem lævigat. » Eadem et plura efficit Christi passio, et mortificatio in anima et spiritu; unde nullum ea efficacius est remedium contra tentationes luxuriæ, iræ, superbiæ, acediæ, invidiæ, etc., uti perpetua experientia constat. Quocirca Nyssenus, *homil.* 3, censet hic significari quod anima, quæ in corde habet alligatum Christum crucifixum, non possit ullo membro vel sensu peccare : « Illa anima, inquit, quæ suscepit bonum Christi odorem, et cor fecit alligamentum hujus suffitus, se ita comparat, ut omnia sigillatim vitæ studia, tanquam alicujus corporis membra ferveant spiritu, qui ex corde permeat, nulla iniquitate in alto membro corporis refrigerante dilectionem in Deum. » Et Origenes, *hom.* 2 ex quatuor : « Alligatura guttæ, inquit, dogmatum continentiæ constrictio, ac divinarum sententiarum nodositas intelligitur; innexæ enim sibi invicem sunt fidei rationes, et vinculis veritatis adstrictæ. » Et tres Patres apud Theodoretum : « Nexus est, inquiunt, et conservatio stillæ divinæ gratiæ, quæ mihi communicata est, dilectus meus : per fidem enim, inquit, acceptus, spiritualia tuetur, atque conservat Ecclesiæ munera, fidelesque confirmat ac roborat, ne a veritate desciscant. » Et S. Gregorius : « Mortuorum corpora, inquit, myrrha condiri solent, ne putrescant. Myrrham quippe corporibus ne putrescant adhibemus, dum membra nostra in Christi exemplum, per eorumdem mortificationem a putredine luxuriæ restringimus, ne, dum ea sine condimento dimiserimus, dissoluta putredine, escam vermibus æternis faciamus. Sed quid est, quod dilectum suum sponsa non *myrrham*, sed *fasciculum myrrhæ* nominat, nisi quod, dum sancta mens Christi vitam ex omni parte considerat, contra omnia vitia ex ejus imitatione repugnantes virtutes congregat; ex quibus sibi fasciculum myrrhæ aptat, quo carnis suæ putredinem sempiternum abstergat. »

Fasciculus myrrhæ, mortificatio.

Myrrhæ virtutes.

Mortificatio ergo, et vitæ austeritas animam pu-

rificat, sanctificat, Deoque mire placentem gratamque efficit, quia eam similem facit Christo crucifixo. Quocirca Deus eamdem suis charismatibus ample remunerare solet. Ut alia taceam, lege *Vitas* sanctorum, et invenies eos duntaxat magnis et crebris claruisse miraculis, qui austeræ fuerunt vitæ, quales exstitere S. Martinus, S. Antonius, S. Hilarion, S. Benedictus, S. Romualdus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ignatius, S. Franciscus Xaverius.

Duo ubera quæ? Novum et Vetus Testamentum.

Igitur Christi passio commoratur inter ubera, id est, in corde animæ sanctæ. Symbolice, inter duo ubera, id est, *primo*, inter Novum et Vetus Testamentum: utrumque enim prædicit et prædicat Christi passionem et crucem, ait Philo Carpathius.

Doctores.

Secundo, inter ubera, id est, inter doctores, qui prædicant Christum crucifixum, ait Justus Orgelitanus.

Amor Dei et proximi.

Tertio, S. Gregorius : Duo ubera, inquit, sunt amor Dei et proximi. Audi eum : « Qui (sponsus Christus crucifixus) bene inter ubera commorari dicitur, quia in dilectione Dei et proximi habitatio Christi sancta ædificatur. Sancta quippe anima dum Deum sic diligit, ut proximum non contemnat, et proximi amorem sic exsequitur, ut divinum non minuat, procul dubio ubera in pectore sibi locat, quibus Christum amplectens, ipsum nutriat. Quasi enim uberibus Christus nutritus roboratur, dum hac gemina dilectione, ut fortius inhæreat, delectatur. »

Congratulatio et compassio.

Denique S. Bernardus, *serm.* 43, duo ubera accipit congratulationem et compassionem, juxta illud Pauli, *Rom.* XII, 15 : « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quia vero inter adversa et prospera versans, novit utrobique pericula non deesse, medium hujusmodi uberum suorum vult habere dilectum, cujus adversus utraque continua protectione munitam, nec læta extollant, nec tristia dejiciant. » Subjicit deinde S. Bernardus, itaque hunc myrrhæ fasciculum suo exemplo omnibus arcte commendat : « Tu quoque, si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens et assidua meditatione revolvens, quo possis dicere et tu : Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Et ego, fratres, ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, et inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei, primum videlicet infantilium illarum necessitatum; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo; postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis sylva evangelica copiosissime noscitur protulisse. » Et post plura, quæ in hanc rem subjicit, ita concludit : « Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, et inter læta tristiaque vitæ præsentis via regia incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi judicem. » Hucusque S. Bernardus pie, sapienter et pathetice.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo adstans cruci, filium suum Christum crucifixum, velut fasciculum myrrhæ toto corde obtulit Deo Patri in holocaustum, pro redemptione totius mundi, sicut Abraham obtulit suum Isaac. Eadem post Christi mortem et ascensionem ejus tormenta cordi alligata, imo insculpta gestans, assidue summo doloris, amoris et devotionis sensu ruminabat : nec tantum ruminabat, sed et reipsa imitabatur, omnes persecutiones Judæorum, omnesque adversitates fortiter sustinens, ac lacrymis, compunctioni et mortificationi assidue vacans, qua proinde mirificas Dei gratias et dona obtinere meruit, uti ipsa revelavit S. Brigittæ. Hac de causa Calvariam et loca passionis Christi crebro et devotissime obibat : ipsa enim omnia tormenta Christi vehementissime sensit compatiendo, quæ Christus patiendo, idque non semel ut Christus, sed per omnem vitam. Ipsa enim longe magis amabat Christum, quam seipsam. Unde longe maluisset ipsa pati omnia tormenta Christi, quam videre Christum suum eadem patientem. Multoties ergo ipsa fuit martyr, juxta illud S. Simeonis ad ipsam vaticinium : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, » *Luc.* cap. II, 35 : ita Rupertus.

B. Virgo multoties martyr.

VERS. 13. BOTRUS CYPRI DILECTUS MEUS MIHI, IN VINEIS ENGADDI.

Botrus cypri, quid? Resp. Primo, camphora.

Quæres, quid sit cyprus? *Primo*, Rabbini et ex eis Tigurina ex similitudine vocis censent esse *caphuram*, sive *camphoram*. Camphora autem est gummi cujusdam arboris in India nascentis tanta magnitudine et proceritate, ut sub ejus umbra hominum centuriæ recondi possint. Camphoræ vires et dotes recenset Matthiolus in *Dioscoridis*, lib. I, cap. LXXV. Tria vero memoranda de hoc gummi narrant auctores. Aiunt caphuram in aqua flagrare; deinde tradunt eam humore madere, si

in recenti et calido pane condatur; aiunt denique, nisi sedulo asservetur, ex operculatis etiam thecis nonnunquam evanescere. Quæ profecto tria sponso impendio conveniunt, ut non immerito *botrus copher* sit appellatus. Etenim in hoc spirituali humani generis cataclysmo, quo aquæ culpæ hiemales, tum origine permanantes, tum voluptate prava erumpentes mundum obruerunt, et ignem charitatis exstinxerunt, in medio ipse diluvio exstans et erectus, fluctibus ipsis velut oleo pascitur, et more lampadis accensus flammam charitatis emittit, quam flumina nequeunt obruere. Ita Joannes Carmelita.

Dactyli palmæ. Rursum, R. Abraham per *botrum cypri* accipit dactylos palmæ, qui sapidissimi sunt.

Secundo, uvæ cypriæ. *Secundo, botros cypri* esse uvas in Cypro insula nascentes, vel vites ex Cypro delatas in Judæam, censent S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Rupertus, S. Bernardus, Titelmannus et alii. Vinum enim Cyprium, æque ac Creticum (vulgo *malvasia*) est præstans, forte et eximium, teste Plinio, lib. XIV, cap. I et VII. Et hic sensus Christo sponso nostro apte convenit, qui tanquam botrus pinguissimus et deliciosissimus vini pretiosissimi et præstantissimi, in torculari amaræ passionis pressus et expressus, sanguinem uvæ, sicut pretiosissimum, ita et copiosum valde effudit, propinavitque sponsæ suæ Ecclesiæ, cujus haustu etiamnum ipsa vivificatur atque reficitur, lætificatur et inebriatur.

Vinum engaddi-tanum. Huc accedit Chaldæus qui per *botrum cypri* accipit vinum acceptum ex uvis Engaddi, quod Hebræi in terram sanctam intrantes libarunt Deo : «Ibant, inquit, ad vineas Engaddi, et accipiebant inde botros uvarum, et exprimebant ex eis vinum, et libabant ex illo super altare, quartam partem hin super singulos arietes. »

Tertio, cupressus. *Tertio*, Justus Orgelitanus per *cyprum* accipit cypressum, sive cupressum, vel cyparissum, cujus comæ botri speciem quamdam exhibent. Verum aliud est cyprus, aliud cupressus, ut patet ex Plinio, Dioscoride, Galeno, Theophrasto et aliis.

Quarto, botrus cypri, id est botrus floritionis. *Quarto*, Origenes, Theodoretus, Nyssenus, et Philo Carpathius *botrum cypri* exponunt *botrum floritionis*, id est adhuc florentem, nec fructu, puta uvis turgentem : κυπριάζω enim est *floreo*, et κυπριασμὸς est *floritio*. Verum nil tale significat hebræum כופר *copher*, et latinum græcumque *cyprus*.

Quinto, an cyprus sit balsamum? *Quinto*, alii per *cyprum* accipiunt balsamum. Ita Aponius, Beda, S. Bernardus, Honorius, Hailgrinus, Satomajor, Sanchez et alii. Probant *primo*, quia balsamum est odoratissimum, et proprium Judææ in vineis Engaddi. Unde S. Hieronymus in cap. XXVII *Ezechiel.* : « Balsamum, ait, quod nascitur in vineis Engaddi; » et in Epitaphio Paulæ : « Contemplata est balsami vineas in Engaddi. » *Secundo*, quia Ecclesiasticus, de more Salomonem secutus, Christum comparat balsamo, *Eccli.* cap. XXIV, 21 : « Quasi balsamum, ait, non mistum odor meus. » *Tertio*, quia arbor, vel frutex, proferens balsamum, similis est viti, teste Plinio, lib. XII, cap. XXV : « Semen, ait, ejus est vino proximum gustu. » Et paulo anterius : « Hæc viti similior est quam myrto, malleolis seri dicitur, nuper vincta ut vitis, implet colles vinearum modo. »

Verum obstat, *primo*, quod nusquam balsamum vocetur *copher*, sive cyprus. Resp. negative.

Secundo, quod balsamum non habeat botros nec uvas; sed ex incisione fruticis profluit liquor ille odoratissimus, qui opobalsamum dicitur. Respondet Sotomajor *botrum cypri* idem esse quod *ramum balsami*. Verum hebræum אשכול *escol*, et latinum græcumque *botrus*, uvam significat, non ramum : balsami tamen hic mentio fit in vineis Engaddi. Probabilius quis diceret *botrum cypri* vocari liquorem ex frutice balsami inciso profluentem, qui instar botri concrescit et coalescit.

Tertio, quod Plinius, Dioscorides, Galenus quin et Josephus Hebræus, lib. V *De bello Jud.* cap. IV, distingunt cyprum a balsamo.

Sexto, genuine. Dico ergo : « Cyprus, inquit Plinius, lib. XII, cap. XXIV, est arbor in Ægypto zizyphi foliis, semine coriandri, flore candido et odorato. » Et, ut ait Philo Carpathius in cap. IV *Cantic.* vers. 13 : «Cyprus arbuscula est flore candido, cincinnorum instar pendente coma odoratissima, folio oleæ; ex hac fit unguentum nomine *cyprinum*, ad multa commodissimum, habetque folia, flores, fructus et ramos utilissimos. Hæc optima in Ascalone Judææ et Ægypti Canopo provenit. » Cassiodorus ibidem : « Cyprus, ait, arbor est aromatica, semen simile coriandri habens, id est album et sublucidum, quod oleo coquitur, et inde exprimitur, quod cyprus vocatur; unde regium unguentem paratur. » Dioscorides vero, lib. I, cap. IV, cyprum describens, ei has dat virtutes : « Venarum spiracula laxat, urinam ciet ad calculos, aquamque super cutem; utilissime bibitur; adversus scorpionum ictus remedio est; perfrictionibus vulvæ, et præclusionibus fotu prodest; pellit menses. Contra ulcera oris, etiamsi depascant vorentque, farina ejus efficax est; malagmatis calefacientibus, et unguentorum spissamentis bene adjici solet. » Et Galenus, lib. VII *Simpl. medic.* : Cypri, inquit, radices maxime usui sunt, excalefacientes pariter et exsiccantes absque mordacitate. Itaque ulceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirifice prosunt; habent enim quiddam etiam astringens; quapropter ulceribus item oris conveniunt. Quin et incidendi vim quampiam illis inesse testificandum; qua et calculo vexatis congruunt, et urinam mensesque provocant. » Addit ibidem Mathiolus iconem cypri, in qua manifeste in cypri cacumine cernuntur minuta folia cum semine exoriri, instar botri vel racemi.

Qualis arbor cyprus? Porro *cyprum* esse eumdem fruticem cum li-

An cy

prus sit ligustrum?

gustro italico ex variorum sententia docet Plinius lib. XXIV, cap. x, ubi asserit ligustrum eamdem esse arborem, quæ in Oriente *cyprus* appellatur. Et Galenus, lib. VII *Medic. simpl.*: « Cypri, ait, seu ligustri folia, etc., habent quiddam digerens et astrictorium. Itaque eorum decocto quidam ambusta fovent. Utuntur etiam adversus igneas phlegmonas et carbunculos. Nam absque molestia et morsu desiccant. Quin etiam sponte provenientibus in ore ulceribus, aphthodesi, et ipsis puerorum aphtis, commansa accommodata sunt. » Idem innuit Dioscorides, lib. I, cap. CVII : « Ligustrum, ait, arbor est oleo foliis circum ramos similibus, etc., flore candido odorato. » Ac mox subdit : « Cyprinum oleum, quod ex eo fit, odoratum excalefacit, emollitque nervos; » ubi insinuat cyprinum oleum esse ligustricum, ac consequenter ligustrum esse cyprum. Diserte vero id ipsum asserit Ruellius, lib. I *Distinct.* cap. XCIV, et Matthiolus in *Dioscoridis* locum jam citatum. Ubi et de more ideam sive formam ligustri sive cypri, in imagine spectandam exhibet, in qua plane est videre botros, sive uvas ligustri sive cypri, similes uvis, quæ in vite nascuntur. Additque : « Flores edit candidos muscososque, racemosque et fructum nigrum. » Unde Arabicus pro *botrus cypri* vertit, *racemus florum*: talis enim est in ligustro. Hinc et Theophrastus, lib. IX *Hist. plant.* cap. VII, cyprinum, sive ligustricum unguentum asserit esse odoratissimum.

Rembertus Dodonæus vero *De stirpibus*, pemptade 6, lib. II, cap. XIII, etsi ligustrum distinguat a cypro, quod ligustro folia defluant hieme, cyprus vero perpetua fronde vireat, asserit tamen illi esse persimile; ligustrum vero Græcis appellari φιλλυρέαν, de quo Dioscorides : « Phillyrea, inquit, arbor est cypro magnitudine similis, foliis oleæ nigrioribus ac latioribus : fructum habet lentisci similem, nigrum, subdulcem, racematim cohærentem; » et tale omnino est ligustrum.

Porro Dictionarium syriacum asserit *copher*, id est *cyprum*, esse arborem quamdam, cujus frondes desiccatæ, et in pulverem massamque redactæ, reddant manus, crines, cæterasque corporis partes purpureas. Id ipsum censet oculatus testis

Bellonii opinio.

Petrus Bellonius, lib. II *Observat.* cap. LXXIV, ubi ait cyprum Salomonis esse fruticem, quem Arabes *alkanna* sive *henne*, Græci *scenna* vocant, qui ligustro similis copiose provenit in Cayro Ægypti. Hunc, inquit, Turcæ et Mauritani propter florum gratiam (qui densi et clausi botrorum speciem præ se ferunt), et suavem odorem musco similem, diligenter servant. Unde Turcarum imperator ex eo quotannis vectigal plus quam octodecim milliuin ducatorum colligit : invaluit enim ea consuetudo, ut omnes mulieres manus, pedes, capillorum partem rubro aut flavo, viri autem ungues rubro colore alkannæ pulvere inficiant.

Nota.

Ut ut est, cyprus ligustro est similis, et in Judæa fuit odoratissima, et fructus proferens, nimirum botros miræ magnitudinis æque ac saporis, ut patet ex hoc loco et ex cap. IV, 13. Hinc *cyprus* dicta est ab hebræo כופר *copher*, id est *expiatio*, scilicet tetri odoris, quod suo odore hominem reficiat, et fœtores arceat, inquit Marinus in *Lexico*. *Copher* ergo, sive cyprus, est fructus arboris cypri, quem S. Hieronymus testatur odoratum esse, et instar efflorescentis uvæ florere, ex quo cyprinum fit oleum, quod cyprum pariter vocant odoratissimum et saluberrimum, teste Plinio, lib. XXIII, cap. IV. Id verius erat ætate Salomonis, cum floreret Judæa rerum omnium præstantia et abundantia : tunc enim erat terra melle et lacte manans, quæ modo cernitur scabrosa, sterilis et lapidosa. Quare cyprus et aliæ arbores aromaticæ, quæ Salomonis arte et cura excultæ præstantes dabant fructus, jam vel exaruerunt, vel a primæva bonitate degenerarunt, uti constat de balsamo, quod olim sola Judæa possidebat, nunc plane ignorat. Salomon enim vineas habebat, cum juxta Jerusalem, tum in Engaddi. Ibi enim erant vineæ, tum vitium, tum cypri, tum balsami præstantissimæ, quas ipse sua industria excolendo, longe præstantiores efficiebat.

Opinio Delrio.

Botrus cypri, uvæ delicatissimæ engaddinæ.

Porro noster Delrio probabiliter per *botros cypri* accipit uvas delicatissimas engaddinas quæ ex vicinis cypri aromaticis arboribus cyprinum saporem contrahebant, eumque exhibebant gustanti : vitium enim et uvarum proprietas est, adsciscere sibi saporem juxta radices crescentium fruticum, vel herbarum, ut experientia constat, et docet Plinius, lib. XV, cap. XVI. Sic ergo botri in Engaddi juxta cypros succrescentes, cypri saporem et odorem sugentes referebant, ideoque in pretio habebantur, sicut hodie in Italia et alibi muscatellini. Hisce ergo botris uvarum odoratissimis et sapidissimis, sponsa sponsum dilectissimum confert. Hæc Delrio.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Ait sponsa : Sicut sponsus meus Christus ob passionem pro me obitam mihi est fasciculus myrrhæ amaræ, sed odoratæ, qui jugiter inter ubera, id est in corde meo commoratur, et ab eo commemoratur : sic pariter idem est quasi botrus cypri, quia ejus ad instar mihi odoratu et gustu suavissimus est. Sicut enim copher, sive cyprus, expiat fœtores odorum, sic Christus sua passione et gratia expiat fœtores scelerum : כופר *copher* enim hebraice idem est quod *expiatio*; unde vertunt nonnulli, *botrus expiationis*, vel *redemptionis iniquitatis*, vel *pretii*, vel *propitiationis*. Hæc omnia enim significat *copher*, *q. d.* Dilectus meus ob passionem mihi est dilectus myrrhæ amaræ; sed hanc amaritiem tegit, expiat et dulcorat fructus redemptionis nostræ per eam ac-

Copher, id est *expiatio*.

quisitæ, qui instar botri cypri mihi jucundissimus et suavissimus est. Nam, ut ait S. Paulus, *Ephes.* cap. II, 4: « Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu : ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem. » Item, *Rom.* cap. III, 24 : « Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore : ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. »

Unde Hortolanus sic explicat, *q. d.* Christus sponsus meus est mihi pro prægrandi botro expiatorio in engaddinis vineis, uvarum miræ magnitudinis feracibus, nato. In regione, inquam, Engaddi, hoc est in *fonte incisionis.* Ea enim est mystici verbi vis, et rei gestæ conveniens interpretatio. Siquidem meus Christus semetipsum antilytrum, et summum dedit quo me redemit pretium. Is ipse clavis et lancea confixus, atque in cruce quasi in torculari expressus prægrandis botrus, velut fons incisus sanguine manat et aqua. Ex quo ego lavacro lustrata emersi expiata, et omni deposita vetustate, instar aquilæ innovata, juvenis et formosa, omni carens peccati macula, omni vetustatis ruga, omni denique vitio emaculata, obque sua ingentia in me merita hanc ego odoratam et efficacem myrrham, hunc botrum expiatorium unice diligo, parentibus, propinquis, amicis, et omnibus meis fortunis, atque adeo mihi ipsi in amore præfero, et cœlum, unde ad me delatum est, summa vi nitor capere : nullos hostes metuens, nulla formidans pericula, ut tu olim Synagoga, mea æmula, habitatores terræ Chanaan, unde miræ magnitudinis botrus ille ad te ab exploratoribus exportatus fuerat, pertimescens, et Deo diffisa, promissas sedes obtinere posse desperasti.

Engaddi, id est *fons incisionis.*

Porro licet Christus dici possit *botrus cypri* in incarnatione, quia tunc ut flos odoratissimus et jucundissimus e radice Jesse, puta ex utero virginali, germinavit et effloruit : unde et *Nazarenus*, id est *floridus*, est nuncupatus. Item in passione, ubi velut botrus in torculari crucis pressus, omnem suum nobis effudit sanguinem. Ita S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, et Justus Orgelitanus qui ait: Engaddi idem est quod *oculus tentationis.* Christus crucifixus ergo est botrus cypri in Engaddi, quia in cruce tentationibus Scribarum et Judæorum est exagitatus. Unde et *Engaddi* ex Hebræo et Syro verti potest, *fons*, vel *oculus incisionis*, aut *scissuræ* : in cruce enim Christi caro concisa fuit.

Engaddi, id est *oculus tentationis.*

Aptius tamen Christus fuit botrus cypri in fructu passionis, puta in resurrectione et gloria, quam sibi nobisque promeruit et obtinuit. Ita Cassiodorus, Beda, Rupertus, Anselmus et S. Bernardus. Unde Honorius Augustodunensis ait Christum fuisse nardum in incarnatione, fasciculum myrrhæ in passione, botrum cypri in resurrectione. Porro *botrus cypri* florum cypri est congeries et condensatio : sicut grana vinacea densantur in botro uvæ ; vocatur tamen hic *botrus* potius quam *flos*, quia botrus significat florum, id est dotum animæ et corporis Christi gloriosi, multitudinem et condensationem, scilicet impassibilitatem, claritatem, agilitatem, subtilitatem, item liberationem patrum e limbo, ascensum in cœlum, missionem Spiritus Sancti, apostolorum prædicationem, conversionem gentium cæteraque Spiritus Sancti charismata, quæ Christus e cœlis in Ecclesiam contulit, confert et conferet usque ad diem judicii, imo in omnem æternitatem. Huic sensui favet interpretatio nominum; nam κύπρος, id est *cyprus*, idem est quod *pulchra*, vel *pulchritudo*. Quid autem pulchrius resurrectione et corpore glorioso? Rursum Engaddi hebraice verti potest *fons*, vel *oculus felicitatis* : quid autem felicius cœlesti beatitudine, in qua beati oculis mentis vident Dei essentiam omneque bonum ?

Cypri in resurrectione.

Cyprus, id est *pulchritudo.*

Engaddi, id est *oculus*, vel *fons felicitatis.*

Porro botrus hic cypri dicitur esse « in vineis Engaddi, » ut significet botrum hunc esse præstantissimum, tum in se, tum in vicinia balsami aliarumque arborum aromaticarum, quarum vis et virtus illi afflabatur, uti notat Origenes, *homil.* 2 ex quatuor, Cassiodorus, Beda, Aponius, S. Bernardus, *serm.* 4, S. Hieronymus *in Ezech.* XXVII.

Balsamum enim, quod omnia aromata suavitate odoris, æque ac salubritate liquoris superat, teste Plinio, nusquam olim, nisi in Engaddi nascebatur : Engaddi enim est urbs et regio juxta Jericho et mare Mortuum, in tribu Juda contra occidentem, gratissimum spirans odorem ex copia arborum odoriferarum, præsertim balsami : unde et *Asasonthamar*, id est urbs palmarum dicta est, quod palmis et balsamis abundet. Ita S. Hieronymus, *Tradit. in Genes.* cap. XIV, et ex eo Adrichomius in *Descriptione Terræ Sanctæ.* Balsamum autem odoratissimum, quod corpora male affecta sanat, et mortua a corruptione præservat, optime denotat resurrectionem Christi, immortalitatem, salutem et gloriam æternam, quam suis electis confert. Unde S. Ambrosius *in Psalm.* CXXVIII, serm. 3 : « Engaddi, inquit, locus est in Judæa, in quo opobalsamum gignitur; si interpretationem quæris, *tentatio* latine significatur. In illis enim vineis lignum est; quod si quis compungat, unguentum emittit : hic fructus est ligni ; si non incidatur lignum, non ita fragrat et redolet; cum autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lacrymam distillat : sicut et Christus in illo tentationis ligno crucifixus, illacrymat populum, ut peccata nostra dilueret, *Hebr.* V, 7, et de visceribus misericordiæ suæ fundebat unguentum, dicens : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt, *Luc.* XXIII, 34. Tunc

Engaddi, quid?

Balsamum engaddinum.

Christus botrus

ergo in ligno compunctus est lancea, et exivit de eo sanguis et aqua, *Joan.* XIX, 34, omni unguento suavior, accepta Deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens, et quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat e corpore. » Et post nonnulla in eamdem sententiam : « Terram movebat, et hærebat in ligno, cœlum obducebat tenebris : mundum crucifigebat, et crucifixus erat : inclinabat caput, et exibat verbum : exinanitus erat, et replebat omnia : descendit Deus, ascendit homo, Verbum caro factum est, *Joan.* I, 14, ut caro sibi Verbi solium in Dei dextera vindicaret, *Joan.* XIX : vulus inflictum erat, et fluebat unguentum : scarabæus audiebatur, et Deus agnoscebatur. »

Balsamum engaddi-tanum, Spiritus Sancti charismata.

Sic et Beda per balsamum, quod nascitur in vineis Engaddi, accipiens charismata Spiritus Sancti : « Et sponsus, ait, in vineis est Engaddi : quia et ipse Dominus in carne apparens, plenus est Spiritu Sancto, et ejus dona credentibus ipse largitur. » Additque Christum esse nardum, fasciculum myrrhæ, et botrum cypri : « quia et prius discumbentem in cœna Dominum mulier devota nardo perfudit; deinde discipuli crucifixum ad sepeliendum myrrha unctum linteis involverunt; et post hæc ipse gaudio resurrectionis mox adveniente spiritalia fidelibus dona distribuit. »

Engaddi, id est *fons hædi*, baptismi symbolum.

Rursum, Engaddi idem est quod *fons hædi* ; unde notat baptismum, quo omnes hædi, id est peccatores et peccata, abluuntur : ita Cassiodorus, Beda, Aponius, Anselmus, Rupertus, Philo Carpathius, et S. Gregorius quem audi : « In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona Sancti Spiritus exprimuntur. Engaddi interpretatur *fons hædi* : hædus autem antiquitus pro peccatis immolabatur. Quid ergo per *fontem hædi,* nisi baptismus Christi figuratur? in quo dum corpus mergitur, anima abluitur, et per illius fidem, qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana a peccatis omnibus mundari se credit. » Et S. Bernardus, *serm.* 44 : « In fide et lenitate sanctum faciet illum, et dabit illi non oleum, sed balsamum in vineis Engaddi. Nec enim dubium ex fonte hædi profluere charismata meliora, cujus utique unctio hædos vertit in agnos, et de sinistra transfert in dexteram peccatores, abundantius quidem ante perfusos unctione misericordiæ, ut ubi abundaverunt delicta, superabundet et gratia. » Et superius post principium sermonis : « Ergo vineas Engaddi dicit plebis Ecclesiæ, quæ habet balsami liquorem, spiritum mansuetudinis, in quo parvulorum adhuc in Christo teneritudinem blande fovet, et dolores pœnitentium consolatur. Sed si quis frater in aliquo delicto præoccupatus fuerit, vir ecclesiasticus, qui hunc spiritum jam accepit, curabit hujusmodi mox instruere in eodem spiritu lenitatis, considerans seipsum, ne et ipse tentetur. In hoc typo quotquot baptizandi sunt, etiam corporaliter Ecclesia oleo materiali ungere consuevit. »

SECUNDUS SENSUS PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Primo, botrus cypri est Eucharistia.

Christus animæ sanctæ *botrus cypri* est in meditatione et imitatione passionis et resurrectionis ejus, ac præcipue in sumptione S. Eucharistiæ, quæ est memoriale passionis ejus. In ea enim bibitur sanguis Christi sub specie vini. Unde Zacharias IX, 27, Eucharistiam vocat « frumentum electorum, et vinum germinans virgines. » Ipsa ergo similis botro cypri : *primo,* quia continet sanguinem Christi, velut botrum expressum in torculari crucis ; *secundo,* quia ipsa est esca suavissima, quæ animam cœlestibus deliciis, gratiis et gaudiis inebriat; *tertio,* quia per ipsam resurgemus ad vitam beatam et immortalem, uti Christus ait, *Joan.* VI, 55. Audi S. Bernardum, *serm.* 44 : « Si dilectus in myrrha, multo magis in botri suavitate. Ergo Dominus meus Jesus myrrha mihi in morte, botrus in resurrectione, seipsum mihi saluberrimum temperavit in potum, in lacrymis, in mensura. Mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram, *Rom.* IV, 25, ut peccatis mortui justitiæ vivamus. Itaque tu, si peccata luxisti, bibisti amaritudinem : si autem jam respirasti in spem vitæ vita sanctiori, mutata est tibi myrrhæ amaritudo in vinum, quod lætificat cor hominis, » *Psalm.* CIII, 15.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Secundo, est fervor et zelus.

Secundo, idem S. Bernardus, per *botrum cypri* accipiens vinum optimum, quod nascitur in Cypro insula, per illud accipit fervorem et zelum justitiæ : « Etenim, inquit, si amas Dominum Jesum toto corde, tota anima, tota virtute tua, numquid si videris ejus injurias contemptumque, ferre ullatenus æquo animo poteris? minime : sed mox arreptus spiritu judicii, et spiritu ardoris, et tanquam potens crapulatus a vino, repletus zelo Phinees, dices cum David : Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei; et cum Domino : Zelus domus tuæ comedit me. Vinum est ergo fervidissimus zelus iste, expressum de botro cypri, et calix inebrians Christi amor. » Et post nonnulla : « Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi, hoc est, zelus justitiæ amor dilecti mei mihi in affectibus pietatis. »

Tertio, Christus botrus est incipientibus.

Tertio, Nyssenus, Origenes, Theodoretus et Philo, qui per *botrum cypri* accipiunt botrum florentem, necdum uvas producentem, per eum intelligunt Christum, qui incipientibus exhibet suavitatem quamdam odoris, quo proficiant, ut jam maturis præbeat vinum amoris et fervoris. Audi Nyssenum, *homil.* 3 : « Qui natus est puer Jesus in iis qui ipsum susceperunt, diverse proficit sapientia et ætate et gratia; non est idem in omnibus, sed pro modo ejus in quo est, quatenus is qui ipsum capit, est idoneus, talis apparet aut infans, aut proficiens, aut perfectus convenienter botri naturæ, qui non semper cernitur in vite in eadem for-

ma, sed formam mutat cum tempore florens, perfectus, maturus, vinum factus. Profitetur ergo vinea fructui suo, quod nondum sit matura et tempestiva ad vinum, sed exspectat plenitudinem temporum; non tamen tanquam omnino expers fruendarum deliciarum. Per florem namque certam significat spem de futura gratia : certa autem spes de gratia est fruitio iis qui per patientiam exspectant. » Idque « in vineis Engaddi, » hoc est, in loco pingui ubi vites altas radices agunt, hoc est in profunda cogitatione et meditatione, quæ succum pietatis animæ subministrat, quo crescat, et ex flore in fructum virtutis et charitatis transeat. Audi et Origenem, *homil.* 2 ex quatuor : « Verbum divinum, in quibus vera vitis efficitur, haud repente maturos botros producit et dulces; nec repente ex eis efficitur vinum suave et lætificans cor hominis, sed primo producit suavitatem tantummodo odoris in florem. Botrus vero hic florens esse memoratur in vineis Engaddi, quod interpretatur *oculus tentationis*, ut gratia fragrantiæ ipsius immittatur in initiis animæ, ut post hæc pati possit acerbitatem tribulationum et tentationum, quæ propter verbum Dei credentibus excitantur, et ita demum maturitatis ejus dulcedinem præbet. » Unde addit Origenes florem cypri habere vim calefaciendi. Christum ergo iis esse botrum cypri, quos charitatis igne succendit : hi in Engaddi, id est in *fonte tentationis* non succumbunt, sed eam fortiter superant. Hinc Philo Carpathius per *botrum* accipit ipsos Christi fideles ; « Botrus, inquit, dum maturat, voluptatem affert intuentibus : sic qui cœperunt in Christum credere, nondum tamen maturos fructus capientes, botro florenti comparantur; cum vero jam maturum botrum degustant, veram Christi fidem charitatemque induti, perfecti esse incipiunt, et sponsæ nomine appellantur. »

Quarto, Christus est botrus pœnitentibus.

Quarto, Aponius, cyprum interpretans *tristitiam* et *mœrorem*, asserit Christum esse botrum cypri peccatoribus, dum iis injicit spiritum compunctionis et dolorem de peccatis, ut eos evehat ad beatitudinem lugentibus promissam, *Matth.* v, 5 : « Beati, inquit, qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur. » Hi enim sunt in Engaddi, id est in *fonte hædi*, quia fonte lacrymarum eluunt hædos fœtentes criminum.

Tropologice.

Tropologice, in Engaddi, id est in *fonte tentationis*, invenitur botrus cypri, id est Christus, quia in tentatione et tribulatione floret et exuberat Christi gratia et consolatio, cujus odore et robore anima tribulationibus afflicta mire recreatur et roboratur, juxta illud Psaltis : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, » *Psalm.* xciii, 19. Ita Theodoretus : « In tentationibus constituta, inquit, et a multis oppugnata, inquit illa : Tuam sentio suavitatem. » Ubi ergo tentamur ab hoste, ibi lætificabimur a Christo; ubi divina tentatio, ibi divina consolatio; ubi crux; ibi refrigerium. Hoc enim Christus suis asseclis promisit et promeruit. Unde Paulus : « Sicut, inquit, abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundat consolatio nostra, » II *Corinth.* 1, 5. Hinc « gloriamur in tribulationibus, » ait idem, *Rom.* v, 3, easque appetimus et ambimus, quia scimus in iis manna reconditum latere, plus mellis divini, quam fellis humani.

TERTIUS SENSUS PRINCIPALIS;

De Christo et B. Virgine.

Christus in cruce B. Virgini fuit fasciculus myrrhæ; in resurrectione vero botrus cypri, cum ei primo apparens omnem passionis mœrorem abstersit, eumque in gaudium exsultationis convertit. Ita Rupertus : « Igitur, inquit, dilectus meus mihi et fasciculus myrrhæ, quia moriturus; et botrus cypri erat, quia resurrecturus, et ultra non moritur. Botrus, inquam, cypri, videlicet terræ vel insulæ, botros prædulces, vinumque optimum afferentis; quia non qualecumque, sed optimum est vinum resurrectionis, et hoc in vineis Engaddi, id est *fontis hædi* : hoc enim interpretatur Engaddi. » Causam subjicit : « Cur ergo ita dixerim? Idcirco nimirum, quia meus iste dilectus non justos, sed peccatores vocare venit, ut resurgant in resurrectione prima, qui fuerant per peccatum mortui; et hoc in fonte hædi, in fonte baptismi, in lavacro regenerationis, quo regenerati; fiunt oves, qui fuerant hædi; fiunt sancti, qui fuerant peccatis obnoxii. »

VOX SPONSI.

VERS. 14. ECCE TU PULCHRA ES, AMICA MEA, ECCE TU PULCHRA ES, OCULI TUI COLUMBARUM.

ECCE TU PULCHRA ES, AMICA MEA, ECCE TU PULCHRA ES. — Septuaginta, *ecce es speciosa, proxima* (Symmachus, *sodalis*) *mea, ecce es speciosa*; S. Ambrosius, *bona*. Chaldæus : « Quando faciebant filii Israel voluntatem regis sui, ipse in verbo suo laudabat eos in consistorio angelorum sanctorum, et dicebat : Quam pulchra sunt opera tua, filia mea! Dilecta mea congregatio Israel in tempore, quo facis voluntatem meam, et laboras in verbis legis meæ. »

Quoad seriem dramatis, sponsus in accubitu suo mensali ingredientem ad se sponsam contemplans, et nardi ejus suaveolentiam sentiens, ac deinde discedens, sed post parietem auscultans, et audiens illam apud suas socias adeo commendare sponsum, dicendo : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi, » sese continere non potuit, quin ad illam regressus illi vices amoris rependeret, ejusque pulchritudinem dilaudaret. Admirans ergo eam iterato ait : « Ecce tu pulchra es, amica mea,

ecce tu pulchra es, » qua geminatione, æque ac adverbio demonstrandi *ecce*, eximiam et admirabilem ejus esse pulchritudinem significat. Sicut enim sponsa geminam sponsi pulchritudinem celebrarat, puta passionem in *fasciculo myrrhæ*, et resurrectionem in *botro cypri* : sic vicissim sponsus geminam sponsæ pulchritudinem regerit et rependit. Ita Theodoretus.

Feminæ dos pulchritudo.

Porro propria feminarum et sponsarum dos est pulchritudo : unde ipsæ adeo sunt philocosmæ et avidæ ornatus. Hinc Anacreon poeta : « Natura, inquit, dedit tauro cornua, equo ungulas, lepori velocitatem, leoni rictum dentium, natare piscibus, volare avibus, viris prudentiam. Quid feminis? formositas pro parmis et lanceis est,

Ut ferrum et ignis percutit,
Quæ vultu pulchro fulminat.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Duplex Ecclesiæ pulchritudo.

Christus dilaudat Ecclesiæ pulchritudinem, eamque iterando, duplicem, imo multiplicem esse significat, scilicet internam, et externam quæ ex interna dimanat : internam sitam esse in fasciculo myrrhæ, et botro cypri, id est in jugi meditatione et imitatione passionis et resurrectionis Christi; externam vero in nardo, id est in humilitate et modestia exteriori, quæ omnibus gratum suum odorem aspirat, juxta illud *Psal.* XLIV, 14 : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. » Ita Cassiodorus, Beda et Philo Carpathius, qui internum sanctitatis decorem collocant in pura sanctaque conscientia, externum in honesta et sancta conversatione. Vera enim pulchritudo sita est in interno decore, a quo externus dimanat; alioquin exterior et ascititius, fucus est, non decor.

Causam amoris addit, dicens, *amica mea;* Septuaginta, *proxima mea;* Symmachus, *sodalis mea;* Hebræa רעיתי *raiati*, id est *commensalis mea*, quæ mecum vivis, et in mensa mea pasceris. Plato, dialog. *De Amore*, docet pulchritudinem esse gratiam et venustatem, quæ intuentium oculos animosque ad sui amorem alliciat, indeque græce vocari καλόν, quod omnes ad se καλεῖ, id est vocet et invitet. Hoc apud homines verum est, ibi enim pulchritudo est causa amoris; at non apud Deum : ibi enim vice versa amor et amicitia est causa pulchritudinis. Deus enim amat homines, non quia pulchri sunt; sed amando eos facit pulchros, ut amore suo digni sint. Amor enim Dei est principium et causa omnis boni et pulchri. Deus enim est ipsa essentialis, immensa et incomprehensibilis pulchritudo; ac quia illa redundat, hinc ex immensa bonitate eam in homines et creaturas cæteras effundit, eoque magis, quo magis sibi vicinæ et propinquæ sunt : qui ergo prope accedunt ad Deum, hi prope ejus pulchritudinem participant; et qui propius, hi magis; et qui proxime, hi maxime. Anima enim similis est speculo : quod si rebus pulchris approximet, pulchram in se speciem formamque suscipit; si vero deformibus, deformem. Ita Psellus apud Theodoretum quem audi : « Quoniam expulso a tergo vitio, expurgata a Verbo anima, solis circulum in se suscepit, et simul reluxit cum luce, quæ in ipsa apparuit, propterea ei dicit Verbum : Pulchra facta es, quæ meæ luci appropinquasti, per appropinquationem attrahens dispensationem pulchritudinis. Ecce es, inquit, pulchra, propinqua mea. Deinde cum se cohibuisset, et eam veluti in quadam accessione contemplatus esset pulchritudinis, rursus eamdem repetit orationem : Ecce tu pulchra es; sed prius quidem eam nominavit propinquam, hic autem eam, quæ cognoscitur ex specie oculorum : Oculi enim tui columbæ. » Huc accedit S. Ambrosius *in Psal.* CXVIII, serm. 3 : « Quoniam inquit, cognoverat Ecclesia mysterium, et pro totius mundi redemptione crucifixum Dominum Jesum prædicabat, meretur audire : Ecce es bona, quæ me bonum dicis; et ipsa bona es quæ vidisti gloriæ meæ decorem, et ipsa speciosa es et decora. Quid est Christum dicere : Bona es, decora es, nisi illud Evangelicum : Constans esto, filia, remissa sunt tibi peccata tua? » Jam sponsa sponsum velut fasciculum myrrhæ collocarat inter ubera, id est in corde suo : ab illius ergo decore decora, ab illius fulgore fulgida effecta est.

Anagogice, duplex pulchritudo Ecclesiæ est : *prima*, in præsenti vita per gratiam : gratia enim est ipsa venustas animæ, quia facit eam divinæ consortem naturæ, parem angelis, similem Christo, amicam et filiam Dei. Gratia enim est summa participatio Dei, ejusque sanctitatis et decoris immensi. *Secunda*, in futura vita per gloriam : hæc enim est pulchritudo non viatorum, sed beatorum et angelorum. Ita Origenes, *hom.* 3 ex 4 : « Speciosa, ait, est hæc Ecclesia, cum proxima est Christo, et cum imitatur Christum. Quod vero iteravit : Ecce es speciosa, potest ad futurum sæculum pertinere, ubi jam non solum imitatione, sed ipsa sui perfectione formosa est et speciosa, et ibi dicat esse oculos ejus columbæ. » Vere S. Augustinus, Præfat. *in Psal.* XLIV : « Summa pulchritudo, inquit, est justitia, » quia sicut pulchritudo corporis est justa inter se membrorum omnium proportio et harmonia, cum quadam coloris suavitate : sic animæ pulchritudo est justitia, quæ omnibus animæ viribus corporisque membris id quod suum est, assignat, itaque per omnia hominem compositum decorumque efficit, uti patuit in justitia originali, quam habuit Adam ante peccatum, et magis in justitia Christi ac B. Virginis. Et Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.* cap. XI : « Pulchritudo optima, inquit est pulchritudo

Anagogice. Duplex pulchritudo Ecclesiæ.

Amor Dei est causa omnis boni et pulchri.

animæ, cum fuerit ornata Spiritu Sancto, et his quæ ab eo oriuntur, inspirata lætitiis, justitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore, et pudore, quo nullus color nitidior unquam visus est. » Et B. Isidorus Pelusiota, lib. III, epist. 131 *ad Lampetium Episcopum*, ubi inter alia sic habet : « Ut corporeæ pulchritudinis norma, membrorum apta proportio est : ita etiam extrema spiritualis pulchritudinis linea, in virtutum mediocritate consistit, » etc.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Duplex item animæ pulchritudo. Primo.

Præter jam dicta, *primo*, S. Gregorius duplicem animæ pulchritudinem assignat, duplicem charitatem, Dei scilicet et proximi : « Bis pulchram, inquit, sponsus sponsam vocat : quia cui dilectionem Dei et proximi donat, geminam pulchritudinem ei inserit, qua delectatur, et quam laudat. »

Secundo.

Secundo, pulchra est anima dupliciter, *primo*, in actione; *secundo*, in contemplatione : ita tres Patres apud Theodoretum.

Tertio.

Tertio, pulcher est justus dupliciter *primo*, pulchritudine et sanctitate animæ; *secundo*, corporis, juxta illud de virgine : « Ut sit sancta corpore, et spiritu, » I *Cor.* VII, 34 : ita Justus et Anselmus.

Quarto.

Quarto, S. Bernardus, *serm.* 45, duplicem pulchritudinem interpretatur, pœnitentiam et humilitatem, per quam innocentia amissa recuperatur. Censet enim S. Bernardus sponsam a sponso in accubitu suo residentem de defectibus fuisse reprehensam, sed eum placasse sua nardo, id est humilitate humilique confessione, unde ab eo hic sponsæ pulchritudinem celebrari. « Etenim præsumptionem, inquit, correptio, correptionem emendatio, emendationem remuneratio secuta est. Adest dilectus, amovetur magister, rex disparet, dignitas exuitur, reverentia ponitur. Cedit quippe fastus, ubi invalescit affectus. Et sicut quondam quasi amicus ad amicum Moyses loquebatur, et Dominus respondebat : ita et nunc inter Verbum et animam, ac si inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur confabulatio. » Et post nonnulla : « Decor animæ humilitas est. Non a meipso hoc dico, cum Propheta prior dixerit : Asperges me hyssopo, et mundabor, *Psalm.* L, 9 : humili herba et pectoris purgativa, humilitatem significans. Hac se post gravem lapsum rex et propheta lavari confidit, et sic niveum quemdam innocentiæ recuperare candorem. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Duplex B. Virginis pulchritudo.

S. Bernardus duplicem pulchritudinem B. Virgini assignat, summam innocentiam et summam humilitatem. Post verba enim jam citata subdit : « Verum in eo qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, et nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, et humilitate non caruit; et ideo concupivit rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ sociavit. Denique respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, *Luc.* I, 48. Ergo beati, qui custodiunt vestimenta sua munda, videlicet simplicitatis et innocentiæ; si tamen et decorem induere humilitatis adjiciant. Profecto audiet quæ hujusmodi invenitur : Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra. »

Rursum, Rupertus geminam pulchritudinem B. Virginis interpretatur, virginitatem et maternitatem Dei. Vide dicta *Proverb.* XXXI, 25, ad illa : « Fortitudo et decor indumentum ejus. »

Denique Hugo Victorinus in serm. *De Assumpt.*, qui exstat sub finem tom. II, duplicem Virginis pulchritudinem accipit, virginitatem et humilitatem : « O qualis, ait, societas, totus pulcher totam pulchram sibi sociat. Ego totus pulcher, et tu tota pulchra. Ego per naturam, et tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum est, in me est. Tu tota pulchra, quia nihil quod turpe est, in te est. Pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te facit integritas virginitatis : in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota ergo pulchra es, corpore nivea, mente sincera. » Et nonnullis interjectis : « Nec alia talem decebat, nec alius tali inveniri poterat. O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa Altissimi, mater Dei, sponsa Regis æterni. »

OCULI TUI COLUMBARUM.

Columbæ symbolum sunt amoris, fidei et castitatis conjugalis; nam in columbariis mas suæ columbæ soli applaudit, nec aliam quærit. Unde Poeta :

> Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
> Masculus et totum femina conjugium.

PRIMUS SENSUS

TOTALIS,

De Christo et Ecclesia.

Pulchritudo hominis maxime cernitur in facie et oculis; in oculis enim relucent cor et anima, omnesque animæ affectus. Unde S. Augustinus in *Psalm.* XLI : « Oculi, ait, membra carnis sunt et fenestræ mentis. » Et Cicero, lib. III *De Orat.* : « Imago animi vultus est, indices autem oculi. » Sponsæ ergo decorem sponsus maxime ab oculis dilaudat, quod eos habeat non vulpinos,

non lupinos, non vulturinos, id est non obliquos, fraudulentos, et simulatos, non invidos et rapaces, non gyrovagos spectantes ad prædam; sed columbinos, id est, *primo*, simplices, candidos, ingenuos; *secundo*, pudicos, ita Origenes; *tertio*, rectos, columbæ enim non oblique aspiciunt, sed recta; *quarto*, amantes et amabiles, columbæ enim non torve intuentur, sed blande et amanter; *quinto*, placidos et mansuetos: ita Beda: « Oculi, inquit, tui columbarum, id est, oculi cordis tui simplices et mundi, atque ab omni duplicitate fallendi ac simulandi prorsus immunes. Item oculi tui columbarum, quia sensus tui spiritali sunt intellectu prædi ti. Item oculos columbarum habet amica Christi, quia omnis quæ illum veraciter intus amat, nullo exterarum rerum appetitu milvorum more accenditur, nulli viventium adversum quid inferre meditatur : quod columbinæ fertur esse mansuetudinis, quæ cuncta quæ occurrunt simplici, miti et humili corde contemplatur. » Et S. Bernardus, *serm.* 45 : « Oculi tui columbarum. Jam, inquit, non ambulas in magnis, neque in mirabilibus super te : sed instar simplicissimæ volucris contenta es simplicioribus, nidificans in foraminibus petræ, meis vulneribus immorans, et libenter ea quæ sunt de me duntaxat, incarnato et passo, oculo intuens columbino. » Septuaginta vertunt, *oculi tui* περιστεραί, id est *columbæ*, in nominativo plurali, *q. d.* Oculi tui adeo belli, candidi, amabiles sunt, ut non tam columbini, quam columbæ ipsæ esse videantur : columbas ergo geris in oculis, quia quidquid pulchrum et amabile est in columbis, hoc oculis tuis exhibes et repræsentas, quale est *primo*, modestia et pudicitia; *secundo*, quod in amore pro cantu gemit; *tertio*, quod putrida, sordida et fœtentia fugit; *quarto*, quod in petris sibi nidos construit; *quinto*, quod gaudet aquis, residetque juxta flumina. Audi S. Gregorium : « Cujus (sponsæ) oculi bene columbarum esse perhibentur; quia dum in temporalibus gemit, et ad æterna desideria rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, et carnales concupiscentias detestatur. Columba quippe in amore pro cantu gemit. Et bene sancta anima columbæ comparatur : quia dum reprobi quique in amore mundi garriunt et lætantur, mens electa in cœlesti desiderio atteritur, quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur. » Subdit deinde : « Possunt etiam per oculos columbarum Ecclesiarum prædicatores intelligi, qui simplicitatem, quam prædicant, servant, et visibilia contemnentes, ad æterna cum magnis gemitibus anhelant. » Et Psellus apud Theodoretum : « Jucundis, ait, oculis es prædita columbæ virginis, cum oculos tuos ab errore averteris, et eos in me Creatorem tuum intenderis. Columbæ autem oculos memorat, ut purum virginis obtutum significet. Tam mundos enim oculos habet, ut puriter pulcherrimum sponsum aspiciat. »

Oculi columbæ dotes quinque.

Quinque dotes columbæ.

Symbolice, Hugo, lib. I *De Institut. monastic.* cap. III, per *duos oculos columbæ* accipit memoriam et intellectum : « Duos, inquit, habet oculos, dextrum et sinistrum, memoriam et intellectum : in hoc futura providet, in illo transacta deflet. Hos oculos clauserunt in Ægypto patres nostri, quoniam non intellexerunt opera Dei, nec fuerunt memores multitudinis misericordiæ ejus. »

Symbolice, duo oculi columbæ, memoria et intellectus.

Anagogice, Origenes per *duos oculos* accipit Filium et Spiritum Sanctum, quos anima videbit in cœlo, eaque visione beabitur : « In futuro sæculo, inquit, ubi anima jam non solum imitatione, sed et ipsa sui perfectione formosa est, dicit esse oculos ejus columbas, ut duorum oculorum columbæ duæ intelligantur esse Filius Dei et Spiritus Sanctus. »

Anagogice, Filius et Spiritus Sanctus.

Mystice, S. Gregorius, Anselmus et alii per *oculos*, Ecclesiæ accipiunt doctores et prædicatores, quibus septem columbæ dotes, id est, septem dona Spiritus Sancti, adaptat Honorius Augustodunensis : « Columba quippe, ait, in petra nidificat, alienos pullos nutrit, pura grana eligit, fellecaret, rostro non lædit, juxta fluenta habitat, gregatim volat. Sic Ecclesia in petra, id est Christo, fide et opere ædificat; alienos a verbo Dei, verbo et exemplo nutrit, puras sententias de libris gentilium vel hæreticorum eligit, malitia invidiæ caret, neminem detrahendo lædit, juxta fluenta Scripturarum habitat, ut raptus accipitrum, id est dæmonum evadat, multos secum trahere ad gaudia laborat. » Hæc deinde adaptat prophetis et apostolis : « Unius columbæ, id est Ecclesiæ, ante adventum Christi, oculi prophetæ fuerunt, qui ei æternum lumen Christum præviderunt : unde et *videntes* dicebantur. Alterius columbæ, scilicet Ecclesiæ post Christi adventum, de eodem populo oculi apostoli exstiterunt, qui eam ad verum lumen Christum perduxerunt. Dicit ergo sponsus : O amica mea, cui omnia secreta Patris mei patefeci, quia te nardo carnis meæ sanavi, myrrha mortis meæ redemi, botro resurrectionis inebriavi, ecce in præsentia mea tu es pulchra in fide, ecce coram hominibus tu pulchra es in operatione; quia oculi tui, id est provisores tui, sunt simplices sicut oculi columbarum, scilicet et prophetæ et apostoli doctores Ecclesiæ. Oculi enim ducunt hominem, ne in lapidem offendat : ita doctores ducunt Ecclesiam ad vitam, ne in legem Dei in lapide scriptam offendat. »

Mystice, doctores.

Septem dotes columbæ assignantur prædicatoribus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Columba symbolum est innocentiæ, ideoque Sancti vocantur *columbæ*, ait S. Basilius in *Psalm.* XXVIII. Unde S. Chrysostomus, hom. 4 *De patientia Job* : « Vir, inquit, erat in terra Hus nomine Job; columba in medio accipitrum, ovis in medio luporum, stella in medio nubium, lilium in medio spinarum, et justitiæ germen in oppido ini-

Columba, innocentiæ symbolum.

Genius est intentio recta.

quitatis. » Oculi autem columbæ maxime denotant intentionem sinceram et rectam animæ sanctæ : columba enim rectum habet intuitum, ut dixi, non obliquum. Oculus enim, *primo*, intendit in id ad quod deinde dirigit manus et pedes, ut eodem tendant ; oculi vero columbæ totæ defiguntur in id quod aspiciunt : sic anima sancta, *primo*, tota intendit in Deum ut finem, ac deinde ad illum omnes gressus et actiones dirigit. *Secundo*, sicut oculus intendens in rem aliquam, ejus speciem in se suscipit, illique assimilatur : sic anima intendens in Deum, illius formam imbibit, fitque divina, et quasi deus terrestris. *Tertio*, sicut oculus immediate aspicit rem quam intendit, nec medium ullum admittit : sic anima, intendens Deum, illum unum spectare debet, non commoda, non honores, nec quid aliud intermedium : quidquid enim medium est, impedit intuitum et intentionem in Deum. *Quarto*, sicut oculus plures res simul aspicere potest lateraliter vel circulariter dispositas : sic anima in opere suo plures potest intendere virtutum fines, ut v. g. dicat : Volo orare, jejunare, studere, eleemosynam dare, ut satisfaciam pro peccatis meis Deo : qui est actus pœnitentiæ ; item ut placeam Deo amori meo : qui est actus charitatis ; insuper ut honorem Deum : qui est actus religionis ; ad hæc, ut proximi egestati succurram : qui est actus misericordiæ, etc. Et quo plures virtutum fines intendit, eo opus est melius magisque meritorium : quia hic actus, licet ut elicitus, sit unus, tamen, ut imperatus, est multiplex, quia a tot virtutibus quot in eo sunt intentiones, imperatur. Hoc est quod ait Christus : « Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, » *Luc.* XI, 34. Intentio enim primariam bonitatem dat operi, adeoque si opus ex se sit indifferens, intentio bona efficiet illud bonum, sibique simile. Et Zacharias, cap. IX, 1 : « Domini est oculus hominis, et omnium tribuum Israel, » *q. d.* Dominus est objectum, in quod intendit oculus et intentio omnium eorum qui veri sunt Israelitæ, id est servi et cultores Dei.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Huc facit versio Chaldæi, *et quam recta sunt opera tua, et occupationes tuæ sicut pullorum columbæ, qui mundi sunt, ut offerantur super altari meo.* Intentio enim placendi Deo, eumque colendi et honorandi in quolibet opere, illud offert Deo, illique facit quasi holocaustum. Hinc notatur per *oculos columbæ* : columba enim erat victima, quam sibi in holocaustum depoposcit Deus, *Levit.* cap. I. Quin et Syri columbas albas tangere, necare et edere non audebant, sed religiose colebant in honorem Semiramidis primæ Assyriorum reginæ, in quam eam post mortem commutatam esse fabulabantur. Unde Tibullus, lib. I, *eleg.* 4 :

Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

Vide Eusebium, lib. VIII *De Præparat.* cap. VII.

Ita hunc locum explicat S. Gregorius Nyssenus, *hom.* 4 : « Anima, inquit, liberata a corporali (carnali) affectione habet speciem columbæ in oculis, hoc est, characterem vitæ spiritualis, etc. Sic quoniam purus factus est animæ oculus, capax est characteris columbæ et Spiritus Sancti ; propterea in eam cadit, ut contempletur sponsi pulchritudinem. Nunc enim primum in sponsi formam intendit oculos, quoniam sponsum habebat in oculis. Nemo enim potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto, » I *Cor.* XII, 3.

Huc accedunt Cassiodorus, Origenes, Beda, Theodoretus, Philo Carpathius et S. Bernardus, *serm.* 45, qui per *oculos columbæ* accipiunt intuitum spiritualium, quo scilicet anima in res non carnales, sed spirituales aspicit, easque appetit et intendit. Porro Nyssenus, *hom.* 4, docet oculos columbæ esse pellucidos, et habere vim speculi, adeo ut quis intuentium vultus in iis valeat contemplari : sic et animam sanctam, virtutum in quas intendet, formam et speciem in se suscipere : quare cum intendit mansuetudini, simplicitati, puritati, paci, modestiæ, etc., earum characterem et notam menti imprimere, ideoque illam reipsa effici mansuetam, simplicem, puram, pacificam, modestam, etc. Idem est de vitiis.

Oculus columbæ, consideratio rerum spiritualium.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Columba index est Spiritus Sancti. Oculi columbæ ergo notant septem dona Spiritus Sancti, id est plenitudinem gratiarum, qua omnes homines et angelos præcelluit B. Virgo. « Nec est, inquit Rupertus, novum ut ipsa septem dona dicantur oculi ; nam et apud Zachariam prophetam ipsamet significantur per septem oculos, qui sunt in uno lapide Christo. Isti oculi mei sunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum. Omnium gratiarum tu facta es particeps, ex quo me castis visceribus suscepisti, super quem requiescunt omnia prædicta Spiritus Sancti dona, ut dicitur apud Isaiam, et in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. »

VOX SPONSÆ.

VERS. 15. ECCE TU PULCHER ES, DILECTE MI, ET DECORUS. LECTULUS NOSTER FLORIDUS.

ECCE TU PULCHER ES, DILECTE MI, ET DECORUS. — Chaldæus, *quam pulchra est majestas sanctitatis tuæ : quoniam in tempore, quo tu habitas inter nos, suscipit voluntarie orationes nostras.*

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Est quasi carmen amœbeum, in quo laus est Alterius

contendunt sponsus et sponsa.

alterna et reciproca, qualis est inter amantes. Laudarat sponsus sponsæ pulchritudinem; nunc ipsa modeste, verecunde et reverenter laudem omnem in sponsum reciprocat et reflectit, ac ab eo se omnem suam pulchritudinem, hoc est, remissionem peccatorum, justitiam, gratiam, puritatem, bene operandi merendique efficaciam accepisse profitetur, *q. d.* ait Hortolanus : Laudes meas eximias a te, o sponse, cum rubore audio; sed ego te solum illis maxime dignum judico : si quid enim in me est pulchritudinis et justitiæ (quod sentio quam sit exiguum), gratuitum donum est, et ab inexhausto pulchritudinis et justitiæ, ac bonitatis tuæ fonte in me deductum atque collatum. Tu namque per te solus pulcher es, et nunc maxime resumpto immortali corpore decorus et egregius; imo vero ipsummet es pulchrum, extra aleam pulchrorum omnium positum, paternæ gloriæ refulgentia et substantiæ expressa idea, cujus participatione quæcumque pulchra sunt, pulchro potius similia, quam pulchra dicenda esse videantur. Sic et S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Justus, Anselmus, Rupertus, qui Christum aiunt pulchrum in divinitate, decorum in humanitate. Et S. Bernardus, *serm.* 45, eumdem pulchrum ait in natura, decorum in gratia : « Quam pulcher es angelis tuis, inquit, Domine Jesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Patris, et quidem perpetuus, minimeque fucatus candor vitæ æternæ! Quam mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui hujus positione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit. Quam clara mihi oriris stella ex Jacob, *Num.* XXIV, 17, quam lucidus flos de radice Jesse egrederis, *Isai.* XI, 10, quam jucundum lumen in tenebris visitasti me oriens ex alto! Quam spectabilis et stupendus etiam in virtutibus supernis in conceptu de Spiritu, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum! Quam denique rutilans post occasum, Sol justitiæ, de corde terræ resurgis, quam formosus in stola tua demum, Rex gloriæ, in alta cœlorum te recipis! Quomodo non pro his omnibus omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?»

Christus pulcherrimus.

Præclare S. Augustinus, Præfat. in *Psalm.* XLIV : « Nobis, inquit, jam credentibus ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in utero virginis, ubi non amisit divinitatem, et sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, quia et cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cœli locuti sunt, angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria mansuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in cœlo, pulcher in intellectu. »

Christus speciosus forma præ filiis hominum.

Denique Christus tam anima quam corpore fuit pulcherrimus, utpote formato a Spiritu Sancto, juxta illud : « Speciosus forma præ filiis hominum, » *Psalm.* XLIV, 3. Hinc in vultu Christi aliquid sidereum, imo majestas divinitatis radiabat, ut docet S. Hieronymus in *Matth.* cap. IX. Sapienter Tertullianus, lib. *De Cultu feminar.* cap. II : « Accusandus, inquit, decor non est, ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis urbana. » Unde et Nyssenus, *Orat. Catech.* cap. VI, ait hominem a Deo creatum vultu et specie formosum, ut imaginem exemplaris pulchritudinis, puta Dei pulcherrimi. Verum vera pulchritudo longe magis in animo, quam in corpore consistit. Nam, ut ait S. Augustinus, tract. 32 *in Joannem* : « Sicut anima facit decus in corpore, sic Deus in anima. » Et mox : « Decus ergo corporis animus, decus animi Deus. Ennodius in *Vita S. Epiphanii Ticinensis Episcopi* : « Formositas, ait, in ipso lucis corporeæ, index animi fuit. » Et mox subdit sacerdotem talem esse debere : « Ut lucem membrorum fulgor exsuperet. » Quin et Seneca, *epist.* 60 : « Virtus, inquit, magnum decus est, et suum corpus consecrat. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

S. Gregorius Nyssenus sic explicat, *q. d.* « Ecce pulcher es, patruelis meus et formosus. Ex quo enim mihi nihil aliud esse videtur pulchrum, sed aversata sum omnia quæ ante reputabantur in bonis pulchris; non amplius mihi aberrat de bono judicium, ut aliquid aliud existimem præter te esse honum et pulchrum, non ullum honorem humanum, non gloriam, non splendorem mundanum, non potentiam : hæc enim iis, qui aspiciunt ad sensum, boni quidem specie sunt illinita, sed non sunt id quod putantur. Quomodo enim fuerit pulchrum, quod nullo modo consistit? Nam quod in hoc mundo est honoratum, suam habet essentiam in sola existimatione eorum qui esse existimant. Tu autem vere pulcher, non solum pulcher, sed ipsa pulchri essentia, semper talis es, omnino id quod es, nec in tempore florens, nec in tempore rursus florem abjiciens, sed cum vitæ æternitate simul extendens speciem ac decorem, cui nomen fuit benignitas ac charitas in homines. »

Et S. Bernardus, *serm.* 45, docet hic describi quomodo Verbum Dei, puta Christus, et anima in mente spiritualiter colloquantur et dissuaviantur : « Et Verbi quidem lingua, inquit, favor dignationis ejus; animæ vero, devotionis fervor, etc. Verbo igitur dicere animæ : Pulchra es, et appellare

amicam; infundere est unde et amet, et se præsumat amari. Ipsi vero Verbum vicissim nominare dilectum, et fateri pulchrum; quod amat et quod amatur, sine fictione et fraude adscribere illi, et mirari dignationem, et stupere ad gratiam. Siquidem pulchritudo illius dilectio ejus; et ideo major, quia præveniens. Medullis proinde cordis, et intimarum vocibus affectionum tanto amplius atque ardentius clamitat sibi diligendum, quanto id prius sensit diligens quam dilectum. Itaque locutio Verbi infusio doni, responsio animæ cum gratiarum actione admiratio. Et idcirco plus diligit, quod se sentit in diligendo victam; et ideo plus miratur, quod præventam agnoscit. Unde non contenta est semel dicere *pulchrum*, nisi repetat et *decorum*, eminentiam decoris illa repetitione designans. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Colloquium B. Virginis et Christi.

Beata Virgo, uti præ cæteris notat mysterium divinitatis et incarnationis Verbi in se peractum, ita præ aliis Christi Dei et hominis pulchritudinem admirabatur; unde illam cum Christo ita dissuaviantem Rupertus inducit : « Ille veraciter in me veneratur, quod sim mater et virgo; ego in illo adoro, quod sit Deus et homo. Dico ergo: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Dicis mihi : Ecce tu pulchra es; et ego dico tibi : Ecce tu pulcher es. Ex quo ego pulchra facta sum, ex eo tu qui semper pulcher fuisti, pulchrior factus es. Nam vere in eo pulchritudinem tuam adauxisti, quod cum Deus esses, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher et decorus : ita pulcher, ut sis ipsa substantia pulchritudinis; ita decorus, ut sis ipsum decus humanitatis. Vere ergo dicis mihi : Ecce tu pulchra es, et dico tibi : Ecce tu pulcher es, quia tu pulchritudo mea es. Quod ergo pulchra sum, totum tibi attribuendum est. Neque enim virga floris, sed flos virgæ pulchritudo est. »

Et Guilielmus Parvus, *q. d.* Quia tu pulcher secundum divinitatem, decorus secundum humanitatem. Tu non tantum homo, sed etiam Deus; et idcirco ait Guilielmus : « Ego non tantum mater, sed et virgo; quia æternæ divinitati tuæ temporaliter accessit humanitas, et meæ virginitati non successit, sed accessit fecunditas. Sicut enim purus homo virginem matrem habere non potest, ita Deus homo matrem, nisi virginem habere non potest. »

LECTULUS NOSTER FLORIDUS.

Pulchrum sponsum et sponsam pulchram decet cubile et pulchra domus; utrumque hic assignat, dicens cubile et lectum herbis floribusque pulchris et odoratis esse instratum, ac domum constare ex tignis cedrinis et tabulatis cypressinis. Licet enim Romæ domus construantur ex solis lateribus et lapidibus, eo quod calx ibi sit tenacissima et solidissima, adeo ut concameratione templorum et palatiorum faciant maximas et firmissimas ex lapidibus et calce, tamen in transalpinis regionibus domus fiunt e lignis et tignis, inter se affabre commissis et innexis. Tacite sponsa, quæ oberrando per hortos et vineas senserat solis calorem, eoque decoloratam se meminerat, invitat sponsum in domum et cubile, ut ibi in pace et quiete, semoti a turbis et persecutionibus, vitam agant amœnam et jucundam in mutuo colloquio, consortio et convictu, qualem agunt ii qui elegerunt sortem Magdalenæ et vitæ contemplativæ : sed sponsus a quiete hac sponsam mox evocat ad labores prædicationis et conversionis animarum, puta a contemplatione ad actionem, a pace ad bellum, a tranquillitate ad persecutiones, ab otio ad negotium, a domo ad agros et campos, ut ejus virtutem, merita et decus adaugeat. Unde subdit : « Ego flos campi, et lilium convallium. » Ita Beda et S. Bernardus, *serm.* 46, qui ait sponsam hic indicare sponso thalamum ejus esse ornatum, itaque eum tacite ad illum invitare.

LECTULUS NOSTER FLORIDUS, — hebraice רַעֲנָנָה *raanana*, id est *viridis*, hoc est viridibus herbis et floribus coopertus, ideoque virens, florens et vernans; Septuaginta pro אַף *aph*, id est *etiam*, videntur legisse אֶל *el*, id est *ad*; unde vertunt πρὸς κλίνην ἡμῶν σύσκιος, id est *ad lectum nostrum umbrosus*, scilicet accessisti, vel accede; ita legit codex Vaticanus, Nyssenus, Psellus et tres Patres apud Theodoretum, *q. d.* Tu, o Christe sponse mi, qui amas umbras herbarum et florum, accede ad lectum nostrum iis instratum et umbrosum. Aut, tu, o Christe, qui, qua Deus, es immensa lux, qua tamen homo, lucem hanc umbra corporis texisti, ut eam alias inaccessibilem quasi per rimam, imo umbram inspiceremus, ideoque *umbrosus* vocitaris; accede ad lectum hunc floribus et frondibus vernantem pariterque umbrosum, ne foris uti me, ita et te, decoloret solis, id est persecutionis æstus.

Verum genuina Septuaginta lectio videtur esse quam habet Origenes, *homil.* 2 ex duabus, Theodoretus et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII serm. 4, scilicet : κλίνη ἡμῶν σύσκιος, id est, *lectulus noster umbrosus*. Sic enim habent Hebræa et Vulgata. S. Ambrosius tamen, pro πρὸς κλίνην per diastolen, legit προσκλίνη per systolen; unde vertit, *acclinatio nostra opaca*.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Lectulus Christi Primo, est humanitas.

Quæres quisnam sit lectulus virens et floridus, in quo requiescit Christus et Ecclesia.

Respondent *primo*, nonnulli esse humanitatem

Christi : in hac enim velut lectulo, sed carne obumbrato et velato tam deitas fulgentissima Verbi, quam Ecclesiæ spes conquiescit. Ita Nyssenus, tres Patres apud Theodoretum, Psellus et Alanus, quem audi : « Lectulus Christi dicitur caro, quam assumpsit propter duos lecti usus. In lecto laborat homo in infirmitate, quiescit in sanitate. Similiter Christus in carne humana laboravit in infirmitatibus humanis ante passionem, quievit in eadem carne post resurrectionem. Et eleganter dixit : Lectulus noster floridus, quia caro Christi, quæ prius in vita floruit, per mortem efflorait, at per resurrectionem refloruit. Unde dicitur *Psalm.* XXVII : Et refloruit caro mea. »

Secundo, sacra Scriptura. *Secundo*, Theodoretus per *luctulum* accipit sacram Scripturam, quæ variis sententiis quasi floribus vernat, quorum semina in se suscipiens anima sancta profert spiritum salutis. Lectus hic dicitur umbrosus, quia a gratia Spiritus protectus, et ab ardore peccati defensus ; quod enim Israeli erat columna nubis, hoc nobis est auxilium Spiritus. Hæc Theodoretus.

Tertio, fides charitate formata. *Tertio*, Gislerius per *lectulum* accipit fidem charitate formatam, ideoque bonis operibus virentem et florentem : per hanc enim est Deus in nobis, et nos vicissim in Deo conquiescimus. Intellectus enim hominis quærit verum in naturali opinione, conjectatione et argumentatione quasi in lecto, sed inquieto, fallaci et falso ; at intellectus viri fidelis quærit verum in fide divina, ibique quasi in lectulo verum, imo Deum invenit. Fides dicitur *lectulus*, diminutive, quia lectus, id est plena cognitio, pax et felicitas erit in visione beatifica. Hinc Septuaginta hunc lectulum vocant umbrosum et opacum, quia fides obscura est. « Videmus enim nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem, » I *Cor.* XIII, 12.

Quarto, pura conscientia. *Quarto*, lectulus Ecclesiæ est integra vita, et bona puraque conscientia fidelium, cujus flores sunt virtutes quælibet : in his enim tam Christus quam Ecclesia velut in lectulo placide conquiescit, latius quieturus in iisdem in felicitate æterna ; quare ibi animæ fideles et beatæ erunt lectus omni dote, tam gratiæ, quam gloriæ ornatissimus et jucundissimus tam sibi, quam Christo. Huc facit Versio Chaldæi, *in tempore quo tu habitas in lectulo nostro dilecto, filii nostri multi sunt super terram, et crescimus et multiplicamur sicut arbor quæ plantata est juxta fontem aquarum, cujus folium pulchrum est, et fructus ejus multus.* Lectulus animæ, ait Honorius, est bona conscientia, in qua, ut in lecto, secura quiescit anima cum Christo, quando se orando et legendo exercet, et amore Dei liquescit, et floridus est, quando aliis exempla bonæ vitæ præbet. Hic sensus valde appositus est.

Quinto, pax Ecclesiæ. *Quinto*, Cassiodorus per *lectulum* accipit pacem et tranquillitatem Ecclesiæ, qua dum gaudet, liberius vacat vigiliis, jejuniis, orationi, contemplationi, adeoque omnibus bonis operibus floret, atque, ut ait Beda, prolem fidelium fidei flore redolentem Deo gignit ex aqua et Spiritu Sancto.

Symbolice, lectulus Christi fuit sepulcrum. Symbolice, Aponius per *lectulum* accipit sepulcrum Christi, quod floridum dicitur ob aromata ex floribus confecta, quibus Magdalena et sociæ unxerunt corpus Christi. Addit Guilielmus Parvus lectulum, id est sepulcrum Christi, dici floridum, quia Christus ex eo tertia die gloriosus resurrexit : tunc enim quasi refloruit caro Christi. Ergo *lectulus noster floridus*, id est reflorescente carne tua, o Christe, vernabit illa floribus novæ resurrectionis, juxta illud : « Refloruit caro mea : et ex voluntate mea confitebor ei, » *Psalm.* XXVII, 7.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Lectulus Christi mens sancta. Lectulus Christi et animæ sanctæ est mens casta, sancta, et studio virtutum dedita, quæ flores et fructus omnium bonorum operum progerminat ; quare ipsa est decora per ornamenta virtutum, et odorifera exemplis sanctarum actionum. Lectulus hic est *umbrosus*, ut vertunt Septuaginta, quia mens sancta sub umbra Christi in se inhabitantis secura degit, ne uratur vel ardore tentationis, vel algore torporis, vel æstu nimii fervoris ; quare illi fidenter dicit : « In umbra tua vivemus in gentibus, » *Thren.* IV, 20. Nam sola mens sancta in Christo defixa veram habet quietem ; quia mens concupiscentiis dedita, illarum æstibus fluctuat, et mille perturbationum ventis agitatur, juxta illud : « Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus, » *Isai.* cap. LVII, vers. 21 : ita S. Ambrosius, *De Isaac et anima*, cap. IV : « Ubi enim, inquit, requiescit Christus et Ecclesia, nisi in operibus suæ plebis? Denique ubi impudicitia, ubi superbia, ubi iniquitas, ibi, ait Dominus Jesus, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, » *Matth.* VIII, 20. Lectulus ergo Christi est castitas, humilitas, patientia, oratio, temperantia et maxime charitas : hac enim Christus animam velut sponsam sibi associat, et eam diligit, et vicissim ab ea diligitur, juxta illud Christi : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, » *Joan.* XIV, 23. Et charitas.

Secundo est corpus carnum. *Secundo*, Origenes, *homil.* 2 ex duabus, legens : *Lectulus noster umbrosus*, per illud accipit corpus, in quo anima quasi in lecto quiescit, dum illud purum est et castum, ac densitate boni operis nemorosum.

Tertio, Christi crux et caro. *Tertio*, S. Ambrosius *in Psalm.* CXVIII, 4, legens : « *Acclinatio nostra opaca*, per eam tria denotari censet, scilicet Christi gratiam, crucem et spem futuræ gloriæ, quæ quasi umbra ab æstu tentationum nos protegunt : « Merito, inquit, opacam

significat acclinationem, quia in Ecclesia constitutos virtus obumbrat Altissimi. Hac umbra David se protegi postulabat, ne eum per diem sol ureret, vel luna per noctem. Hanc umbram spiritalis ministrat gratia, torrida sæculi hujus et mundi æstiva fugientibus. Opaca igitur acclinatio Christi et Ecclesiæ sunt, quibus Dei Patris æterna requies aspirat. In hac ergo requiescamus umbra peccatorum nostrorum æstibus fatigati. Si quos adussit libido, hos Domini crux refrigeret, in qua se reclinavit, ut nostra delicta susciperet; si quos culpa lassavit, hos Jesus gremio suscipiat suo, et molli foveat amplexu. Unde audeo dicere quod caro Christi acclinatio sit Ecclesiæ. »

Quarto, est vita contemplativa.

Quarto, S. Gregorius et Cassiodorus valde apposite per *lectulum* accipiunt quietem et suavitatem animæ contemplativæ, quæ soli Deo quasi sponso suo vacat et intendit. « Quid, inquit S. Gregorius, per sponsæ lectulum, nisi otii quietem intelligimus? Mens enim, quæ sponsum suum Christum singulariter amat, in quantum potest, ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, virtutes quibus sponso suo placeat, intus accumulat. Quæ dum omnia, quæ temporalia sunt, contemnit, lectulum sibi cum sponso in pace victoriæ facit, ubi quo quietius pausat, eo amplius flores invenit, quibus se decoram sponso ostendat. » Huc accedit S. Bernardus, *serm.* 46, qui per *lectulum* accipit monasteria, in quibus religiosi mundo valedicentes soli Deo serviunt. Pleraque enim in Canticis proprie competunt animæ fideli, non incipienti et imperfectæ, sed proficienti et ad perfectionem tendenti, ut totam se Deo uniat (hæc enim est sponsa Christi): quales sunt religiosi, ut in *Proœmio* dixi ex S. Bernardo et Bellarmino. Sed audi Bernardum hic: « In Ecclesia, inquit, *lectum* in quo quiescitur, claustra existimo esse et monasteria, in quibus quiete a curis vivitur sæculi, et sollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonstratur, cum exemplis et institutis Patrum tanquamquibusdam bene olentibus respersa floribus fratrum conversatio et vita refulget. »

Et monasteria.

Et obedientia.

Subdit deinde lectulum, in quo quiescit Christus, esse obedientiam: « Alioquin, inquit, non dormiet tecum sponsus in lecto uno, illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque urticis inobedientiæ aspersisti. » Unde in inobedientes suis orationibus præfidentes insurgens: « Miror valde, inquit, impudentiam aliquorum, qui inter nos sunt, qui cum omnes nos sua singularitate turbaverint, sua impatientia irritaverint, sua contumacia et rebellione contempserint, audent nihilominus ad tam fœdum concupiscentiæ suæ lectulum, omni orationum instantia totius puritatis Dominum invitare. »

Subjicit denique modum, quo animæ hunc lectum Christo parare et adornare debeamus: « Profecto, inquit, ut primo quidem emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ, et disceptationis, et murmuris, et livoris, et quidquid omnino adversari cognoscitur aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumcumque actuum, et laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum, id est quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitare, in his exerceri curato. Ad istiusmodi secure vocabis sponsum: quoniam cum introduxeris eum, veraciter dicere poteris et tu, quia lectulus noster floridus, redolente nimirum conscientia pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed justitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem. »

Anagogice est vita beata.

Anagogice, Philo Carpathius legens, *accubatio nostra in umbra,* per eam accipit transitum a morte ad immortalitatem: « Cum enim, inquit, inclinantur ad mortem, vitam æternam pro temporali morte rependit. Nam de cætero tu nostra umbra eris et protectio, clamat sponsa, secundum illud: Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Et: Sub umbra alarum tuarum protege me. Ad te enim solum refugium nostrum et protectio. Tu nostra umbra, tu defensio, tu certa salus et vita. Dicamus cum David: Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. *Psal.* XXII, 4. Trabes domus nostræ cedri, et laquearia nostra cypressina. Ecce pulcher in prophetis, decorus in apostolis. Trabes domus nostræ cedri, hoc est ecclesiarum prophetæ. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Lectulus, in quo Christus novem mensibus requievit et quasi dormivit, fuit uterus B. Virginis, inquit Guilielmus Parvus; atque ex eo salvo virginitatis sigillo, ait Rupertus, egressus est flos ille pulcher, de quo canit Isaias, cap. XI, 1 et 2: « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum Spiritus Domini. »

VERS. 16. TIGNA DOMORUM NOSTRARUM CEDRINA, LAQUEARIA NOSTRA CYPRESSINA.

Lectulus Christi uterus B. Virginis.

Septuaginta, *tigna domorum nostrarum cedri, laquearia nostra cypressi, q. d.* Domus nostra pulchra et præstans est, utpote contignata ex cedris et laqueata cypressis. Pro *cypressi* Chaldæus, Vatablus et hebraizantes vertunt, *abietes.* Cedrus, inquit Vatablus, quæ putredinem non sentit, et abies, quæ ponderi renititur, verbum Dei significant. Verum hebræum *abies* vocatur ברוש *berosc*: hic vero est ברותים *berotim,* quod alibi non invenitur; hic autem a Septuaginta æque ac a Nostro vertitur, *cypressi*, quibus utique magis credendum est, quam recentioribus. Pro *laquearia,* græce est φατνώματα, id est *lacus,* sive lacunaria et laquearia; unde laqueatæ cœnationes appellantur, quas Ser-

vius vocat, *contignationum cœlum;* Belgæ et Galli dicunt, *lambris* et *lambrissé*, id est *laqueat* et *laqueatus*. Unde Seneca, lib. XIV, *epist.* 91, scribit antiquorum luxuriam versatilia cœnationum laquearia fecisse, et ita coagmentasse, ut subinde alia facies atque alia succederet, et toties tecta, quoties fercula mutarentur, uti subinde fit in scenis et comœdiis. Sic et laquear, ait Sipontinus ex Servio, diminutivum est a *lacus;* lacus enim est trabs in ædificiis plana, a quo fit lacunar, et per antistichon laquear; laquearia autem cælari et inaurari a divitibus solebant, uti Romæ factum videmus in Templo B. Virginis trans Tiberim, et aliis. Licet ergo nonnulli per *laquearia* accipiant ingentes trabes, quæ unum parietem alteri connectunt, per *tigna* vero intertignia, quæ trabibus hisce transversim inseruntur, quibus asseres infigantur, quæque Vitruvius *metopa* nuncupat, tamen contrarium verius est, scilicet per *tigna* hic trabes totumque tabulatum accipi, per *laquearia* vero concamerationes tabularum, quibus trabes et tigna ornantur, ut tabulatum fiat quasi cœlum: hæc enim vocantur *lacunaria*, quia per intertignia sive tignorum intervalla, quibus inseruntur, quamdam lacuum speciem exhibent.

Ad litteram grammatice alludit ad domum Dei, sive templum ædificatum a Salomone ex lignis cedrinis et cypressinis, III *Reg.* VII, 3 et 4, quod repræsentabat basilicas et templa christianorum, ex iisdem et similibus arboribus præstantibus ædificanda. Unde Chaldæus vertit, *dixit Salomon propheta : Quam pulchra est domus Sanctuarii Domini, quæ ædificata est per manus meas ex tignis cedrinis! sed pulchrior est domus sanctuarii, quæ ædificanda est in diebus regis Messiæ, cujus trabes erunt ex cedris, quæ sunt in paradiso voluptatis, et tigna ejus erunt ex abietibus, et arceuthis, et pinis.*

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Tigna et laquearia Ecclesiæ, Primo, corpus et membra Christi.

Quæres quænam sint Ecclesiæ tigna cedrina et laquearia cypressina.

Primo, Guilielmus Parvus censet esse corpus et membra Christi, quod fuit domus, imo templum divinitatis: licet enim hoc ex se esset corruptibile, tamen cedrinum erat et cyparissinum, id est incorruptibile, sive imputribile ex unione hypostatica cum Verbo, juxta illud : « Caro mea requiescet in spe, *et* nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, » *Psalm.* XV, 10.

Secundo. S. Scriptura.

Secundo, Theodoretus et ex eo Gislerius, sicut per *lectulum* accipit fidem, ita apposite per *tigna* et *laquearia*, id est per domum accipit sacram Scripturam : in illa enim continentur fidei dogmata quasi tigna, inquiunt tres Patres apud Theodoretum, et præcepta quasi lacunaria sibi mutuo connexa et inserta; hæcque sunt in summitate domus, quia e cœlo dictata est sacra Scriptura, quasi verbum Dei, ideoque incorruptibilis et æterna est instar cedri et cypressi, atque sui sequacibus confert vitam æternam, puta domos æternas in cœlis, II *Cor.* V, 1. Audi Theodoretum : « Cedrus incorruptione, cypressus odore præstat. Utrumque autem in divina Scriptura licet invenire, quæ quidem nobis non modo lectus est, sed et domus et mensa et cibus; nec solum odoris suavitatem suggerit, verum etiam incorruptionem, et veritatem, et immortalitatem pollicetur. »

Tertio, prælati et doctores.

Tertio, alii passim magis apposite et genuine per *tigna domorum*, id est ecclesiarum particularium accipiunt clerum, prælatos et doctores earum, qui scriptis et doctrinis domum Dei ab hæreticis, quasi venenatis serpentibus, et corruptelis verbi Dei, defendunt. Sunt ex cedro, quia recta sunt eorum opera, mens constans, vita incorrupta, mores imputribiles, nomen boni odoris, doctrina dæmones fugat, et animas a vitiorum putredine servat. *Laquearia* sunt subditi justi et pii, qui se abstinent a lethalibus culpis : hi a trabibus illis dependent, et quasi quædam cœli testudo stellimicantibus ornata signis, renident ipsi cupressini, suo vivendi statu incorrupti, nec ad peccati vomitum canis instar redeuntes, nec cariei veteris hominis cedentes.

Ita S. Gregorius, Theodoretus, Aponius, Beda, Haymo, Anselmus et S. Ambrosius, serm. *4 in Psalm.* CXVIII. Unde S. Bernardus, *serm.* 46, censet hoc versu omnes Ecclesiæ status denotari, scilicet monachorum in *lectulo florido*, prælatorum et principum in *tignis cedrinis*, cleri et populi fidelis in *laquearibus cypressinis*. Huc accedit Origenes, *homil.* 3 ex quatuor, qui per *tigna* accipit episcopos, per *cypressos* sacerdotes : « Et trabes, inquit, appellantur cedri, quibus et fortitudo robustior, et odor suavitatis inest, per quod et in operibus solidum, et in doctrinæ gratia fragrantem designat episcopum. Similiter autem et laquearia cypressos appellavit, ut per hoc incorruptionis virtutem, et odoris scientiæ Christi plenos esse debere presbyteros designaret. » Et S. Gregorius : « Cedrus, ait, quæ serpentes reprimit et fugat, sublimiores significat sanctos, cypressus simpliciores. » Unde mox per *tigna* accipiens prædicatores, per *laquearia* populos : « Tigna, ait, tectum sustentant, laquearia vero domum implent et ornant. Sic in sancta Ecclesia prædicatores boni Scripturam divinam in corde et ore portant, quam fidelibus quasi tectum expandentes prædicant, ut, dum Ecclesia prædicatione cœlesti instruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur. Cedrus autem et cypressus imputribilia tigna esse perhibentur. Quibus bene omnes electi figurantur, quia dum temporalia nullo desiderio sectantur, æterni fiunt, eo quod mente in æterna figuntur. » Addit Beda, laquearia affixa esse tignis, ex iisque pendere : « Quia necesse est, inquit, ut quicumque in S. Ecclesia sublimes virtutibus splendere desiderant, summorum Patrum dictis atque exemplis,

quibus a terrenorum ambitu suspendantur, tota mente inhæreant. »

Huc quoque accedit Philo Carpathius, qui per *tigna cedrina* accipit Ecclesiæ prophetas; per *laquearia cypressina*, apostolos : Quia, ait, sicut delectatio et ornatus domus sunt laquearia, sic Ecclesiæ sunt apostoli. Audi S. Bernardum, *serm.* 46 : « Porro, inquit, *domos* populares conventus intellige christianorum, quos hi qui in sublimitate positi sunt, christiani utique utriusque ordinis principes, quasi *tigna* parietes justis impositis legibus fortiter stringunt, ne sua quique lege vel voluntate viventes, tanquam parietes inclinati et maceriæ depulsæ dissideant a semetipsis, et sic omnis structura ædificii corruens dissipetur. *Laquearia* vero quæ a tignis firmiter pendent, et domos insigniter ornant, puto bene instituti cleri mansuetos et disciplinatos mores, riteque administrata officia designare. Quomodo namque stabunt ordines clericorum et administrationes eorum, si non principum tanquam tignorum beneficio et munificentia sustententur, et protegantur potentia? » Causam deinde assignat, cur tigna sint cedrina, laquearia vero cypressina : « Et cedrus quidem quoniam imputribile est, necnon et odoriferum, altæque proceritatis lignum, satis indicat quales oporteat assumi, viros in vices tignorum. Ergo validos et constantes necesse est esse eos qui super alios ordinantur, nec non et longanimes in spe, atque ad superna mentis verticem attollentes, qui et bonum fidei suæ et conversationis ubique odorem spargentes, dicere cum Apostolo possint : Christi enim bonus odor sumus Deo in omni loco, II *Cor.* II, 15. Cypressus item, boni æque odoris et imputribile similiter lignum, incorruptæ vitæ et fidei etiam quemvis de clero debere esse demonstrat, ut merito decori domus ac laquearium ornatui deputetur. Scriptum est enim : Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. » *Psalm.* XCII, 5.

Denique Honorius Augustodunensis : *Domus*, inquit, cedrinis et cypressinis tignis ab opificibus ædificatæ, sunt claustra a sanctis Patribus regulis et honestis institutis instructa. *Tigna cedrina* sunt præpositi et abbates sanctimonia redolentes, qui verbo et exemplo alios muniunt, et vermes criminum se macerando exstinguunt. *Laquearia* vero *cypressina* sunt monachi et omnes religiosi, quorum sanctitatis exempla templum Dei ornant, et aliorum onera orando portant. Et sicut cypressus præcisa non revirescit, unde et ante feretrum mortuorum solebat portari : ita ipsi nunquam sæcularia repetunt, et semper quasi præsentem mortem aspiciunt, et in habitaculum Dei coædificari votis et moribus appetunt. Hæc Honorius.

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Primo, tigna cedrina animæ sunt virtutes solidæ, puta quatuor cardinales, scilicet prudentia, justitia, temperantia, fortitudo, ait Honorius; item constans puritas et castitas mentis, ait Nyssenus. Cedrum enim imputribilem commendat æternitas, teste Plinio. *Laquearia cypressina* sunt externa virtutum decora, ut modestia, verecundia, silentium, omnisque exterior morum compositio et decor, juxta illud Apostoli : « Omnia honeste, et secundum ordinem fiant, » I *Corinth.* XIV, 40; et : « Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, » II *Corinth.* VIII, 21. Maxime vero tignis cedrinis, et laquearibus cypressinis, utpote imputribilibus, notatur virtus constantiæ in duris et adversis, ac consequenter fortitudinis, patientiæ et perseverantiæ, qua quasi tigna duramus, et omnia onera ponderaque imposita sustinemus. Unde Beda de cypresso : « In eo, inquit, quod medendis apta est corporum passionibus, quod suæ venustatem comæ nullo ventorum impulsu deponit, constantiam exprimit, eorumque actionem qui altiorum virtutum ornatibus Ecclesiam decorant. » Et S. Ambrosius, serm. 4 in *Psal.* CXVIII : « Anima, inquit, corrumpi nescit, quæ florentibus membris viget, semper justitiæ cæterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate sustentat, et ideo non defluit, neque deficit; quia nihil in ea rimosum est atque remissum, nihil mobile, nihil lubricum, quod vitio sermonis ex eo possit effundi. »

nimæ, primo, virtutes cardinales.

Secundo, tigna cedrina, ait Hailgrinus et ex eo Delrio, sunt virtutes et gratiæ, sine quibus non est salus; et hæ, per humilitatem profundæ radicibus, crescunt ramis in immensum, sunt putredinis nesciæ, ut cedrus. *Laquearia* sunt divisiones administrationum et gratiarum illarum, quæ sunt ad animæ decorem, licet non sint necessariæ ad singularum salutem, ut sunt prophetiæ, genera linguarum, virtutes, sanitates, discretio spirituum, et similia, quæ si tignis fortiter non inhæreant, ut laquearia laxata facile corruunt; et sunt *cypressina*, quia licet istæ gratiæ inferius, qua proximis exhibentur, debeant diffundi et dilatari, semper tamen in conum tendere debent sursum, et in unum illum tendere, atque coangustari sicut cypressus; quæ vere est una, sicut et unum nobis vere necessarium. Porro, sicut cypressus immunis est a carie, quia, ut ait Vitruvius, lib. II, cap. XIX, inest ei amarus quidam sapor, qui eam a carie defendit, et vermiculos abigit qui eam gignunt : sic pariter virtutis et constantiæ causa est pœnitentia, austeritas et mortificatio, quæ animam in concupiscentias (hæ enim sunt animæ caries et putredo) prolabi non sinit. Hinc similia de cedro scribit Dioscorides, lib. I, cap. LXXXVIII, scilicet simili amaritudine illam se a carie, et cadavera a tabe defendere, ideoque illam a nonnullis « mortuorum vitam » appellari. Huc facit illud : « Ubi rigor, ibi vigor. »

Secundo, virtutes ad salutem necessariæ.

Tertio, tigna sunt gratia Dei, ejusque variæ

Tertio

gratiæ divinæ.

species et modi; *laquearia* sunt nostræ actiones, quibus gratiæ Dei cooperantes illam iisdem quasi ornamus, ac ipsa vicissim longe magis opera ipsa exornat et inaurat, quia ipsa illa reddit supernaturalia, divina, grata Deo, ac meritoria præmii æterni.

Quarto, potentiæ et vires animæ.

Quarto, tigna animæ sunt ipsæ ejus potentiæ et vires : ex hisce enim quasi ex tignis ipsa quasi compaginatur et contignatur; *laquearia* sunt potentiarum animæ virtutes, quæ ipsas ornant et roborant, ut ex iis consurgat domus animæ spiritualis, in qua Christus sponsus velut in thalamo suo requiescat. Audi S. Bernardum, *serm.* 46, qui animæ ita suadet et persuadet : « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, I *Cor.* III, 17. Curate ergo, fratres, spirituali huic ædificio, quod vos estis, ne forte cum in superiora proficere cœperit, vacillet et corruat, si lignis fortibus non fuerit subnixum et colligatum : curate, inquam, illi tigna dare imputribilia et immobilia, timorem videlicet Domini castum, illum qui permanet in sæculum sæculi : patientiam, de qua scriptum est : Quia patientia pauperum non peribit in finem, *Psalm.* IX, 19 : longanimitatem quoque, quæ sub quovis structuræ pondere inflexibilis perseverans, in infinita sæcula vitæ beatæ protenditur, Salvatore loquente in Evangelio : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, *Matth.* X, 22. Magis autem super omnia charitatem, quæ nunquam excidit, quia fortis est, inquit, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, *Cant*, XIII, 6. Studete deinde his tignis substernere et alligare tigna alia æque pretiosa et pulchra, cui tamen illa ad manum fuerint, in opus laquearium ad decorem domus, sermonem scilicet sapientiæ sive scientiæ, prophetiam, gratiam curationum, interpretationem sermonum, et cætera talia, quæ magis noscuntur sane apta ornatui, quam necessaria fore saluti. » Ubi per *tigna* accipit virtutes necessarias ad salutem, per *laquearia* non necessarias, atque ex utriusque ædificandam cuique esse domum mentis asserit.

Anagogice.

Anagogice, in cœlo, tam anima quam corpus omnibus suis viribus, sensibus et membris erit cedrinum et cypressinum, id est incorruptibile, æternum, odoratum, gloriosum.

TERTIUS SENSUS PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo fuit quasi domus, templum et cœlum cedrinum et cypressinum, in qua habitavit Verbum. Audi Alanum : Domus hæ intelliguntur corpus Christi, et corpus Virginis, tigna domorum substantiæ corporum, quæ dicuntur *cedrina*, id est imputribiles. Cedrus enim imputribilis est; sicut enim credimus corpus Christi putredine non esse resolutum : unde legitur, *Psal.* XV, 10 : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem : » ita probabile est a corruptione putredinis alienum esse corpus Mariæ. Unde S. Augustinus in serm. *De Assumpt. Virginis* : « Non solum, ait, carnem quam Christus assumpsit, sed etiam carnem de qua assumpsit, credimus esse assumptam in cœlum. » Unde et in oratione edita legitur : « Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, » etc. Et nisi resurrexerit, quare de ipsa dicitur : « Assumpta est Maria in cœlum? » « Laquearia nostra cypressina. » Laquearia quæ adhærent tignis, significant corporum infirmitates, quæ adhæserunt corporibus Christi et Virginis, quæ eleganter *cypressinæ* dicuntur, quia cypressus solet adhiberi corporibus quæ comburuntur, et mira ab eis fragrantia redditur. Sic infirmitates, quæ ad mortem pertinent, et in Virgine et Christo per patientias, quas in infirmitatibus habuerunt, mirabilius redolent. Hæc Alanus. Vide quæ de cedro et cypresso dixi, *Eccli.* XXIV, 17, ad illa : « Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. »

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsus laudarat sponsam; illa virginee erubescens, laudem reflexit in sponsum. Sponsus ergo, ut modestiæ et pudori ejus consulat, laudem ejus acceptat et confirmat, seseque vocat florem campi, et lilium convallium; ac deinde eamdem laudem in sponsam liberius, utpote laude sua velatam, derivat. Illa vicissim in laudem et amorem sponsi magis accenditur : quare est hic continuus, alternans et reciprocus amoris sponsæ et sponsi dialogus. Versu enim primo et secundo, sponsus se et sponsam dilaudat. Versu tertio, sponsa sponsum deamat, et amore ejus languet, ac deliquium animæ patitur. Versu septimo, sponsus eam excitari vetat. Versu octavo, sponsa a sponso saliente instar cervi evocatur ad vernas paradisi amœnitates, ac vulpes capere jubetur. Denique versu 16, sponsa se totam sponsi amori tradit et dedit.

1. Ego flos campi, et lilium convallium. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. 3. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra

illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo. 4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. 5. Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo. 6. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. 7. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. 8. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles : 9. similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum : en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. 10. En dilectus meus loquitur mihi : Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. 11. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. 12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terra nostra : 13. ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni : 14. columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora. 15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas : nam vinea nostra floruit. 16. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, 17. donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Revertere : similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether.

VOX SPONSI.

Vers. 1. Ego flos campi, et lilium convallium.

Variæ hujus versus iectiones.

Ego flos campi, et lilium convallium. — Arabicus, *torrentium* : lilia enim, quia sicca, gaudent aquis; Septuaginta vertunt ut Noster; Tigurina vero, *ego sum rosa Saron, et lilium gaudens vallibus* ; Vatablus, *Saron* interpretatur *saturitatis*, vel potius *abundantiæ :* sicut Deus, inquit, dicitur *Saddai,* id est uber et copia omnium bonorum : Saron enim, inquit Adrichomius, urbs est et regio campestris, pinguis et fertilissima, saginandis pecoribus perquam apta, ideoque ibi pascebantur regis animalia. Extendit sese a Cæsarea Palæstinæ, et pertingit usque ad Joppe. Hæc, teste Hieronymo, juxta soli qualitatem, Petro prædicante fidei continuo fructus germinavit, *Actor.* II, 41, quo hic alludit Salomon. Pro *flos* hebraice est חבצלת *chabatselet,* quod Pagninus, Marinus et Vatablus vertunt, *rosa;* Septuaginta et S. Hieronymus hic, *flos;* iidem, *Isai.* XXXV, 1, vertunt *lilium;* unde Syrus pro *flos campi* vertit *lilium loci fertilissimi;* alii, *vaccinium,* de quo Virgilius :

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Arborum, florum, gemmarum nomina multis speciebus communia apud Hebræos.

Nimirum Hebræa nomina arborum, florum, gemmarum sunt polysema multis speciebus communia. Pro *lilium* hebraice est שושנה *scoschanna,* quod Guidacerius hic vertit, *viola;* Chaldæus vero et Galatinus, lib. VII, cap. V, vertunt *rosa,* quia nascitur hæc inter spinas, non *lilium.* Unde pro eo quod sequitur : « Sicut lilium inter spinas, » ipsi vertunt, *sicut rosa inter spinas.* Verum Septuaginta, Aquila, Symmachus in *Psalm.* XLV, 1, et S. Hieronymus, Aben-Ezra, R. Salomon, Tigurina, Vatablus et alii hic *sosanna* vertunt *lilium,* a שש *sches,* id est *sex,* scilicet foliis quibus ornatur, ait R. David. Hinc et Phœnices Arabesque *lilium* vocant *susana.* Unde *Susam* Persarum regiam ita dictam a liliorum ibi nascentium copia, testatur Athenæus, lib. XII, Eustathius in *Dionys.,* et alii : sicut a rosa dicta est *Rhodus* insula, quia rosæ speciem exhibet, et a flore *Florentia;* a *Susanna* quoque dictum est oleum *susinum,* quod e liliis conficitur, de quo Plinius, lib. XIII, cap. I. Porro Chaldæus voces invertens sic vertit, *dixit cœtus Israel : Tempore quo dominator sæculi collocat majestatem suam inter me, ego similis sum lilio viridi ex paradiso voluptatis, et opera mea pulchra sunt sicut rosa, quæ est in campo horti voluptatis.*

Sosanna, id est *lilium.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Theodoretus, Nyssenus, S. Ambrosius in *Palm.* CXVIII, serm. 5, Chaldæus, Hebræi, Philo Carpathius, item Genebrardus, Vatablus, Luisius Legionensis et Osorius censent hæc adhuc esse verba sponsæ, non sponsi. Dixerat enim ipsa : « Lectulus noster floridus; » nunc ostendit unde sit floridus, nimirum, quia « ego, » inquit, sum « flos campi et lilium convallium. » Aut, ut noster Sanchez, sensu a Christo in Ecclesiam reflexo, quasi ei dicat Christus : Tu, o sponsa, floridum esse dicis lectum, et domus nostræ contignationem suaviter olere, utpote e cedro atque cupresso; sed ego tibi flos esse debeo, cui placere aut olere nihil debet præter me. Cui expositioni favet quod statim adjungitur : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. » Ac si dicat sponsus : Quid mirum, si a te exigam, o sponsa, ut me pro flore, pro cupresso ac cedro tibi habeas, neque quidquam tibi aut floreat aut oleat præter me, quando

tu mihi eo loco es, ut aliæ filiæ Jerusalem præ te spinæ sint et senticosi frutices, cum liliorum odore atque candore compositæ; quare nihil magnum aut indebitum peto, aut opto, cum talis tibi videri volo, qualis tute mihi ipsa videris. Cui voci sponsa fidelis obsecuta sæpe canit in hoc epithalamio : « Dilectus meus mihi, et ego illi. »

Ecclesia flos et lilium, primo, propter prophetias et Evangelium.

Porro Ecclesia dicitur, *flos campi et lilium convallium*, variis de causis : *primo*, Philo Carpathius hanc affert, *q. d.* Ego Ecclesia sum flos campi propter vaticinia prophetarum, lilium vero convallium propter Evangelium quod prædico; hoc enim suavius et salutarius redolet, cum non tantum præcepta, sed et consilia perfectionis suggerat, dicens : « Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites. Beati qui lugent, » etc. Ideoque Christus : « Considerate, ait, lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis, » *Matth.* VI, 28.

Secundo, ob odorem fidei et operum.

Secundo, S. Ambrosius, serm. 5 *in Psal.* CXVIII, vers. 1 : Ecclesia, inquit, est *flos campi* ob fidei aliarumque virtutum odorem; lilium vero, ob splendorem operum. Idem, lib. *De Instit. virgin.* cap. XV : Ecclesia, inquit, est flos campi, et lilium convallium, quia in convalle hujus mundi gratiam boni odoris exhalat sedula confessione peccati.

Tertio, in Judæis et gentibus.

Tertio, tres Patres apud Theodoretum censent Ecclesiam esse *florem campi* in Judæis, *lilium* vero *convallium* in gentibus, *q. d.* Ecclesia : « Ego quoad gentes, quæ per infidelitatem naturali æqualitate privatæ, et vitiorum turbine depressæ, erant veluti lilium ex imo in sublime consurgens, et a radice ad idoneam magnitudinem per calamum ascendens, ne vallium profunditate abscondatur, sed excelsam pulchritudinem suam præferat, fide in Christum innitor, et per purgationem ex confusione vitiorum emersi, atque in contemplationis fastigio, virtutum decore sum exornata. »

Quarto, ob contemptum

Quarto, alii censent Ecclesiam hic invitare sponsum ad lectulum, id est otium et secretum contemplationis, ex eo quod ipsa in actione evangelizando oberrans gentes, ab eis contempta et calcata sit uti flos, qui nascitur in campo aperto, et ut lilium in vallibus ab omnibus hominibus æque ac bestiis conculcatur vel carpitur.

Quinto, per antithesin.

Denique nonnulli sic exponunt per antithesin, *q. d.* Ego quidem, quæ sum sponsa, id est Ecclesia Christi, sum flos, sed campi, non horti, id est communis, vulgaris, vilis et abjectus; at tu, o sponse mi, præfulges splendore æque ac odore ut lilium convallium candidissimum et odoratissimum.

Verum melius idem Theodoretus, Origenes, Aponius, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Rupertus, Honorius hic, et S. Ambrosius, lib. *De Anima et Isaac*, cap. IV et V, Cyrillus, *De Incarn. Unigen.* cap. IX, censent hæc esse verba sponsi, non sponsæ, idque exigit id quod proxime sequitur : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias; » quæ verba esse sponsi, non sponsæ, nemo dubitat. Christus ergo est *flos campi*, vel, ut hebraice est, *rosa Saron, et lilium convallium*, ideoque lectulum suum Ecclesiæ facit floridum (eo enim alludit), ut paulo ante dixit, *q. d.* Recte dixisti, o sponsa : « Lectulus noster floridus, » ut scias eum floridum esse, non ex te, sed ex me : « ego *enim* sum flos campi, » etc. Ita Beda : Christus igitur est flos campi.

Christus flos campi et lilium.

Primo, quia sicut flos est ornamentum campi, sic Christus mundi, ait Origenes, S. Ambrosius, Beda et alii : Christus enim ita est flos decusque mundi, ut in se omnium florum decorumque speciem, amplitudinem et præstantiam contineat. Unde Justus Orgelitanus sic exponit : « Ego flos campi, et lilium convallium, id est, ego decus sum mundi in virginitate humilium. » Flos ergo est Christus, ratione eximii decoris et plenitudinis gratiæ, qua speciosus est præ filiis hominum. Flos scilicet ille, de quo apud Isaiam, cap. XI, 1, dicitur : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini. » Flos est nunquam marcescens, cujus pulchritudo nunquam deficit, nunquam minuitur odor, nunquam deperit vigor, æque semper candidus et rubicundus, æque semper odoriferus, æque plenus gratia et veritate. Ita Titelmannus.

Primo, quia decor mundi.

Secundo, quia sicut flos campi multus et multiplex est, nec horto concluditur, sed omnibus carpendus fovendusque exponitur, sic et Christus. Audi Alanum : « Campus dicitur humana Christi natura; sicut enim in campo florum pullulat varietas, sic in humana Christi natura virtutum pluralitas. In ea fuit viola humilitatis, patientiæ rosa, lilium castitatis. Hujus campi flos fuit Christus, id est decor secundum divinitatem, quia et ex virtute divinitatis habuit in humana natura donorum plenitudinem. Eleganter autem humana Christi natura per campum significatur, propter amplitudinem et planitiem, quia in eo nullus fuit scrupulus erroris. Unde et de eo dicitur : Lilium convallium. Quia perfecta humilitas fuit in Maria, et in humana Christi natura, ideo persona Virginis, et humana natura Verbi valles dicuntur, propter eminentiam humilitatis; et non solum valles, sed et convalles ratione similitudinis, quia Virgo specialiter Christo fuit similis. » Hac de causa Christus extra urbem in campo et agro nasci voluit, æque ac B. Virgo campo nata est inter ovium balatus, ait Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XV.

Secundo, quia omnibus exponitur.

Tertio, sicut flos in campo sponte provenit sine semine, sine aratione, sic et Christus ex virgine natus est sine opera viri. Sicut ergo flos in cœlo solem patrem, in terra plantam habet matrem : sic Jesu Pater in cœlo est Deus, in solo mater Virgo. Et sicut calore solis, et deflexu roris gig-

Tertio, quia de Virgine natus.

buntur flores : sic sine viri opera, Spiritu Sancto inumbrante, et rore divinæ gratiæ defluente, flos iste Jessæus prodiit; flos, hoc est decus campi. Rursum, sicut flos ex terra et fimo nascitur : sic Christus e terra peccatis inquinata quasi flos purissimus germinavit. Unde ipse vocatur צמח *tsemach*, id est *oriens*, scilicet germen et flos, *Zachar.* III et VI. Audi S. Ambrosium, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. V : « Flos, inquit, Mariæ Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe, virginali ex utero germinavit. Flos odorem suum succisus reservat, et contritus accumulat, nec avulsus amittit, ita et Dominus Jesus in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit; sed illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi coloris cruore vernavit, mori ipse nescius, et mortuis æternæ vitæ munus exhalans.»

Quarto, quia de matre humili et pulcherrima.

Quarto, Christus est *flos campi*, hebraice *saron*, id est *planitiei*, quia in plana terra ex humili virgine humilis natus est. Rursus *saron*, id est *pulcherrimus*, quia in Saron, utpote pinguissima et fertilissima, uti paulo ante dixi, rosæ et flores erant pulchriores et odoratiores, quam aliis in locis, juxta illud, *Isai.* XXXV, 2 : « Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. »

Quinto, quia in vere conceptus.

Quinto, *flos* notat tempus incarnationis Christi fore ver : in vere enim flores emicant. Sic Christus 25 die martii conceptus et incarnatus est, qua de causa eo die Ecclesia celebrat tanti mysterii festum sub nomine *Annuntiationis B. Virginis*. Ita Cassiodorus, Honorius et S. Bernardus.

Sexto, quia rosa mundi.

Sexto, flos hic est rosa, ut vertunt et Vatablus et alii. Rosa autem quid pulchrius, quid odoratius, quid salubrius? Sic et Christus decor, odor et salus est mundi. Vide quæ de rosa dixi *Eccli.* XXIV, 18, ad illa : « Et quasi plantatio rosæ in Jericho. » Ergo sponsus Christus est pulcher instar rosæ purpurascentis et lilii candicantis, juxta illud cap. V, 10 : « Dilectus meus candidus et rubicundus. »

Et lilium convallium.

Primo, Christus est lilium.

Verum hic lilium intellige, non flosculum illum odoratum, quem nunc vulgus herbariorum vocat abusive *lilium convallium*. Hoc lilium vocatur *convallium*, quia lilia in vallibus, ad quas e montibus decurrunt ros et pluvia, facilius proveniunt, ibique sunt fragrantiora et pulchriora; cum enim sint sicca, multo humore indigent. Sic et Christus est lilium candidum et odoratum, ex humili terra et virgine natum. « In lilio, inquit Honorius, quinque considerantur, quia est candidum, habens aureum colorem prominentem, et est odoriferum, et pandulum, et semper incurvum : sic Christus candidus est in humanitate, aureus in deitate, odoriferus in prædicatione, pandulus in suscipiendo pœnitentes, incurvus in condescendendo peccatoribus, et eos sublevando; » ipse est lilium convallium, scilicet ornamentum fidelium. Sicut enim convalles sunt inter duos montes, ita fideles sunt inter duas leges, vel inter duos populos, Judæos et Gentiles.

Secundo, lilium candidum et aureum.

Secundo, folia lilii foris candidissima sunt, intus autem in medio floris trinus apparet radius coloris flavi, et plane aurei : ita Christus foris exhibebat humanitatem purissimam, intus autem continebat auream deitatem, imo et totam S. Trinitatem : « Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, » *Coloss.* II, 9. Ita Aponius : « Flos campi, inquit, fuit Christus ante incarnationem, quia in toto cœlorum campo coruscans cœlestibus spiritibus exstitit admirandus; post incarnationem vero effectus est lilium convallium, cum descendit in vallem lacrymarum, et tria attulit, abolitionem peccati, abstersionem mendacii, et refrigerium concupiscentiæ : æque ac lilium tria ex se exhibet, candorem, odorem, et ad quæque adusta ignibus medicinam. » Et Beda : « Pulchre, ait, in lilio prius se candor exterior paulatim aperit, et sic demum aurei coloris, quæ latebat intus, gratia patescit : quia natus in mundo Dominus, prius homo sublimis his qui in eum vere credebant; at tempore procedente, Deus verus innotuit. » S. Ambrosius vero in *Psal.* CXVIII, serm. 5, similitudinem invertens : In Christo, inquit, æque ac in lilio fuit candor divinitatis et rubor humanitatis. Huc accedit Cyrillus Alexandrinus, lib. *De Incarn. Unigen.* cap. IX, qui sic explicat, *q. d.* Sicut odor invisibilis est in lilio visibilis, sic deitas incorporea in Christo homine per hypostaticam unionem fuit quasi corporata.

Tertio.

Tertio, S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. V : « Christus, inquit, est *flos campi*, quia instar floris in passione contritus et laniatus majorem fragravit odorem. »

Quarto, lilio nil fœcundius.

Quarto, magna est lilii fecunditas. Nam illo « nihil est fecundius, ait Plinius, lib. XXI, cap. V, una radice quinquagenos sæpe emittente bulbos. » Sic quid fecundius Christo, a quo tot christianorum millia, imo milliones prognati sunt?

Quinto, lilium florum celsissimum.

Quinto, nullus flos celsior lilio : sic nihil celsius Christo. Audi Plinium lilii decus graphice depingentem, lib. XXI, cap. V : « Nec ulli florum excelsitas major, interdum cubitorum trium, languido, semper collo, et non sufficiente oneri. Candor ejus eximius. foliis foris striatis, et ab angustiis paulatim in latitudines sese laxantibus, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo et semine; stantibus in medio crocis. Ita odor colorque duplex, et alius calycis, alius staminis, differentia angusta. »

Mystica.

Mystice, Origenes : Christus, ait, fuit flos inglorius Judæis, quia ab eis contemptus; lilium vero gloriosum gentibus, quia ipsæ gloriam Christi agnoverunt et coluerunt.

Symbolice.

Symbolice, Honorius : Campus, inquit, id est terra inarata, est ordo virginum in Ecclesia, cujus flos est Christus, quia ejus delectatio, corona et præmium. Convallis vero est ordo conjugatorum, inter virgines et continentes, quasi inter duos

montes sitorum, quorum est Christus lilium, scilicet candor et gaudium. « Et sicut lilium est inter spinas, » decore et odore : sic Ecclesia perfectorum est inter filias Jerusalem, id est inter imperfectos, eminens decore vitæ et odore doctrinæ. Perfecti dicuntur, quia omnia mundana reliquerunt, dicente Domino : « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, » *Matth.* XIX, 21. Imperfecti dicuntur, quia adhuc mundo utuntur, de quibus dicitur : « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur, » *Psal.* CXXXVIII, 16.

Anagogice. Anagogice, Eucherius in lib. III *Reg.* : « Christus, inquit, lilium propter gloriam resurrectionis, foris candidum propter gloriam corporis, intus vero aureum propter fulgorem animæ. Et ante passionem quidem lilium quasi clausum, propter passionem quippe gloria et honore coronatus est; post passionem vero lilium repandum, quatenus in assumpta humanitate potentiam divinæ claritatis, quam habuit apud Patrem, priusquam mundus esset, ostendit. » Theodoretus vero asserit Christum fuisse florem campi in incarnatione, lilium vero convallium in descensu ad inferos : apud inferos enim sunt imæ mundi valles.

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Primo, Christus in anima flos et lilium. *Primo,* Nyssenus, *homil.* 4, docet Christum esse *florem campi* in animabus sanctis, quas gratia sua fecundat, ut fiant instar campi amplissimi et fertilissimi, qui omnes florum species profert. Addit Origenes, *hom.* 3 ex quatuor, Christum incipientibus et simplicibus esse florem campi, at proficientibus lilium convallium pro fulgore sapientiæ et pudicitiæ. Ipse enim est candor lucis æternæ, splendor et figura substantiæ Dei, *Sapient.* VII, 26.

Secundo. *Secundo,* Cassiodorus, Beda et S. Ambrosius, loco jam citato, dicunt Christum esse florem campi in quibuslibet fidelibus; lilium vero convallium, id est humilium, quia in humilibus magis ejus gratia resplendet.

Tertio. *Tertio,* Ambrosius, lib. III *De Virginibus* : « Flos campi, inquit, Christus, quia parentum simplicitatem puræ mentis frequentat; lilium vero convallium, quia est flos humilitatis et simplicitatis. »

Quarto. *Quarto* et aptissime, Christus est lilium in mentibus castis et puris, quales sunt convallium, id est humilium : humilitatis enim germen et flos est castitas et virginitas. Ita S. Hieronymus, epist. 8 *ad Demetr.* : « Christus, ait, quasi auctor virginitatis et princeps loquitur confidenter : Ego flos campi, et lilium convallium. » Rursum ipsa anima casta est lilium. Nam, ut explicat Theodoretus : « Lilium cum exteriori decore splendet, tum aureum intus flosculum continet. Talis est anima justitiæ splendore circumdata, et spiritale sapientiæ cognitionisque donum in intimis penetralibus gestans. »

Hinc et apes castæ et virgines, utpote quæ sine concubitu fœtus procreant et mella conficiunt, delectantur lilio quasi virgineo, teste Plinio, lib. XXI, cap. XII. Hac de causa angelus e cœlo detulit S. Cæciliæ et S. Valeriano, in conjugio servantibus virginitatem, coronas e rosis et liliis, uti habet eorum *Vita.* Item accidit SS. Juliano et Basilissæ, ut patet ex eorum *Vita* apud Surium, die 9 januarii, atque aliis ejusdem generis et virtutis. Virginibus ergo calathis date lilia plenis.

Quinto, Christus lilium convallium, quia in vallibus, id est humilibus, excitat spem futuræ gloriæ : Deus enim humiles exaltat et glorificat. Lilium enim symbolum est spei. Causam dedi, *Ose.* XIV, 6, ad illa : « Israel germinabit sicut lilium. » Convallis ergo humilitatis est lilietum virginitatis, gratiæ et gloriæ. Quinto.

Denique Christus in sanctis omnibus ut lilium floret et fragrat, scilicet ut lilium puritatis in virginibus, patientiæ in martyribus, humilitatis in cœnobitis, pœnitentiæ in pœnitentibus, doctrinæ in doctoribus, etc. Unde S. Gregorius : « Bene, inquit, florem Christus se nominat, qui dum spinas peccatorum exterminat, mentem sponsæ et pulchritudine suæ justitiæ exornat, et naribus cordis dum cœleste desiderium applicat, interiora animæ quasi odore refocillat. » Sexto.

Clarius S. Bernardus, *serm.* 47 : « Flos, inquit, est virginitas, flos est martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo. » Et post nonnulla : « Ipse flos horti, virgo virga virgine generatus. Idem flos campi, martyr, martyrum corona, martyrii forma. Denique foras civitatem eductus est, extra castra passus est, in ligno elevatus est spectandus hominibus, subsannandus ab omnibus. Ipse item thalami flos, speculum et exemplum totius beneficentiæ. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Hæc omnia præ omnibus eximie competunt B. Virgini. Singulariter vero, quod ex illa velut campo inarato prodierit flos pulcher, scilicet Christus, atque ex ejus utero velut convalle humillima natum sit lilium pulcherrimum et odoratissimum, scilicet idem Christus, ut paulo ante dixi ex Alano et aliis.

VERS. 2. SICUT LILIUM INTER SPINAS, SIC AMICA MEA INTER FILIAS.

Pro *lilium* Chaldæus, Vatablus et alii vertunt *rosa,* quia hæc spinosa est, et e ramo spinoso nascitur, non lilium. Verum non dicit Salomon lilium hoc nasci e ramo spinoso, sed simpliciter esse inter spinas, *q. d.* Sicut lilium inter spinas

positum effulget, sic amica, id est sponsa mea, emicat inter cæteras mulieres. Rursum sæpe inter sentes et spinas nascuntur lilia, uti cum juxta sepes spinosas plantantur, vel seminantur. Unde Septuaginta vertunt, *sicut lilium in medio spinarum, sic proxima* (Aquila *amica*, quinta editio *dilecta*) *mea in medio filiarum.*

Chaldæus explicans de Synagogæ, id est Judæorum peccantium captivitate, sic exponit, *q. d.* Sicut lilium pungitur spinis, sic Synagoga ob peccata punitur captivitate babylonica vel romana; unde ipse accipiens hæc ut verba sponsæ, id est Synagogæ, sic vertit, *in tempore autem, quo ego declino a viis quæ rectæ sunt coram eo, et ipse aufert majestatem sanctitatis suæ a me, ego comparata sum rosæ, quæ germinat inter spinas, a quibus perforantur et rumpuntur folia ejus : sic ego sum compuncta et scissa propter pessimas impositiones in captivitate, inter provincias populorum.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Ecclesia lilium inter spinas primo, infidelitatis.

Sponsus, vers. 1, nuncupavit sese lilium; nunc idem nomen et laudem transcribit in sponsam, sed addito τῷ *inter spinas*. Lilium vers. 1 explicui; hic explicabo τὸ *inter spinas*.

Primo, Origenes, *hom.* 3 ex quatuor, sic explicat, *q. d.* Sicut lilium satum inter spinas, ex illis exsurgit et enascitur, sic Ecclesia gentium vocata et nata est ex spinis infidelitatis et gentium infidelium. Christus ergo fecit sicut canis venaticus, inquit Hugo, qui feram insequens caput intra spinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat : Ecclesiam quasi feram intra spinas, id est intra reprobos latitantem extraxit, sed punctiones spinarum usque ad sanguinis effusionem sustinuit, in cujus signum coronam spineam portavit in capite super crucem.

Secundo, spinæ judæi, philosophi, politici.

Secundo et magis genuine, *q. d.* Sicut lilium inter spinas, illas decore, odore et candore longe antecellit: sic Ecclesia antecellit omnibus aliis sectis judæorum, philosophorum, politicorum, etc. Ita Origenes, Theodoretus et Justus Orgelitanus.

Tertio, spinæ hæretici et mali christiani.

Tertio, *q. d.* Sicut lilium enascitur vigetque inter spinas, sic Ecclesia viget floretque in medio hæreticorum et malorum christianorum, qui illam velut spinæ pungunt et lacerant; sed ipsa nihilominus velut lilium in suo candore, odore et splendore doctrinæ et sanctitatis permanet, imo inter persecutiones majori odore et fulgore famæ coruscat. Ita S. Gregorius, Aponius, Philo Carpathius, S. Bernardus hic, et S. Augustinus, lib. *De Unitate Eccles.* cap. XIII. Audi Honorium : Sicut ego sum (ait sponsus) lilium convallium, videlicet ornatus humilium : sic eris tu, amica mea, lilium spinarum, id est decus gentium; et sicut ego sum lilium inter spinas, videlicet Judæos me pungentes et lacerantes : sic eris tu, Ecclesia amica mea, inter gentes filias Babylonis, id est confusionis, quæ te multis spinis cruciatam pungent, et multis pœnis lacerabunt. In spina tria notantur, cito floret, cito arescit, aculeis pungit : ita mali cito divitiis florent, in virtutibus cito arescunt, et igni apti sunt, ac malis moribus bonos pungunt.

Spina cito floret, cito arescit, pungit.

Anagogice, S. Augustinus, lib. V *De Baptismo contra donatist.* cap. XXVII, per *sponsam* accipit Ecclesiam electorum, per *spinas* cœtum reproborum, *q. d.* Sicut spinæ circumdant lilium, ita reprobi electos; sed hi inter reprobos gratia et gloria efflorescunt, sicut lilium inter spinas : « nam filiæ, ait Rupertus, cum absolute dicuntur, fere nunquam significationem bonam habent, ut in illis : Filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt, etc., *Gen.* XLIX, 22, et alibi : Multæ filiæ congregaverunt divitias, etc. *Proverb.*, cap. XXXI, vers. 29. Itaque spinæ et filiæ blasphemiæ sunt Judæorum, sectæ sunt hæreticorum. » Porro per *filias* maxime denotat sionidas, id est hierosolymitanas et judæas.

Anagogice.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Primo, tres Patres apud Theodoretum explicant, *q. d.* Inter filias, id est animas sæculares et carnales, quæ voluptatibus carnis effeminantur, iisque velut spinis punguntur cruciantur que, et ut filiæ natæ sunt ex patre diabolo : effloret anima sancta instar lilii, quod nullam victus aut vestitus curam aut sollicitudinem habet, sed omnem illam transcribit in Deum; quare ab eo miro odore et decore vestitur et pascitur. Simili enim modo anima pia nulla carnis cura tangitur, sed in Dei providentia quiescens ab eo alitur, decoratur et illustratur. Unde Christus hac lilii similitudine suadet fidelibus, ne solliciti sint de victu et vestitu, *Matth.* VI, 28. Similia habet Origenes, *homil.* 3 ex quatuor.

Anima pia, lilium inter spinas. Primo.

Secundo, S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.*, per *lilium inter spinas* accipit compunctionem cordis; sic enim ait : « Tanquam lilium inter spinas. Nonne inter asperitates laborum contritionesque animorum boni flos odoris assurgit, quia contrito corde Deus placatur? »

Secundo.

Tertio, S. Gregorius per *lilium inter spinas* accipit vitæ innocentiam inter nocentes : « Bene, inquit, sicut lilium inter spinas, sponsa inter filias esse perhibetur; quia cum multi sint in Ecclesia, qui solis verbis Christum confitentur, operibus vero nihil nisi humanas sollicitudines sectantur, dum sola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ a mortalitatis radice ad cœlestem pulchritudinem assurgit, et munditiæ candorem corde et corpore sibi ipsi custodit, et proximos quosque bonæ opinionis odore reficit. »

Tertio.

Quarto, Nyssenus, *homil.* 4, sic explicat, *q. d.* Quarto.

Sicut lilium inter spinas nascitur et efflorescit, sic anima sancta inter tribulationes in virtute crescit, magisque resplendet. Et S. Ambrosius, *De Institut. Virgin.* cap. XIV : Christus, ait, erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Judæorum qui ipsum calumniati sunt, accusarunt et crucifixerunt. Sui ergo exemplo excitat fideles, ut persecutiones et tribulationes quaslibet forti animo tolerent et superent. Ita Cassiodorus, Aponius et Anselmus. Deus enim totam hanc vitam tot spinis, id est tribulationibus, sepsit, ut anima videns se ubique iis pungi, amorem ab omnibus mundi bonis, utpote spinosis, avocet, eumque totum in Deo sponso collocet. Sic spinæ conservant lilium, id est puritatem et virginitatem animæ. Audi S. Bernardum, *serm.* 48, egregie et sapienter hoc pertractantem : « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina, *Psalm.* XXXI, 4. Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens lilium, o tener et delicate flos ! increduli et subversores sunt tecum : vide quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis : in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his, et minime lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, quia ego vici mundum, *Joan.* XVI, 33. Etsi igitur undique tibi intendi prospicias tribulationum tanquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet, sciens quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit, *Rom.* V, 3. Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent et nitent. Si fœnum, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic custodit, quanto magis amicam et sponsam suam charissimam? Denique custodit Dominus omnes diligentes se, *Psalm.* XIV, 20. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. » Subdit deinde quiddam, quod mirifice vim et splendorem lilii hujus exaggerat et perficit : « Non mediocris, inquit, titulus profecto virtutis, inter pravos vivere bonum, et inter malignantes innocentiæ retinere candorem, et morum lenitatem; magis autem si his qui oderunt pacem, et pacificum, et amicum ipsis te exhibeas inimicis. Id plane tibi similitudinem datam de lilio jure quodam proprietatis specialiter vindicabit, quod ipsas utique pungentes se spinas candore proprio illustrare et venustare non cessat. An non proinde lilium tibi videtur implere quodam modo Evangelii perfectionem, qua orare jubemur pro calumniantibus et persequentibus nos benefacere his qui oderunt nos, *Luc.* VI, 23. Ergo et tu fac similiter, et erit anima tua amica Domini, et laudabit te, de te dicens : Quia sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. » An non hæc magna vis lilii, magna, inquam, virtus animæ sanctæ et apostolicæ, ut spinas non tantum superet, sed eas in lilia convertat, ut ex Saulo faciat Paulum, ex persecutore prædicatorem, ex dæmone angelum? Apposite S. Hieronymus, epist. 140 *ad Principiam*, S. Marcellam et Asellam comparat lilio : « Habes, inquit, in studio Scripturarum et in sanctimonia mentis et corporis Marcellam et Asellam : quarum altera te per prata virentia, et varios divinorum voluminum flores ducat ad eum qui dicit in Cantico : Ego flos campi, et lilium convallium (erat enim Marcella in Scriptura erudita, ut idem Hieronymus docet *epist.* 16); altera ipsa flos Domini (Asella) tecum mereatur audire : Ut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus sic exponit, *q. d.* Sicut Christus velut lilium spinis Judæorum et hæreticorum fuit transpunctus : sic et B. Virgo iisdem fuit compuncta et transfixa. « Itaque, inquit, hæ spinæ et filiæ blasphemiæ sunt Judæorum, sectæ sunt hæreticorum quæcumque hujusmodi spinæ laceraverunt me : quæcumque hujusmodi filiæ tibi inviderunt, et mihi detraxerunt. Ubi ego spinis compungebar, imo et clavis configebar, tu præsens patiebaris mente convulnerata; et ubi tuæ virginitati a filiabus derogatur, mihi quoque invidiose detrahitur. Verum sicut ego spinas pertuli quidem, sed exsuperavi : ita et de te veraciter prædicabitur, quia cunctas hæreses interemisti. » Hinc ait S. Augustinus : « Christus Jesus carnem, Maria virgo immolat mentem. » In *Revelationibus S. Brigittæ*, lib. VI, cap. XXX, S. Agnes revelavit illi, quasi tot ictus gladii B. Virginem sustinuisse per compassionem, quot in filio suo vulnera et plagas prævidebat et videbat. Audi quid de B. Virgine scribat S. Brigitta in *Sermone angelico*, cap. XVI : Sicut rosa crescere solet inter spinas, ita B. Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes; et sicut, rosa crescente, crescunt et spinæ, sic hæc electissima rosa, Maria quanto plus crescebat ætate, tanto fortiorum tribulationum spinis acutius pungebatur : quænam hæ fuerint ejus tribulationes, in sequentibus explicat.

Rursum ex hoc loco censet Galatinus et Bellarminus, tom. III, lib. IV, cap. XV, sine ulla originaria labe conceptam esse Virginem : ut enim ex spinosa planta sine spinis nascitur rosa, in qua mira est et ad aspectum jucunditas et ad odoratum suavitas, sic ex tot peccatoribus nata est innocens et sancta B. Virgo.

Idem dicas de lilio. Quocirca, ut ait B. Petrus Damianus, serm. 3 *De Nativit. Virgin.* : « De spinosa progenie Judæorum nata candescebat munditia virgineæ castitatis in corpore; flammescebat autem ardore geminæ charitatis in mente, fragrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis. » Spinas enim, inter quas lilium esse dicitur, et ex quibus rosa

originem ducit, Deiparæ prosapiam Patres interpretantur, ex qua ipsa nihil asperum, nihil horridum contraxit, sed tota suavis atque amœna, non secus ac lilium et rosa exstitit. Quare Sedulius, lib. II *De Virgine sanctissima*, sic cecinit :

> Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
> Nil quod lædat habens, matremque obscurat honore:
> Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
> Virginis antiquæ facinus nova Virgo piavit:
> Sicut spina rosam, genuit Judæa Mariam.

Addit Dionysius Carthusianus hic : « Quamvis, inquit, fuerint multæ virgines sanctæ, tamen respectu Virginis beatissimæ quasi spinæ fuisse videntur, in quantum aliquid culpæ habebant; et quamvis in se fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorsus exstinctus : fuerunt et aliis spinæ, qui ex earum intuitu concupiscentia pungebantur. Porro Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorsus immunis, fuit fomes in ea plene exstinctus; et tamen intensa charitate erat repleta : quare intuentium corda sic penetravit sua inæstimabili castitate virginea, quod a nullo potuit concupisci; imo potius exstinxit ad horam illorum libidinem. »

Lilium adversus serpentes et venena remedium.

Rursum, sicut lilium valet adversus serpentes et venena, sic B. Virginis invocatio singulare est remedium in omni tentatione vitiorum, et præsertim libidinis, uti experientia constat. Audi Plinium, lib. XXI, cap. XIX : « Radices, inquit, lilii multis modis florem suum nobilitaverunt contra serpentium ictus ex vino potæ, et contra fungorum venena. » Dioscorides vero, lib. III, cap. XC, ubi agit de lilio : « Folia, inquit, herbæ illita serpentum morsibus subveniunt; eadem cocta in aqua ignis adustionibus, et cum aceto condita vulneribus. » Idem Dioscorides, lib. XV, cap. I, de alia lilii specie, quæ latine *iris*, italice vero *lilium cœleste* appellatur, radicem ejus cum aceto potam venenatorum animalium morsibus mederi docet. Et Petrus Matthiolus in *Comment.* addit eamdem radicem in pulverem contusam, cum aceto potam, universaliter adversus omnia venena prodesse.

VOX SPONSÆ.

VERS. 3. SICUT MALUS INTER LIGNA SYLVARUM, SIC DILECTUS MEUS INTER FILIOS.

SICUT MALUS INTER LIGNA SYLVARUM. — Arabicus, *sicut malum punicum in arbore sylvæ, sic dilectus meus inter filios*; Vatablus, *inter juvenes, q. d.* Quanto arbor malus cæteris sylvestribus arboribus enitet, eminet et præstat; quanto præ illis utilem et salutarem aerem impertit, ubi opacat; quanto glandibus sunt meliora poma; quanto homo, qui his vescitur, reliqua omnia animantia, quæ illis vescuntur, antecellit : tanto, atque etiam multo magis, sponsus meus cœlestis reliquis omnibus hominibus et dilectis, id est amatis et amatoribus, præstat. Porro Chaldæus vertit, *ecce sicut pulchra et laudabilis malus citrea inter arbores infructuosas, et totus mundus cognoscit illam : ita Dominator sæculi fuit laudabilis inter angelos in tempore, quo revelatus est in monte Sinai, quando dedit legem populo suo.* Græce μῆλον, latine *malus* vel *melus*, aut ad verbum *melum* (ut habet interpres Origenis, unde et Itali *poma* vocant *mele*), est arbor *pomus* proferens poma. Poma autem generice sunt omnes fructus, qui cortice sunt molli; sicut nuces, qui duro : quare ficus, pyra, uvæ, persica, cerasa, pruna, sorbæ, mespila, olivæ, dactyli, etc., censentur poma.

Pomum commune multis fructibus vocabulum.

Ecclesia laudata a sponso de more laudem in ipsum reciprocat; uterque id facit more bucolico, id est pastoritio et rurali, petita similitudine a rure et arboribus. Inducitur enim hic sponsus quasi pastor, et sponsa quasi pastrix, pascens gregem, colensque hortos, agros et vineas. Dicit ergo : Laudas me, o sponse, quod effulgeam sicut lilium inter spinas; sed hoc habeo a te, qui prius effulsisti sicut malus inter arbores steriles sylvæ : tu enim decorem et præeminentiam mihi, velut sponsus sponsæ communicasti. Sponsus enim sua bona sponsæ facit communia, imo propria.

Christus est *pomus*, primo, propter excellentiam, et præeminentiam.

Primo ergo Ecclesia Christum sponsum comparat malo, id est pomo arbori, quia sicut pomus fructifer excellit reliquis arboribus sylvæ sterilibus et infrugiferis, sic Christus excellit omnes angelos et homines : omnes enim ex se sunt velut arbores infrugiferæ, sed ex gratia Christi et Dei habent, quod ferant fructus virtutum gratiæ et gloriæ. Ita Origenes, Cassiodorus, Beda et alii. Porro S. Bernardus, *serm.* 48, contendit Christum hic conferri et præferri hominibus duntaxat, non vero angelis, idque in rigore verum est, uti censent quoque Nyssenus, Aponius, Philo Carpathius, Rupertus et alii.

Secundo, propter suavem odorem.

Secundo, sicut poma suavem exspirant odorem, sic et Christus suo odore et fama omnes ad se trahit. Hinc pomum hebraice dicitur תפוח *tappuach*, a radice פוח *puach*, id est efflavit, exspiravit, quia poma suavem exhalant odorem. Audi S. Ambrosium, serm. 5 *in Psalm.* CXVIII, vers. 1 : « Tanquam malum in lignis sylvæ. Hujusmodi pomum odorem gratum habet, ut cæterorum pomorum fragrantiam vincat. Christus ergo affixus ad lignum, sicut malum pendens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, quæ peccati gravis detersit fœtorem, et unguentum potus vitalis effudit. »

Tertio, propter varias gratias

Tertio, malus, sive pomus, varias sub se habet species arborum, quæ proinde diversarum specierum poma et fructus proferunt, eaque excellenti sapore, colore et odore, ut sunt mala aurea, medica, granata, persica, cydonia, armeniaca, citria : sic et Christus omnes virtutum et gratiarum species progerminat, ut in virginibus virginitatem, in martyribus martyrium, in contemplantibus contemplationem, etc.

Quarto, quia cl-

Quarto, Christus nobis vere est fructus et pomum, id est cibus quo vescimur et pascimur, tum

bus est quo vescimur.

in Evangelii doctrina, ut Theodoretus, S. Ambrosius, Beda, Aponius et S. Bernardus; tum proprie, uti censet Philo Carpathius, Origenes, Nyssenus et Anselmus, in Eucharistia. Pomum, inquit Nyssenus, tuos sensus oblectat, puta visum colore, odoratum odore, et gustum sapore. Idem facit Christus. Addit Philo Carpathius pomum dare cibum, dare et potum : sic et Christus, inquit, in Eucharistia dat carnem suam in cibum, sanguinem in potum. Unde Aponius et Psellus per *malum* hic accipiunt malum granatum, ex quo succus rubeus et aqueus exprimitur, sicut ex latere Christi in cruce manavit sanguis et aqua. Audi S. Gregorium : « Merito ergo per *malum* Christus, per *sylvestria* vero *ligna* cæteri homines figurantur : quia in solo Christo cibum salutis quoties quærimus, invenimus; in ejus verbis et exemplis, animas nostras fructu suavi et salubri reficimus. Ipse est quippe lignum vitæ, quam nobis tribuit. Ipse est, qui dum nobis semetipsum inspirat, animam pascit. In cæteris vero, si quid refocillationis invenimus, non quod illorum, sed quod Christi est, ab illis sumimus, quia quidquid in eis præter Deum est, mortiferum nobis procul dubio invenimus. »

Quinto, quia in nobis inscritur.

Quinto, Nyssenus, *hom.* 4, docet Christum descendisse in sylvam vitæ hujus, ut ex arboribus sylvestribus faceret frugiferas, puta ex infidelibus hominibus faceret fideles, ex impiis pios, ex incestis castos, ex superbis humiles : sicut ramus mali insertus fago, alterive arbori sylvestri, in ea et ex ea producit suos fructus et poma.

Hæc omnia, mutato nomine, applica animæ sanctæ et B. Virgini.

Pomus est crux Christi.

Denique « malus inter ligna sylvarum » est crux, et Christus crucifixus in medio latronum, ait Aponius, Psellus, Theodoretus, Rupertus et S. Bernardus. Idque

Primo.

primo, quia, sicut Adam peccavit in malo, comedendo pomum a Deo vetitum : sic Christus satisfecit in malo pendens in cruce, ut ibi culpa commissa fuerat, ibi fieret et satisfactio; ac qui « in ligno vincebat, in ligno quoque

Secundo.

vinceretur. » *Secundo*, quia malus speciem habet crucis (æque ac malus in navi, cum suis antennis et velis) : truncus enim speciem habet trabis; rami vero, ligni transversi in cruce : in ramis enim mali divaricatis, perinde ac in ligno transverso, clavis configi possunt extensa crucifixi bra-

Tertio.

chia. *Tertio*, quia id ipsum confirmat id quod sequitur : « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo, » *q. d.* Sub malo, id est sub cruce Christi sedi, ejusque

Quarto.

fructus gustavi. *Quarto*, quia multorum sententia est crucem Christi factam esse ex palma : palma autem est malus, quia profert dactylos, qui cum sint suave et molli cortice, *poma* nuncupantur.

Quinto.

Quinto, quia id significatur, cap. VIII, 5, cum dicitur : « Sub arbore malo suscitavi te, » ubi plura hac de re.

Unde huc alludens Fortunatus, et ex eo Ecclesia in *Officio passionis et crucis*, sic de ea canit :

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis;
Nulla sylva talem profert
Fronde, flore, germine :
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sustinet.

Dicit ergo sponsa : « Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios, » *q. d.* cum S. Ignatio : « Amor meus crucifixus est; » nullum diligo, nisi Christum crucifixum. Et cum S. Paulo : « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, » *Galat.* VI, 14. Audi S. Ambrosium in *Psal.* CXVIII, serm. 5, vers. 1 : « Istæ mansiones sunt crucis Christi et sepulturæ, in quibus vulnerata est Ecclesia, sed vulnere charitatis. Vulnus enim est, quod Christus excepit; sed unguentum est, quod effudit; pomum est, quod pependit. Hoc pomum gustavit Ecclesia, et ait : Et fructus ejus dulcis in faucibus meis. Et ut scias quia pomum est Dominus, legisti supra : Tanquam malum in lignis sylvæ, ita consobrinus meus. »

SUB UMBRA ILLIUS QUEM DESIDERAVERAM, SEDI : ET FRUCTUS EJUS DULCIS GUTTURI MEO.

Septuaginta, *in* (Symmachus, *sub*) *umbra ejus concupivi et sedi*, id est umbram ejus ardenter concupivi, et concupita fruitus sum, sub eaque jucundissime sedi; Vatablus, *cujus umbram expetivi, et sub ea sedebo;* Arabicus, *concupivi obumbrari umbra illius, et sedi.*

Pomi umbra jucundissima.

Persistit in similitudine mali : malus enim meliorem dat umbram, quam platanus, cujus tamen umbra jucundissima æstimatur, teste Plinio, et Platone in *Phædro*, ubi Socratem sub platano disputantem inducit : « Hæc enim platanus, inquit, est admodum patulis diffusa ramis, et procera, et altitudo opacitasque perpulchra nimium et amœna, » etc.

Arbores enim frugiferæ, qualis est malus, uti in se temperatiores et suaviores sunt, quam infrugiferæ et agrestes, ita et temperatiorem suavioremque præ iis emittunt umbram : adde, et fructus, quibus viatorum sub iis degentium famem, æstumque et sitim levent.

Hac umbra adumbratur sponsæ desponsatio.

Nota, τὸ *sub umbra* significat sponsæ desponsationem : sponsa enim olim solebat conopœo, sive umbraculo aut pallio, sponsi tegi, quo significabatur eam ut sponsam sub sponsi esse cura et tutela. Unde Ruth, cap. III, 9, expetens connubium Booz, qui quasi proximus hæres juxta legem veterem eam ducere tenebatur, illi ait : « Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es, » hoc est, me in tuam umbram, puta in tuam familiam, domum, curam et protectionem suscipe, uxorem me ducito, me tibi desponde, et in signum desponsationis sub pallii tui umbra et tegumento me tibi associa. Et Deus Synagogæ,

Ezech. XVI, 8 : « Ecce tempus tuum, inquit, tempus amantium : et expandi amictum meum super te. » Idem fuit ritus gentium. Unde Euripides apud Stobæum, patrem ita filiam instruentem inducit : « Cum sub egregii viri pallium veneris, reliqua studia viro sinito. » Denique B. Virgini dixit Gabriel, *Luc.* I, 35 : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi, » *q. d.* Spiritus Sanctus velut sponsus umbra sua te excipiet, atque in te peraget arcanam Verbi incarnationem. Chaldæus hæc de more accipiens de lege data a Mose Synagogæ et Judæis, sic vertit, *tunc temporis in umbra majestatis ejus desideravi habitare; et verba legis ejus dulcia fuerunt gutturi meo; et præmia præceptorum ejus servantur mihi in sæculo venturo.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Quæres, quænam umbra Christi, quam ambit, et sub qua láte sedet quiescitque Ecclesia, et anima sancta?

Umbra Christi primo, incarnatio.

Respondent, *primo*, nonnulli esse incarnationem, sive Verbum incarnatum : hoc enim ut unicum mille malorum suorum remedium, per tot millia annorum avidissime exspectabat Ecclesia. Verbum enim est lux et lumen immensum, cujus umbra est corpus et humanitas ab eo assumpta; hæc enim velut umbra celat et velat deitatem et majestatem Verbi. Humanitas ergo est umbra divinitatis, quæ per illius tenue velamen obscure pellucet et tralucet.

Secundo, protectio Ecclesiæ et animæ sanctæ.

Secundo, proprie et genuine Christi umbra est ejus providentia, cura et protectio Ecclesiæ et animæ sanctæ, velut sponsæ suæ, juxta illud Isaiæ, cap. LI, 16 : « In umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram. » Ita Origenes, Nyssenus, Cassiodorus, Ambrosius, Philo, S. Anselmus et alii. Ex hac Christi virtute quasi animata S. Petri umbra sanabat quoslibet infirmos, *Actor.* cap. V, 15. Hinc de Christo ait Jeremias : « In umbra tua vivemus in gentibus, » *Thren.* cap. IV, 20, et *Ose.* XIV, 8. Vertunt Septuaginta *ad lectulum nostrum umbrosus*, puta sponsus Christus. Et Psaltes : « Et in umbra alarum tuarum sperabo, » *Psalm.* LVI, vers. 2.

Tertio, Spiritus Sanctus.

Tertio, umbra Christi est Spiritus Sanctus : sicut enim corpus jacit umbram, eaque velatur et obumbratur : ita Christus, qua Deus, spirat Spiritum Sanctum, eoque quasi velatur et tegitur. Hinc Spiritus Sanctus obumbrando B. Virgini, in ejus utero Christi, qua homo est, corpus formavit, organizavit, animavit, Verbo Dei hypostatice copulavit, *Luc.* cap. I, 31; sicut gallina, umbra alarum suarum ovis incubans, calore suo format pullum, animat, vivificat et excludit, ait Theophylactus in *Lucæ* I. Audi S. Gregorium : « Umbra Christi protectio est Spiritus Sancti. Spiritus quippe Sanctus mentem, quam replet, obumbrat, quia omnem tentationum fervorem temperat; et dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxii coloris sustinebat, expellit; et quam jam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra Sancti Spiritus protegens recreat, ut, dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustius currat. »

Quarto, lex vetus.

Quarto, Origenes, Theodoretus, Philo Carpathius et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 5, per umbram accipiunt legem veterem, in qua sedisse se ait Ecclesia ante Christum, cum adhuc degeret in Synagoga Moysis : lex enim erat umbra Evangelii, sicut Moyses Christi, et Synagoga Ecclesiæ.

Quinto, fides.

Quinto, apposite S. Bernardus, *serm.* 48, per umbram accipit fidem, quæ est umbrosa et obscura : per fidem enim ambulamus et non speciem, sed fides deducit nos ad claram visionem in cœlis.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Christus umbra ost animæ piæ. Primo.

Anima sancta sub umbra Christi crucifixi non stat, sed sedet, id est assidue versatur per meditationem, orationem, contemplationem, præsertim dum aliqua tentatione vel tribulatione, velut solis ardore cruciatur et premitur : Christus enim crucifixus uti crucis suæ, sic et roboris participium illi communicat, imo magnis sæpe mirisque a cœlo consolationibus eam mulcet, ut malit esse in cruce cum Christo, quam in deliciis cum mundo. Unde et B. Franciscus Xaverius in laboribus et ærumnis Indicis ita cœlesti dulcedine affluebat, ut clamaret : « Satis est, Domine, satis est; nec enim mens mea in hac vita tantum gaudiorum pondus capit. » Ita S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 5. Hoc est quod canit Psaltes : « Filii autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos, » *Psalm.* XXXV, 8. Notat Theodoretus in *Philotheto*, sive *Historia SS. Patrum*, cap. IX, animam Christo crucifixo devotam, non tantum Christum, sed et vestem ejus, domum, calceos, et quidquid aliquam, quantumvis tenuem, ejus umbram gerit, suspicere, amare et venerari.

Secundo, Eucharistia, umbra Christi.

Secundo, Christi umbra est sacramentum Eucharistiæ, in eo enim sub speciebus panis occulitur deitas et humanitas Christi : quod próinde avide desiderant fideles, ac sub eo secure conquiescunt : ita S. Bernardus, *serm.* 48.

Tertio, Sancti.

Tertio, umbra Christi sunt sancti : sicut enim umbra est imago corporis, sed exilis et inadæquata, ita vita sanctorum est imago vitæ Christi, sed umbratica duntaxat, nec eam adæquans : quare anima pia, dum degit in fidelium et sanctorum cœtu vel congregatione, ab ea velut umbra pro-

tegitur, sanctisque illius exemplis et consiliis confovetur. Ita tres Patres apud Theodoretum.

Quarto, profectus in virtute. *Quarto,* Origenes putat per umbram notari profectum in virtute : sicut enim umbra a meridie crescit in vesperam, sic et virtus animæ sanctæ in dies crescit et proficit. Rursum umbra deducit ad corpus. « Fac igitur, cum umbra dignus fueris, ait Origenes, ut possis capere umbram ejus, et effectus, veniet ad te (ut ita dicam) corpus ejus, ex quo umbra nascitur, tuncque senties fructus ejus dulcedinem, dicesque : Et fructus ejus dulcis gutturi meo. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Umbra notat desponsationem B. Virginis, uti paulo ante dixi, juxta illud, *Luc.* I, 35 : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. » Hæc ergo obumbratio quasi eam despondit Spiritui Sancto, qui proinde in ea Christum, Sanctum sanctorum efformavit, tunc que eam fructu dulcissimo consolationis et contemplationis adimplevit.

Rursum, B. Virginis umbra fuit non tantum Spiritus Sanctus, sed et Christus : hic enim vocatur ejus dilectus, id est sponsus. Hujus enim adventum et incarnationem summe optabat B. Virgo : quare ante ejus adventum sub umbra ejus sedebat, tum quia ex fide Christi in se incarnandi omnem suam gratiam, etiam incarnationem prævium hausit ; tum quia tota ejus spes, desiderium, consolatio, protectio, omneque bonum erat sperare Christum nasciturum, videre et amare nascentem, ac frui jam nato.

Fructus Christi. ET FRUCTUS EJUS DULCIS GUTTURI MEO. — Septuaginta, *faucibus meis* ; Vatablus, *estque fructus ejus palato meo dulcissimus.* Quæres, quis hic Christi fructus ?

Primo. Respondeo, *primus* Christi fructus est remissio peccatorum, justificatio, gratia et virtutes. Item prædicatio apostolorum, et conversio gentium : ita S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 5.

Secundo. *Secundus* fructus Christi sunt fructus Spiritus Sancti, quos enumerat S. Paulus, *Galat.* V, 22, dicens : « Fructus Spiritus est : charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, » etc. Christus enim mittens in apostolos et fideles Spiritum Sanctum in Pentecoste, cum ipso hæc ejus dona et fructus pariter misit. Ita tres Patres apud Theodoretum.

Tertio. *Tertius* fructus realis et corporalis, dulcis gutturi, tam corporis, quam animæ, est Eucharistia, qua nos Christus pascit, ejusque velut mannæ cœlestis dulcedine mentem inebriat. Ita Aponius, Rupertus, et S. Bernardus, *serm.* 48. Amor enim Christi et beneficia, qualis est Eucharistia, variis hic figuris et schematibus repræsentantur.

Quarto. *Quartus* fructus Christi est ejus sermo et doctrina cœlestis, ideoque saluberrima et dulcissima : unde et *Evangelium*, id est *bonum felixque nuntium* appellatur, quia nuntiat regnum cœlorum, modumque eo perveniendi. Ita Nyssenus, *homil.* 4, et S. Ambrosius, annotat. ad cap. XVI *Exodi.*

Quinto. *Quintus* fructus est meditatio jugis in lege Domini, ait Origenes ; ac magis contemplatio Christi, ejusque deitatis, ac incarnationis, passionis, etc. Ita S. Gregorius, quem audi : « Arbor fructifera ipse Christus in corde nostro plantatus per fidem exsistit, quam si mens nostra digne diligit, et instanter excolit, fructus nimirum interius pulchros et utiles gignit. Quos dum mens capiens avide comedit, omnes mundi voluptates pro ejus dulcedine postponit. Dulce enim est valde sibi cœlestia cogitare, in æternitate oculum intimum figere, ut aliquando in fletibus etiam mens accensa compungatur, et inter lacrymas sublevata angelorum cibo, ipsa videlicet sapientia quanto dulcius, tanto avidius pascatur. Inde est quod subditur : Introduxit me in cellam vinariam. » Ita contemplatione Christi quasi manna cœlesti pascebatur S. Magdalena sedens ad pedes Jesu ; unde ab eo audire meruit, *Luc.* X, 42. « Maria optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum. » Et S. Augustinus in *Soliloq.* cap. XXII : « Obsecro, ait, ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis appareas animæ meæ. » Idem in *Manuali,* cap. XX : « Anima amans, inquit, trahitur votis, fertur desideriis, dissimulat merita, majestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens se in salutari, et fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit et excedit a corporeis sensibus, ut sese non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit cum mens ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodo sese sibi furatur, imo rapitur atque labitur a seipsa, ut Deo fruatur ad jucunditatem. Nihil tam jucundum, nisi esset tam modicum. Amor dat familiaritatem, Dei familiaritas ausum, ausus gustum, gustus famem. Anima quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nihil desiderare, sed frequenter suspirat dicens : Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus meus. » Et post nonnulla : « Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito : patent mihi viscera per vulnera : quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Vulnera Jesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate. » Ita S. Bonaventura visitatus a S. Thoma Aquinate, rogatusque ex quonam libro tam sapientia, tam pia et dulcia hauriret sensa et verba quæ docendo et scribendo eructabat, ostendit ei effigiem Christi crucifixi, dixitque : « Iste est li- Crucifi-

rus liber S. Bonaventuræ.

ber, Pater mi, qui mihi suggerit omnia quæ doceo et scribo. Ad pedes enim hujus crucifixi anima mea majora haurit e cœlo lumina, quam ex omni lectione, disputatione et studio. » Ita noster P. Ribadeneira in *Vita* S. Bonaventuræ ex Chronicis S. Francisci.

Anagogice.

Anagogice S. Bernardus, *serm.* 48 : « Ait, inquit : Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Merito ejus desideraverat umbram, de quo et refrigerium esset et refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem silvarum ligna, etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus mediator, Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dicit sponsæ suæ : salus tua ego sum. Non Moyses, inquit, dedit vobis panem hunc de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, *Joan.* VI, vers. 32. Propterea ergo Christi potissimum desideraverat umbram, quod solus sit, qui non solum ab æstu refrigerat vitiorum, sed et replet delectatione virtutum. »

VERS. 4. INTRODUXIT ME IN CELLAM VINARIAM, ORDINAVIT IN ME CHARITATEM.

INTRODUXIT ME IN CELLAM VINARIAM (Hebræa, *in domum vini*, Hebræi enim cellam, stabulum, cubiculum, imo omne vas et receptaculum vocant *domum*), ORDINAVIT IN ME CHARITATEM. — Apte ad seriem dramatis postquam dixit sponsa : « Fructus ejus dulcis gutturi meo, » subjungit : « Introduxit me rex in cellam vinariam, » quia fructus, id est cibus et comestio excitat sitim, quam proinde ut levet sponsa, post comestum fructum inducitur in cellam vinariam. Rursum, ut recte S. Bernardus, *serm.* 49 : « Habito, inquit, pro votis dulci admodum familiarique colloquio cum dilecto, illo abeunte sponsa regreditur ad adolescentulas, aspectu ita ipsius affatuque refecta atque accensa, quatenus ebriæ similis appareret. Et quasi illis stupentibus novitatem, et quærentibus causam, respondit mirum minime esse, si vino æstuaret, quæ in cellam vinariam introisset; et secundum litteram ita. Secundum spiritum quoque non negat ebriam, sed amore, non vino, nisi quod amor vinum est. »

Verba sponsæ ad adolescentulas.

Sunt ergo hæc verba sponsæ ad socias, sive adolescentulas, quibus narrat se a sponso inductam in cellam vinariam, ibique vino charitatis potatam, ordinem pariter charitatis accepisse. Porro Septuaginta vertunt, *introducite* (o adulescentulæ, vel potius, o socii sponsi, puta apostoli et doctores) *me in cellam vinariam, ordinate in me charitatem, q. d.* Ego amore sponsi ardeo, ideoque spirituali siccitate et siti æstuo : vos ergo, o socii sponsi, inducite me in cellam vini, ubi sitim hanc restinguam, ac simul ordinate in me charitatem, id est ornate me iis vestibus, monilibus, cæterisque omnibus, quæ me sponso amabilem faciant, quæque sponsam tanti sponsi deceant, ut nuptias cum eo devote celebrare merear. Hinc et Syrus more suo sequens Septuaginta vertit, *introduxerunt*; Noster melius cum Chaldæo, Vatablo et aliis vertit, *introduxit* : hoc enim significat hebræum הֵבִיאַנִי *hebiani*.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Inducta est sponsa a sponso ab umbra mali in cellam vini, id est in locum deliciarum et nectaris, ubi bibit vinum charitatis, ut mysteriorum gratiam, et lætitiæ capiat suavitatem, ait S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 5.

Cella vinaria quæ? Resp. Primo, gymnasia vel templa.

Quæres, quænam sit hæc *cella vinaria? Primo*, Origenes, *homil.* 3 ex quatuor, Theodoretus et alii accipiunt *domum sapientiæ*, puta gymnasia vel templa in quæ inducitur populus fidelis, ut ibi a doctoribus et prædicatoribus hauriat vinum veræ sapientiæ, id est cognitionis, timoris et amoris Dei. Hinc S. Gregorius et Aponius per *cellam* hanc accipiunt sacram Scripturam, hæc enim vinum sapientiæ cœlestis nobis propinat; et per hanc, ait S. Gregorius, in sponsa charitas ordinatur : quia in ejus doctrina manifeste discitur, qualiter Deus et proximus ordinate diligatur. Huc accedit Chaldæus, qui tamen more suo Synagogæ legi Moysis hæc adaptat : « Dixit, inquit, cœtus Israel : Introduxit me Dominus in domum gymnasii doctrinæ Israel in montem Sinai, ut discerem legem ex ore Moysis scribæ magni. » Huc facit, quod Christum legem veterem vocat *vinum vetus*; novam vero et Evangelium, *vinum novum*, quod in utres novos mittunt, et ambo conservantur, *Matth.* cap. IX, vers. 17.

Secundo, altare.

Secundo, alii melius per *cellam vinariam* accipiunt altare : in hoc enim sacerdotes consecrant, hauriunt et distribuunt vinum eucharisticum, puta sanguinem Christi, juxta præceptum Christi. Ita Nyssenus, *homil.* 4, Psellus, Rupertus et Paschasius Radbertus, tract. *De Eucharistia*, cap. XI. Sic sensus est, *q. d.* Ipsemet rex sponsus me introduxit in apothecam vini, hoc est, jussit introire ad altare Dei, et illic sumere calicem salutaris Domini, qui Deum lætificat, qui hominem vivificat : sic pro vinea quam dereliqui, cellaria melioris nectaris sum adepta. Alludit Salomon hic ad illud Proverbiorum, cap. IX, vers. 1 : « Sapientia ædificavit sibi domum, etc. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. » Vide ibi dicta.

Tertio, congregatio fidelium in die Pentecostes.

Tertio et valde apposite, *cella vinaria* est congregatio fidelium in Sion, cui e cœlo data est plenitudo Spiritus Sancti in Pentecoste, quo apostolos et fideles cœlestibus donis, ardoribus et fervoribus implevit, ut velut musto amoris divini ebrii eructarent magnalia Dei, *Actor.* II. Ita Justus Orgelitanus et S. Bernardus, *serm.* 49 : « An non, inquit S. Bernardus, tibi cella videtur fuisse vinaria illa domus, in qua erant discipuli pariter congregati, *Actor.* II, 2. cum factus est repente de cœlo

sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, adimplevitque prophetiam Joel? Et nonne unusquisque illorum exiens inebriatus ab ubertate domus illius, et torrente voluptatis tantæ potatus, dicere merito quibat : Quoniam introduxit me rex in cellam vinariam. » Vide eumdem S. Bernardum, serm. 3 *De Pentecoste*. Cella vinaria ergo est plenitudo Spiritus Sancti, sive charitatis et zeli.

Symbolice, cella vinaria mysterium incarnationis.

Symbolice, tres Patres apud Theodoretum, per *cellam vinariam* accipiunt mysterium incarnationis, quasi Ecclesia dicat angelis, vel apostolis et doctoribus : « Introducite me in *cellam vini*, hoc est, docete me divinas incarnationis rationes; Deum enim Verbum appellat *vinum*, quod animas gustantium lætitia afficit, ad divinitatemque perducit. Hujus cella caro est ab ipso assumpta; quam quidem in cellam Ecclesia introducitur, una caro cum Christo futura. Sic enim Apostolus locum illum : Et erunt duo in carne una, interpretatur, *Ephes.* v, 32 : Ego autem, inquit, dico in Christo et in Ecclesia; fidelium enim Ecclesia dum carnis et sanguinis Christi particeps, atque unum cum ipso corpus efficitur, incarnationisque rationes ab angelis discit, atque eas moribus comprobat, in *vini cellam* ingreditur. In me introducta ordinate charitatem, illam scilicet divinæ gratiæ communionem, qua vos ordine fruimini, in me quoque, fideles singulos pro cujusque ratione divinis mysteriis instituentes, ordinate. »

Mystice, cella vinaria, Ecclesia.

Mystice Theodoretus, Cassiodorus, Beda et Anselmus per *cellam vinariam* accipiunt Ecclesiam, in qua haurimus vinum sapientiæ et amoris divini. Vide Hugonem de S. Victore, serm. 45 *Instit. monast.*, ubi singulas animas hujus cellæ esse dolia ostendit. Unde Origenes, *homil.* 2 ex duabus, sponsum sic ad novitios loquentem inducit : « Introducite me in *domum vini*. Cur tamdiu foris maneo? Ecce sto ante ostium, et pulso : Si quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Catechumenis pariter loquitur : Introducite me, non simpliciter in domum, sed in *domum vini*. Impleatur vino lætitiæ, vino Spiritus Sancti anima vestra, et sic introducite me in domum vestram, sponsum, Verbum, sapientiam, veritatem. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Cella vinaria animæ.

Cella vinaria est domus orationis ac studium orationis et contemplationis; in ea enim Deus proponit fidelibus vinum consolationis, exsultationis, amoris et fervoris divini. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Haymo, S. Bernardus et alii. Audi S. Gregorium : « Quid enim, inquit, per *cellam vinariam* congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spiritali satiantur. Hanc sancta mens, si a sponso introducatur, postpositis omnibus temporalibus intrat, in qua ex illis angelicis deliciis quantum sibi conceditur gustat. Et si adhuc quia in corpore corruptibili detinetur, se perfecte non satiat : tamen ex illo minimo, quod cursim sumit, considerat, quantum debeat amare quod amat. » Et S. Bernardus, *serm.* 49 : « Si quis, inquit, orando obtineat mente excedere in id divini arcani, unde mox redeat divino amore vehementissime flagrans, et æstuans justitiæ zelo, necnon et in cunctis spiritualibus studiis atque officiis pernimium fervens, ita ut possit dicere, *Psalm.* XXXVIII, 4 : Concaluit cor meum intra me, et in meditationibus meis exardescit ignis, is plane, cum ex charitatis abundantia bonam et salutarem vini lætitiæ ructare crapulam cœperit, in cellam non immerito perhibebitur vinariam introiisse. Cum enim duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, et alter in affectu; unus in lumine, alter in fervore; unus in agnitione, alter in devotione : pius sane affectus, et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et vehemens spiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam e cella vinaria reportantur; et cuicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui, quia introduxit me rex in cellam vinariam. »

Tres sponsi cellæ.

Idem S. Bernardus, *serm.* 23, tres sponsi cellas assignat, aromaticam, unguentariam, et vinariam : *primam* ait esse disciplinæ; *secundam*, naturæ; *tertiam*, gratiæ. Additque dici vinariam, « quod in ea vinum zeli in charitate ferventis reconditur. Nec debet omnino præesse aliis, qui in eam necdum meruit introduci. Oportet prorsus hoc vino æstuet, qui aliis præsidet, quemadmodum Doctor gentium æstuabat quando dicebat, II *Corinth.* XI, 29 : Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Alioquin improbe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas; et quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vindicas tibi. »

Vinum charitas et amor.

« Porro vinum, quod in cella Dei bibitur, est charitas et amor, inquit Guilielmus. Hoc vino nihil castius, sapidius, calidius : castius, quia quo magis bibitur, eo magis exstinguit sitim concupiscentiæ; sapidius, quia præbet gustum, quam suavis sit Dominus, et ideo lætificat cor hominis; calidius, quia velut ignis mentes piorum inflammat, renes urit et corda, potenter inebriat animam, et usque ad oblivionem sui inducit : plane tales ebriosi regnum Dei possidebunt. »

Unio regalis cum Christo in Eucharistia, quæ?

Mystici, sive contemplativi, per *cellaria* accipiunt intimam et summam animæ non cujusvis, sed sponsæ, id est eximie sanctæ et contemplativæ cum Christo in Eucharistia unionem, quæ non solum per communem charitatis affectum fiat sed per effectum etiam, et realem purissimarum mentium cum Christo conjunctionem, quæ

in profundo cordis, et quasi in centro animæ intimo et ineffabili amoris actu, complexuque mutuo perficitur, ad quam ab illa per singularem Dei bonitatem feliciter aliquando transitur, sicut in oratione divina a contemplatione ad realem cum Deo unionem, atque complexum nonnunquam pervenitur. Hanc autem felicissimam unionem nihil aliud esse dicunt, quam intimam manifestationem ipsius Christi præsentiæ in hoc Sacramento latentis, non tam per visionem et revelationem, quam per amplexus dulcissimos, quibus animam ita ineffabiliter ac suaviter astringit, ut ipsa realem ejus præsentiam, oscula et amplexus certissime percipiat, ejusque bonitatem et ineffabilem dulcedinem in suo fonte degustet.

Fit per illapsum Christi.

Hæc unio mirabilis, si ex parte Christi consideretur, nihil aliud est quam illapsus, sive manifestatio ipsius Christi occulte in Sacramento exsistentis, se tamen ostendentis purgatissimis mentibus sub ratione summæ lucis, et ineffabili quodam contactu ad carnem spiritumque pertingentis : qui contactus nihil aliud est quam dulcissimus amplexus, et deosculatio Christi, qua sponsam dilectissimam suaviatur. Ex parte vero animæ est mutuus amplexus, quem consequitur experimentalis ipsius Christi perceptio, per quem spiritalis dulcedo in ipso Deo possidetur. Ea porro perceptio nullius hominis meritis, aut dispositioni respondet, cum sit gratia gratis, et ex mera Christi liberalitate paucissimis concessa. Ita ex S. Cypriano, S. Bernardo, S. Bonaventura et aliis noster Salianus, lib. XI *De Amore Dei*, cap. XII. Longe intimius, profundius, jucundius, ineffabilius animæ beatæ uniuntur Deo per visionem et amorem beatificum, quo in divinitate, quasi in pelago felicitatis bonorumque omnium merguntur et absorbentur, ut aliud cogitare, velle, amare, desiderare nequeant, quam Deum vel propter Deum.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Rupertus B. Virginem asserit in *cellam vinariam* introductam, cum, deficiente vino in nuptiis in Cana Galileæ, vinum delicatissimum per Christi miraculum convivis procuravit; ac in nuptiis totius mundi, id est in toto genere mortalium, procuravit per Christum vinum mysticum, puta incorruptionem animarum et immortalitatem corporum. « Introduxit ergo me in cellam vinariam, inquit, et ordinavit in me charitatem, id est, intelligere me fecit se ad hoc venisse, ut humani generis aquaticam infirmitatem in suum vinum, id est in suæ immortalitatis converteret fortitudinem, et quod affectibus meis divinam voluntatem præferre deberem. Hoc est enim ordinatam habere charitatem, optare quidem ut non moriatur talis dilectus, sed amplius desiderare totius humani generis salutem. »

Variæ versiones.

ORDINAVIT IN ME CHARITATEM. — Hebraice דגלו עלי אהבה *dighlo alai ahava*, id est *vexillum ejus super me charitas*; Septuaginta videntur legisse (uti et jam legunt nonnulli) alio puncto דגלו *dighlu*, id est *vexillate* sive *ordinate*; unde vertunt, *ordinate super me charitatem*; et Symmachus, *coacervate super me charitatem*; et S. Ambrosius, serm. 5 *in Psalm.* CXVIII, *constituite in me dilectionem*; et rabbini veteres, *insignem facite*, vel *magnificate super me charitatem*. Noster omissa ultima littera ו *vau*, videtur legisse דגל *dagal*, id est *vexillavit*, id est vexillum erexit, hoc est, *ordinavit in me charitatem*. Verum non est necesse huc confugere : ex hebræo enim *dighlo alai ahava*, id est, *vexillum ejus super me charitas*, si subaudias verbum præsens *est*, recte vertas, *vexillum ejus super me est charitas*, hoc est, *vexillavit super me charitatem*, sive vexillum charitatis super me erexit, quod Noster apte vertit, *ordinavit in me charitatem*, eo sensu quem mox dabo; Septuaginta vero subaudientes optativum vel imperativum *sit*, vel *esto*, vertunt, *vexillum ejus super me sit charitas* : subaudi et propone : *Efficite ut vexillum ejus super me sit charitas*, hoc est, *vexillate*, sive *ordinate super me charitatem*. Septuaginta sequuntur Symmachus, S. Ambrosius et rabbini; S. Hieronymus vero, lib. III *in Zachar.* cap. XIV, legit, *ponite super me charitatem*; Syrus, *ordinaverunt erga me*, vel *contra me amorem*; denique Arabicus, *ordinaverunt adversus me tentationem*, vel *probationem*.

Quæres, cur Noster et Septuaginta hebræi דגל *dagal*, id est *vexillavit*, sive erexit vexillum, vertunt *ordinavit*? Respondeo, quia τὸ *ordinavit* est hic verbum militare, et significat ordines exercituum, castrorum et acierum. Tota enim vis, totumque robur exercitus consistit in recta ejusdem ordinatione, quæ si servetur, certa est spes victoriæ : sin ordines turbentur, certa ejus est clades et ruina. Audi Vegetium, lib. II *De Re militari*, cap. XIII : « Antiqui, quia sciebant in acie, commisso prælio, celeriter ordines aciesque turbari, ne id posset accidere, cohortes in centurias diviserunt, et singulis centuriis singula vexilla constituerunt, ita ut ex qua cohorte vel quota centuria esset, in illo vexillo litteris esset adscriptum, quod legentes vel intuentes milites, in quovis tumultu a contubernalibus suis aberrare nossent. »

Idem, cap. XX, docet Romanos partem stipendii militum apud proprium cujusque cohortis vexillum deposuisse, ut pro eo fortius dimicarent milites, cum scirent se pro suis stipendiis dimicare. Dicit ergo sponsa : Sponsus in cellam vini me inducens, vinoque charitatis me potans, adeo illa me replevit et roboravit, ut exercitum ex ea validum, aciemque robustam in me videatur instruxisse et ordinasse, qua contra omnes hostes, persecutiones, tentationes, tribulationes,

concupiscentias et vitia fortiter æque ac sapienter confligam, vincam, ac invicta de iis triumphem. Officia enim et actus varii charitatis, sunt quasi multi milites charitatis, qui juncti ejus exercitum conflant. Unde Symmachus vertit, *coacervate super me charitatem.*

Ut exercitus, sic charitatis robur in ordine consistit.

Porro, sicut in exercitu robur consistit in recta militum dispositione et ordinatione : sic et robur charitatis consistit in recta officiorum et actuum ejus distributione et ordinatione. Primo enim diligendus est Deus, deinde propter Deum anima propria, tertio proximus, isque suo gradu et ordine : primo enim diligendi sunt parentes corporales et spirituales, deinde fratres, mox cognati, inde cæteri homines, quisque suo gradu et ordine. Quod si ordinem charitatis invertas, charitatem perdis et evertis. *Ordinavit* ergo *in me charitatem*, non aliud est quam si dixisset : Statuit me sub vexillo charitatis, jussit me in hoc ordine militare. Recte vero Noster, sicut et Septuaginta, usus fuit verbo ordinandi, tum quia, ut ait D. Augustinus, lib. XV, cap. XXII *De Civit. Dei*, « nihil est aliud perfecta et vera virtus, quam ordo amoris »; tum quia sponsa his verbis hoc voluit : Non sum suavi illo nectare dementata, non ebullit in me concupiscentia, non agor in furorem, aut vagor bacchabunda; sed probe mihi consto, sobrius est amor meus, et rerum personarumque quam oportet, æstimationem, et dispositiones, ordinemque plene teneo, quia sequor charitatem quasi cynosuram; hæc semper ordinata est, non minus quam acies instructa suis vexillationibus. Sic enim charitas primo loco Deum collocat, se secundo, tertio proximos; et hos ipsos quosdam in principiis, quosdam in media acie, quosdam in agmine extremo. Ita Nyssenus, Aponius, Honorius, et alii hic, ac S. Fulgentius, libro I *ad Monim.* cap. XX, S. Augustinus vel quisquis est auctor (stylus enim a S. Augustino dissonat) lib. *De Substantia dilectionis*, cap. IV et V, atque ex iis Delrio. Huc facit officiorum, velut militum, in Ecclesia distributio et distributus ordo, de quo Apostolus, I *Cor.* XII, 4 : « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Dominus : et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. » Et post nonnulla, vers. 28 : « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. »

Lib. XV. c. XXII. *De Civ. Dei.*

Vexillare charitatem multa notat. Primo.

Porro ex Hebræo דגל *dagal*, id est *vexillavit*, multiplices, iique sapidi et profundi, erui possunt sensus. *Primo*, Vatablus vertit, *cujus* (sponsi) *vexillum erga me est dilectio.* Solent enim duces vexillo post se trahere milites, ita sponsus sponsam amore tanquam vexillo, ad se suaque castra attraxit.

Secundo.

Secundo, sicut in arce capta victoris elevatur vexillum, in quo expressum illius insigne conspicitur : sic sponsa victa beneficiis sponsi, iisque capta est et possessa, ut charitas, quæ sponsi est vexillum, super ipsam jam sit erecta. Unde Chaldæus vertit, *et vexillum præceptorum ejus suscepi super me in dilectione, et dixi : Omnia, quæ præcepit Dominus, faciam et audiam.*

Tertio.

Tertio, Gislerius, *q. d.* Introducens me sponsus in domum vini, in domum amoris ac voluptatis, erexit in me, quem in omnibus sequerer, amorem, illum mihi proposuit, quem sequerer, quemque illæsum servarem jugiter, æque ac vexillum sequuntur tutanturque milites.

Quarto.

Quarto, Sotomajor, *q. d.* Sicut in acie bene ordinata solent milites, legiones, cohortes et decuriæ vexillum, seu vexilliferum intueri ad victoriam et gloriam : sic ego sponsum meum semper amori meo, velut scopum propositum habeo, atque omnes actiones meas ad eum dirigo et exigo, ut sint Deo gratæ, honestæ et bene ordinatæ, et denique gloria dignæ, juxta illud quod præcepit Paulus, I *Corinth.* cap. X, 31 : « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite. »

Labarum Constantini, unde sit dictum?

Porro vexillum charitatis Christi est vexillum crucis. In cruce enim invictam et summam charitatem, tum erga Deum, tum erga homines Christus ostendit; unde per eam de peccato, morte, diabolo et inferno triumphavit. Quocirca Constantinus Magnus hoc crucis vexillum sibi in cœlo cum hoc lemmate ostensum : « In hoc signo vinces, » castris suis contra Maxentium aliosque tyrannos prætulit, ac labarum quasi *laborum* ὅρος, id est *finem* et *terminum* nuncupavit; nam per illud omnes hostes prostravit, teste Eusebio, lib. I *De Vita Constant.* cap. XXII et seq.

Quinto.

Quinto, Titelmannus ex Chaldæo vertit, *glutinum ejus*, sive *junctura ad me est charitas, q. d.* Sponsus per charitatem mihi intime conjungitur, et quasi per glutinum conglutinatur, sicut conglutinantur chartæ.

Sexto.

Sexto, Rabbini vertunt, *insignivit in me charitatem*, vel *insigne ejus ad me dilectio, q. d.* Sponsus non vulgariter, sed insigniter me amat; nam insignia et eximia dilectionis officia mihi exhibuit. Aut magnam, insignem et ardentem charitatem qua eum redamem, mihi infudit.

Septimo.

Septimo, nervose præ omnibus noster Sanchez cum Syro vertit, *amorem contra me tanquam exercitum vexillatum*, id est per acies et vexilla digestum, *instruxit*, *q. d.* Non potui resistere sponsi viribus, quia ipse omnes amoris vires in me effudit, quia suis officiis et beneficiis me obruit, et quasi sagittis amoris confixit et vulneravit : amore ergo victa, confixa et obruta victori me totam dedo et devoveo. Acies autem, quam ordinavit sponsus in me, et qua munitus animum meum expugnare aggressus est, illa sunt quæ ad redamandum vehementer alliciunt : in primis ipsi sponsi mei mitissimi mores, studium in me singulare, liberale ingenium, eximia forma, amatoriæ blanditiæ, munera exquisita, dotalis vinea,

et alia quæ hoc capite et deinceps explicantur latius. His omnibus tanquam armis oppugnavit sponsam, his telis confixit, his charitatis vinculis attraxit, his illam sibi ipsi violenter eripuit. Accedit quod verbum græcum τάττω id plane significat : unde τάξις, dicitur acies; et idem non obscure innuunt Septuaginta dum vertunt, *quia vulnerata charitate ego* ; et Symmachus, τετρωμένη φίλτρῳ, quod est quasi instrumentum et telum amoris.

Huc pertinet expositio Cassiodori et Bedæ, qui « ordinavit in me charitatem » sic exponunt, *q. d.* Deus prior dilexit me, itaque me ad se redamandum compulit. Addit Beda Deum ordine quodam homines dilexisse, *q. d.* « Omnia quidem membra mea, omnes electos pia sibi charitate copulavit, sed eminentiora quæque ampliori, ut decet, affectu complexus est. Omnes quippe dilexisse patet ex illis verbis : Cum dilexisset suos, qui in mundo erant, in finem dilexit eos. Et tamen indulgentior in quemdam amor intimatur, cum dicitur : Discipulus ille, quem diligebat Jesus. » Adjungit Beda deinde Deum suam hanc in Ecclesiam charitatem, quibusdam profectuum gradibus per temporum intervalla monstrasse.

Octavo. *Octavo*, Septuaginta vertunt, *ordinate super me charitatem*, ut sicut sponsus sponsam ambiit, sic vice versa sponsa sponsi nuptias ambiens, dicat sociabus : Eia meam charitatem ordinate, ac velut instructam aciem sponso meo proponite, ut is in amoris domo ab amore meo vincatur, mihique in sponsum se dedat. Unde subdit : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, » *q. d.* Significate sponso amoris mei vehementiam, et ex ea languorem, ut is eo vulneratus amori succumbat, meque sui amantissimam vehementissime redamet : charitatis ergo acie et vexillo, non tantum contra omnia adversa, sed etiam contra Deum confligimus et superamus, sicut Jacob cum eo conflixit, indeque vocatus est *Israel*, id est *dominans Deo, Genes.* XXXII, 28. Talis charitatis athleta, imo dux et ductor erat S. Paulus, qui proinde charitatis aciem instruens : « Quis, inquit, nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? etc. Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei; quæ est in Christo Jesu Domino nostro, » *Rom.* cap. VIII, vers. 35 et 39.

Denique vox *vexillavit*, et *vexillum* significat Ecclesiam et sponsam esse militantem per totam hanc vitam, ac continuo confligere debere cum dæmone, mundo et carne; sunt enim hæ duæ civitates, scilicet Dei et diaboli, sive piorum et impiorum, inter se contrariæ et hostiles, quæ perpetuo inter se confligunt, ut docet S. Augustinus, lib. *De Civit.* Unde et noster fundator S. Ignatius in lib *Exercit. spiritual.* exercitium proponit duorum vexillorum : unum est Christi, alterum Luciferi, ac quisque milites conscribit, et quos potest, ad suum vexillum advocat. Vexilli Christi insigne est charitas, Luciferi cupiditas. Porro in *cella vinaria* utriusque, bibitur utraque; ubi rursum alluditur ad eos qui conscribunt milites : hi enim in tabernis hospitantur, ibique adventantibus vina propinantes, sic eos ad nomen militiæ dandum alliciunt. Rursum Cosaki, Hollandi, aliique plures, cum quid arduum et periculosum aggredi volunt, solent dolia vini (idque subinde adusti) militibus proponere, ut vino æstuantes metum mortis ponant, ac animosi in hostem ruant. Sic Christus sanguine suo nos in Eucharistia potat, ut ejus amore ebrii, in mortem et martyrium, si opus sit, generose procurramus.

Duo vexilla militaria, Christi, et Luciferi.

Tropologice, charitas eminet cæteris virtutibus, et super omnes vexillum erigit, ad illudque omnes convocat; quod si illud sequantur, omnia transcendunt, seseque magna laude et meritis cumulant, ut docet Apostolus, 1 *Cor.* XIII, 4 : « Charitas, inquit, patiens est, benigna est, » etc Hinc charitas cæteras virtutes quasi acies Dei ordinat : *Primo* loco ponit fidem; *secundo*, humilitatem; *tertio*, spem; *quarto*, pœnitentiam; *quinto*, patientiam; *sexto*, misericordiam, etc. Rursum hic ordo charitatis virtutes ipsas stabilit, facitque firmas et solidas. Unde S. Ambrosius, *Psalm.* CXVIII, serm. 5, vers. 1, legit, *constituite in me dilectionem*, sicque explicat : « Bona stativa (statio et munitio militaris) ubi plenitudo est charitatis. » Nyssenus vero, *homil.* 4, Græcum τάξατε, referens ad τάξεις, id est ordines militares, vertit, tum *ordinate*, tum *constituite* et *confirmate* : « Quoniam, inquit sponsa, quæ primo fuerat dilecta, per inobedientiam fuit inter inimicos reputata, nunc ad eamdem reversa est vitam, per charitatem Domino conjuncta, ea nunc dicit : Confirmate mihi hanc gratiam, eamque stabilem facite et immobilem, vos amici sponsi, studio et diligentia mihi conservantes propensionem ad id quod est melius. »

Tropologice, charitas vexillum erigit virtutum.

Denique arma, id est officia charitatis, sunt invicta, nec quis eis resistere valet, juxta illud cap. VIII, 6 : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, etc. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Quin et philosophi idem senserunt : « Si vis amari, inquit ille, ama. »

Ut præstem Pyladen, aliquis se præstet Orestem :
Hoc non fit verbis; Marce, ut ameris ama.

Vis ergo inimicum superare, imo subjugare, tibique facere amicum, præveni eum officiis et beneficiis : sic enim « carbones ignis congeres super caput ejus, » *Rom.* XII, 20.

Hinc S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* cap. XXII, docet quod virtus non est aliud quam ordo amoris, nec vitium aliud quam inordinatio amoris. Omnis enim creatura, inquit, cum bona sit, et

Virtus est ordo amoris, vitium inordinatio.

bene potest amari, et male : bene, scilicet ordine custodito; male autem, ordine perturbato, etc. « Unde mihi videtur, quod diffinitio brevis et vera virtutis, ordo est amoris, propter quod in sancto Cantico canticorum cantat sponsa Christi, civitas Dei, ordinate in me charitatem. Hujus igitur charitatis, hoc est dilectionis et amoris ordine perturbato, Deum filii Dei neglexerunt, et filias hominum dilexerunt. Quibus duobus nominibus satis civitas utraque discernitur. » In civitate enim Dei est ordo amoris, in civitate vero diaboli est inordinatio amoris : quia pii amant Deum super omnia, creaturas omnes propter Deum; impii vero plus amant creaturas, v. g. honorem, aurum, delicias, quam Creatorem. Porro quia ordo hic charitatis est difficilis, ideo Ecclesia et anima sancta petit ab angelis et viris sanctis : « Ordinate in me charitatem, » juxta Septuaginta. Unde S. Hieronymus, epist. 8 *ad Marcellam* : « Dilectio, ait, ordinem non habet, et impatientia nescit mensuram; unde in Cantico quasi difficile præcipitur : Ordinate in me charitatem. »

Huc accedit S. Bernardus, *serm.* 49, qui per ordinationem charitatis accipit discretionem, quæ temperat et dirigit zelum : « Semper quidem, inquit, zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur; plerumque autem et perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. »

Porro Aponius docet ordinatam esse in Ecclesia charitatem, cum ipsa illam didicit ex contemplatione summi ordinis, qui est in S. Trinitate : « In quo ordine charitatis, inquit, quid aliud credendum est primum imbui, nisi ut credat et agnoscat *primum* debere Patrem nominari, in quo Filius semper, ut verbum in voce; *secundum* Filium, in quo semper Pater; *tertium* Spiritum Sanctum, qui vera ratione de voce et verbo de Patre et Filio procedere comprobatur, secundum illud initio Decalogi : Diliges Dominum Deum tuum, in toto corde tuo; secundus ordo est : In tota anima tua; tertius ordo est : In tota virtute tua. »

Plura de ordine et ordinanda charitate, vide apud S. Bernardum, *serm.* 49 et 50, ubi ordinem hunc dilectionis assignat, ut dilectioni hominis, Dei dilectio præponatur, et in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cœlum terræ, æternitas tempori, anima carni. Additque charitatem meliores semper præponere in affectu, sed non in actu : nam actu major dilectio et cura adhibenda est magis egentibus, et iis quorum cura tibi commissa est, quam exteris, licet sanctioribus. Sed audi pauca e multis : « Da mihi hominem, qui ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despiciens terram, suspiciens cœlum, utens hoc mundo tanquam non utens, et inter utenda et fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, ut transitoria transitorie, et id duntaxat quod opus, et prout opus est curet, æterna desiderio amplectatur æterno : talem, inquam, da mihi hominem, et ego audacter illum sapientem pronuntio, cui nimirum quæque res revera sapiunt prout sunt, et cui in veritate atque securitate competit gloriari, et dicere, quia ordinavit in me charitatem. » Vide et de ordine charitatis S. Thomam, et scholasticos, tract. *De Charitate*.

Charitas meliores semper præponit in affectu, sed non in actu.

Hæc omnia facile est aptare, tum animæ sanctæ, tum B. Virgini, in qua adeo fuit ordinata charitas, ut mallet mori filium suum, quam animas perire. Audi Rupertum, qui eam sic loquentem inducit : « Jam dudum docuerat me charitatis ordinem, ut dolorem quidem, et justi doloris gladium in mente vel anima portarem, non tamen averti propositum Dei cuperem, proventurum ipsi ad gloriam et honorem, et humano generi ad perpetuam salutem. »

VERS. 5. FULCITE ME FLORIBUS, STIPATE ME MALIS : QUIA AMORE LANGUEO.

Variæ versiones.

Pro *stipate me malis*, hebraice est, *sternite me in pomis*; Tigurina, *substernite mihi mala*; Vatablus, *corroborate me malis*; Septuaginta, *constipate me in malis*; Scholastici, *circumdate me malis*; alii, *agglomerate mihi poma*, scilicet odorata, ut aurea, citria, punica; Syrus, *posuerunt me in deliciis, circumvallarunt me malis, quia amore infirma sum*. Pro *floribus* hebraice est אשישות *ascischoth*, quod hebraizantes vertunt, *lagenis, scyphis, calicibus vini*. Verum jam in cella vinaria vino oppleta erat sponsa. Quare Noster melius vertit, *floribus*, tum quia flores respondent *malis*, tum quia solent deliquium patientes odore leni et suavi, qualis est florum, animam halitumque revocare. Unde et Septuaginta vertunt, μύροις, id est *unguentis*, quæ e floribus odoratis fiunt : ubi tamen notat Origenes : « In Græco, inquit, habetur : Confirmate me in myrrhis; myrrhin genus quoddam arboris nominans, quod Latini putantes *myrra* dictum, unguenta interpretati sunt. » Origenes ergo pro μύροις, id est *unguentis*, legit μύρραις, id est *arboribus myrrhæ*, hoc est, flore vel lacryma myrrhæ : flos enim suo odore refocillat languentes, non arbor. In homilia autem versa a S. Hieronymo refertur ex alio interprete, *œnanthinis*; œnanthe autem est flos vitis, sive labruscæ, cum floret. Vide Dioscoridem, lib. V, cap. III, et lib. I, cap. LVII.

Rursum clare Symmachus vertit, *recumbere me facite in flore*. Videtur ergo Noster æque ac Septuaginta et Symmachus hebræum *asisoth* interpretari *flores, forte* a radice שוש *sos*, id est *gavisus est*; flores enim sunt veris lætitia, camporum risus, naturæ hominisque gaudium. Sic, *Isai.* XVI, 7, dicitur : « His qui lætantur (hebraice est לאשישים *laaschischim*) super muros cocti lateris, » uti vertunt Noster et Symmachus, ut *asisoth* vocetur quidquid exhilarat et lætitiam conciliat. Aut certe אשישות *asisoth* sumpsit Noster pro ציצות *tsitsoth*,

id est *flores* : litteræ enim ע et צ cum sint affines, et ejusdem quasi soni, subinde inter se commutantur. *Aleph* autem initiale sumitur, ut heemanticum et formativum nominis, non vero ut radicale : quare *asisoth* hic idem est, quod *tsitsoth*, id est *flores*. Denique *asisoth* proprie significat fundamenta sive fulcra, quæ hoc loco languoris intelligenda sunt, puta refocillantia, et animam ex deliquio ad se revocantia : talia autem sunt flores, similesque res odoriferæ.

Construction. Sponsa in cella vinaria adeo vino amoris divini sese opplevit, ut, recedente sponso, ex amoris vehementia linqueretur animo, deficeret et collaberetur. Advocat ergo socias, eisque inclamat : Ferte suppetias, flores et poma labanti admovete, quorum fragrantia spiritum fugientem revocem, aggestu vero quasi throno et cervicalibus erigar et sustenter erecta. Sic languere cœpit Ecclesia, postquam Jesus, instituto in ea venerabili Sacramento corporis et sanguinis sui, Spiritum Sanctum misit, qui corda fidelium incredibili ardore charitatis et martyrii et ferventi zelo quamplurimos alios secum ad æternam gloriam perducendi, inflammavit. Hinc enim illa medullitus erumpentia : « Cupio dissolvi et esse cum Christo. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus. Tu scis, Domine, quia amo te. » Ita S. Bernardus, *serm.* 51 : « Post ista omnia, inquit, sponso more suo secedente, illa languere amore se perhibet, id est præ amore. Quo enim gratiorem experta fuerat præsentiam, eo postmodum absentiam molestiorem sensit. Subtractio nempe rei, quam amas, augmentatio desiderii est; et quod ardentius desideras, cares ægrius. Rogat proinde ista interim odoramentis florum ac fructuum confoveri, quousque denuo revertatur, quem molestissime sustinet demorantem. »

Floribus et bonis odoribus reficiuntur vires. Porro rebus odoratis ut floribus spiritus animales ali, ac vires deficientes refici et instaurari per halitum suavem rei odoriferæ olfactu attractum, docent medici et physici, ut Hippocrates, lib. *De alimentis*, sub finem; et Galenus, *De Utilit. respirit.* cap. v, ubi asserit necessarium esse ex ingenti inspiratione per nares, præcipuam alimenti partem animali spiritui suggeri; et Avicenna agens de curatione syncopis affirmat, spiritum maxime nutriri bonis odoribus.

Flores et mala, quæ? Resp. Primo, Christus. Quæres, quinam sint flores et mala, quibus se fulciri petit sponsa?

Primo, noster Sanchez ac Joannes Carmelita accipiunt ipsum Christum, qui se vers. 1, vocavit *florem campi, lilium convallium*, et *malum inter ligna sylvarum*. Ait ergo sponsa : « Fulcite me floribus, » etc. *q. d.* Statuite me in sinu atque complexu sponsi. Quod statim magis explicat, describitque quale fulcimentum illud florum, et pomorum stipatio futura sit, dum dicit : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. » Quod nihil est aliud, quam floribus ac pomis, de quibus hic, sustineri atque fulciri : quia super flores et poma, id est supra sponsi sinum, recumbit et quiescit.

Porro Joannes Carmelita sic explicat, quasi sponsa dicat sociabus : Sponso meo, qui est flos campi et malus inter ligna sylvarum, sustinete me deliquium animæ ob ipsum patientem. Stipate me malis, id est sponso velut igneo vallo me circumdate, ut ejus incendio sensim adurar, donec me velut phœnicem morti se devoventem, ignis expetitus absumat. Videtur ergo sponsa phœnicem æmulari, cujus, cum moritura est, hoc est ingenium, ut legat arborum aromaticarum surculos, et florum cacumina, ut nidum construat, in quo jacens excitato comburitur igne. Carpit surculos cinnami, amomi, thuris et arbuscularum similium, nardi aristas et flores assimiles. Sic sponsa ex arbore mali et floribus campi, juxta sensum expositum concinnari sibi nidum poscit, in quo jacens mortem præstoletur, per ignem sponsi transitura, moritura sibi, ac in sponsi vitam transferenda.

Secundo virtutes et don Spiritus sancti. *Secundo*, tres Patres apud Theodoretum, Philo Carpathius et Nyssenus per *flores* et *mala* accipiunt virtutes et dona Spiritus Sancti, ac præsertim donum fortitudinis, quod animam labantem corroborat. Porro Philo τὸ *stipate me malis*, explicat, *q. d.* « Sepelite me in numero justorum. » Alii per *flores* et *mala* accipiunt consolationes cœlestes, quas Deus animabus sanctis in desolatione immittit.

Tertio genuine, verba e actiones Christi. *Tertio*, plane et genuine Titelmannus : Flores, inquit, et mala, sunt dicta et facta suavissima et mellitissima Christi, quorum memoria et meditatione Ecclesia et anima pia languens ejus desiderio, se sustentat et roborat, donec eum facie ad faciem videat, ejusque præsentia fruatur, sicut sponsa sponsi absentis amore languens, illius verbis et promissis litterisque et munusculis, quæ apud se asservat, seipsam consolatur, tempusque fallit, donec is redeat, et ore ad os cum ea colloquatur.

Huc accedit Theodoretus, qui per *flores*, vel, ut ipse ex Septuaginta legit, *unguenta* et *mala* accipit memoriam Christi : « Fulcite me unguentis, » hoc est, inquit, confirmate me et communite sponsi suavitate, ne quid me concutiat et labefactet. Fragrantia illa assidua me cumulate, ne sponsi oblviscar, et ad alia aberrem. Malis, hoc est, sponsi fructibus me constipate, ut sub umbra illius sedens, et unguentis ejus delibuta, fructuque constipata, perpetuam ipsius memoriam conservem : illius enim amore sum saucia, cum ipse sit sagitta electa, quæ animas transfigit.

Huc quoque pertinet explicatio S. Ambrosii in *Psal.* CXVIII, serm. 5, qui per *flores* et *mala* accipit memoriam et meditationem Christi crucifixi; hæc enim animam deficientem sustentat et roborat, utpote in cruce Christi defixam : « Istæ, ait S. Ambrosius, sunt mansiones Christi et sepultura, in quibus vulnerata est Ecclesia : unguen-

tum est, quod effudit; pomum est, quod pependit. » Et S. Bernardus, tract. *De Diligendo Deo*, sub initium, per *mala* accipit passionem, per *flores* resurrectionem Christi.

Tropologice. Tropologice, S. Gregorius per *flores* accipit fideles incipientes, per *mala* proficientes et perfectos : « Per flores, inquit, teneri quique et incipientes; per mala vero perfecti fideles designantur. Sponsa quippe quia amore languet, fulciri se floribus et stipari malis appetit, quia dum se æternitatis desiderio afficit, dum qualiter illuc perveniat tota anxietate perquirit, eo quod perfectionem, dum in carne vivit, omnino non invenit, fatigata in desiderio suo requiescit. Et in hoc solo gaudet, si circa se respicit, vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum profectione consolationem de suo languore recipere possit. » Idem fusius habet, lib. II *in Ezech.* hom. 15. Sic et Cassiodorus, Justus, Anselmus et S. Bernardus, *serm.* 51, quem audi : « Fulcite me floribus, etc. Cum præsto est quod amatur, viget amor; languet cum abest. Quod non est aliud, quam tædium quoddam impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis absente quem amat, dum totus in expectatione, quantamlibet festinationem reputat tarditatem. Et ideo ista postulat sibi accumulari bonorum operum fructus cum fidei odoramentis, in quibus moram faciente sponso interim requiescat. »

Huc accedit Origenes, qui ait Ecclesiam incumbere super catechumenos quasi flores, et super fideles sanctos quasi super mala et arbores. Et Aponius : Ecclesia, inquit, fulciri se optat floribus, id est animabus puris et castis : ac malis, id est apostolis, qui ex Christo quasi ex arbore mali per doctrinam germinant.

Denique Rupertus, hæc adaptans B. Virgini, asserit eam optare fulciri floribus, id est actibus fidei, et pomis, id est bonis operibus.

QUIA AMORE LANGUEO.—Hebræa, *quia infirma charitate ego sum*; Septuaginta, *quia vulnerata charitatis ego sum*; Symmachus, *vulnerata enim sum philtro*. Hi hebræum חולת *chola* derivant, non a חלה *chala*, id est *infirmatus est*, sed חלל *chalal*, id est *vulneravit, occidit* : sæpe enim verba quiescentia *ain vau* commutantur eum verbis duplicantibus *ain*, id est secundam radicalem, puta *chol* vel *chala* commutantur cum *chalal*, et vice versa, ac unum ab altero sua tempora, conjugationem, et inflexionem mutuatur.

Languor et morbus ab amore. Porro ex vehementi amore languorem nasci, adeoque morbum, quo corpus macrescit, marcescit, et tabescit, qui proinde vocatur ἔρως, id est *amor*, sive morbus amoris, docent medici, et patet exemplo Amnon, qui deperibat Thamar, II *Reg.* XIII, 2. Sic et filius Seleuci amore ægrotans tabescebat, quem morbum omnibus incognitum, ex insolito arteriarum pulsu sagaciter deprehendit Erasistratus medicus, teste Plutarcho in *Demetrio*, et Valerio Maximo, lib. V, cap. VII.

Nota, languor hic oritur ex liquefactione; est autem liquefactio amoris effectus, quo anima ipsa mulcetur ac emollitur, ut res quam ardentissime cupit, sibi per amplexum et penetrationem quamdam imprimatur. Quod ut fiat, tota dehiscit, et patet illa ut quasi poris apertis hauriat rem amatam, tanquam recens panis aquam haurire solet. Hanc autem liquefactionem, qua in sponsum hiat anima, consequitur effectus amoris alter, molestissimus sane, qui languor appellatur quem diserte notat illa, dicens : « Quia amore langueo. » Languor ergo hic in anima fideli oritur, quando ipsa sic tota in sponsi amorem fertur, et quasi liquefacta resolvitur, ut sui prorsus oblita quid de se agatur nesciat, et ad omnia, quæ hic inferne aguntur, quasi stupida et insensibilis jaceat, ut nec videre aliud possit aut velit, nec audire, nec gustare, nisi suum dilectum; ita ut dicat cum Apostolo, *Galat.* II, 20 : « Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. » Qui etiam languor amoris in sequentibus per liquefactionem animæ videtur significari, dicente eadem sponsa : « Anima mea, liquefacta est, ut locutus est » dilectus, *Cantic.* V, 6. Quin et Plato ita amorem definit : « Amor est ardor animi in proprio corpore mortui, in alieno viventis. » Hunc languorem charitatis sponsa hausit ex cella vinaria Eucharistiæ, et Spiritus Sancti : sicut eumdem post sacram synaxim sentiebat S. Catharina Senensis, et similes virgines sanctæ. Quocirca S. Felicula collactanea S. Petronillæ dicentibus tortoribus : « Nega te christianam, et dimitteris, » respondit : « Non negabo, nunc cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus est. » Præclare Boetius : « O felix hominum genus! si vestros animos amor, quo cœlum regitur, regat. » B. Philippus Nerius : « Charitate Dei vulneratus, » ait Auctor *Vitæ* ejusdem, « languebat jugiter : tantoque cor ejus æstuabat ardore, ut cum intra fines suos contineri non posset, illius sinum, contractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. »

Languor amoris oritur ex liquefactione.

S. Catharina Senensis.

S. Felicula.

S. Philippus Nerius.

Porro S. Bernardus hic et clarius, tract. *De Diligendo Deo* sub initium, languorem hunc explicat defectum amoris : « Hæc mala, inquit, hi flores, quibus sponsa interim stipari postulat et fulciri, credo sentiens facile vim amoris in se posse tepescere, et languescere quodammodo, si non talibus jugiter foveatur incentivis. »

Verum cæteri passim languorem hunc accipiunt excessum charitatis, quo anima ex Dei desiderio tabescit et in carne macrescit, juxta illud : « Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, » *Psalm.* LXXII, 26. Audi S. Gregorium, lib. II *in Ezechielem*, serm. 15 : « Quid ergo sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda in quibus anima per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat; nulla jam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere? Mors itaque quæ

jam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. Unde et in *Canticis* dicit : Vulnerata charitate ego sum. Mala autem salus est cordis, quæ dolorem hujus vulneris nescit; cum vero anhelare jam in cœleste desiderium, et sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute. » Sic et Aponius, Justus Orgelitanus, Anselmus et alii languorem hunc proficisci censent ex ingenti desiderio vitæ æternæ, et conjunctionis cum Christo in cœlo. Unde languorem hunc sponsæ cum somno et exstasi fuisse conjunctum, liquet ex eo quod subdit sponsus : « Adjuro vos, etc., ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam. »

Languor amoris a desiderio vitæ æternæ.

Denique Septuaginta vertunt, *vulnerata sum charitatis*, vel *charitate*; alii, *occisa*, vel *mortua sum charitate, q. d.* Amore Christi quasi telo transfixum et saucium est cor meum, ut amore mihi moriar, et in Christum quem amo, transeam, illique soli vivam, sicut S. Franciscus orabat : « Da, Domine, ut amore amoris tui moriar, qui pro amore amoris mei dignatus est mori. » Ita tres Patres apud Theodoretum, S. Basilius in *Regulis fusius disp.* Reg. 2, et S. Augustinus in *Psalm.* LVII, quem audi : « Vulneratam se dicit charitate. Amabat eum quidem et non tenebat; dolebat, quia nondum habebat; ergo si dolebat, vulnerata erat; sed hoc vulnus ad veram salutem rapiebat. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram sanitatem non potest pervenire; » et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 7 : « Vulnerata charitatis ego sum. Nudemus membra nostra bono vulneri, nudemus sagittæ electæ. Sagitta hæc Christus est, qui dicit : Posuit me sicut sagittam electam. Bonum est ergo hac vulnerari sagitta, non mediocris mansionis iste processus; non omnes possunt dicere, quia vulnerati sunt dilectione. Dicebant apostoli, cum pro Christo lapidarentur et Christum prædicarent; dicebat Paulus, cum ter virgis cæderetur, et die ac nocte Christum adorandum gentibus disputaret. Dicunt hoc martyres, qui vulnerantur pro Christo : et qui vulnerari pro ejus meruerunt nomine, plus diligunt. Ad hanc ergo veniens mansionem Ecclesia, ad hunc processum, ut pro Christo filios suos offerat, ut excipiat vulnera charitatis, quasi bona fidei alimenta reperiens pietatisque fructus, gustavit ipsa, et hortari cœpit cæteros, dicens : Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus sicut malum; et in malo vulnus est, sed tamen suave. » Denique, vulnus charitatis infligitur a solo Deo; ideoque homini est immedicabile.

Vulnerari amore Dei optabile.

S. Franciscus.

Symbolice, Origenes per charitatem accipit Christum; Christus enim suo amore velut telo transfigit, sauciatque animam : « Quam pulchrum est, ait Origenes, quam decorum a charitate vulnus accipere! Alius jaculum carnei amoris excepit; alius terreno cupidine vulneratus est : tu nuda membra, et præbe te jaculo electo, jaculo formoso. Siquidem Deus sagittarius est. Audi ipsum jaculum quid loquatur : Posuit me ut sagittam electam, et in pharetra sua servavit me; et dixit mihi : Magnum est tibi hoc, vocari puerum meum. Intellige sagittam, quid dicat, et quomodo a Deo sit electa. Quam beatum est hoc jaculo vulnerari. » Nervosius Nyssenus, *hom.* 4, sic animam piam loquentem inducit : « Deus in me sponsam suam, tanquam in scopum unigenitum Filium suum est jaculatus, de quo per Prophetam dictum est : Posuit me ut sagittam electam; sagitta autem ista aculeo fidei in me penetrans, secum simul adduxit sagittarium, juxta illud : Ego et Pater unum sumus : Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Hæc Nyssenus sparsim.

Symbolice.

Huc facit illud S. Hieronymi, epist. 22 *ad Eustochium* : « Amemus et nos Christum, ejusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile, et jaculo illius vulnerati, per horarum momenta dicamus : Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est! » Sic charitate vulneratus erat S. Augustinus, ut patet ex *Soliloq.* cap. I, et lib. IX *Confess.* cap. II : « Sagittaveras tu, inquit, cor nostrum charitate tua; et gestabamus verba tua transfixa visceribus, et exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant, et absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, et accendebant nos valide, ut omnis ex lingua subdola contradictionis flatus inflammare nos acrius posset, non exstinguere.

Exempla.

Tropologice, Philo Carpathius et Ambrosius *in Psalm.* CXVIII, serm. 5, docent Ecclesiam et animam piam vulnerari charitate, cum Christi amore persecutiones, verbera, vulnera et martyrium libenter sustinent.

Tropologice.

Denique, B. Virgo post Christi in cœlum ascensum, ejus desiderio et amore languebat, inquit Rupertus, adeoque hoc languore sensim resoluta, et tandem mortua est sine febri aliove morbo, ut censet Franciscus Suarez, et alii graves theologi. Id ipsum B. Virgo revelavit S. Brigittæ, lib. VI : « Paravi, inquit Deipara, me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus filius meus passus fuerat : cumque quadam die animus meus suspensus esset in admiratione divinæ charitatis; tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exsultatione, quod vix se capere poterat, et in ipsa consideratione anima mea a corpore fuit soluta. »

B. Virginis languor, et mors ab amore.

Mystici et contemplativi hæc referunt ad summum contemplationis et amoris quasi exstatici gradum : nam, ut ait Dionysius Carthusianus, tract. *De Fonte lucis*, art. 18 : « Ex tanto contemplationis excessu, amorisque impetu, ardore et ebullitione, generantur per redundantiam

Amor vehemens causa languoris et mortis.

quamdam in parte sensitiva ac corpore languor, debilitas, mœror, ac macies, detestatio corporei alimenti, impotentia usus ac motus membrorum ac sensuum, et totius corporis rigor. Nec in his actibus sanctis mens tempus advertit, moras non percipit, imo in his vehementissime admiratur, nec sufficit admirari anima sancta charitatem, pietatem, dignationem, et munificentiam Dei circa se, et in se, quam tam amorose ac familiariter, tam gratiose et munificenter se ei ostendit, communicat, applicat et infundit. » Vide nostrum Alvarez de Paz in fine tom. III, ubi fuse de contemplatione agit, ac quindecim ejus gradus assignat : *primus* est, intuitio veritatis; *secundus*, secessus virium ad animæ interiora; *tertius*, spirituale silentium; *quartus*, quies; *quintus*, unio; *sextus*, auditio loquelæ Dei; *septimus*, spiritualis somnus; *octavus*, exstasis; *nonus*, raptus; *decimus*, apparitio Christi et sanctorum corporea; *undecimus*, apparitio Christi et sanctorum imaginaria; *duodecimus*, visio Dei intellectualis; *decimus tertius*, visio Dei in caligine; *decimus quartus*, admiranda manifestatio Dei; *decimus quintus*, visio clara et intuitiva, quam S. Augustinus, S. Thomas et nonnulli alii tribuunt S. Paulo, cum raptus est in tertium cœlum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Sic S. Franciscus desiderio Dei et cœli languens et moriens, quasi philomela et cygnus cygnæum cecinit : « Educ de custodia animam meam : me exspectant justi donec retribuas mihi; » iisque languore amoris deficiens anhelansque ad Christum immortuus est. Simili languore ex vehementi Christi desiderio mortua scribitur B. Theresia. O sanctam! o jucundam! o beatam mortem! quæ morientes vivificat, amantes beat et glorificat! Quocirca qui vere Christum amat, et amore ejus languet, crebro ad eum suspiret, et per ardentes mentis affectus ad eum aspiret, atque jaculatorias amoris orationes, velut ignis sagittas cum sponsa ad eum assidue ejaculetur. Rursum, Richardus de S. Victore asserit culmen et apicem charitatis esse amorem insanabilem sive violentum, cujus tres gradus assignat : *primus* est, amor vulnerans. Dicitur autem cor amore vulneratum, quando amoris sagitta transfixum, intime ardet, æstuat, anhelat, gemit, suspirat, non se cohibere valens ob amoris vehementiam; unde etiam fit ut sæpe pallescat, ac præ amore tabescat; *secundus* dicitur amor ligans, videlicet quando animus ita Dei amore astringitur, ut nihil aliud meditetur, aliorum omnium obliviscatur, quidquid agat, quidquid loquatur, semper præsenti offert Domino; illum enim mente intuetur, perenni retinet memoria, illum dormiens, illum vigilans cogitat, ideo vulnerationem hæc ligatio et strictissima unio sequitur, qua mens solum Deum ipsum sitit, ipsum solum intuetur, nihil ei præter unum Dominum dulce est, in uno tantum quiescit; uno reficitur, si aliud quid visoccurrat quod huic uni non subserviat mox expellit; opprimit ac violenter propulsat desideria, studia, exercitia omnia, quæ ad exoptatam desiderii sui metam comprehendendam non conducant. Cum vero datur uno suo frui, tunc omnibus bonis se abundare credens, nihil aliud admittit. Post hunc sequitur *tertius* amoris violenti gradus, languescere faciens : qui languor provenit, quando ex hac amoris vehementia mens in Deum, qui luminis abyssus est, rapitur, ita ut humanus animus hoc temporis articulo omnium exteriorum oblitus, seipsum penitus nesciat, totusque in Deum suum transeat.

Gradus contemplationis quindecim.

S. Franciscus.

S. Theresia.

Tres amoris violenti gradus.

VERS. 6. LÆVA EJUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIUS AMPLEXABITUR ME.

AMPLEXABITUR, — id est, *amplexetur*, ut vertit Syrus. Hebræi enim futurum sæpe ponunt pro optativo, quo carent. Unde Vatablus vertit, *sinistra ipsius supponatur capiti meo, et dextera ipsius sponsi me amplexetur* : solent enim amantes, v. g. parentes filiolis, quos tenere amant sinistram manum capiti supponere, ac deinde dextera totum eorum corpus complecti, suoque sinui et pectori astringere, *q. d.* Sponsa, pari modo sponsus me sua læva dexteraque complectatur, itaque me totam sibi arctissime jungat et astringat circulo brachiorum, æque ac amorum. Unde Symmachus vertit, *dextera ejus circumplicetur mihi*. Alludit ad lectulos mensales et nuptiales, in quibus convivæ ita jacebant, id est discumbebant, ut prior sequentis capitis sinistram subjiceret, itaque eum sinu exciperet, ut deinde dextera, si vellet, eum circumplecti posset. Sic S. Joannes in ultima Cœna in sinu Christi recubuit, quod summi amoris erat signum.

Sponsa, amore languens et deliquium passa, quasi in exstasi optat fulciri odore florum et pomorum, sed iis utpote modicæ virtutis ad languorem superandum non contenta, illico ad dilectum suspirat, utpote qui solus languorem curare possit. Ait ergo, inquit Hortolanus : Hei mihi, labasco, sponse mi, fer opem, serva me, obsecro! Nutat mihi caput, lævam tuam, quæso, supponito : solvuntur membra frigore, tua potenti dextera mediam me, amabo, complectere, in sinu tuo, ne concidam, fove : in te unum me rejicio : in te omnem fidem meam et spem colloco. Tu, qui solus potes, spiritum meum impendentium malorum metu fractum, tuo fulci spiritu : infirmam carnem meam immensa potentia tua corrobora, ut integer spiritus meus, integra anima et corpus tibi semper maneant, tibique in tuum ad me serventur reditum.

Paraphrasis.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Quæres, quid læva et dextera significent? Læva

Læva et

dextera quid? Resp. Primo, læva, humanitas Christi : dextera, divinitas.

minora beneficia notat; dextera, majora : *primo* ergo, læva humanitatem Christi denotat, dextera deitatem : sinistra enim imbecillitatis et imbecillæ humanitatis; dextera vero fortitudinis et fortissimæ divinitatis est symbolum. Humanitas Christi sustentavit caput Ecclesiæ, id est Adamum, dum eum ejusque posteros in peccatum prolapsos erexit, et gratiæ, ac justitiæ restituit. Rursum, eadem sustentavit caput, id est fidem Ecclesiæ, ad acquirendam remissionem peccatorum, justitiam et salutem; hæc enim omnia contulit humanitas et passio Christi : ita Origenes et S. Bernardus, serm. 4 in *Festo omnium sanctorum.*

Secundo, læva, gratia hujus vitæ : dextera gloria futuræ.

Secundo, læva gratiam præsentis vitæ, dextera gloriam futuræ et æternæ, designat, *q. d.* Christus sua gratia in hac vita me dirigat, et promoveat ad gloriam æternæ felicitatis, ut ibi divinitatis dextera me complectatur, mihique donet coronam regni æterni. Læva ergo sponsi supponitur capiti ad meritum, dextera complectitur ad coronam. Ita Cassiodorus, Carpathius, Beda, et S. Bernardus, serm. 4 *De Vigilia Nativitatis Domini,* ubi sic ait : « Læva quidem levat, dextera suscipit. Læva medetur et justificat, dextera amplectitur et beatificat. In læva ejus merita; in dextera vero præmia continentur; in dextera, inquam, deliciæ, in sinistra sunt medicinæ. »

Hinc rursum idem S. Bernardus hic, *serm.* 51, hunc versum non optative, sed effective accipiens, sic explicat, *q. d.* Læva Christi caput meum modo sustinet per gratiam; sed dextera ejus in cœlo me amplexabitur per gloriam; præsens enim gratia est certum pignus gloriæ cœlestis, ac merita hujus vitæ dant certam spem futuri præmii : « Non ait, inquit S. Bernardus, *amplexatur* sed *amplexabitur me,* ut noveris priori gratiæ adeo non ingratam, ut secundam gratiarum actione prævenerit. »

Tertio, læva bona terrena : dextera, cœlestia.

Tertio, S. Ambrosius *in Psalm.* CXVIII, serm. 14, ad vers. 5, per *lævam* accipit bona terrena et temporalia, per *dexteram* cœlestia et æterna : « Utrumque, inquit, sponsi brachium ad utilia extenditur; habent tamen sibi aliquid proprium singulæ manus. In dextera longitudo vitæ est; in sinistra autem divitiæ et gloria. » *Proverb.* III, 16 : « Læva præsentium remuneratrix, dextera futurorum : læva sub capite sponsæ est, dextera supra, quæ totam complectitur sponsam. Itaque illa quasi fulcrum est quietis præsentis, et ideo Filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret, quia, cum dives esset, pauper factus est. » Hæc eo loco sparsim S. Ambrosius. Sic et Beda, ac S. Thomas, qui per *lævam* hujus vitæ prosperitatem, per *dexteram* æternam vitam intelligit. Ubi notat caput sponsæ sustineri a læva manu; ut tamen non deseratur a dextera, et sinistram esse sub capite, dexteram supra; quia hæc inferiora, ita subesse debent, ut non avocent ab æternis, non deprimant caput, sed elevent potius, et nos excitent ad amorem ejus, qui nobis ea tam liberaliter largitus est. Sic et Justus Orgelitanus, S. Anselmus, et S. Gregorius, quem hic audi : « Per *lævam* sponsi vita præsens; per *dexteram* vero vita æterna designatur. Per *caput* autem sponsæ, mens, quæ animæ principatur, assumitur. Sed læva sponsi sub capite sponsæ esse dicitur, et dextera ejus amplexabitur eam, quia vitam temporalem sub mente sua semper ponit; vitam vero æternam ut omni modo amplexetur concupiscit. Hæc quippe, quæ videt, magnanimiter mente sublimi conculcat, officiis cœlestibus se occupat. Hæc necessitate tolerat, ad illa summo desiderio quasi brachio dextero sponsi astricta suspirat. In quæ, cum aliquantulum intrat, delectabiliter quiescit, cujus quietis dilectione mundanos tumultus omnino fastidit. Sic quiescentem utique sponsus amplius diligit, et ab ejus excitatione improbos quosque repellit, » dicens : « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, » etc. Huc facit illud *Prov.* III, 16 : « Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria. » Vide ibi dicta.

Quarto, læva adversa : dextera prospera.

Quarto, læva indicat adversa; dextera vero prospera : caput autem Ecclesiæ sunt episcopi et prælati, corpus sunt cæteri fideles : prælatos ergo sanctos Christus læva complectitur, id est adversis exercet et perficit; fideles vero dextera, id est prosperitatibus et consolationibus mulcet et provehit.

Huc pertinet quod scribit Xenophon, lib. VIII *Cyripæd.*, Cyrum voluisse, ut fidei principes sibi ad lævam accumberent, eo quod læva magis insidiis obnoxia sit quam dextera, vel potius ut cordi suo essent propiores, cor enim vergit ad sinistram : simili modo pastores et prælati sunt ad cor Christi, quia illi summe sunt cordi et curæ, utpote a quibus salus fidelium pendet.

Quinto, læva lex vetus; dextera, Evangelium.

Quinto, læva est lex vetus, quia caput Ecclesiæ sustentat, quia indicat verum Messiam, id est Christum Salvatorem eique testimonium perhibet; dextera est lex nova, cujus gratia totam Ecclesiam ambit et stringit, ut ejus efficacia totam legem servet et adimpleat : quare lex nova veterem supplet et perficit, sicut dextera sinistræ imbecillitatem supplet et roborat, ut patet *Matth.* V et seq. Rursum, lex vetus notatur per sinistram, quia erat lex timoris et pœnarum; nova vero per dexteram, quia ipsa est lex amoris et gratiæ ac gloriæ æternæ. Ita S. Hieronymus in cap. IV *Zachar.*, et Eucherius, lib. II *in Genesim.*

Denique, primaria sponsa in Canticis est humanitas Christi, quam Verbum ut amicam et sponsam sibi in incarnatione despondit, ac læva dexteraque, id est circumquaque complexus est, ut dixi in *Proœmio*, cap. VIII.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Primo, Theodoretus, et tres Anonymi apud ip-

Læva, comminatio supplicii : dextera, promissio regni.

sum, ac S. Bernardus, *serm.* 51, per *lævam* accipiunt comminationem supplicii; per *dexteram* vero regni promissionem; utraque enim Christus animam ad se trahit, sibique copulat: « Est autem, ait S. Bernardus, cum mens nostra formidine pœnæ serviliter premitur; et tunc nequaquam sub capite, sed super caput læva esse dicenda est : nec potest sic affecta anima omnino dicere : Quia læva ejus sub capite meo. At vero, si proficiens ex hoc spiritu servitutis transierit in quemdam spontanei obsequii digniorem affectum, quatenus videlicet præmiis potius provocetur quam arctetur suppliciis; magis autem si amore boni ipsius agatur : tunc indubitanter dicere poterit, quia læva ejus sub capite meo : quippe qui illum servilem metum, qui in sinistra est, meliori atque excellentiori habitudine animi superarit, et dignis desideriis etiam ipsi appropiaverit dexteræ, in qua sunt omnes promissiones, dicente Propheta ad Dominum : Delectationes in dextera tua usque in finem, *Psalm.* XV, 11; unde et certa spe concepta cum fiducia loquitur : Et dextera ejus amplexabitur me; » tuncque exsultans dicit cum Psalte, *Psalm.* IV, 9 : « In pace in idipsum dormiam, et requiescam : præsertim cum suppetat causa quæ sequitur : Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. » Hæc S. Bernardus. Idem ibidem magis ad litteram per *lævam* et *dexteram* accipit omnimodam protectionem, qua Deus animam ad se anhelantem tuetur et complectitur. « Ergo, inquit, non sustinet dilectæ molestiam : adest; neque enim moram facere potest tantis desideriis evocatus. Et quia illam compererat, donec absens fuit, fidelem ad opera, et sollicitam ad lucra, in eo nimirum, quod flores sibi et fructus præceperat adunari; etiam cum propensiori hac vice remuneratione gratiæ est reversus. Denique uno brachiorum suorum sustentat caput jacentis, alterum ad amplexandum parans, ut sinu foveat. Felix anima quæ in Christi recumbit pectore, et inter Verbi brachia requiescit. »

Huc pertinet versio Chaldæi : *Quando*, inquit, *populus domus Israel ambulabat per desertum, erant nubes gloriæ circumdantes eos per quatuor ventos mundi, ut non dominaretur in eos æstus, neque sol, neque pluvia, neque grando.* Columna enim nubis protegens Hebræos in deserto, typus erat protectionis, qua Spiritus Sanctus protegit fideles Christi in Ecclesia.

Secundo, Aponius hæc tripliciter exponit : *primo*, refert ad martyres, quos Christus sustentat sua læva, id est promissione regni cœlestis, ac dextera, id est gratia et auxilio suo amplectitur et corroborat : « Tormenta enim omnia, inquit, ipsaque mors pro Christo suscepta deliciæ sunt animarum sanctarum pro æternis gaudiis acquirendis; ubi se Ecclesia deliciis resoluta, amplexu dilecti Christi contineri lætatur, ut digna sit pro Factore suo atrocitatem perpeti tormentorum. » *Secundo*, ad animam sanctam, quasi ipsa dicat : Christus sustentat me læva compunctionis, ne deflectam ad sinistram carnis et concupiscentiæ, et dextera tribulationum me continet, ne dilabar ad dexteram superbiæ. *Tertio, q. d.* Læva Christi, id est scutum fidei, est sub capite meo; dextera vero, id est gladio orationis amplexatur et obarmat me.

Mystici et contemplativi hanc gnomen accipiunt de summo contemplationis gradu, quo anima intime Deo per contemplationem intellectus, et per ardorem voluntatis unitur, eumque quasi duobus hisce brachiis reciproce stringit et amplectitur. Tunc enim Deus cor allicit, suisque quasi illuminationis et inflammationis brachiis mulcendo, trahit ad altiorem quemdam et puriorem amoris amplexum. Et sicut hic cognitio subtilior, ita et affectio nobilior viget, quæ non adhæret delectationibus divinis, sed, iis omnibus animose præteritis, optat in nudis Dei brachiis conquiescere. Hic præ magnitudine voluptatis cor dilatatur, et quodammodo patefactis poris dehiscit, ac læditur, soletque aliquando hæc læsio ita ingravescere, et amoris impetus ita augeri, ut tantis incrementis cor humanum par esse non possit; sed ei morte felicissima succumbat, quod mortis genus aiunt beatissimæ Deiparæ, S. Teresiæ, aliisque nonnullis contigisse.

Summus contemplationis gradus.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Primo, Rupertus per *lævam* accipit solatia, quæ Deus in hac vita concessit B. Virgini; qualia sunt videre Spiritum Sanctum descendere in se et apostolos, Evangelium toto orbe prædicari, gentes converti ad Christum, etc. « Et dextera illius amplexabitur me, » id est gloria Patris, in qua ipse est, totam circumdabit et implebit me, cum de præsenti sæculo eduxerit et assumpserit me : illa videlicet dextera, qualem Psalmista insinuat, dicens : « Delectationes in dextera tua usque in finem, » *Psalm.* XV, 11. Primo.

Secundo, Guilielmus Parvus, et ex eo Delrio per *lævam* accipit acerbitatem passionis Christi, per *caput* mentem Mariæ, per *dexteram* gaudium resurrectionis : ipsa ergo dixit : « Amore langueo, » quia in passione languor iste matris aperte se prodidit. Videt, inquit, mens divinitus illuminata, quam utiliter atque salubriter dulcissimus filius moriatur; quam breves sit morulas in morte facturus, et quam gloriose post modicum triumphaturus. Et ecce propter hoc : « Læva ejus sub capite meo; » non enim supergreditur caput meum, ut ratio cedat affectui, et lugeatur a me filius meus quasi descensurus in corruptionem, non quasi potestatem habens ponendi animam suam, et iterum sumendi eam. Ego vero certissima sum, quod dextera ejus amplexabitur me, quod gloria resurrectionis ejus cito me exhilarabit, non tanget tantum, sed amplexabitur, non sicut passio ad modicum contristavit, ita etiam resurrectio Secundo.

perfunctorie, et ad horam exhilarabit; sed, conscisso mœroris mei sacco, perpetua lætitia circumdabit me. De morte ejus brevi luctus mihi brevis, sed quia resurgens ex mortuis jam non moritur, materna in me charitas immortali lætitia perfruetur.

VOX SPONSI.

VERS. 7. ADJURO VOS, FILIÆ JERUSALEM, PER CAPREAS CERVOSQUE CAMPORUM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, QUOADUSQUE IPSA VELIT.

Pro *dilectam*, hebraice est אהבה *ahava*, quod et *dilectam* et *dilectionem* significat; unde Vatablus vertit, *ne expergefaciatis amorem*, id est sponsam summe amantem et amatam; ponitur enim *abstractum* pro *concreto* per epistasim ad significandam vehementiam amoris in sponsa, quæ tanta est, ut ipsa non tam amans et amata, quam merus amor esse videatur. Unde Syrus pro *dilectam* vertit *essentiam amoris*, vel *ipsum esse amoris*; Arabicus, *amorem*.

Abstractum pro concreto.

Sponsa amore languens incidit in somnum et animi deliquium, tota abrepta in desiderium sponsi; quare ab adolescentulis in lectulum delata, in eo obdormiit. Sponsus ergo socias ejus adjurat, ne ab hoc sancto suavique somno eam suscitent, sed in eo conquiescere sinant donec ipsa sponte evigilet, qua abjuratione ostendit quam sibi hic amoris somnus placeat. Amoris enim languor est dulcis amoris somnus; quare in somni hujus lectulo mansit, egitque et dixit omnia quæ sequuntur hoc cap. ad finem; nam cap. sequenti, puta III, vers. 1, ait ipsa: « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. » Ita Origenes, Aponius et alii. Septuaginta vertunt, *adjuravi vos in virtutibus et viribus agri, si suscitaveritis et resuscitaveritis* (Ambrosius, *in Psalm.* CXVIII, serm. 5, *elevaveritis et suscitaveritis*; Scholiastes, *e somno excitaveritis*) *charitatem quoadusque velit*. Per virtutes; sive potentias et vires, sive fortitudines agri, accipe plantas, arbores et virgulta, et quidquid pulchrum et præstans est in agro.

Chaldæus more suo referens hæc ad Moysem et Hebræos tendentes in Chanaan, sic vertit: « Post hæc dictum fuit Moysi in prophetia a facie Domini, ut mitteret nuntios ad explorandam terram, et quando reversi sunt ab explorando, detraxerunt terræ Israel, et demorati sunt quadraginta annis in deserto. Aperuit Moyses os suum, et sic ait: Adjuro te, ecclesia Israel, in Domino exercituum et in fortitudinibus terræ Israel, ne superbe contendatis ascendere ad terram Chanaan, donec sit voluntas a facie Domini, et consumatur tota generatio virorum bellatorum, et moriantur de medio castrorum; sicut superbierunt fratres vestri filii Ephraim, qui ex Ægypto egressi sunt triginta annis, antequam pervenisset finis, et ceciderunt in manu Philistinorum, qui habitabant in Geth, et occiderunt eos: sed exspectate usque ad tempus quadraginta annorum, et postea ingredientur filii vestri, et possidebunt eam. »

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Adjurat, id est obtestatur cum comminatione vel exsecratione sponsus, puta Christus, filias Jerusalem, id est Judæos, scribas et principes (unde hebraice pro *vos* est אתכם *etchem*, masculinum, *q. d.* Vos, o cives Jerusalem, vos o Judæi) ne orientis in Judæa Ecclesiæ, sed ferventis fidem, pacem et profectum interturbent, *q. d.* Sufficiat vobis, in me sævitum esse, ut lubuit. In suavissimam sponsam meam sævire nondum permitto, quam ego in fidem et tutelam recepi meam, et otioso jussi esse animo. Ecce domi suæ orat angelorum circumsepta præsidio: per quas sanctas vos obtestor mentes, ne orantem sollicitetis, neve sedato animo meæ fidei, et promissis addormienti, obstrepatis, aut negotium ullum exhibeatis, nisi vultis cœlestes acies, quibus scelerum vestrorum pœnas detis, irritare. Acutius enim ipsis capreis cum cernant, vestra quantumcumque occulta perspiciunt consilia. Capreis et cervis longe celeriores, suis accurrunt ocyssime, atque opem ferunt clientulis. Omnes sunt ministratorii spiritus in meæ Ecclesiæ tutelam et ministerium missi a me propter eos, qui hæreditatem capient salutis, *Hebr.* I, 14. Sicut enim olim per angelos expuli Chananæos e Judæa in gratiam vestri; sic per eos pariter vos ex illa expellam in gratiam Ecclesiæ meæ, si illi, puta illius apostolis et fidelibus christianis, restiteritis. Sinite ergo Ecclesiam meam justum pacis et devotionis somnum capere, et quamdiu volet, conquiescere, regnum cœlorum obtinere, et in eo regnare pacifice. Ita Hortolanus, Titelmannus et alii.

Rursum hanc gnomen adaptes apostolis sedentibus in Sion post ascensum Christi, ac silentio et orationi vacantibus usque ad adventum Spiritus Sancti in Pentecoste, quo repleti, sponte rupto silentio, cœperunt publice prædicare magnalia Dei et Christi, idque ex præcepto Christi: « Sedete, ait, in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto, » *Luc.* XXIV, 49. Vetat ergo Christus, ne quis apostolorum quietem turbet, usque ad adventum Spiritus Sancti.

Insuper proprie filias Jerusalem, id est fideles singulos, maxime imperfectiores et leviores monet Christus, ne Ecclesiæ pacem discoloribus moribus, scandalis, schismate, aut tumultu perturbent, donec ipsa velit, i. e. jugiter: Semper enim ipsa volet pacem. Ita Delrio.

Porro capreas cervosque camporum ad litteram ut sonat accipe: est enim hic juramentum venatorium, quo sponsus velut pastor campester et ruralis venatores adjurat per cervos et capreas, quos ipsi in agris et sylvis venantur, more filia-

Juramentum venatorium sponsi quasi pastoris.

rum, id est virginum Tyri, quibus Judææ vicinæ sunt, quæ venationi vacabant, juxta illud Virgilii, *Æneid.* I :

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram.

Talis fuit Diana. Solemus enim jurare per res summe dilectas, quales venatoribus sunt cervi sibi summe dilecti, *Genes.* XLIX, 21. Hinc Septuaginta vertunt, *in virtutibus et viribus*, sive *fortitudinibus agri*, id est per omne quod est potens aut forte in agris et sylvis, aut per omnem agrorum fœcunditatem, et quæcumque ex eis gignuntur vel aluntur, vel per omne quod vobis charum et jucundum (hoc enim significat hebræum צבי *tsevi*) est in agro, *q. d.* Si adjurationem hanc meam exsecratoriam violaveritis, o Judæi, persequendo Ecclesiam et fideles christianos, fiet ut vobis cervus pereat, steriles sint capreæ, agri pariter lapidescant et sterilescant, ac quod vos seminaveritis Titus et Romani demetant, denique tota vestra regio vastetur et evertatur, uti de facto contigit.

Mystice, cervi et capreæ, qui?

Mystice, per cervos et capreas accipe vel angelos, qui velut hinnuli mira celeritate per mundi campos, perque omnes Ecclesiæ angulos discurrunt, propter ministerium fidelium, et salutem electorum, ac in montibus, id est in cœlis degunt, atque ut capreæ acutissime vident omnia, quæ in Ecclesia geruntur, et fidelibus de omnibus ad salutem opportunis provident : ita Origenes, Philo Carpathius, Nyssenus et alii. Vel prophetas et patriarchas, ob eminentiam scientiæ et sublimitatem conversationis, qua velut cervi cum B. Virgine montana virtutum conscenderunt : ita Theodoretus et Rupertus. Vel apostolos et doctores, qui cœlestia docent, et homines ad cœlum transmittere satagunt : ita Aponius. Vel « sanctas animas exutas corporibus, ait S. Bernardus, propter nimium acumen visus, et saltus celeritatem : » mente enim saliunt in montes cœlorum, et colles æternitatis : ita Rupertus. Porro S. Anselmus sic explicat, *q. d.* Si vultis habere naturas capreæ et cervi, quas habent sancti, adjuro vos ne peccetis, et inobedientiis vestris animam amore languentem, et in contemplatione persistentem dimoveatis ab illa quiete. Fuse deinde naturam dotesque capreæ prosequitur, easque sanctis et contemplantibus adaptat.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Somnus animæ. Primo, virtutis studium

Adjurat Christus quoslibet *primo*, ne animæ sanctæ quietem, virtutis studium et profectum, quo contendit in cœlestem Jerusalem, velut ejus civis et filia, verbis vel factis quomodolibet impediant vel interturbent, sed quisque de alterius profectu quasi de suo gaudeat, ait Aponius. Addit Justus Orgelitanus hic doceri voluntaria esse debere bona opera, non coacta : « Tunc enim, inquit, non suscitatur dilecta, donec ipsa velit, quando sanctorum vota voluntate spontanea Domino offeruntur. »

Secundo, humanarum rerum oblivio.

Secundo, somnus animæ est humanarum rerum oblivio, ut tota Deo et cœlo intendat, qualem agunt anachoretæ, monachi, et religiosi : nam; ut ait S. Basilius, inter. 6, in *Reg. fusius disput.*: « Nihil aliud est sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris oblivio, atque a sui ipsius voluntatibus recessio. » Hujusmodi somnum plurimum amat Deus, edicitque aliis denuntiatione severa, ne ullum ulla ratione perturbent. Quod si per cervos accipias angelos, pia cogitatio est, ait Sanchez, quæ meditatur hac abjuratione id a puellis peti, ne molestiæ aliquid afferant angelis qui magno studio, et fortasse diuturno eo sponsam adduxerunt, ut in sponsi sinu quiescat : neque privent illos et magna voluptate, et sui laboris fructu. Videant hic qui aliis scandalo sunt, quam graviter Deum, a cujus complexu sponsa divellitur, et angelos, quorum etiam opera effectum est, ut aliorum oblita, unum sponsum amet et curet, irritent et offendant.

Tertio, oratio, meditatio, extasis.

Tertio, somnus animæ est oratio, meditatio, contemplatio, exstasis. Vetat ergo Christus, ne ab hoc pietatis somno Magdalenam suam, velut otiosam avocet negotiosa Martha. Unde Joannes Carmelitanus sic exponit, *q. d.* « Obtestor vos, Ecclesiæ filiæ, per memetipsum, qui caprearum ac cervorum similis sum, ne animam, quam ego exstasi, vel vitali quovis somno ad me rapio, excitare audeatis ad aliorum salutem curandam, quoadusque, jubente me, ipsa velit. » Ita Cassiodorus, Beda, Anselmus, et S. Gregorius, quem audi : « Cervi et cervæ munda animalia esse perhibentur. Quid ergo per cervos et capreas, nisi fidem, et spem, et charitatem accipimus? Quas dum nobis mundas servamus, per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima sponsæ Christi, a cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit, in sinu sponsi sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit, ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, soliusque sponsi collocutione, quanto quietius, tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem carnales qui sunt in Ecclesia nonnunquam importune excitant, negotiis mundi eam implicare desiderant : quia ejus vitam inutilem existimant, dum ab eorum curis eam se abstinentem considerant. » Et post nonnulla : « Hi dilectam excitare sub adjurationis pondere prohibentur, ne videlicet mentem, quæ ad vacandum Deo se accingit, et solis spiritalibus studiis inhærere concupiscit, importunis sollicitationibus inquietent, et tenebris curarum terrenarum oculum cordis ejus obnubilent. Et tamen non ei omnis cura proximi interdicitur : quia profecto omni perfectæ animæ discernendum est, et quando

cœlesti contemplationi studeat, et quando proximorum utilitatibus inserviat. Hanc vacandi Deo licentiam libentissime sponsa suscipit, statimque verbum sponsi amplectitur, et dicit : Vox dilecti mei, » etc. Et S. Bernardus, *serm.* 51 : « Magna, inquit, et stupenda dignatio, quod quiescere facit animam contemplantem in sinu suo, insuper et custodit ab infestantibus curis, protegitque ab inquietudinibus actionum et molestiis negotiorum, nec patitur omnino suscitari, nisi ad ipsius utique voluntatem. » Idem fuse prosequitur, *serm.* 51 : « Moriatur, inquit, anima mea morte (justorum, uti aiebat Balaam, *Num.* cap. XXIII, 10), etiam si dici potest angelorum, ut præsentium memoria excedens, rerum se inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, sed et similitudinibus exuat, sitque ei pura cum illis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis, ut opinor, excessus, aut tantum, aut maxime contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis est : corporum vero similitudinibus speculando non involvi, angelicæ puritatis est. » Et post nonnulla : « Erras, si citra invenire existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis ; sed da mihi qui illuc pervenerit, et incunctanter fateor quiescentem, qui merito dicat : Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi, » *Psal.* CXIV, 7.

Porro Septuaginta vertunt, *adjuravi vos, filiæ Jerusalem, in virtutibus* (alii, *in exercitibus*) *et in viribus agri, si suscitaveritis et resuscitaveritis ejus charitatem, quoadusque velit,* quasi hæc sint verba non sponsi, sed sponsæ, quibus adjuret adolescentulas, ut excitent amorem suum, nec dormire aut torpere sinant quoadusque ipse velit, id est ut charitatem suam sponsi voluntati subjiciant. Desiderat autem sponsus ab omnibus amari ; venit enim ignem mittere in terram, et quid vult, nisi ut accendatur ? *Luc.* XII, 49. Ita Origenes, Theodoretus et tres Patres. Verum hæc dissonant a Vulgata, æque ac ab Hebræo, in quo liquet hæc esse verba sponsi de sponsa : τὸ *donec velit*, intellige, non sponsus, sed ipsa sponsa : hoc enim exigit חחפץ *techpats*, id est *volet*, quod est femininum.

Variæ hujus loci expositiones.

Quocirca, minus quoque Hebræo et Vulgatæ respondet expositio Pselli, qui Septuaginta secutus, censet hic animam sanctam a *capreis*, id est ab angelis opem flagitare, ut ad salutem et charitatis perfectionem (quod unice vult Deus) queat pertingere ; et Nysseni, *hom.* 4, qui putat hic significari, quod in charitatis studio imitari debeamus angelos quousque voluntas Dei, quæ est ut omnes homines salvi fiant, impleatur. Et S. Augustinus (vel quisquis est Auctor) in *Specul.* cap. III, tom. III, qui censet hic Ecclesiam excitare fideles ad martyrium, qui est apex charitatis, ad quem eos promovere vult Christus. Et trium Anonymorum apud Theodoretum, qui censent hic animam sapientem hortari infirmiores, tamdiu Christum mente gerant, donec ipse eisdem claram sui visionem impertiri velit. Et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 5, qui opinatur hic dici, quod Christus per incarnationem suscitatus sit in lucem, per resurrectionem vero resuscitatus : unde per *capreas* et *cervos* accipit ipsummet Christum : « Vel, inquit, suscitatur Christus in his qui primum accedunt, resuscitatur in his qui postquam accesserint, dormierunt : Dormit ergo Christus negligentibus, suscitatur in sanctis. »

Dormit Christus negligentibus : *Oratio quietis*, quæ ?

Mystici et contemplavi hæc referunt ad orationem, quam *quietis* appellant, quia in ea omnes animæ facultates quiescunt : in qua, ait B. Theresia, anima miro quodam modo intelligit Deum jam sibi propinquum, et quasi contiguum esse, ita ut levi conatu possit ad divinam unionem pervenire. Oratio ergo quietis est, qua mens quasi dormit in Deo, sola voluntatis acie fere insensibiliter operante in amante, sicut infans semidormiens sugit ubera matris, quæ si amoveantur, exspergiscitur, et plorat, ac ploratu ostendit quantum bonum amiserit, quod dormiens non æstimare nec sentire videbatur. Tota enim anima intrat in se, seseque colligit circa Deum, ut nec sentire nec audire videatur, esseque dormiens et semimortua, donec ad se redeat ; tunc experrecta sentit quantum bonum perdiderit. In hac ergo oratione quasi dormit, et moritur propria mens et voluntas, ac transit in divinam, ab eaque movetur et agitur ; sicut qui navigat, movetur non a se (quia quiescit, et subinde dormit), sed a navi quasi quiescens in patriam, et portum optatum vehitur. Talis ergo est quasi puer dormiens in sinu patris ; totam enim suam curam et cogitationem Deo relinquit, cui soli inhæret et indormit, dicens : « In pace in idipsum dormiam, et requiescam, » *Psalm.* IV, 9.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Vide Rupertum qui hæc omnia adaptat silentio, contemplationi et exstasi B. Virginis. Rursum hæc adapta ejusdem fiduciæ et resignationi in Dei providentiam, qua sciens se Deo et Christo Filio suo summe esse cordi et curæ, inter ejus brachia in ejus quasi sinu secura quiescebat et indormiebat, tum in Christi passione et cruce, tum in apostolorum et Ecclesiæ post Christi mortem persecutione facta per Judæos, tum in quibuslibet dubiis et adversis.

SECUNDA PARS CANTICI,

SIVE

SECUNDUS ACTUS DRAMATIS,

QUO DESCRIBITUR ADOLESCENTIA ET INCREMENTA ECCLESIÆ,
USQUE AD CAP. III VERSUM 6, SICUT INFANTIAM ECCLESIÆ DESCRIPSIT A CAP. I HUCUSQUE.

Hæc adolescentia Ecclesiæ fuit post Pentecosten, cum apostoli, recepto Spiritu Sancto, profecti ad gentes, ubique ecclesias fundarunt. Vide dicta in Proœmio, *cap.* III.

VOX SPONSI

VERS. 8. VOX DILECTI MEI, ECCE ISTE VENIT SALIENS IN MONTIBUS, TRANSILIENS COLLES.

VERS. 9. SIMILIS EST DILECTUS MEUS CAPREÆ, HINNULOQUE CERVORUM : EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRUM, RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS.

VOX DILECTI MEI, ECCE ISTE VENIT SALIENS IN MONTIBUS, TRANSILIENS COLLES.—Hebræa מקפץ *mekappets*, id est *contrahens se super colles* : qui enim fortiter et procul salire volunt, membra et vires contrahunt ut validius saliant. Vatablus, *accurrens per colles.*

SIMILIS EST DILECTUS MEUS CAPREÆ, HINNULOQUE CERVORUM. — Chaldæus more suo hæc refert ad liberationem Hebræorum ex Ægypto : « Quando, inquit, habitabat populus domus Israel in Ægypto, ascendit clamor eorum ad cœlos excelsos; tunc revelata est gloria Domini Moysi super montem Horeb, et misit eum in Ægyptum, ut redimeret eos, et educeret eos de oppressione subjectionis Ægyptiorum : et abbreviatum est tempus præfinitum propter merita patrum, qui comparati sunt montibus, et diminuit de tempore servitutis centum nonaginta annos propter justitiam matrum, quæ comparatæ sunt collibus, vers 9. Dixit cœtus Israel : In tempore quo revelata est gloria Domini in Ægypto in nocte Phase, et occidit omne primogenitum, ascendit super fulgur velocissimum, et cucurrit sicut caprea et sicut hinnulus cervorum, et protexit domos nostras. »

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Sponsa in suo amoris languore delata ad lectulum, ibique indormiens audiit confuse et tenuiter vocem sponsi advenientis, et transilientis montes, ut ad sponsam amore languentem festinanter accurreret; quare vox hæc ejus fuit eminus missa, ideoque exilis et submissa, uti docet S. Ambrosius, serm. 6 *in Psal.* CXI, vers. 1. Sive hæc vox fuerit sponsi indicentis adolescentulis silentium, ne quo strepitu sponsam excitent, ut volunt S. Gregorius et S. Bernardus. Sive aliqua alia, ut vult Origenes. Unde vocem dilecti, indicante amore, agnoscens, et exsultans sponsa exclamat : En dilectus meus adest; hæc enim est vox dilecti mei, quam audio, qui ut video summam mei curam gerit, nec aliud agit, quam ut meum amorem, tranquillitatem, pacem, omneque bonum curet et promoveat : quare instar hinnuli et capreæ celerrime transilit montes et colles, ut mihi adsit et succurrat. Ita Joannes Carmelita : « Vox, inquit, dilecti mei, quæ una id poterit, vi sua divina sonuit, et expergefecit me. »

Tripliciter hæc gnome potest exponi, *primo*, de Christi incarnatione, *q. d.* Ego Ecclesia christiana, jam nascente Christo, exoriens in B. Virgine, S. Josepho, apostolis et discipulis, amore Christi languens et suspirans, ut ipse genus humanum a peccato et morte redimat, incipio jam audire vocem ipsius tum per se prædicantis, tum per Joannem Baptistam, uti volunt tres Patres apud Theodoretum : hujus enim vox fuit vox Christi; unde ipse ait : « Vox clamantis (scilicet Christi) in deserto : Parate viam Domini, » *Isai.* XL, 3 et *Matth.* III, 3. Ecce ergo Filius Dei venit in carne, ut me redimat, sibique despondeat : « Saliens in montibus, transiliens colles. » Per montes et colles omnes angelorum ordines intellige, quos Christus e cœlo saliens in terram transilivit, ac sub omnibus se dimisit factus homo, juxta illud Davidis : « Minuisti eum paulo minus ab angelis, » *Psal.* VIII, 6, et *Hebr.* II, 7; et ut ait S. Bernardus, *serm.* 55 : « Ut hinnulus quippe apparuit parvulus, qui natus est nobis. » Sic et Cassiodorus et Beda : Christus, inquiunt, est *hinnulus*, quia factus est humillimus inter homines, et ut ait Isaias, cap. LIII, 3, *novissimus virorum.* Addit S. Anselmus Christum esse *hinnulum*, quia nulla carnis mole oppressus, et omnibus virtutibus ornatus, sicut hinnulus maculis distinguitur. Idem vero dicitur *caprea*, ait Justus Orgelitanus, propter similitudinem carnis peccati, quam assumpsit. Aut per *montes* et *colles* intellige sanctos patriarchas et prophetas : quia per medias generationes plurimas, inquit Titelmannus, post longam Patrum præcedentium seriem, tandem de virgine natus mundo apparuit. Quasi enim tot montes et colles transilit, quot ante ipsum præcesserunt diversæ generationes Patrum præcedentium, ex quibus secundum carnem processit. Saliit videlicet a monte illo sublimi, patre fidei nostræ Abraham in filium Isaac, ab hoc in filium Jacob, indeque in alios, et quasi saltibus singulis nostræ mortalitati factus vicinior : tandem manifestus in carne nostra mortali apparuit. Saltus ergo præcipuus, cujus hic fit mentio, ille est Dei ad homines admi-

Primo. Christus suis in montibus tripliciter.

Montes angeli.

rabilis descensus, quo Verbum caro, Deus homo factus est, quo Patris Sapientia in assumpta servi forma inter homines apparuit. Christus ergo instar fulguris montes, id est angelos et colles, id est patriarchas, et omnes patrum generationes transmittens, ait S. Bernardus, *serm.* 54, in purissimum Virginis uterum desiliit in præsepe : inde transiliit in Ægyptum, ait Nazianzenus, inde rediens saliit in crucem : e cruce et sepulcro resiliit in cœlum. Audi S. Ambrosium in *Psal.* CXVIII, serm. 6, vers. 1, qui ita sponsam loquentem inducit : « Ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitate puto, et ad me plus charitas ipsa festinat. Ego dixi : Veni; ille salit et transilit : ego rogo eum venire cum gratia, ille gratiarum operatur augmenta; et dum venit, incrementa gratiæ secum vehit; et veniendo acquirit, quia studet etiam ipse suæ placere dilectæ. Salit super excelsa, ut ascendat ad sponsam : sponsæ enim thalamus, tribunal est Christi. Salit super Ecclesiam, transilit super Synagogam. Salit super gentes, transilit super Judæos. Videamus salientem. Salit de cœlo in Virginem, de utero in præsepe, de præsepio in Jordanem, de Jordane in crucem, de cruce in tumulum, in cœlum de sepulcro. » Et post multa quæ interjicit : « Salit super Ecclesiam, quæ est domus panis, eo quod fidelium corda confirmet. Merito sicut capreola, quia caprea in altis pascitur. *Dorcas* dicitur a δερκεῖν *videre,* (dorcadum) enim visus acutior est. Quid hoc aptius Christo, qui Patrem vidit, quem vidit nemo? Aut si quis vidit in Christo, ipse filius revelavit. Merito sicut hinnulus quasi filius cui paternæ inoleverit vis naturæ, ut eum occulta non lateant, serpentes fugiant, venena non lædant. » Christus ergo e cœlo desiliit in solum et in cœnum, et ex cœno resiliit in cœlum. Ita Cassiodorus, S. Gregorius, Beda et alii.

Saliit Christus e cœlo in cœnum.

Secundo. *Secundo*, potest exponi de missione Spiritus Sancti in Pentecoste, *q. d.* Apostoli et fideles post Christi ascensum in cœlum, in Sion ob metum Judæorum reclusi, ac orationi et contemplationi vacantes, in die Pentecostes senserunt Christi adventantis opem et vocem, cum in eos misit Spiritum Sanctum. Tunc enim « factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum : et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, » *Actor.* II, 2. Quare hoc spiritu armati annullarunt, ac superarunt minas Judæorum et pontificum, imo gentes omnes Christo subjugaverunt. Porro cum Spiritu Sancto descendit ipse Filius, atque ac Pater in apostolos : tres enim personæ sibi invicem sunt consubstantiales, et quod una operatur ad extra, hoc operantur et duæ cæteræ. Unde Christus iturus in cœlum apostolis promisit, dicens, *Joan.* XIV, 18 : « Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos; » scilicet cum Spiritu Sancto in Pentecoste, inquiunt Rupertus et S. Cyrillus, lib. IX *in Joannem,* cap. XLV. Denique Spiritus Sanctus fuit quasi vox Christi, quæ per os apostolorum Christi fidem toto orbe prædicavit et propagavit; unde de eo ait Christus : « Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis, » *Joan.* XVI, 14.

Spiritus Sanctus denique fecit apostolos, montes et colles, hoc est omnes itinerum anfractus, omnes difficultates, omnes persecutiones et tribulationes, omnia impedimenta Evangelii transilire, ut Christi fidem et Ecclesiam toto orbe disseminarent. Unde S. Gregorius hic ait Christum esse similem capreæ salienti in montibus et transilienti colles, quia sanctos omnes patientia operationis suæ transcendit, dum se a morte suscitavit, Spiritum Sanctum in apostolos misit, gentesque ad se convertit. Nyssenus ait Christum saliisse super montes, quia dæmones sibi subjecit. Origenes vero, quia omnia regna mundi omnesque reges, quamvis excelsos suæ fidei subjugavit. Theodoretus autem, quia aras et templa idolorum, quæ erecta erant in montibus evertit. Unde Symmachus vertit, *ascendens contra montes, exiliens adversus colles.* Denique Salomon hucusque descripsit infantiam Ecclesiæ, hic vero depingit ejus adolescentiam et incrementa usque ad cap. III, 6, uti dixi in *Proœmio* : hæc autem cœpere in Pentecoste, et deinceps magis sunt aucta.

Tertio, Christus transilit montes et colles, cum Ecclesiæ in quavis persecutione et adversitate celerrime e cœlo instar fulguris adest, consilium et auxilium porrigit, facitque ut ipsa omnia superet et transcendat, juxta illud Christi promissum et oraculum : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, » *Matth.* XVI, 18. Et : « Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum, » *Psalm.* XC, 15. Tertio.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Christus per sanctas inspirationes salit in animam; montes et colles sunt animæ potentiæ per Dei gratiam elevatæ, et anhelantes ad cœlestia. *Primo* ergo salit Christus in intellectum, dum quasi sol radios lucis cœlestis illi immittit, ut videat quantum bonum, quam utile, quam pulchrum, quam jucundum sit opus virtutis, v. g. charitatis, religionis, contemptus mundi, martyrii, castitatis, patientiæ, humilitatis, etc.; *secundo* ex intellectu salit in voluntatem, stimulos caloris, id est sancti amoris impulsus illi inspirans, quibus amet et ardenter velit opus virtutis; *tertio,* salit in phantasiam, et appetitum sensitivum, gaudium spirituale ei immittens, ut non reluctetur intellectui et voluntati, sed potius ei obsecundet, Christus salit in omnes animæ potentias.

eamque impellat ad opus hoc complectendum; *quarto*, salit in manus et pedes, omnesque sensus et membra, dum ea impellit ad bonum opus quod mente concepit, licet difficile et arduum, reipsa exsequendum, juxta illud Isaiæ, cap. XL, 31 : « Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient; » omnes montes et colles, id est omnes difficultates et impedimenta generose et alacriter superando, ac transcendendo. Audi S. Ambrosium in *Psalm.* XVIII, vers. 6, serm. 6, : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam. A summo cœlo egressio ejus : et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus. Ergo et nunc salit, et nunc currit de corde Patris super sanctos suos, de oriente super occidentem, de septentrione super meridiem. Ipse est qui ascendit super occasum, ipse super cœlos cœlorum ad orientem. Ipse ascendit super montes, ipse super colles. Utinam ego miser dicam; dicat anima mea : Ecce iste advenit, et advenit non super terrena, non super valles, sed advenit saliens super montes. Deus enim Deus montium est. Ubi ergo salit? Super montes salit. Si sis mons, salit super te. Salit super Isaiam, salit super Jeremiam, salit super Petrum, Joannem, Jacobum. Montes in circuitu ejus. Si non potes mons esse, nec prævales, esto vel collis, ut super te Christus ascendat, et si transilit, transiliat, ut te transitus ejus umbra custodiat. »

Christus est capræa et hinnulus.

Quare Christus, in animam insiliens, « similis » est « capreæ et hinnulo » *primo*, ob velocitatem suam, quam pariter animæ communicat, dum eam facit velocem in exsequendo pium propositum. *Secundo*, quia instar capreæ acutissimi est visus, quo omnia circumspicit, et omnia profutura animæ providet, ac obfutura removet, atque ipsi animæ idipsum communicat, ut omnia quæ agenda sunt prius exacte prospiciat et circumspiciat. Ita Theodoretus, et S. Bernardus, *serm.* 54. Capreæ enim acutissimos habent oculos : unde græce vocantur δόρκαδες a δερκεῖν, id est *videre*. *Tertio*, quia sicut cervi halitu suo serpentes e cavernis extrahunt et vorant; unde vocantur ἔλαφοι ἀπὸ τοῦ ἑλᾶν ὄφιν, id est ab *extrahendo serpente* : sic pariter Christus omnes tentationes carnis, mundi et dæmonis, quas ipse animæ suggerit, manifestat, elidit, discutit et perimit. Ita Philo Carpathius. *Quarto*, Christus judex erit quasi caprea, quia acutissimo visu omnia occulta hominum dicta, cogitata, facta videbit et judicabit. Unde S. Bernardus, *serm.* 55 : « Verum tu qui adventum desideras Salvatoris, time scrutinium judicis, time oculos capreæ, time illum qui per Prophetam dicit : Et erit in tempore illo : scrutabor Jerusalem in lucernis, *Soph.* I, 12. Acuto visu est : nihil inscrutatum relinquet oculus ejus. Scrutabitur renes et corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi, *Psalm.* VII, 10. Quid tutum in Babylone, si Jerusalem manet scrutinium? » Et post nonnulla : « Verendum valde cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine multæ nostræ justitiæ (ut putantur) peccata appareant. Unum est tamen, si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique judicabimur, I *Cor.* XI, 32. Bonum judicium, quod me illi districto divinoque judicio subducit et abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. » *Hebr.* cap. X, 31.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

ἔλαφος unde dicatur?

Quinto, Origenes : Christus, ait, et sancti capreæ sunt in contemplatione; cervi in actione, qua occidunt serpentes, id est mortificant passiones et vitia. Asserunt, inquit, medici capreæ inesse intra viscera humorem quemdam, qui caliginem depellat oculorum, et obtusiores quosque visus exacuat. Merito ipsi Christus comparatur, quia non solum videt ipse Patrem, sed et videri eum ab aliis facit, quorum visus ipse curaverit.

Quinto.

Audi S. Gregorium, hom. 29 *in Evangelium* : « Ecce iste venit saliens in montibus, veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam ut ita dixerim saltus dedit. Vultis, fratres charissimi, ipsos ejus saltus agnoscere? De cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum. Ecce ut nos post se currere faceret, quosdam nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit. Quia exsultavit ut gigas ad currendam viam suam, ut nos ei diceremus ex corde : Trahe nos post te : curremus in odorem unguentorum tuorum. Unde, fratres charissimi, oportet ut illuc sequamur corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus, nihil nos jam delectet in infimis, qui patrem habemus in cœlis. »

Saltus Christi.

Moraliter hinc colligit Aponius animam piam in tranquillitate debere semper aurem cordis erectam attentamque habere, ut vocem Christi sive per prædicatores loquentis, sive per se menti bona desideria inspirantis, sollicite excipiat, ideoque orationi vacare, ut gratiam impetret, qua illa exsequatur et in opus conferat. Nam, ut ait Nyssenus, hæc vox et inspiratio Christi non stat nec permanet, sed instar hinnuli transilit et præterit.

Moraliter.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Christus, transiliens montes et colles patriarcharum, saliit in uterum Virginis, ex eaque carnem suscepit, cum « Verbum caro factum est, » uti jam dixi. Unde ipse ait : « Ante colles ego parturiebar, » *Prov.* VIII, 25. Qua in re *capreas*, id est angelos; adeoque ipsum Gabrielem nuntium celeritate prævenit, eodem archangelo testante, inquit S. Bernardus, *serm.* 54, cum ait : « Ave, gratia plena, Dominus tecum. Quid? quem modo reliquisti in cœlo, in utero reperis? quonam modo? Volavit et pervolavit super pen-

Christus salit in montibus virtutum.

nas ventorum. Victus es, o Archangele, transiliit te, qui præmisit te. » Idem S. Bernardus, serm. 4 *De Ascensione*, docet Christum in variis virtutum montibus saliisse. Ibat, inquit, de virtute in virtutem, ut videretur Deus in Sion : hinc in monte Thabor transfiguratus est, in monte elegit apostolos, et Evangelium promulgavit, in monte pernoctabat in oratione, in monte Calvariæ crucifixus est, e monte Oliveti ascendit in cœlum, in montem Sion misit Spiritum Sanctum. Rursum Christus salire fecit B. Virginem in montes, cum eam impulit assidue ad excelsos virtutum actus, ac nominatim cum eam incitavit ire in montana ad salutandum Elisabeth.

Tropologice. Tropologice, S. Bernardus, *serm.* 54 : Christus, inquit, salit in montes, id est in humiles ; sola enim humilitas exaltat, sola humilitas est mons et vera celsitudo : transilit colles, id est superbos, quos superbia fecit colles, at non montes : « Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, » I *Petr.*, cap. v, vers. 5.

Aliter Joannes Carmelita : Christus, inquit, salit in montibus, cum grandiores charitate visitat ; transilit colles, id est non ita sublimes, simili non afficit voluptate, sed eos quasi præterit. Sic et S. Bernardus, loco jam citato, ac Cassiodorus, Beda, Origenes, et S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima*, cap. IV : « Super majoris gratiæ animas salit, inquit, inferioris transilit, etc., qui infirmo corde virtutem ejus capere non possunt. » Et S. Anselmus : « Saliens in montibus, hoc est, inquit, pedes ponens et habitans in perfectis, et etiam eos salire facit sicut Paulum, quem ex persecutore cito fecit summum prædicatorem : transiliens quoque colles inferiores montibus, in quibus licet Deus non ita saliat sicut in perfectis, transilit tamen eos ; quia quamdam cognitionem mysteriorum suorum ostendit eis, licet non adeo plenam. »

Rursum Origenes ait Christum salire in montibus, id est in doctoribus et sanctis eximiis, dum in eis per affluentiam doctrinæ, fit « fons aquæ salientis in vitam æternam, » *Joan.* cap. IV, 14. Et Cassiodorus : « In his montibus, inquit, saltus dare dilectum, hos transilire colles perhibetur, quia corda sublimium Dominus crebra suæ visitationis gratia solet illustrare ; et pulchre non manere in his collibus, sed salire, vel eosdem transilire dicitur ; quia contemplationis internæ dulcedo, quantum alta est propter agnitionem rerum cœlestium, tantum est brevis et rara propter gravedinem mentium, carnis adhuc mole detentarum. »

Symbolice, montes novum Testamentum. Symbolice, Origenes per *montes* accipit Novum Testamentum, per *colles* vetus : in lectione enim S. Scripturæ ejusque meditatione invenitur Christus, atque in mentes insilit. Hinc Philo Carpathius ait Christum saliisse super prophetas, transiliisse super apostolos ; S. Bernardus vero saliisse in montibus, idest in angelis, patriarchis et prophetis ; ac collibus, cum nonnullis e populo apparuit.

Anagogice. Anagogice, Justus Orgelitanus per vocem *dilecti* accipit tubam archangeli, qui in fine mundi clamabit : « Surgite, mortui, et venite ad judicium. » Unde Aponius : Christus, inquit, similis est capreæ, quæ in posteriori parte candorem habet, quia in futuro sæculo suam exhibebit præsentiam. Et S. Bernardus, *serm.* 55 : Christus, inquit, similis est hinnulo et capreæ propter misericordiam in electos, et judicium in reprobos : hinnulus enim significat salientis in alta desiderium ; caprea, judicium.

Moraliter. Moraliter discant hic a Christo christiani instar caprearum ascendere ad montana orationis et virtutum omnium, ac veloces esse, hilares et agiles ad omnem beneficentiam, omneque opus bonum : nam, ut ait S. Ambrosius : « Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia ; » ipse enim est ignis consumens, « qui (proinde) facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis, » *Hebr.* cap. I, vers. 7. Vere Ecclesiasticus, cap. XXXI, vers. 27 : « In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. » Vide ibi dicta.

VERS. 9. EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRUM, RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS.

Pro *respiciens*, hebraice est משגיח *maschgiach*, id est intente, et cum animi observatione prospiciens, hoc est intuens, observando scilicet omnes sponsæ gestus, actus, sermones, idque studiose et exacte. Hebræum מציץ *metsits*, id est *efflorescens*, vel *instar floris erumpens et emicans*, seseque tenuiter ostendens, et videndum exhibens « per cancellos. » Apte pulchrum sponsi caput, vultus et oculi comparantur flori ; quia et caput capillis velut floribus ornatur ; et vultus colore est roseo, et oculi in orbibus suis emicant, quasi flores in calyce suo. Nam ut flores, inquit Luysius, cum primo erumpunt, lætiores et nitidiores nobis videntur, quam cum foliorum orbem explicaverunt, nec apparent tunc toti, sed capitulorum tantum acumina ostendunt : sic enim flore omnique rosa pulchrior sponsus, caput fenestræ intulisse, et os roseum aperuisse visus est. Septuaginta vertunt : ἐκκύπτων διὰ τῶν δικτύων, id est *prospiciens per retia*, id est per fenestras reticulatas, sive per cancellos. S. Ambrosius, serm. 6 in *Psalm.* CXVIII, legit, *eminens per retia*. S. Hieronymus, lib. III *in Ezech.* cap. XII, *apparens per retia*. Significat sponsum, accurrentem ad sponsam, illam per rimas et cancellos domus clare inspexisse, sed ab illa non esse visum, imo illi nonnisi per cancellos obscure se spectandum exhibuisse, ut majorem sui reverentiam et desiderium in ea excitaret, ac vicissim honeste, modeste et verecunde illi sese insinuaret. Ita S. Bernardus. Qui enim per cancellos prospiciunt, clare

alios intuentur; sed ab iis non nisi obscure et tenuiter videri possunt. Ita Origenes. Unde Arabicus vertit, *prospiciens per rimas.*

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Hæc gnome in sensu plane cohæret cum præcedenti; unde et in Bibliis eodem versu cum eadem jungitur. Juxta illam ergo conformiter exponenda est. Igitur Cassiodorus, Beda, S. Ambrosius, S. Gregorius, S. Bernardus et alii, qui præcedentem gnomen de incarnatione Christi exponunt, hanc quoque de eadem explicant : Paries enim Verbi incarnati, sive deitatis, est ejusdem humanitas, quo deitatem celat, *q. d.* Filius Dei veniens in carnem, post eam quasi post parietem stans per ejus oculos et sensus, quasi per fenestras cancellatas prospicit in Ecclesiam ejusque fideles, ac per eosdem flos et pulchritudo deitatis ejus translucet et emicat, sed tenuiter, obscure, ac per partes et quasi dimidiata. Quare Christus qua Deus perfecte, clare et immediate intuetur nos, nos vero eum per umbram duntaxat, sive per rimas et cancellos, puta per humanitatem deitatem ejus aspicimus. Deus ergo in carne nascens homo fuit מציץ *metsits,* id est emergens, progerminans et efflorescens rosa, quæ sese aperiens et sensim explicans, roseum deitatis vultum et odorem suavissimum intus latentem quasi per retia cancellorum, hoc est, per operationes *theandricas*, ut ait S. Dionysius *De Divin. nomin.*, id est *Dei viriles*, puta ab homine Deo, sive a Verbo incarnato promanantes umbratice ostentabat, cum Christus homo post parietem, id est corpore intermedio, deitatem suam abscondebat, ita tamen ut tenuiter et ex parte quasi per cancellos illam conspiciendam exhiberet, uti fecit in transfiguratione, in miraculis cæterisque operibus divinis. In cœlo vero suam divinitatem sine cancellis, hoc est, clare et facie ad faciem beatis videndam exhibebit.

Prima expositio. Paries Verbi incarnati est humanitas.

In hac vita ergo cancelli humanitatis lumen et fulgorem deitatis ejus temperabant, ut loqui et agere posset cum hominibus, ne eorum perstringeretur intuitus; sicut Moysi apparuit et Hebræis tectus caligine et columna nubis, *Exodi* cap. XIII et XX. Ita Cassiodorus cæterique jam citati, ac S. Bernardus, *serm.* 56, qui et explicat τὸ *stat* : « Stetit, inquit, per divinitatis potentiam, qui per carnis infirmitatem occubuit, dicente ipso : Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, » *Matth.* cap. XXVI, vers. 41. Audi S. Gregorium hic : « Quasi post parietem nostrum Christus incarnatus stetit, quia in humanitate assumpta divinitas latuit. Et quia ejus immensitatem, si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum objecit; et quidquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit. Per fenestras autem et cancellos qui aspicit, partim videtur, partim vero se abscondit : Sic et Dominus Jesus Christus, dum et miracula per divinitatis potentiam fecit, et abjecta per carnis infirmitatem pertulit, quasi per fenestram et cancellos prospexit : quia in alio latens, in alio quis esset apparuit. » et S. Bernardus, *serm.* 56 : « Porro cancellos, inquit, et fenestras per quas respicere perhibetur, sensus (ut opinor) carnis, et humanos dicit affectus, per quos experimentum cepit omnium humanarum necessitatum. Denique languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, *Isai.* LIII, 4. Humanis ergo affectionibus sensibusque corporeis, pro foraminibus usus est et fenestris, ut miserias hominum homo factus experimento sciret, et misericors fieret. » Et post nonnulla : « Tot autem in nostro ruinoso, et pleno rimarum pariete invenit foramina, quot nostræ infirmitatis et corruptionis in suo corpore sensit experimenta. »

Secundo, hanc gnomen aptius ad sequentia exponas de Pentecoste et adventu Spiritus Sancti. Christus enim seipsum, per Spiritum Sanctum a se missum apostolis, exhibebat per linguas igneas quasi per cancellos, per quas ipse apostolos clare intuebatur; apostoli vero ipsum obscure. Secunda.

Rursum hanc gnomen referas ad Eucharistiam, quæ a fidelibus maxime post adventum Spiritus Sancti frequentari cœpit. In Eucharisita enim Christus non solum deitatem suam, sed et humanitatem per species sacramentales panis et vini quasi per parietem intermedium abscondit, per easque quasi per cancellos clare nos intuetur, non solum oculis mentis, sed et corporis, uti multi theologi censent; sed per fidem et ænigma duntaxat videtur a nobis, puta per species sacramentales, ac multo magis per consolationes, illuminationes, et gustus spirituales, quos manducantibus exhibet tantos et tam sublimes, ut ipsi Christum non tantum oculis cernere, sed et gustu mentis sapere et gustare videantur, uti contigit S. Francisco, S. Monicæ, S. Catharinæ Senensi, et aliis sanctis. Christus stat post parietem in Eucharistia prospiciens per cancellos.

Huc pertinet versio Chaldæi, qui hæc explicat de agno paschali; hic enim expressus fuit typus Eucharistiæ : « Et protexit, inquit, domos nostras, in quibus eramus, et stetit post parietes nostros, et prospexit per fenestras, et aspexit per cancellos, et vidit sanguinem victimæ Phase, et sanguinem circumcisionis qui impressus erat in portis nostris, et contemplatus est de cœlis excelsis; et vidit populum suum, qui comedebat victimam solemnitatis assam igni cum intestinis, et lactucis agrestibus et azymis, et pepercit nobis, et non dedit potestatem angelo dissipatori, ut disperderet nos. »

Tertio, hanc gnomen accipias de quolibet Christi adventu, quo Ecclesiam et fideles, præsertim in persecutione vel tribulatione visitat, protegit, propugnat, illustrat, *q. d.* Christus post ascen- Tertia.

sum in cœlum amictus lumine gloriæ sicut vestimento, inde quasi per cancellos intuetur Ecclesiam, eique succurrit et de omnibus providet; et ab illa non videtur nisi per effectus gratiæ, protectionis et auxilii. Ita Aponius, qui docet pariter modum, quo Christus Ecclesiæ et animæ afflictæ nunc se ostendit, nunc se abscondit: « Habet, inquit, invisibiles hostes anima, qui eam intra suæ mentis septum invisibiliter et incessanter circumdatam impugnant; quam ita in ergastulo redigunt vitiorum, ut non possit omnino progredi ad viam mandatorum Dei currendam, quousque ejus precibus revocatus, veniens quasi occultus stet, et spectet luctamen ejus; et non tamen se ostendit, ne omnino fugatis hostibus cessante pugna, otii torpore depereat; sed velut per fenestras aspicit, suæ visionis adjutorium commodando, ut anima vires recipiat resistendi, et hostis impugnatio, diminuta ejus terrore, aliquantulum conquiescat; aspicit autem per fenestras, sensus videlicet illius, quibus corporeas peragit cogitationes, si non sunt polluti sordibus. »

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Cancelli hic non solum sponsi, de quibus jam dixi, sed et sponsæ, puta animæ accipi possunt. Christus ergo est velut sol, qui gestit sua luce illuminare, et suo calore charitatis accendere omnes fideles; sed obstat paries, tum carnis, tum concupiscentiæ, et peccatorum nostrorum, qui radios hosce non admittunt: Christus ergo pro immensa sua animarum siti explorat rimas et cancellos, id est occasiones omnes, quibus per pias imagines, conciones, sermones, inspirationes in oculos et aures, indeque in mentem penetret, illique suam lucem et calorem instillet. Ita Aponius, Beda, Rupertus et S. Bernardus, *serm.* 56. Audi Origenem, *homil.* 2, ex duabus, qui legens ex Septuaginta, *eminens per retia*: « Ubi, inquit, non prospicit sponsus, ibi mors invenitur ascendens, ut legimus in Jeremia: Ecce mors ascendit per fenestras vestras. Quando videris mulierem ad concupiscendam eam, jam mors ascendit per fenestras tuas. Eminens per retia. Intellige quod in medio laqueorum ambules, et subtus machinas transeas imminentes. Omnia retibus plena sunt. Diabolus laqueis cuncta complevit. Si autem venerit tibi sermo Dei, et cœperit eminere de retibus, dices: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Eminet igitur sponsus per retia, tibi viam faciens. Jesus descendit ad terras, subjecit se retibus mundi. » Similia habet S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, serm. 6, vers. 3, ubi inter cætera ait Christum eminere super retia, id est peccata; quia solus ab iis immunis est, ideoque aliorum omnia dissolvit: « Plena, inquit, erant omnia laqueis, referta retibus. Audi dicentem: In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Et in libro Sapientiæ Sirach moneris, ut cognoscas quia in medio laqueorum ambulas. Quot vitia, tot retia, quot peccata, tot laquei hæreditarii jam te nexus tenebant. Venit ad laqueos Jesus, ut Adam solveret. Venit liberare quod perierat. »

Mundus et laqueis et retibus plenus.

Hinc S. Antonius vidit totum mundum laqueis obtensum, in quos incidebant animæ e terra in cœlum avolantes, iisque capiebantur velut aves et pisces reti: qua de causa ingemiscens et exclamans: « Domine, quis evadet hos laqueos? » Audivit: « Humilitas. » Ita S. Anathasius in ejus *Vita*. S. Antonius.

Rursum, sicut parentes et magistri simulant se abire, ac deinde post ostium et parietem se abscondunt, ut per rimas et cancellos, vel clathros videant quid filii et discipuli agant, cum se liberos, et a nemine observari putant, ac, si modestos studiis intendere conspiciant, eos præmiant; sin vero libris abjectis garrire, ludere, pugnare cernant, eos castigant; sic pariter Christus in cœlum abiens, ibi quasi se abscondit, indeque omnia nostra facta, dicta, cogitata per rimas intuetur, ut videns omnes a nemine videatur, hoc fine, ut bene operantes præmiet, male agentes puniat. Insuper Christus animæ subinde se præsentem ostendit per gratiam et consolationem, qua eam mulcet, tumque anima hilariter fertur ad omne bonum; nam ut ait S. Bernardus: « Suaviter equitat, quem gratia Dei portat; » quandoque vero ab anima quasi abit, seseque absentat, dum eam in mentis desolatione, ariditate, tentatione relinquit, ut videat ejus certamen: quod si illam in bono constantem viderit, illico accurrit, succurrit et consolatur. Sic S. Antonium in atroci cum dæmonibus forma luporum, leonum, tigridum, aspidum et serpentum apparentibus lucta, ad modicum tempus quasi deseruit, sed eo generose certante, illico in luce fulgida apparuit, eoque conquerente ac dicente: « Domine, ubi eras? » respondit «: Antoni, ego hic aderam, teque certantem videbam. » Ita S. Athanasius in ejus *Vita*. Sic S. Stephanus luctans cum Judæis, « intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem (ad pugnandum pro eo) a dextris Dei, » *Actor.* VII. Christus a nobis quasi se occultat aliquando. S. Antonius.

Mystice, Justus Orgelitanus: Christus, inquit, prospexit per fenestras et cancellos, cum lancea perforato latere, et egrediente ex eo sanguine et aqua, Ecclesiæ contulit sacramenta. Mystice.

Symbolice, per parietem Origenes, Theodoretus et Philo accipiunt S. Scripturam: per illius enim litteram, quasi parietem cancellatum inspicimus Deum in illa latentem et loquentem, ac Deus per illam nobis loquitur, nos instruit, consolatur, exhortatur, roborat, etc. Hinc Philo Carpathius per *parietem* accipit legem, per *fenestras* prophetas, per *retia* apostolos, quibus dixit Symbolice.

Christus : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum, » *Matth.* cap. IV, 19.

Rursum idem Origenes et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 2, vers. 3, per *parietem* accipiunt structuram bonorum operum : hanc enim occulte Christus intuetur, dirigit, promovet et perficit. Tres Patres vero apud Theodoretum per *cancellos* sive retia accipiunt virtutum connexionem, hæ enim inter se mutuo contextu munitæ arcent volucrum, id est dæmonum ingressum.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Christus in utero B. Virginis incarnatus, quasi post uteri parietem aspiciebat ipsam, et ab ipsa sentiebatur et aspiciebatur. Rursum Christus ex utero matris intuitus S. Elisabetham et S. Joannem Baptistam, eos implevit Spiritu Sancto, quo factum est ut S. Joannes in utero Elisabethæ absconditus, agnoverit Christum in utero B. Virginis latentem, eumque coluerit et adorarit, juxta illud : « Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo, » *Luc.* cap. I, 44.

Tropologice, cancelli, compunctio.

Tropologice, S. Bernardus, *serm.* 56, per *cancellos*, qui angustiores sunt, accipit compunctionem : per hanc enim et in hanc respicit sponsus : quia « cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies, » *Psalm.* L, 19; per *fenestras* vero, quæ latiores sunt, vocem exsultationis et laudis. « Quod si, inquit, interdum corde dilatato in charitate pro consideratione divinæ dignationis ac miserationis, libet animum laxare in vocem laudis, et gratiarum actionem, puto me non jam angustam, sed amplissimam stanti post parietem sponso aperire fenestram, per quam (ni fallor) tanto libentius respicit, quanto amplius sacrificium laudis honorificat eum. » Similia habet Theodoretus.

Fenestra, laus et gratiarum actio.

Anagogice.

Anagogice, Christus in hac vita stat post parietem carnis nostræ; at in morte eo dissoluto clare se animæ nostræ facie ad faciem videndum fruendumque exhibebit : ita Origenes, Cassiodorus, Beda et S. Augustinus, XIII *Conf.* cap. X. Audi S. Bernardum, *serm.* 56 : « Peccata nostra, inquit Scriptura, *Isai.* LIX, 2, separant inter nos et Deum. Et utinam unus mihi tantum obstet paries corporis, solumque obicem patiar id quod est in carne peccatum, et non multæ intersint maceriæ vitiorum. Vereor enim ne etiam præter illud quod in natura est, quam plurima de propria iniquitate adjecerim, quorum a me interjectu nimium elongaverim sponsum, ita ut si verum dicere velim, post parietes magis mihi illum stare fatear, non post parietem. » Et pluribus interjectis : « Nil tale verendum erat animæ Pauli, cui ab aspectu et amplexu dilecti unus tantummodo paries obsistebat, videlicet lex peccati, quam inveniebat in membris suis. Ipsa est carnis concupiscentia, qua carere omnino non potuit, donec in carne fuit. Hoc sane uno interjecto pariete non longe peregrinabatur a Domino; unde et optabat clamans, *Rom.* VII, 24 : Quis me liberabit de corpore mortis hujus? sciens se mortis compendio continuo ad vitam perventurum. »

VERS. 10. EN DILECTUS MEUS LOQUITUR MIHI : SURGE, PROPERA, AMICA MEA, COLUMBA MEA, FORMOSA MEA, ET VENI.

Hebraice est, *respondit dilectus meus, et dixit mihi : Surge tibi, etc., veni tibi,* ubi bis τὸ *tibi* redundat : sensus enim est, *surge et veni.* Nota, τὸ *respondit* subindicat sponsam, cum advertisset sponsum stare post parietem, et per cancellos prospicere, submissis verbis, vel nutibus aut gestibus eum invitasse, ut domum ingrederetur, et coram cum ea colloqueretur. Sponsus huic invitationi respondit se nolle domum ingredi, sed potius sponsam ad se foras evocare in agrum et vineam, quod jam ver appetat, in quo omnia vireant et floreant : quare tempus esse rusticandi, vites putandi, grossos colligendi, etc. Porro S. Bernardus, *serm.* 57 : « Venit (sponsus) inquit, in angelis, accelerat in patriarchis, appropiat in prophetis, adest in carne, respicit in miraculis, alloquitur in apostolis. Vel sic, venit affectu et studio miserendi, accelerat subveniendi zelo, appropiat humiliando semetipsum, adest præsentius, prospicit in futuros, loquitur docens et suadens de regno Dei. Sic ergo est adventus sponsi. » Pergit deinde S. Bernardus docere quam vigilanter sponsi adventum cum sponsa observare debeamus. Qui enim cum Psalte dicit, *Psalm.* XXIV, 15 : « Oculi mei semper ad Dominum; et quia providebam Dominum in conspectu meo semper, *Psalm.* XV, 8 : nonne hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo? *Psalm.* XXIII, 3. Visitabitur profecto frequenter, nec unquam ignorabit tempus visitationis suæ, quantumlibet is, qui in spiritu visitat, clandestinus veniat et furtivus, utpote verecundus amator. »

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Christus hic apostolos evocat ex Judæa ad Evangelium disseminandum gentibus.

Christus sponsam Ecclesiam in lectulo quiescentem, id est apostolos, post ascensum suum in cœlum, in Sion reclusos et orationi vacantes in Pentecoste, misso Spiritu Sancto, evocat ut foras prodeant, ac Evangelium audacter et alacriter in Judæa, et deinde per totum orbem prædicent. Ait ergo : Surge e lectulo quietis tuæ, sat lecto somnoque datum, propera ad evangelizandum. « Amica mea, » id est, sponsa mea, « veni » ad proficiscendum per Judæam et cæteras provincias, ut animas mihi lucreris, et omnes gentes ad me, meamque fidem et cultum adducas; convenit enim te mihi sponso tuo esse similem, qui a Patre

sum missus in mundum evangelizare regnum Dei, ut prædixit Isaias, cap. LXI, 1 et 2 : « Spiritus Domini, inquit, super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem : ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro : ut consolarer omnes lugentes. » Hoc ergo fuit aureum Evangelii sæculum, quod ferreo legis Mosaicæ ævo jugoque successit, quo proinde invitatur Ecclesia, id est apostoli virique apostolici, ad intrepide et ardenter evangelizandum ubivis gentium.

Apostoli similes columbis.

COLUMBA MEA. — Apostoli evangelizantes comparantur columbis, *primo*, ob candorem, simplicitatem, juxta illud Christi, *Matth.* X, 16 : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. » *Secundo*, ob velocitatem, quia celerrime totum orbem evangelizando pervolarunt. *Tertio*, ob fidelitatem, columba enim columbo suo quasi conjugi associata, ei fidem servat, nec alium aspicit : sic apostoli fuere fideles Christo in fame, siti, persecutione, etc., usque ad mortem et martyrium. *Quarto*, ob fecunditatem, columba enim singulis mensibus ova fœtusque parit, cum cæteræ aves semel duntaxat in anno pullos procreent : sic apostoli plurimos filios peperere Christo, nam « in omnem terram exivit sonus eorum, » *Psalm.* XVIII, 5; unde eos prævidens Isaias, cap. LX, vers. 8, admirans exclamat : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? » Vide ibi dicta. *Quinto*, columba puritatis, castitatis et innocentiæ est symbolum : columba enim cœnum horret, nec aquam bibit nisi puram et elimem; unde Varro, *De Re rustica*, lib. III, cap. VII : « Aquam, inquit, puram esse oportet quæ influat, unde bibere et se lavare possint columbæ : permundæ enim sunt hæ volucres. » *Sexto*, columba indulgentissima est erga fœtum et prolem, unde ipsa est viva imago piæ matris Ecclesiæ erga omnes, præsertim vero erga filios et domesticos fidei, quos genuit per lavacrum regenerationis. Etenim (ut tradunt ii qui de rerum natura scripsere) columba sese ad fovendos fœtus etiam explumat : nam sæviente frigore nidificans, et partum nido immittens, suas plumas etiam non gravatur avellere, ut parvuli fœtus mollius incubent : quo fit ut ipsa sæpe mater gelu contabescat.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Columba se pro pullis explumat.

Idem facit Ecclesia. Audi Paulum, I *Thess.* II, 7 et 8 : « Cum possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis. »

Apostoli formosi.

FORMOSA MEA. — Apostoli fuere formosi omni gratia, decore virtutum, ideoque evangelizando omnes ad se et Christum pellexerunt juxta illud : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! » *Rom.* X, 15, et *Isai.* LII, 7. Vide ibi dicta. Præclare S. Ambrosius, lib. *De Isaac et Anima*, IV : « Surge, inquit, veni, proxima mea; id est, surge a delectationibus mundi, surge a terrenis, et veni ad me, quæ adhuc laboras et onerata es; quia sollicita es, quæ sunt mundi. Veni supra mundum, veni ad me, quia ego vici mundum. Veni prope me jam pulchra æternæ vitæ decore, jam columba, id est mitis et mansueta, jam tota plena gratiæ spiritalis. » Et S. Bernardus, *serm.* 57 : « Etenim, inquit, merito *amica* dicitur, quæ sponsi lucra studiose ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirit. Merito *columba*, quæ nihilominus pro suis delictis in oratione gemens et supplicans, divinam sibi non cessat conciliare misericordiam. Merito quoque *formosa*, quæ cœlesti desiderio fulgens, supernæ contemplationis decorem se induit, horis duntaxat, quibus commode et opportune id potest. » Deinde has tres dotes docet repræsentari per Martham ministrantem, Lazarum quasi gementem sub lapide, et Mariam contemplantem.

Anagogice, Origenes, *hom.* 4 ex quatuor, et Justus Orgelitanus censent hic Ecclesiam in resurrectione et die judicii a Christo judice evocari ad cœlum, ut ex militante fiat triumphans. Et S. Ambrosius, *in Psalm.* CXVIII, serm. 6, vers. 3, ita Christum animam e corpore ad se in cœlum invitantem inducit : « Surge a mortuis, exsurge a vinculis, quibus circumdata tenebaris; exsurge, quia ego resurrexi tibi. Solve vincula iniquitatis, quia ego jam solvi tibi. Veni, quia jam retia tibi soluta sunt. Virgo peperit, puer natus ex virgine est. Nihil debet muliebri hæreditate, quia quasi filius mulieris non tenetur. Cerne medium parietem maceriæ jam solutum, qui internorum affectuum concordiam dividebat, et in diversum excitabat dissensionem corporalium passionum. Veni ergo secura, ut jam me non per retia videas, sed facie ad faciem, vultibus amatoriis dilecta potiaris. Anagogice.

S. Hieronymus describens mortem S. Paulæ in ejus epitaphio « Statim, inquit, ut audivit sponsum vocantem : Surge, veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea, quoniam ecce hiems transiit et recessit, pluvia abiit sibi; læta respondit : Flores visi sunt in terra, tempus sectionis advenit; et : Credo videre bona Domini in terra viventium. »

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Primo, Christus animam piam a somno suæ commoditatis, negligentiæ et pusillanimitatis excitat, jubetque surgere, ut sublimiores charitatis et virtutum gradus conscendat, ad altiora tendat, ac semper in Dei gratia, amore et obsequio proficiat : perfectio enim hujus viæ et vitæ consistit in continuo et perpetuo profectu, ut scilicet justus Deum vocantem sequatur, in diesque magis ac

magis ejus puritati ac sanctitati assimilare se conetur, itaque quietem perennem et coronam gloriæ illustriorem mereatur accipere in cœlis. « Surge » ergo, id est attollere, more surgentis in altiora contende, currens propera, et ut columba in nidum convola per charitatis incrementa. O sponsa vere formosa, cui et virtutum decor, et actuum expeditio venustatem conciliant. Gradere et ad me veni, hoc est : « Specie tua et pulchritudine tua prospere procede. » Hoc est quod ait Psaltes : « Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion, » *Psalm.* LXXXIII, vers. 6.

Quo quis sanctior est, eo ad majorem sanctitatem aspirat.

Quare quo quis sanctior est, eo magis ad majorem sanctitatem aspirat, et strenue contendit : signum enim minoris sanctitatis est, imo deficientis et pereuntis sanctitatis est, nolle in ea progredi, sed velle in suo statu graduque consistere; quod est impossibile : nam nolle proficere, est velle deficere, uti docet S. Bernardus, *epist.* 154. Unde S. Paulus, *Philipp.* III, 13. post tot agones et cursus : « Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu; » et subdit : « Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. » Et *Rom.* cap. XII, vers. 11 : « Sollicitudine, inquit, non pigri : Spiritu ferventes : Domino servientes. » Ita Origenes, *hom.* 2 : « Cur, ait, surge? cur propera? Ego pro te sustinui rabiem tempestatum, ego fluctus qui tibi debebantur excepi : tristis est facta anima mea propter te usque ad mortem : resurrexi a mortuis, fractis mortis januis, et inferni vinculis dissolutis; ideo dico tibi : Surge et veni. » Et Nyssenus, *hom.* 5 : « Surge, inquit, veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea. Audit jussum, verbo confirmatur, excitatur, accedit, appropinquat. Pulchra redditur, columba nominatur : pulchra, quia appropinquans ad Deum, instar speculi imaginem in se suscepit divinæ pulchritudinis; columba vero, quia pulchra ob susceptam S. Spiritus imaginem. Amica fit anima cognoscendo Deum; formosa Christi humilitatem servando; columba vero efficitur, quia nihil de terrenis cupiditatibus absque cibo vilissimo indumentoque corporis requirendo, sed semper columbarum simplicitatem tenens, Spiritui Sancto se consociat. » Et S. Gregorius : « Propter fidem, inquit, Christus sponsam suam amicam vocat, columbam propter simplicitatem, formosam propter operationem, etc. Hanc itaque hortatur ut surgat et veniat, quia dignum est ut quicumque ad amorem Christi properat, carnis torporem quantum potest, abjiciat, et se ad æterna consequenda celeriter accingat. »

Hic anima a contemplatione evocatur ad actionem.

Secundo, Cassiodorus, Beda et S. Anselmus censent hic animam evocari ab otio contemplationis ad negotium actionis, a quiete ad luctam et pulverem, a sorte Magdalenæ ad sortem Marthæ, ut proximorum saluti se impendat, illosque similes faciat et ad cœlum perducat. Audi S. Bernardum, *serm.* 57 : « Denique audit sponsa, ut surgat et properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera et casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo et desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat : et rursum potita votis aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in idipsum, quanto se fructuosius intermisisse meminerit; et item sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. »

Christus non imperiose mandat, sed suaviter invitat.

Porro notat S. Bernardus, *serm.* 58, non dici *vade*, sed *veni* (imo Nyssenus legit, *veni sponte*; licet enim τὸ *sponte* non sit in Hebræo, tamen subintelligitur), quia Christus non imperiose mandat, sed suaviter invitat ad labores vitæ activæ. Quærit deinde S. Bernardus cur sponsus, qui paulo ante vetuit sponsam a somno excitari, mox ipse eam a somno excitet et evocet ad labores : sicut Christus in passione modicum indulgens somnum apostolis longa vigilia gravatis, illico eum abrupit dicens : « Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet, » *Matth.* cap. XXVI, vers. 46; ac respondet : « Agnoscite, inquit, vicissitudines sanctæ quietis, ac necessariæ actionis; et quia non sit in hac vita copia contemplandi, nec diuturnitas otii, ubi officii et operis cogentior urget instantiorque utilitas. More igitur suo sponsus, ubi dilectam paululum in sinu proprio quievisse persentit, ad ea denuo quæ utiliora visa sunt, trahere non cunctatur. Non tamen quasi invitam (nec enim quod fieri vetuit, faceret ullatenus ipse), sed trahi sane a sponso sponsæ, est ab ipso accipere desiderium quo trahatur, desiderium bonorum operum, desiderium fructificandi sponso : quippe cui vivere sponsus est, et mori lucrum. »

Anagogice, columba symbolum contemplationis. Exempla.

Anagogice, columba symbolum est vitæ contemplativæ, cœlestis et beatæ; unde Varro, lib. III *De Re rustica*, columbam dictam censet a *columinibus* (lego cum Aldrovando, *culminibus*) villæ, in quibus degere solet. Hinc in *Vita* S. Marinæ legimus columbam ei in martyrio coronam imposuisse, ac dixisse : « Pax tibi, ancilla Dei; nunc confide, cœlestem coronam accipiens e manu Altissimi. » Rursum angelus specie columbæ animam S. Amatoris detulit in cœlum, uti narratur in *Vita* S. Germani, cap. V. S. Benedictus vidit animam S. Scholasticæ sororis suæ specie columbæ ascendere ad cœlum, uti habet ejus *Vita*. Anima quoque S. Spei abbatis ut columba evolavit ad superos, ut « Deus ex hac ipsa specie ostenderet quam simplici corde ei vir ille servisset, »

ait S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. X. Sic et B. Beatricem Estensem columba fixo oculo intuita, transitus ex hac vita ad cœlestem illi fuit prænuntia, uti refert Bernardus Scardionius in ejus *Vita.* Sic et S. Fabiani capiti columba insidens, eum pontificatu digniorem, ideoque eligendum denuntiavit. Eadem S. Chrysostomi Missam celebrantis cervici insidens, ejus sanctitatem vitamque cœlestem declaravit. S. Radegundis invocata a naufragis, columbæ specie navim circumvolitans, eos periculo exemit, ut habet ejus *Vita.* Plura hujusmodi columbarum exempla recenset Aldrovandus in *Columba,* pag. 404, et seq. Denique in Christi baptismo, Spiritus Sanctus specie columbæ in ipsum e cœlo dilapsus requievit, *Luc.* III, 22.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Rupertus censet his verbis significari ingens desiderium Verbi ad carnem ex B. Virgine assumendam, ac proinde iis eam invitari, ut angelo Gabrieli illam annuntianti illico consensum præbeat. « Tu, inquit, amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem, etc. Veni ergo, Maria, veni : nam Eva ad latebras fugit. Veni, et crede angelo evangelizanti : nam Eva credidit serpenti susurranti. Veni et contere caput serpentis : nam Eva et capite illecta, et ventre oblectata, et cauda est obligata serpentis. Veni et dic : Ecce ancilla Domini : nam Eva se abscondens pariter et defendens : Serpens, ait, decepit me et comedi. Hæc est vox dilecti mei, et hoc loquitur mihi : Surge, propera et veni. Surge per fidem, propera per spem, veni per charitatem. »

Mariæ et Evæ antitheses.

Rursum hisce verbis : « Surge, propera, » Christus evocat B. Virginem, *primo,* ut licet gravida, surgat et abeat in montana cum festinatione ad salutandum Elisabeth, eique serviendum. Ad hæc ut contendat in Bethlehem, ibique pariat Christum, utpote in patria Davidis, et in domo panis : Christus enim est panis angelorum, æque ac hominum.

Denique hisce verbis multi censent Christum suavissime matrem in morte invitasse ad se in cœlum : quare ipsam non dolore, sed Christi desiderio et amore sanctissimam animam efflasse.

VERS. 11. JAM ENIM HIEMS TRANSIT, IMBER ABIIT, ET RECESSIT.

VERS. 12. FLORES APPARUERUNT IN TERRA NOSTRA, TEMPUS PUTATIONIS ADVENIT : VOX TURTURIS AUDITA EST IN TERRA NOSTRA.

Est periphrasis veris et vernæ amœnitatis, ad quam sponsus sponsam e lectulo evocat in agros et vineas ad earum culturam. In vere enim hiems cum suo frigore, nive, gelu et imbre transiit, flores apparent, putantur vites et frutices, turtures cæteræque aves cantillant : turtures enim tota hieme ita in antris se abdunt, ut nemo sit, qui hieme turturem se vidisse asserat, teste Aristotele, lib. VIII *Hist. Anim.* cap. XVI; quare ubi turtur apparet, certum est signum transiisse hiemem, et incipere ver. Simili modo ver pingit Ovidius, lib. I *Fastor.* :

Turtur, signum veris.

> Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
> Et nova de gravido palmite gemma tumet.
> Et modo formatis operitur frondibus arbos,
> Prodit et in summum seminis herba solum;
> Et tepidum volucres concentibus aera mulcent,
> Ludit et in pratis, luxuriatque pecus.
> Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
> Et luteum celsa sub trabe fingit opus.

Indicia veris.

Flores accipe non vitium, sed violarum, hyacinthorum, tuliparum, etc., vites enim non florent, antequam putentur : hebraice enim est נצנים *nitsanim,* quæ vox non tantum *flores,* sed et prima germina, sive primas baccas et gemmas ex stirpibus et fruticibus progerminantes significat, quales hic etiam in vitibus accipi possunt. Pro *putationis* hebraice est זמיר *zamir* : quod Vatablus aliique hebraizantes vertunt, *cantillationis;* in vere enim cantillant philomelæ cæteræque aves. Radix enim זמר *zamar* proprie significat *putare,* sive incidere vites et arbores : inde per metaphoram transfertur ad incisionem musicam, sive ad cantum, quo voces certis flexibus, numeris et tonis inciduntur, ut modulationem gratam auribus exhibeant; unde מזמר *mizmor* vocatur *psalmus* et *psalmodia* : hinc et Arabes *zambra* vocant chorum canentium. Verum Noster melius vertit, *putationis,* tum quia cantillationem avium sat significat *vox turturis;* tum quia *putationis* vertunt Septuaginta, Chaldæus, Aquila et Symmachus; tum quia sponsa invitatur hic ad culturam vitium, puta ad putationem, ut copiosas uvas et vina proferant; tum denique, quia videmus initio veris putari vites ante æquinoctium vernum, antequam gemmescant et floreant, idque vinitori faciendum esse docet Plinius, lib. XVIII, cap. XXVI : « Putationem, inquit, æquinoctio peractam habeto; » additque id faciendum, antequam canere incipiat cuculus; cuculus autem canit initio veris, teste Aristotele, lib. IX *Histor. anim.* XLIX. Unde Oppianus cuculum appellat *primum veris nuntium.* Et Columella, lib. IV *De Re rustica,* cap. X et XIV : « Putandi, inquit, duo sunt tempora; melius autem (ut ait Maro) vernum, antequam surculus progemmet, quoniam humoris plenus facilem plagam, et levem et æqualem accipit, nec falci repugnat. »

Vites in veris initio putandæ.

Cuculus primus veris nuntius

Porro noster Sanchez *putationem* hanc accipit non vitium, sed balsami : arbuscula enim balsami osse vel vitro incisa stillat opobalsamum suavissimum et odoratissimum, teste Plinio, lib. XII, cap. XXV, et Hegesippo, lib. IV, cap. XVII. Salomonis enim vineæ præstantissimæ erant in agro

engadditano, in quo solo olim inveniebatur balsamum; *putationem* vero accipit pro ipsa *lacryma* seu gutta, quæ putando defluit, puta pro ipso opobalsamo metonymice; hoc autem stillat non initio veris, sed adulto vere, puta sub solstitium, cum incipit æstas. Id recte competit Christo, qui opobalsamum doctrinæ, charitatis et sanctitatis stillavit in vita, ac sanguinis et aquæ, quibus abluimur in cruce; unde Ecclesiasticus, cap. XXIV, 21, ait: « Quasi balsamum non mixtum odor meus. »

Verum hic videtur agi de initio veris, cum primum transiit hiems et imber, cumque turtur et aves canere incipiunt; quare potius simpliciter putatio vitium et fruticum hic accipienda videtur. Fateor tamen hic ver non tantum incipiens, sed et proficiens ac adultum, ipsamque æstatem accipi: nam apostoli, qui hic notantur, cœperunt prædicare post Pentecosten, uti jam dicam.

Chaldæus, de more referens hæc ad Judæos ex Ægypto liberatos, sic vertit: « Quoniam ecce tempus subjectionis, quod simile est hiemis, cessavit; et anni, quos dixi Abrahæ inter divisiones, abbreviati sunt; et dominium Ægyptiorum, quod comparatum est pluviæ continuæ, transivit et abiit, et non addetis ultra videre eos usque in seculum. » Vers. 12: « Moyses autem et Aaron, qui comparati sunt ramis palmarum, apparuerunt, ut ederent miracula in terra Ægypti; et tempus putationis primogenitorum advenit; et vox Spiritus Sancti redemptionis, quam dixi Abrahæ patri vestro. Jam enim audistis quid dixerim ei, et etiam populum cui servituri sunt, judicabo ego, et postea egredientur cum substantia magna; et nunc volo facere quod juravi ei in verbo meo. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Christus sponsus Ecclesiam primitivam quasi sponsam, puta apostolos in Pentecoste recepto jam Spiritu Sancto evocat, ut vineas, id est, ecclesias Judææ ac cæterarum gentium excolant.

Hiems, rigor legis mosaicæ: imber errorum et vitiorum. Dicit ergo: Jam hiems, id est rigor et timor legis mosaicæ, inquit Origenes, Theodoretus, et S. Gregorius, ac frigus geluque infidelitatis gentium transiit, imber errorum et vitiorum abiit, quia sol vernus, puta Spiritus Sanctus illuxit, qui calore suo tam hiemem, quam imbrem fugavit, ac flante austro gratiæ suæ flores sanctorum, uti fuere primi credentes, ac martyrum, ut SS. Innocentium, S. Jacobi, S. Stephani et sociorum produxit in terra nostra: tempus ergo putationis advenit, quo vos, o apostoli, Judæorum et gentium ignorantiam et infidelitatem, omnemque cupiditatem rerum temporalium gladio fidei amputetis, ut fructus bonorum operum proferant.

Turtur fuit Joannes Baptista. VOX TURTURIS AUDITA EST IN TERRA NOSTRA. — Turtur hic solitarius, pudicus et gemens fuit S. Joannes Baptista, ait Nyssenus, cujus vox et vita non aliud fuit quam gemitus et prædicatio pœnitentiæ: « Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* III, 2. et *Luc.* CXI, 3. Joannes ergo fuit finis legis veteris, et exordium Evangelii, juxta illud Christi: « Lex et prophetæ, usque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit, » *Luc.* cap. XVI, vers. 16. Rursum « vox turturis » fuit prædicatio S. Petri et apostolorum. Et apostoli. Unde, ea audita, Judæi pœnitentes de Christi a se occisi nece, dixerunt: « Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti, » *Act.* cap. II, vers. 37. Idem dixit Cornelio Centurioni, qui primus e gentibus ad Christum a S. Petro conversus, ostium aperuit apostolis ad obeundum convertendumque omnes gentes, *Act.* cap. X, vers. 32. Tempus ergo legis novæ fuit *ver* evangelii, quo Christus quasi sol calore gratiæ suæ omnem infidelitatis et concupiscentiæ hiemem discussit, floresque et fructus bonorum operum produxit; unde tunc apparuerunt flores martyrum, putationes, id est mortificationes et austeritates religiosorum et anachoretarum, turtures viduarum et virginum, quæ se Christi amore castraverunt propter regnum cœlorum. Turtur enim castitatis est exemplar, aiunt Aponius, S. Bernardus et alii. Imo S. Augustinus, *homil.* 33 inter 50, et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, et S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. IV: « Ubi, inquit, ante impudicitia, ibi castitas. » Ita quoque Cassiodorus, Beda, Anselmus, Rupertus et alii. Porro per *flores* Origenes accipit quoslibet credentes, Aponius innocentes pro Christo occisos, S. Ambrosius, *in Psalm.* CXVIII, serm. 6, apostolos: « Boni flores, ait, apostoli, qui diversorum scriptorum atque operum suorum fuderunt odorem. » Per *turturis vocem* accipiunt apostolorum prædicationem Cassiodorus, Beda et Rupertus; Pauli, Philo Carpathius; Christi, S. Cyrillus, lib. XV *De Adorat.*; Ecclesiæ, S. Gregorius.

Ver evangelii.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Primus sensus de anima pœnitente. *Primo*, Christus animam peccatricem evocat ad pœnitentiam et justitiam, dicens: Surge e lecto peccati, jam enim hiems peccatorum, et imber concupiscentiæ transiit: illuxit enim tibi gratia mea, quæ te amore calefaciat, ac pœnitentiæ virtutumque flores et fructus producat, ut fias formosa instar columbæ Deo tuo.

Tres hic Pœnitentiæ actus pulchre adumbrati. Quare notantur hic tres actus pœnitentiæ, puta *contritio* per flores, *confessio* per vocem turturis; *satisfactio* per putationem: contritionis enim actus est quasi emicans *flos* fidei, spei et charitatis ex quo nascitur fructus justificationis; *vox tur-*

turtis est confessio gemebunda pœnitentis; *putatio* est satisfactio, qua per jejunia, lacrymas, aliaque opera pœnalia castigatur præterita culpa, et futuræ occasio amputatur et succiditur.

Turtur, pœnitentiæ symbolum.

Huc facit quod turtur sit pœnitentiæ symbolum: nam post mortem conjugis perpetuo gemit et mœret; nunquam in viridi ramo uti ante, sed semper in arido residet; nunquam in aqua seipsam inspicit, ne comparis sui mortui imago, et memoria sibi occurrat; nec aquam claram et elimem uti ante, sed turbidam et limosam bibit, imo aquam limpidam pede turbat antequam bibat, uti tradunt physici, et ex iis Sanchez; unde Baptista Mantuanus :

Sicut ubi amisso thalami consorte, per agros
Sola volat turtur, nitidis nec potat in undis,
Ne comitis prisci tristetur imagine visa,
Nec viridi posthac fertur considere trunco.

Secundus de anima sancta.

Secundo, Christus evocat animam sanctam ab otio et torpore, ad studium virtutis et bonorum operum, scilicet ut producat flores eleemosynæ, putationem jejunii et mortificationis, ac vocem turturis, id est orationem et meditationem; item pios gemitus, et suspiria ex corde devoto et amoris pleno, instinctu columbæ, id est Spiritus Sancti manantes, de quibus ait Apostolus, *Rom.* cap. VIII, vers. 26 : « Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. » Unde S. Bernardus, *serm.* 59 : « Vox turturis, inquit, quare non turturum? Forte Apostolus id solvit, ubi ait: Quia ipse Spiritus postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus, *Rom.* XIII; 26. Ita est: ipse inducitur gemens, qui gementes facit, et quamlibet multi sint, quos ita gemere audias, unius per omnium labia vox sonat. »

Turtur silentii et solitudinis symbolum.

Addit *turturem* notare amantes silentii et solitudinis, et consequenter orationis et gemitus : turtur enim amat solitudinem. In solitudine enim Christus loquitur ad cor, ait Origenes, imo Osee, II, 14. Porro quomodo mortificatione jugi et continua, mortificandæ sint cupiditates, ex inolita natura corrupta semper repullulantes, pulchre docet S. Bernardus, *serm.* 58. Insuper, ut ait S. Ambrosius, lib. II *Apolog. David*, cap. III : « Est hiems non temporis, sed mentis, quæ agrum animæ fecundum omni flore despoliat, quando animo frigus illabitur, quando vapor animi evanescit, quando solvitur vigor sensus, quando nimius humor exundat in mentem, quando interior caligat aspectus. » Hiemem hanc graphice depingit Nyssenus, *hom.* 5, ubi et ait animam sanctificatam per Christi gratiam proferre flores virtutum, fructum vero prolaturam in tempore suo. Sic et Cassiodorus, Origenes, Beda, Anselmus, Bernardus per *flores* accipiunt virtutes, puta virtutum primordia.

Tertius de suspirante ad Deum.

Tertio, vox turturis est gemere, et gemendo suspirare ad Deum; unde Virgilius :

Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Turtur enim castissima, assidue perstans in gemitu defuncto compare suo, perseverantis amoris simulacrum est, ut docet S. Basilius, homil. 8 *Hexam.* S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* 13, ac Nazianzenus, orat. *ad Virginem*, ait :

Turtur viduata marito,
Exstinctum assiduo gemitu luctuque requirit,
O vere sapiens volucris!

Ita ad Deum gemit, suspirat et anhelat S. Augustinus in *Meditat.*, præsertim cap. XXXVI, ubi inter alia ait : « Da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter emanantem, ut ipsæ quoque lacrymæ tuum in me testantur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se a lacrymis continere, etc. Da mihi irriguum superius et irriguum inferius, ut sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. »

Anagogice, evocatur hic anima sancta ab exsilio hujus vitæ ad cœlestem patriam et gloriam; dicit ergo ei Christus : Veni in thalamum meum, sponsa mea, o anima sancta, jam hiems torpidæ mortalitatis transiit; imber fluxæ concupiscentiæ, æque ac ærumnarum, persecutionum, angorum, sollicitudinum, quæ in hanc vitam assidue, quasi imber e cœlo in homines copiose depluunt, jam abiit et recessit; flores cœlestis gloriæ jam apparent; tempus putationis, quo scilicet omnes vitiorum et miseriarum radices per mortem a te amputentur, advenit; vox turturis, qua ingemiscens ad hanc redemptionem corporis tui multoties suspirasti, exaudita est; veni ergo, ingredere in locum gloriæ et beatæ immortalitatis. Ita S. Gregorius : « Flores, ait, apparuisse in terra dicuntur, quia sanctæ animæ cum a corporibus recedunt, in cœlo recipiuntur. Et quia in hac vita quamvis hyems fuerit, a bono opere non torpuerunt, mox ut recesserunt, in terra viventium gloriose floruerunt. Bene ergo sequitur, quod dicit : Tempus putationis advenit, quia quo amplior electorum numerus in cœlo congregatur, eo celerius reprobi ab Ecclesia tanquam sarmenta inutilia amputantur, ut mundus citius finiatur. » Et paulo post : « Quid per *turturem* nisi Ecclesia? Quid per *terram sponsi* nisi vita illa beata designatur? Sed vox turturis in terra sponsi audita esse dicitur, quia dum pro desiderio suo sancta Ecclesia deprecatur, a Christo, in cœlo clementissime exauditur. » Sic et Origenes, Justus Orgelitanus, Theodoretus et alii, qui per *hyemem* accipiunt perturbationes et tribulationes hujus vitæ, per *imbrem* vitiorum procellas. Addit S. Gregorius, homil. 16 *in Ezech.*, *flores* esse cœlestis gloriæ prægustus, quos sancti in hac vita, ac præsertim in morte a Deo hauriunt : « Tunc, ait, apparent flores in terra, quia, cum de æternæ beatitudinis vita quædam suavitatis primordia prægustare anima cœperit, quasi jam in floribus odoratur exiens, quod, postquam egressa fuerit, in fructu uberius habebit. »

Anagogice.

Porro S. Ambrosius, serm. 6 *in Psalm.* CXVIII, pro *tempus putationis* legit *tempus secandi*, « quo matura, inquit, in horrea frumenta conduntur, et qui metit mercedem accipit. » Unde et Philo Carpathius ait hoc esse tempus mortis.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Initio veris, puta die 25 martii sub æquinoctium, angelus Gabriel annuntians B. Virgini Christi conceptionem, illaque præbente consensum, Verbum caro factum est. Tunc ergo longa *hiems* prophetarum et legis durissimæ transiit, abiit *imber* peccatorum, iræque et minarum Dei, ac *ver* jucundissimum vernans floribus gratiæ, reconciliationis et remissionis peccatorum, ac apertionis cœli apparuit, cum ortus est sol justitiæ Christus Dominus; tunc pariter fuit tempus *putationis*, id est gratiæ et pœnitentiæ, per quam amputantur pravæ peccatorum consuetudines, et noxiæ concupiscentiarum delectationes præciduntur : per illam enim fit spiritualis circumcisio in spiritu, cujus illa Judæorum in carne circumcisio typus fuit et umbra, *Rom.* II, 29. Tunc *vox turturis*, id est castissimæ Virginis suspirantis ad Christi incarnationem, audita est : « Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » *Luc.* I, 35 : ita Rupertus. Rursum *vox turturis* fuit exsultatio Joannis in utero matris, cum illa a B. Virgine jam a Christo gravida salutaretur, *Luc.* I, 41. Ad hæc *vox turturis* fuit vox Annæ viduæ, quæ 85 annorum non recedens a templo, loquebatur de Christo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel, ait Justus Orgelitanus. Possunt quoque *flores Judææ* nuncupari Christus, ait Origenes, et Joannes in utero matris jam concepti.

Ver, tempus vitæ Christi.

Insuper Patres censent hic describi tempus felicissimum, quo Christus in carne (caro enim et humanitas Christi est primaria hic sponsa Verbi, ut dixi in *Proœmio*, cap. II,) cum Judæis conversatus est, ac in vere, puta in Paschate passus est et resurrexit. Ita Cassiodorus, Beda, Origenes, Theodoretus, Nyssenus, Philo, Aponius, Rupertus, Bernardus, *serm.* 58, qui docet tempus *hiemis* fuisse apostolis a passione Christi usque ad adventum Spiritus Sancti, qui hyemem, id est timoris et torporis frigus suo charitatis ardore resolvit, et in *ver* æstatemque divinam convertit; per *imbrem* vero accipit Judæorum blasphemias, pharisaicas traditiones, philosophorum loquacitatem, hæreticorum erroneas doctrinas, et omnes turbulentos spiritus. « Christus, ait S. Bernardus, ut flos e terra surrexit et apparuit, et cum illo multa corpora sanctorum, ut multi flores, surrexerunt et apparuerunt multis. » Unde poeta christianus ver naturæ et Christi ita depingit :

Vere pubentes renovantur agri,
Pampino gemmæ redeunt, viretque
Frons in arbustis, juvenescit omni
Gramen in horto.
Verna tempestas viget ante tempus,
Omne ver anni decus et venustas,
Ver et acceptum superis, origo est
Rebus et horis.
Nuntium cœli Deus ad Mariam
Vere dimisit, cruce tunc et hostes,
Vicit infernos, Lachesique ferrum
Christus ademit.

Denique Hugo Victorinus, serm. *De Assumpt. B. Virginis*, sub finem tom. II, docet *vocem turturis* esse vocem amoris, quo æstuabat B. Virgo : « Vox turturis, inquit, amori canit et dilectioni; et habet singularem dilectionem turtur, cui canit vel præsenti gaudium, vel absenti affectum. Igitur vox turturis tota de amore, et non novit aliud præter amorem turtur; et illi singularis amor est, qui soli non adjungit alterum; et æternus, qui nec primo secundum. Ergo vox turturis amori cantat, et amoris canticum est vox turturis, et ardent corda ad vocem turturis; unum est quod sonat vox turturis, et semper illud sonat et resonat, et non fastidit unquam. Semper idem canit, qui semper idem diligit. Et quis dignus erit audire vocem turturis? In solitudine canit, et semper solitudinem diligit turtur, quia singularem dilectionem quærit. » Et paucis interjectis : « O speciosa inter filias Jerusalem, audisti vocem turturis, audisti et intellexisti. Intus loquebatur, et tu intus eras; ideo audivisti et intellexisti, et dixisti : Vox dilecti mei! Intellexisti enim quia vox dilecti erat, et de dilectione erat; non enim intellexisses nisi dilexisses, quia dilectionis verbum erat, et non poterat nisi a diligente intelligi. Dilectus loquebatur, et dilectæ loquebatur, et dilectio commendabatur. Quia ergo vocem dilecti audisti, et dilectionem intellexisti, ne differas ultra, surge velociter. »

VERS. 13. FICUS PROTULIT GROSSOS SUOS : VINEÆ FLORENTES DEDERUNT ODOREM SUUM. SURGE, AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI.

FICUS PROTULIT GROSSOS SUOS, VINEÆ FLORENTES (Symmachus, *vitium flos dedit*) DEDERUNT ODOREM SUUM. SURGE, AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI. — Septuaginta, *arbor fici produxit germina sua, vites florentes dederunt odorem suum.* Pro *florentes* græce est κυπρίζουσαι, id est *cyprissantes*, hoc est, instar cypri florentes et redolentes. *Grossi* vocantur primæ ficus, qui quandoque immaturi decidunt, sed dant specimen et spem maturitatis et perfectionis cæterorum; quandoque maturescunt, suntque dulces et suaves, teste Columella, lib. V, cap. X; grossos ergo hic intellige deciduos, vel potius maturescentes : hebraice enim est, פג *pag*, unde latinum *ficus*; *pag* autem nonnulli Hebræi derivant a פנק *panac*, elisa media *nun*, id est *deliciatus est* : ficus enim recentes sunt deliciæ oris et stomachi; præsertim grossi, sive primæ maturæ, de quibus *Mich.* cap. VII, dicitur : « Præcoquas ficus deside-

Ficus etymon.

ravit anima mea.» Pro *florentes* hebraice est סמדר *semadar*, quod significat florem sive folliculum vitis, cum jam granescere incipit, ac minuta uvarum grana producit. Ecce quod versu præcedenti dixi hic notari ver non tantum incipiens, sed et proficiens, sive adultum : nam ficus proferunt grossos, et vineæ florent ac granescunt, vere adulto. Nominat præ cæteris arboribus *ficum* et *vitem*, quia harum fructus, puta ficus et uvæ, sunt suavissimi et præstantissimi : omnis enim fructus aliarum arborum habet aliquid aquosi, crudi et incocti; sola ficus ob calorem nihil habet crudi, sed omne maturum et percoctum ; nec lapillos aut nucleos habet ullos, sed merum succum, edulem, et sacchareum, sive melleum. Unde ille ficum aiebat esse bursam mellis : hisce fructibus sponsus invitat sponsam e lectulo in agrum et vineam.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Apostolis in vere puta in Pentecoste, et deinceps prædicantibus, « ficus protulit grossos, » id est multi Judæi ad Christum conversi sunt, et « vineæ florentes (id est gentes credere incipientes), dederunt odorem » sanctæ vitæ, famæ et exempli suum, indeque spem magnæ fertilitatis puta conversionis omnium omnino gentium. Porro sicut grossi nonnulli maturescunt, sed perplures immaturi decidunt : sic pauci ex Judæis in fide fuere constantes ; perplures enim ex eis a fide defecerunt, et in judaismum relapsi sunt; multos enim ex turba Christus prædicando convertit ; sed major eorum pars ob metum pontificum et scribarum defecit, præsertim dum vidit Christum pati, crucifigi et mori. Similiter Joannes Baptista multos Judæorum sua austeritate et efficacia prædicandi convertit, sed multi ex iis in pristina scelera relapsi sunt. Unde Christus, *Joan.* v, loquens de Joanne : « Ille, ait, erat lucerna ardens et lucens ; vos autem voluistis ad horam exsultare in luce ejus, » quasi horariam significans fuisse eorum conversionem. Quosdam vero ipsemet Joannes arguebat non sincere credentes : « Progenies viperarum, inquiens, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, » etc.

Porro de iis, qui Christo prædicanti crediderunt, quam pauci permanserint fideles, vel ex eo liquet, quod eo adhuc prædicante multi discipulorum abierunt retro, ita ut conversus diceret ad duodecim : « Numquid et vos vultis abire? » *Joan.* vi, 68 : In passionem quoque traditus, etiam ab his ipsis duodecim fuit derelictus, et fere ab omnibus abnegatus, inclamante fortiter universa multitudine Judæorum ante faciem Pilati : *Joan.* cap. xix, 15, et *Matth.* cap. xxvii, 25 : « Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum. Sanguis ejus super nos, » etc. Denique quam fuerit immaturus ille judaicæ pœnitentiæ fructus et grossus, liquet ex eo quod ait Paulus Judæis : « Vobis oportebat primum loqui regnum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes, » *Act.* xiii, 46. At vero « florentes vineæ odorem suum dederunt » gratissimum : quoniam videlicet gentium populi per orbem universum dispersi, qui usque ad Christi adventum infructiferi, quasi in hyeme quadam idololatriæ perpetua fuerant, ad prædicationem SS. apostolorum statim florere cœperunt, ac florendo odorem suavissimum gratissimumque in naribus Domini Sabaoth effudere, qui proinde halitu virtutis et famæ suæ, omnia holocausta et thymiamata legis veteris longe superavit. Ita S. Gregorius, Nyssenus, Cassiodorus, Beda, Philo, Anselmus, Rupertus et S. Bernardus. Idipsum facto repræsentavit Christus, cum esuriens quæreret ex ficu fructus, nec inveniens illi maledixit, dicens : « Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum : et arefacta est continuo ficulnea, » *Matth.* xxi, 19; ficulnea enim hæc, æque ac illa, quam herus ob sterilitatem jussit succidi, *Lucæ* xiii, 6, repræsentabat Synagogam, puta Judæorum in fide ariditatem et reprobationem, uti docent S. Hieronymus, Gregorius, Hilarius cæterique Patres græci et latini unanimi consensu.

Audi S. Ambrosium, lib. VII in *Lucam*, cap. xiii, ficum comparantem cum aliis arboribus : « Aliæ, inquit, florem ferunt antequam fructum pomaque ventura prænuntio sui flore designant; hæc sola ab initio germinat poma pro floribus. In aliis flos decutitur, et poma nascuntur; in hac poma decidunt, ut poma succedant ; ergo priora illa cassa fructuum, vice floris emergunt. » Deinde idipsum Judæis et gentibus applicans : « Specta nunc, inquit, cultus et animos Judæorum qui quasi primi fructus male feracis Synagogæ, grossi labentis similitudine corruerunt, ut mansura supra ævum nostri generis poma succederent. Etenim primus Synagogæ populus, quasi radice operum infirmus arenti, ubertatem sapientiæ naturalis haurire non potuit. Et ideo velut inutilis decidit fructus, ut quasi ex iisdem claviculis arboris frúctuosæ, de pinguedine religionis antiquæ, novus Ecclesiæ populus emergeret. Ergo ille, qui erat, esse desinit, ut iste inciperet qui non erat. Primi tamen ex Israel, quos naturæ validioris ramus extulerat sub umbra legis et crucis, in utriusque sinu, succo gemino colorati, grossi maturescentis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuum cæteris præstiterunt, quibus dicitur : Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, » *Matth.* xix, 28.

Huc pertinet expositio S. Anselmi : Ficus protulit grossos suos, id est, ait, legis veteris præcepta, velut fructus inutiles deciderunt. Nam, ut ait S. Bernardus, *serm.* 60 : « Et vere quid non grossum in gente illa? Nec actus profecto, nec affectus, nec intellectus, sed nec ritus quem in colendo Deum habuit. Nam actus in bellis, affectus in lucris totus erat, intellectus in crassitudine

litteræ, cultus in sanguine pecudum et armentorum. » Subdit deinde perfectam fuisse a Synagoga Judæorum hanc grossorum productionem : « Cum Christum occidit, tunc completa est malitia ejus, juxta quod ipse eis prædixerat : Implete mensuram patrum vestrorum, *Matth.* XXIII, 32; unde in patibulo traditurus jam spiritum, consummatum est, inquit, *Joan.* XIX, 30. O qualem consummationem dedit grossis suis ficus hæc maledicta, et subinde æterna ariditate damnata! » Et pluribus interjectis : « Ex tunc itaque dici potuit, quia ficus protulit grossos suos, cum jam videlicet legitima illius populi esse cœperunt quasi in exitu super summum, ut novis, juxta veterem prophetiam, supervenientibus vetera projicerentur, *Levit.* XXVI, 10. Non aliter sane quam quomodo grossi cadunt, et cedunt suborientibus ficubus bonis. » Subdit deinde S. Bernardus, sicut vineæ florentis odore fugantur serpentes, sic fervore primorum christianorum fugatos esse dæmones; additque : « Cæterum si *vineæ* animæ, *flos* opus, *odor* opinio est, *fructus* quid? martyrium. Et vere fructus vitis, sanguis est martyris. » Sic et S. Gregorius : « Ficus, ait, protulit grossos suos, quia S. Ecclesia martyres suos ad æternam patriam præmisit. » Sic et Aponius.

Symbolice, ficus est Christus et Christi crux.

Symbolice, *ficus* est Christus et Christi crux, *primo*, quia ficus ramos et folia habet rara, vaga et vilia : ita Christus et crux specie externa mundanis vilis fuit et despectus. *Secundo*, quia ficus nullos flores emittit, sed pro floribus illico dat fructus, eosque dulcissimos; sic Christus illico dedit suavissimos fructus, cum Judæos et gentes salvavit. *Tertio*, quia multi censent pomum vetitum, quod comedit Adam, fuisse ficum : ita Theodoretus, Gennadius, Isidorus et alii quos citavi, *Gen.* III, 6; decuit ego Christi crucem, vel fieri ex ficu, vel ea significari, ut ficus quæ mortem dederat inobedienti Adæ illiusque posteris, vitam daret obedienti Christo et christianis. Hinc Bellonius, qui Terram Sanctam et totum orientem peragravit, lib. II *Observ.* LXXXVIII, subindicat materiam crucis Christi fuisse ficum, quod hæc arbor frequens in Palæstina, frequens quoque esset in fabrorum officinis, licet alii aliter sentiant uti dicam cap. VII, vers. 8. *Vites* sunt apostoli, quia vites e toto orbe transplantatæ, copiosas uvas et vinum conversionis gentium Deo et Christo protulerunt.

Primo. Secundo. Tertio, multi censent pomum Adamo vetitum fuisse ficum. Materia crucis Christi fuit ficus ex quibusdam.

Grossi dignitates ecclesiasticæ.

Symbolice rursum S. Bernardus, in *Declar.* per grossos accipit dignitates ecclesiasticas, quas multi ambiunt; sed varie, quia grossi sunt mox casuri : « Ficus, inquit, protulit grossos suos, quod videlicet, persecutione cessante, inclyta facta sit Ecclesia, posita in superbiam sæculorum. Quam sane excellentiam et sublimitatem dignitatum congrue satis *grossos* vocat, ut futura in his moneat quam præsentia cogitare : grossi enim præsagia sunt futurorum fructuum, quia quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. »

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Ficus et vitis fideli cuilibet excolenda, est anima : hæc enim, si rite colatur, dabit ficus suavissimas mansuetudinis, patientiæ, eleemosynæ, suavitatis morum et sermonum; ac uvas, vinumque charitatis, quod mentem accendit et Dei amore inebriat. Hinc illud *Prov.* XXVII, 28 : « Qui servat ficum, comedet fructus ejus. » Vide ibi dicta. Audi S. Bernardum, *serm.* 60 : « Dico autem per gratiam Dei, quæ in nobis est, et ficus nos habere et vineas. Ficus quidem, qui suaviores in moribus sunt; vineas vero, quia spiritu ferventiores. Omnis qui se inter nos communiter socialiterque agit, et non solum sine querela conversatur inter fratres, sed et multa cum suavitate fruendum se omnibus præbet in omni officio charitatis, quidni illum vicem agere ficus convenientissime dicam? » Et pluribus interjectis : « Jam qui vineæ sunt, severiores nobis quam suaviores se exhibent, in spiritu vehementi agentes, zelantes pro disciplina, vitia acerrime corripientes, aptantes sibi congruentissime vocem suam : Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? *Psal.* CXXXVIII, 21; item : Zelus domus tuæ comedit me, *Psal.* LXVIII, 10. Et mihi quidem illi indilectione proximi, isti in dilectione Dei eminere videntur. »

Ficus sunt mansueti, vineæ sunt zelosi.

Generalius Theodoretus per *grossos* accipit primos animæ fructus fidei, quos sequuntur fructus bonorum operum. Porro qui sint grossi S. Bernardus initio *serm.* sic explicat : « Vere ficus est populus fragilis carne, parvulus sensu, animo humilis, cujus primi fructus (ut interim nomini alludamus) grossi utique et terreni. Nec enim popularis est studii, primum quærere regnum Dei et justitiam ejus, *Matth.* VI, 33; sed, ut ait Apostolus, *Matth.* VI, 23; cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeant uxoribus, vel illæ viris : tribulationem carnis habebunt hujusmodi; sed in novissimis non negamus eos fructus fidei assecuturos, si bonam habuerint novissimam confessionem, maximeque si carnis opera eleemosynis redemerint. Ergo primi plebium fructus nec fructus sunt, non magis quam ficuum grossi, » qui ad nihil utiles sunt, nisi quod secuturi fructus sunt quidam præ-nuntii, sed immature cadunt et dant locum maturandis, ipsi minime habiles ad crescendum.

Grossi, primi animæ fructus fidei.

Anagogice ficus et vitis repræsentant suavitatem patriæ cœlestis : ibi enim nos Deus ficubus cœlestibus et vino divino potabit, juxta illud Christi promissum : « Et ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam, » *Luc.* cap. XXII, 29, et « dico vobis : Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei, » *Matth.* XXVI, 29. Hinc et Christus finem mundi, diemque judicii et resurrectionis repræ-

Anagogice, ficus et vitis suavitatem patriæ cœlestis indicant.

sentavit per ficum : « Videte ficulneam, inquit, et omnes arbores : cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita et vos, cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei, » *Luc.* XXI, 29.

Huc spectat Versio Chaldæi, qui hæc refert ad ingressum Hebræorum in Terram Promissam ubi quisque quietus, lætusque sedit sub vite et ficu sua. Hic enim ingressus fuit typus introitus in terram viventium, puta in cœlum. Audi Chaldæum : « Cœtus Israel, qui comparatus est præcocibus ficubus, aperuit os suum, et dixit canticum super mare carectosum, et etiam pueri et infantes laudaverunt Dominatorem sæculi linguis : illico dixit eis Dominator sæculi : Surge tibi, congregatio Israel, dilecta mea et formosa mea, vade hinc ad terram, quam juravi patribus tuis. »

Porro sicut grossi præcedunt ficus, earumque fertilitatem prænuntiant, sic boni virtutis actus prænuntii sunt dulcissimorum fructuum, quibus perfruemur in cœlo : ita Nyssenus. Hinc rursum Origenes, *hom.* 4 ex quatuor, per *vites florentes* accipit angelos, qui « hominibus, inquit, largiuntur odorem suum, id est doctrinæ et institutionis bonum, quo instruunt et imbuunt animas, donec ad perfectionem veniant, et incipiant capaces fieri Dei. » Et post nonnulla : « Angelicæ, inquit, virtutes, quibus electi quique et beati in resurrectione sociabuntur, qui erunt sicut angeli Dei, ipsæ sunt florentes vites et vineæ, quæ odorem suum unicuique animæ, et gratiam quam a Conditore suscepit prius, et nunc iterum perditam recuperavit, impertiunt, suavitateque cœlestis odoris fœtorem tandem abjectæ ab eis mortalitatis, corruptionisque depellunt. »

Vineæ florentes angeli.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Vinea, prophetæ et patriarchæ.

« Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est, » ait propheta Isaias, cap. V, 7. Vineæ ergo, id est prophetæ et patriarchæ, inquit S. Bernardus, « Christum in carne nasciturum et moriturum adoraverunt, sed non dederunt tunc eumdem odorem suum, quia non exhibuerunt in carne, quem in spiritu præsenserunt; non dederunt odorem suum, quia secretum suum non publicaverunt, exspectantes ut revelaretur in tempore suo. Dederunt autem postea, cum per successiones generationum nascentem ex se Christum secundum carnem partu virgineo sæculis ediderunt. Tunc plane, inquam, spirituales illæ vineæ dederunt odorem suum, cum apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, *Tit.* III, 4, et cœpit præsentem habere mundus, quem pauci adhuc absentem præsenserant. » Et post nonnulla : « Dictum est itaque vineas dedisse odorem, sive quia fideles animæ bonam de se ubique opinionem spargunt, sive quod palam facta sunt mundo oracula et revelationes Patrum, et in omnem terram exivit odoratus eorum, dicente Apostolo, I *Timoth.* III, vers. 16 : Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria. » Hinc tres Anonymi apud Theodoretum, per *vinearum*, id est Ecclesiæ *florem* intelligunt tres Magos, qui fuere primitiæ gentium credentium, dum in Bethleem venerunt ad Deiparam, ac Christo obtulerunt thus quasi Deo, aurum quasi regi, myrrham quasi mortali, e pro hominum salute morituro.

SURGE, AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI. — Hac iteratione, inquit Nyssenus, suscitatur anima ad progrediendum semper in virtute, et proficiendum in spiritu : « Neque enim ei, inquit Nyssenus, *hom.* 5, qui vere surgit, unquam deerit semper surgere; neque ei qui currit ad Dominum, unquam consumetur amplum et latum campi spatium, ad divinum cursum perficiendum. Oportet enim semper surgere et excitari, et per cursum appropinquando nunquam cessare. Quamobrem quoties dicit : Surge et veni, toties ad id quod est melius, ascensioni ea, quæ deinceps sequuntur, a Verbo adjiciuntur. » S. Bernardus vero, *serm.* 61 : « Commendat, inquit, sponsus multam dilectionem suam iterando amoris voces. Nam iteratio, affectionis expressio est, et quod rursum ad laborem vinearum sollicitat dilectam, ostendit quam sit de animarum salute sollicitus : nam vineas animas esse jam audistis. »

VERS. 14. COLUMBA MEA IN FORAMINIBUS PETRÆ, IN CAVERNA MACERIÆ, OSTENDE MIHI FACIEM TUAM, SONET VOX TUA IN AURIBUS MEIS : VOX ENIM TUA DULCIS, ET FACIES TUA DECORA.

COLUMBA MEA IN FORAMINIBUS PETRÆ, IN CAVERNA MACERIÆ (hebraice *in secreto illius gradus* vel *scalæ*, Vatablus *in recessu scalarum* vel *in absconditio gradus*, id est *cochleæ*, id est *Christi*, ait, *per quam ad Christum ascendemus*), OSTENDE MIHI FACIEM TUAM. — Septuaginta Vaticani, *tu columba mea in tegumento* (S. Ambrosius et Origenes *in velamento*) *petræ juxta promurale*; S. Ambrosius, serm. 6 *in Psalm.* CXVIII, *juxta præmunitionem*; Complutenses, *veni tu, columba mea, in tegmine petræ*; Syrus, *in velamine sepis inhærens antemurali, ostende mihi aspectum tuum* : columbæ enim agrestes nidificant non in columbariis uti domesticæ, sed in foraminibus rupium et cavernis maceriarum, id est ruderum, lapidum aggestorum, murorum dirutorum, *q. d.* Memento, o sponsa, te æque ac me esse pastores rurales, qui instar columbæ liberæ et agrestis, rure in ruinis ædium et rupium commorantur : quare exi e domo et urbe, ac mecum in agrum perge, ubi læte rusticabimur, pascemur, oblectabimur. Unde Origenes censet hic non notari terminum *a quo* sed *ad quem*, puta locum ad quem sponsa, invitante sponso, venire

debeat, *q. d.* Veni ut habites mecum in foraminibus petræ. « Addit, inquit, hoc, ut ostenderet ei locum ad quem venire debeat, qui locus sub velamento et tegmine saxi sit positus; sit autem idem locus, non tam juxta murum quam juxta promurale quoddam; *promurale* autem dicitur, cum extra muros, qui ambiunt civitatem, alius ducitur murus, et est murus ante murum. »

Sic sensus erit, *q. d.* Veni, o sponsa, et egredere e domo et civitate in agros, ibi in umbrosis tabernaculis in petra excisis quieti, lætique commorabimur. Sic et Rupertus et S. Bernardus, quem audi : « Ne timeas, o sponsa, quasi hæc, ad quam te hortamur, opera vinearum, negotium amoris impedire, seu interrumpere habeat. Erit certe, et aliquis usus in ea ad id quod pariter optamus. Vineæ sane macerias habent, et diversoria grata verecundis. »

Aptius noster Sanchez censet hic notari terminum *a quo* : sponsa enim evocari e foraminibus petræ ad apertum aerem vinearum, ut liberum spiritum ex libero et sereno cœlo trahat. Sponsa, inquit, timida et commoditati suæ studens, propter hyemis immite frigus domi se continens, instar columbæ in foraminibus petræ se abscondens, horret cœli aperti, solique duri, quam gravem putat esse, inclementiam; non audet sub dio pernoctare cum sponso, cubile amat, et ibi se fovet, atque indulget, sicut in suis lustris nonnullæ feræ, et reptile animantium genus in suis cavernis hyberni temporis incommoda declinant. Ex hoc ergo recessu atque mollitie sponsam evocat, affirmans a se satis esse provisum, ne quid sit in his nuptiis, quod timere possit. Quamvis enim in agro subeundi sint imbres, æstus, labores et dolores, imo mors ipsa pro animarum salute, tamen hæc omnia dulcia facit amor Christi pro vobis crucifixi, atque sub felle crucis Deus mel et mannam miræ voluptatis abscondit : quo gustato atque explorato sentiens sponsa, quam crux Christi sit dulcis, ultro sponsum in agrum laboris et crucis evocat, cap. VII, 11.

Porro Chaldæus hæc refert ad Hebræos clausos montibus et rupibus, cum transierunt mare Rubrum : « Quando, ait, persecutus est Pharao impius populum domus Israel, erat cœtus similis columbæ, quæ clausa est foraminibus petræ, quam serpens coarctat intrinsecus, et accipiter coarctat eam extrinsecus : sic erat cœtus Israel clausus a quatuor partibus mundi, quoniam ante eos mare, et post eos persequebatur hostis, et a duobus lateribus eorum erant deserta plena serpentibus ignitis, qui mordebant et occidebant veneno suo filios hominum : illico autem aperuit os suum in oratione coram Domino, et descendit vox de cœlis excelsis, et sic ait : Tu congregatio Israel, quæ comparata es columbæ mundæ, et occultata es in clausura foraminum petræ, et absconditis graduum, ostende mihi, » etc.

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Christus Ecclesiam timore Judæorum perculsam, et instar columbæ in antris petræ latentem, hoc est, apostolos in Sion post ascensum Christi delitescentes, et orationi meditationique passionis Christi deditos, misso in Pentecoste Spiritu Sancto, animosos, fortesque efficiens, foras evocat, ut in publicum prodeant, ibique in agris et villis ipsi et cæteris suam faciem ostendant, ac vocem prædicationis audiri faciant, utpote sibi suavem et auditoribus salutarem. Sic olim tempore Decii, Galieni, Diocletiani imperatorum fideles persequentium, pontifices et christiani se abscondebant in antris, cavernis et cryptis, quæ etiamnum exstant in Roma subterranea, et sacrum horrorem intuentibus injiciunt.

Quocirca per *foramina petræ*, symbolice quinque Christi (hic enim est petra, I *Cor.* x, 4) vulnera accipiunt Patres; quin et Zacharias, cap. III, 9, vidit lapidem oculatum, cælatum sculptura, id est Christum in passione incisum suis plagis et stigmatibus : vide ibi dicta. Ita S. Gregorius : « Per *foramina petræ*, inquit, vulnera manuum et pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim; *cavernam* vero *maceriæ* vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ, et in caverna maceriæ esse dicitur, quia cum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus : sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat, invenit. Possunt tamen per *foramina petræ* incarnationis Christi sacramenta signari, et per *cavernam maceriæ* ipsa protectio angelicæ custodiæ figurari. » Et Rupertus : « Et aspicient (ait Zacharias, cap. XII, 10) ad me, quem confixerunt : clavi enim Christi et lancea sunt animæ meæ vulnera : in illis habito et gemo sicut columba in foraminibus petræ, propter fixuram clavorum; in caverna maceriæ, propter vulnus lateris : Christus enim est petra et maceria, existens enim mortalis et passibilis erat maceria, ubi autem resurrexerit a mortuis, est petra solidissima. » Sic et Cassiodorus, Beda, Justus, Anselmus, et Aponius, qui in hisce Christi plagis ait absorptum habitasse S. Thomam, cum, apparente Christo post resurrectionem, easque ostendente, exclamavit : « Dominus meus et Deus meus. »

Foramina petræ sunt quinque vulnera Christi.

Audi S. Bernardum, *serm.* 61 : « Foramina petræ, ait, sunt vulnera Christi, recte omnino : nam petra Christus. Bona foramina, quæ fidem adstruunt resurrectionis, et Christi divinitatem. Dominus meus, inquit, et Deus meus, *Joan.* XX, 28. Unde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus petræ? In his passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos : in his se

columba tutatur, et circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem. » Et inferius : « Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado : firmatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbabitur conscientia; sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras, *Isai.* LIII, 5. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvatur? » Et pluribus interjectis : « Patet arcanum cordis per foramina corporis; patet illud magnum pietatis sacramentum; patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ? Majorem enim miserationem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnatis. Meum proinde meritum miseratio Domini.» Subdit deinde : « Quanta in his (Christi vulneribus) multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum, etc. Sublimis in regno, sed suavis in cruce. In hac me visione præveniat, in illa adimpleat. Adimplebis me, ait, lætitia cum vultu tuo, *Psalm.* XV, vers. 10. Utraque visio salutaris, utraque suavis, sed illa in sublimitate, ista in humilitate; illa in splendore, hæc in pallore est. Denique, inquit, *Psalm.* LXVII, 5 : Et posteriora dorsi ejus in pallore auri. Quomodo non in morte pallescat? »

Symbolirna cave ce

Symbolice, rursum Theodoretus ait Ecclesiam hic vocari ad tegmen fidei, id est ad doctrinam S. Petri, cui dictum est a Christo, *Matth.* cap. XVI, vers. 18 : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; » atque ad mortificationem carnis; hanc enim innuit, cum dicit juxta Septuaginta : « Egredere juxta propugnaculum, *q. d.* Mortifica membra tua, quæ sunt super terram. Ea quæ sunt a carne remotissima in corpore meditare. Inter perturbationes præsta te a persecutionibus vacuam. Extra præsentem civitatem ejusque muros consistas, nisi enim juxta propugnaculum exstiteris, consuetudine mea frui non poteris. »

Tropologice.

Tropologice, Epiphanius, *hæresi* 59, censet animam in peccatum prolapsam hic vocari ad pœnitentiam : « Et veni, ait, tu, columba mea, in tegmine petræ contiguæ muro. » *In tegmine petræ,* in benignitate Christi et in misericordia Domini. Hoc est tegmen petræ, tegmen fidei, spei ac charitatis. *Contiguæ muro,* hoc est, priusquam claudatur porta, priusquam Rex intra mœnia constitutus, non amplius admittit, post discessum hinc et mortem.

Mystice,

Mystice, Justus Orgelitanus per *cavernam maceriæ* accipit S. Scripturam, et exempla meritaque sanctorum, in quibus secura quiescit anima sancta; sic et Aponius per *foramina petræ* accipit quatuor evangelia, et per *cavernam maceriæ* doctrinam apostolorum, per quam Ecclesia et anima fidelis ad Dei cognitionem et cultum pervenit. Et S. Ambrosius *in Psal.* CXIII, serm. 6, sequens Septuaginta : « Veni, ait (o Ecclesia, o anima Christo desponsa), juxta Evangelium, propugnacula fidei tuæ gesta sunt Christi, muri tui subsidia verba sunt Domini, passio dominici corporis tua virtus est. » Similia habent Nyssenus et tres Anonymi apud Theodoretum, ac Philo Carpathius qui ait nos hic vocari ad *munimem petræ,* id est ad Evangelium, quo munimur contra omnes insidias diaboli, cujus antemurale est lex vetus. Utraque ergo lege, tam nova, quam vetere munimur. S. Hieronymus vero, lib. I *Contra Jovinianum,* ait Christum nobis esse *firmissimæ petræ antemurale,* juxta illud, *Isai.* XXVI, 1 : « Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale. »

S. Scriptura : foramina petræ quatuor evangelia

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

S. Bernardus, *serm.* 61, asserit pias et religiosas animas habitare in foraminibus petræ (unde et revera esseni sub S. Marco, et anachoretæ in cavernis et cryptis vacabant orationi et Dei laudibus), id est in vulneribus Christi meditando; martyres vero imitando, et cum Christo ac pro Christo patiendo : « Vult, inquit, benignus dux devoti militis vultum et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians et triumphans toto licet lacero corpore; et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret; dolorem non ferret, succumberet et negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? » Idipsum deinde exaggerans subjicit : « Sed neque hoc mirum, si exsul a corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra martyris fortitudo, inde plane potens ad bibendum calicem Domini. Et calix hic inebrians, quam præclarus est! *Psal.* XXII, 5. Præclarus, inquam, atque jucundus, non minus imperatori spectanti, quam militi triumphanti. Gaudium etenim Domini fortitudo nostra. Quidni gaudeat ad vocem fortissimæ confessionis? Denique et requirit eam cum desiderio : Sonet (inquiens) vox tua in auribus meis. Nec cuncta-

Martyrum robur et cruce Christi.

bitur rependere vicem secundum suam promissionem : continuo ut qui se confessus fuerit coram hominibus, confiteatur et ipse eum coram patre suo. » *Matth.* x, 36.

Caverna, cœtus beatorum

Per *cavernam* vero *maceriæ* idem S. Bernardus, *serm.* 62, cum Cassiodoro, Beda et Anselmo accipit sanctorum communionem, et angelorum hominumque beatorum custodiam, qui pios et electos tuentur, ut per eos ruinæ angelorum lapsorum, puta dæmonum, in cœlesti patria instaurentur, idque fit per vulnera et merita Christi. In horum ergo meditatione et invocatione, asserit commorandum esse animæ piæ. « Licebit itaque, inquit, unicuique nostrum, etiam hoc tempore nostræ mortalitatis, cavere sibi, quacumque parte volet, cavernas supernæ maceriæ, nunc quidem patriarchas revisere, nunc vero salutare prophetas, nunc senatui immisceri apostolorum, nunc martyrum inseri choris, sed et beatarum virtutum status et mansiones a minimo angelo usque ad cherubim et seraphim, tota mentis alacritate percurrendo lustrare, prout quemque sua devotio feret. »

Symbolice. Symbolice S. Anselmus per *foramina petræ* accipit benignam providentiam, misericordiam et protectionem Christi, ad quam confugit, sub eaque secura latet anima sancta.

Anagogice. Anagogice S. Bernardus per petram et maceriam, ejusque cavernam et foramina, accipit arcanum cœlestis gloriæ Dei et beatorum, in quo anima pia contemplando commoratur. Sic enim ait : « Duo liquet contemplationis genera esse, unum de statu et felicitate et gloria civitatis supernæ, quo vel actu, vel otio ingens illa cœlestium civium occupata sit multitudo. Alterum de Regis ipsius majestate, æternitate, divinitate. Illa in maceria, ista in petra. » Et Origenes secutus Septuaginta : « Evocatur, ait, anima extra murum et usque ad promurale perducitur, cum abjiciens ea quæ videntur, et temporalia sunt, contendit ad ea quæ non videntur, et æterna sunt : ostenditur autem ei iter istud sub velamine petræ agendum, » id est sub firmis et solidis Christi dogmatibus. « Christi ergo doctrina et fide si obtegatur anima et veletur, tuto potest ad illud pervenire secretum, ubi, revelata facie, gloriam Domini contempletur. » Deinde pluribus interjectis subjicit : « Possumus adhuc de loco promurali etiam hoc addere, quod promurale sinus sit Patris, in quo unigenitus Filius positus enarrat omnia Ecclesiæ suæ, quæcumque in secretis et absconditis Patris sinibus continentur. Unde et quidam ab eo edoctus dicebat : Deum nemo vidit unquam; Unigenitus, qui est in sinu patris ipse enarravit. Illuc ergo vocat sponsam suam Christus, ut et de omnibus eam, quæ apud Patrem habentur edoceat, ac dicat : Quia omnia vobis nota feci, quæ audivi a Patre meo. Et : Pater, volo ut ubi ego sum, illic sit et minister meus, » *Joan.* XII, 26.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Caverna, uterus Deiparæ. Christus incarnatus est in *caverna maceriæ*, id est in abscondito ventris virginalis juxta illud, *Isai.* LI, 1 : « Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis, » et natus in foramine petræ, id est in spelunca Bethlehem, quæ excisa erat ex petra juxta illud : « Et reclinavit eum in præsepio : quia non erat ei locus in diversorio, » *Luc.* II, 7. Unde S. Hieronymus, epist. 18 *ad Marcellam*, invitans eam ad Bethlehem, ubi ipse cum S. Paula degebat : « Quo, Et Bethlehem. ait, sermone, qua voce speluncam Salvatoris exponam, et illud præsepe, quo infantulus vagiit, silentio magis, quam infimo sermone honorandum. » Et post nonnulla : « Ecce in hoc parvo terræ (Bethlehem) foramine cœlorum Conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis, » etc.

Et uterus Elisabeth. Rupertus hæc refert ad Joannem Baptistam, qui in *caverna*, id est, in utero matris exsistens, audiens vocem B. Virginis salutantis matrem Elisabeth, exsultavit in gaudio, quia per eam agnoscens, amans, et adorans Christum in ejus utero conceptum, a peccato originali expiatus est, ac repletus Spiritu Sancto.

Et sepulchrum Christi. Denique per *foramen petræ* accipi potest sepulcrum Christi, quod excisum erat ex petra, e quo gloriosus resurrexit. Hoc enim, æque ac montem Calvariæ, ubi petræ infixa fuerat crux Christi, reliquaque loca, in quibus passus fuerat Christus, crebro devote visitabat et obibat B. Virgo, ut in iis pene habitare videretur.

OSTENDE MIHI FACIEM TUAM, SONET VOX TUA (Septuaginta *auditam fac mihi*, S. Ambrosius *insinua vocem tuam*) IN AURIBUS MEIS : VOX ENIM TUA DULCIS, ET FACIES TUA DECORA. — Nyssenus, Philo, et Psellus censent hic loqui sponsam, poscereque sponsi præsentiam et colloquium. Tunc, inquit Philo, Christus ostendit *faciem suam* decoram, cum Verbum caro factum est et cum transfiguratus est; ac *vocem suam dulcem*, cum vocavit laborantes, restituit sanitates, et peccata dimisit. Verum cæteri omnes asserunt hæc esse verba sponsi ad sponsam, qui optat et postulat, ut sponsa faciem velatam et velamine petræ obtectam retegat, ac nudam, claramque ostendat, ait Origenes, ut in illa quasi in speculo imaginem suam repræsentatam sponsus aspiciat, ait Theodoretus, utque illam poliat, pingat et perficiat, et ad puram cœlestium contemplationem traducat, ut vult Origenes, juxta illud : « Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu, » II *Cor.* III, 18 : hisce enim verbis Christus revocat apostolos timidos

et latentes in Sion, ut in Pentecoste faciem suam populo audacter ostendant, illique evangelium prædicent, uti paulo ante dixi : quod enim proximis amore Dei facimus, hoc Deo facimus, juxta illud Christi : « Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis, » *Matth.* XXV, 40. Unde S. Ambrosius, *Psalm.* CXVIII, serm. 6, vers. 6. legens : « Ostende mihi faciem tuam, et insinua vocem tuam, quia suavis est vox tua, et facies tua pulchra : *suavis*, inquit, est vox, quia ore confessio fit ad salutem; et *decora* facies, quia non erubescit auctorem, non confunditur redemptore. Ostendit ergo faciem suam, signaculum crucis præferens; et insinuat vocem suam, auctoritatem prædicationis assumens. »

Prædicatores ergo validi instar apostolorum prodeant in pulpitum ex foraminibus petræ, id est ex solitudine orationis et meditationis passionis Christi, ut Christum crucifixum intrepide magno pietatis ardore et spiritu prædicent. Illi ergo ostendant faciem suam, hoc est, Christi solius intuitu, non sui lucri causa prædicent, atque faciem a creaturis omnibus avertant, et ad unum Deum per orationem convertant, ut ab eo illustrentur, illique faciem, id est conversationem suam conforment, sicut Moyses colloquens cum Deo in Sina, ab eo cornutam faciem, id est cornua lucis faciei afflata accepit. Unde Chaldæus vertit, *ostende mihi aspectum tuum, et opera tua bona : fac audire vocem tuam, quoniam vox tua suavis est in oratione in domo sanctuarii modici, et aspectus tuus pulcher in operibus bonis.*

Facies decora, puritas fidei et operum.

Sponsus ergo ab Ecclesia hic poscit sibi exhiberi puritatem fidei et operum, quasi faciem decoram, et prædicationem cœlestis doctrinæ, quasi vocem dulcem. Ita Cassiodorus, S. Gregorius, Beda, Origenes, Theodoretus, Anselmus et alii. Audi S. Gregorium : « Quid enim *per faciem*, nisi fidem, qua a Deo cognoscimur, accipimus? Et quid per *vocem*, nisi prædicationem intelligimus? Sed præcipit sponsus, ut ei sponsa faciem suam ostendat, quia quicumque se fidem dicit habere, necesse est, ut in bonis operibus se exerceat, ut in operibus exterioribus fides interior innotescat, sed et opera necesse est, ut vox prædicationis sequatur, quia quicumque in sanctis operibus perfecte se dilatat, consequens est, ut ad eadem facienda proximos quosque exhortetur. Ideo sequitur : Vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Tunc enim, et vox placet et facies decoratur, quando et opera prædicatio sequitur, et rursum prædicationem bona opera comitantur. » Et Cassiodorus : « Tuam, ait, faciem mihi ostende, » quam in baptismo tibi dedi, et quando mundavi te ab omni peccato. « Vox tua, dicit, in auribus meis sonet, » ut ex sincera intentione dilectionis meæ procedat, ut non propter aliud prædices, nisi propter me. Aponius vero refert hæc ad Judæos ab apostolis conversos : « Ad apostolorum doctrinam, inquit, quasi de antro incredulitatis cœpit faciem suam Ecclesia, jam corde compuncto, ostendere Creatori, et quæ tanti piaculi collapsu fœdaverat faciem suam, Dominum majestatis persequendo perfusa sanguine justi, quem super se sua effuderat voce, dicendo : Sanguis ejus super nos, nunc conversa ad se dicit : Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, etc. Sicque vox ejus, quæ horridam, interclusam, impietatis raucedine amarissimam et lamentabilem revocaverat vocem dicendo : Crucifige, crucifige; tali haustu et medicinali poculo sanguinis quem effuderant Christi, ad canoram dulcedinem renovata est, confitendo se credere Deum, quem ut hominem ante Pilatum damnaverat. »

Vox dulcis, prædicatio verbi divini.

Symbolice, *facies decora* significat speciem et decorem mentis sanctæ conversantis cum Deo : hæc enim est facies hominis non externa, sed interna; *vox* vero significat pios mentis gemitus et suspiria ad Deum : utraque Deo gratissima et jucundissima est, adeo ut illa se Deus pascat et oblectet, juxta illud : « Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus, » *Isaiæ* LXII, 5. Utraque facit prædicatorem potentem et efficacem. Audi S. Bernardum, *serm.* 62 : « Nam quantum illi placeat cum puritate quidem mentis prædicatio veritatis, ostendit, cum subinde infert : Vox enim tua dulcis. Quia enim non placeat, si displiceat facies, demonstrat, cum illico subdit : Et facies tua decora. Quid internæ decor faciei, nisi puritas? In pluribus hæc absque prædicationis voce complacuit, illa absque ista in nemine. Impuris non se veritas ostendit, non se credit sapientia. Quid ergo loquuntur, quod non viderunt? Quod scimus, inquit, loquimur, et quæ videmus testamur. Id ergo tu audes testari, quod non vidisti, et loqui quod ignoras? Quæris quem dicam impurum? Qui laudes requirit humanas, qui non ponit sine sumptu evangelium, qui evangelizat ut manducet, qui quæstum æstimat pietatem, qui non requirit fructum, sed datum. »

Symbolice.

Porro hæc optime B. Virgini adaptat Rupertus : « Ostende, ait, mihi faciem tuam, » et ostendendo corrige quod Eva peccavit, et abscondit a me faciem suam in medio ligni paradisi, scilicet in eodem, in quo peccavit, utpote quæ in peccato suo sibi complacuit, et peccatum suum defendit. « Non ostendit mihi faciem suam, » cum dicerem : Ubi es? non sonuit vox ejus in auribus meis, vox confessionis quæ sonare debuisset saltem cum dicerem : Quare hoc fecisti? sicut et quando benedixi ei dicens : « Crescite et multiplicamini; » non sonuit vox in auribus meis, nullum enim cantavit canticum gratiarum actionis pro tam magno beneficio, quo illam constituebam matrem tantæ generationis, possessuræ tantam hæreditatem regni Dei. Tu ostende mihi, sicut et ostendis, faciem. Sonet vox tua in auribus meis, vox, inquam, confessionis et gratiarum actionis. Vox enim tua dulcis in eo, quod columba mea es, et intenta foraminibus petræ; instar columbæ gemi-

De B. Virgine.

tum pro cantu habes, canendo gemis, gemendo canis, et ipsa exsultatio, qua exsultavit spiritus tuus in Deo salutari tuo, plena est gemitibus, plena lacrymis. « Facies » vero « tua decora, » quia magna est fides, magna est humilitas tua. Hæc ad verbum Rupertus, sed nonnullis brevitatis studio recisis. Jam ad litteram Nicephorus ex S. Epiphanio, lib. II *Hist.* cap. XXIII, ita faciem S. Virginis depingit : « Facies non rotunda et acuta, sed aliquanto longior, etc. Erat fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed præcellentem humilitatem colens. » Similis fuit facies Christi, Christus enim carens patre matrissabat. Audi Nicephorum, lib. I, cap. XL : « Non rotundam aut acutam habuit faciem, sed qualis matris ejus erat, paulum deorsum versus vergentem, ac modice rubicundam; gravitatem atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præ se ferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinæ et immaculatæ suæ genitrici. »

Qualis vultus B. Virginis.

Et Christi.

Anagogice, hisce verbis Christus animam piam evocat e caverna hujus vitæ ad cœlestem gloriam, uti superius dixi : talis enim animæ facies depurgata est ab omni labe, etiam veniali, ideoque decora; vox quoque dulcis, quia vox gratiarum actionis, exsultationis et jubili.

Anagogice.

VERS. 15. CAPITE NOBIS VULPES PARVULAS, QUÆ DEMOLIUNTUR VINEAS; NAM VINEA NOSTRA FLORUIT.

CAPITE NOBIS VULPES PARVULAS, QUÆ DEMOLIUNTUR (Septuaginta *quæ exterminant*, Symmachus *corrumpunt*) VINEAS : NAM VINEA NOSTRA FLORUIT. — Septuaginta, *et vineæ nostræ* κυπρίζουσιν, id est *germinant et florent instar cyprorum*; Arabicus, *et vinea nostra florebit*, captis vulpeculis quæ eas corrumpunt. Τὸ *parvulas* referendum est ad *vulpes*, ut patet ex Hebræo, Græco et Vulgata: quare mirum est Origenem, Philonem Carpathium, et alios, τὸ *parvulas* referre ad *vineas*. Judæa abundat vulpibus, ut patet ex trecentis vulpibus, quas cepit Samson, *Judic.* XV, 4. Vulpes autem præ cæteris feris nocent vineis, tum quia eas suffodiunt et eradicant, tum quia uvas deprædantur et depascuntur; parvulæ autem vulpes cum sint petulcæ, nec satis habeant virium ad vites eradicandas, eas cum teneræ sunt et florent, vellicant, arrodunt, floresque decerpunt, ac terram juxta radices suffodiunt, ut vites humore destituantur, ac soli expositæ ejus radiis urantur et exarescant; ad hæc parvæ vulpes grandiores factæ vites eradicant. Insuper vulpes parvulæ, utpote inexpertæ facile decipi capique possunt, at grandiores factæ non ita : sunt enim astutissimæ, juxta illud : « Annosa vulpes haud capitur laqueo. »

Judæa vulpibus abundat.

Vineis multum nocent vulpes.

Denique vulpes capi jubet cum sunt parvæ, et viribus infirmæ; vulpes enim in vere, cum vineæ florent, generant : quare si tunc negligas eas capere et exstirpare, valde sobolescent, et multiplicabuntur. Porro Plinius, lib. XXIII, cap. VIII, scribit vulpes amygdalis amaris necari : « Aiunt, inquit, si ederint eas, nec contingat e vicino aquam lambere, mori. » Chaldæus per vulpes intelligit Amalecitas, qui impedire conati sunt progressum Hebræorum in terram sanctam, ideoque a Moyse et Josue capti et cæsi sunt, *Exodi* cap. XVII, 13.

Amygdalis amaris necantur vulpes.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Jubet Christus Ecclesiæ, id est apostolis, ut in prædicatione Evangelii et fundatione vinearum, id est Ecclesiarum, capiant *vulpes parvulas*, id est hæreticos jam tum subnascentes : hi enim subdole quasi vulpes fidem et Ecclesiam subvertunt; tales tempore apostolorum fuere judaizantes, qui cum Evangelio volebant miscere et observare circumcisionem, cæteraque legis veteris præcepta. Item Simon Magus primus hæresiarcha, Menander, Basilides, Carpocras, Ebion, gnostici, etc. : horum ergo fraudes et errores, cum adhuc pusilli sunt et in paucis hærent, detegi, atque argumentis, ait S. Bernardus, non armis revinci et exterminari jubet, ne invalescant, totamque Ecclesiam instar fermenti pervadant et corrumpant. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Aponius, Origenes, Beda, Theodoretus, S. Anselmus, et alii passim. Audi S. Augustinum in *Psalm.* LXXX : « Vulpes, insidiosos, maximeque hæreticos fraudulentos significant, dolosos, cavernosis anfractibus latentes, et decipientes, odore et tetro putentes. Contra quem odorem dicit Apostolus : Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Istæ vulpes significantur in Canticis canticorum, ubi dicitur : Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, latentes in cavernis tortuosis. Capite nobis, convincite nobis : capis enim eum, quem de falsitate convincis. » Nam, ut ait S. Bernardus : « Cum proditur dolus, cum fraus aperitur, cum convincitur falsitas, rectissime tunc dicitur capta vulpes pusilla, quæ demoliebatur vineas. » Sic Ezechiel, cap. XIII, 4 : « Quasi vulpes, inquit, in deserto, prophetæ tui Israel erant. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos. »

Vulpes, hæretici.

Porro quomodo capiendæ sint hæ vulpes, id est hæretici, sic docet S. Augustinus, in *Psalm.* LXXX : « Vulpes solent habere tales foveas, ut ex una parte intrent et ex alia parte exeant. Ad utrumque foramen captor vulpium retia posuit. Dicite mihi, de cœlo est, an ex hominibus? Sentiunt illi eum ex utraque parte tetendisse unde caperet, et aiunt apud se : Si dixerimus de cœlo, dicturus est nobis : Quare ergo non credidistis? ille enim testimonium Christo perhibuit. Si dixerimus de terra, lapidabit nos populus, quia ut prophetam habent. » Et paucis interjectis : « Videamus si et nos

Vulpes quomodo capiendæ?

quosdam vulpeculas capere possumus : proponamus ad foramen utrumque, ut unde vulpes exire voluerit, capiatur. Verbi gratia, manichæo facienti sibi Deum recentem, et in corde suo ponenti quod non est, dicamus et interrogemus eum : Substantia Dei corruptibilis, an incorruptibilis est? Elige quod vis, exi qua vis, sed non effugies. Si dixeris *corruptibilem*, non a populo, sed a te ipso, lapidaberis : Si autem dixeris *incorruptibilem* Deum; incorruptibilis quomodo timuit gentem tenebrarum? Quid factura erat incorruptibili gens corruptionis? »

Notant Cassiodorus et Beda post vineas in plurali, nominari vineam in singulari cum ait : « Vinea nostra floruit, » quia omnes Ecclesiæ particulares coeunt, et conflant unam Ecclesiam communem et universalem. S. Bernardus, *serm.* 64, urget τὸ *nobis*, cum ait : « Capite nobis vulpes. Poterat, ait, dicere : Capite mihi; sed maluit nobis consortio delectatus. O suavitatem, o gratiam, o amoris vim! Itane summus omnium, unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignitate dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis quæso tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est. »

Triumphat de Deo amor.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Vulpes sunt suggestiones fraudulentæ, quas dæmon, caro, vel mundus animæ suggerit sub specie boni, ut eam ad malum inducat : vitium enim palliat velo virtutis, satanas enim transfigurat se in angelum lucis, II *Corinth.* XI, 14 : quare hæ illico dum oriuntur et parvulæ sunt, capiendæ sunt, ut earum fraus, dolus et error detegantur, ne adultæ et corroboratæ capi et evelli nequeant.

Vulpes parvæ. Primo, suggestio fraudulenta dæmonis, mundi, carnis.

Notat Nyssenus dæmones, qui hominem tentant non vocari leones, ursos, tigrides, sed *vulpes*, easque *parvulas*, quia parvæ et debiles sunt eorum vires, ut ab homine generoso et constante illico repelli et expugnari queant; armari ergo eos astutia vulpium : quare astutias hasce eorum solerter esse indagandas et dissipandas. Addit S. Bernardus parvulas dici, quia suggestiones eorum sunt subtiles, nec nisi iis qui acuta sunt mente visibiles. Audi S. Bernardum, *serm.* 63 : « Viro sapienti, sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe incultum, nil desertum in se sapiens derelinquet. » Et post nonnulla : « Et bona vinea justi, imo bona vinea justus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis : Denique gloria nostra hæc est, inquit, testimonium conscientiæ nostræ, II *Corinth.*, cap. I, vers. 12. Vides apud sapientem vacare nihil? Sermo, cogitatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, et vinea Domini Sabaoth? Quid denique illi de se perire possit, quando et folium ejus non defluet? Cæterum tali vineæ nunquam infestationes, nunquam insidiæ deerunt. Nempe ubi multæ opes, multi sunt qui comedunt eas, *Eccli.* V, 10. Sapiens erit sollicitus servare vineam suam non minus quam excolere, nec sinet eam vorari a vulpibus. » Harum deinde vulpium, *serm.* 64 et 65, varia recenset exempla, uti Monachi illius, qui e monasterio abiit, ut parentes converteret, sed ipsos non acquisivit et seipsum perdidit; aliorum, qui e monasterio abeunt, ut concionentur, aut ut sibi soli vivant et Deo; aliorum, qui cum feminis conversantur pio prætextu, ut eas in spiritu instruant; sed mox spiritus transit in carnem; nam, ut *serm.* 65 prudenter ait S. Bernardus : « Cum femina semper esse, et non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; et quod majus est, vis credam tibi? »

Justo vinea mentis excolenda.

Secundo, parvæ vulpes sunt relaxationes regulæ et disciplinæ in rebus parvis, v. g. Cum in monasterio, vel collegio dissimulatur ruptura silentii, usurpatio rerum parvarum, non petita venia, leves inobedientiæ, etc. Hæc enim nisi corrigantur, serpunt, crescunt, et magnæ evadunt, ut tandem omnem regulam et disciplinam evertant; quare faciendum est quod monet sapiens :

Secundo, vulpes parvulæ, relaxationes regulæ et disciplinæ.

Principiis obsta : sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Unde S. Bernardus, *serm.* 63, præter vulpes, frigus quoque noxium esse vitibus asserit; eas enim adurit et desiccat : sic frigus, id est torpor obrepens religioso, virtutem ejus adurit et siccat; ex eo enim mox ait, ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus exstinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia et confusione saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum. Principium et originem hujus pestis, et vel qua arte vitetur, vel qua superetur virtute, non est hujus temporis demonstrare. »

Frigus torporis nocet vineæ animæ.

Tertio, vulpes parvulæ detractores, susurrones, adulatores.

Tertio, parvæ vulpes sunt detractores et susurrones, æque ac adulatores, qui vineas, id est cœtus et societates dissociant, ac fidelium animas subvertunt. Ita S. Bernardus, *serm.* 63 : « Pessima vulpes, ait, occultus detractor, sed non minus nequam adulator blandus. Cavebit sapiens ab his, dabit operam, sane quod in ipso est, capere illos qui talia agunt, sed capere beneficiis atque obsequiis, monitisque salutaribus, et orationibus pro his ad Deum. Non cessabit istiusmodi carbones ignis congerere super caput maledici, et item super adulatoris, quousque (si fieri potest) et illi invidiam, et isti simulationem de corde tollat, faciens mandatum sponsi dicentis : Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Herodes ambo, vulpes.

Herodes Ascalonita fuit vulpes, volens dolose occidere Christum; unde misit in Bethlehem Magos ut ipsi locum nativitatis Christi explorarent eumque ad se referrent : fingebat enim se quoque velle Christum adorare, ut hac ratione eum caperet et necaret; sed illusus fuit a Magis, dum ipsi, responso cœlitus accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam, *Matth.* III, 12. Unde hujus Herodis Ascalonitæ filius Herodes Antipas, vulpini æque ac pater ingenii, a Christo vocatur *vulpes* : « Ite, inquit, dicite vulpi illi, » *Luc.* XIII, 32. Ita Rupertus : « Nonne videtis, inquit, quod teneros palmites fera ista (ferus Herodes) momordit, quod infantes bestia crudelis occidit in Bethlehem Judæ civitate David? Capite, capite, nam vinea nostra floruit, etc. Fructus ejus adhuc flos, et non botrus est, nondum maturuit, et idcirco damnosum nimis est hujusmodi ad vineam, vel florem ejus succidi, vel demoliri. Crescat prius et de flore proveniat fructus, condatur Evangelium et cognoscatur de signis et virtutibus venisse Sanctum sanctorum, atque hoc erit florem venisse in fructum, et maturuisse botrum. Tunc si fuerit succisus hujusmodi botrus, custodiatur, atque in vecte crucis portetur, ut experimento resurrectionis et dulcedinis ejus cognoscatur, qualis terra, quale sit regnum ejus, ad quod non pertinent vulpeculæ istæ, quæ vineas demoliuntur. »

VERS. 16. DILECTUS MEUS MIHI, ET EGO ILLI, QUI PASCITUR INTER LILIA.

Hebræa, *qui pascit in liliis*, hoc est, qui pascit oves in pascuis liliorum copia, colore et odore præstantibus. Chaldæus vertit : « In illo tempore conversi sunt in pœnitentia; tunc stetit Moyses propheta, et oravit coram Domino, et Josue minister ejus accinctus est, et egressus est de sub alis nubium gloriæ Domini, et cum eo viri justi, qui similes sunt rosæ in operibus suis, et inierunt prælium contra Amalec, et confregerunt illum et populum ejus in nomine Domini, qui occidit et contrivit eos in ore gladii. »

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS,
De Christo et Ecclesia.

Cassiodorus et Beda censent sponsam hic precari, *q. d.* Utinam dilectus meus mihi sit, vel adsit, et ego illi! utinam dilectus meus dignetur mihi conjungi glutino charitatis, et ego illi conjungar vinculo obedientiæ, obtemperans præceptis ejus! ait Cassiodorus. Verum cæteri omnes censent sponsam hic non optare, sed asserere et affirmare : Dilectus meus mihi est, et ego illi sum, juxta sensum quem jam dabo. A vers. 8 et 10 hucusque sponsa deliquium amoris passa in lectulo recubans retulit verba sponsi, quibus sponsam ad se in agrum et vineam ad labores pro salute animarum evocat, tenerumque pariter erga eam testatur amorem : nunc sponsa, in sua persona loquens, amorem amori rependit, seseque promptam, ut sponso vocanti pareat et in vineam ad labores exeat, ostendit, aitque : « Dilectus meus mihi, et ego illi; » quia sicut ille « pascitur inter lilia, » sic et ego liliorum, id est candoris et puritatis sum studiosissima : « Dilectus meus mihi, » subaudi totum se tradit; unde et *ego illi* avide me totam tradam, imo reipsa trado, illi uni vaco, servio, et placere satago. Quare quod ipse vult, hoc et ego volo; ipse vult ut a lectulo ad agrum, ab otio ad negotium transeam, idipsum et ego volo : ipsius enim velle et nolle, meum velle et nolle est. Symmachus vertit, in genitivo, *et ego ejus*, *q. d.* Ego tota sum sponsi, sicut sponsus totus est meus, adeoque ipse est id quod ego sum, ut non tam duo, quam unus idemque esse videamur. Amicus enim est alter ego, et amantes unum quasi habent cor, unamque animam : anima enim amantis magis est ubi amat, quam ubi animat, puta magis est in amato, quam in ipso amante.

Hinc civiliter sponsus et sponsa censentur una eademque persona, juxta illud : « Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia, » *Ephes.* V, 31 : sicut enim essentia matrimonii consistit in mutuo conjugum ad conjugium consensu; sic conjunctio Christi et Ecclesiæ, velut sponsi et sponsæ, consistit in mutuo amore, et mystici conjugii consensu, quod scilicet Christus non aliam amet, velitque habere sponsam, quam Ecclesiam; et Ecclesia vicissim alium non amet, nec velit habere sponsum, quam Christum; ex quo deinde sequitur mutuus convictus, ac mutua obsequia et officia per omnem vitam; hæc omnia significat, τὸ *dilectus meus mihi, et ego illi*, *q. d.* Quia Christus dilexit me prior ut sponsam, hinc ego vicissim diligo eum ut sponsum, imo dilectio ejus prævenit meam, ejusque est causa; ideo

enim ego diligo ipsum, quia ipse prior me diligens suum mihi inspiravit amorem per gratiam prævenientem, juxta illud : « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, » *Ephes.* v, 25. Abite ergo, malæ vulpes, quæ Ecclesiam a Christo separare per dolos conamini. Ego enim Ecclesia Christo sponso meo servo fidem, ut nullum præter eum diligam; ille vicissim mihi servat fidem, ut nullam præter me habeat dilectam, nullam aliam velit habere sponsam. S. Bernardus, *serm.* 68, notat sponsam, scilicet Ecclesiam, et animam sanctam hæc dicere, absente sponso Christo; dicere, inquam, non adolescentulis, sed sibi ipsi, atque ex abundantia affectus, non tam loqui quam eructare amoris copiam; ideoque verba ejus esse trunca, manca, imperfecta, ac supplenda hoc modo : Dilectus meus mihi, scilicet totus intendit, et ego illi vicissim tota intendo. « Ille mihi, ait S. Bernardus, quia benignus et misericors est; ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia; ille meæ liberationi, ego illius honori; ille saluti meæ, ego illius voluntati; ille mihi, et non alteri, quoniam una sum columba ejus; ego illi, et non alteri. » Et anterius hanc Christi dignationem admirans exclamat : « Quam admirabile est, quod illius intentionem ista sibi quasi propriam vindicat, dicens : Dilectus meus mihi? Nec eo contenta tamen, pergit amplius gloriari, respondere se illi quasi ex æquo morem gerere, rependere vicem. Sequitur enim : Et ego illi. Insolens verbum, *et ego illi.* Nec minus insolens, *dilectus meus mihi;* nisi quod utroque insolentius utrumque simul. O quid audet cor purum, et conscientia bona, et fides non ficta! Mihi, inquit, intendit. Itane huic intenta est illa majestas, cui gubernatio pariter et administratio universitatis incumbit; et cura sæculorum ad sola transfertur negotia, immo otia amoris et desiderii hujus? Ita plane. Ipsa enim est Ecclesia electorum, de quibus Apostolus, II *Tim.* II, 10 : Omnia, inquit, propter electos. Et cui dubium, quod gratia et misericordia Dei sit in sanctos ejus, et respectus in electos illius? Ergo providentiam cæteris creaturis non negamus : curam sponsa vindicat sibi. »

Idem S. Bernardus, serm. in *Festo Nativit. B. Mariæ,* sub finem ait, hisce verbis significari luctam amoris, qua sponsus cum sponsa luctatur, vincit, et vincitur.

Huc accedunt expositiones aliorum Patrum : Nysseni, quæ talis est : « Vidi facie ad faciem eum, qui semper manet, et qui propter me ex sorore mea Synagoga in humana natura est exortus, et in eo requiesco, et fio ejus habitaculum; » Philonis Carpathii : Dicit Ecclesia, inquit : « Dilectus meus mihi, » id est ipse mihi sapientiam dat, et ego illi cor dabo; ille mihi de cœlis sapientiam, ego vero illi de gentibus fidei, spei et charitatis fructum rependam : sentio enim me ab illo vehementer amari, ob idque firmissime ipsi semper adhærebo. Theodoreti : Sicut sponsus me omnibus prætulit, sic ipsum ego omnibus antepono, cum alio conjungi non patior; ab istis, qui vulpes et fraudulenti vocantur, abhorreo : absurdum enim est me, quæ tantopere dilecta atque ornata sum, amanti in amore pro viribus non respondere. His simile videtur id, quod ab Apostolo scriptum est, I *Corinth.* VI, 13 : « Corpus autem non fornicationi sed Domino : et Dominus corpori. » Justi Orgelitani : « Habet Christus Ecclesiam in suo corpore, et Ecclesia Christum in suo capite, quæ connexio, quia dissociari non potest, merito dixit : Dilectus meus mihi. »

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Anima sancta dicit Christo, inquit Theodoretus : « Dilectus meus mihi vivit; et ego illi vivo, non mihi, » ut ait S. Paulus, *Galat.* II, 20. Aponius vero : « Dilectus meus mihi, ait anima sancta; præstat gratiam vocationis, redemptionis insigne, adoptionis clarissimam libertatem. Et quid ego illi? voluntatis obedientiam, conservandæ integritatis studium, quod indidit per naturam. Quid ille mihi? singulare conservandæ virginitatis exemplum, nascendo per Virginem. Et quid ego illi? singularem lætitiam denuo nascendo per baptismum, in toto corde meo servando præcepta, angelicam cœlestemque imitando naturam, ut intactum corpus redeat ad paradisum, quod intacto de utero matris induxerat nascendo in mundum. Nam sicut diabolus cruenta iracundia et exsecrando cœno libidinis saginatur; ita et Christus misericordiæ, mansuetudinis et castimoniæ liliis pascitur. » Brevius S. Gregorius, et clarius exponit, *q. d.* « Dilecti mei amicitiam constanter teneo, quia ejus constantem benevolentiam erga me sentio; quia dum ejus benignitatem familiarem habeo, durum mihi est quidquid ei adversum inimicos latrantes audio, et dum in ejus assiduitate qualis sit video; si quid erroris proferunt adversarii a veritate, quam in ejus visione cognovi, non recedo. » Denique amor Christi virgo est, quia ad unum Christum totus pure et virginee dirigitur, juxta illud Pauli : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » II *Corinth.* XI, 2.

Quomodo Christus omnibus et cuilibet totus intendit.

Quærit S. Bernardus, *serm.* 69 : Cum Christus sit sponsus multarum, imo omnium animarum sanctarum, quomodo cuilibet totus intendat? ac respondet : « Primo quidem quod habeat in natura simplicissima sponsi divinitas quasi unum respicere multos, et quasi multos unum. Nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus; nec ad diversitatem divisus, nec restrictus ad unum; nec anxius ad curas, nec perturbatus,

seu turbulentus ad sollicitudines. Sic sane uni intentus, ut non detentus; sic pluribus, ut non distentus. »

Exemplum appositum est in anima rationali : hæc enim tota amat, informat et animat omnes et singulas corporis sui partes, ita ut tota sit in corpore, et tota in singulis ejus partibus; sic enim Deus totum suum amorem omnibus, et totum dat singulis sanctis. Addit deinde Bernardus Christum ad animam quam sibi despondet, secum adducere Patrem et Spiritum Sanctum, ut pariter sibi animam despondeant, juxta illud : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, » *Joan.* XIV, 23. « Quid est, inquit Bernardus, venire ad animam Verbum? Erudire in sapientia. Quid est Patrem venire? Afficere ad amorem sapientiæ, ut dicere possit : Quia amatrix facta sum formæ illius, *Sapient.* VIII, 2 : Patris diligere est, et ideo Patris adventus ex infusa dilectione probatur. »

Signa adventus Dei in animam.

Signa deinde adventus Verbi et Patris subjicit : « Si sensero, inquit Bernardus, aperiri mihi sensum, ut intelligam Scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine desuper revelari mysteria, aut certe expandi mihi quasi quoddam largissimum cœli gremium, et uberiores de sursum influere animo meditationum imbres : non ambigo sponsum adesse. Verbi siquidem hæ copiæ sunt, et de plenitudine ejus ista accepimus. Quod si se pariter infuderit humilis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis devotio, ut amor agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet et contemptum, ne forte aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me; tunc prorsus paterne sentio agi mecum, et Patrem adesse non dubito. Si autem perseveravero huic dignationi dignis semper (quod in me est) affectibus et actibus respondere, et gratia Dei apud me vacua non fuerit; etiam mansionem apud me faciet, tam Pater enutriens, quam Verbum erudiens. » Quærit deinde, unde anima sciat sponsum totum sibi intendere, ut dicere audeat! « Dilectus meus mihi, » ac respondet, id scire « ex eo quod se diligere, et vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de sua singulari intentione, sollicitudine, cura, opera, diligentia studioque, quo incessanter et ardenter invigilat, quemadmodum placeat Deo, æque hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit, recordans promissionis ejus : In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, » *Matth.* cap. VII, 2. Et post nonnulla : « Nec dubitat se amari quæ amat. Ita est. Amor Dei amorem animæ parit, et illius præcurrens intentio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam. Nescio enim qua vicinitate naturæ, cum semel revelata facie gloriam Dei specular anima poterit, mox illi se conformari necesse est, atque in eamdem imaginem transformari. Igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus erit, et cum viro innocente innocens erit, *Psalm.* XVII, 26. Quidni æque et cum amante amans, et cum vacante vacans, et cum intento intentus, et sollicitus cum sollicito? »

Spiritalis connubii descriptio.

De hoc sponsæ et sponsi spirituali connubio ejusque fructibus, ita scribit Laurentius Justinianus, lib. *De Casto connubio Verbi et animæ*, cap. XXV, pag. 318, littera H : « Ibi juge celebratur convivium, et vitulus sæpissime comeditur saginatus. Pax in illo gustatur interna, secura tranquillitas, tranquilla felicitas, jucunditas magna, fides serena, amabilis societas, oscula unitatis, contemplationis delectatio, suavitas in Spiritu Sancto. Ibi cœli janua est, et paradisi porta. Sponsa frequenter de thalamo ascendit in cœlum, et de cœlo jugiter sponsus descendit in thalamum. Non pavida, non de salute incerta, ingreditur sponsa in supernorum mansiones, sed tanquam in dilecti domum, et in propriam possessionem. Ut enim illam emeret, vendidit sua, et tradidit egenis; ut illam lucraretur, pugnavit in tentationibus, pugnavit cum spiritibus nequam, quotidieque pugnat contra se. Non temerario, sed confidenter in atria intrat sponsi : nam etsi alias advena illius sanctæ fuerit civitatis, nunc vero civis effecta est sanctorum, et sponsa Verbi; cui ex amoris privilegio, omnia quæ sunt sponsi debentur. Amor quippe verus nil privatum habet, nil proprium; sua seque gratanter impertitur; ea quoque lege, eademque charitate, qua largitur propria, utitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia, tanta est inter Verbum et animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo, et conditionis inconsideratio. » Tritum est illud comici : « Omnis amans, amens. »

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Maternus amor B. Virginis in filium.

Beata Virgo dicere poterat Christo : Tu solus mihi es filius unice dilectus, et ego tibi sum mater (imo et quasi pater) dilectissima, qui pasceris inter lilia virginitatis meæ et Josephi mariti mei; ex hoc enim virginali conjugio decebat te nasci, quasi virginitatis filium, imo ducem et antesignanum; hoc est quod ait Isaias propheta, cap. VII, vers. 14 : « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, » id est *nobiscum Deus* : ita Rupertus. Audi S. Anselmum, lib. *De Excellentia Virginis*, cap. IV : « Amorem, inquit, quem pater et mater singuli debent filio suo; amorem etiam, quem debet filius simul suo patri et matri, ille filius vere virginis, suæ debet soli matri : nam sicut alii filii nascuntur ex patre et matre, ita filius ejus natus est ex ea sola matre. Excedit itaque omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes amor istius

matris in filium suum, et istius filii in matrem suam. »

Rursum Guarricus abbas, serm. 2 *De Assumpt.*: « Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum. Communicasti mihi quod homo sum, communicabo tibi quod Deus sum. » Et B. Petrus Damiani, serm. 2 *De Nativit.*, recensitis tribus modis, quibus Deus est in qualibet creatura, subjicit : « Quarto modo inest uni creaturæ, videlicet Mariæ matri, identitate, quia idem est cum illa. Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem. Habitat Dominus in Virgine, cum qua unius naturæ habet identitatem. »

Denique S. Bernardus, *serm.* 71 : « Mihi, inquit, adhærere Deo bonum est. Bonum plane, si omni ex parte adhæseris. Quis est, qui perfecte adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tanquam dilectus a Deo, Deum nihilominus in se traxit diligendo? Ergo cum undique inhærent sibi homo et Deus, inhærent autem undique intima et mutua dilectione inviscerati alterutrum sibi. Per hoc Deum in homine, et hominem in Deo esse haud dubie dixerim. » Hoc præ omnibus competit B. Virgini. Idem S. Bernardus, *serm.* 29 : « Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam, non solum confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret et esset gratia plena. » Hæc Bernardus. Et Hugo de S. Victore, cujus verba refert S. Thomas, *Opusc.* VIII : « Quia in corde Virginis, inquit, amor Spiritus Sancti singulariter ardebat, ideo in carne mirabilia faciebat, in tantum, quod de ea nasceretur Deus et homo. *Luc.* I, 35 : Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. »

Causam dat S. Bernardus : « Quid mirum, inquit, si Maria præ omnibus diligit, quæ est præ omnibus dilecta? » Plures alias causas dat Sophronius, serm. *De Assumptione* : « Cogitate, inquit, et perpendite quantis afficiebatur B. Virgo doloribus post Christi ad cœlos ascensum; considerate, quo cruciabatur amore, quove desiderio æstuabat hæc virgo, dum revolveret animo cuncta, quæ audierat, quæ viderat, quæ cognoverat, quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris! quantis movebatur, repleta Spiritu Sancto, cœlestium secretorum incitamentis! quia etsi diligebat Christum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente, novis tamen quotidie inflammabatur præsentia absens desideriorum affectibus, tanto siquidem validius, quanto divinis illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleverat Spiritus Sancti gratia, quam totam incanduerat divinus amor, ita ut in ea nihil esset mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus et ebrietas perfusi amoris ejus, qui illius erat et Dominus et filius. Fortassis ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus dicitur, habitasse eam credimus, quatenus piis pasceretur internus amor obtutibus, non quod jam viventem quæreret cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus, et quem genuerat mentis complectebatur amplexibus. Amor Christi desiderium pariebat, desiderium vero gliscens quasi novis reparabatur ardoribus. »

QUI PASCITUR INTER LILIA. — Pro *lilia* hebraice est, שושנים *schoschannim*, quod Chaldæus et hebraizantes nonnulli vertunt *rosas*, uti dixi superius. Symmachus vertit *flores* : hebraice est, *qui pascit in filiis. pascit*, scilicet tam oves, quam seipsum, hoc est, *pascitur*, ut vertit Noster; quanquam *pascitur* subinde sumatur pro *pascit*, quasi sit verbum generis deponentis. Septuaginta ποιμαίνων, id est, *pastorem agens in liliis*; Symmachus, *et ego ejus pascentis flores*, id est qui pascit oves instar candicantium liliorum candide. Posset quoque ex Hebræo verti, *qui pascit lilia*, id est alit, fovetque virgines, æque ac virginitatem, et cæteras virtutes, vel *qui pascitur liliis*, id est oblectatur virginibus æque ac virtutibus. *Pascitur* vero *inter lilia*, hoc est pascitur in pascuis lætissimis ac pulcherrimis, qualia sunt, quæ liliis inter herbas florentibus decorantur Hebræum רועה *roe*, et græcum ποιμαίνων, id est *pascere*, sive pastorem agere, notat Christum circa Ecclesiam, et animas fideles omnia boni pastoris munia sedulo obire, scilicet illam tenere amare, pabulum procurare, familiariter illi adesse, educere ad pascua, et reducere, cibare, potare, curare, regere, a lupis et furibus defendere, etiam cum vitæ suæ periculo, ac cætera pastoris officia præstare, quæ describit Psaltes, *Psalm.* XXII, 2, et Christus, *Joan.* X, 9. Christus ergo et pascit, et pascitur inter lilia, i. e. inter castas, puras et sanctas animas, præsertim virgines; pascit illas sua doctrina, exemplo, gratia, sacramentis, imo seipso in Eucharistia. Audi S. Ambrosium in *Psalm.* CXVIII, serm. 14, vers. 1 : « Bona pascua divina sunt sacramenta. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis; carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis; carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt sacrarum Scripturarum, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ scripta sunt degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Bona etiam Christi pascua, qui pascit in liliis, hoc est in splendore sanctorum. » Addit Nyssenus : « Hic est pastor bonus, qui non fœno pascit gregem, sed Spiritu Sancto per liliorum puritatem et odorem significato. » Accedit Theodoretus qui pascua Christi censet vocari *lilia*, quia candida sunt, pinguia, suavia, et odorata instar liliorum. Idem, tamen inferius ait Christum pascere inter lilia, cum per sanctos doctores suas leges purissimas promulgat.

Christus pascit et pascitur inter lilia, id est, animas castas et puras.

Rursum Christus, non tantum active *pascit*, sed et passive *pascitur*, inter lilia, id est oblectatur

puris et castis mentibus, præsertim virginibus, earumque puritate, virginitate et virtutibus. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Justus, Anselmus, cæterique latini. « Quid per *lilia*, ait S. Gregorius, nisi mundæ animæ designantur? quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suaviter olent. *Inter lilia* sponsus ergo pascitur, quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ et in se munditiam carnis conservant, et per nitidas cogitationes coram eo placent, et exempla proximis quasi odoris suavitatem donant. »

Hinc illud S. Ambrosii, quod usurpat Ecclesia in *Officio Virginum* :

> Qui pascis inter lilia,
> Septus choreis Virginum,
> Sponsas decorans gloria.

Christus, ait S. Bernardus, *serm.* 70, qua Deus regnat super sidera, qua homo pascitur, *non lilia*, sed *inter lilia* : « Nam qui in altissimis est Dominus, in imis est dilectus, super sidera regnans, et intra lilium amans. » Deinde lilia hæc mystica esse docet veritatem, mansuetudinem, justitiam, cæterasque virtutes, sed duas præsertim, continentiam scilicet et innocentiam; inter hasce enim pascitur et oblectatur Christus, juxta illud, *Ps.* XLIV, 5 : « Prospere procede et regna propter veritatem, mansuetudinem et justitiam : » nempe « quot virtutes, tot lilia, ait Bernardus. Quis finis virtutum apud Dominum virtutum? Quod si plenitudo virtutum in Christo; et liliorum. Et fortassis propterea ipse se *lilium* appellavit, quod totus versetur in liliis, et omnia quæ ipsius sunt, lilia sint : conceptio, ortus, conversatio, eloquia, miracula, sacramenta, passio, mors, resurrectio, ascensio. Quid horum non candidum, et non suavissime redolens? Tanta denique in conceptione refulsit superni luminis claritas de supervenientis abundantia Spiritus, ut ne ipsa quidem Virgo sancta sustinuisset, si non sibi obumbratum foret a virtute Altissimi. Porro ortum candidavit incorrupta virginitas matris, conversationem innocentia vitæ, eloquia veritas, miracula puritas cordis, sacramenta pietatis arcanum, passionem patiendi voluntas, mortem libertas non moriendi, resurrectionem martyrum fortitudo, ascensionem exhibitio promissionum. »

Lilia, pura legum observantia.

Idem, *serm.* 71, docet Christum pasci inter lilia, id est inter puram legum suarum observantiam : « Ergo, inquit, absque liliis nunquam est, qui absque vitiis semper est, quia totus et semper est candidus, speciosus forma præ filiis hominum. Tu ergo qui hæc audis, vel legis, cura habere lilia penes te, si vis habere hunc habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum, lilia esse protestetur, moralis quidam rerum ipsarum candor atque odor. Habent et mores colores suos, habent et odores, etc. Colorem operi tuo dat cordis intentio, et judicium conscientiæ, » odorem fama. Et pluribus interjectis : « Sponsus itaque, et cum sit virtus, in virtutibus complacet sibi; et cum sit lilium, libenter inter lilia commoratur; et cum sit candor, delectatur candidis. Et fortassis hoc est, quod dicitur pasci inter lilia, candore et odore virtutum delectari. Et quidem pascebatur olim corporaliter apud Mariam et Martham, recumbens etiam corpore inter lilia (illas loquor, nam lilia erant) nihilominus spiritum refocillabat devotione et virtutibus mulierum. »

Idem Christo *pascere*, et *pasci*.

Docet deinde idem Christo esse *pascere*, quod pasci, quia ipse pascit nos sua gratia et virtutibus, iisdemque pascitur et oblectatur : « At pascens, ait, ita puto, nihilominus pascitur ipse, et quidem escis quibus libenter vescitur, profectibus nostris. Etenim gaudium Domini fortitudo nostra. Ita ergo, et cum pascit pascitur, et pascitur cum pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, et de nostro æque spirituali profectu gaudens. Cibus ejus pœnitentia mea, cibus ejus salus mea, cibus ejus ego ipse, etc. Mandor cum arguor, glutior cum instituor, decoquor cum immutor, digeror cum transformor, unior cum conformor. » Idem S. Bernardus, serm. *in Nativit. B. Mariæ*, sub finem aliter explicat : « Attende, ait, quod locum non cibum indicare videtur, nec *quibus* pascitur exprimit, sed *inter quæ*. Forte enim non cibo, sed consortio pascitur liliorum; nec liliis vescitur, sed in illis versatur; nimirum odore potius, quam sapore lilia placent, et visui magis sunt apta quam esui. Cæterum etsi justus germinat sicut lilium, sed non ad lilium sponsus pascitur, nec in singularitate complacet sibi. Audi denique inter lilia commorantem : Ubi, inquit, sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Matth.* VIII, 20. Amat semper media Jesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat Filius hominis, Dei et hominum mediator. »

Christus quemque pascit pro suo statu.

Porro pascit Christus animas diversimode, quamque juxta suam inclinationem, statum, et dispositionem : quare subditis dat obedientiam, superioribus prudentiam regendi, virginibus amorem virginitatis, conjugatis affectum castitatis conjugalis, et robur ad ferendum mores conjugis, filiorum et servorum a suis diversos; martyribus dat invictam in tormentibus constantiam, doctoribus acumen docendi, prædicatoribus efficaciam prædicandi, divitibus impulsum ad tolerantiam, etc.

VERS. 17. DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR UMBRÆ. REVERTERE : SIMILIS ESTO, DILECTE MI, CAPREÆ, HINNULOQUE CERVORUM SUPER MONTES BETHER.

DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR (Septuaginta *moveantur*, id est *amoveantur*) UMBRÆ, (refert ad id quod præcessit : « Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia; » licet nonnulli referant ad id quod sequitur) : REVERTERE : SIMILIS ESTO, etc.,

—uti mox dicam. Nota τὸ *aspiret dies*: solet enim mane oriente luce et die suavis aspirare aura, quam efficit calore suo sol oriens in aurora, quasi in auræ rore : hic enim vapores frigore noctis collectos resolvit et commovet, ex iisque flatus et ventos efficit; quare minus recte Theodoretus exponit, *q. d.* « Donec aspiret dies, » id est, donec ardor diei prætereat, et ros salutis aspiret. Jam

Dies et umbræ quid? Resp. Primo. *Primo*, nonnulli per *diem* accipiunt evangelium, per *umbras* legem veterem, quæ typus et umbra fuit Evangelii, *q. d.* Apparente luce evangelii, evanescent umbræ, id est observantiæ et ceremoniæ typicæ legis veteris : ita Justus Orgelitanus et S. Augustinus, orat. *Contra Judæos*, cap. VI.

Secundo. *Secundo*, alii per *diem* accipiunt claram cognitionem veritatis et æternitatis; hanc enim adepta anima sancta fugat, et pellit a se *umbras* vanitatis rerum temporalium : ita Nyssenus.

Tertio genuine. *Tertio* et genuine, per *diem* accipe futuram vitam et gloriam, per *umbras* præsentis vitæ tenebras et ærumnas, *q. d.* Christus pascitur inter lilia, id est versatur inter puras animas, quamdiu durant umbræ hujus vitæ : nam, ubi aspiraverit et illuxerit dies gloriæ, versabitur inter beatos in splendoribus sanctorum. Si enim in valle lacrymarum pascitur inter lilia, inter quæ et quanta pascetur in die nuptiarum et gloriæ sempiternæ? Christus nunc me pascit inter lilia castitatis et gratiæ; at ubi aspiraverit dies felicitatis, pascet me inter lilia charitatis et gloriæ; tunc amor sponsi absentis vertetur in gaudium et fruitionem præsentis; tunc mutabitur fides in speciem, spes in rem, charitas in claritatem, ærumna in gloriam, mors in vitam, corruptio in incorruptionem, luctus in jubilum. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, S. Bernardus et cæteri. Hic ergo anima pia amore corporis pressa gemit et suspirat, donec aspiret dies æternitatis beatæ, et inclinentur umbræ miseræ mortalitatis : « Hic quippe nox est, ait S. Gregorius. Ibi vero dies erit, quia hic in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus elucebit. » Porro S. Bernardus, *serm.* 71, ait Christum in hac vita pasci liliis, id est virtutibus, quia hic mixtæ sunt, rudes et imperfectæ, in cœlo iis potari, quia ibi erunt liquidæ, defæcatæ, subtiles et perfectæ.

Nonnulli cum nostro Sanchez censent τὸ *inclinentur umbræ* esse periphrasin vesperæ; in ea enim post meridiem, sole declinante, inclinant umbræ, juxta illud Virgilii :

Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Unde et Aquila pro *donec aspiret dies* vertit, *donec cesset dies*; vespera enim, dum cessat dies, aspirat flatus et ventos. Unde Plinius, lib. II, cap. XLVII : « Sol, inquit, et auget et comprimit flatus; auget exoriens occidensque; » et Aristoteles in *Problem.* sect. XXV, quest. IV : « Flatus, inquit, vel ortu solis, vel obitu incipit. » Hinc Virgilius : « Aspirant auræ in noctem. » Unde ex Hebræo verti potest, *donec exspiret*, id est *finiatur dies* : verba enim hebræa sunt simplicia, ideoque sumuntur pro omnibus compositis, utpote quibus Hebræi carent. רוּחַ *iaphuach* ergo significat *spiret, aspiret, perspiret, respiret, exspiret*, et hoc significat græcum διαπνεύσει apud Septuaginta, *q. d.* Toto die, id est toto tempore hujus vitæ, « dilectus meus mihi, et ego illi, » idemque toto hoc tempore « pascitur inter lilia. » Verum Noster aptius vertit *aspiret*, dum enim aspirat dies, finiuntur umbræ et tenebræ nocturnæ. Quocirca magis apposite S. Gregorius et alii passim censent per *umbram* hic intelligi *noctem* : nox enim umbrosa est, et mera quasi umbra, quæ inclinatur, id est deficit et, ut hebraice est, *fugit*, id est evanescit, oriente in aurora sole, sed sensim et pedetentim : quo enim magis ascendit sol, eo magis minuuntur umbræ, adeo ut in meridie fere nulla sit umbra : rursum, oriente sole, aspirat dies, non occidente, tunc enim exspirat et finitur.

Symbolice S. Bernardus, *serm.* 72, per *umbras* accipit dæmones, qui electis in die judicii et beatis inclinabuntur, id est subdentur, ac tanquam victi victoribus subjicientur. Idem rursum per *diem* accipit visionem beatificam, per quam omnes umbræ errorum, simulationum, ignorantiarum dispellentur. Denique addit cumulum felicitatis æternæ significari per τὸ *aspiret*. « Ergo, inquit, is cumulus aspirantis erit diei. Ipsa, inquam, adjiciet ad mensuram inspiratæ plenitudinis, ad inspirantis diei copiam, supra modum in sublime pondus gloriæ operans, ita ut redundet in corpora supereffluens clarificationis adjectio. Hac de causa enim non spirans, sed adspirans dicta est, quod addat ad inspirantem, hoc significante Spiritu Sancto per adjectam *ad* præpositionem : quia quos illa intus illuminat, hos ista adornat foris; et stola gloriæ induit eos. » Et post nonnulla : « Cum igitur duo in nobis præcedant dies, unus quidem *inspirans* pro corporis vita; alter vero *respirans* in sanctificationis gratia, porro tertius supersit *adspirans* in resurrectionis gloria; claret profecto aliquando adimpletum iri in corpore, quod præcessit in capite, magnum utique pietatis sacramentum, et Prophetæ testimonium, qui ait : Vivificabit non post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus, » *Ose.* cap. VI, vers. 3.

Symbolice, dies visio beatifica: umbræ, dæmones.

Porro dispunctio, quæ est in Bibliis Hebræis, cujus auctor non est Salomon, sed rabbini posteriores sive massoretæ, hæc verba, *donec aspiret dies, et inclinentur umbræ*, connectit cum eo quod sequitur, *revertere, similis esto, dilecte mi*; atque hæc connexio commoda quoque est, commodosque dat sensus, ut patet sensus jam dandos intuenti, cum iisque hæc verba, *donec aspiret dies*, combinanti.

REVERTERE : SIMILIS ESTO, DILECTE MI, CAPREÆ, HINNULOQUE CERVORUM SUPER MONTES BETHER.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Varii hic sensus.

Varii hic a variis assignantur sensus. *Primus* est, *q. d.* Sponsa : Video te, o sponse mi, delectari pascendis gregibus in sylvis et montibus, quales sunt montes Bether; ibi enim pasceris inter lilia, eoque me invitas et evocas dicens : « Surge, propera, amica mea; » ut tuo ergo æque ac meo animarum zelo satisfacias festinus et velociter, instar capreæ et hinnuli *revertere,* hebraice סוב *sob,* id est *circuito,* lustrato et visitato greges nostros, puta fideles christianos, qui pascuntur in Bether, id est in divisione, hoc est in divisis locis et particularibus ecclesiis per totum orbem diffusis habitant, ac pasce eos tua sancta doctrina, gratia, consolatione, inspiratione, sacramentis, etc. Ita Theodoretus et tres Anonymi apud ipsum, Psellus et Philo Carpathius, qui censent hic obsecrare sponsam, ut sponsus ad pascua revertatur, ut omnes fideles ejus conspectu fruantur atque illustrentur, iisque ipse suam suavitatem et amorem impertiat.

Secundus planior et plenior est, *q. d.* sponsa : Permitto quidem, imo cupio, o sponse, ut fideles nostros toto orbe diffusos visites, instruas, robores, perficias; sed velim id fieri expedite et velociter, ut per eos decurras celeriter, instar capreæ vel hinnuli, hoc fine, ut, iis visitatis, illico ad me revertaris : ego enim tui præsentiam intime desidero, nec ea satiari queo, atque magis decet sponsum sponsæ, id est Christum Ecclesiæ universali, quam particularibus ecclesiis adesse et assistere. Hunc sensum exigit τὸ *revertere,* ut vertit Noster et Septuaginta; respicit etiam ad id quod dixit vers. 8 : « Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, » ut illico ad me jam ex amore deliquium passam advolet, sustentet, meque mihi restituat : quare « similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. » Ita S. Bernardus, Beda et alii. Audi S. Bernardum qui hic notat amoris impotentiam nescire impudentiam; sponsam enim revocare illico sponsum, cui paulo ante abeundi dederat facultatem. « Intempestiva, inquit ipse, *serm.* 74, revocatio magni unius amoris, magnæ alterius amabilitatis indicium est.; » et *serm.* 73 : « Amor intemperans facit hoc. Nempe is est qui omnem in se triumphans captivansque pudoris sensum, convenientiæ modum, deliberationis consilium; totius modestiæ et opportunitatis neglectum quemdam, et quamdam incuriam parit. Nam vide nunc quomodo illum, pæne adhuc incipientem ire, jam tamen redire flagitat. Etiam accelerare rogat, et quidem currere, instar unius alicujus feræ sylvarum velociter currentis, verbi gratia, capreæ, hinnulive cervorum. Hic litteræ tenor, et hæc Judæorum portio. »

Quinam sint montes Bether?

Quæres, qui sunt montes *Bether?* Resp. esse montes *Bethel* (uti vertit Arabicus), ubi Jacob vidit scalam e terra in cœlum porrectam, per quam ascendebant et descendebant angeli ad Deum scalæ innixum, ideoque locum oleo inungens consecravit, vocavitque *Bethel,* id est *domum Dei, Gen.* XXVIII, 12 et 19. Montes vero *Bethel* dicuntur montes *Bether,* id est *divisionis,* quia divisi sunt et diffissi, ut plures intermedias contineant civitates atque valles, ac consequenter plures quasi montes in varios colles dissectos, ita ut capreæ ex uno in alium saliant. Unde a Septuaginta vocantur montes κοιλωμάτων, id est *concavitatum.* Nonnulli legunt, κυκλωμάτων, id est *circuitionum* montes, ad quos non est facilis accessus, sed diu eos per anfractus circuire opus, antequam ad culmen pervenias; tales enim quærunt capræ et hinnuli, ut a venatoribus sint securi. S. Ambrosius, lib. III. *De Virgin.,* legit cum Syro, *montes aromatum :* sic enim vocantur hic, cap. VIII, vers. 14, nam hi montes aromatibus abundant. Audi Adrichomium in *Descriptione Terræ Sanctæ,* pag. 16, num. 43 : « Bethel, seu Bether montes sunt fœcundi, nemorosi et arboribus consiti; gramine et herbis aromaticis pleni, et ideo cervi, capreæ, et hinnuli illorum cacumina frequentant, de quibus in Canticis. »

Symbolice, Ecclesia universalis.

Symbolice ergo montes *Bethel* vel *Bether,* apte repræsentant Ecclesiam universalem in varias particulares divisam et distinctam : Ecclesia enim est, « mons domus Domini in vertice montium, » *Isai.* II, 2; quia sua fide, spe, doctrina, conversatione et contemplatione cœlesti superat omnes sectas judæorum, hæreticorum, gentilium, adeoque videtur, jam non in terra, sed in cœlis cum beatis degere juxta illud : « Nostra conversatio in cœlis est, » *Philipp.* III, 20. Quocirca hi omnes peculiariter repræsentant monasteria et collegia religiosorum : *primo,* quia monasterium et claustrum est *Bether,* id est *locus divisus* et separatus a consortio sæcularium; *secundo,* quia montes Bether sunt ardui et asperi, ac cavitatibus et salebris interrupti; *tertio,* sicut capreæ et hinnuli ad prærup-tos et inaccessos hosce montes fugiunt, ut tuti sint a canibus et venatoribus, sic pariter religiosi fugiunt ad claustra, ut ibi a mundi tentationibus et periculis sint securi et semoti. Ibi ergo Christus pascitur inter lilia puritatis, quæ nascuntur in montibus *Bether,* id est separationis, orationis, atque contemplationis. Huc facit versio chaldaica, quæ de sanctis patriarchis sic exponit : « Et vóluit Dominus disperdere eos de sæculo, nisi subiisset memoria coram eo juramenti sui, quod juravit in verbo suo Abraham, Isaac et Jacob, qui erant velocissimi in cultu ejus, sicut caprea et hinnulus cervorum; et etiam oblationis, quam obtulit Abraham Isaac filium in monte Moriah, et ante

Monasterium. Primo. Secundo. Tertio.

hæc detulerat illi oblationes suas, et diviserat eas æqualiter. »

Sancti sunt *montes* per virtutis eminentiam, et *valles* per humilitatem.

Hinc Philo Carpathius per *montes convallium*, ut vertunt Septuaginta, intelligit sanctos et justos eminentes; hi enim sunt *montes* per virtutis excellentiam, quæ supra mundum et mundana omnia eminent; sunt et *valles* per humilitatem, qua humiliter doctrinam et gratiam Dei, ceu pluviam e cœlis, valles excipiunt. Sic et Ambrosius, serm. 14 *in Psalm.* CXVIII. Tres vero Anonymi apud Theodoretum per *montes convallium* accipiunt doctores qui discipulis, sicut montes vallibus, longe eminent et excellunt, *q. d.* « Te illis similem præsta veniens in magistras animas, quæ inter discipulas perturbationum fluctibus depressas montium instar excellunt, ubi ipsarum opera propellas et fuges bestias illas pestiferas, quæ naturalem rudium animarum æqualitatem excavant, in eisque sibi latebras constituunt, atque ita illis pristinam æqualitatem redde.

Ex adverso Theodoretus et Nyssenus, *homil.* 6, per *montes convallium* accipiunt superbos inter humiles, *q. d.* ait Nyssenus : « Vide ut caprea, qui aspicis cogitationes hominum; dele peccati generationem, sicut hinnulus delet serpentis. Curre quam celerrime divinum Verbum ad montes convallium : quidquid enim extollitur adversus veritatem, est barathrum, et non mons; concavitas et non assurgens fastigium. Si ad hæc accurreris, omnis vallis implebitur, et omnis mons hujusmodi humiliabitur.»

Huc accedit S. Anselmus, qui putat Ecclesiam hic orare Christum, ut juvet se laborantem in conversione infidelium : « Revertere, inquit, id est, condescende istis, et aspira eos interius, quia aliter labor noster erit infructuosus : Revertere, et similis esto capreæ, etc. Natura capreæ hinnulique est, ut licet in summitate montium habitent, descendant tamen in colles, ut ab inferioribus videantur. Cum enim Christus habitet in montibus, id est in eminentibus propter virtutes, rogatur descendere ex ipsis, et per ipsos ad cognitionem inferiorum. »

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Christus subinde videtur abire ab anima sancta, vel ob ejus defectus et lapsus veniales, vel ut ejus fidem et constantiam probet, vel ut sui desiderium in ea adaugeat, animamque in spiritu promoveat et perficiat, dum eam sine gustu, sine consolatione, sine lætitia aridam et siccam relinquit in desolatione, persecutione, tentatione, tristitia, obscuritate, similive afflictione animæ vel corporis. Quare anima hoc stimulo puncta ardentius ad sponsum Christum suspirans, ejus reditum opemque inclamat : Revertere ad me, o dilecte mi, et instar capreæ vel hinnuli velociter accurre, ut me consoleris, adjuves, robores, confirmes, promoveas.

Addit noster Sanchez, quod anima pia, edocta multa se amori impedimenta opposuisse, et infirmitatis suæ conscia, sibi ipsi parum fidens, oret sponsum, ut quamvis vagetur super montes Bether, id est inter salebras et anfractus et mille alia impedimenta, quæ ad omnia officia pronum et festinantem retardare potuerint; ferat nihilominus hæc patienter, et quo est animo ad hæc perferenda plane indomito, et lenitate ad condonandum plane admirabili, devoret has molestias, transiliat hæc obstacula, ac tandem quamvis per *Bether*, id est *confragosa* atque aspera, ad se tamen recta festinatoque perveniat.

Et Luysius Legionensis : Postulat, ait, anima fidelis, cum inclinantur umbræ, id est inclinato jam ad occasum die, et irruentibus periculorum tentationumque tenebris, sibi auxilietur, nulla mora interposita : «Similis, inquit, esto capreæ hinnuloque cervorum.» Quod sine metaphora proprie et litterate David dicebat *Psal.* LXIX, 2 : «Domine, ad adjuvandum me festina,» et rursus, *Psal.* XXX, 3 : « Domine, accelera ut eruas me.» Quodque non solum causa incitandi Deum, et ut auxilium ferre maturet efficiendi, a sponsa dicitur, sed etiam quo nos admoneat, ut in ipso statim pravæ cogitationis initio, ut primum mala libido subire animum cœpit, ad primos hostis aspectus, imo vero ad primos rumores atque suspiciones belli, antequam ob negligentiam turbarum in nobis atque tumultus aliquid oriatur, attollamus ad cœlum oculos, et ad Deum cor nostrum penitus convertamus, illud cum lacrymis iterantes : « Revertere, dilecte mi : similis esto capreæ, hinnuloque cervorum; » salutemque illi nostram ardentissime commendantes, ut acceleret atque festinet liberare nos, non a malo solum, sed etiam a suspicione mali ab ipso petamus. Huc accedit Cassiodorus qui exponit, *q. d.* O Christe, qui per carnem, quam parvulus ut hinnulus assumpsisti, velut caprea ascendisti in cœlorum sublimia, nos tua consolatione et gratia visita, illustra et lætifica.

Quomodo Deus visitet animam.

Porro quomodo Deus animam sanctam visitet, docet *primo* S. Bernardus, *serm.* 74, idque ex experientia, qua in sua anima crebro hanc Dei visitationem sensisse se asserit : « Vivum, inquit, et efficax est (Verbum Dei, puta Christus), moxque ut intus venit, expergefecit dormitantem animam meam, movit, et mollivit, et vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat et male sanum. Cœpit quoque evellere et destruere, ædificare et plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non et mittere prava in directa, et aspera in vias planas; ita ut benediceret anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum sponsus, nullis unquam introitum suum indiciis innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu. » Et post

nonnulla, quæ in hanc rem interjicit, subjicit : « Ex renovatione ac reformatione spiritus mentis meæ, id est interioris hominis mei, percepi utcumque speciem decoris ejus, et ex contuitu horum omnium simul expavi multitudinem magnitudinis ejus. Verum quia hæc omnia, ubi abscesserit Verbum, perinde ac si ollæ bullienti subtraxeris ignem, quodam illico languore torpentia et frigida jacere incipiunt; atque hoc mihi signum abscessionis ejus. Tristis sit necesse est anima mea, donec iterum revertatur, et solito recalescat cor meum intra me : idque sit reversionis indicium. »

Secundo, Aponius ait sponsum discedere, cum sponsæ, id est animæ peccata castigat; reverti, cum pœnitentia placatus ei reconciliatur : « Prolongatio, ait, Christi in Ecclesia tunc est, quando ad castigandam plebem tribulationem induci permittit; reversio autem ejus est, dum precibus inclinatus ad misericordiam, ad vestigia pietatis suæ velocius recurrit, quam prosilierat vindicando; similis factus cursui vel consuetudini capreæ, hinnulique cervorum, quorum natura est, voce ante se in montibus resonante post tergum emissa, dum obvium sibi opinantur occurrere quidpiam, ad locum, unde abscesserant, velociori cursu reverti. Et hæc est causa, ut exasperatæ ab hostibus consuetam nolint derelinquere sedem, sicut et Christus, quamvis provocatus et exasperatus peccatis hominum, pietatis tamen non dereliquit consuetam sedem. »

Mystice de Christi ascensione.

Mystice, Justus Orgelitanus censet hic significari ascensum Christi in cœlos : « Dum dilectum, inquit, Ecclesia insinuat regredi, similemque capreæ et hinnulo dicit, Christi in cœlos ascensionem mundis et velocibus animalibus comparandam demonstrat. Hæc enim celeri cursu montium altiora transiliunt; supergressus est autem Christus omnia excelsa; et bene additur super montes Bethel, id est *domus Dei*, quia super sanctos omnes elevatus est. » Aponius vero censet hic Ecclesiam orare, ut Christus mortuus a morte resurgat : « Super montes Bethel, inquit, quod eum reverti precatur, in cujus finibus Christus crucifixus est, velocitatem resurrectionis die tertia celebrandam prophetasse monstratur. »

Tropologice.

Tropologice, Beda æstimat hic animam piam ad perfectionem tendentem postulare, ut Christus sibi cœlestis felicitatis prægustum exhibeat : « Obsecro, inquit, a generali instructione revertaris sæpius ad illustranda sublimius corda perfectorum, et sicut capreæ, aut hinnuli cervorum rarus quidem, sed cum delectatione conspicientium, in montibus solet esset intuitus : sic in excelsis mentibus vestigia tuæ magnitudinis qualiacumque præsentes. Precor ut dulcedinem vitæ immortalis, quam membris omnibus meis in retributione promittis, aliquibus etiam in itinere, quamvis a longe speculandam reveles. Congruit autem et nomen montium mentibus eorum, qui contemplationi cœlestium oculos cordis aperire didicerunt, cum dicitur super montes Bether, quod *domus consurgens*, sive domus vigiliarum interpretatur. »

Anagogice.

Anagogice, S. Gregorius censet hic animam piam rogare Christum, ut cito veniat ad judicium, ut in eo ipsa cum piis gloriam; impii qui pios affligunt, gehennam consequantur : « A nobis, inquit, dilectus tunc corporaliter abiit, quando post resurrectionem in cœlos ascendit; tunc autem revertetur, quando in fine mundi, resuscitatis omnibus hominum corporibus, in judicio manifestabitur : hanc manifestationem hic petunt animæ sanctæ. Tunc Christus vere similis capreæ et hinnulo cervorum apparebit super montes Bether, quia in eadem humanitatis forma ad judicium veniet, quam ab Ecclesia, quæ per capream designatur, sumpsit, quando in hoc mundo ex patrum progenie, quasi hinnulus cervorum humilis natus fuit; tumque super omnes summos, qui quasi montes excellunt in Ecclesia, quæ domus Dei est, sublimior eminebit. » Similia habet S. Bernardus, *serm.* 73.

TERTIUS SENSUS
PRINCIPALIS,
De Christo et B. Virgine.

Postulat B. Virgo ne Christus tres dies integras maneat in sepulchro.

Rupertus censet B. Virginem hic postulare a Christo jam mortuo, ut resurrectionem suam velut hinnulus acceleret, nec triduum integrum, id est 72 horas maneat in sepulcro, sed illud decurtet, ut post 33 horas illico resurgat : « Cito revertere, inquit, noli moras facere, quia anima mea desiderat te, etc. Tridui quidem tempus breve est, sed dilectæ et columbæ tuæ desideranti, et gementi vulnerata mente, non satis, dilecte mi, festinatum est. Abbrevia hoc ipsum triduum, et similis esto in revertendo capreæ et hinnulo cervorum, id est velocissimus esto ad peragendum cursum tuum. In corde terræ, id est in sepulcro tuo, non totum expendas triduum. Sufficit ad complendam veritatem Scripturarum, si partem exiguam primi diei, id est tres horas novissimas et partem aliquam tertii, scilicet sex horas, quod est dimidium noctis, cum die secundo, id est cum Sabbato jacens in sepulcro transegeris. Nam tres integri dies horæ septuaginta duæ sunt. Hoc esset nimis longum. » Subdit deinde aliam rationem numericam : « Sufficiunt horæ triginta tres, qui numerus ex duobus ternariis, deceno et singulari compositus est. Beatam Trinitatem, cui primus homo peccavit, in te, et per te et de teipso, dilecte mi, caro mea et sanguis meus, Deus meus et Dominus meus, placare oportet; sed hoc fiat celerrime et multum festinanter, sicut caprea sive hinnulus cervorum in montibus celerrimus est; secundum nomen tuum, quo per Prophetam jussus es vocari : Accelera spolia detrahere, festina prædari. Vix igitur exspectatis triginta tribus horis, revertere super montes Bether, id est resurge et appare principibus domus Dei, scilicet apostolis tuis et mihi, cu-

jus maxime sicut et illorum, imo et multo plus quam illorum, tu es grande desiderium. »

Idem Rupertus censet B. Virginem hic orare pro conversione suæ gentis, puta Judæorum : « Revertere, inquit, similis esto capreæ super montes Bethel, id est prope patres domus Dei, hoc enim interpretatur Bethel. » *q. d.* Miserere Judæorum, ipsi enim sunt filii Abrahæ et sanctorum patriarcharum, qui fuere Bethel, id est domus, familia et Ecclesia Dei.

Rursum Judæi sunt montes Bether, id est *divisionis* et separationis; quia per superbiam diviserunt et separarunt se a fide patriarcharum, qui in Christum venturum crediderunt, et consequenter a Deo, ab Ecclesia, a cœlo, a salute, et omni bono. Similiter B. Virgo etiamnum orat pro peccatoribus, qui velut montes Bether per peccatum superbe separarunt se a Deo Deique gratia; *q. d.* Revertere, o dilecte, ad animam olim tuam, quæ nunc a diabolo tyrannice possidetur; inspice velut caprea lynceis oculis miserrimam ejus servitutem et tyrannidem, qua opprimitur a diabolo, ac velut hinnulus cervorum, qui halitu suo extrahunt necantque serpentes, teste Plinio, lib. VIII, cap. XXXII. Ab animarum harum cavernis educ Tartareos, non tam serpentes, quam dracones immanes, qui habitant in montibus Bether, id est in superbia divisionis, puta in cordibus superbis, æque ac in inferno, ubi ob superbiam a Deo et cœlo divisi et dissecti sunt in omnem æternitatem

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsa in lectulo quærens sponsum, nec inveniens, circuit vicos, ac tandem invenit, nec dimittit. Inde **sponsus**, *vers.* 5, *vetat eam suscitari. Mox, vers.* 6, *inchoatur actus tertius dramatis, quo obviantes sponsæ eam laudant, comparantque myrrhæ, thuri et aromatibus. Sponsum vero, vers.* 7, *a robore stipatorum, ac vers.* 8, *a ferculo cedrino, argenteo et purpureo. Denique, vers. ultimo, jubentur filiæ Sion oculos a ferculo ad sponsum coronatum, qui ferculo vehebatur, convertere. Primis ergo quinque versibus Salomon pergit describere et finire adolescentiam crescentis Ecclesiæ; a versu vero* 6 *et deinceps describit Ecclesiæ quasi virilem ætatem et perfectionem, uti dixi in* Procemio.

1. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni. 2. Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni. 3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem : Num quem diligit anima mea, vidistis? 4. Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea : tenui eum : nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. 5. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. 6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel : 8. omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi : uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. 9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani : 10. columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum : media charitate constravit propter filias Jerusalem. 11. Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

VERS. 1. IN LECTULO MEO PER NOCTES QUÆSIVI QUEM DILIGIT ANIMA MEA : QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI.

VERS. 2. SURGAM, ET CIRCUIBO CIVITATEM : PER VICOS ET PLATEAS QUÆRAM QUEM DILIGIT ANIMA MEA : QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI.

VERS. 3. : INVENERUNT ME VIGILES, QUI CUSTODIUNT CIVITATEM : NUM QUEM DILIGIT ANIMA MEA VIDISTIS?

VERS. 4. PAULULUM CUM PERTRANSISSEM EOS, INVENI QUEM DILIGIT ANIMA MEA : TENUI EUM; NEC DIMITTAM, DONEC INTRODUCAM ILLUM IN DOMUM MATRIS MEÆ, ET IN CUBICULUM GENITRICIS MEÆ.

SURGAM, ET CIRCUIBO (Arabicus, *perlustrabo*) CIVITATEM : PER VICOS ET PLATEAS, QUÆRAM QUEM DILIGIT ANIMA MEA : QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI : (addit Arabicus, *vocavi eum, et non obedivit mihi*). INVE-

NERUNT ME VIGILES, QUI CUSTODIUNT (Syrus, *qui circuibant*) CIVITATEM : (addit Arabicus, *et dixi*) : NUM QUEM DILIGIT ANIMA MEA VIDISTIS? Syrus, *an essentiam amoris, quam diligit anima mea, vidistis?*). PAULULUM CUM PERTRANSISSEM EOS, INVENIT QUEM DILIGIT ANIMA MEA : TENUI EUM; NEC DIMITTAM, DONEC INTRODUCAM ILLUM IN DOMUM MATRIS MÆE, ET IN CUBICULUM GENETRICIS MEÆ, — Arabicus, *illius quæ me concepit.*

Connexio hic difficilis : nexus primus.

Difficilis est hic connexio; qua ratione scilicet hæc nectantur præcedentibus ut servetur decorum dramatis. *Primo*, noster Sanchez : In capite *primo*, inquit, Scriptor sacer desiderium sponsæ, quo in absentem sponsum ferebatur, luculenter descripsit; in *secundo*, sponsi in dilectam blandimenta atque officia complexus est; in *tertio*, jam propius accedit ad nuptias; componit enim conjuges in curru, quo de more cum plausu atque symphonia domum reducebantur. Apud Hebræos enim sponsus non accedebat ad sponsam, nisi post traductionem ejus in domum sponsi. Sensus ergo hujus versus est, *q. d.* Dolui abesse sponsum a lecto : quia esse in eo non poterat, nisi peractis nuptiarum sacris. Vel desideravi lecti socium habere, id est nuptias inire : quia ante illas non sperabat fore ut secum unquam in noctibus haberet quem amabat. In hanc sententiam Bernardus, *serm.* 75, dicit sponsam, cum esset in lecto, quæsiisse sponsum, non quidem in lecto cubantem, sed cum absentem desideraret, de illo investigando secum deliberasse. Et consonat valde huic explicationi translatio Septuaginta qui vertunt, ἐπὶ κοίτην, id est *in lectulum*, *q. d.* Desideravi ad lectum, seu ad connubium. Hæc Sanchez.

Apud Hebræos sponsus non accedebat ad sponsam, nisi ubi traducta fuerat in domum sponsi.

Secundus.

Secundo, Genebrardus censet hic novum esse drama, vel potius novum, scilicet secundum actum dramatis : quare nullam hic quærendam esse connexionem, quod alio tempore, scilicet noctu gesta sint, quæ hic narrantur; cætera vero per diem. Melius Gislerius censet novum hic quidem esse actum, novamque narrationem, sed cum prioribus connexam : sponsam enim post discessum sponsi narrare quid a se factum sit aliquando, cum dilectum suum a se abscessisse animadvertit, quo studio illum quæsierit, quomodo invenerit ac tenuerit, ne rursum abscederet.

Tertius.

Tertio, Joannes Carmelita censet hæc sponsæ verba produci, ut dent causam, cur sponsus ei dixerit, cap. I, vers. 10 : « Surge, propera, amica mea; » quia scilicet invenit eam in lectulo cubantem vel desidem; hinc ab eo illam evocat dicendo : « Surge, propera. »

Quartus

Quarto, Gilbertus abbas, qui continuavit Sermones S. Bernardi *in Cant.*, hicque inchoat, sic nectit, *serm.* 1 : « De montibus, inquit, se raptim contulerat ad lectulum sponsæ, ubi illa excitata et deficiens ubertate delectationis, obdormivit exhausta inter amplexus dilecti. Oblectata obdormivit somnum dulcem, sed expergefacta non invenit illum hæc mulier deliciarum in manibus suis. Gaudia itaque illa, gaudia ineffabilia silentio transiens, in hanc tamen vocem erupit : In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. »

Quintus germanus.

Quinto, magis apposite Luysius Legionensis censet sponsam ex amore deliquium passam in somnum incidisse, ac in somnis vel semisomnem dixisse adolescentulis sociabus suis : « Vox dilecti mei, » et cætera, quæ a cap. II, vers. 8, usque ad finem capitis narrantur; nunc vero, inquit, soluta somno sponsa atque experrecta, sponsum, quocumque modo loqui sibi per quietem visa est, una secum jacere arbitrata, ipsum quæsivisse, atque eo non invento e lecto exsilivisse, domoque egressa, urbis loca omnia illum quæritando obiisse dicitur. In quo, non quid reipsa gestum sit, commemorasse intelligendus est Salomon, sed quid rei, de qua agitur, natura fieri postulet, accommodate ad ipsam rem exposuisse. Itaque quia intellexit, aut decorum a se negligi, aut bonam hujus carminis partem omitti debere, idcirco personam sumpsit de medio, rurique educatam feminam induxit, quo decore servato exprimeret in ea omnem amoris vim. Quare sponsa, partim amoris, partim timoris (ne quid sponso absenti per noctem mali accidat) stimulis excita, imperare sibi non potuit, ut, quoad luceret, domi maneret; sed exsilivit statim, neque tenebris deterrita, neque nocturnos casus metuens, neque sui rationem ullam habens, unumque amorem ducem secuta, virum suum pervestigavit. Nam nuptias jam ante a sponso cum sponsa initas fuisse, ac sponsum ad sponsam accessisse satis liquet ex præcedentibus, præsertim ex cap. I, vers. 3, ubi ait sponsa : « Introduxit me rex in cellaria sua; » et vers. 11 : « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum; » et cap. II, vers. 4 : « Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem, » etc.

Ex adverso Aben-Ezra censet sponsam hic narrare ea quæ somnians videbat, idque probat ex eo quod ipsa ait : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea; » noctu enim dormitur et somniatur : quis enim quærat eum quem scit sibi præsentem, vel absentem in lectulo? et ex eo quod, vers. 5, jubet sponsus, ne quis eam a somno excitet; jam ergo dormiebat sponsa et somniabat, quod sane probabile est, præsertim ob vers. 5 jam dictum. Hoc si sequi placet, dicito novum hic esse sponsæ somnium, priori partim simile, partim dissimile, quo scilicet somniet sponsa, se dilectum suum per vicos et plateas anxie quæsiisse, ac tandem post longos circuitus invenisse, inventum tenuisse, nec dimisisse. Quæ enim quis amat et valde desiderat, de his crebro et varie somniat. Unde et amantes sibi somnia fingunt, ac desideria amantium sunt somnia vigilantium. Hinc S. Anselmus notat non esse mirum sponsam in lecto dormire et simul ascendere, ut virgulam fumi; quia quo magis a terre-

nis abstrahitur, iisque quasi indormit, eo altius ad cœlestia elevatur.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Primo, Chaldæus hæc exponit de Judæis, qui adorantes vitulum aureum perdiderunt Dei gratiam et sanctitatem; sic enim ait : « Et quando vidit populus Domini Israel, quod sublatæ essent nubes gloriæ ab eis, et corona sanctitatis, quæ data fuit ei in Sinai, ablata esset ab eis, remanserunt contenebrati sicut nox, et quæsierunt coronam sanctitatis, quæ sublata fuerat ab eis, et non invenerunt illam. »

Secundo, Titelmannus et alii hæc accipiunt de statu veteris Synagogæ, aut generalius de statu humanæ naturæ ante Christi adventum, ac deinde novæ Ecclesiæ post ejus adventum. Nam genus humanum ante Christum ex lapsu Adæ miserum, jacensque in lectulo infirmitatis suæ pigrum et ægrum ad omne bonum, idque in nocte infidelitatis et ignorantiæ, quærebat in lege naturæ a suis sophis, sophistis et philosophis tanti mali remedium, scilicet summum bonum, sive in quo sita esset felicitas hominis, modumque ad eam perveniendi; sed nihil solidi et veri ab eis, utpote cæco mentis suæ ingenio præfidentibus hausit, cum debuisset lectulum suum exire, et ad lucem transire divinæ gratiæ, sine qua frustra quæritur, nec invenitur sponsus, qui solus animam se quærentem et diligentem beet : sic et synagoga jacuit pigra et infirma in lectulo legis mosaicæ, et in nocte umbrarum, hoc est cæremoniarum figuralium, et quæsivit sponsum per vicos et plateas, quando in legis littera confidens, et ad patrum Abrahæ, Isaac, Jacob, etc., merita exemplaque attendens, per lustrales cæremonias, sacrificiaque animalium, et judicia illa umbratilia, se justificare, Deumque promereri contendebat. At ibi eum non inveniens adiit vigiles civitates, scilicet scribas et pharisæos, ab iisque eum perquisivit; sed nullum ab eis conveniens responsum tulit. Postquam ergo vanis eorum traditionibus contemptis, et falsa doctrina repudiata ad novam e cœlo cum Christo venientem Evangelicæ gratiæ doctrinam aures animumque transtulit, invenit tandem Synagoga quem tantopere quæsierat et tot sæculis exspectaverat, suum dilectum verum mundi Salvatorem, patribus ab initio repromissum, et variis cæremoniarum ænigmatibus præsignatum : quem usque tunc ipsa, licet occulte, quæsierat per typica sua sacrificia et cæremoniales observantias, quæ omnia ad Christum mundi Salvatorem quasi ad finem universæ legis respiciebant, juxta quod Apostolus ait, Christum finem esse legis « ad justitiam omni credenti, » *Rom.* x, 4.

Verum, quia Canticum hoc est epithalamium, non Synagogæ et Moysis, nec status legis naturæ et Dei, sed Christi et Ecclesiæ, uti docent S. Hieronymus, Cassiodorus, Beda, Origenes, Theodoretus et cæteri passim; hinc de Christo et Ecclesia hæc exponenda sunt. Jam, quia, ut dixi in *Proœmio* in Cantico, ortus, progressus et perfectio Ecclesiæ describitur, ortus autem sive infantia Ecclesiæ descripta sit a cap. I, vers. 1, usque ad cap. II, vers. 8; inde autem usque ad cap. III, vers. 6, describatur Ecclesiæ progressus, sive adolescentia; sequitur pariter hæc, quæ cap. III, vers. 1 et seq. usque ad vers. 6 continentur, ad ejusdem adolescentiam referenda esse, hic eam terminari.

Infantia Ecclesiæ ab ortu Christi usque ad Pentecosten. Inde vero incipi ejus adolescentia.

Infantia autem Ecclesiæ fuit ab ortu Christi usque ad ejus ascensum in cœlum et missionem Spiritus Sancti, quæ continet gesta Christi a nativitate usque ad mortem, resurrectionem, ascensionem et Pentecosten : inde vero incipit adolescentia et propagatio Ecclesiæ, quam prædicando fecerunt apostoli. Quare infantia Ecclesiæ describitur in Evangeliis, adolescentia autem in Actis apostolorum.

Lectulus ergo hic sponsæ, sive Ecclesiæ primitivæ, fuit quies ejusdem, qua post ascensum Christi in cœlum, quievit cum B. Virgine et apostolis in Sion usque ad Pentecosten et adventum Spiritus Sancti, ac post eum quievit in Sion et Judæa per plures annos, quibus solis Judæis prædicarunt apostoli (Baronius numerat annos decem, ego vero quatuor duntaxat, uti ostendi, *Actor.* XII, 1); imo putabat se ibi perpetuo quieturam cum suo sponso Christo; sed ibi Christum non invenit, quia pauci e Judæis fidem amplexi sunt, cæteri cum scribis et pontificibus Christum et Ecclesiam spreverunt, imo persecuti sunt. Quocirca Ecclesia, puta S. Petrus et apostoli edocti a Christo, susceperunt laboriosum iter et onus evangelizandi per omnes gentes, ibique Christum invenerunt in fide, religione et obedientia omnium gentium, ut patet ex Actis apostolorum, et ex Historia ecclesiastica. Concatenatio ergo Cantici, ejusque expositio petenda est ex successu Christi et Ecclesiæ, qui in Evangeliis, Actis et Historia ecclesiastica describitur.

Sensus et constructio hujus loci.

Sensus ergo est, *q. d.* Ego Ecclesia suaviter quiescens in Sion et Judæa, ibique vacans orationi, verbo Dei, et frequenti communioni, sanctitati omnique virtuti et perfectioni christianæ, ut patet, *Actor.* I,13 et sequent., ibi quæsivi Christum, sed non inveni, quia plerique Judæorum inhærentes legi mosaicæ Christi fidem respuerunt: Christus autem residet et invenitur in Ecclesia, ac in multitudine et universitate credentium totius mundi. Novit enim sponsa Christum per fidem habitare in cordibus fidelium, ut notat S. Bernardus. Dixi itaque : «Surgam, et circuibo civitatem» Jerusalem, relinquamque Judæam illi subjectam; per « vicos et plateas, » evangelizando « quæram quem diligit anima mea, » Christum scilicet, Christique fidem et cultum : « quæsivi illum, et non inveni, » quia Judæi Christo et evangelio restite-

runt. « Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem, » scilicet pontifices, principes sacerdotum, scribæ, Herodes Agrippa, et cæteri Judææ præsides; interrogavi illos : « Num quem diligit anima mea vidistis? » Agnoscitisne Messiam patribus vestris promissum? Creditisne in Jesum Christum crucifixum? At illi obticuerunt, ac suo silentio se nescire Christum testati sunt. Quocirca « paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, » cum scilicet post persecutionem pontificum, ac necem S. Stephani, scilicet anno secundo a passione Christi, Christus S. Paulum convertit, ac doctorem gentium auctoravit dicens : « Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus,» *Actor.* IX, 15. Et cum, *Act.* X, 11, S. Petro vas e cœlo missum ostendit, non solos Judæos, sed et Gentes vocandas esse ad Christum et Ecclesiam, ideoque jussit S. Petro ut Cornelium centurionem, quasi primitias Gentium converteret, et Christo adjungeret. Unde paulo post, scilicet anno Christi 37, qui fuit quartus ab ejus passione et resurrectione, apostoli, divisis inter se gentium provinciis, quisque ad suam profectus, eamdem pariter convertit et Christo adjunxit. Ibi ergo in fide gentium apostoli invenerunt Christum, quasi in Ecclesia universali residentem et dominantem. Tunc ergo dixit Ecclesia : « Tenui eum, nec dimittam; » quia fundabo ubique gentium ecclesias, itaque sacerdotibus, episcopis, sacramentis, doctoribus, prædicatoribus, miraculis, etc., eas in fide Christi stabiliam, ut illi nunquam illam abjiciant, sed vel simul, vel alternatim et successive arcte eam retineant, ita ut semper magna pars orbis Christum colat et adoret : « Donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ,» hoc est Synagogæ. Synagoga enim vetus Judæorum fuit mater, et genitrix Ecclesiæ christianorum. Primi enim christiani, puta apostoli, fuere oriundi a Judæis. Sensus ergo est, *q. d.* Transferam Christum Christique fidem et cultum a Judæis ad gentes, ibique illum firmabo et stabiliam, donec in fine mundi per Eliam et Enoch convertam Judæos : sic enim Christum, Christique fidem « introducam in domum matris meæ, » id est in Synagogam Judæorum, ut omnis Israel salvus fiat, atque ex Judæis et gentibus fiat unum ovile et unus pastor. Hoc est, quod ait Apostolus : « Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Jacob, » id est a Judæis ex Jacob prognatis, *Rom.* XI, 25. Ita S. Gregorius : « In domum matris, inquit, dilectum introducet, quando in fine mundi Ecclesia per prædicationem, in plebem judaicam, christiana sacramenta immittet; in cubiculum autem, quasi in secretiorem partem domus eum introducet, quia ex eadem plebe ita plurimos convertet, ut omnes mundi sarcinas abjiciant, et in intimis cogitationibus soli Deo cere concupiscant. Hujuscemodi homines cubiculum facient sponso : quia dum a se omnes sordes cupiditatis abjicient, quasi secretum locum in mente, in quo delectetur, component : » sic et Cassiodorus, Beda, Aponius, Philo Carpathius, Justus Orgelitanus, S. Anselmus, Rupertus, S. Bernardus et cæteri passim, qui eodem modo, quo S. Gregorius versum quartum : « Donec introducam, » etc., exponunt. Unde colligas præcedentes quoque tres versus eodem modo, quo exposui, esse exponendos. Hoc enim exigit ipsa historiæ acoluthia et connexio.

Synagoga mater Ecclesiæ christianæ.

Nota, quod ait sponsa, se sponsum Christum quæsiisse per *noctes*, intellige per *tenebras*, cum scilicet Jerusalem et Judæam, totumque orbem occuparent tenebræ infidelitatis et ignorantiæ Dei, Christi et salutis. Audi S. Bernardum, *serm.* 75 : « Habet mundus iste noctes suas et non paucas. Quid dico, quia noctes habet mundus, cum pene totus ipse sit nox, et totus semper versetur in tenebris? Nox est Judaica perfidia, nox ignorantia Paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam Catholicorum carnalis animalisve conversatio? Annon nox, ubi non præcipiuntur ea quæ sunt spiritus Dei? Sed et apud hæreticos vel schismaticos : quot sectæ, tot noctes. Frustra per has noctes justitiæ solem et lumen quæritis veritatis, id est sponsum, quia nulla societas luci ad tenebras. »

Variæ noctes et pessimæ.

Mystice, lectulus Christi fuit uterus B. Virginis, item præsepium, ac sepulcrum, ubi S. Magdalena et sociæ, æque ac SS. Petrus et Joannes quæsierunt Christum et non invenerunt, quia jam X eo resurrexerat. Audi S. Bernardum, *serm.* 75 : « Annon lectulus tumulus? annon lectulus præsepium? annon lectulus uterus virginis? etc. Merito proinde sponsa ponens lectulum, dicit *suum* : quia omne quod infirmum est Dei, non de proprio inesse illi manifestum est, sed de nostro. Ex nobis assumpsit quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri. Mea est mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea exspiratio crucifixi, mea sepulti dormitio. Quæ priora transierunt, et ecce nova sunt omnia. In lectulo meo quæsivi per noctes quem diligit anima mea. Quid? In tuo quærebas, qui se jam in sua receperat. Num videras Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Jam cœlum tumulo commutavit, et stabulo, et tu illum in tuo adhuc lectulo quæris? Surrexit, non est hic. Quid quæris in lectulo fortem, in lectulo magnum, clarificatum in stabulo? Introivit in potentias Domini, decorem induit et fortitudinem; et ecce sedet super cherubim, qui sub lapide jacuit. » Et pluribus interjectis, sub finem sermonis urgens τὸ *surgam et circuibo* : « Quidni, inquit, surgeret, cognito de resurrectione dilecti? Cæterum, o beata, si consurrexisti cum Christo, quæ sursum sunt sapias oportet; neque deorsum, sed sursum quæras Christum necesse sedet in dextera Patris. »

Mystice, lectulus Christi, quis?

S. Bernardus : « Ecclesia, inquit,

Symboli-

Ecclesia dicatur civitas?

dicitur civitas propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oves propter mansuetudinem. » Unde concludit, hocque dat monitum pastoribus Ecclesiæ : « Propterea attendite vobis quicumque opus ministerii hujus sortiti estis; attendite, inquam, vobis et pretioso deposito, quod vobis creditum est. CIVITAS est, vigilate ad custodiam concordiamque. SPONSA est, studete ornatui : OVES sunt, intendite pastui. Et hæc tria ad illam Domini trinam sciscitationem, forte non incongrue pertinere dicentur : Petre, amas me? pasce oves meas, » *Joan.* XXI, 17.

SECUNDUS SENSUS
PARTIALIS,
De Christo et anima sancta.

Qualis animæ peccatricis lectulus.

Primo, anima peccatrix quærit Deum, id est summum suum bonum et felicitatem in *lectulo*, id est in voluptatibus carnis per noctes ignorantiæ et tenebrarum peccati : lectulus enim avari est aurum; superbi, honor; gulosi, deliciæ; acedi, ignavia, juxta illud, *Proverb.* XXVI, 14 : « Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. » Hi quærunt eum in nocte, quæ causatur ex objectu terræ, id est terrenarum cupiditatum, quas ambiunt, quæque se inter ipsos et Deum interjiciunt, et obices objiciunt, ut ejus lucem haurire nequeant. Quare hi Deum non inveniunt, tum quia in tenebris quærunt, tum quia ibi non est locus et quies Dei : ita Cassiodorus, Philo Carpathius, Beda et alii. Quare anima peccatrix, sed pœnitens cum S. Magdalena (cujus actio hic ad vivum depingitur, unde et hæc loco Epistolæ legit Ecclesia in *Festo S. Magdalenæ*) ex hoc lecto voluptatis et concupiscentiæ surgit, ac circuit vicos et plateas sollicite quærens Christum, quem tandem invenit in domo Simonis, id est obedientiæ, recumbentem in lectulo tempore prandii, ut convivas et hospites pascat divinis suis eloquiis. Ibi ergo a tergo Magdalena lacrymis suis lavans, capillis tergens, ore osculans, manibus ungens pedes Christi, veniam, gratiam et salutem a Christo accepit.

Anima pia quærit Christum. Primo.

Simili modo anima sancta quærit Christum in lectulo suo : *primo*, cum quærit eum in sua commoditate; sed ibi non invenit, quia Christus non invenitur nisi in cruce, ut aiebat S. Martinus. Ita Cassiodorus : « Exsurgam, inquit, de strato corporis et carnalis delectationis, et circuibo civitatem hujus mundi, maria ac terras peragrando : per vicos et plateas quæram, etc., id est, per lata itinera gradientes hujus sæculi, et suis voluptatibus deditos aspiciam, si forte in illis dilecti mei vestigia inveniam. »

Secundo.

Secundo, cum quærit eum in propria voluntate; sed ibi non invenit, quia Christus non venit facere voluntatem suam, sed Patris; unde in horto instante passione oravit : « Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat, » *Luc.* XXII, 42. Exuat ergo propriam voluntatem, et divinam induat, sive a Deo, sive a superiore, qui Dei est vicarius et interpres, ipsi indicatam, qui Deum Deique gratiam invenire cupit.

Tertio.

Tertio, cum quærit eum in curiositate, curiose circumeundo et lustrando omnes hominum sectas, artes, status, studia et exercitia : sed ibi non invenit, quia iste circuitus facit hominem vagum, instabilem et erronem. Unde S. Justinus philosophus, *Dialog. contra Tryph.*, narrat se obivisse omnes philosophorum scholas, puta Platonis, Aristotelis, Democriti, Epicuri, Stoicorum, etc., et nusquam invenisse sapientiam, sed monitum a viro gravi, qui ex improviso sibi apparuit, ut legeret prophetas; eos lectitando, reperiisse quod quærebat : unde conversus ad Christum, et doctor et martyr gloriosus evasit. Sic hodie, qui mutant status, officia et exercitia pietatis et virtutis, nunc unum, nunc aliud experiendo, nihil proficiunt, sed vagando tempus consumunt. Nihil enim profectui ita contrarium, ac crebra mutatio exercitiorum, uti docent Cassianus, Climachus, Dorotheus cæterique rerum spiritualium magistri.

S. Justinus ubi invenit sapientiam, quam quærebat.

Crebra exercitiorum mutatio profectui valde contraria.

Quarto.

Quarto, qui eum quærit in sua pace, otio et tranquillitate, cum Deus ipsum vocet ad bellum, ad negotium, ad labores pro salute animarum obeundos, in ea Deum non invenit; quia Deus cuique sua luce et gratia in eo statu, ad quem eum vocat, non in alio : unde quos vocat ad sortem Magdalenæ, iis apparet in solitudine et contemplatione; quos vocat ad sortem Marthæ, iis apparet in actione, cuique in ea quæ illi propria est et peculiaris, ad quam eum destinat. Hinc Theodoretus docet Deum non inveniri in lectulo prosperitatis, cum Deus adversa nobis immittat, ut iis nostram patientiam et virtutem exerceat et adaugeat. Audi S. Ambrosium, lib. *De Isaac*, cap. V : « Multi sunt, qui in otio quærunt Christum, et non inveniunt, et quærunt eum in persecutionibus et cito inveniunt, et ideo quasi post tentationes, quia in periculis suorum fidelium adest. Quam modicum, inquit, cum transivi ab eis, et inveni eum ! »

Plenius pertractat idem S. Ambrosius, lib. III *De Virginibus* : « Si vis, inquit, et tu tenere Christum, quære jugiter nec pœnam metuens : inter supplicia enim frequenter corporis, inter ipsas persecutorum manus Christus melius invenitur. Quam modicum, inquit, fuit, cum transivi ab ipsis, donec inveni eum. Exiguo enim spatio brevique momento cum persecutorum manus evaseris, nec succubueris potestatibus mundi, tibi Christus occurrit, nec te diu tentari patitur. »

Quinto.

Quinto, Deus animæ sanctæ et ferventi subinde suam præsentiam, ac gratiam illuminantem et consolationem subtrahit, ut ejus desiderium acuat et fervorem magis accendat. Ita S. Gregorius, V *Moral.* cap. IV : « Abscondit, ait, se sponsus, cum quæritur, ut non inventus ardentius quæratur;

et differtur quærens sponsa ne inveniat, ut tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inveniat quod quærebat. » Nam, ut ait S. Bernardus, *serm.* 84 : « Magnum bonum quærere Deum, ego hoc nulli in bonis animæ secundum existimo : primum in donis, ultimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla præcedit? Cui cedat, quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi possit non quærenti Deum, aut quis terminus quærendi Deum? Quærite, ait, faciem ejus semper, *Psalm.* CIV, 4. Existimo, quia nec, cum inventus fuerit, cessabitur a quærendo. Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus. Et utique non extundit desiderium sanctum felix inventio, sed extendit. » Idem ibidem docet animam non posse quærere Deum, nisi ejus gratia sit præventa : « quoniam Deus prior dilexit nos, » I *Joan.* IV, 10. « Minime prorsus, ait, nisi dilecta prius. » Unde S. Augustinus *in Psalm.* LXIX : « Quære, ait, eum qui prior quæsivit te, et reportavit in humeris suis, » quasi ovem errantem et perditam.

Rursum S. Gregorius, homil. 25 *in Evangel.* : « Dilectum, inquit, *in lecto* quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie Redemptoris nostri desiderio suspiramus. *Per noctem* quærimus : quia etsi jam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui dilectum suum non invenit, restat ut surgat, et civitatem circumeat, id est sanctam electorum Ecclesiam mente et inquisitione percurrat : per vicos eum et plateas quærat, id est per angusta et lata gradientes aspiciat, ut si qua in eis valeat invenire ejus vestigia, exquirat : quia sunt nonnulli etiam vitæ sæcularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inveniunt, qui custodiunt civitatem : quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos doceant. Quos cum paululum pertransimus, invenimus quem diligimus; quia Redemptor noster etsi humilitate homo inter homines, divinitate tamen super homines fuit. Cum ergo transeuntur vigiles, dilectus invenitur; quia cum prophetas et apostolos infra ipsum esse conspicimus, illum qui naturæ Deus est, esse supra homines consideramus. » Causam deinde cur Christus quæri velit, subjicit : « Prius ergo non inveniendus quæritur, ut post inventus strictius teneatur. Sancta enim desideria, ut prædiximus, dilatione crescunt. Si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Hoc amore arsit quisquis ad veritatem pertingere potuit. Hinc namque David ait : Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » *Ps.* XLI, 3.

Anima quærit Deum septem de causis.

Porro S. Bernardus, qui in hæc verba decem sermones conscripsit, imo in iis sermones suos in Cantica concludit et terminat, docet *primo*, animam quærere Deum septem de causis; sic enim ait, *serm.* 85 : « Quærit anima Verbum, cui consentiat ad correptionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fecunditatem, quo fruatur ad jucunditatem. » *Secundo*, *serm.* 86, docet animam quærere debere Deum verecunde, caute et secrete, puta in arcano lectuli et noctis. Cum enim « nocturnus sopor inducit silentium, tunc plane liberior erit puriorque oratio. » Addit S. Bernardus quæri Deum in lectulo infirmitatis, ut eam sanet in noctibus, juxta illud : « Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus, » *Psalm.* XL, 4. Et in nocte ignorantiæ, ut eam luce sua dispellat : « Et si placet sentire, inquit, lectuli quidem nomine humanam figurari infirmitatem, nocturnis autem tenebris ignorantiam æque humanam, consequens est et congruum satis ut Dei virtus, et Dei sapientia Verbum contra utrumque originale malum instantius requiratur. Nempe quid convenientius, quam ut infirmitati virtus; ignorantiæ sapientia opponatur. » Rursum S. Ambrosius, serm. 7 *in Psalm.* CXVIII : « Quæsivit, inquit, in noctibus, id est in persecutionibus et adversis. Nox enim est omnibus quibus non est perfecta securitas. »

Anima quærens Deum, jam eum aliquo modo habet.

Denique anima quærens Deum jam aliquo modo eum invenit, imo et habet et tenet : non enim quæreret, nisi eum cognosceret, desideraret et amaret. Invenit ergo eum per fidem et spem : quærit, ut possideat per charitatem; invenit per desiderium absentem, ut præsentem teneat per gaudium : invenit et tenet per patientiam, ut possideat per consolationem : tenet per pii affectus inchoationem, ut possideat et teneat per ejus profectum et perfectionem : tenet per amorem, quærit, ut possideat per fervorem. Unde S. Bernardus, tract. *De diligendo Deo* : « Bonus es, Domine, inquit, quærenti te; quid ergo invenienti? Sed enim hoc est mirum, quod nemo te quærere valet, nisi qui prius invenerit : vis igitur inveniri ut quæraris; quæri, ut inveniaris. » Igitur Deus quæritur per fidei, spei, pœnitentiæ, patientiæ, cæterarumque virtutum inchoationem; invenitur per earumdem virtutum incrementa, præsertim amoris et charitatis, uti docet Richardus de S. Victore, juxta illud : « Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion, » *Psalm.* LXXXIII, 8. S. Augustinus *in Psalm.* CIV, ad illa : « Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper. Deus, ait, est sine fine quærendus, quia sine fine amandus. » Et paulo ante : « Sed si semper quæritur, quando invenitur? An semper dixit in tota vita ista, qua hic vivitur, ex quo nos id facere debere cognovimus, quando et inventus quærendus est? Jam quippe illum invenit fides, sed adhuc eum quærit spes : charitas autem et invenit eum per fidem, et eum quærit habere per speciem : ubi tunc sic invenietur ut sufficiat nobis, et ulterius non quæratur. »

Quomodo Deus quæratur et inveniatur.

Symbolice. Deus in triplici creatura invenitur.

Symbolice, Richardus de S. Victore hic docet Deum inveniri in triplici creatura, velut in triplici Dei similitudine : *primo,* animalibus, cœlis, elementis, mixtis; *secundo,* in homine; *tertio,* in angelo, qui est signaculum similitudinis, et in quo ab initio signata perseverat similitudo Dei. Ipse ergo est speculum Dei : « Mundi enim sunt (angeli), inquit, sicut est sanctus Dominus Deus eorum, atque adeo de illis mundis transisse ipsam animam ad munditiæ auctorem, et de contemplationibus ad contemplandum, et statim invenisse : quoniam ii adeo vicini sunt, ut nil sit medium, et post hos non sit invenire, nisi illum; invento dilecto, et angelis congratulando, et consecutum per eos beneficium commemorando, dicit : Paululum cum pertransissem, eos inveni, etc., id est illico ut hos pertransivi dilectum inveni; hos pertransivi ut venirem, et per hos transivi, ut invenirem : horum enim occursu et auxilio obtinui quod concupivi, qui et meum provocaverunt et accenderunt desiderium, et dilecti obtinuerunt occursum. »

Cura implicat, quies explicat.

Symbolice rursum Gilbertus abbas, successor S. Bernardi, in explicatione Cantici, serm. 1, ait apte Christum quæri in lectulo otii et tranquillitatis mentis, ac in nocte oblivionis curarum et rerum temporalium : « Bene collocaris, inquit, in lectulo, si otio quodam ab occupationibus mens tua libere feriatur. Libertate et otio quid accommodatius ad usum amoris? Et libertas illecebram parit : in otio expeditur affectus, et non parum impenditur illi. » Et post pauca : « E contra insensibilem pene reddit affectum frequens cura mundi, et quasi callum quemdam menti obducit. Animum cura implicat, quies explicat. Explicita desideria in quæ putas incrementa se dilatant? Vides quanta bona contineantur in lectulo? quies, libertas, illecebra. In lectulo enim quietis et vacuitatis vota magis inardescunt. Locus accommodatus oblectamento charitatis, sponsam ad quærendum urget ardentius. Illic enim ægrius caret dilecto, ubi poterat uberius frui. In lectulo, inquit, meo, et per noctes. » Et pluribus interjectis : « Bona ergo nox, quæ prudenti oblivione dissimulat omnia temporalia ad illum qui æternus est quærendum; tempus expediens et explicans occasiones; quæ mundi concupiscentiam abscondit, curam, cogitatum : hoc est enim mundum habere absconditum, vel mundo abscondi. Sic etiam abscondi poterimus in absconditio faciei tuæ, Domine.»

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus sic B. Virginem loquentem inducit : « Jam ex quo baptizatus est (Christus) a Joanne, fieri cœperat in lectulo, sive in cubiculo meo, in illo habitationis meæ secreto, ut non invenirem eum. Nam statim ductus est in desertum a Spiritu, et deinde regressus. Evangelium meis præposuit affectibus, ita ut diceret : Quid mihi et tibi est, mulier? Sed et alios docuit, ut similiter facerent, ut scilicet patrem et matrem propter Evangelium relinquerent. Ita desiderio quærebam, et non inveniebam eum, ut solitaria possiderem solitarium. Dixi ergo : Surgam, et circuibo civitatem per vicos et plateas; quæram quem diligit anima mea. Dixi et feci sic : cum enim circuiret per civitates et castella, prædicans Evangelium regni Dei, ego sequebar et quærebam eum. Quæsivi illum, et non inveni. Ille enim tanto intentus negotio, me matrem suam agnoscere quodam modo dissimulavit. » Et post nonnulla, quæ in hanc rem interjicit : « Posthæc juxta crucem ejus steti. Sed numquid hoc mihi fuit invenisse dilectum? imo fuit mihi invenisse gladium, qui et pertransivit animam meam. Sepultus est, clausum et signatum fuit monumentum; et ego quali mente quærebam eum? quali desiderio desiderabam eum, sciens eum esse a mortuis resurrecturum? Inde non inveni illum. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem? Qui vigiles, vel, quam custodientes civitatem? Discipuli ejus qui ad hoc erant dispositi, ut custodirent, imo ut ædificarent civitatem veram Hierusalem. Et ego inquam : Num quem dilexit anima mea vidistis? etc. Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, et non quomodocumque, sed in cœlum vidi ascendentem, et apostolos, misso de cœlis Spiritu Sancto, vidi prædicantes gloriam Domini. » Nunc singula ad incudem revocemus, et penitius secreta nonnulla quæ latent, per singulos versus indagemus.

VERS. 2. SURGAM, ET CIRCUIBO CIVITATEM : PER VICOS ET PLATEAS QUÆRAM QUEM DILIGIT ANIMA MEA : QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI.

Pro *vicos* hebraice est שוקים *skeuakim* plurale, cujus singulare est שוק *schok,* id est *tibia,* sive *pes,* qui a coxendice excurrit ad talos, indeque per metaphoram *vicus,* sive *angiportus,* qui a platea aliorsum excurrit, sicut tibia excurrit ex corpore. Unde Septuaginta vertunt, ἐν ἀγοραῖς, id est *in foris.* S. Ambrosius, III *De Virg.,* legit *in foro* : ἀγορὰ enim est forum, ubi res venales palam omnibus exponuntur, sive ubi fieri solet hominum conventus. Porro in urbe multa sunt fora : scilicet boarium, ubi boves vendentur; olitorium, ubi olera; suarium, ubi sues; frumentarium, ubi frumenta; vinarium, ubi vina, etc. Significat ergo sponsa se quæsisse sponsum in vineis et foris, ubi solet esse hominum turba : at in turba non invenitur sponsus, qui amat secretum et solitudinem, vel certe fidem et ordinem, qualis est in Ecclesia fidelium. Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virg.* : « Non est Christus circumforaneus : Christus enim pax est, in foro lites; Christus justitia est, in foro iniquitas; Christus fides est, in foro fraus atque perfidia; Christus operator est, in foro inane

Sponsus non invenitur in foro.

Denique forum subinde est *furum.*

otium; Christus charitas est, in foro obtrectatio. Denique forum subinde est *furum;* Christus in Ecclesia est, in foro idola. In Ecclesia vidua justificatur, in foro circumvenitur; fugiamus ergo forum, fugiamus plateas. Non enim injuria tantummodo est non invenire quem quæras, sed etiam plerumque ubi non oportet quæsisse, vulnus est : quæsisse in domibus virorum, qui sibi falso doctorum nomen assumunt, quæsisse procacius quam verecundius. » Circuit tamen sponsa, quia « domi consistere eam non sinebat amoris flamma, » ait Theodoretus. Ad litteram, ut dixi, loquitur de apostolis circumeuntibus vicos et plateas Jerusalem, evangelizando, ut Judæos ad Christum converterent : verum in iis non Christum, sed Mosen; non spiritum, sed carnem; non veritatem, sed umbram invenerunt. Unde Chaldæus more suo judaizans ita vertit : « Dixerunt filii Israel ad invicem : Surgamus, et eamus, circumdemus tabernaculum fœderis, quod extendit Moses extra castra, et quæramus doctrinam a facie Domini, et majestatem sanctam, quæ sublata est a nobis; et circuiverunt per civitates et plateas, et per vicos, et non invenerunt eam. »

Mystice, plateæ et vici, quid?

Mystice, per *vicos* et *plateas* Theodoretus et Aponius accipiunt SS. Scripturas; S. Gregorius vero, Beda et Anselmus exempla sanctorum, qui vel arctiorem (quam notant vici) vel laxiorem (quam notant plateæ) vivendi rationem secuti sunt.

Anagogice.

Anagocice, Nyssenus accipit ordines et status angelorum et sanctorum in cœlesti Jerusalem. Unde S. Bernardus, *serm.* 76, censet sponsam hic quærere Christum in vicis et plateis ubi paulo ante prædicaverat, et sanaverat infirmos; sed non invenit, quia Christus a morte resurgens a terrena Jerusalem ascenderat ad cœlestem.

Tropologice.

Tropologice, tres Anonymi apud Theodoretum : *Civitas* aiunt, est anima pia quæ in seipsa quærit sponsum per *fora* actionis, et per *plateas* contemplationis alternatim obambulando, et ab una in aliam vicissim circumeundo : ita Anonymi. Philo vero Carpathius : « Per *fora* et *plateas,* hoc est, inquit, a præteritis vitæ meæ actionibus surgam, a malorum consuetudine discedam, discutiam conscientiam meam, et diligenter examinabo per circuitum actiones vitæ meæ; recogitabo annos vitæ transactæ, studiose quæram in civitate, hoc est in Ecclesia, in Scripturis sanctis, in sanctorum vitis et exemplis, quomodo ad Deum recte ambulare debeam, et quomodo hucusque vixerim et ambularim : per latas enim et apertas peccatorum vias incessi, communes mores et consuetudines aliorum imitata sum : ob idque per *fora* et per *plateas* dicit se disquisituram secundum illud : Cogitavi vias meas : et converti pedes meos in testimonia tua, *Psalm.* CXVIII, 59. In foris enim et plateis exponuntur, venduntur, tractantur omnia corporis voluptati solummodo idonea et grata, quibus animæ christianorum miserabiliter captantur et occiduntur. Ab iis se quoque vexatam profitetur, et ab iis se prohibitam ne quærendo Dominum inveniret : arcta est enim via, et angusta porta, quæ ducit ad vitam, » *Matth.* VII, 14.

Symbolice, *circuit* anima *civitatem,* cum cogitatione circuit mundum, contemplans cœlum, terram, et omnia quæ in eis sunt, ut philosophi fecerunt; sed non invenerunt Deum, tum quia cum Deum ex eis per umbram cognovissent, eum tamen ut Deum non glorificaverunt; tum quia luce fidei destituti in multos errores inciderunt, ac circumeundo in suam ignorantiam relapsi sunt, atque creaturæ potius quam Creatori servierunt, indulgendo suis voluptatibus, ambitioni et honoribus, uti docet Apostolus, *Rom.* I, 25 : unde in circuitu contemplationis et experientiæ omnium mundi bonorum, magnam se vanitatem et afflictionem expertum esse docet Salomon, *Eccle.* II, 3 et sequent. Quocirca sapienter S. Augustinus *in Psal.* XXXIII, vers. 5, ad illa : « Exquisivi Dominum, et exaudivit me, inquit : Noli aliud a Domino extra illum quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te, et adhuc te loquente dicet : Ecce adsum. Quid est : Ecce adsum, ecce præsens sum, quid vis? quid a me quæris? Quidquid tibi dedero, vilius est quam ego, meipsum habe, me fruere, me amplectere, nondum potes totum, ex fide contige me, et inhærebis mihi. Hoc tibi Deus dicit : Cætera onera tua ego a te depcnam, ut totus mihi inhæreas, cum hoc mortale tuum ad immortalitatem convertero, ut sis æqualis angelis meis, et semper videas faciem meam, et gaudeas; et gaudium tuum nemo auferet a te, quia inquisisti Dominum et exaudivit te, et ex omnibus tribulationibus eruit te. »

Moraliter, nota hic amorem sponsæ parere in ea ardorem quærendi sponsum; unde licet eum non invenerit in lectulo, nec in vicis et plateis, nec apud vigiles; tandem tamen his omnibus peractis eum reperit. Quare Richardus de S. Victore docet sponsam, hoc suo sollicito circuitu, multum profecisse in amore et ardore quærendi : hic enim repulsam tertio passus magis accensus est, sicut ignis in stipula ventis adversis agitatus magis exardescit : « Frustratio enim rei amatæ, flagellum amoris est amanti. » Unde S. Bernardus, serm. *De triplici cohærentia vinculorum* : « Lætetur, inquit, cor quærentium Dominum; si gaudetis ad labores, si indefesso pede curritis viam mandatorum, si quotidie utriusque status recentior est ad proficiendum et perficiendum, quam ad incipiendum profecto quæritis faciem ejus semper. »

VERS. 3. INVENERUNT ME VIGILES, QUI CUSTODIUNT CIVITATEM (*quos interrogavi, dicens*) : NUM QUEM DILIGIT ANIMA MEA, VIDISTIS?

Hebræa, *invenerunt me custodes* (excubitores) *qui circumeunt in civitate* : sic et Septuaginta, Aquila et Symmachus. S. Bernardus, *serm.* 79, notat vehementiam amoris in sponsa confundere verba :

« O amor præceps, inquit, vehemens, flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus. Confundis ordines, dissimulas usum, modum ignoras; totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii judicii ve videtur, triumphas in temetipso, et redigis in captivitatem. En omne quod cogitat ista, et quod loquitur, te sonat, te redolet, et aliud nihil : ita tibi ipsius et cor vindicasti et linguam. Ait : Num quem diligit anima mea, vidistis? Quasi vero hi sciant quid cogitet ipsa. Quem diligit anima tua, de ipso sciscitaris? Et non habet nomen? Quænam vero tu, et ille quis? » Unde subjicit : « Amor ubique loquitur; et si quis horum, quæ leguntur, cupit adipisci notitiam, amet, etc. Quomodo enim græce loquentem non intelligit, qui græcum non novit, nec latine loquentem, qui latinus non est, et ita de cæteris : sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit, eritque sicut æs sonans aut cymbalum tinniens. »

Vigiles qui? Resp. Primo. pontifices et principes hierosolymitani.

Quæres, qui sint hi *vigiles*, sive custodes civitatis. Respondeo *primo*, ad litteram proprie et genuine, sunt legisperiti, pontifices et principes Hierosolymæ : horum enim erat officium populo indicare Messiam, sive Christum advenientem. Hos ergo jure suo interrogarunt apostoli et fideles de Christo, quando eis Christi doctrinam, vitam et miracula prædicando exposuerunt, ut iis convicti responderent ipsum esse verum Messiam a prophetis prædictum, et patribus promissum. Verum ipsi Messiam exspectabant regem splendidum et gloriosum, quasi alterum Salomonem : quare cum viderunt Christum humilem, pauperem et crucifixum, eum despexerunt, nec crediderunt ipsum esse Messiam. Vide dicta vers. 1.

Tropologice, *vigiles*, id est custodes Ecclesiæ et animæ fidelis, *primo* sunt angeli, qui sponsum scilicet Deum clare cognoscunt, imo vident facie ad faciem, ejusque notitiam et amorem hominibus instillant; unde viri pii eos sæpe invocant, et de dubiis modoque Deum inveniendi, eique placendi consulunt : ita Theodoretus et tres Anonymi apud ipsum, Nyssenus, *homil.* 6, S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. v; S. Bernardus, Psellus et alii.

Secundo, apostoli, prælati, pastores.

Secundo, vigiles sunt apostoli, pastores et prælati, qui sollicite invigilant gregi, id est fidelibus suæ curæ commissis; hi ergo pastorum suorum indicio et ductu inveniunt sponsum : ita S. Gregorius, Theodoretus, Cassiodorus, Beda, Philo et S. Anselmus, qui ait : « Invenerunt, » id est me quærentem invenerunt, meam affectionem cognoverunt sancti pastores, qui custodiunt Ecclesiam. Cum dixit se prius inventam, quam invenisse, notat nobis vigilantiam et diligentiam, quam debent habere pastores in Ecclesia, scilicet ut ex quo movetur aliquis compunctione, parati sint ut eum commoneant, et ad notitiam Dei pertrahant. Verba S. Gregorii citavi vers. 1. Nunc audi S. Bernardum, *serm.* 76 : « Quam boni *vigiles*, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris! Quam boni custodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur! Hi sunt fratrum amatores et populi christiani, qui multum orant pro populo et universa sancta civitate, II *Mach.* xv, 14. Hi sunt qui multum solliciti pro sibi commissis dominicis ovibus, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illos, et in conspectu Altissimi deprecantur, *Eccli.* xxxix, 6. »

Sine duce viam vitæ ingredi periculosum.

Quocirca idem S. Bernardus, *serm.* 77, ex hoc sponsæ exemplo docet fideles in dubiis debere consulere suos superiores, iisque obedire; alioqui si sine eorum consilio suæ sapientiæ confidant, periculo lapsus se exponere : « Audiant hoc, inquit, qui sine duce et præceptore vias vitæ ingredi non formidant, ipsi sibi in arte spirituali exsistentes et discipuli pariter et magistri. Non sufficit hoc : etiam coacervant discipulos sibi, cæci duces cæcorum. Quam multi ex hoc tramite periculosissime aberrasse comperti sunt! Nimirum ignorantes astutias satanæ et cogitationes ipsius, factum est ut qui spiritu cœperant, carne consummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter. » Unde hoc monitum colligit : « Videant proinde qui ejusmodi sunt, quomodo caute ambulent, et de sponsa exemplum sumant, quæ non prius ad eum, quem desiderabat, ullo modo valuit pervenire, quam si occurrerent, quorum magisterio uteretur ad cognoscendum de dilecto, certe ad discendum timorem Domini. Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori. Et qui dimittit oves in pascua absque custode, pastor non est ovium, sed luporum. »

Vigiles, Moyses et Aaron.

Huc facit versio Chaldæi, qui judaizans per *vigiles* Synagogæ accipit Moysem et Aaronem : sic enim habet : « Dixit cœtus Israel : Invenerunt me Moyses et Aaron et levitæ observantes custodiam tabernaculi fœderis, qui circuibant per gyrum, et interrogavi eos de majestate gloriæ Domini, quæ sublata fuerat a me. Respondit Moyses scriba, princeps Israel, et eis ait : Ascendam ad cœlos excelsos et orabo coram Domino, si forte placabitur super peccata vestra, et habitare faciat majestatem suam inter vos sicut olim. »

Isaias et prophetæ.

Huc pertinet explicatio Aponii, qui per *vigiles* accipit Isaiam et prophetas : hi enim tam clare Christi incarnationem, passionem et resurrectionem prædicunt et prædicant, ut lector in iis et ex his facile Christum inveniat; et Philonis Carpathii qui per *vigiles* accipit justos, qui vigilanter legem et voluntatem Dei scrutantur et exsequuntur : horum enim exempla, consilia et monita nos ducunt ad Christum, puta ad sanctitatem et perfectionem.

Justi.

Tertio, et alii per *vigiles* accipiunt philosophos,

gentilium philosophi. quos gentiles de Deo et summo bono interrogabant; sed nil nisi incertum et vanum audiebant. Ita Justus Orgelitanus, qui Ecclesiam ita loquentem inducit : Disputaverunt contra me sæculi sapientes, idolorumque cultores, multa inaniter perscrutantes, pluresque libros irritos laboribus conficientes, quibus dixi : Cur incassum superfluo conatu vexamini : « Num quem diligit anima mea, vidistis? » Quandoquidem falso nomine sapientiæ gloriamini; stultam fecit Deus sapientiam vestram, quia Christum invenire illic non valuistis.

Quarto, hæretici. *Quarto,* alii per *vigiles* accipiunt hæreticos, qui pervigilant ut hæreses suas spargant; ac circumeunt urbes et regna, ut fideles seducant : hos cum pertransit fidelis, pergitque ad orthodoxos doctores, invenit Christum Christique fidem, et veram religionem : ita Gislerius.

Quinto. *Quinto,* Rupertus hæc attribuit B. Virgini quærenti Christum vel in Jerusalem perditum inventumque in templo, vel jam mortuum et sepultum : « Et ego quali mente, inquit, quærebam eum, quali desiderio desiderabam eum, sciens esse a mortuis resurrecturum! Inde non inveni illum. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Qui vigiles, vel quam custodientes civitatem? Discipuli ejus, quia ad hoc erant dispositi, ut custodirent, imo ut ædificarent civitatem veram Jerusalem; de qua, vel ad quam ipse Dilectus per Isaiam dicit, *Isai.* LXII, 6 : Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt laudare nomen Domini. Isti vigiles jam tunc vigilabant, quia lugentes et flentes somnum non capiebant : isti vigiles me invenerunt, et mulieres quæ tota nocte vigilantes venerunt ad monumentum, quæ et emerant aromata, ut venientes ungerent eum, invenerunt me bonum certatim afferendo nuntium, quod resurrexisset, et quod vidissent eum. Et ego inquam : Num quem dilexit anima mea, vidistis? Vidimus, aiunt, vidimus Dominum. Surrexit vere, et apparuit Simoni. »

VERS. 4. PAULULUM CUM PERTRANSISSEM EOS, INVENI QUEM DILIGIT ANIMA MEA.

Hebræa, *quasi modicum, cum transivi ab eis, quoadusque inveni quem diligit anima mea* : sic et Septuaginta. S. Ambrosius per interrogationem et admirationem legit, *quam modicum fuit, cum transii ab ipsis, donec inveni quem diligit anima mea! q. d.* Vehemens amor effecit ut omnis labor, omne iter, omne tempus, quod insumpsi ab interrogatione vigilium usque ad inventionem sponsi, mihi videretur modicum esse et exiguum; sicut de Jacob dicitur, *Genes.* XXIX, 20 : « Servivit Jacob pro Rachel septem annis : et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. »

Porro Chaldæus refert hæc ad fabricam tabernaculi mosaici : « Quasi paulului, inquit, et modicum facit, et reversus est Dominus ab ira furoris sui, et præcepit Dominus Moysi prophetæ, ut faceret tabernaculum fœderis, et arcam, et collocavit majestatem suam in medio ejus. » Sensus litteralis est, quem dedi vers. 1, scilicet Ecclesiam, id est S. Petrum, S. Paulum cæterosque apostolos, cum pertransissent pontifices, scribas et principes Jerusalem, utpote fidem Christi repellentes, ivisse ad gentes, ibique Christum invenisse in conversione omnium gentium, quæ audientes prædicationem evangelii, illico illud et in illo Christum amplexi sunt.

Tropologice, *primo,* anima a *vigilibus,* id est ab angelis erudita ascendit ad Creatorem : qui angeli Deo sunt proximi, ut si illos pertranseas, illico reperias Deum, uti docet S. Ambrosius, serm. 7 *in Psal.* CXVIII. Idem, lib. *De Isaac,* cap. V, docet angelos nonnulla ignorare, ideoque ab iis transeundum ad Deum, ut plene illuminemur : « Anima, inquit, quæ Deum quærit, etiam custodes transit : sunt enim mysteria, quæ etiam angeli concupiscunt videre. Unde et Petrus ait : Nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere, I *Petr.* I, 12. » Sic et Nyssenus hic, *hom.* 6, docet contemplanti transeundos esse angelos et creaturam universam, ut per fidem mentis aciem figat in uno summoque Deo. Tropologice vigiles. Primo, angeli.

Secundo, anima a *vigilibus,* id est ab apostolis, pastoribus et doctoribus erudita illisque obediens invenit Christum, sed ita ut illos pertranseat, id est in illis non hæreat, nec in alios spem suam figat quam in Christo : ita S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* cap. XXVII : « Cum redemptorem suum, inquit, Ecclesia quæreret, in antiquis prædicatoribus spem figere noluit, quæ dicit : Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Illum quippe invenire non posset, si istos transire noluisset. » Idem S. Gregorius hoc loco : « Paululum, inquit, vigiles transit et dilectum invenit anima : quia dum sanctos doctores puros homines fuisse cogitat, ad divinitatem mentem erigit, ibique sponsum suum supra homines Patris æqualem cognoscit, quem tunc invenisse se dicit, cum sanctis laboribus adjuta, in ejus divinitatis claritatem oculum fidei, tanquam speculum contemplando aliquantulum figit. » Sic et Cassiodorus, Beda, Philo et alii. Addit Cassiodorus : « *Pertransire,* ait, *vigiles,* est eorum dicta et doctrinam diligenter perscrutari. » Adjungit S. Anselmus : « *Paululum* ideo dicit, quia sine magno labore cognitio Dei habetur : ex quo enim Deus percipit affectionem quærentis, ipse seipsum offert et sponte ingerit. » Verum est tamen illud S. Augustini in *Psalm.* CIII, concl. 2 : « Quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri : » uti hic sponsæ contigit, quæ proinde subjungit : « Tenui eum, nec dimittam. » Secundo, apostoli, pastores, et doctores.

Tertio, Justus Orgelitanus per *vigiles* accipiens philosophos sic exponit : Cum pertransissem sapientes mundi, intelligens eorum sapientiam esse Tertio, philosophi.

stultitiam (nam « stultam fecit Deus ejus sapientiam, » I *Corinth.* I, 20), perveni ad Christum, qui est Dei virtus et sapientia.

Quarto. *Quarto*, S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima*, cap. V, urget τὸ *paululum*, *q. d.* Paulo post tentationes et tribulationes, adest Christus roborans et consolans : « Multi, ait, in otio quærunt Christum et non inveniunt, et quærunt eum in persecutionibus et cito inveniunt; et ideo quasi post tentationes, quia in periculis fidelium suorum adest. Quam modicum, inquit, cum transivi ab eis! inveni eum, tenui eum, et non dimisi eum. Omnis enim, qui quærit, invenit; et qui invenerit, adhærere debet, ne possit amittere. »

Allegorice. Allegorice, S. Bernardus, *serm.* 79, docet Christum transisse in resurrectione, pertransisse in ascensione, ac proinde sponsam per fidem utrobique illum sequi debere, ut inveniat eum sedentem ad dexteram Dei : « Nunc, inquit, quoniam jam resurgendo transierat, et adjecerat pertransire utique ascendendo, merito se etiam ista non transisse, sed pertransisse perhibuit, quæ hunc quidem fide et devotione ad cœlos usque secuta est. Igitur credere resurrectionem transire est, credere etiam ascensionem pertransire. » Et paucis interjectis : « Ergo quod sibi deerat instructa ab illis, quia scilicet qui resurrexerat etiam ascendisset, ascendit et ipsa pariter, hoc est pertransiit et invenit : quidni invenerit pertingens mente, ubi ille corpore est? »

Denique vis invenire Christum? quære eum in præsepio humilitatis et paupertatis, in cruce patientiæ et martyrii, in vicis et castellis prædicationis et zeli animarum, denique in sinu B. Virginis, id est in puritate et invocatione B. Virginis, ibi eum invenies. Audi Philonem Carpathium : « O quam tenet illum, et (ut ita dicam) cogit fidelium anima, dum beneplacita illi et accepta facit. Delectatur enim sponsus quemadmodum sponsa justorum vita, moribus, societate atque consuetudine : teneturque operibus virtutis, non manibus armatorum, non divitum pompis, non opulentorum jactantia, non elatorum fastu, non gulæ, somni, luxuriæ, invidiæve morbo laborantium, sed operibus misericordiæ, pietatis, continentiæ, humilitatis, temperantiæ, benevolentiæ, castitatis, et precibus rectorum; tunc in domum matris nostræ volens libentissime introducitur sponsus. »

TENUI EUM; NEC DIMITTAM, DONEC INTRODUCAM ILLUM IN DOMUM MATRIS MEÆ, ET IN CUBICULUM GENITRICIS MEÆ.

Septuaginta, *donec introduxi eum in domum matris meæ*, et εἰς ταμεῖον, id est *in cellam*; S. Ambrosius, *in secretum*: hebraice est אל חדר *el cheder*, id est *in penetrale* (scilicet in penitissima et intima domus) *ejus quæ concepit me.*

In *cubiculo* et cella servantur chara et pretiosa quæque : ibi quoque amantes secreta quæque dicunt et transigunt; unde ibi conceptam et genitam se asserit sponsa, *q. d.* Mox ut inveni sponsum unice dilectum et tanto studio quæsitum, apprehendi (hoc enim est hebræum אחזתיו *achaztiu*) eum tenui et strinxi, nec dimittam, sed introducam eum in cubiculum genitricis meæ, ut ibi eum quasi rem pretiosissimam concludam, ne amplius a me recedat, sed jugiter cum eo verser, ore ad os colloquar, secrete transigam, totumque amori ejus sacro me impendam, illoque fruar : in cubiculo enim est thalamus nuptialis. Ita Theodoretus.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Ad litteram significat, ut dixi vers. 1, quod Ecclesia gentium, ubi Christum per fidem et cultum recepit, nunquam illum sit dimissura, sed semper in ejus fide et amore permansura, donec eumdem introducat in Synagogam, puta in cor et cubile Judæorum (hæc enim est mater Ecclesiæ christianorum) eamque ceu sponsam Christo despondeat : in cubiculo enim degit sponsus cum sponsa. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Philo, Alcuinus, Beda, Justus, Aponius, Anselmus, Honorius, Rupertus, S. Bernardus, et passim alii. Audi S. Bernardum, *serm.* 79 : « Qui ingreditur thalamum, sponsus est. Magna amoris potentia! Salvator indignabundus exierat de domo et hæreditate sua, et nunc ad hujus gratiam mitigatus inflectitur ita, ut redeat non modo salvator, sed et sponsus. Benedicta tu a Domino filia, quæ et indignationem compescis, et hæreditatem restituis. Benedicta tu matri tuæ, cujus beneficio avertitur ira, revertitur salus, revertitur qui dicat illi : Salus tua ego sum. *Psalm.* XXXIV, 3. Non sufficit hoc : addat, et dicat : Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo mihi in justitia, et judicio : et in misericordia, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, *Ose.* II, 19. Sed memento, quia quæ has conciliat amicitias, sponsa est. Quomodo ergo sponsum, et hunc sponsum alteri cedit, ne dicam, cupit? Non est ita. Cupit quidem illum matri filia bona, non tamen ut cedat illi, sed ut communicet. Sufficit unus duabus, nisi quod jam non erunt duæ, sed una in ipso. Ipse est enim pax nostra, qui facit utramque unam, ut sit una sponsa, et sponsus unus Jesus, » etc.

Domus matris Ecclesiæ est Synagoga.

Potest quoque per *domum matris* et *cubiculum genitricis* intelligi romana Ecclesia, cui præsidet summus Pontifex, velut successor S. Petri et vicarius Christi; quæ proinde est mater et matrix omnium Ecclesiarum, quæ scilicet cæteras omnes, vel primitus ad Christi fidem convertit, vel conversas in ea lacte doctrinæ suæ, quasi mater alit, fovet, servat, firmat et promovet, *q. d.* Sponsa, id est Ecclesia gentium : Non dimittam Christum Christique fidem, sed eam cum romano Pontifice et Ecclesia communicabo,

Ecclesia romana.

illique meam fidem subjiciam et uniam ; imo juramento firmabo et astringam, quo fiet ut nunquam a Christi fide et cultu excidere, aut separari queam, sicut romana Ecclesia ab ea excidere nequit. S. Petro enim ejusque successoribus romanis pontificibus promisit Christus : « Ego rogavi pro te (Petre) ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, » *Luc.* cap. XXII, 32.

Symbolice, S. Scriptura.

Symbolice, per *domum matris* et *cubiculum genitricis* accipi potest S. Scriptura, quæ magna ex parte a matre Ecclesiæ, puta a Synagoga est accepta, *q. d.* Solidabo me meosque fideles, quin et Judæos convertam per S. Scripturam, introducendo eos in illorum dicta et sensa : hæc enim plane veræ fidei dogmata continent et legentibus exhibent : ita Justus Orgelitanus. Hinc Chaldæus more suo judaizans vertit : « Et populus domus Israel offerebat oblationes suas, et navabant operam verbis in cœnaculo domus doctrinæ Moysis magistri eorum, et in cubiculo Josue filii Nun ministri ejus. »

Anagogice, est cœlum.

Anagogice, sensus est, *q. d.* Ecclesia et anima sancta : Non dimittam meum Christum, donec ipse me introducat in cœlum, quasi in thalamum nuptialem, ut ibi unus cum eo efficiar spiritus : Ecclesia enim cœlestis Dei, angelorum et beatorum, est mater Ecclesiæ terrestris, sive in terra militantis, uti docet Apostolus, *Galat.* IV, 26 : « Illa, inquit, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra : » ita Theodoretus et Justus Orgelitanus.

Porro non ait sponsa : Donec ipse sponsus me introducat in cœlum, sed donec ego introducam illum, ex confidentia amoris, *q. d.* Ita sponsum per amorem mihi astringam et uniam, ut non tam ipse me, quam ego eum introducam in cœlum ; tum quia amor audax est et imperiosus ; amans enim amore imperat amato licet digniori, eumque sibi æquat, imo subjicit. Amans enim obediens amico, eum vicissim sibi obedientem efficit, sicut Jacob angelum, et in eo Deum sibi obedire, seque benedicere coegit, ideoque vocatus est *Israel*, id est *dominans Deo*, *Genes.* XXXII, 28. Hæc est vis amoris et obedientiæ. Unde et de Josue, cap. X, 13, jussu suo sistente solem dicitur : « Obediente Domino voci hominis ; » tum quia anima sancta est sedes et vehiculum Christi in se manentis, quare eum vehit quocumque libet, adeoque in cœlum, juxta illud : « Glorificate et portate Deum in corpore vestro, » I *Corinth.* VI, 20.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Tropologice, domus genitricis, mens.

Tropologice, anima sancta apprehendit Christum fide et spe, tenet devotione, stringit charitate, nec dimittit, sed introducit eum in domum matris et cubiculum genitricis, id est in mentem suam, quæ quasi est mater, altrix et nutrix omnium animæ virtutum, sensuum et potentiarum, ut jugiter de eo cogitet et meditetur, cum eoque colloquatur et dissuavietur : ita Nyssenus, Philo, tres Anonymi apud Theodoretum, et alii. Audi Nyssenum : « Non dimittam amplius Deum ansa fidei apprehensum, donec fuerit intra meum conclave, quod conclave est ipsum cor meum. Tunc vero id fit, quando redierit ad illum statum, in quo fuit ab initio, quando fuit effectus ab ea quæ concepit. » Subjungit « eum a vero aberraturum, qui matris nomine intelligat significatam primam matrem nostræ constitutionis, quæ sane haud alia est, quam Deus ipse. » Et Richardus de S. Victore gratiam docet esse piæ animæ matrem, quæ eam spiritaliter regenerat, ac in mente quasi in domo habitat. Anima ergo sancta dicit : Introducam Christum in mentem meam, ut ipse plene et plane illam possideat, ac mens mea a seipsa deficiat, et tota in Christum per amorem quasi transeat : « Tenetur, inquit Richardus, Deus devotione, desiderio, importunitate, memoria, prece, fide et exspectatione exauditionis ; nec dimittitur, si ab intentione non cesset, nec vultus amplius in diversa mutentur. Tenet itaque dilectum, quamvis aurora sit ; nec dimittit donec benedixerit. Luctata est cum eo tota nocte, qua dormivit, sed cor ejus vigilavit ; quia scilicet ab exteriori occupatione cessavit, et in quærendo *dilectum* laboravit : etiam quamvis per noctem ad auroram pervenerit, non cessat a lucta, id est ab orationis instantia, nec dimittit *dilectum*, nisi benedictionem det, ut eat de virtute in virtutem, et videat Deum deorum in Sion, id est in speculatione per speculum, et in ænigmate benedictionem hanc quærit et nominis mutationem, ut non jam Jacob, sed Israel dici possit, nec opus sit ut amplius vitia supplantet, sed ut expugnatis vitiis puritate fruatur virtutum, et Deum contempletur : Beati enim mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt, *Matth.* V, 8. »

Cubiculum genitricis fideles.

Hinc S. Anselmus per *cubiculum genitricis* accipit fideles, qui mentem suam faciunt per sanctitatem lectulum, in quo Christus suaviter quiescat. Huc accedit Hugo de S. Victore, lib. VI *Exposit. in Hierarchiam cœlestem S. Dionysii*, qui sic animam sanctam compellat : « Ergo Deus intrabit ad te, ut tu ingrediaris ad ipsum ; tunc enim tu intras ad ipsum, quando ipse ad te ingreditur. Quando amor illius cor tuum intrat et penetrat, et ad intimum cordis tui dilectio illius pertingit, tunc intrat in teipso, et tu quoque intras teipsum, ut ingrediaris ad ipsum. Necesse est autem ut usque ad thalamum perveniat et cubiculum ingrediatur, et usque ad intima tua is penetret, ibique requiescat. Quin et cubiculum genitoris forte non amat, nisi in cubiculum genitricis introducatur, ubi dilectio magis tenera est et blandimenta dulciora, ut nihil apud te durum et rigidum inveniat virilis truculentia, sed totum liquefiat et mollescat igne dilectionis. » Aponius vero : « Cum

legem divinam, inquit, mundo legeris corde, et quæ præcepit facienda docueris, exsultantem Christum in domum matris inducis. Cum autem ejus mirabilia mysteria disserere fueris dignus, et cæco judæo et gentili gratiæ donum, veram humani generis redemptionem annuntiando, Christum renascentem in cubiculum nutricis introduces. »

Connubium amoris.

Denique S. Bernardus, *serm.* 83, docet sponsum teneri charitate. Amor enim est conformitas, connubii contractus, et complexus sponsi et sponsæ : « Talis conformitas, ait, maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate jucundius? quid optabilius charitate? qua fit ut humano magisterio non contenta, per temet, o anima, fiducialiter accedas ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio? Vere spiritualis, sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi contractus : *complexus* est. Complexus plane, ubi idem velle, et nolle idem, unum facit spiritum de duobus. »

Amoris vis.

Et paucis interjectis subjicit : « Amor sibi abundat, amor, ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, et captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, et aliud novit nihil. Ipse qui honori merito, merito stupori et miraculo est; amari tamen plus amat. Sponsus et sponsa sunt. Quam quæris aliam inter sponsos necessitudinem vel connexionem, præter amari et amare? » Et mox : « Exigit Deus timeri ut dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari, etc. Ipse (amor) meritum, ipse præmium est sibi. Amor præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo; amo ut amem. Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat, unde jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori; vel de simili mutuam rependere vicem. »

Ex quibus omnibus demum concludit S. Bernardus : « Esto quod honor regis judicium diligat, sed sponsi amor, imo sponsus amor solam amoris vicem requirit et fidem. Liceat proinde redamare dilectam, quidni amet sponsa, et sponsa amoris? Quidni ametur amor? Merito cunctis renuntians affectionibus aliis, soli et tota incumbit amori, quæ ipsi respondere amori habet in redhibendo amore. Nam et cum se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium? » Denique Richardus de S. Victore, tract. *De gradibus charitatis*, cap. I : « Charitas, inquit, est vita fidei, spei robur, et omnium intima vis et medulla virtutum. Hæc vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia et omnibus prævalens, quæ ipsam quoque omnipotentiam quodam modo reddit impotentem. » Exemplum dat Moysem, qui ex charitate orans pro populo adorante vitulum, ligavit quasi manus Dei, ut diceret : « Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, » *Exod.* XXXII, 10 : et post nonnulla : « Sola quæ Deum tenere possit vis amoris est, quæ non solum teneri se patitur, sed quod non teneatur pie conqueritur in Propheta : Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam : et non inveni, » *Ezech.* XXII, 30. Denique ita concludit : « In adversis fortis, sed fortior in prosperis : solus enim Christi amor est, qui ridentis et irridentis fortunæ pure blanditias spernit et conspuit, sapore dulciori delectatus, cujus respectu omnis dulcedo amara est, omnis jucunditas mœror est, omne pulchrum fœdum, omne suave molestum. » Porro Beda et S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. V, hæc adaptant S. Magdalenæ, Christi post resurrectionem pedes tenenti.

Charitas omnipotentem facit quasi impotentem.

Symbolice, Philo Carpathius et tres Anonymi apud Theodoretum censent mentem vocari *domum matris*, id est Dei sapientiæ, quæ omnium rerum est causa et mater : mens enim sapientiæ capax, est quasi domicilium Verbi ob similitudinem : eadem est cubile, propter arcanos virtutum ejus thesauros, quos velut imago in se reconditos servat; unde Philo : « Per *domum matris*, inquit, cor cœlestis sapientiæ ipsius Verbi arbitror intelligi, et per *cubiculum genitricis* hoc ipsum cor. Nam domum quidem propter illud puto dictum, quod legitur : Inhabitabo in illis et inambulabo, inter eos, II *Cor.* VI, 16. Per *cubiculum*, vero (quoniam in cubiculo quæque optima collocantur et pretiosa) fides, spes, charitas, justitia, fortitudo, temperantia, patientia, virtus; hæc quidem non corporis, sed animi sunt ornamenta. »

Symbolice.

Exempla hujus sententiæ sunt, David, dicens *Psal.* LXXII, 28 : « Mihi autem adhærere Deo bonum est; » S. Paulus, dicens *Rom.* VIII, 35 : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? etc. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, » etc. Præclare S. Bernardus, *serm.* 79 : « Glutino bonum est, ait Isaias, cap. XLI, 7. Quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis eluitur, nec ventis dissolvitur, nec scinditur gladiis? Denique aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem. Tenui eum, nec dimittam. » Et S. Patriarcha, *Genes.* XXXII, 26. : « Non dimittam te, inquit, nisi benedixeris mihi. Ita ista non vult eum dimittere, et forte magis quam Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem, siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hæc autem non sic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te. Quid enim mihi est in

cœlo? et a te quid volui super terram? *Psal.* LXII, 25. Non dimittam. » Subjicit deinde Christum magis tenere animam sanctam, quam ab ea teneatur : « Nec minus forsitan ille teneri vult, cum perhibeat dicens, *Prov.* VIII, 31 : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Quodque pollicens ait, *Matth.* XXVIII, 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ; » « Quid hac copula fortius, quæ una duorum tam vehementi voluntate firmata est? » Subdit S. Bernardus Christi introductionem in *domum* afferre salutem, ingressum vero in *cubiculum* afferre peculiarem gratiam : « Sufficiebat, inquit, ad salutem, si domum intraret; at secretum cubiculi signat gratiam. Hodie, ait, huic domui salus facta est, *Luc.* XIX, 9. Quidni sit domesticis salus, Salvatore ingresso domum? Sed quæ in cubiculum meretur recipere, seorsum habet secretum suum sibi. Salus domui fit : thalamo deliciæ reconduntur. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo, anxie quærens Christum perditum, eum inter doctores in templo reperit, tenuit eum nec dimisit, donec introduceret eum in *domum matris suæ*, id est in Judæam, permittens Christo, orbansque se ejus dulcissima præsentia, ut ipse prædicando obiret vices et castella, omnesque sibi per fidem et gratiam copularet. Unde et ipsa fuit causa primi miraculi Christi, scilicet conversionis aquæ in vinum ad nuptias in Cana Galilææ, propter quod discipuli Christo crediderunt, ut docet S. Joannes, cap. II, 11. Eadem erit causa, cur Synagoga Judæorum in fine mundi per Eliam convertatur ad Christum, perinde ac ipsa causa est, cur plerique peccatores pœniteant et convertantur ad Christum, uti patet ex historiis et vitis sanctorum. Denique ipsa a Christo introducta in cœlum eodem animas sibi devotas introducit, uti docent S. Bernardus, S. Anselmus, S. Germanus, S. Bonaventura et cæteri, qui de laudibus B. Virginis scripserunt.

VOX SPONSI.

VERS. 5. ADJURO VOS, FILIÆ JERUSALEM, PER CAPREAS CERVOSQUE CAMPORUM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, DONEC IPSA VELIT.

Hæc verba hic iterantur, jam enim audivimus ea, cap. II, vers. 7: quare videtur sponsa iterato hic in somnum et exstasin incidisse. *Primo*, in eam incidit, cap. II, vers. 5, dicens : « Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo : » amor enim vehemens parit exstasin, imo exstasis est sublimissimus et perfectissimus amoris actus. « Est enim exstasin faciens divinus amor, » ait S. Dionysius, *De Divin. nom.* Ab exstasi hac videtur excitata sponsa, hoc cap. III, vers. 1 et 2, dicens : « Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea; » sed partim ex labore et circuitu quærendi sponsum, partim ex inventione et præsentia sponsi, de quo mox subdit : « Inveni quem diligit anima mea : tenui eum; nec dimittam, » rursus ex vehementi amore et gaudio quo perfundebatur, et quasi liquescebat fruens sponso unice dilecto in ejus sinu corruens et indormiens, incidit in animi deliquium et exstasin, a qua sponsus vetat eam excitari : quia ipse ut sponsam amat ardentissime, sic vicissim ab ea se amari, et amando teneri ardentissime cupit. Multa enim in dramate hoc, uti et in aliis subticentur; sed ex adjunctis intelliguntur, et interpreti supplenda sunt.

Secunda sponsæ exstasis.

Parabolice, significat Ecclesiam primitivam, id est, apostolos post laborem et distractionem aliquot annorum, quos convertendæ Judææ impenderunt, recepisse se per aliquod tempus ad quietem orationis et otium contemplationis, ut vires mentis restaurarent, ac se ardentius ad novos majoresque labores, puta ad conversionem omnium gentium compararent. Ad hoc enim opus erat ingenti spiritu, quem orando excitare et a Deo postulare par erat; unde Christus vetat eos ab hoc somno et quiete tam pia excitari. Apostolos imitentur viri apostolici, ut post labores actionis, subinde ad otium contemplationis se recipiant, ut vires animi restaurent, et novos ardores evangelizandi concipiant.

Parabolice.

Cæterum versum hunc explicui, cap. II, vers. 4; quare nil aliud hic addendum occurrit.

Hic finitur secunda pars libri, sive secundus actus hujus dramatis; sequitur tertius.

FINIS SECUNDÆ PARTIS CANTICI ET TOMI SEPTIMI.

COULOMMIERS. — Typogr. ALBERT PONSOT et P. BRODARD.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org